
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA






THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

BONONIAE, VRBIVM STATVS ECCLESIASTICI, ET ALIARVM AD MARE ADRIATICVM.

TOMI SEPTIMI PARS SECVNDA.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

BONONIAE, VRBIVM STATVS ECCLESIASTICI ET ALIARVM AD MARE ADRIATICVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI SEPTIMI PARS SECVNDA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

PETRI MARIÆ KAVINÆ,

Academici Philoponi,

FAVENTIA REDIVIVA;

Seu

DESCRIPTIO HISTORICO-GEOGRAPHICA REGIONIS ac CIVITATIS FAVENTIÆ ANTIQUISSIMÆ.

Editio noviſſima, priori nitidior ac emendatior.



LUGDUNI-BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER AA,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

TYPOGRAPHUS HUJUS NOVÆ EDITIONIS

LECTORI SALUTEM.



T*ibi impertimus, Benevole ac Candide Lector, huncce Librum* PETRI MARIAE KAVINAE, *mole quidem parvum, sed selectæ & reconditæ eruditionis refertum; ideoque minimè dubitamus quin tibi gratissimus futurus sit. Hunc priùs typis mandavit in 4*^to^*. Faventiæ 1670. Josephus Zarafallius Typographus Faventinus; cùm verò perrarus esset iste Libellus, consultum duximus iterum prælo illum subjicere, in tui necnon omnium Virorum doctorum commodum; ut autem hæc nostra Editio nitidior ac emendatior priore prodiret, usi sumus chartâ puriori typisque elegantioribus; nomina propria Auctorum, regionum, urbium, fluviorum, montium, &c. quò meliùs faciliúsque ab aliis distinguerentur, imprimi curavimus characteribus vel litteris* Cursivis *seu* Italicis, *ut vocant in Officinis Typographicis; plurima vitia, quæ in priori Editione irrepserant, sustulimus in hacce nostra; & tandem singulas paginas prioris Impressionis ad marginem hujusce apposuimus, ut unusquisque possit illas inter se conferre, quando citantur ab Auctoribus. Vale, & fave.*

EPISTOLA DEDICATORIA.

GENERE ATQUE VIRTUTE NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO, MARCHIONI

RODULPHO SPADAE,

Comitatus SANCTI JOANNIS & MONTIS EPISCOPI, necnon Marchionatus

RONCOFRIGIDI & MONTIS IANI

ac annexorum Domino,

PETRUS MARIA KAVINA,

Academicus Philoponus, εὐπράττειν.



FAventiæ regioni antiquissimæ & nobilissimæ, quamvis tot retrò sæculis ignoratæ, meis verò nuper vigiliis redivivæ, patrocinium quæsiturus haud multùm hæsi: cur enim Tuo potissimùm nomini sisterem, multiplex ratio coëgit: etenim amantissimæ matri, tanquam ex longa peregrinatione reduci, ut domum, quò se tuta reciperet, invenirem nobilitate insignem, opibus affluentem, pietate præcipuam, belli & pacis artibus instructam, Tuam maximè deligendam sum ratus. Si enim *Nobilitatem* spectabam; hanc antiquissimam testantur publica & domestica tabularia, eamque abundè probant antiquarum turrium rudera hæreditaria in Foro Zattaleæ & Loco Quarnenti intra Vallem Lamonis, olim Agri Faventini partem nobilissimam, & illustrium Familiarum officinam: præter ea, quæ in hac Domo fulgent Hierosolymitani Ordinis & S. Stephani Pisarum Equestria Insignia, Marchionatus, Comitatus, Balivatus, Sacra Romana Purpura, aliæque Ecclesiasticæ & Militares per Europam ferè universam Præfecturæ, Feuda & Jurisdictiones Viscardi & Viceni in Urbevetano, Roncofrigidi & Montis Jani in Cæsenate, Montis Episcopi ac S. Joannis in Bertinoriensi. Si *Opes*; ipsæ in Faventino, Brisighellensi, Ferrariensi, Argentano, Centensi, Bononiensi, Medicinæ, Imolensi, Fornionis & Gagii, Casulæ, Tussiniani, Ravennate, Russiensi, Cæsenate, Bertinoriensi, Sabiniani, Ariminensi, Civitatis Castelli, Spoletino, Urbevetano, & Romano Agro admodùm spectabiles censum constituunt cum potioribus Italiæ comparandum. Si *Pietatem*; ex ea accidit, ut Majores Tui AMATORES sint sæpissimè cognominati: quorum pietate stat Zattaleæ Cœnobium, olim Minorum Conventualium, nunc verò (sequuta ejusdem suppressione) SPADÆ Gentis Jus Patronatus, cui recens erecto IO. SPADA libras 4500. legavit, eximia tunc temporis largitate: cujus pietatis tot sunt testes, quot Forolivienses

ca-

captivi à manibus Faventinorum anno 1425. ære Vestro redempti, quod satis ex publicis Documentis & Foroliv. Historia innotescit. Hæc Pietas maximè enituit in fœlicissimæ & nunquam interituræ recordationis viro PAVLO Tuo avo, qui unus in Divi Pauli Bononiæ Templo sumptuosissimum altare Templique faciem excitavit; Faventiæ verò altare majus Ecclesiæ PP. Societatis Jesu, Romæ S. Hieronymi de Caritate, Brisighellæ Ecclesiam, sacrumque Gynæceum S. Franciscæ Romanæ, in quo duæ ejus filiæ regularis observantiæ fundamenta primæ jecerunt, & Congregationem Paulinam, quam annuo reditu scutatorum 1500. ditavit, quò magis effusa perpetuisque futuris temporibus duratura liberalitate suæ essent pluribus Canonicis Præbendæ, adolescentibus ad studia, puellis ad nuptias opportuna subsidia, aliaque pia opera patrarentur: quem ideo & ex præstitis, & ex oblatis, si Episcopalis Sedes obtinebatur, beneficiis, Brisighellenses meritò Patrem Patriæ nuncuparunt, matura consultissimaque deliberatione decernentes, ut ejus descendentium pro tempore senior semper sit Gubernatorum Brisighellæ & Vallis Lamonis Caput: & quod rei caput est, cœlitibus civem hæc pietas addidit: de B. GVIDONE SPADA loquor, cujus corpus Bononiæ colitur publicæ venerationi expositum. Si *Militarem Virtutem*; hanc in VENTVRA SERRONIS filio quondam XXII Familiarum Spadæ Gentis in Valle Lamonis electo Moderatore, in PETRO dictæ Vallis Vicecomite, unoque ex Tutoribus Astorgii III. Manfredi Faventiæ, &c. Domini pupilli; in Marchione FRANCISCO, ob clara quæ meruit inter Germanos stipendia, & pro VRBANO VIII. Summo Pontifice, difficillimis temporibus armorum, Ferrariæ Gubernatore; in Comite JOSEPHO, Germanicis, Dalmaticis, ac Cretæ, ubi obiit & conditus est, bellis emerito; in Comite MICHAELE, Pontificii exercitus in Dalmatia contra Turcas Generali Præfecto, & ob res pro Cæsare ac Hispanorum Rege in Flandricis bellis & alibi gestas præclaro; in Comite PAVLO, Germanicis motibus diutiùs versato, & Venetæ Reipublicæ fortissimo Ductore, qui occasione deploratæ obsidionis Cretensis armorum in eadem civitate Gubernator accepto vulnere, hîc tandem in patria occubuit, admiramur. Si *Politicam* atque *Civilem Prudentiam*; ea singulis Vestrûm adnata, maximè spectatur in PAVLO, ejusque filiis BERNARDINO S. R. E. Cardinali nunquam satis laudato, in VIRGILIO S. Spiritus in Saxia de Vrbe Commendatario, pluriumque Summorum Pontificum Eleemosynario Secreto, & Consiliario in rebus arduis non semel adhibito, in JACOBO PHILIPPO Tuo patre, ex quo, tanquam ex traduce, derivata in ejus filios SIGISMVNDVM V. Sign. Sanctissimi D. N. Papæ Referendarium cum potestate suffragii, Sacræque Consultæ Prælatum, & Basilicæ S. Petri Urbis Canonicum, in Marchionem GREGORIVM, Amplissimi Senatus Bononiæ XL Virum Sapientissimum, & SPADÆ ibidem Familiæ Protoplastum, in Comitem NICOLAVM, perpetuum Equestris Ordinis S. Stephani in Romandiola Balivum, & in TE præcipuè, qui totius Gentis Columen, & Faventiæ ipsius Ornamentum, hîc gravissimi familiaris regiminis molem incorrupto judicio libratisque consiliis laudatissimè sustines, quique meos qualescunque litterarios conatus sollicitas, evehis, Tuisque sagacissimis sæpè colloquiis juvas: præter FR. LAURENTIVM, olim Generalem Ordinis Sancti Francisci, & à PAVLO P. III. Episcopum Calvensem in Regno Neapolitano creatum, nunc verò Marchionem HORATIVM Romanæ Familiæ Propagatorem, FABRICIVM in V. Signatura Referendarium, & in Congregatione Boni Regiminis cooptatum, aliosque hujusce Gentis magnos Viros & illustres Fæminas, quorum hîc possem viventes Mares 24. Fæminas verò 11. recensere, cum debito cuilibet encomio, quod à prolixitate alienus prætermitto; addens solùm huic Domui sanguine vel affinitate conjunctas esse nobilissimas in Italia Familias, scilicet Romæ *Verallos*, *Verospios*, *Patricios*, *Mattheios*; Bononiæ *Pepulos*, *Elephantutios*, *Ghisilerios*, *Ghislardos*, *Bargellinos*, *Grassos*, *Sangiorgios*; in Etruria *Malaspinas*; Ferrariæ *Rondinellos*; Spoleti in Vmbria *Rosarios*; in Flaminia *Malatestas*; & hîc Faventiæ *Bonacursios*, *Severolos*, *Zanellos*, *Riciardellos*, *Barbavarios*, atque antiquiùs *Naldos*; Forolivii verò *Albicinos*, *Dentios*, *Merlinos*. Ex quibus March. CLAVDIA MARGHERITA MALATESTA masculæ virtutis & prudentiæ Fæmina Tibi conjugio vincta; cujus Majores, si non regio, proximo saltem claruere potentiæ fastigio, ob clarissimas in Italia & Græca Peloponneso ditiones, dum adhuc Orientale consisteret Imperium, quo tempore *Cleopa Malatesta* Itala *Thomæ Paleologo Despotæ* Imperatoris fratri nupta regiam obtinuit dignitatem, quod ex Græcis Scriptoribus satis est clarum; præter alia, quæ sciens prætereo, Vestri Generis monimenta. Ex quibus omnibus illud evenit, ut Tua protectio mihi præ cæteris esset exoptabilis; sed quid moror? Faventia ipsa hujusmodi protectionem magis exigit, quàm implorat; scilicet antiquum ac singulare Vestri generosi sanguinis monumentum DIVÆ SPADÆ Numisma, Faventiæ diu sepultum, nec ita pridem in ædibus olim Vestris, nunc nobilissimæ Familiæ *de Severolis*, repertum, quod tuis oculis lubens objicio, rependendi beneficii Te admonet.

Ego verò assumendi patrocinii implorator, & libelli oblator, ipsa muneris exilitate erubesco,



besco, sed Tu cordato supercilio non magis respicies qualia, quàm quo animo sacrata. In subjecta enim materia multùm est hæc pauca congerere, & ego eorum institutum non probo, quibus, ut ait Propertius,

Maxima de nihilo nascitur historia.

Faventiæ ex Museo Kalendis Julii 1670.

AD LECTORES.



Quemadmodum Architecto, ex pluribus inter se junctis domibus palatium conficere volenti, ædes antiquæ ob linearum planorumque irregularitatem & discrepantiam, sunt funditùs evertendæ, quò perfectior nobiliorque structura consurgat; sic mihi, antiquam FAVENTIÆ, *aut, quod idem est,* FLAMINIÆ, *nobilissimæ Regionis dignitatem ex oblivione tenebrisque revocaturo, nitidamque juxtà, ac plenam, solidamque Descriptionem exhibituro, illud maximè fuit præstandum, ut omnia, quæ sum dicturus, in eumdem certumque scopum colliment: ea de causa singularum ejusdem Regionis civitatum antiquitates perstringendæ fuerunt, tanquam à recta linea aberrantes, exorbitantes, sibi invicem contrariæ, & in universum debili fundamento superexstructæ. Ab omnibus ergo veniam humiliter & enixè postulo, quia, si Deus vitam & vires dederit, plus restituam, quàm ademerim, debilibusque eliminatis, solida substituam.*

Interim omnes Antiquitatis studiosos obsecro, ut, si quid habuerint, quod dicta mea convellere, aut integram, quam molior, Descriptionem illustrare possit, mihi communicare non dedignentur; singula enim debito obsequio excipiam, Auctorumque habebo debitam laudem & mentionem.

Integræ verò Descriptionis hæc erunt capita præcipua.

1. *Descriptio Regionis, assertio Limitum, dilutio Objectorum.*
2. *Civitatum, & Castrorum, Locorumque nobilium Origines, & breve Chronicum.*
3. *Regimen Politicum, & Artes.*
4. *Religio antiqua, Christiana.*
5. *Terræ Qualitates, ubi de Arboribus, Herbis, Animalibus, Annona, Montibus, Mineralibus, &c.*
6. *Aqua, ubi de Mari Adriatico, Fluminibus, Paludibus, Fontibus, Balneis, Piscibus, & Salinis.*
7. *Aër, ubi de Ventis, de Volucribus.*
8. *Cœlum, ubi de Quantitate Dierum & Noctium in singulis Civitatibus ejusdem Regionis Cathedrali Sede insignitis ad horarum canonicarum regulam: de Stellis Verticalibus, &c.*
9. *Chronologia rerum memorabilium, & Episcoporum; & si quæ alia studium meum, vel aliorum suppeditet humanitas.*

Auctor verò noster, vel morbo implicitus, vel morte præventus, vel aliam ob causam, institutum non perfecit, nec fidem liberavit; nam ad hunc usque diem Descriptio illa, quam moliebatur, non exiit, nec fortè unquam exitura est.

CAROLI ANDREÆ SINIBALDI,
PATRICII FAVENTINI,
AD
PETRUM MARIAM KAVINAM,
DE EDITIONE SUI LIBRI DE
FAVENTIA REDIVIVA,
EPIGRAMMA.


QVid poscat pietas, patriæ quæ debita calles,
Magnanimoque tuus fœnore solvit amor.

Ex uteri tenebris ad cœlum te eruit illa,
Illam tu è tenebris eruis arte pari.

Quod dedit illa tibi, rapient volventibus annis
Tempora, & immiti Parca severa colo.

Quod das, Petre, illi, Lachesin & tempora vincet;
Inque tuo vivus munere semper eris.

PETRI





Pag. 1.
FAVENTIA
ſive
FLAMINIA,
Olim Thuscorum & postea
Gallorum Ægonum Regio,
ac sedes juxta tempora
Augusti descripta ex
Strabone & Appiano,
conatu Geograph.
P.M. Kavinæ.
LUGD. BAT.
Apud P.Vander Aa.
MARE
ADRIATICUM,
ſive
SUPERUM.
GALLI
BOII
Padusa Palus.
Padi Ramus.
Via Æmilia
Vatrenus.
Senius Flu.
Anemo
Flu.
Vitis
Flu.
Isapis Flu.
Via Æmilia
Rubicon Flu.
via Flaminia
Via a Thusc.
Transapennis
Castellum
2 4 6 8 10
Milliaria decem antiqua
1. Ravenna.
2. Templum Iovis.
3. Tiberiacum.
4 Forum Cornelii.
5 Faventia.
6 Forum Livii.
7 Forum Popilii.
8 Cæsena.
9 Ariminium.

PETRI MARIÆ KAVINÆ
FAVENTIA
REDIVIVA.

5 
IMmanissimâ imperantium nequitiâ, luxurie, socordiâ ita effectum est, ut, paucis à *Julio Cæsare* ætatibus, *Romana* potentia evaserit exterorum ludibrium, bonæque artes & litteræ proscriptione interierint. *Italia* Barbarorum irruptione inundata, integris sæculis sæculisque nequissimos *Aborigenes* perpessa, eò miseriarum devenit, ut deperditis antiquorum Scriptorum monumentis, rebusque labentis Imperii penitus neglectis, teterrimâ ignorantiæ caligine obsessa contabuerit. Nos verò, quibus lux quædam antiquarum rerum, altero ferè abhinc sæculo, ceu postliminio restituta, *Italiam* in *Italia* quærimus; & quoniam Barbarorum rabies non solùm nostras
6 *Italorum* opes, jura, sed & nomina ac vocabula plerumque eripuit, vel permutavit, in determinandis antiquarum, non regionum dumtaxat, sed & urbium nominibus finibusque hæsitamus.

Hisce tenebris involutum *Faventiæ* nomen usque ad hanc diem latuit, & licèt antiquitus non spernendi nominis regio exstiterit, tamen *Appiani* ac *Strabonis* Interpretes, qui *Græca Latinis* reddidere, in angustias conjecti, Paraphrases commenti sunt à *Græcorum* Codicum fide toto cœlo discrepantes. Firmissimo igitur *Strabonis* primùm, utpote antiquissimi, eruditissimi, ac fidelissimi Scriptoris, testimonio fundamenta jacio, ut ex constituto semel *Faventiæ* statu indubitato de posterioribus non solùm deinceps, sed & de prioribus temporibus certior sit ratiocinatio.

Ergo vulgata quæ circumfertur *Strabonis* Versio sic habet: *Cis Padum verò, circumque Padum celeberrimæ sunt civitates Placentia & Cremona, media in regione propinquissimæ, inter has & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia prope Ravennam: in harum medio exigua quædam jacent oppida, per quæ iter est Romam, Acari, Regium Lepidi, Nacri campi, ubi quotannis forum conficitur, Cliterna, Forum Cornelium, Faventia, Sina Isapi fluvio propinqua & Rubiconi. Hæc proxima sunt*
7 *Arimino.* Quot verò hîc adsint sensus, perturbationes, inversiones, contrarietates, vitiatâ & transpositâ interpunctione, ex ipso *Strabonis Græco* textu per me ad litteram diligenter adducto & translato facilè constabit: Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς. Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμώνη πλησιαίταται, κατὰ μέσην που τὴν χώραν· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα, καὶ Μουτίνη, καὶ Βωνονία, πλησίον ἤδη Ῥαουέννης, καὶ μικρὰ πολίσματα· ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς, Ἄκαρα, Ῥήγιον Λέπιδον, Νάκροι κάμποι, ὅπου πανήγυρις συντελεῖται κατ' ἔτος, Κλίτερνα, Φόρον Κορνήλιον· Φαουεντία δὲ καὶ Σίνα πρὸς τῷ Ἰσάπι ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι ἤδη συνάπτουσι τῷ Ἀριμίνῳ. Hæc sunt ipsa *Strabonis* verba *Geogr.* lib. 5. pag. 95. Edit. *Græc. Ald.* quæ sic à me vertuntur: *Civitates verò sunt intus Padum & circa Padum celeberrimæ. Placentia enim & Cremona confines sunt, circa me-*A *diam ferè regionem: inter has & Ariminum, Parma, & Mutina, & Bononia, prope maximè Ravennam, & parva quædam oppidula: per medium eorum, per quæ iter est Romam, Acara, Rhegium Lepidum, Nacri campi, ubi quotannis conficiuntur nundinæ, Cliterna, Forum Cornelium: Faventia verò & Sina juxta Isapim fluvium & Rubiconem maximè connectuntur Arimino.*

Si viveret *Claramontius Cæsenæ* Historicus satisfacere posset quæstioni, quam habet p. 156. circa illud δὲ, quod miris modis detorquet. Ego 8 B verò ex hoc *Strabonis* testimonio, aliisque afferendis Antiquorum Scriptis, assero eamdem præcisè fuisse *Flaminiam*, atque *Faventiam*: *Sinam*que, de qua fit mentio, non *Cæsenam*, sed *Senonum* regionem exstitisse.

Siquidem *Faventia* cùm determinetur *Foro Cornelio*, *Ravennâ*, & *Senonum Galliâ*, mediante & connectente utramque *Arimino*, nullatenus discrepat à *Gallia Flaminia*, quam *M. Catò*, vel quicumque sit Libri Auctor, sic describit, *Gallia* C *Flaminia à Ravenna ad Ariminum*: & quia *C. Sempronius Flaminiam* extendit à *Bononia* ad *Rubiconem*, censendum est etiam *Forum Cornelium* intra *Flaminiæ* vel *Faventiæ* terminos fuisse comprehensum; quod infrà fiet clarius.

Quoniam verò hæc veritas, ex tenebris nuper excitata, fortasse per quosdam malè concoquetur, optimum duxi aliunde, quàm ex *Strabone*, *Sempronio*, & *Catone*, demonstrare; neque enim in unius Auctoris, qui decipi potest, fide universa moles ratiocinationis est fundanda, quando eadem D conclusio ex multis rationibus evinci potest.

Primò itaque firmatur *Faventinos* Populum fuisse testimonio *Plinii*, qui in octava regione *Italiæ* 9 *lib.* 3. *cap.* 15. inter cæteros Populos *Faventinos* enumerat; & *Carolus Stephanus* ac alii *Fidentinis* finitimos faciunt. *Fidentini* verò sunt Montani quidam inter *Bononiam* & *Florentiam*; hodie nuncupatur præcipuum ejus regionis castrum *Fidentiola*, vulgò *Fiorenzola*.

Secundò maximè favet textus *Appiani*, licèt solito more per Interpretes, qui *Latino* & *Italico* E sermone *Appianum* reddidere, malè intellectus. Hæc ergo *Appianus* ΕΜΦΙΛ. Α. καὶ περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἐν Φαυεντίᾳ Κάρβων καὶ Νωρβανὸς ἐξ ὁδοῦ βραχὺ πρὸ ἑσπέρας ἐπὶ τοῦ Μετέλλου στρατόπεδον ἐλθόντες, *& circa hos ipsos dies in Faventia Carbo & Norbanus ex itinere brevi ante vesperas ad Metelli castra pervenientes*, &c. An verò hæc narratio, quâ Auctor rem gestam & maximè inter duos magnos exercitus gestam *in Faventia* dicit, intelligi possit de *Faventia* oppido, vel civi- F tate, clarius est, quàm quòd alia probatione egeat; plura enim cogunt intelligere de regione duorum exercituum aliquo itineris spatio distantium capace, & postea subditur, καὶ ἀμπέλων πυκνῶν περικειμένων, *vineisque densis circumpositis*: quod non potest intelligi de civitate, sed de regione; quod etiam confirmatur modo loquendi Auctoris ejusdem, ut aliunde non quæramus; cujus exem- 10 plum sit conferentia *Cæsaris* & *Antonii* prope *Mutinam*, de qua *Civilium* lib. 4. in principio: Καῖσαρ

A μὲν καὶ Ἀντώνιος ἐς φιλίαν ἀπ᾽ ἔχθρας συνήεσαν ἀμφὶ Μουτίνην πόλιν ἐς νησῖδα τοῦ Λαβινίου ποταμοῦ. *Cæsar verò & Antonius in amicitiam ex inimicitia conveniunt circa Mutinam civitatem in insulam Labinii fluminis* : & in eodem ferè sensu, quo de *Carbone*, videre est in *Mithridatico* : τῆς δ᾽ αὐτῆς ἡμέρας οὕτω καὶ Μουνάτιος περὶ Χαλκίδα, *hac ipsa die similiter Munatius circa Chalcidem*. Ex quibus loquendi modis plusquam clarè patet *Appianum*, cùm de *Faventia* locutus est, non de civitate, sed de regione locutum, dixisset enim *circa Faventiam*, non verò *in Faventia*. Hoc autem
B ideo Interpretes fefellit, quia, cùm adhuc constans opinio fuerit, etiam inter *Faventinos*, *Faventiam* antiquissimam quidem, sed tantùm civitatem fuisse, errores in Codicibus suspicati, sensum corrigere conati sunt infælici eventu.

Tertia denique ratio ea est, quæ ex Lapidibus antiquis eruitur, quorum unum, aut alterum exemplum afferam.

11 Exone in Catalaunia.

L. VAL. L. FIL
C GAL. FAVENTINO
II. VIRALI
QVI. ANNONA
FRVMENTARIA
EMPTA. PLEBEM
ADIVVIT. ET. OB
ALIA. EIVS. MERITA
KOLLEGIA. KA
LENDARIORVM. ET
IDVARIA. DVO
CIVI. GRATISSIMO
POSVERVNT

D In Hortis Mediceis.

TI. CANTILIVS
FAVENTINVS
FECIT. SIBI. ET
CANTILIAE. PRI
MITIVAE. CONIVG

12 Faventiæ.

D. M. S
TI. CLAVD.
E SATVRNINO
C. FLAVENVS
FAENTINVS
FRATRI
B. M. FECIT
V. A. XXXIII

Romæ.

D. M.
PALLADIS
T. STABERI
F FAVENTINI. SER
T. STABERIVS
FAVENTINI. L
13 CHARITO. CON
IVGI. DE. SE. B. M
V. A. XXXII

Quorum quidem aliorumque Lapidum testimonio evidenter concluditur, *Faventinos* non unius oppidi, sed justæ regionis accolas existimatos. Si quidem (uti norunt Antiquitatis studiosi) priscorum marmorum exaratores *Romani*, aut *Romanam* consuetudinem sequuti, quotiescumque scriberent aliquem ex certa quadam regione oriundum, nomine derivativo sive patronymico regionis utebantur, veluti *Faventinus*, *Sabinus*, *Cimber*; ubi verò oppido aliquo vel civitate oriundum, non nomine derivativo, sed ipso nomine urbis aut oppidi in sexto casu, præcedente plerumque nomine Tribus; quod exemplis fiet evidentius.

Beneventi ante carceres. 14

M. GAVIVS. M. F. PALAT
SABINVS. SCRIBA. AEDIL
I. D. PRAEF. FAB
SIBI. ET
NASENIAE. M. F
IVSTAE. VXORI. B. M

Ex *Panvin. de Civitate Rom.* p. 201.

Urbini.

L. FLAVIO. L. F
S. TE. CIMBRO
PONT. AED. BIS
IIII. VIR. I. D. QVINQ
PRAEF. FABR
D. D

Ex eodem p. 230.

Romæ in Insula.

T. RVNCANIVS
T. F. VEIEN
ASTVRIVS

Ex eodem p. 210.

Etenim *Sabini* Populi sunt satis cogniti ob bel- 15
la cum *Romulo*; *Asturii* Populi sunt *Hispaniæ* memoratissimi, *Gallæcis* proximi; *Cimbri* verò *Germaniæ* Populi, *Marii* victoriâ notissimi. Ubi verò quis esset alicujus oppidi Civis, vel oriundus, hic erat mos inscribendi in Lapidibus.

Romæ.

C. AVILIVS
C. F. SCA
SEVERVS
FESVLIS
MIL. COH. III. PR
7. PAVLINI
MIL. AN. V
VIX. AN. XXV
H. A. C

In via Appia.

CLAVDIAE. VENERIAE
A. GELLIVS. A. F. DVM
SECVNDVS
BONONIA
FECIT. ET. SIBI
IN. F. P. VI. IN. AGR. P. IX

Ex *Manut.* in *Orthogr.*

Anagniæ. 16

L. COMINIO. L. F. L. N. PAL
FIRMO. PR. Q. AER. ET. ALIM
OPPIAE. SEX. ET. Ↄ. L. EVNONEAE

Ex *Panvin.* p. 201.

Fesulæ, *Bononia*, & *Firmum* clariores fuerunt urbes, quàm quòd explicatione egeant. Simile inve-

invenitur universim in omnibus Lapidibus *Romano* more incisis: scio enim multos alios reperiri propter locorum temporumque distantiam à *Romana* consuetudine deficientes, & pænè dixerim semi-barbaros; Eruditi verò optimè norunt inter utrosque distinguere infallibilibus conjecturis, nempe interpunctione, caractere, &c. ex quibus omnibus plusquam plenè demonstratur, *Faventiam* fuisse antiquitus regionem, & *Faventinos* Populum non spernendi nominis & famæ, contra inveteratam sententiam.

Regionis nomen, & fines specialiùs.

BLondus lib. 3. *Romæ instauratæ* angitur animo, quòd cùm genitus fuerit *Forolivii* in urbe *Flaminiæ* percelebri rationem ignoret nominis *Flaminiæ*, & *Leander Albertus* hæret in nomine, & postmodum originem tribuit *Flaminio* constructori viæ *Româ Ariminum* usque, sed egregie fallitur. Nobis verò haud difficile erit vocabuli etymon assequi, si perpendamus totum hunc tractum à *Thuscis*, quos *Tyrrhenos* vocabant *Græci*, teste *Dion. Halicarn. lib.* 1. ac *Cæl. Rhod. lib.* 6. *cap.* 18. eo quòd in turribus habitarent, quas ipsi τύρσεις appellant, fuisse inhabitatum: hoc enim maximè patet de *Faventia* nostra, testimonio *Strabonis lib.* 5. Καὶ ἡ Ῥαβέννα δὲ Θετταλῶν λέγεται κτίσμα· οὐ φέροντες δὲ τὰς τῶν Τυρρηνῶν ὕβρεις ἐδέξαντο ἑκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινάς, οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν. *Ravenna verò dicitur Thessalorum ædificium: non ferentes verò Tyrrhenorum injurias susceperunt ultronei quosdam Umbrorum, qui & hodie civitatem habent.* Nulli verò *Tyrrhenorum* vel *Thuscorum* magis inquietare *Thessalos* potuerunt, quàm *Faventini*, in quorum æstuariis *Ravenna* fabricata erat, & nisi à *Faventinis* fuissent prohibiti, non in æstuariis, sed in continenti pedem fixissent; quod & *Spinæ* conditoribus ad *Padi* ostia contigisse refert idem *Dionys. lib.* 1. si tamen verum est *Ravennam* à *Thessalis* ædificatam, ut inferiùs investigabimus: quæ cùm ita sint, probabo, nomina *Thuscorum*, *Flaminiæ*, & *Faventiæ* fuisse cognatæ significationis vocabula; etenim *Thusci*, teste eodem *Dionysio*, est vox contracta, quia *Græci* rei naturam spectantes, eos non *Thuscos*, sed Θυοσκόους appellant. *Thyoscoi* verò Sacerdotes sunt, aut illi qui ex hostiis igni impositis futurorum eventa conjectant. Sic enim lego in *magno Etymologico Græco*, Θυοσκόοι εἰσὶν οἱ ἀπὸ τῶν θυομένων διὰ πυρὸς μαντευόμενοι. Flamines verò idem sonant; erant enim Sacerdotes Gentium, ut colligitur passim ex Auctoribus, & præcipuè *Isidori Orig.* lib. 7. cap. 12. ac *Flaminia* Sacerdotula erat ex Festo, & aliis. Idem est ergo *Thuscia* & *Flaminia* quoad vocis originem, quæ *Faventiæ* præcipuè attributa est ob peculiare studium, quo hic Populus rebus sacris vacavit, unde illi nomen *Faventia*, quæ, juxta eumdem *Festum*, *bonam ominationem significat*; *nam Præcones clamantes, populum sacrificiis favere jubebant*; & sic *Juvenalis Sat.* 12.

Ite igitur pueri, linguis animisque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris.

Quorum nominum cognata significatio nihil ambiguitatis relinquit, quin intelligamus unam fuisse regionem *Faventiæ* ac *Flaminiæ* nominibus insignitam; quod etiam clarè constat ex Auguribus *Faventinis*, qui inter Augures *Pop. Rom.* numerantur; cujus rei exemplum sit *Ulpius Egnatius*, de quo *Panvin.* in *Civitate Romana* pag. 160. Lapidem subjicio:

A DIS. MAGNIS
VLPIVS. EGNATIVS. FAVENTINVS
V. C. AVGVR. P. V. B. P. R. Q.
PATER. ET. HIEROCERIX. D. S. M. I.
ARCHIRVCOLVS. DEI. LIBERI
HIEROFANTA. HECATAE. SA
CERDOS. ISIDIS. PERCEPTO
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQVE
IDIBVS. AVGVSTIS. DD. NN.
VALENTE. AVG. V. ET. VALEN
TINIANO. AVG. CONSS. FELICITER.

B Addit *Manutius* in *Ortograph.* pag. mihi 387. verbo *Hecate*,

Vota Faventinus bis deni suscipit Orbis,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.

Et ne dubitetur an hæc familia fuerit *Faventina*, exstat *Faventiæ* in angulo exteriori Ecclesiæ *S. Hilarii* frustum antiqui Lapidis cum his caracteribus:

C. EGN.....
P. V. R......

C Et hæc de nominibus hujusce regionis, dum ipsa adhuc sui juris esset; post subjectam enim *Romanæ* Reipublicæ universam *Galliam*, aliis nominibus est nuncupata.

Fines ab Oriente.

AD statuendos ab Oriente regionis nostræ limites, expendenda sunt *Foroliviensium*, *Foropopiliensium*, *Cerviensium*, *Cæsenatium*, ac *Sassinatium* Jura, quibus ipsi suas civitates antiquissimas perhibent, suisque singulas legibus viventes; quod si verum esset, multa per me dicta & dicenda corruerent. Parcite comprovinciales, si acriùs examen instituo, non enim alius quàm veritatis amor id effecit, & si quædam fictitia ex Historiis ac Annalibus vestris eliminabo, totidem vera, nec spernenda, substituam.

Referuntur & expenduntur Foroliviensium Jura.

FOrum Livii (si tamen non potiùs *Forum Liviæ*) primum facit obstaculum: ejus Scriptores contendunt eam multò ante *Augusti* tempora civitatem exstitisse suis legibus viventem; quod nituntur probare.

1. Quia juxta receptam ipsis opinionem *M. Livius Salinator* forum condiderit anno V. C. 545. testimonio *Titi Livii lib.* 29. *cap.* 5. ubi quòd *M. Livius exercitum volonum ex Etruria in Galliam traducit, junctusque Lucretio, si se Mago ex Liguribus propiùs Urbem moveat, obviam ire parat; si Pœnus sub angulo Alpium quietus se contineat, & ipse in eadem statione circa Ariminum Italiæ præsidio futurum.* Nec multò pòst habetur ejusdem *Salinatoris* Proconsulis in *Gallia* provincia confirmatio, in qua 17. post annos *M. Livius Salinator*, anno nimirum V. C. 562. cum *M. V. Messala* provincias partiti, *Messalæ Ligures*, *Salinatori obtigit Gallia*, *Liv. lib.* 38. supponentes testimonio *Polybii lib.* 2. *Gallos Bojos* in provinciam redactos anno V. C. 528.

2. Idem arguit Auctor *Historiæ Foroliviensis* ex Marmore antiquo in muro Ecclesiæ *Sancti Laurentii* in territorio *Forolivii*. Lapis sic se habere dicitur:

...BONO
.... SAPPINIVS. C. LI....
SAPPINIO. FAVSTINO....

Ipse interpretatur, *Sappinius Civis Liviensis*, ex vocabulo *Civis* civitatis jura deducens, eamque municipium decernens.

3. Ex eo præcipuè quòd *Cornelius Gallus*, Poëta *Augusti* ætate celebratus, ipsi credatur *Foroliviensis*, concludit civitatem antea exstitisse.

4. Auctoritate *T. Livii lib. 5. Vitim*, quem eumdem cum *Utente* flumine facit, & *Forolivio* adscribit, terminum constituit inter *Senones* & *Bojos*. Ex quibus omnibus, si vera essent, sequeretur *Faventiæ* fines nimis fuisse contractos, & ea quæ diximus non benè constare. Nos verò respondemus,

B Ad primum. Quòd licèt *M. Livius* & *C. Livius Salinatores* in hoc tractu stativa habuisse credantur, nulla tamen alia emergit conjectura, quàm quòd exercitu hìc diu castra metante forum rerum venalium ac Tabernariorum fuerit institutum pro copiarum scilicet victu, juxta bellicam consuetudinem; unde *Xenophon de Pæd. Cyri* lib. 4. cap. 5. ex persona ejusdem *Cyri* ad milites: Τὴν δ' ἀγορὰν τὴν οὖσαν ἐν τῷ στρατοπέδῳ κηρυξάτω μὲν ἤδη, ἔφη, μὴ ἀδικεῖν μηδένα, πωλεῖν δὲ τοὺς καπήλους καὶ ἐμπόρους ὅ τι ἔχει ἕκαστος πράσιμον. *Forum esse in castris proclamato, inquit, neminem injuriam passurum, ac vendere Tabernarios & Mercatores quidquid singuli venale habent.* C Quod etiam confirmatur, si consideremus multiplicia hujusmodi fora in *Italia*, quæ nullam aliam quàm similem originem traxere, eorumque auctores vel fundatores exstitere *Romani* exercituum imperatores, qui diu in illis locis consistentes cum exercitu idem per necessitatem fecere.

Ad 2. dicimus, quòd nimis prona est Lapidis interpretatio, quâ illud C. LI... exponitur *Civis Liviensis*, quod apud Antiquitatis Professores nullam fidem obtinebit. Habent Lapides sua verba peculiaria, nec alia de causa licitum fuit tam crebras in Marmoribus interpunctiones, & unicos D characteres pro integris verbis adhibere, nisi quia cùm pauca essent verba, quibus in talibus uterentur, facile erat integra verba ex primis duntaxat elementis assequi. Aliquem verò intra suæ patriæ fines conditum sepulcralem Lapidem habere, qui illum testetur civem regionis, vel urbis, ubi sepultus est, & cum consuetudine, & cum ratione pugnat. Germana verò Lapidis interpretatio est *Caji Libertus*, & sic corruit totum ædificium civitatis *Foroliviensis*.

Ad 3. negamus *Cornelium Gallum* fuisse *Foroliviensem*, cùm omnes ejus vitæ Scriptores ipsum E *Forojuliensem* faciant; ita habent omnes *Eusebii* ab ipsis adducti Codices, inter quos editio *Scaligeri*, ita *Petrus Crinitus de Poët. Lat.* lib. 3. cap. 42. *Gyraldus de Poëtarum Histor. Dial.* 4. p. 154. *Cn. Cornelius Gallus Poëta, ut Eusebius ait, Forojuliensis, quamvis amore, ut puto, patriæ Fl. Blondus Foroliviensem facit.*

Ad 4. respondemus, *Livio* terminos esse *Senonum* non ab *Utente*, sed ab *Usente* flumine non procul *Româ* labente; & licèt *Sigonius* dicat multos Libros antiquos in *Utentem* consentire, vulgati tamen habent *Usentem*, subjungit Sigonius, F *de Usente in iis locis flumine nihil adhuc comperi.* Sed non viderat *Virgilium*, qui *Æneid.* lib. 7. sub fin. sic cecinit:

Quâ Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Usens.

Quare *Senonum* tunc temporis termini explicandi sunt ab *Æsi* ad *Usentem*, quod & temporum computis & historiis non repugnat, quidquid sit de dictorum limitum mutationibus ab inde sequutis. Et tandem quæ est inter *Utentem* & *Vitim* convenientia?

Referuntur & expenduntur Foropopiliensium Jura.

Romanæ coloniæ nomen, quod præ se ferunt *Foropopilienses*, superiùs dictis aliquam caliginem offunderet, nisi ritè perpensis rationibus & auctoritatibus, contrarium, vel saltem multò diversum constaret. Solidissimum & totale eorum fundamentum *Sext. Frontini* auctoritati nititur, cujus hæc sunt verba: *Forum populi oppidum muro ductum: iter populo non debetur p.* XV. *limitibus Augusteis ager ejus in jugeribus est assignatus. Nam Imperator Vespasianus postea lege sua agrum censeri jussit.* Quæ sic exponenda censeo:

Forum populi] Ipsi legunt *Popilii* contra *Frontinum*, etiam refragante *Plinio*, quem corruptum putant, quibus tamen nimis obstat Diploma *Valentiniani* apud *Rubeum Hist. Ravenn.* lib. 2. pag. 97. & alia præterea.

Oppidum muro ductum] Miror conniventiam; cùm dicatur oppidum muro ductum, ipsi verò interpretentur coloniam. *Frontinus* licèt Librum inscribat *de Coloniis*, (si tamen ipse Auctor, & non alius hanc inscriptionem Libro adjecit) non tamen omnes urbes, vel oppida, quæ recensèt, pro coloniis habenda sunt: colonus enim coloniæ nomen dedit, veluti *Nuceria Constantia muro ducta colonia*, *Nola muro cincta colonia*, *Capua muro ducta colonia*, sic de cæteris; quod non observat in oppidis, vel castris munitis tantùm, sed coloniæ jura non adeptis, veluti, *Claudinum oppidum muro ductum*, *Ferentinum oppidum muro ductum*, &c.

Quod ut clariùs pateat, sciendum *Romanos*, quotiescunque Populum aliquem debellassent, aut vicinorum suspectam fidem vel potentiam haberent, colonias in finibus deduxisse, eodem fine, quo nunc majora, &, ut vocant, realia munimenta statuuntur. Sic *Livius lib.* 10. *Æquos* narrat *coloniam ægrè patientes, velut arcem suis finibus impositam.* Illud verò observatur, ne inter amicos aut fidos Populos in mediis provinciis hujusmodi colonias vel munimenta statuerent, tanquam animos irritatura; quod advertit *Lipsius* in *Tract. de Magnit. Rom.* cap. *de Coloniis*, & *Politic.* lib. 4. cap. 7.

Licèt verò *Augustus* vix principatum adeptus, ad firmandam novi Imperii molem, duodetriginta colonias in sola *Italia* deduxerit, ut habet *Suetonius* in *Augusto* cap. 46. tamen inter eas non fuit *Forum Populi*; quod satis constat ex lib. 1. *Hist. Rom. Velleji Paterculi*, ubi *de Coloniis*, qui parùm post *Augustum* vixit, & tamen inter colonias illud non enumerat, & tamen librum sic claudit: *Neque facilè memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.*

Denique, ut constet satis esse discriminis inter colonias & oppida seu castra munita, exstat oratio *Galgaci* ad suos apud *Tacitum de Vita Agricolæ* cap. 32. *Nec quicquam ultra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter malè parentes & injustè imperantes, ægra municipia & discordantia*; & *Hirtius de Bello Hisp. ibi præsidii causâ castellum Cæsar habuit constitutum:* & in *Tabula Cebetis* ab initio legimus: οὔτε γὰρ πόλις ἐδόκει ἡμῖν εἶναι τὸ γεγραμμένον, οὔτε στρατόπεδον, *neque enim quod pictum erat, urbs nobis esse videbatur, neque castra:* & tandem *Isidorus Orig.* lib. 15. distinguit oppida, civitates, colonias, municipia, pagos, &c. & *Vegetius lib. 3. cap. 8. sive illæ civitates sint, sive castella murata.*

Iter populo non debetur p. XV.] Scilicet ubi munimenta sunt, vel oppida præsidiis militaribus instructa, non est liberum populo pertranseunti propiùs

piùs accedere, nisi de voluntate Principis; quod & hodie observatur, & *Romani* antiquitus non solùm hæc præstabant, sed etiam extero intra fines Imperii ingredienti custodem & observatorem actionum dabant; quod colligitur ex *Tacito de Mor. Germ.* cap. 41. *In splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia passim & sine custode transeunt; & cùm cæteris gentibus arma modò castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus:* & *Histor.* lib. 4. cap. 64. ubi queruntur *Germani: Nam ad hanc diem flumina, ac terras, & quodammodo cælum ipsum clauserunt Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac propè nudi sub custode & pretio coïremus:* & cap. 65. in Resp. *Agrippinensium*, *Sint transitus incustoditi, sed diurni, & inermes:* & cap. 74. in concione *Cerialis*: *Ipsi has aliasve provincias regitis; nihil separatum, clausumve*: ex quibus conjicitur, quàm & quot suspicionibus obsessæ essent imperantium mentes.

Limitibus Augusteis] Jussu *Augusti*, vel alterius post ipsum Imperatoris, positis.

In jugeribus] Jugerum spatium est terræ pedum *Romanorum* in longitudine 240. in latitudine 120. ut colligitur passim apud Jurisconsultorum *Lexica*, & *Alsted. Admir. Mathem.* lib. 2. cap. 8. Agri censeri soliti talibus mensuris continebantur, juxta morem æstimatorum nostri temporis; formam si quis cupit, videat quæ scripsit *Ulpianus* lib. 3. *de Censibus* in *Pandectis*.

Nam Imp. Vespasianus postea lege suâ agrum censeri jussit] Nempe si *Augustus*, vel alius, qui oppidum muniverat, aliquam eidem exemptionem dederat, *Vespasiani* lege sublata est, qui agrum, non *Romanum*, ut interpretantur *Foropopilienses*, sed ejusdem oppidi censeri jussit. Cùm ergo hæc omnia sic, ut dixi, sint intelligenda, & post *Augusti* imperium acciderint, nihil sententiæ nostræ officiunt.

Lapis verò, qui affertur p. 9. *Hist. Forop.*

MATRI
IN. FOR. P. XV.
IN. AGR. P. XV.

neque sic legitur, neque benè deducitur, nomen fori, multitudo habitatorum, & assignatio pedum terræ 15. in foro, & totidem in territorio. Lapis enim non habet FOR., sed FRO. quod diu suspicatus sum, & tandem his oculis vidi: & est Lapis sepulcralis positus matri à filio; quod quidem sepulcrum patuit in fronte pedes xv. in agro verò pedes xv. juxta illud *Horatii Serm.* lib. 1. Sat. 8. ℣. 12.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agro
Hic dabat: ———

Ad nomen fori quod attinet, repeto quæ adversùs *Forolivienſem Historiam* è *Xenophonte* monui, & adjungo *Horatium*, qui lib. *Serm.* 1. Satyra 5. ℣. 3. sic ait,

——— *inde Forum Appî,*
Differtum nautis, cauponibus, ———

Sed ad ulteriora pergamus.

Referuntur & expenduntur Jura Cæsenatium.

MAgnâ mole succedunt *Cæsenatium* Jura, quibus auctoritatis ac soliditatis aliquid à *Claramontii* nomine accessisse videtur, in quibus ad limam revocandis, si Auctorum fides, & ratio rectè perpendatur, non solùm ea evanescent, sed assertiones nostræ clariùs apparebunt, & *Senam* *Strabonis*, non *Cæsenam*, sed *Senogalliam* esse constabit.

Primam ergo *Claramontius* (cui tamen sit sua semper viri doctissimi laus) rationem adstruit *Strabonis* testimonio, usus depravatâ illâ Versione, quæ circumfertur, cujus verba sunt: *Faventia, Sina Isapi fluvio & Rubiconi propinqua: hæc proxima sunt Arimino*; & ne videar inveteratam & receptam Versionem gratis extrudere, provoco ad omnes *Græcarum* Litterarum Professores. Certè *Claramontius* rem vel non intellexit, vel dissimulavit: observavit siquidem *Græcum* Codicem, ut in lib. *de Rubicone antiquo* adversùs *Ariminenses* cap. 7. pag. 42. & dixit illud συνάπτουσι vertendum *cohærent, juncta sunt*, & *proxima sunt*; ego verto *connectuntur*, & quidem exemplo eorumdem Interpretum *Strabonis*, qui *lib.* 2. ubi de regione *Carthaginensi*, πολλὴ δ' ἐστὶν ἡ Χαρχηδονία, συνάπτουσι δ' οἱ Νωμάδες αὐτῇ, *multa est enim Carthaginensis regio, connectunturque eidem Numidæ*. Civitates verò & oppida non connectuntur, sed regiones & populi tantùm, veluti de *Perrhæbis* & *Athamanibus Homerus* apud eumdem *Strabonem lib.* 9. Ὅμηρος μὲν γὰρ συνέζευξε αὐτοὺς, ὡς πλησίον οἰκοῦντας ἀλλήλων, *Homerus enim eos conjunxit, ut finitimè invicem habitantes.* Cùm itaque *Faventia* & *Sena*, testante *Strabone*, invicem connectantur prope *Rubiconem mediante Arimino*, ita enim sonat illud τῷ Ἀριμίνῳ, tertio enim casu utuntur *Græci*, ubi *Latini* ablativum instrumenti usurpant, sequitur utramque fuisse regionem, non civitatem tantùm, & fines invicem habuisse connexos, nullamque de *Cæsena* factam mentionem, sed de *Sena*, vel *Senogallia*, quod idem est. Nequaquam enim verificari potest *Cæsenam* & *Faventiam*, si fuissent oppida, conjungi potuisse juxta *Isapim* & *Rubiconem* mediante *Arimino*, cùm utraque, scilicet *Faventia*, & *Cæsena*, quatenus sunt modò civitates, occidentales sint à dictis terminis, & *Cæsena* tantùm eò pervenire possit cum territorio.

Sed in re alicujus momenti non erit inutile omnes *Cæsenatium* ac *Claramontii* rationes percensere, earum enim solutione solidum nobis jacitur fundamentum. Ad textum *Strabonis* à *Claramontio* allatum, ubi nominatur modò *Sena*, modò *Senogallia*, respondeo non inferri ideo duas esse, nec esse quid novum apud Auctores, idem flumen, civitatem, vel regionem diversis nominibus recensere. Sic *Romani* mox dicuntur, mox *Quirites*, sic mox *Eridanus*, mox *Padus* apud *Polybium*, sic modò *Thuscia*, modò *Tyrrhenia*, & similia sæpè: η verò pro ι, & è converso, non est mirum reponi, cùm majores diversitates multò reperiantur, ut Codices, tam *Græcos*, quàm *Latinos*, evolventi patet.

Sed venio tandem ad discussionem *Polybiani* trianguli camporum *Italiæ* maximorum. Sic ergo *Polybius lib.* 2. Ἔστι δὲ τὸ μὲν ὅλον εἶδος καὶ τῆς ταῦτα τὰ πεδία περιγραφούσης γραμμῆς τριγωνοειδές· τούτου δὲ τοῦ σχήματος τὴν μὲν κορυφὴν, ἥτε τῶν Ἀπεννίνων καλουμένων ὀρῶν καὶ τῶν Ἀλπεινῶν σύμπτωσις, οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Σαρδονίου πελάγους ὑπὲρ Μασαλίας ἀποτελεῖ. Τῶν δὲ πλευρῶν παρὰ μὲν τὴν ἀπὸ τῶν ἄρκτων, ὡς ἐπάνω προεῖπον, τὰς Ἄλπεις αὐτῶν ἐπὶ δισχιλίους καὶ διακοσίους σταδίους παρήκειν συμβαίνει· παρὰ δὲ τὴν ἀπὸ μεσημβρίας τῶν Ἀπεννίνων ἐπὶ τρισχιλίους καὶ ἑξακοσίους· βάσεως γε μὴν τάξιν λαμβάνει τοῦ παντὸς σχήματος ἡ παραλία τοῦ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπου· τὸ δὲ μέγεθος τῆς βάσεώς ἐστιν ἀπὸ πόλεως Σήνης ὡς ἐπὶ τὸν μυχὸν, ὑπὲρ τοὺς δισχιλίους σταδίους

δίους καὶ πεντακοσίους. *Est verò tota camporum forma, circumscriptis lineis, triangularis: hujus figuræ verticem Apenninorum montium & Alpium copulatio non longè à mari Sardoo supra Massiliam perficit. Latus, quod ad Septentrionem, ut superiùs diximus, Alpes sunt, quæ per bis mille & ducenta stadia porriguntur. Latus, quod ad Meridiem, Appenninus facit, longitudine trium millium & sexcentorum stadiorum. In basis igitur totius figuræ locum extenditur littus sinus Adriatici. Magnitudo basis est ab urbe Sena, usque ad intimum maris recessum, stadiorum plus bis mille & quingentorum.*

Hæc adamussim *Cæsenæ*, minimè verò *Senogalliæ*, quadrare adstruit *Claramontius*; quæ an veritati consentiant, ut discutiam, quædam primò sunt supponenda.


Primò antiquos Geographos, nedum Historicos, maximè *Polybii* temporibus, non habuisse exactissimam Geographiæ, nec minùs Chorographiæ notitiam. Etenim distantias tantummodo locorum per itineraria intervalla in longis tractibus fallacissima assecuti sunt: nec, nisi post *Hipparchi* tempora, locorum latitudines investigari cœperunt, ut ego aliàs inculcavi in *Libro meo Paschali* pag. 109. longitudines verò à *Ptolemæo* tantùm initium traxere, qui in id incubuit admonitus differentiâ temporis, quæ contigit in observatione eclipsis visæ *Arbelis* & *Carthagine*, omnino diffidens observationi itinerariæ, ut ait cap. 4. *Geograph.* unde etiamsi assumpta intervalla *Cæsenæ* magis quàm *Senogalliæ* quadrarent, (cujus oppositum videbimus) nihilominus argumentum incertitudine laboraret. Observat insuper *Willebrordus Snellius* in *Epist. apud Gassend.* Tom. 6. pag. 393. in longitudine maris mediterranei *Ptolemæum* amplius 16. gradibus peccare.

2. Advertendum est *Polybium* usum esse limitibus externis; quod si negaretur in nomine *Senæ* urbis, non negabitur certè in assumptione copulationis *Alpium* & *Apennini* supra *Massiliam*, quod etiam apparet fuisse in more eidem Auctori, qui in descriptione trianguli *Italiæ* semper utitur limitibus externis, qui etiam mos Geographis frequens est.

3. Etiamsi *Polybius* optimè instructus esset in Geographia, & termini camporum essent inclusivi, attamen non est usus summâ & accuratissimâ diligentiâ in terminorum ad unguem designatione, quod patet ex eodem *Polybio*, qui licèt dixerit planitiem camporum terminari ad urbem *Senam*, tamen lib. 3. *Hist.* ubi de *Arimino*: αὕτη δ' ἐστὶ πόλις παρὰ τὸν Ἀδρίαν ἐπὶ τῷ πέρατι κειμένη τῶν περὶ τὸν Πάδον πεδίων, ὡς ἀπὸ μεσημβρίας, *ea est civitas juxta mare Adriaticum sita in extremitate camporum, qui circa Padum sunt à parte Meridiei. Nicolaus Perottus* vertit, *ubi Eridani planities terminat*, & quidem benè, sed in re alicujus momenti mihi placuit *Græci* Scriptoris sensum magis ad litteram persequi. Ex hoc enim consurgit unum de duobus, vel *Ariminum* esse in planitie camporum inclusum, quod esset contra primum textum, qui ait *ab urbe Sena*; vel, quod verius est, *Senam* non esse *Cæsenam*, sed *Senogalliam*, eamque pro exclusivo termino usurpatam. Sed ad rem.

Auctor *Responsionis Cæsenatium adversùs Ariminenses de Rubicone* pag. 30. nititur calculo trigonometrico demonstrare longitudinem lateris, quod est ad Meridiem, nempe stadiorum 3060. malè autem ibi vertit *Perottus*; debuit enim verti 3600. non quadrare *Senogalliæ* propter excessum ab eo inventum stadiorum 1288. quæ si excedunt respectu *Senogalliæ*, multò magis excedent respectu *Cæsenæ*. Sic ille: *Polybius trianguli, quo campos*

A *maximos nunc scilicet Lombardiæ vocatos comprehendit, tria latera facit; alterum tractum Alpium; alterum tractum Apennini ab eodem Alpium initio, ubi ad angulum conjunguntur, non longè, inquit, à mari Sardoo supra Massiliam usque ad Senam civitatem; tertium latus ac basis trianguli est littus Venetum. Quæritur nunc quot stadiorum sit latus ab angulo dicto Alpium & Apennini, & à principio scilicet Italiæ ad Senogalliam. Ptolemæus initium ejusmodi facit graduum secundùm longitudinem* 27. 30. *& secundùm latitudinem graduum* 43. *quot erat principium Italiæ. Sit ergo polus mundi* A, *locus princi-*
B *pii Italiæ* B, *locus Senogalliæ* C, *ductique intelligantur arcus circulorum maximorum* AB, AC, *erit* AB *complementum latitudinis ipsius* B, *grad. scilicet* 43. *adeoque erit* AB *grad.* 47. *& totidem erit* AC: *angulus autem* BAC *est grad.* 8. 30. *differentia scilicet longitudinis grad.* 27. *&* 30. *& grad.* 36. *quæritur arcus* BC *distantia locorum. Secetur bifariam* BC *in* D, *& intelligatur ductus arcus maximus* AD, *qui secabit pariter bifariam angulum* BAC,




facietque ambos angulos ADC, ADB *rectos, itaque* BAD *angulus est grad.* 4. 15. *dimidium scilicet grad.* 8. 30. *in triangulo ita-*
C *que sphærico rectangulo, in quo angulus alter acutus datur* BAD, *& latus* AB *subtendens angulum rectum, quæritur arcus* BD, *oppositus angulo dato. Ex canone ergo trigonometrico ita procedetur. Sinus totus, adeoque sinus anguli recti* ADB, *est* 100000. *arcus* AB *grad.* 47. *sinus est* 73135. *sinus anguli* BAD *grad.* 4. 15. *est* 7411. *erunt termini, & dispositio aureæ regulæ.*

1. *terminus*,	2. *term.*	3. *term.*	4. *term. inventus*
100000.	73135.	7411.	5420.

Est hic sinus arcus BD, *qui idcirco est grad.* 3. 6. 24. *to-*
D *tus ergo arcus* BC *est grad.* 6. 12. 48. *Videamus nunc quot stadiorum sint grad.* 6. 12. 48. *Aristoteles singulis gradib. tribuit stadia* 1111. *Hipparchus stadia* 769. *Eratosthenes stadia* 700. *Reliquorum sententiæ de numero stadiorum singulis gradibus tribuendorum, ut multò Polybio posteriores, non sunt in hoc calculo adhibendæ. Accipiendo autem minimam,* 4348. *quæ est stadiorum* 700. *in singulos gradus,* 3060. *erunt grad.* 6. 12. 48. *stadia* 4348. *plura* —— *scilicet distantia usque ad Senam stadiis* 1288. 1288. *ut in margine: distantia enim usque ad Senam erat stadiorum* 3060. *tantum abest, ut adamussim distantia Polybiana Senogalliæ quadret.*

E Sed inquiramus trigonometrica ratione *Polybiani* trianguli basim & latera. Basim *Cæsenates* statuunt grad. 6. 12'. 48". statuentes æqualia trianguli crura ad vitandam calculi difficultatem, & supponentes eamdem esse *Senogalliæ* poli altitudinem grad. 43. 6. quod non est *Ptolemæo* conforme.



Ergo in triangulo sphærico *ABC* sit *AB* grad. 47. 6. complementum latitudinis initii *Italiæ*, quod à *Ptolemæo* statuitur sub latitud. grad. 43. 0. longitud. 27. 30'. *AC*
F sit grad. 46. 5'. complementum latitudinis *Senogalliæ* grad. 43. 55'. juxta *Ricciolum* in *Geograph. reformata*, D qui eamdem ponit sub longitud. grad. 36. 29'. Angulus verò *BAC* sit grad. 8. 59'. nimirum differentia longitudinum utriusque loci.

Demitto arcum perpendicularem *BD* ex termino *B*, & sic operor:

Ut

Ut anguli *A D B* rectang. ad *D* Sin. Rect. A
10000.
Ad lateris *B A* grad. 47. 0. Sin. Rect. 73135.
Ita anguli *B A D* grad. 8. 59. Sin. Rect. 15614.
Ad lateris *B D* Sin. Rect. 11420.
39 In triangulo verò *B A D*,

Ut rad. 100000. ad sec. anguli *A*. 101241. ita tangens complementi basis *A B*. 93251. ad tang. 94400. grad. 43. 21. pro complemento lateris *A D*. ergo latus *A D* est grad. 46. 39. ergo perpendiculum cadit extra, & latus *C D* est grad. 0. 34. Rursus in triangulo *B C D* rectangulo ad
D. ut radius 100000. ad sec. lat. *B D*. grad. 6. B
33. 100660. ita sec. lat. *C D*. grad. 0. 34. 100005. ad 100665. secantem basis quæsitæ *B D*. grad. 6. 35. 30.

Antequam verò numerum stadiorum dictis gradibus 6. 35′. 30″. competentem exponam, explodenda est *Cæsenatium* ratio, quo nituntur probare singulis gradibus stadia 700. deberi, ex opinione *Eratosthenis Polybio* ferè coævi, æquè ac si *Polybius* hæc trianguli latera geographicè investigasset. Ad quod dico, *Polybium* non quæsivisse rationem laterum trianguli methodo trigonometrica, nec per terrestris diametri ac per-
inde circumferentiæ indaginem, quod Historicis C
est inauditum, & maximè antiquis; cùm, ut suprà firmavi, non cosmographicè, sed geodeticè tantùm, hoc est, per itinerum mensuras, vel ad plurimum per climata, regionum situs, limitesque cognoverint; hocque apparet ex *Herodoto* in *Terpsichore* seu lib. 5. cap. 49. ubi *Aristagoras*
40 *Milesius* obtulit *Cleomeni* tabellam æream, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμηλο, (fortè legendum ἐνέμελο*) καὶ θάλασσα τὲ πᾶσα, καὶ ποταμοὶ πάντες, *in qua totius terræ circuitus descriptus erat, & maria omnia, & omnes fluvii:* in qua tamen, ut ex sequentibus constat, omnes distantiæ stathmis
& parasangis determinatæ. Hoc etiam in *Romanis* D
& aliis nationibus observavit *Varenius* in *Geograph. General.* lib. 1. ubi de origine Geographiæ, & alii, & hoc idem testantur *Itineraria Antonino* attributa. Cæterùm verum quidem est *Polybium* fuisse magni nominis Geographum, quod ex *Strabone* & *Plinio* habetur, sed hoc intelligendum est, quòd *Polybius* clarus exstiterit in Geographia sui temporis, quo ævo pars Geographiæ Mathematica parùm fuit exculta; quod perspicuum est ex dictis, & ex testimonio *Ptolemæi*, qui cap. 4. *Geograph.* testatur distantias locorum
in longitudinem minimùm accuratas fuisse, ob E
imperitiam rei Mathematicæ & paucitatem observationum eclipsium; differentias verò in latitudinem paucarum quarumdam civitatum fuisse per solum *Hipparchum* traditas. Omitto crassiores calculos, quibus usi sunt Antiqui, & ipse *Ptolemæus* est usus, qui recta triangula pro sphæricis usurpavit, tam in Geographicis, quàm in Astronomicis; quod notavit *Petrus Nonius* lib. 2. *de Observ.*

41 Quibus sic clarè perspectis, dicendum est *Polybium* hæc trianguli latera ex itinerariis mensuris determinasse, maximè cùm hæ regiones ante
Polybium fuissent per *Romanos* occasione potis- F
simùm belli *Punici* secundi exploratæ; immò ego constanter credo ex hisce distantiis erutas, calculi ope, longitudinum differentias, cùm rei Geographicæ & Astronomicæ periti non ubique fuerint ad observandas eclipses; quod etiam deducitur ex calculo ejusdem *Ptolemæi*, qui ex itinere navigationis à *Corura* in *Paluras* elicit differentiam longitudinis grad. 10. 30′. quod ut assequeretur,

* Emendatio nihili; nam ἐνετέτυπτο optimum est, & rectè convenit; ideoque in Versione legendum *incisus*, vel *insculptus*, loco *descriptus*.

ex numero stadiorum itineris demit tertiam partem, ut sic ad rectam lineam reduceret intervallum, admodum tamen incertè.

Quibus præcognitis, ad convertenda stadia in gradus, vel gradus in stadia, sic procedo. Ex verificata terrestri diametro, atque adeò circumferentia, constat singulis gradibus circuli maximi deberi stadia 500. rotundè præterpropter, & quam opinionem (ea enim est *Ptolemæi*, qui statuit terrestrem semidiametrum milliarium *Italicorum* 3179½) sequitur idem *Claramontius* in Tractatu *de Horizonte sensibili* prop. 7. pag. 139. Resolutis ergo grad. 6. 35′. 30″. emergunt stadia
3295½ quoniam distantiæ *Polybianæ* à principio 42
Italiæ ad *Senogalliam* deficiunt adhuc plusquam stadia 300. hoc ideo evenit, quia Historicus in reducendo obliquum iter ad rectum, non est assecutus verum intervallum. Sic etiam postquam enumeravit tria latera, scilicet unum stadiorum 2200. unum stad. 3600. & alterum 2500. & sic in totum stadiorum 8300. subjungit, ὥστε τὴν πᾶσαν περίμετρον τῶν προειρημένων πεδίων μὴ πολὺ λείπειν τῶν μυρίων σταδίων, *sic totam descriptorum camporum circumferentiam non multum à decem millibus stadiis deficere.* Denique si respectu *Senogalliæ* deficiunt stadia 300. respectu *Cæsenæ* deficient plusquam 800. qui tamen excessus respectu *Senogalliæ* etiam tolleretur, si quorumdam sententiam sequeremur, qui singulis gradibus minus quàm 500. stadia attribuunt.

Ponenda est ergo judicii firmitudo in verbis ad fidem *Græci* Codicis translatis, nec Historici, vel Geographi in designanda planitie totius *Europæ* maxima intra paucorum stadiorum spatium sunt coarctandi, illudque maximè perpendendum, quòd si *Cæsena* accipi deberet pro urbe *Sena* trianguli termino, illud non posset verificari, quod à *Polybio* dicitur, scilicet *Ariminum* esse in extre-
mitate camporum; quæ cùm ita sint, certò se- 43
quitur *Senam Polybii* non *Cæsenam* esse, sed *Senogalliam*.

Redeo ad *Claramontium*, qui dicit littus *Venetum*, quod basis loco est, tendere à Septentrione in Austrum, quod tamen nihil refert; deinde assumit, sinum intimum maris occupari à *Tergeste*, quod est sub eodem ferè *Cæsenæ* Meridiano; hæcque tanquam sint præcisissimè intelligenda, objicit littus, quod ad *Senogalliam* pertingit, Eurum potiùs spectare, nec unam lineam, sed duas potiùs esse, afficta figurâ cum angulo præcisè ad *Cæsenam*; cui ego respondeo, capiendum, juxta *Polybium*, ex littore maris *Adriatici*, quantum implet stadia 2500. à *Cæsena* verò *Tergeste* usque sunt stadia 1000. dumtaxat, cùm sint sub eodem Meridiano, & duobus tantùm gradibus in latitudinem differant; ergo ut habeamus latus *Veneti* littoris stadiorum 2500. oportet excedere *Cæsenam* versùs *Senogalliam*, & *Tergeste* versùs *Illyricum*, quanquam diligentiùs intuentes non possimus etiam usque *Tergeste* latus *Alpium* extendere, quia, juxta assumpti trianguli mensuram trigonometricam, *Tergeste* deberet distare à vertice trianguli, scilicet copulatione *Alpium* & *Apennini*, plusquam stadia 3300. un-
de cùm *Polybius* dicat solùm 2200. angulus ad 44
basim sumendus est intra *Tergeste*; quæ omnia quantum *Claramontii* sententiæ officiant, periti considerent.

Sequitur *Claramontius*, & affert *Eutropium* de clade *Asdrubalis* referentem, qui comparat infortunium *Romanorum* ad *Cannas* cum infortunio *Pœnorum* ad *Cæsenam*, *ut Cæsena Piceni civitas, ut vicus ille Cannensis.* Sed antequam respondeamus, videamus alia, quæ idem Auctor deinde subjungit pag. 12. *Histor. Cæsen.* in *Apparatu:* „Cladem „ergo

„ ergo exercitus Asdrubalis Eutropius cum tribus exercituum stragibus comparat, quæ ad Trasimenum, quæ ad Cæsenam, quæ ad Cannas. Insignem itaque is aliquam stragem penes Cæsenam accidisse significat; at cùm nullam in tota Antiquitate copiarum occidionem apud Cæsenam reperiamus præter memoratam à Polybio ad Senam, quâ Senonum nobilis natio & Romæ expugnatione celebris exstincta est, fateri oportet eamdem urbem Senam à Polybio dictam, quæ Eutropii temporibus, ut nunc etiam, Cæsena vocabatur. Jam ostendo Senam à Livio dictam eamdem nostram civitatem esse. Meminit Senæ Livius, cùm adventum Neronis scribit ad copias cum Salinatore altero Consule jungendas, *ad Senam*, inquit, *castra alterius*
45 *Consulis erant*, *& quingentos fermè passus Asdrubal aberat.* Confirmat Silius Italicus de eodem tum Asdrubalis exercitu agens *lib.* 15.

„ *Pœnus inundavit campos, qua Sena relictum*
„ *Gallorum à populis servat per sæcula nomen.*

„ Dico ego Senam Livii nequaquam Senogalliam esse potuisse: nam recedenti ab eo loco Asdrubali, ne cum Romanis pugnaret, antequam se fratri, qui in Apulia erat, conjungeret, occurrit Metaurus fluvius, quem cùm transire non potuerit, à Romanis ipsum consecutis unà cum exercitu ad ripam fluminis ejusdem occidentalem occidione occisus fuit. Constans est accolarum fama, stragem prope Castrum fuisse nunc Formianum vel Firmanum dictum. Est etiam Mons Asdrubalis hucusque dictus, & Castrum Ossaia, ubi in camporum cultu ossa interdum & arma rubigine scabra deteguntur. Recessisse verò à Sena Asdrubalem, ut ad fratrem proficisceretur, disertis verbis Appianus testatur. Cùm itaque sit Senogallia ultra Metaurum, Ortum versùs nonaginta stadia, & ea orientalior adhuc Apulia, non potest pergenti ab ea civitate in Apuliam Metaurus occurrere, adeóque non potest impedire iter, aut retardare. Ad hæc si quis à Senogallia proficiscens non posset transire Metaurum, is in orientali, non in occidentali, ripa consisteret. Sena ergo, ad quam castra metabantur tunc Romani, & à qua quingentis so-
46 lùm passibus Asdrubal aberat, non erat Metauro ad Ortum, adeóque Senogallia esse non potuit: sed erat ad Occasum illi flumini. At quænam alia Sena ad Occasum Metauro legitur, aut dicitur, quàm quæ à Strabone memoratur prope Isapim & Rubiconem?" Hactenus *Claramontius*.

Fateor egregium esse commentum, & eximia *Claramontii* subtilitate dignum. Ego verò, salvo semper in Virum doctissimum obsequio, sic omnibus respondeo.

Ubinam hæc dicat *Eutropius*, non indicatur, sed sanè corruptus est Codex, si hæc dicit, quia idem *Eutropius* lib. 3. *Breviar.* ubi de *Asdrubale*: *Is veniens eodem itinere, quo etiam Annibal venerat, à Consulibus Appio Claudio Nerone & M. Livio Salinatore apud Senam Piceni civitatem in insidias compositas incidit; strenuè tamen pugnans occisus est.* Hæc mihi Tom. 1. *Histor. August.* Edit. *Lugduno-Bat.* pag. 761. & cum eo conveniunt omnes Scriptores, qui hoc contigisse ajunt, aut ad *Senam*, aut ad *Metaurum*, omniumque diligentissimè *Sebastianus Mazzius* lib. 3. *de Bello Asdrubalis.* Quæ verò suscitat *Claramontius* ex *Livii* & *Appiani* verbis, solvuntur, quia ubi *Livius Hist.* lib. 27. cap. 48. ait, *ad Senam* (quam de *Cæsena* intelligendam putat) *castra alterius Consulis erant*, non intelligendum est, quòd *Romani* exstiterint intra,
47 sed prope urbem *Senam*. Licèt verò distiterint per quinque, aut plura milliaria, adhuc benè di-
A citur *ad Senam*, Historicorum more: probo verò quòd *Romani* distiterint à *Sena*, quia pro certissimo habendum est, *Romanos* & *Pœnos* fuisse ambos ab eodem fluminis latere, quia, ut ait idem *Livius* de *Asdrubale Hist.* lib. 27. cap. 49. *Asdrubal, dum lux viam ostenderet, ripâ fluminis signa ferri jubet, & per tortuosi amnis sinus flexusque cum errore obiens haud multum processisset, & ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat; sed quum, quantum à mari abscedebat, tantò altioribus coërcentibus amnem ripis, non inveniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequen-*
B *dum sese hosti.* Ex quibus colligitur etiam *Romanos* in ripa fluminis occidentali exstitisse, ibi enim dicitur *ad insequendum*; si enim fuissent in ripa orientali, versùs *Senam*, dixisset Historicus ad obsistendum, seu ad prohibendum transitum; quod etiam patet, quia, eodem *Livio* referente, nonnulli ducum *Pœnorum* per vada nota *Metaurum* flumen tranarunt, quod non fecissent, si ex adverso exstitissent *Romani*. Iterùm verò contendere *Senam* fuisse *Cæsenam*, insanire est, quia, antequam veniatur *Cæsenâ* ad *Metaurum*, plura alia flumina intercedunt, quæ eamdem *Asdrubali* difficultatem peperissent, si *Romanos* adeò vicinos
C vitare voluisset, ut quidem volebat.

Pergit *Claramontius*, *recessisse verò à Sena As-* 48
drubalem, ut ad fratrem proficisceretur, disertis verbis Appianus testatur. Ubinam hoc testetur, non dicit: ego verò habeo *Appiani* bellum *Asdrubalis* traductum per *H. Ruscellium*, qui pag. 41. dicit de Consulibus *Romanorum*: *Se gli accamparono à fronte vicino alla città di Senegaglia. Asdrubale parendoli*, &c. quoniam verò in *Græca* Editione *Parisiensi Caroli Stephani*, & in alia Versione *Latina*, quas habeo, hic liber desideratur, ulteriùs non procedo.

Cæterùm à verisimili distat Consulem *Roma-*
D *num*, qui inscio *Annibale* exercitum in *Apulia* satis enervatum reliquerat, ut ad opprimendum *Asdrubalem* properaret, & cujus consilium acceptatum fuit de acceleranda pugna, *ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent*, ut dicit *Livius Hist.* lib. 27. cap. 48. non est, inquam, verisimile locum dedisse *Asdrubali* evadendi quantum est *Cæsena* ad *Metaurum*, & postremò quid obstabat *Asdrubali*, quin *Metaurum* per pontem viæ *Æmiliæ* trajiceret, nisi illum *Romani* Consules occupassent, quamobrem coactus fuit se recipere in loca montana secundùm flumen,
E ut trajectum quæreret, certamen declinaret, & ad *Annibalem* festinaret in *Apuliam*; apertissimè verò contrarium testatur *Sext. Aur. Victor de Vir.*
Illustribus, ubi de *Claudio Nerone*: *Sed Claudius* 49
Nero, qui in Apulia cum Annibale castra conjunxerat, relictâ in castris parte, cum delectis ad Asdrubalem properavit, & se Livio collegæ apud Senam oppidum & Metaurum flumen conjunxit.

Reliqua verò, quibus *Claramontius* contraria diluere conatur, parvi sunt momenti; veluti illud, quod adducit testimonio *Plinii*, *Senones*, qui ceperant *Romam*, interiisse in octava regione *Italiæ*; quod licèt aliquatenus verum sit, non tamen
F concludit, quia fugatis *Senonum* reliquiis, *Romani Senam* deduxerunt coloniam, ipsasque *Senonum* reliquias extra *Rubiconem* receptas deleverunt. Ego verò subjungo vel diversam, vel contrariam, *L. Flori* sententiam, qui *lib.* 1. *cap.* 13. ubi de *Senonibus*, ait: *Nec non tamen post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit, ne quis exstaret in ea gente, quæ incensam à se Romam urbem gloriaretur.*

50 *Decernitur, quis sit antiquus Rubicon.*

ERgo ex illis, quæ superiùs demonstravimus,
sequitur eumdem *Rubiconem* fuisse extremæ
Galliæ & *Faventiæ* limitem; restat modò discer-
nere, quis sit *Rubicon.* Rem aggredior inter *Ari-
minenses* & *Cæsenates* diu controversam convitiis
magis quàm rationibus, & sic adhuc sub judice
pendentem: sed collapsâ tandem ac evanescente
illâ toties decantatâ *Cæsenæ* ac *Rubiconis* propin-
quitate, quam ex *Strabone* verterunt tot Viri
alioquin eruditissimi, facillimum erit demonstra-
re, flumen illud, quod *Lusum* appellant, esse an-
tiquum *Rubiconem.*

Mihi ipsissima sunt *Strabonis* verba, & sensus,
ut suprà vidimus, *Faventia verò & Sena juxta
Isapim fluvium & Rubiconem maximè connectuntur
Arimino.* Ex quibus tollitur illa *Rubiconis* ad *Cæ-
senam* propinquitas, & *Arimino* tribuitur; ut enim
aliàs dixi, *Ariminum* hîc est loco copulationis,
quæ regionem *Senonum* cum *Faventia* sive *Flami-
nia* conjungebat, & ideo uterque fluvius assumi-
tur pro limite regionum; quia cùm *Rubicon* non
51 fluat ex summis *Apennini* jugis, *Faventia* verò
usque ad ipsa juga pertingeret, ubi deficiebat *Ru-
bicon*, dividebat *Isapis*, qui ex eo vertice defluit.
Ratio verò cur illud *Strabonis* ἤδη interpretatus
sim *maximè*, cùm alii verterint *jam*, ea fuit, quia
& rei & sensui magis favebat: ἤδη utrumque so-
nat. *Maximè* verò *Rubicone* terminatur regio,
quia majorem partem limitis orientalis supplet *Ru-
bicon*; non verò *jam*, quia ibi tempore *Strabonis*
nulla fuerat facta limitum transpositio: & iterum
dixi *maximè*, quia cùm *Rubicon* fuerit terminus
universæ *Galliæ*, debuit etiam esse terminus il-
lius extremæ partis *Galliæ*, quam tenebant *Ægo-
nes*, de quibus inferiùs. Omitto, quod observa-
verim illud ἤδη in *Græcis* Scriptoribus sæpiùs in-
veniri absque necessitate positum, ideoque per In-
terpretes sæpiùs negligi; hîc tamen illud ego ne-
gligere nec volui, nec debui, quia penitissimum
verborum sensum sequebar, monitus periculo eo-
rum, qui in allato *Strabonis* textu, illud δὲ *verò*,
ibi, *Faventia verò*, negligentes in maximum in-
commodum lapsi sunt, & sensum, alioquin dis-
junctum, cum antecedenti confusum fecerunt,
cum maxima legentis perturbatione. Cùm ergo
copulatio regionum fieret, mediante *Arimino*,
tanquam copula, oportet *Rubiconem* propinquissi-
52 mum fuisse *Arimino*; sed hoc est firmandum aliis
rationibus, & præcipuè testimonio *Vib. Sequestri*,
qui post *Itinerar. Antonini* circumferri solet, in
tractat. *de Fluminibus*, ubi sic ait: *Rubicon Galliæ
juxta Ariminum olim dividens Galliam ab Italia*;
& maximè etiam ex circumstantiis itineris, quo
Cæsar Ravennâ Ariminum contendit, & *Rubiconem*
pertransivit.

Cæsarem Ravennæ constitisse die antequam *Ru-
biconem* transiret, & *Ravennâ* discessisse, omnes
fatentur; hora verò discessus hæc perhibetur per
Historicos, quos tanquam magnæ rei testes hîc
strictiùs examinare non erit abs re.

Suetonius in *Jul. Cæs.* cap. 31. *Dein post solis
occasum, mulis è proximo pistrino junctis, occultissi-
mum iter modico comitatu ingressus est.*

Plutarchus in *Cæsare* pag. 723. Μικρὸν δὲ περὶ
ἑσπέρας θεραπεύσας τὸ σῶμα, καὶ παρελθὼν εἰς
τὸν ἀνδρῶνα, καὶ συγγενόμενος βραχέα τοῖς κεκλη-
μένοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον, ἤδη συσκοτάζοντος ἐξανέστη.
*Paulutum ante solis occasum adhibita corpori medi-
ca refectione, & unà discumbens in convivio, &
brevi cum convivis commoratus cœnavit, jamque ad-
venientibus tenebris surrexit.*

A *Appianus Bellor. Civil.* lib. 2. Αὐτὸς δὲ περὶ
ἑσπέραν, ὡς δὴ τὸ σῶμα ἐνοχλούμενος, ὑπε-
χώρησε τοῦ συμποσίου. *Ipse verò de sero, etiamsi
corpore fatigatus, discessit è convivio.*

Ex hac ergo Auctorum comparatione constat,
discessisse *Cæsarem Ravennâ* post solis occasum, 53
atque ex *Suetonio* certissimè habetur discessisse lu-
minibus accensis, quod infertur ex illis *Suetonii*
verbis, *& cùm luminibus exstinctis decessisset viâ*:
ad quid enim fieret luminum exstinctorum men-
tio, nisi ea priùs fuissent accensa, ob noctis scili-
cet tenebras? Nunc de via quærendum.

B *Suetonius* ibid. *Mulis è proximo pistrino ad vehi-
culum junctis, occultissimum iter modico comitatu
ingressus est; & cum luminibus exstinctis decessisset
viâ, diu errabundus, tandem ad lucem duce reper-
to, per angustissimos tramites pedibus evasit, conse-
cutusque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provin-
ciæ ejus finis erat, paululum constitit.*

Plutarchus ibid. Ἤλαυνεν ἑτέραν τινὰ πρῶ-
τον ὁδὸν, εἶτα πρὸς τὸ Ἀρίμινον ἐπιστρέψας. *In-
gressus primò quamdam aliam viam, postea versùs
Ariminum convertit.*

Appianus ibid. Καὶ ζεύγους ἐπιβὰς ἤλαυνεν ἐς
C τὸ Ἀρίμινον, ἑπομένων οἱ τῶν ἱππέων ἐκ διαστή-
ματος, δρόμῳ δ᾽ ἐλθὼν ἐπὶ τὸν Ῥουβίκωνα πο-
ταμὸν, ὃς ὁρίζει τὴν Ἰταλίαν, ἔστη τοῦ δρόμου, καὶ
ἐς τὸ ῥεῦμα ἀφορῶν. *Et bigam adscendens progres-
sus est versùs Ariminum, sequentibus quodam inter-
vallo equitibus, festinanter pervenit ad Rubiconem
flumen, quod terminat Italiam, stetitque paulisper,
& in fluentem aquam intuens*, &c.

De itinere verò à *Rubicone Ariminum* sic testan-
tur iidem Auctores.

Suetonius ibid. *Cunctanti ostentum tale factum est.* 54
*Quidam eximiâ magnitudine & formâ in proximo se-
dens repentè apparuit, arundine canens; ad quem
D audiendum cùm, præter pastores, plurimi etiam ex
stationibus milites concurrissent, interque eos & ænea-
tores, raptâ ab uno tubâ prosiluit ad flumen, & in-
genti strepitu classicum exorsus pertendit ad alteram
ripam. Tunc Cæsar, eatur, inquit, quò Deorum
ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea
est, inquit, atque ita trajecto exercitu, adhibitis
Tribunis Plebis, qui pulsi supervenerant, pro con-
cione* &c. Et paulò infrà, *extrema concio, cui fa-
cilius erat videre concionantem, quàm audire, pro
dicto accepit, quod visu suspicabatur.*

Plutarchus ibid. Ἀνερρίφθω κύβος, ὥρμησε
E πρὸς τὴν διάβασιν, καὶ δρόμῳ τὸ λοιπὸν ἤδη χρώ-
μενος, εἰσέπεσε πρὸ ἡμέρας εἰς τὸ Ἀρίμινον,
καὶ κατέσχε. *Jacta est alea, & se ad transitum
incitavit: celeriter itaque fortunâ utens, Ariminum
pervenit paulò ante diem, illudque in suam potesta-
tem redegit.*

Appianus ibid. Ὁ κύβος ἀνερρίφθω, δρόμῳ δ᾽
ἐντεῦθεν ἐπιὼν Ἀρίμινόν τε αἱρεῖ περὶ ἕω. *Jacta
est alea, & celeriter perveniens Ariminum, illud oc-
cupavit circa solis ortum.*

Ergo ex præmissis patet, *Cæsarem* ad *Rubiconem*
pervenisse *sub lucem* ex *Suetonio*; quod quidem
F intelligendum est ad primam lucem *crepuscolinam*, 55
quæ ante diem oritur, nequicquam reluctante *Cla-
ramontio.* Mos enim ejusdem Scriptoris, qui ea-
dem voce utitur in designando hoc auroræ initio,
in multis locis per *Villanium Ariminensem* adductis
in *Rubicone antiquo* p. 130. intellectui vim facit;
veluti illud in *Cæsare* cap. 52. *sed maximè Cleopa-
tram, cum qua & convivia in primam lucem sæpè
protraxit:* & simile cecinit *Virgilius Georg.* lib. 3.
ỿ. 400.

Quod ſurgente die mulſere horiſque diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris & ſole cadente,
Sub lucem exportant calathis, ——

Quod etiam evidentiſſimè evincitur ex interventu Paſtorum ad flumen ad audiendum eum, qui arundine canebat; neque enim Paſtores nocte vagantur, ſed ſub primæ lucis ortum, vel ad ferendum mulſum ad oppida vicina, vel ad paſcendum gregem, juxta eumdem *Virgil.* dict. lib. §. 324.

Luciferi primo cum ſydere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.

Et quod interpretatur *Claramontius* pag. 37. & *Cæſenates* de *Rubicone* pag. 80. lucem intelligi debere prout contraponitur luminibus exſtinctis, nullius eſt momenti, quia *Suetonius* non loquitur
56 verborum contrapoſitione, quod eſſet Rhetorici potiùs quàm Hiſtorici, & quamvis id faceret, lumina exſtincta non ſunt contrapoſita luci, ſed contrapoſita quidem ſunt lux & tenebræ, lumen exſtinctum & lumen accenſum, itaque debuiſſet dicere, reaccenſis luminibus, quod opponeretur exſtinctis. Nec minùs illud æſtimari debet, quod dicunt, *Cæſarem* uti ſolertiſſimum facere non potuiſſe, quin, ſi erraſſet viâ, lumina accendiſſet; hoc enim eſt directè oppoſitum narrationi *Suetonii*, ibi, *& cùm luminibus exſtinctis deceſſiſſet viâ, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto*: neque, ut ipſi inculcant, *Plutarchus* dicit, *Ariminum* fuiſſe ante lucem occupatum, ſed ante diem; quod & ſuprà vidimus, & erat alienum ab animo *Cæſaris Ariminum* noctu occupari: & ratio eſt, quia, cùm mandaſſet ſuis civitatem per eos occupari, μάλιςα φεισαμένυς φόνυ καὶ ταραχῆς, *maximè abſtinentes à cædibus & tumultu*, ut ait *Plutarchus*, non juſſiſſet eam nocte invadi; quod etiam noluit in oppido *Marſorum* lib. 1. cap. 21. *Bell. Civil. ne militum introitu, & nocturni temporis licentiâ, oppidum diriperetur.* Dies verò diſtinguitur à luce; non enim ſemper eſt dies, quando eſt lux; ſic *Romani* antiquo more partes diei artificialis diſtinguebant in luciferum, mane, ortum, meridiem, & occaſum, *Alex. ab Alex. Genial. Dier.* lib. 4. cap. 20. Sic *Homerus Odyſſ.* E.

57 Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυῦ Τιθωνοῖο
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν.
Aurora autem ex lectis à pulchro Tithono
Surrexit, ut immortalibus lucem ferret atque mortalibus.

Et *Virgilius Georgic.* lib. 1. §. 445.

Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi rumpent radii; aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Sed res eſt ipſâ luce clarior, eò magis, quòd *Suetonius*, ubi lucem artificialem deſignare voluit, dixit *ad lumina*; ut in *Cæſaris* triumphis cap. 37.

Itaque cùm ad lucem ducem repererit, nempe ad crepuſculi initium, videamus quotum temporis ſpatium debeatur unicuique ſuarum actionum, quò prudens rerum æſtimator conjectari poſſit, quot dato tempore milliaria itineris conficere potuerit, & ſic quantum *Rubicon* diſtet *Arimino*.

A tempore reperti ducis ad tempus, quo pedeſtri itinere pervenit ad ponticulum, computemus horæ quadrantem, minus enim excogitare non potui, hoc eſt, minuta 15.

Mora ſuper *Rubicone*, ubi pauliſper conſtitiſſe dicitur, antequam tranſiret, ſemi-quadrans horæ, ſeu min. 8.

Tranſitus equeſtris & pedeſtris exercitus, qui 58
in totum habebat milites 5300. alia min. 15.

Quæ in totum ſunt minuta 38. cùm verò tota duratio crepuſculi æquinoctialis in his regionibus ſit horæ unius & min. 45. demptis dictis min. 38. reliqua ſunt minuta 67. temporis, ſive hora una cum ſemi-quadrante, pro itinere à *Rubicone Ariminum* uſque, & tempore ingreſſus & occupationis computato, quo tempore non pluſquam ſex milliarium iter conficitur citato gradu, & fortaſſe etiam minus, eò magis ſi verum eſſet, quod ait *Lucanus Pharſal.* lib. 1.

—— —— —— *atque auxerat undas*
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu.

Accedit militum fatigatio ob totius noctis iter incommodum, qui juxta *Vegetium lib. 1. cap. 9.* etiam citato gradu unâ horâ æſtivâ (quæ æquipollet minutis 75. æqualibus, hoc eſt, horæ uni cum quadrante) non pluſquam milliaria 4. conficiunt. Ergo minùs ſex milliaribus *Rubicon* diſtabat *Arimino*; cúmque inter flumina hujus regionis ſolus *Luſus* totidem milliaribus diſtet *Arimino*, ſequitur *Luſum* eſſe antiquum *Rubiconem*; quæ omnia ſic ut ſuprà congeſta, nemo non videt, quàm benè inter ſe conveniant. Aſſerere verò *Cæſarem* ſecundùm pelagus iter habuiſſe,
declinatâ *Cæſenâ*, ut quidam volunt, divinare eſt; 59
nam *diu errabundus* potuit undequaque errare, & ſi secùs mare iter habuiſſet, non indiguiſſet duce ad inveniendum primò *Rubiconem*, deinde *Ariminum*, quæ omnia ſunt in littore maris.

De edicto in columna inſcripto, & in *Piſatelli* ripa appoſito, nihil ſubjungo, cùm illud hiſtoricæ veritati non innitatur, & ideo ſatis per Viros doctos rejectum, quod ultrò fatentur *Cæſenates* de *Rubicone* antiquo pag. 61. & quidem ſi tam atrox eſſet latæ ſententiæ crimen, & ideo in *Romanæ* Reipublicæ ditionibus notum fuiſſet, *Rubiconem* cum armis & militibus pertranſire, utique *Auximates* non ſuaſiſſent *Attio Varo*, qui ibi cum præſidio morabatur, uti ab oppido diſcederet, ob eam ſolùm cauſam, ſcilicet, *reliquos municipes pati non poſſe, C. Cæſarem Imperatorem, benè de Republica meritum tantis rebus geſtis, oppido mœnibuſque prohiberi*, ut *Cæſar* ait lib. 1. cap. 13. *de Bell. Civil.* Cæteras, quæ in contrarium adduci poſſent, rationes tanquam inanes, & ex præmiſſorum veritate corruentes, omitto.

Referuntur & expenduntur Saſſinatium Jura. 60

PArùm fidenter videtur *Philippus Antoninus*, *Antiquitatum Sarſinæ* diligens æquè ac eruditus perſcrutator, aſſerere ſitum antiquæ *Sarſinæ*; etenim pag. 6. dicit: *Sarſina era Città poſta nello ſteſſo luogo, dove è hora quella, che havemo, come moſtrano le fabriche, le ruine, & i marmi, che vi ſi trovano, e ſi diſtendeva ſopra la deſtra, e ſopra la ſiniſtra riva del Savio per lungo ſpatio, mà però tale, che non ſi può dire per apunto, da chi non l' hà veduta in piede, e non vede ragione alcuna da confermarlo; mà ſolo ne riſcontra qualche veſtigio di tempi, e d' altre fabriche antiche, non circondata forſi di mura, havendo i monti per fortezza.* Et ſubinde pag. 12. *E poi bagnato il ſito dell' antica Sarſina dal Savio fiume detto da Latini* Sapis, *che corre dall' Apennino all' Adriatico, e taglia*

taglia in mezzo il suo Territorio, e passa vicino à quella Sarsina, che hora habbiamo. Ex quibus oritur mihi dubium, an eodem, quo antiquissimè, *Sarsina* consistat loco: eò magis quòd *Ptolemæus* de ea non meminit, nec aliquis antiquus Geographus latitudinem ac longitudinem nobis tradit, quibus cum Modernis collatis veritatem assequi possimus.

61 Perspicuum est paucas admodum fuisse antiquitus civitates; quod indicatur non solùm ob raram earum apud Scriptores mentionem, sed etiam per subitas Barbarorum exterorumque excursiones, nullo obstaculo interruptas, aut retardatas, immensasque provincias nullo ferè bello vastatas, quandoquidem primi regionum accolæ terrarum, nullo obsistente, quantum libuit occuparunt: nec mœnibus interim, nec vallo circumdati, uti de tota *Græcia* refert *Thucydides lib.* 1. ingruentibus verò internis odiis & latrociniis, arma sumere & simul cohabitare coacti. *Thucydidis* Scholiastes, ὅθεν τὰς μαχαίρας μαυλίας ἐκάλουν, διὰ τὸ ὁμοῦ αὐλίζεσθαι, *hinc gladios vocabant* μαυλίας, *quia simul degebant.* Exortâ deinde tractu temporis hominum multitudine, in vicinos irrumpere, & tandem longinquos etiam invadere cœperunt: hinc excursiones, vastationes, & bella, & hinc timor homines docuit civitates & castra munire, ubi securi viverent; & postremò civile regimen virtute & securitate comparatum. Qui verò in montanis agebant, seriùs, vel nunquam in justæ civitatis speciem convenere: quo quidem modo de *Sassinatibus* censeo. Etenim *Sarsinam* fuisse civitatem *Phil. Antonino* mera suspicio est, de qua apud ipsum pag. 71. sed à quo, vel quando exstructa, & deinde eversa sit, ignorat;

62 nostro enim sæculo, quo & pace fruitur & Episcopali Sede decoratur, incolæ ad quadringentos non numerantur: quæ cùm ita sint, in eam sic trahor sententiam, ut credam quidem *Sarsinæ* modernæ incolas ex antiquis *Sassinatibus* esse posse, sed regionem habitatam *Faventiam* sive *Flaminiam* esse; cùm enim, juxta toties repetita, *Faventia* & *Sena* juxta *Isapim* & *Rubiconem* connecterentur, quidquid est intra ea flumina ab Occidente ad *Faventiam* regionem spectat; sed *Sarsina* civitas est intra *Isapim*; ergo &c. Facillimæ enim transgressionis sunt montana loca, cùm nempe regna & provinciæ maximè fluminibus & illustribus locis limitentur; flumina in locis montanis, multis capitibus, fontibus, rivulisque incertos vel obscuros reddunt fines, & ex *Cisalpinis* ac *Transalpinis* una *Gallia* facta, & sic de cæteris, deletæ finium parvarum regionum memoriæ; sed etiam nobis favet, quòd *Sarsina* non in *Thuscia*, sed in *Umbria* recensetur. *Strabo lib.* 5. Τῇ δὲ Τυῤῥηνίᾳ παραβέβληται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἡ Ὀμβρική, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Ἀπεννίνων λαβοῦσα, καὶ ἔτι περαιτέρω μέχρι τοῦ Ἀδρίου, ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι, κατέχουσιν οὗτοι τὸ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς Σάρσιναν, Ἀρίμινον, &c. *Thusciæ applicatur ex parte Orientis Umbria, ab Apenninis principium habens, & ulteriùs usque*

63 *ad mare Adriaticum à Ravenna incipiens, propinqua non tenet, sed deinceps Sarsinam, Ariminum,* &c. Vulgata Translatio habet *propiora tenent*, neglectâ negativâ οὗτοι, quæ tamen in Codice *Græco* exstat.

Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 14. *Sarsinates* includit in sexta regione *Italiæ*, octavam verò regionem terminat *Arimino* inclusivè.

Sed ad firmanda omnia, quæ suprà dixi, & ad excludenda *Forolivienſium*, *Foropopilienſium*, *Cæsenatium*, *Sarsinatium*, *Cervienſium*, & aliorum quorumcumque, qui nobis ad Orientem sunt intra *Rubiconem*, Jura, evidentissimum & solidissimum *Appiani* testimonium affero, qui lib. 2. *Bellorum Civil.* ubi de *Ravenna* loquens sic ait, ἣ συναφὴς τε ἦν τῇ Ἰταλίᾳ, καὶ τῆς Καίσαρος ἀρχῆς τελευταία, *quæ* urbs *in Italia, & provinciæ Cæsaris erat ultima.* Ergo quæ nunc exstat *Sarsina*, intra *Flaminiæ* fines condita censeri debet, ac proinde ad eam spectare.

Fines à Meridie. 64

APennini jugum ultra citraque habitantibus, immobile positum fuit à natura discrimen, quod nulla eget probatione: testis sit *Alex. ab Alex. Genial. Dier.* lib. 3. cap. 28. cujus hæc sunt verba: *Citra Apenninum duodecim magnis urbibus præsidentes, mare inferum Tyrrhenum vocitarunt, quantumque à Tiberi ad Macram tractus est, fines propagarunt; trans Apenninum verò totidem coloniis deductis, ab Adria ipsorum colonia Adriaticum mare dixerunt.*

Fines ab Occidente. 65

FIdentini, quos *Plinius*, & ex eo *Carolus Stephanus* facit *Faventinis* finitimos, quidam Populi erant in montanis degentes à parte Occidentis, quos Auctores communiter statuunt, ubi nunc est *Fidentia*, vulgò *Fiorenzola.*

Inferiùs verò versùs *Padusam* & mare *Adriaticum* sic terminos statuo. Apud *Sempronium*, vel quicumque sit Libri Auctor, sic lego: *Flaminia item à Bononia ad Rubiconem amnem antea Felsina à Principe Hetruriæ:* quod consentit illis, qui *Gallos Bojos* ad *Rubiconem* flumen pertingere faciunt, sed minùs exactè; *Gallos* enim diligenter *Polybius* dividit *Hist.* lib. 2. Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον πρῶτοι μὲν Ἄνανες, 66 μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν Αἴγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. *Loca citra Padum prope Apenninum primi Ananes, post eos Boji occupavere, cætera ad mare Adriaticum Ægones, ultima verò mari propinqua Senones*; ergo apertè constat, inter *Bojos* & *Senones* interceptos *Ægones*; terminum verò sic investigo. Veluti ex *Appiano* superiùs vidimus, *Carbo* & *Norbanus* in *Faventia* ad *Metelli* castra pervenerunt: hæc verò *Metelli* castra nullibi affingi possunt, præterquam in loco *Fori Cornelii*; nec enim alia de causa locus ille *Fori Cornelii* nomen potuit adipisci, quàm occasione castrorum *Metelli Syllani* Ducis, qui forum militare erigere debuit sub nomine *Cornelii Syllæ*; cui favet, quòd *Forum Cornelium* sæpè *Forum Syllæ* nuncupatur, quod & apertiùs videbimus, cùm de origine *Fori Cornelii* disputabimus; ergo *Faventia* ultra locum *Fori Cornelii* extensa: sequitur ergo *Silarum* flumen, quod *S. Petri Castrum* alluit, uti propinquiorem, fuisse *Faventiæ* terminum; neque enim quiescere possum, aliquem ex interceptis rivulis regiones discrevisse: quà verò flumen prædictum in vallem *Padusam* infundebatur, vallis ipsa usque ad mare *Adriaticum* loco limitis fuit.

Fines à Septentrione. 67

QUi ad Septentrionem sunt fines, cùm mari *Adriatico* designentur, nullo magis evidenti signo denotari possunt. Sola superest *Ravenna*, quæ olim in æstuariis ædificata, & à littore ferè divisa spectasse dicitur ad *Umbrorum* Jura, ex testimonio *Strabonis* pag. 5. adducto, qui perhibet *Thessalos* ejusdem urbis dici conditores, sed οὐ φέροντες δὲ τὰς τῶν Τυῤῥηνῶν ὕβρεις, *non ferentes Thuscorum*

insultus, adscitis *Umbris* excessisse; quod & *Spinensibus* ad *Padi* ostia accidisse testatur *Dion. Halicarn. lib.* 1.

Ravennam ergo ad regionis Jura spectare, sic ostendo. Tempore *Strabonis*, nempe circa *Christi* Domini Nativitatem, erat ἐν τοῖς ἕλεσι, *in paludibus*, & in marinis æstubus eodem aquarum in-
68 cremento vel decremento afficiebatur; unde nobis eadem de *Ravenna* dicere licet, quod olim *Æthiopes* de *Ægyptiis*, nempe quemadmodum *Ægyptus* tota ex arenis & tellure per *Nilum* egestis creverat, (ut ait *Diodorus* lib. 4. *Rerum Antiquarum* cap. 1.) ita ex nostrorum fluminum eructato limo *Ravennam* constitisse, quæ cùm sit fabricata in nostro fundo, ad regionis Jura redigenda est: quamvis enim *Neratius* in *l. quod in littore ff. de acquir. rer. dominio*, littora publica esse dixerit, & in nullius dominium adscripta; tamen cùm concedat inibi ædificari posse, necesse est, ut concedat etiam posse possideri, alioquin frustra ædificaretur: & nihilominus, adhibitâ distinctione, communiter censetur ex jure gentium recepto, hanc ædificandi licentiam competere singulis ex populo, qui jus habet in littore, secùs Barbaris & exteris, ut ibi *Gotofred. Gloss.* & *Hug. Grot. de Jure Belli & Pacis* lib. 2. cap. 3. num. 9. *Faventini* verò, sive *Thusci*, hanc maris oram possidebant ante *Thessalos*, quod patet ex insultibus in *Thessalos* illatis.

Sed quorsum hæc tam decantata *Thessalorum* fabula? ab imperito vulgo efficta, nullius Scriptoris auctoritate fulcita, eo modo, quo irrepsit, exploditur. Neque *Strabo* ab aliquo Auctore eam decerpsit, neque ipse affirmare audet, aut auctori-
69 tatem suam interponere, sed rem, ut accepit, ita retulit, ipsius veritati nihil deferens, nihil adimens: hæc ipsius sunt verba, Καὶ ἡ Ῥαουέννα δὲ Θετταλῶν λέγεται κτίσμα, *Ravenna verò dicitur Thessalorum ædificium.* Quod quidem dubitandi locum relinquit. Cur enim emendicemur è longinquis adeò regionibus maritimarum urbium Fabricatores, ubi habitavere *Tyrrheni* undique marium celeberrimi? etenim *Tyrrheni* ipsas *Græci* littoris ac maris insulas, *Græcis* invitis, invaserunt, occuparunt, ipsasque *Atheniensium* mulieres rapuerunt; quod narrat *Plutarchus de virtut. mulierum* pag. 247. Τυῤῥηνῶν τοίνυν τὴν Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κατασχόντων, ἁρπασάντων δὲ Βαυρωνόθεν (sive, ut melius restituit *Xylander*, Βραυρῶνος) τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας, ἐγένοντο παῖδες, *Tyrrheni, cùm Lemnum & Imbrum occupassent, Atheniensium mulieribus Braurone abreptis, filios procreaverunt*, &c. unde *Laërtius* in *Pythagora* ait, *Pythagoram Aristoxeno* dici *Tyrrhenum*, ἀπὸ μιᾶς τῶν νήσων, ἃς κατέσχον Ἀθηναῖοι, Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες, *ex una insularum, quas, ejectis Tyrrhenis, Athenienses possederunt*: & si tempora spectemus, satis sit, quod sciamus *Pythagoram* floruisse, vel Olympiade sexagesima juxta *Laërtium*, vel, ut *Jamblicus* in *Vita* ejusdem *Pythagoræ*, ὑποφυομένης δὲ ἄρτι τῆς Πολυκράτους τυραννίδος περὶ ὀκτὼ καὶ δέκατον μάλιστα ἔτος γεγονὼς, *suboriente verò Polycratis ty-*
70 *rannnide natus circiter annos decem & octo*: quam *Polycratis* tyrannidem *Petavius* confert in Olympiadem 62. scilicet ann. 530. ferè ante vulgarem *Christi* Epocham, quibus 530. annis si addamus ipsos annos 18. *Pythagoræ*, tempus, quod intercessit inter *Tyrrhenorum* ex insulis ejectionem & *Pythagoræ ortum*, & denique tempus, quo iidem *Tyrrheni* insulas tenuerunt, videbimus, quàm sit remota & antiqua *Thuscorum* in mari potentia. Sed ad *Thessalos* revertamur, & videamus quæ fuerit eorum in rebus maritimis exercitatio. Sed quæ vires *Thessalis* in mari? neque enim *Thessalia* est regio maritima, sed quædam vallis undique montibus conclusa, ex quibus *Olympus* tantùm pelago alluitur. *Herodotus* in *Polymnia* seu lib. 7. cap 129. Τὴν δὲ Θεσσαλίην λόγος ἐστὶ τὸ παλαιὸν εἶναι λίμνην, ὥστε γε συγκεκληϊσμένην πάντοθεν ὑπερμήκεσι οὔρεσι. *Narratur Thessaliam antiquitus lacum fuisse, utpote conclusam undique præaltis montibus.* Et ego memini quidem equitatum *Thessalum* uti validissimum sæpè legisse, maritimas verò classes nunquam: unde *Euripides* in *Electra* ℣. 815.

Ἐκ τῶν καλῶν κομποῦσι τοῖσι Θεσσαλοῖς
Εἶναι τόδ', ὅστις ταῦρον ἀρταμεῖ καλῶς,
Ἵππους τ' ὀχμάζει. ——

Inter alia bona jactant, Thessalis
Hoc esse datum, quilibet taurum scitè occidit, 71
Equosque domat. ——

Et *Maximus Tyrius Dissert.* 7. Παιδεύματα Κρητικὰ, θῆραι, ὀρειβασίαι, τοξεῖαι, δρόμοι· τὰ Θετταλὰ, ἱππική· τὰ Κυρηναϊκὰ, διφρεῖαι· τὰ Αἰτολικὰ, λῃστεία· ἀκοντίζουσιν Ἀκαρνᾶνες· πελτάζουσι Θρᾷκες· νησιῶται πλέουσιν. *Disciplina Cretensium est venari, montes superare, sagittari, currere: Thessalorum equitare: Cyrenensium aurigari: Ætolorum prædari: jaculo Acarnanes, peltâ valent Thraces: Insulani navigant.* Et quod magis urget, dum *Socrates* apud *Platonem* in *Menone* sub init. *Thessalorum* artes laude dignas enumerat, Ὦ Μένων, ait, πρὸ τοῦ μὲν Θετταλοὶ εὐδόκιμοι ἦσαν ἐν τοῖς Ἕλλησι, καὶ ἐθαυμάζοντο ἐφ' ἱππικῇ τε καὶ πλούτῳ· νῦν δὲ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, καὶ ἐπὶ σοφίᾳ. *O Menon, elapsis temporibus Thessali clari fuerunt inter Græcos, maximéque admirabiles ob equitandi artem & ob divitias, nunc verò, ut mihi videtur, etiam ob sapientiam.*

At *Ravennates* objicient, *Thessalos Ravennæ* conditores, de quibus *Strabo*, intelligi debere de antiquissimis illis, quos *Rubeus* initio *Historiæ*, *Noci* nepotibus coævos facit, & cum *Pelasgis* eosdem putat, relatamque *Strabonis* opinionem firmare nititur, *Gomeris Galli* ex apocrypho illo *Beroso*, *Marsilio*, &c. narrationibus; sed mentem meam, 72 ne in hac sententia quiescat, multa deterrent.

Nam gesta, quæcumque ante Belli *Trojani* tempus relata sunt, fabulis adeò scatent, adeò obscuritate laborant, ut res singulæ enixiùs inquirenti semper magis delitescant. Quod attinet ad *Berosum*, aliosque Auctores, quibus, ut dixi, *Rubeus* utitur, ex quo seriò Chronologiæ opera datur, à Republica Litteraria sunt solemniter ejecti tanquam nullâ fide digni. Quæcumque verò exstant *Berosi* & aliorum fragmenta, *Græcè* exstant apud *Jos. Scaligerum de Emendat. Tempor.* in quibus, quantumcumque legerim, nihil simile inveni.

Nominis *Thessaliæ* origo si quæratur, non benè inter se conveniunt *Herodotus*, *Strabo*, *Vell. Paterculus*, & alii; de tempore verò & principio ejusdem nominis *Vellejus Hist. Rom.* lib. 1. eos perstringit, *qui Iliaca componentes tempora, de ea regione ut Thessalia commemorant*: cùm idem Auctor dicat, regionem plusquam 100. annis ab excidio *Trojano Thessaliam* nuncupatam à *Thessalo* quodam juvene *Pelasgo*, qui illam occupavit; unde non benè constabit, quod ait *Rubeus*, *Ravennæ* ædificationem per *Thessalos* factam accidisse ann. 488. ante *Trojam* captam: & si res redeat ad *Pelasgos* civitatis conditores, dico *Pelasgorum* in mari potentiam per annos 85. tantùm durasse, ut 73 ex *Græcis Eusebii* refert *Joh. Seldenus de dominio maris* lib. 1. cap. 10. num. 3. Πελασγοὶ δεύτεροι ἐθαλασσοκράτησαν ἔτη πε', *secundò mare obtinuerunt*

runt Pelasgi annos 85. quod cùm ibidem referatur ad *Salomonis* tempora, recidit in eamdem *Velleji* sententiam, quo tempore *Tyrrheni* erant potentissimi, ex superiùs dictis & testimonio *Hesiodi*, qui in *Theogonia* sub fin. sic cecinit de *Agrio* & *Latino* *Tyrrhenorum* Principibus,

Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον,

Omnibus Tyrrhenis valdè inclytis imperabant.

Ad *Phaëthontis* narrationem quod spectat, licèt *Rubeus* Auctor candidissimus illam non admittat, tanquam nimis suspectam, & propterea *Phaëthontem* in *Ravennæ* conditorem & hujus regionis habitatorem recipere non audeat; attamen quia nimis arridet cuidam Domino meo, qui historiam civitatis *Faventiæ* diligentissimè compilavit, & *Faventiæ* nomen à *Phaëthonte* deducere nititur, & quia non aliarum solùm *Flaminiæ* civitatum, sed etiam civitatis ipsius *Faventiæ* fabulosa tollere in animo est, subjungam multa, quæ cum hac sententia pugnant.

Etenim tota *Phaëthontis* fabula ad res physicas refertur, ut lego in *Platonis Timæo* ferè ab initio:
74 Τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ' ὑμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας, διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη, τοῦτο μὲν μύθου σχῆμα ἔχον λέγεται, τὸ δ' ἀληθές ἐστι, τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. *Nam quod etiam apud vos dicitur Phaëthontem olim Solis filium, patris curru juncto, propterea quòd non potuerit patriâ viâ aurigari, & ea, quæ sunt in terra exussisse, & ipsum fulmine percussum periisse; hoc quidem dicitur per fabulæ figuram; revera autem significatur, & eorum, quæ sunt in terra, eorumque, quæ in cœlo* (vel *juxta cœlum*) *moventur, mutatio, tum is, qui fit longo temporis spatio, terrestrium rerum à nimio calore interitus*; & in eamdem sententiam Auctor Libri *de Mundo*: Πυρκαϊαί τε καὶ φλόγες αἱ μὲν ἐξ οὐρανοῦ γενόμεναι πρότερον, ὥσπερ φασὶν ἐπὶ Φαέθοντος, τὰ πρὸς ἕω μέρη κατέφλεξαν.

Quamvis verò deberet hoc accipi pro alicujus, putà ipsius *Phaëthontis*, quem pro *Phut*, filio *Cham*, & *Noei* nepote, accipiunt, migratione, quem aliqui fabulantur ad has oras navigasse, dico, id totum, tamquam erutum ex 5. lib. *Antiquitatum Berosi*, vel potiùs recentium figmentorum *Annii Viterbiensis*, nullam fidem mereri. Ego
75 verò lego, in optimo *Chronico Alexandrino*, vulgò *Fastis Siculis*, ubi enumerantur gentes 31. quæ exstitere ex filiis *Cham*, pag. 64. Φοὺδ, ἐξ οὗ Τρωγλοδύται, *Phutus, ex quo Troglodytæ*; quod etiam magis consonat fabulæ, unde *Ovidius* lib. 2. *Metamorph.* fab. 2.

Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem.

Quo enim modo constaret ordo, & verisimilitudo, si *Phaëthon* cecidisset in *Eridanum*, & *Æthiopes* potiùs quàm hujus regionis accolæ nigri evasissent? meliùs ergo constiterit fabula, si in *Nilum* cecidisse dicamus, cui illud satis favet, quòd, cùm flumen illud in cœlum translatum sit occasione casûs *Phaëthontis*, ut vult *Hesiodus*, & *Germanicus Cæsar* in *Aratum*, non desunt qui illud cœleste flumen pro *Nilo* accipiant, & complures Oceanum esse dicant, ut refert *Hyginus lib.* 2. & licèt verè de *Eridano* esset intelligendum, exstat alius *Eridanus* non longè *Athenis*, de quo videtur mentio apud *Platonem* in *Atlantico*, & *Pausaniam* in *Atticis*.

Sed injucundum non erit, lepidam *Luciani* narrationem adducere, qui in libello *de Electro*, sive *de Cygnis*, ubi quòd cùm hæc *Eridano* proxima littora circumnavigaret, ductus famâ casûs *Phaë-* 76
thontis, & Electri à populis emanantis, per fluminis ostia interiorem regionem perlustrasset, & incolas interrogavisset, invenit, quòd ne nomen quidem *Phaëthontis* notum erat incolis, cúmque ex integro rem ipsis narrasset, hanc retulit responsionem: Τίς ταῦτά σοι, ἔφασκον, διηγήσατο, ἀπατεὼν καὶ ψευδολόγος ἄνθρωπος· ἡμεῖς δὲ οὔτε ἡνίοχόν τινα ἐκπίπτοντα εἴδομεν, οὔτε τὰς αἰγείρους, ἃς φής, ἔχομεν· εἰ δὲ ἦν τι τοιοῦτον οἴει ἡμᾶς δυοῖν ὀβολοῖν ἕνεκα ἐρέττειν ἂν, ἢ ἕλκειν τὰ πλοῖα πρὸς ἐναντίον τὸ ὕδωρ, οἷς ἐξῆν πλουτεῖν, ἀναλέγοντας τῶν αἰγείρων τὰ δάκρυα; *Quicumque, ajunt, hæc tibi dixit, homo fraudulentus & mendax fuit: nos enim neque aurigam ullum delapsum novimus, neque illas, quas tu dicis, populos habemus: quòd si aliquid ejusmodi apud nos esset, an putas duorum obolorum pretio nos ita laboriosè navigaturos, & navigia adversùs flumen tracturos, quibus facile esset ditescere, populorum lacrymas colligendo?* Quæ omnia simul sumpta sententiam meam satis superque confirmant.

Quibus positis censendum est, quemadmodum *Hadria* civitas maritima ab iisdem *Tyrrhenis*, sic etiam *Ravennam* fuisse à *Tyrrhenis Faventinis*, sive *Flaminiensibus*, ædificatam; nec obstat, quòd dicatur *Spina* ad *Padi* ostium ædificata à *Pelasgis*,
quia constans etiam opinio fuit eosdem fuisse *Tyr-* 77
rhenos, sive *Thuscos*, ac *Pelasgos*, quos non alio argumento differre arguit *Dionysius lib.* 1. nisi ex aliqua diversitate Linguæ ac Sacrorum; sed parùm urget hæc differentia tempore *Augusti* ipsi *Dionysio* coævi, ob tot sequutas ante id tempus mutationes & ejusdem regionis subactiones à *Gallis* & *Romanis*.

Etenim *Atticarum* rerum Scriptores apud *Strabonem lib.* 5. vagos & errantes homines πελάσγους, quasi πελάργους *ciconias*, nuncuparunt; quo nomine invenio vocitatos *Tyrrhenis* in *Lexicis Græcis*, immò in *Etymologia Græca* sic lego: Πελαργικὸν, τὸ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν κατασκαφὲν τεῖχος, οὓς καὶ θεασάμενοι τινὲς, Πελαργοὺς ὠνόμασαν, διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν. *Pelargicon murus est à Tyrrhenis suffossus, quos, ut aliquibus videtur, Pelargos* (sive *Ciconias*) *vocabant, propter sindones, quas ferebant.* Et sic etiam multa tolluntur antiquorum Scriptorum dissidia. Eodemque modo, quo illi vagos homines ciconiis fecere similes, *Ælianus* easdem ciconias hominibus comparat lib. 3. cap. 23. *de Animal.* ubi ait, cùm in patriam sedem ex longinquo redeunt, τὴν ἑαυτῶν ἕκαστος καλιὰν ἀναγνωρίζουσιν, ὡς τὴν οἰκίαν ἄνθρωποι, *quælibet nidum suum recognoscit, quemadmodum homines suam domum.*

Quo verò ad *Ravennæ* nomen, illud frustra in
Græcia quæritur ἀπὸ τοῦ ῥέειν *à fluendo*, quia pro- 78
pinquius exstat inter ipsos indigenas, qui eodem *Dionysio* teste *lib.* 1. *Rasenæ* vocabantur; quod idem movit *Frider. Sylburgium*, qui in *Notis ad* ejusdem *Dionysii Græco-Latinam* Editionem pag. 5. col. 2. sic ait: *Forsan & Ravenna nomen ab his Rasenis, sive Razenuis, accepit, licèt apud Strabonem* &c.

Neque tamen aliquid *Ravennæ* antiquitati derogare intendi, quam antiquissimam fuisse ipsius lignea structura demonstrat; cujusmodi vetustissimas *Indiæ* civitates describit *Arrianus* in libro *Rer. Indicarum*, ubi, ὅσαι παραποτάμιαι αὐτέων, ἢ παρα-

παραθαλάσσιαι, ταύτας μὲν ξυλίνας πεπῆχθαι, *quæcumque juxta flumina, vel juxta mare sunt, eas esse ligno compactas.* Tum ipse titulus *Antiquæ*, quam præ se fert, & qui non est nuper assumptus, utpote quo insignita est ab usque ævo *Claudiani* Poëtæ, qui in *Panegyr. de sexto Consulatu Honorii* sic cecinit,

——— & antiquæ muros egressa Ravennæ,
Signa movet. ———

Et si *Ravennam Faventinorum* opus contendo, quæ injuria? *Faventinos* enim non unius tantùm civitatis *Faventiæ*, sed totius regionis accolas intelligo.

79 Præter alias rationes, quas in integro descriptionis Opere congeram ad ostendendam totius regionis antiquitatem, & ideo DD. *Ravennates*, *Cæsenates*, *Foroivienses*, *Foropopilienses*, *Forocornelienses*, aliosque vicinos oratos enixè velim, ne aliquid sibi tribuant offensioni, sed objectiones & notitias suppeditent humaniter, quò auctiùs eorum nobilitatem faciam ex veris fundamentis elucere.

80 *In Faventiæ, sive Flaminiæ, typum Notitiæ.*

Regionis termini.

PUncta, quibus clauditur regio, ab Oriente & Occidente, satis distinguunt; à Septentrione mare, à Meridie jugum *Apennini* determinant; ut satis disputavimus.

Via Æmilia.

HÆrere videntur nonnulli in finibus *Flaminiæ* & *Æmiliæ* viæ terminandis; omnes ferè *Ariminum* usque perducunt, aliqui *Forocornelium* usque, inter quos *Marlianus lib. 6. cap. 19.*
81 Sed rem satis claram habemus ex *Martialis lib. 3. epigr. 3.*

Romam vade, Liber; si, veneris unde, requiret;
Æmiliæ dices de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit;
Corneli referas me licet esse foro.

Clariorem verò ex *Plinii Nat. Hist.* lib. 19. cap. 2. ubi de linis celeberrimis, *& in Æmilia via Faventina*; cùm itaque *Faventia* viam *Æmiliam* habuerit, sequitur *Flaminiam Ariminum* non esse transgressam; unde patet regionem non fuisse à via *Flaminia* vocatam *Flaminiam*, sed è contrà viam, eò quòd in *Flaminiam* tenderet, sic esse nuncupatam, more viarum *Romanarum*, quæ nomen habebant à locis, ad quos ducebant, ut *Amerina*, *Collatina*, *Tyburtina*, *Prænestina*, *Lavicana*, *Gabina*, *Ardeatina*, *Laurentina*, *Ostiensis*, *Portuensis*; & ratio altera est, quòd ad ingressum *Flaminiæ* regionis via nomen amittit; neque assentiri possum illis, qui nomen à *Flaminio* deducunt, eò quòd viam straverit. *Livii* enim Breviator sic ait *lib. 20. viam Flaminiam munivit*; quibus consentit *Cassiodorus* in *Chronico*, ex quo deduci posse videtur, quòd ante id tempus etiam *Flaminia* vocaretur; nec verbum *munivit* importat, quòd de novo fecerit. Omitto dis-
82 crepantiam à *Strabone*, qui ait *Flaminio* Consule, *Florus* verò *Flaminio* Censore. Itaque quæ *Flaminiam* regionem usque pertingebat via *Flaminia*, exinde verò usque *Placentiam*, *Æmilia* via dicenda est: ex qua celeberrimi Auctores occasionem accipiendi sæpè *Flaminiam* regionem pro *Æmilia* captarunt.

Via à Faventia civitate versus Meridiem.

HÆc via *Lucam* usque perducebat per *Apennini* jugum. *Antoninus* in *Itinerario*:

Iter à Faventia
Luca M. P. CXX *sic*
In Castello M. P. XXV.
Anneïano M. P. XXV.
Florentia M. P. XX.
Pistores M. P. XXV.
Luca M. P. XXV.

Ex qua via licet conjectari *Thuscorum* intra & cis *Apenninum* incolentium antiquam communionem.

Via ab Arimino Ravennam, &c. 83

Antoninus: *Ab Arimino recto itinere.*
Ravenna M. P. XXXIII.
Inde navigatur septem maria Altinum usque, &c.

Ravenna, & circumadjacentia.

JOrnandes in lib. *de Rebus Geticis* pag. 109. Editionis *Hamburgensis* sic *Ravennam* describit, ubi de *Alarico* loquitur: „Nullo penitùs obsistente ad Pontem applicuit Condiniani, qui „tertio milliario ab urbe erat regia Ravennate. „Quæ urbs inter paludes & pelagus, interque „Padi fluenta uni tantum patet accessui, cujus „dudum (ut tradunt Majores) possessores Eneti, „id est, laudabiles, dicebantur. Hæc in sinu Regni „Romani super mare Ionium constituta in mo„dum influentium aquarum redundatione conclu„ditur. Habet ab Oriente mare, ad quod qui „recto cursu de Corcyra atque Helladis partibus „navigat dextrum littus, primum Epirum, dein „Dalmatiam, Liburniam, Histriamque, & sic „Venetias radens palmulâ navigat. Ab Occidente „verò habet paludes, per quas uno angustissimo „introïtu ut porta relicta est. A septentrionali „quoque plaga ramus illi ex Pado est, qui Fossa „vocatur Asconis. A Meridie idem Padus, quem 84
„solum fluviorum Regem dicunt, cognomento „Eridanus, ab Augusto Imperatore altissimâ „(*vel, ut legit* Fred. Lindenbrogius, latissimâ) „fossâ demissus, qui septimâ sui alvei parte „mediam influit civitatem, ad ostia sua amœnissi„mum portum præbens, classem CCL. navium, „Dione referente, tutissimâ dudum credebatur „recipere statione: qui nunc, ut ait Fabius, „quod aliquando portus fuerat, spaciosissimos „hortos ostendit, arboribus plenos.

Pinetum.

PUlcherrima & antiquissima pinuum sylva, quæ modò juxta maris littus in *Ravennati* visitur, in tota undique *Faventia* olim celebris erat; unde *Silius Ital. lib. 8.*

——— ——— ——— undique solers
Arva coronantem nutrire Faventia pinum.

Hinc illud constare non videtur, ex quo *Rubeus* lib. 3. *Hist. Ravenn.* deducit *Romanorum* operâ pinetum consitum ad navium structuram, cùm solertiâ *Faventinorum* excultum tradat *Silius*. In via *Æmilia* extra civitatem *Faventiæ* ad Orientem intra secundum lapidem exstat adhuc fun-

fundus, cui nomen *Pigna*. De sylvis verò juxta civitatem *Faventiæ* meminit *Agathias lib.* I.
85 Νύκτωρ τοιγαροῦν οἱ Ῥωμαῖοι τὰ πλεῖστα ἐχώρουν, ξυνεστραμμένοι τὲ ἐπὶ σφᾶς, καὶ ἀλλήλους ὀπισθοφυλακοῦντες, ὡς, εἰ δήσει καὶ διαμάχεσθαι, οὐκ ἀπαράσκευοι φανησόμενοι. Οἰμωγαὶ δὲ ἠκούοντο τῶν ἀγροίκων, καὶ μυκήματα τῶν βοῶν ἀπελαυνομένων, καὶ πάταγοι τῆς ὕλης διατεμνομένης, καὶ τοῖς τοιούτοις δεινοῖς πανταχόθεν περιβομβούμενοι, μόλις ἐς Φαβέντειαν τὲ καὶ στρατόπεδον ἧκοντο. *Noctu itaque ut plurimùm Romani iter faciebant, conglobati inter se, mutuóque sibi tergum munientes, ne, si pugnandum esset, imparati deprehenderentur. Ejulatus itaque agrestium exaudiebantur, & boum abactorum mugitus, éque lignatione, quam in sylvis faciebant, fragor, & talibus quidem horroribus omni ex parte eorum aures personantibus, ægrè tandem Faventiam & ad exercitum pervenerunt.* Ex quibus satis apparet, si copulemus illud *undique Silii Italici* cum sylvis circa *Faventiam* per *Agathiam* descriptis, quàm latè pateret pinetum. Ad *Ravennam* verò non pervenisse sic probari potest. Scilicet *Ravennæ* littus, quidquid erat eo tempore à mari desertum, nondum erat tot arboribus consitum. Sic *Martialis lib.* 3. *epigr.* 91.

Cùm peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,
Semi-viro Cybeles cum grege junxit iter.

Arva verò sunt campi aratione & satione destinati; unde *Plautus* in *Trucul.* Act. 1. Sc. 2.

86 *Non arvus hic, sed pascuus est ager, si arationes Ambituris* ——

Hanc autem sylvam, sive pinetum, per totam regionis planitiem fuisse extensam ex eo non obscurè deducitur, quòd *Cæsar*, ut superiùs diximus, in itinere *Ravennâ* ad *Rubiconem* erraverit viâ, & per angustissimos tramites pedibus evaserit, & sic *Silius* optimè dixit *undique*; quibus omnibus sic observatis semper magis elucescit veritas præmissorum, singulorumque inter se convenientia.

Templum Jovis Obsequentis.

SUperstitiosa *Thuscorum* aliorumque incolarum religio templis carere non debuit, quorum celeberrimum juxta *Tiberiacum*, nunc *Bagnacavallo*, exstitisse ipsa produnt antiquissima adhuc exstantia rudera, marmora, & bases, ubi nunc est vetustissima Ecclesia, sive Plebatus, *Sancti Petri* in sylvis extra *Bagnacavallum*, cum duabus, quæ sequuntur, in sua quælibet basi, Inscriptionibus:

IOVI OBSEQVENTI. PVBLICE	CVRATORES IOVI. LIBERTATI

87 Licèt verò sciamus *Jovi* templa non nisi *Dorici* operis fuisse ædificata certâ quâdam religione, quod disputat & asserit *Natalis Comes Mythologiarum* lib. 1. cap. 10. tamen non solùm hæ bases compositi sunt operis, quod tamen excusari posset ratione, ut scilicet ara sublimior, & *Jovis* signum populo spectabilius fieret, sed etiam epistylia, aliaque ex terra defossa marmora, templique reliquiæ, compositum, aut *Corinthium*, redolent. Alia præterea exstitere intra regionem aliis numinibus templa, de quibus agam in integra descriptione; de hoc uno monuisse contentus, quia celeberrimum, & publicâ curâ factum.

Aquarum decursus.

NOn eadem, quâ olim, hujus regionis aquæ & flumina in *Adriaticum* erumpunt viâ. *Padi*, *Anemonis*, *Montonis*, *Vitis*, & *Sapis* circa *Ravennæ* paludem confluentiam describit *Rubeus lib.* 1. pag. 4. De *Sapi* sic testatur *Blondus* in *Italia illustrata*: *Sapis fluvius, quem octavo milliario post terga linquimus, ad annum nunc plus minus sexcentesimum ipsam illabebatur Candiani vallem, efficiebatque portum in primis Italiæ celeberrimum.*

Fluviolus hodie *Pissatellus* hoc signo ✠ in typo notatus, cùm & ipse ducentis tantùm abhinc annis circiter in flumen *Sabiniani* influat, antiquitus ad mare pervenerit, nec ne, est in controversia apud *Ariminenses* & *Cæsenates*. Negant *Ariminenses*, affirmant *Cæsenates*: pro utrisque stant *Decisiones Sac. Rotæ* & *Manticæ*. Ego ingenuè fateor in hac obscuritate multùm hæsisse: tandem verò, & credo in quamdam vallem erupisse, juxta *Ariminensium* sententiam, & postea ex valle in *Adriatico* fuisse receptum, juxta *Cæsenates*, & naturalem aquarum decursum. 88

Prætermissorum quorumdam ratio.

PAr erat, juxta tradita per *Blondum* in *Italia illustrata*, & *Raph. Volaterranum Commentar. Urbanor.* lib. 4. ut *Forum Truentinorum* statuerem ubi nunc *Bertinorium* civitas. *Blondus* legit Forum *Brintanorum*: sed omnes quos ego vidi Codices *Pliniani* habent, *Truentinorum*: hos sequuta est recentiorum Auctorum turba; ego verò non quiesco, quia *Truentum* per eumdem *Plinium* in quinta regione statuitur; *Truentinorum* verò Forum in octava, quæ latiùs patet *Faventiâ* nostrâ; ideo locum incognitæ positionis adhuc existimo; immò suspicor potiùs legendum Forum *Faventinorum*, quod tamen sub mera suspicione relinquo: tempore & studio res clarior fiet. 89

Mutilum eorumdem Auctorum testimonio locandum erat ubi nunc *Mutiliana* terra nobilis & antiqua, milliaribus decem à civitate *Faventiæ Apenninum* versùs. Cur omiserim hæc fuit ratio. In via, per quam ex *Flaminia* in *Transapenninam Etruriam* erat transitus, quæ juxta *Mutilianam* pertransibat, & quæ deserta fuit anno Christianæ Nativitatis 1195. ad finiendas discordias inter *Co. Guidonem Guerram de Battifolle Thusciæ* Comitem, & *Joannem Marescottum* ejusque fratrem *Faventinos*, eorumque amicos, inter quos sequuta est pax 9. *Januarii* 1195. in tabulis redacta per *Jacobum Faventinum* Notarium, cujus originale exstat apud Do. *Bernardinum Azurinum* talium antiquitatum consultissimum, & quam describit *Antoninus* in *Itinerario* superiùs relato, non exstat *Mutilum*, ut exstare debuisset, sed tantùm ad milliare 25. castellum. Hæc dicta sint citra injuriam, & quousque aliquid verius innotescat, neque enim unquam suppeditandas notitias spernam.

Butrium Ravennæ castellum sub eodem est censu; nullam enim rationem excogitare potui, quâ quiescerem *Ortelio*, qui in *Italia Gallica* videtur existimare *Butrium*, illud esse castrum prope *Bononiam* adhuc ejusdem nominis. 90

Regionis Insignia.

QUò quis inoffenso pede assertiones meas hasce percurrat, hæc etiam subjicienda statui. Quamvis censeri posset, multa, quæ de *Faventia* dicuntur, ad civitatem ipsam *Faventiam*, quæ toti regioni ut nomen, sic jura dedit, esse referenda, tamen ad vitandam invidiam, probabilioraque dicenda, dico Insignia illa antiquissima ensiferi leonis ac coronati toti regioni fuisse communia; quod ex eo elicio, quòd pleræque regionis civitates antiquissimæ, nempe *Faventia* ipsa, tum *Foropopilium*, & *Forocornelium*,

lium, eodem insigni adhuc utuntur, mutato tantùm in gryphem *Forocorneliensem*.

Hæc verò Insignia aut proprio jure assumpta, aut dono accepta. Si accepta, haud facile est demonstrare, unde vel à quo accepta. Plurimi enim fuerunt tum Principes, tum Gentes leonis insigne gestantes. *Ægyptiis* Regibus familiare fuit, ut ex *Diodori* lib. 2. *Rerum Antiquarum*: ad terrorem fortasse incutiendum, unde *Agamemnon* clypeum

91 gestavit cum leone, addito epigrammate,

Οὗτος μὲν φόβος ἐςὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων,

ut legimus in *Pausania*. *Trojanis* etiam fuit in usu. Sic *Æneas* apud *Virgilium* lib. 2. *Æneid.* ỳ. 721.

——— latos humeros subjectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis.

Et de *Pœnis Silius Italicus lib.* 7.

Jam cernes Libycum huic vallo assultare leonem.

In annulo *Pompeji Magni*, quem ad ejusdem *Pompeji* mortem *Romanis* significandam *Romam* misit *Julius Cæsar*, tria trophæa insculpta fuisse tradit *Xiphilinus* in *Julio*, ex *Dion. lib.* 41. *Plutarcho* verò de trophæis nulla mentio, sed dicitur in annulo insculptus fuisse λέων ξιφήρης *leo ensifer*: quâ verò occasione hoc trophæum sumptum, in incerto est, cùm victoriæ, quæ trophæis causam dederunt, plures acciderint *Pompejo*; nisi hoc captaverit occasione magnæ illius cædis leonum, quâ quingenti leones diebus quinque absumpti in ejus theatro, *Romano* Populo spectante, ut ex *Dion. lib.* 39. & *Xiphilino* in *Pompejo* satis constat; unde veteri opinione apud nos *Faventinos* à *Pompejo* derivata Insignia non solùm dicitur, sed etiam scribitur.

Adriano Imperatori in usu fuisse refert *Carolus Paschalius* in Tractatu *de Coronis* lib. 10. cap. 18.

92 ex antiquo numismate; de *Antonino* verò Commentator ad *Alciati* emblema 184.

Nunc omnibus ferè *Germanis*, *Gothis*, *Anglis*, *Scotis*, aliisque Populis Borealibus hoc insigne parva intercedente varietate est commune. *Munsterus* lib. 3. *Geograph.* pag. mihi 669. originem refert ad *Cimbros*. *Petrus Scriverius* in *Not. ad Compend. Chron. Gheldr.* pag. 13. sic ait: *A Francis quippe propagatæ gentes & familiæ, origini suæ denotandæ, leones ferre studuerunt. Francorum autem antiquis Regibus leonem pro insigni fuisse, opinio est: & Hunibaldus (si fidem meretur) tradit de leone Hollandicorum Comitum, qui Francos progenitores suos agnoscunt. Scribit Hadrianus Junius Bataviæ cap.* IX. *de Palatinis leonibus, qui propemodum in proverbium abierunt. Marquardus Freherus Orig. Palatin. cap.* XIII. Hoc de *Francis* Imperium adeptis dictum censeo. Si enim ad antiquiores illos *Francos* sit referendum, obstare videtur ejus gentis simplex & inculta armatura, de qua *Agathias lib.* 2. λιτὴ γὰρ τῆδε τῷ ἔθνει ἡ ὅπλισις. Immò idem *Munsterus Geograph.* lib. 2. pag. 141. ait, Principes *Belgas*, occasione expeditionis Terræ Sanctæ, permutatis insignibus diversi coloris, leones assumpsisse.

In re tam obscura quid dicam hæreo: ut verò

93 credam insigne vel à *Pompejo* acceptum, vel in ejus honorem assumptum, urgent exacta similitudo & occasio, nempe *Pompeji* mora in *Piceno*, nobis adjacente regione, vicinarumque civitatum per eum affectata amicitia, & *Syllani* in his partibus belli, cui *Pompejus* favebat, accensio: quod ex *Plutarcho* in *Pompejo* patet; si enim recentiori occasione fuisset assumptum, permissum non esset uti coronato & ensifero leone: ut enim de corona non loquar, de qua dicam inferiùs, gladius sive

A ensis justitiæ & potestatis est symbolum; quod tum communi æstimatione firmatur, tum etiam notatur per *Claudium Paradinum* in Libro, cui titulus, *Devises Heroïques*, & per *Junium* cap. XVII. *Bataviæ*, & ab antiquissimis usque sæculis doctissimè recenset *Jacobus Mazzonus* in *Defens. Dantis* lib. 3. cap. 36. & alii.

Hæc verò militaria Insignia Imperatorio munere fortissimis per Italiam distributa per *Francos Cæsares*, referunt *Sigonius de Regno Italiæ*, & Co. *Thesaurus* in simili tractat. pag. 611. annot. 473. 474. Ab illis verò temporibus tanta irrepsit non

B solùm in familiis, sed & Communitatibus in assumendis Insignibus licentia, ut inter antiqua & nova, donata & assumpta malè distinguatur, & à quibusdam præpostera narrentur.

Est apud me antiquissimum sigillum communis 94
& populi *Faventiæ* civitatis, quod eadem, quâ est magnitudine & figurâ, subjicio.

C



D In quo multa observatu digna comperio. Ab annis plus minus quingentis conflatum incisumque sigillum fuisse, multæ suadent conjecturæ: nempe forma, modus, caracteres *Longobardici*, & scribendi barbara inscitia, maximè in vocibus COMVNIS, & FAVENCIE, ubi debuisset scribi S. COMMVNIS. ET. POPVLI. CIVITATIS. FAVENTIÆ. maximè per publicos ministros, qui aliquatenus scribendi regulam callere debebant; sed ante quingentos annos Majores nostri plus arma quàm litteras sequebantur, 95

Curaque finitimos vincere major erat.

E Et equidem mihi sæpè antiquas scripturas evolventi nunquam accidit videre aliquam hoc sigillo munitam, in quo quinque lilia visuntur, *Guelfæ* factionis tessera notissima, sub qua factione civitas *Faventia* fuit, utpote *Germano* Imperatori infensa, ac *Romano* Pontifici addicta; *nam qui Pontifici favebant Guelphi, qui Imperatori Gibellini appellati sunt*, ait *Platina* in *Gregorio* IX. quarum factionum in *Italia* exortum *Sigonius* rejicit sub Imperio *Friderici* I. *Suevi*, duodecimo salutis sæculo ad finem vergente, ut in princip. lib. 13. *de Regno Italiæ*. Hinc *Germanorum* iræ in *Faventiam*, tunc ampliorem, ac 35000. ferè incolarum civitatem, exarsere, quæ tandem in rabiem versæ sub

F anno 1241. quando *Fridericus* II. eam longissimâ obsidione defessam, nullaque auxilia sperantem, & viribus exhaustam, in deditionem recepit, & ex antiqua dignitate dejecit.

Alia præterea exstant, quæ *Romanæ* Reipublicæ mores redolent, quæ uti per Antiquitatis ignaros in sigillo efficta, sic ab antiquissimo exemplari, aut saltem traditione, arbitror emanasse. Omitto *Samniticam* scuti formam, uti toti *Italiæ* tunc usitatam & receptam, & in tesseris gentilitiis No- 96
bilium adhuc magis probatam, de qua *Lipsius Saturnal.*

turnal. lib. 2. cap. 11. utens verbis *Livii*: *Samnites, præter cæteros apparatus, ut acies sua fulgeret novis armorum insignibus fecerunt. Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. Forma erat scuti summum latius, quâ pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali: ad imum cuneatior mobilitatis causâ.* Ovale scutum nunc pingunt parùm laudabiliter. Corona leonis capiti plexa tribus in conspectu quernis foliis supra circulum assurgit, non verò radiis, (ut quibusdam ignaris Pictoribus pingere mos est) quod solis magnis Regibus convenit: quercus enim aptissima erat Victorum corona. Sic in *Rufinum* lib. 1. *Claudianus*,

—— —— si lætior adsit
Gloria, vestitâ spoliis donabere quercu.

Cùm enim hæ *Cisalpinæ Galliæ* robur & firmamentum *Romani* Imperii non semel apud Antiquos sint vocatæ, hæc corona, sic ut vidimus, antiquissima alicujus egregii bellici facinoris præmium est censenda: non enim tantummodo singuli fortitudinis & victoriæ coronas sunt adepti; sed integri quandoque Populi, Cohortes, & Vrbes. *Livius Hist.* lib. 21. *Rhodiorum Populus coronâ aureâ virtutis ergo donatus est.* De quo latiùs *Ca-*
97 *rolus Paschalius* lib. 7. *Coronarum* cap. 9. Quod magis fit clarum ex pampinis totum sigilli scutum coronantibus, de quibus diu, quid sibi vellent, sollicitus, tandem originem inveni ratione palpabilem; per hæc enim vitis folia & ramusculos signari clarissimam victoriam pro *Metello Syllanarum* partium in *Faventia* Duce contra *Carbonem* & *Norbanum* sole clarius apparet: cùm enim, ut aliàs diximus, certamen acciderit, ἀμπέλων πυκνῶν περικειμένων, *vineis densis circumpositis*, ut retulimus ex *Appiani Bellor. Civil.* lib. 1. cum cæde decem millium *Marianorum*, & reliquorum fuga; *Faventinis* auxiliaribus coronæ ex pampinis competebant. *Plinius lib. 22. cap. 6. Nullæ ergo herbæ fuère certæ in hoc honore, sed quæcumque fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles ignotæque honorem nobilem faciebant.* Quod luculentissimè confirmat *Paschalius* dicto lib. 7. *Coronarum* capp. 7. & 16. quæ fuit causa cur obsoletum pampini redimiculum iterum *Faventinis* Insignibus adjecerim.

Latitudo, & Longitudo Geographica.

EClipsis lunaris occasio stimulum injecit hujus
98 periculi faciendi, quippe anno *Christi* vulgaris Epochæ 1668. *Maji* 25. n. 5. observavi *Faventiæ* sub altitudine poli borealis 44. 18′. ut aliàs sæpè inveni, plenilunium eclipticum.

Quo tempore lùna cœpit obscurari à penumbra (quod quidem deprehendi duobus egregiis telescopiis ad hoc paratis, altero palmorum *Romanorum* 22. altero 8.) in ea parte, quæ dicitur *Ricciolo littus eclipticum*, ad nodum orientalem, inveni altitudinem Arcturi, per quadrantem æneum bipedalis radii grad. 24. 50′. & demptis duobus minutis ob refractiones grad. 24. 48′. unde postea ex calculo trigonometrico inveni horam à media nocte 2. 38′.

Quando verò umbra vera excedebat medium lunaris disci, obscuratis nempe tribus illis conjugatis maculis, quæ *Ricciolo* sunt *sinus æstuum*, nempe ad obscurationem digitorum $6\frac{1}{2}$. ferè, inveni altitudinem ejusdem stellæ grad. 16. 46′. &, adhibitâ correctione refractionum, grad. 16. 42′. 15″. & ex calculo triangulorum horam à media nocte 3. 36′. 44″.

Primam à penumbra obscurationem sensibilem à me observatam viderunt *Romæ* D. *Joannes Dom. Cassinus* Astronomus clarissimus hor. 2. 47′. à media nocte, *Parisiis* verò congressus Mathematico- 99
rum ad Bibliothecam Regiam hor. 2. 4′. 35″. ut habetur in *Ephemeride Eruditorum Romana* dict. anni 1668. pagina 130. differentia temporis hujus apparentiæ inter *Parisios* & *Faventiam* 33′. 25″. inter *Parisios* & *Romam* 42′. 25″. inter *Romam* & *Faventiam* 9′. 0″.

Observationem digitorum $6\frac{1}{2}$. viderunt iidem Mathematici *Parisiis* hor. 2. 52′. quam cùm ego viderim *Faventiæ* hor. 3. 36′. 44″. differentia consurgit 44′. 44″. Nec ideo tamen, ex harum differentiarum aliquali inconstantia, observationi meæ est diffidendum, cùm & ipsi observatores *Romani* & *Parisienses* ob tales lubricitates tantumdem ferè exorbitaverint in quibusdam ejusdem eclipseos phasibus; quamobrem monet *Ricciolus* non esse quiescendum observationibus eclipsium, sed etiam itinerarias distantias perquirendas, ut lib. 8. *Geogr. Reform.* pag. 376. ideo ipsa differentia inter *Romam* & *Parisios* minutorum 40. temporis à *Keplero* oscitanter tradita fuit, à *Bulialdo* minutis 8. aucta, & iterum taxata, per hanc observationem iterum in dubium revocari videtur.

Quibus præmissis concludo, non esse temerè discedendum à longitudine *Faventiæ* à *Palma* insula, quam *Ricciolus* ex suis præmissis fundamentis & observationibus eruit gradum 35. 59′. sed 100
tantùm ut aliquid tribuam observationi meæ, vel potiùs ut de omnibus observationibus aliquantulùm dubitem, determinandam esse in numero rotundo grad. 35. scilicet quia illa minutorum 59. assertio majorem requirit præcisionem, quàm quæ ex hujusmodi observationibus acquiri possit.

In reliquis provinciæ locis per itinerariam distantiam, eorumque ad mundi plagas vergentiam respectivam, longitudines & latitudines dijudicabo, & in tabulam redigam.

Magneticæ declinationis inquisitio.

UT subtilem ad mundi plagas vergentiam haberem, magneticam declinationem exploravi, modo sequenti.

Die 24. *Junii* 1669. Divo *Joan. Baptistæ* sacrâ, nimirum circa solstitium æstivum, quando solis declinatio nondum est sensibilis intra paucarum horarum spatium, abii cum viro perillustri D. *Petro Franc. Bertonio* S. T. D. & in hac civitate Philosophiæ Professore publico extra *Faventiam* in locum, cui nomen *Ponte d'Arco*, ibique à R. D. *Laurentio Bertonio* humaniter excepti, & in me- 101
dio campi ad solem optimè expositi firmissimum ac vetustate & crassitie solidissimum asserem horizonti parallelum locavi, & in multorum priùs descriptorum circulorum centro orthogonaliter erexi stilum aurichalcicum palmaris longitudinis, & observavi atque notavi umbræ cuspidis ejusdem stili intersectiones in duobus iisdem circulis, ante & post meridiem, quarum intersectionum ope inventâ lineâ astronomicâ meridianâ, in ea erexi alium brevem & acutissimum stilum, cui superposui optimum versorium satisque longum, recens imbutum magnete, cujus ex optimo Indico genere frustum ad id mihi dono dedit vir candidissimus, amicissimus, & rei geographicæ peritissimus D. *Philippus Raccagnius*, liberéque dimisso versorio, & superposito vitreo poculo, ne ventus versorium agitaret, & repetitâ sæpiùs observatione constanter inveni acum declinare grad. $1\frac{1}{2}$. præcisè à meridiana linea versùs Orientem.

102 *Antiquissima quædam Faventinorum Monumenta, per Orbem Romanum inventa, & ab objectionibus vindicata.*

TOta regio *Faventiæ* sive *Flaminiæ* nomine, iis quos scripsimus limitibus contenta, jure nobilis municipii gaudens, diu mansit indivisa; quod ratio ipsa *Faventiæ* civitatis regioni cognominis suadet. *Faventiam* pro municipio decrevit *M. Varro* lib. 7. *de Lingua Latina*: *Nomina habent plerique liberti à municipio manumissi: in quo, ut societatum & fanorum servi, non servarunt proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici, ut à Faventia Faventinus, à Reate Reatinus, sic à Roma Romanus.*

103 Item *Flaminii*, quod in idem recidit, municipii meminit antiquus Lapis *Forosempronii* apud *Gruterum* pag. 417. n. 6.

C. HEDIO C. F. CLVST. VERO
EQVO. PVBL. PRAEF. EQVIT. ALAE
INDIANAE. P. F. TRIB. MILIT. LEG. II
TRAIAN. F. PRAEF. COH. II. LING. EQ
IIVIR. IIVIR. QVINQ. QVAESTORI
PATRONO. MVNICIPI. FLAMINI
ITEM &c.

Fortè etiam *Ravennatium* nomine vocitata fuit post *Romanæ* Reipublicæ casum, quam similiter pro municipio acceptam invenio apud *Vitruvium* lib. 1. *Architect.* cap. 4. *circum Altinum, Ravennam, Aquilegiam, aliaque, quæ in ejusmodi locis municipia.* Quibus tamen temporibus incolæ universi totius regionis *Faventini* sunt appellati, quorum cùm exstent plures insignes Lapides & Monumenta in toto *Romano* Orbe spectabilia, ex iis plura per me collecta, & ad *Faventiam* civitatem hactenus spectare credita, toti regioni restituo.

Quoniam verò hæc me typis mandante exiit, sive potiùs ad me pervenit Liber, cui titulus *Mar-*
104 *mi eruditi*, Opus Eq. *Sertorii Orsati Patavini*, Viri nobilissimi & *Romanæ* Antiquitatis scientissimi, in quo legitur Epistola per eum scripta ad D. *Julium Cæsarem Tondutium*, *Faventinæ Historiæ* nondum editæ Scriptorem, ubi multa adversùs veram Lapidum intelligentiam adducta sunt, visum est ejusdem Viri objectiones subjicere, & postmodum ordine objecta diluere. Sic ergo dicti Lib. pag. 121.

Se scrissi poi di non credere, che T. Staberio, Tib. Claudio, ed Vlpio Egnatio havessero tolto il cognome di *Faventinus* dalla patria, (perche se lo havessi scritto di L. Valerio lo scrissi male, ed ora ne canto la palinodia) fù perche mi hanno le antiche Inscrizioni insegnato, che volendo gli antichi lasciare in esse memoria della loro patria, lo fecero bene in varii modi, come sono per mostrarle, mà rarissime volte, per quanto hò sino ad ora osservato, togliendosi il nome di quella per loro cognome immediatamente: onde appresso di me; sino ad ora, unica è la memoria eretta à Q. Hortensio Faustino, procurandolo C. Alliano Tiburtino, che così lo nomina il Gru- (Grut. f. 419. n. 5.) tero in quella Inscrizione, che professa havere havuta dallo Smetio, il quale non sò poi se sia lo stesso, che quello, che ella scrive: dal medesimo nominato Cajo Alliano Brundusino: e che certo il Tiburtino da Tivoli lo dimostra; oltre che haverei per risolvere la opposizione una valida diffesa per me, dicendo che essendo stato quel marmo dedicato nel Consolato di Claudio Massimo, e di Cornelio Scipione Orfito, ciò fù l'anno di Roma DCCCCXXIII, di Cristo CLXXIII. ed il terzo decimo dell'Imperio di (Cassiod. Chron. Panvin. Fast. l. 2.) Marco Aurelio Antonino detto il Filosofo; fù in tempo, come le hò motivato ancora, in cui il buon uso delli tre nomi Romani era qua- 105
si che affatto perduto, imponendosi allora il nomi à capriccio e sodisfazione, non già secondo la regola antica, come pure le tocherò più abbasso; che quanto al P. POTES. FLORENTINVS dell' Antonini nelle Antichità di Sarsina da lei allegato, non ritrovando la sua memoria raccolta dal Grutero, ne havendo quell' Autore appresso di me, mi riserbo à dirne la mia opinione, veduta che io habbia quella Inscrizione tutta intiera.

In sei modi adunque, per quello hò sino ad ora veduto, frequentarono gli antichi l'uso di scolpire nelle sue memorie li nomi delle loro patrie. Il primo, e più commune, fù ponendovela in caso assoluto, come *Bononia*, *Mutina*, *Verona*, *Hasta*, *Novaria*, che così, molte in numero, ne marmi nominate si ritrovano, come questo di Firenza, per tutte me ne farà fede,

Q. GARGENIUS
L. F. SCA
CELER
FLORENTIA. MIL
COH. XI. PR
VIX. A. XXVI
MILIT. A. V
H. S. E.
(Gruter. f. 545. n. 8.)

Cioè, *Quintus Gargenius Lucii Filius Scapita Celer Florentia Miles Cohortis Vndecimæ Prætoria Vixit Annos Viginti Sex Militavit Annos Quinque. Hic Situs Est.*

Il secondo fù, quando pure in caso assoluto la patria vi collocarono, mà antepostavi, ò la lettera *D*, ò tutta la intiera parola *Domo*, quale in loco di *Civitate*, prendevano, onde non mancano nelle antiche Inscrizioni, *Domo Arretio*, *Domo Atheste*, *Domo Placentia*, ed altre diverse così dette, come si conosce da questa memoria Bresciana,

Q. BISIVS. SECVNDVS 106
Q. F. DOMO. BRIX
MIL. LEG. X. G. 7. COMINI
CELSI. AN. XXX. STIP. VII
HERED. EX. T. F. C
(Grut. f. 534. n. 1.)

Che vuol dire, *Quintus Bisius Secundus Quinti Filius Domo Brixia Miles Legionis Decimæ Geminæ Centuria Cominii Celsi Annis Triginta Stipendiis Septem Heredes Ex Testamento Fieri Curaverunt.*

Fù il terzo, quando la posero in derivativo, come *Neapolitanus*, *Pisaurensis*, e simili, mà con questa osservazione, che avanti vi si trovava il cognome di chi erà la memoria, onde il nome della patria di cognome non le serviva, e di questo modo di dire, prove non mancano dalle antiche pietre, tanto in Italia, che fuori. In Italia frà le molte, questa di Napoli lo manifesta,

C. PIPERIUS
FELIX
NEAPOLITANVS
BENEFIC
(Grut. f. 585. n. 5.)

Fuori d'Italia frà le diverse, questa di Narbona mi basta.

D. M.
Q. MOENIO
VERECVNDO
NARBONENSI
VET. LEG. VII. GEM
FEL. AELIA. VALEN
TINA. MARITO
(Grut. f. 554. n. 1.)

Il quarto fù, quando dopo il prenome, e nome gentilizio, vi scolpirono la Tribu, nella quale si trovava la loro patria descritta, dopo dedotta Colonia, facendo poi succedere 107
in derivativo il nome della stessa, così fù Vicentino quel

M. ENNIVS. M'. F. MEN. VICENTINVS

Da

Da lei allegato, perche vi è prima la nota *MEN*, che la Tribu *Menenia* dinota, nella quale, per testimonio di Carlo Sigonio fù descritta la Città di Vicenza dopo che, insieme con le altre Città della Gallia Transpadana, fù dedotta Colonia de Cittadini Romani. Così fù *Faventino*, mà di quale *Faventia* gle lo considerò più abasso, quel

De Antiq. Iur. Ital. lib. 3. cap. 3.

L. VAL. L. FIL. GAL. FAVENTINO

perche vi s' interpone frà 'l nome gentilizio, e quello della patria la nota *GAL.* che la Tribu *Galeria* significa, nella quale, à suo luogo, le mostrerò, che fù collocata la Città di Barzellona, che *Colonia Barcino Faventia* fù detta.

Il quinto modo fù, quando dopo il nome della patria in derivativo scolpito, vi aggiunsero la lettera *G.* che da Gioseffe Scaligero viene spiegata per *Genere* in questa Inscrizione,

Indic. Grut. c.20.

L. VALERIVS
L. F. VOL. MATER
NVS. TOL. G
MIL. L. X. G
AN. XXXV
AER. XII
S. T. T. L
H. E. T. F. C

Gruter. f. 565. num. 6.

che non già per insegnare à lei, mà per appagare qualche curioso principiante di questa Laconica, mà erudita lettura, viene da me tutta così spiegata, *Lucius Valerius Lucii Filius Voltinia Maternus Toletanus Genere Miles Legionis Decimæ Gemellæ*, ò *Geminæ*, (che l' uno e
108 l'altro vien letto) *Annorum Triginta Quinque Ære Duodecimo* (che è tanto quanto *stipendio duodecimo*) *Sit Tibi Terra Levis. Heres Ejus Titulum Fieri Curavit*, ò pure, *Hic ex testamento fieri curavit*; tutto che in questa pietra più mi appaghi la prima, che la seconda spiegatura di quelle ultime lettere.

Il sesto ed ultimo fù allora, quando permessero alla patria, in caso assoluto scolpita la parola *Natus*, come questa memoria di Sarsina dimostra,

ARRI. C. F. PVP. NA
TVS. SASSINA. MILES
PR. 7. PVDENTIS
M. XI. VIXIT. ANNIS
CIT. C. ARRIVS
S. LIBERTVS. PATRO
MERENTI. SIBI. ET. SVIS

Gruter. f. 522. num. 8.

che per sodisfare à chi s' applica alla cognitione di così recondita eruditione, così leggo, *Arrius Cai Filius Pupinia Natus Sassina Miles Prætorius Centurionis*, ò *Centuriæ*, *Pudentis Manipuli Undecimi Vixit Annis Circiter Centum Arrius Suus Libertus Patrono Merenti Sibi Et Suis.* Che questa nota 7. *Centurio*, ò *Centuria*, come lo hò spiegata anco nella memoria di Quinto Bisio, appresso gli antichi significasse, lo mostra frà gli altri molti Interpreti delle abbreviature antiche Gioseffe Scaligero; ed io parimente con renderne la ragione nel mio *Commentarius de Notis Romanorum*, già per la Stampa allestito, onde non mi diffenderò hora d' intorno à ciò; tanto più; quanto che sono più che certo, esserle noto l' uso del portarsi in mano da Centurioni Romani un pezzo di vite, e che si raccorda di quel Lucilio Centurione di Tacito detto, *Cedo alteram*, *quia fractâ vite in tergo militis alteram clarâ voce*, *ac rursus aliam poscebat*; onde questo segno 7. vogliono, che fosse espressivo di quella vite nelle memorie de soldati, e che perciò, ò *Centurio*, ò *Centuria* dinotasse.

Indic. Grut. c. 20.

Annal. lib. 1. cap. 23.

109 Se poi, oltre questi sei modi di rammemorare la patria nelle loro memorie, hebbero sodisfazione di lasciare notitia in esse della sua naturale provincia allora, al di lei nome furono soliti di premettere la nota *NAT.*

A che *Natione*, come in molti marmi senza abbreviatura s' incontra, significava, del che questo di Vngaria frà molti ne rende testimonio, che basta,

Q. AVRELIO. FESTINO
NAT. PAN. VET
AVR. GLAVCE. PATRON
ET. CONIVGI
DVLCISS
B. M. P

Gruter. f. 528. num. 3.

che così vien letta, *Quinto Aurelio Festino Natione Pannono*, ò *Pannonico*, *Veterano Aurelia Glauce Patrono & Conjugi Dulcissimo Benemerenti*
B *Posuit.*

Queste sino ad ora, sono i più frequenti modi usati dalli antichi, quando, ò della Patria, ò della Provincia in cui erano nati, intesero di lasciare nelle loro memorie contezza; quali però, tutto che da me con qualche applicazione e diligenza raccolti, non pretendo ad ogni modo che siano li soli usati da essi, perche quanti huomini, tanti pareri; dico bene, che essendo li più praticati e communi, mi hanno perciò indotto à credere, che il *Faventinus*, quale serve di cognome à T. Staberio, Tib. Claudio, ed Vlpio Egnazio, non basti per mostrare che fossero di *Faventia*, e molto meno di quella d' Italia.

C Che poi li cognominati *Faventini* fossero stati così detti, se non per la patria, al meno per altra cagione, che havesse relazione ad essa, come io non sò comprendere questa distinzione, così le dirò di non havere in ciò opinione alcuna: perche frà cose da quei secoli e noi tanto lontane, grandi obscurità si frappongono, solo le considero, che l' esempio di Scipione Africano, e di Cecilio Cretico molto non prova la sua intenzione, rispetto che si sà per qual cagione l' uno e l' altro si havessero questi due nomi di honore acquistati; atteso che l' Africano à Scipione, ed il Cretico à Cecilio fù quel quarto nome, 110
D che agnome gli antichi dissero, ad ogni uno d' essi attribuito per le grandi imprese in Africa ed in Creta ben condotte, onde ne all' uno, ne all' altro, quelli furono li proprii cognomi, perche Scipione l' Africano prima era detto Publio Cornelio Scipione, e Cecilio il Cretico, Quinto Cecilio Metello.

Et acciò conosca, sù quale sicuro fondamento si fermi questa verità, fà di mestiere, ch' ella dia una occhiata alli Fasti Consolari de Romani, restituiti al suo antico splendore dalle felici penne di Onufrio Panvino, e di Carlo Sigonio, e troverà quasi che tutti con il suo terzo nome, che era il cognome, per-
E che il quarto, quale dalle loro grandi imprese à quei più chiari Capitani veniva procurato: ciò accadeva, ò nel tempo della Dittatura, e Consolato, ò dopo. Se lo meritavano nel tempo in cui erano Dittatori, ò Consoli, si registrava ne Fasti il nome loro, con l' aggiunta del quarto nome. Così essendo Dittatore, l' anno di Roma CCCVIII. Q. Servilio Prisco, ed havendo nella Dittatura debellati li Fidenati, l'agnome di Fidenate le fù dato, e perciò ne Fasti così fù egli raccomandato all' eternità.

Fast. lib. 1.

Q. Servilius. Q. F. Sp. N. Priscus, qui in hoc honore Fidenas appellatus est.

Fast. lib. 1.

F Così l' anno CCCCXXIV. vinti, nel secondo suo Consolato, da L. Emilio Mamertino li Privernati, fù egli così registrato ne Fasti:

L. Aimilius L. F. L. N. Mamertinus II. qui in hoc honore Privernas appellatus est.

Mà se meritavano questo quarto nome, cioè l' agnome, ò dopo la Dittatura, ò dopo il Consolato, acciò non restassero defraudati di quella eterna gloria, alla quale mostravano le loro operazioni indrizzate, à nomi loro, già

111 scritti ne Fasti, tosto che il quarto nome decretato le veniva, quello si aggiongeva; e però l'anno di Roma DXLVIII. in cui fù Console P. Cornelio Scipione, detto dopo l'Africano, stà egli in questa guisa ne Fasti scolpito;

P. Cornelius P. F. L. N. Scipio, qui postea Africanus appellatus est.

E l'anno DCLXXXIV. in cui fù Console Q. Cecilio Metello, dopo Cretico nominato, così il suo nome ne Fasti si legge,

Q. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus, qui postea Creticus appellatus est.

prove; che, non volendo quivi registrare quanti si trovano ne Fasti con questa distintione, mi bastano, per far vedere, che come si hà chiara notitia, perche Scipione e Cecilio furono Africano e Cretico detti, così prima di questi nomi di honore havevano il loro terzo nome, che fù il cognome instituito da Romani, ed usato, come fà conoscere il Panvino per necessità, quale se nelli suoi Faventini si trovasse, non haverei havuta mai difficoltà alcuna, nel crederli essi ancora da *Faventia* denominati.

Panvin. de antiq. Rom. Nom.

Ne serve il dire, che non si saprebbe Ottavio essere stato cognominato *Thurino*, se non ne havesse Suetonio lasciata la memoria, perche oltre che si potria dire lo stesso di tutti li Romani, se tanti antichi auttori non havessero fatto il simile; si sà tuttavia, che ad Ottavio: *Cognomen Thurino inditum est, in memoriam majorum originis, vel quòd in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adversùs fugitivos rem prosperè gesserat*; oltre, che in certo modo, pare che lo stesso Ottavio, dopo che fù adottato nella Gente Giulia, e reso capace dell' Imperio, procurasse di occultare questo cognome, che più tosto le veniva dato per derisione, sapendosi bene, che egli fù *à M. Antonio in epistolis per contumeliam sæpè Thurinus appellatus.* Mà osservi lei per grazia il Casaubono, nelle Note à Suetonio sopra quelle parole poco anzi citate, *quòd in regione Thurina recens nato*, &c. e vedrà come questo quarto nome traheva la sua ori-
112 gine, mentre dice. *Simul observa nominalibus non fuisse imposita cognomina: sed postea ex occasione captatum omen, aut decus.* Osservazione, che basta per dimostrare, come oltre il prenome, nome gentilizio, e cognome necessario à tutti quelli, che non erano servi, e che obbedivano, e vivevano all'uso della Republica Romana, *postea ex occasione captatum omen, aut decus*, il quarto se li aggiungeva, il che potriasi dire delli *Faventini*, quando prima di questo con un' altro cognome si ritrovassero.

Suet. in Aug. cap. 7.

Suet. loc. cit.

Tuttavia, quando senza fare alcuna stima delle cose dette, si volesse dire, che T. Staberio, Tib. Claudio, ed Vlpio Egnatio, perche cognominati *Faventini*, perciò furono di *Faventia*; questa proposizione si dovrebbe auverrare in quanti di ogni sesso si trovano con tale cognome, e pure diversi ne trovo appresso il Grutero, da lei non ramemorati; quali tutti risolvo di portarle sotto l'occhio, con li tituli che hebbero, oltre quella *Valeria Faventina*, e quel *Q. Giulio Faventino*, quali si leggono appresso lo stesso auttore, registrati in due grandi Inscrizioni, che troppo stancherebbero qui, trasportandole per la loro prolissità.

Grut. f. 509. num. 1. f. 627. num. 2.

Trovo adunque nella gente Cornelia un Marco Cornelio Faventino, la di cui memoria vien detto essere,

Blandæ Hispan.

M. CORNELIO
FAVENTINO
SEVIRO
CORN. FAVENTIN
FRATRI

Grut. f. 396. num. 2.

A Nella gente Furia trovo un L. Furio Faventino, la di cui Inscrizione viene riposta,

Extra Tarraconem in Ecclesia Sanctorum. 113

L. FVRIO. L. F
FAVENTINO
SVBVRITANI
PVBLICE

Grut. f. 414. num. 3.

Ne hà uno la gente Cantilia, chiamato Tib. Cantilio Faventino, la cui memoria viene scritto essere,

In Hortis Mediceis.

B

TI. CANTILIVS
FAVENTINVS
FECIT. SIBI. ET
CANTILIAE. PRI
MITIVAE. CONIVG

Grut. f. 767. num. 9.

Nelle genti poi Otacillia ed Herennia due donne co 'l cognome *Faventina* ritrovo, e pure la gente Otacillia non è da sprezzarsi tanto, havendo havuta una Imperatrice, che fù Martia Otacillia Severa, moglie di M. Giulio Filippo; la memoria adunque di Otacillia Faventina si ritrova,

C Aventici in Monasterio, cui nomen Munchwyler.

OTACILLIAE. FA
VENTINAE. VXO
RI. M. OTACILLIVS
IIIIII. VIR. AVG......
BSA. VIVA..........

Grut. f. 446. num. 5.

E quella di Herennia si dice vedersi,

Beneventi in Caupona Ioh. Cornei juxta ædes Abbæ Nicolæ Zotti. 114

D

C. HERENNIVS
C. L. PYRAMVS. FE
CIT. SIBI. ET
HERENNIAE. TISBE
NI. CONIVGI. SVAE. ET
HERENNIAE. FAVENTINAE
LAVRO
ET. QVINTAE. SVIS

Grut. f. 978. num. 3.

Mà quì m'insorge una difficoltà forse d'ogni altra maggiore, & è che dato anco, che li sopra nominati tutti havessero havuto il cognome *Faventinus*, *Faventina* dalla patria, non è poi così facile il dire, che fossero più di *Faventia* d'Italia, che di *Barcino Faventia*, che vuol dire Barcellona di Spagna. Che Barcellona sia stata E chiamata anco *Faventia* non ne mancano testimonii antichi e moderni. Frà li antichi Plinio descrivendo la Spagna in universale, ramemora, *Vesci, quod Faventia*, e so conferma Tolomeo, dicendo, *Vescis, Vesci, Faventia* & *Plinio*, che così vi aggiunse chi le fece le note alle tavole; lo stesso Plinio poi descrivendo la Spagna Citeriore, soggiunse: *In ora autem, colonia Barcino, cognomine Faventia.* Frà moderni poi diversi se ne trovano, mà mi basta per ora Antonio Agustini nato Spagnuolo, e nelle più erudite e recondite Antichità di Roma, e della Spagna singolarmente versato; questi di Barcellona parlando, ne suoi Dialoghi, in Italiano portati; lasciò scritto, *Colonia Barcino Faventia, ora Barcellona*; ed in F altro luogo spiegando queste abbreviature CCL. F. I. A. P. BARC. le lesse, *Colonia Faventia Julia Augusta Pia Barcinonis*; il che quando così sia, come penso non vi essere luogo per dubitare, hò gran motivi per credere li cognominati *Faventini* più tosto Spagnuoli, che Italiani: 115 tralascio di dire, che questa mia opinione viene fiancheggiata dalle memorie di molti di quelli, che per lo più nella Spagna sono conservate, perche mi basta, per fondamento della medesima poter mostrare, che quel L. Valerio Faventino da lei della sua Fa-

Hist. Nat. l. 1. c. 1.
Geog. lib. 2. cap. 2.
Hist. Nat. l. 3. c. 3.
Antichità di Spa. Dial. 6. Dial. 9.

Faventia creduto, fù più tosto *della Colonia Barcino Faventia.*

Per il che fare convien che si sappia, come le Città, tanto d'Italia, che fuori, quali venivano dedotte Colonie de Cittadini Romani, che fuori d'Italia *Juris Italici* furono chiamate, havevano facoltà di dare in Roma il voto nelli Comizii, mà come gli habitanti tutti di quella Città, quali non erano, ò Servi, ò Ceriti, per evitare la confusione, che della moltitudine è figliola, si trovavano rassegnati sotto la loro propria Tribu, con la quale essa chiamata, andavano à dare li suffragii: così dedotta alcuna Colonia con la facoltà del voto, ad effetto di sfuggire la preaccennata confusione, essa ancora in una delle Romane Tribu registrata veniva; e perciò si vede Padoua e Brescia descritte nella Tribu Fabia, Milano e Como nella Ufentina, Bologna nella Lemonia, Verona nella Poblilia, Vicenza nella Menenia, e così altre in altre Tribù tanto in Italia, che fuori, per tutto dove la Romana potenza si estese. Verità, che come accettata da tutti senza contrasto, così non ha bisogno di altre prove, che delle somministrate in abbondanza dalli antichi marmi; per tanto dedotta Colonia *Juris Italici*, al tempo di Ottaviano Augusto (che così insegnano le lettere che dissi, poc'anzi havere interpretate l'Agustino, *Julia Augusta*) la *Colonia Barcino Faventia*, acciò li Cittadini di quella trovandosi in Roma potessero come li Romani participare dell'honore conferitoli del voto, senza disordine, ne Comizii descritti vennero nella Tribu *Galeria*, non meno che quelli di Tarracona, e di altre Città della Spagna Citeriore, il che manifestamente si comprende da questa memoria,

L. 1. & 8. ff. de Cens.

L. ff. eodem.

116 Barcinone ad flumen S. Joannis in ædibus Vilanæ.

Grut. f. 424. num. 3.

C. IVLIO. C. F. GAL
PAVLINO
BARC
OMNIB. HONOR
IN. REP. SVA. PER
FVNCTO
MARITO
BENIGNISSIMO
KARISSIMO
SERGIA. FVLVIA
L. D. D. D.

Se Barcellona adunque era, come dimostra questa, ed altre memorie, da me per brevità tralasciate, mà che appresso Giano Grutero vedere si possono, nella Tribu Galeria rassegnata; attesoche non vi è fatica per intendere, che le prime abbreviature del marmo vogliono dire, *Cajo Julio Cai Filio Galeria Paulino Barcinone*, ò *Barcinonensi*. E se per sentimento di Plinio, di Tolomeo, e dell'Agustini, era ancor detta *Colonia Barcino Faventia*: chi non vede, che quel L. Valerio Faventino, quale ella vorebbe esser di *Faventia* d'Italia, e la di cui memoria, per testimonio del Grutero che l'ha raccolta, si ritrova nella Spagna Citeriore, se non in Barcellona, almeno in Catalogna, di cui Barcellona è capo, più tosto viene ad essere Barcellonese che altro. Sì perche era descritto nella Tribu Galeria, nella quale non trovo collocata la *Faventia* d'Italia, che non solo in alcuna Tribu, mà ne meno Colonia de Romani, di qualsivoglia condizione, l'hò per anco ritrovata: sì perche la sua memoria nella Spagna si ritrova, ed in oltre perche l'osservo cognominato Faventino, nella stessa forma che si trova il *M. Ennius. M'. F. Men. Vicentinus*, da me portatole, nel quarto modo delle varie denominazioni delli antichi.
117 E se detto mi fosse, che quello non era di Barcellona, perche la sua memoria in quella Città non si trova: oltre che questa ragione non vale per levare la patria ad uno, attesoche molti accidenti le possono haver fatto lasciar la vita lunge da quella, allora io risponderei, adunque il *Faventinus*, ne à lui, ne ad altri la patria denota, ne può essere di *Faventia* d'Italia, chi è se non di Barcellona, almeno Catalano, che come osservai è lo stesso. E se bene sò, che non mi sarà negato essere questo L. Valerio più Spagnuolo, che Italiano, ad ogni modo, perche si possa far giudizio più pesato delle mie congetture, voglio quì la sua memoria registrare, con quello stesso titolo, che dal Grutero è stata raccolta,

Exonæ in Cathalonia.

Grut. f. 478. num. 9.

L. VAL. L. FIL
GAL. FAVENTINO
II. VIRALI
QVI . ANNONA
FRVMENTARIA
EMPTA . PLEBEM
ADIVVIT. ET. OB
ALIA. MERITA. EIVS
COLLEGIA . KALENDA
RIORVM. ET. IDVARIA. DVO
CIVI . GRATISSIMO
POSVERVNT

Tutto ciò mi hà suggerito la mia debolezza, per aggiungere à quello, che altra volta congetturai d'intorno alla parola *Faventinus*, pregandola però à non ricevere le mie considerazioni in altra guisa, che come tratti d'un fiacco intendimento, ed insieme à non mi accusare di troppo ardito, se così apertamente contrasto al suo desiderio, protestandomi à tutto il Mondo, che come non sono buono per criticare alcuno, mà ben sì 118
per essere criticato da tutti, così sopra di quello non haverei mai fatte tante considerazioni, se non havessi creduto di obbedirla, in confermazione di che, quando non lo appaghino, e s'opponghino alle sue erudite fatiche, può lasciare assorbire quanto hò scritto da un vorticoso Lete, che mi sarà sempre grazia sopragrande, amando io più di vedere consolate le sue virtuose sodisfazioni, che mai considerate le mie fievoli opinioni, accertandola, che il fine, quale mi hà fatto diffondere tanto, non hà havuta altra mira, che di porgerle motivo di prepararsi alla diffesa, quando, in tempo alcuno, le venissero fatte opposizioni, ed in particolare quella che può nascere dalla *Colonia Barcino Faventia* di Plinio, quale dal mio fiacco giudizio, è creduta irressolubile. Che quanto alla memoria di Vlpio Egnatio Faventino potrei prima dire, che Egnatio à lui forse fù cognome nella guisa appunto, che le hò considerato scolpirsi dalli antichi nel terzo delli sei proposti modi: attesoche si sà esservi stata la gente Vlpia, della quale fù Trajano Imperatore, che prima di essere da Nerva adottato M. Vlpio Trajano si nominava, e per consequenza il *Faventinus* essere stato ad Egnatio in luogo della patria, tanto più, quanto che sì sà, che li Vlpii furono Spagnuoli. Indi potrei soggiungere, che quell' Vlpio Egnatio visse in tempo (cioè imperando Valente e Valentiniano, che così la sua memoria insegna) nel quale li Romani havevano affatto perduto l'uso delli trè antichi nomi, prenome, nome gentilizio, e cognome. Verità che si può dalli Fasti, non meno che dalli marmi di que' tempi distintamente comprendere, osservandosi in essi, non tanto nella età di Vlpio Egnatio, mà, come le toccai di sopra, più d'un secolo avanti, che non all'uso antico, mà à capriccio e propria sodisfazione s'imponevano li nomi, tanto più, quantoche, se ben lui fù Gentile, la Cristiana Fede molto era allora aggrandita, ed appresso della quale ciò che fù prenome, nome gentilizio, e cognome, appresso gli antichi, venne in nome proprio cangiato.

Grut. f. 270. num. 4.

Panvin. de antiq. Rom. Nom.

119 Quibus ut pro temporis brevitate respondeam, & obsequio, quo Virum doctissimum prosequor, semper incolumi, dico pro ea, quæ antiquitatem involvit, obscuritate, ex qua evenit, omnem assertionem esse periculosam, proque longiori veterum Scriptorum & Monumentorum lectione, hæc axiomata deduci posse; quibus positis, sua *Faventiæ* regioni controversa Monumenta restituantur.

ΑΞΙΩΜΑ I.

Non omnes antiqui Romani, nec semper cognomine usi.

Omissis antiquissimis Regum *Romanorum* temporibus, venio ad Gentem *Carisiam*, *Coponiam*, *Curiatiam*, *Didiam*, & *Antoniam*, quas *omisso omni cognomine, solo priori, ac gentis nomine inclaruisse* observat *Spanhemius de Præst. & Usu Numism. Antiq.* pag. 162. Et *Angelus Politianus* cap. 31. *Miscell.* explicans illud *Juvenal. Sat. 5.*

Et ponere foras, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina, —

affirmat habentem tria nomina, accipiendum esse pro liberto & ignobili viro, qui, si in convivio garrire voluerit, ejicietur; quod sensui magis favet, quàm nobilem virum ex convivio, si loquatur, extrudi. Subdens, *cæterùm tria nomina nec soli habebant nobiles, nec universi, sed hi potiùs, arbitror, qui è servitio manumittebantur.* Et antiquus *Persii* Scholiastes apud me ms. *Sat.* V. ad illud;

— — — exit
Marcus Dama, — —

120 sic explicat: *id est, Civis Romanus, & dicit Marcus Dama, quod binomium est, ad differentiam Servi & Romani Civis; quia Servi solummodo unum nomen habebant, Cives autem Romani duo, vel tria.* Immò cognominis impositio ad populum & vulgum spectasse videtur: pluribus enim de causis viros sæpè visos & observatos arbitrario quodam nomine designandi occasionem captabat. Sic *Horat. Serm.* lib. 2. Sat. 3.

— unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. —

Et hanc esse causam & rationem puto, quare fœminæ prænomine destitutæ, rarissimè etiam cognomine fuerint distinctæ. Ipsi Lapides antiqui loquuntur, in quibus sæpè exhibentur Inscriptiones absque cognomine, quas longum & inutile esset recensere, sed sufficiat quasdam indicare, veluti C. ALLIANI TIBVRTINI apud *Grut.* pag. 419. num. 5. M. VLPII PRAENESTINI apud eumdem pag. 716. num. 4. P. AELII PVTEOLANI pag. 665. num. 5. L. TIBVRTII SABINI pag. 956. num. 4. M. AVRELII ROMANI pag. 762. num. 3. Q. CANVSII PRAENESTINI pag. 935. num. 9.

Sassinæ in Ecclesia Cathedrali.

P. POTES
FLORENTINVS
MVN. SASS
CONTVBERN
BENE. DE. SE
MERITAE

ex *Phil. Antonino* in *Antiquit. Sarsinæ* cap. 5.
121 pag. 30. nisi tamen *Potes* sit cognomen, & nomen desit, & alia præterea, ubi tamen Eq. *Orsatus* plerumque interpretatur ea esse cognomina, quæ à nomine patriæ derivantur; de quibus inferiùs.

A Ex quibus omnibus excluditur illa cognominis necessitas, quam D. Eq. *Orsatus* adstruere conatur *pag.* 132. & quam excludunt Lapides ipsi, in quibus sæpissimè prænomen, nomen, & post Tribum patria ponitur.

ΑΞΙΩΜΑ II.

Tribum, in qua quis esset adscriptus, nec semper fuisse expressam, nec necessariò exprimendam.

Consularium Virorum atque familiarum Lapides aut rarissimè, aut nunquam Tribum exprimebant; quod ab Inscriptionibus docemur, cùm
B tamen ipsos in aliqua Tribu adscriptos sciamus, exceptis Tribubus urbanis, à quibus ad rusticas tota nobilitas transivit, *Serv. Tullio* Rege, quod observat *Panvin. de Civit. Rom.* pag. mihi 197. Inferioris verò ordinis hominum exempla ipsæ passim Inscriptiones subministrant.

ΑΞΙΩΜΑ III.

Ex eadem civitate, vel regione, non omnes in Tribu adscripti, neque in eadem: neque in Lapidibus ea Tribus expressa, in qua scribentis patria esset censita.

C Si enim omnes & universi incolæ unius regionis, vel civitatis, in quadam Tribu adscripti essent, magnus profectò fuisset in ferendis suffragiis tumultus, quare puto meliores tantùm delectos; sed hoc magis evincitur, quia si omnes certæ cuidam Tribui fuissent assignati, absurdum utique fuisset ex eadem civitate diversis Tribubus 122
annumerari; quod cùm verum sit, sequitur, non omnes ejusdem loci incolas vel originarios suffragii fuisse participes, & sic à Tribu exclusos. Probo verò quòd ex eodem loco alii fuerint in diversam Tribum adsciti.

D Fragmentum magni Lapidis sub ponte Faventiæ,

T. CAECIVS. C. F. POL. P.......
Q. CAECIVS. C. F. POL. P......
MARIA. T. F. MA........

Superfluum fuisset *Q. Cæcium* asserere in Tribu *Pollia*, cùm jam dictum fuisset *T. Cæcium* ejus fratrem in eadem Tribu, si omnes fratres vulgari more in eadem Tribu fuissent; sed magis urgeo. Ex *Sigonio de Ant. Jur. Civ. Romanor.* lib. 1. cap. 3. pag. mihi 18. colligo *Sabinos Ocriculanæ* & *Crustuminæ* Tribui adscriptos: hoc verò
E quadantenus excusari posset, sed pergo.

Lapis Mutinæ, ex Panvin. de Civ. Rom. p. 260.

P. VETTIO. P. F. CAM
SABINO. EQ. P
IIII. VIR. AED. POT
ET. MAG. MAN. RAVEN
CORNELIA. MAXIMINA
MARITO. INCOMPARAB
ET. SIBI. VIVA. POSVIT

In via Appia, ex Grutero pag. 1041. num. 14. 123

F C. CAERELLIO. C. F. FAB. PVLCHE
RIANO. SABINO. VIX. AN. LXXI. M
IIII. D. VIII. H. VII. C. CAERELLIVS
RAVCVS. SABINVS. SARCOPHAGVM
FECIT. MARMOREVM. VI. NONAS. MAI
M. IVNIO. SVLLANO. ET. L. NORBA
NO. BALBO. COSS
H. M. D. M. A

Si hìc repetatur Lapis, quem adduxi *pag.* 4. *M. Gavii Palat. Sabini*, habebimus ex eodem loco

co quinque Tribubus adscriptos, nempe, *Crustuminæ*, *Ocriculanæ*, *Camillæ*, *Fabiæ*, & *Palatinæ*; quod cùm sub ipsis *Romæ* mœnibus sit usitatum, non est ambigendum an ex *Romano* more. Prætereo quòd potestate in unum redactâ inutile fuit in Tribubus recenseri, cùm Imperatoribus animus fuerit *munia Senatus*, *Magistratuum*, *legum in se trahere*, *nullo adversante*, ut ait *Tacitus Annal.* lib. 1. cap. 2. exceptis paucis quibusdam commodis & liberalitatibus, quæ tamen fecerunt ut Tribus emerentur. l. 35. D. de legatis tertiò.

ΑΞΙΩΜΑ IV.

In Lapidibus tertio loco posita nomina, à loco, regione, vel urbe derivata, esse in dubio, potius ad patriam, quàm ad cognomen referenda.

Dixi, in dubiò, quia hoc intelligendum est cum distinctione: aliqui enim à devictis, vel servatis provinciis & nationibus cognomina sumpsere, veluti *P. Cornelius Scipio Africanus*, de quo *Livius Hist.* lib. 30. cap. 45. *Primus certè hic Imperator nomine victæ abs se gentis est nobilitatus; ex-*
124 *emplo deinde hujus, nequicquam victoriâ pares, insignes imaginum titulos claraque cognomina familiæ fecere.* Ex quibus benè consideratis labitur totum illud fundamentum *Fastis Consularibus* innixum, ex quo nititur adstruere hæc cognomina decreto publico data, cùm *Livius* dicat primum fuisse *P. Scipionem*, & *Panvinus* ante id tempus ea tradat, quæ perinde fictitia censenda sunt, & verè quæcumque adducuntur ad id ex *Fastis*, non rubeo caractere, sed nigro sunt impressa, id est, non ex Lapidibus Capitolinis hausta, sed à *Panvino* excogitata; cùm idem *Livius ibid.* luculentissimè dicat: *Africanum cognomen militaris priùs favor, an popularis aura celebraverit, an sicuti Felicis Sullæ, Magnique Pompeji, Patrum memoriâ, cœptum assentatione familiari sit, parùm compertum habeo.* Sequioribus temporibus talis adulatio certè invaluit: unde *Ovidius Fastor.* lib. 1.

Si petat à victis, tot sumet nomina Cæsar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.

Cæterùm ipsi *Fasti* suppeditant exempla Consulum *Romanorum* absque cognomine, cum nomine patriæ post nomen, quod gentilitium vocant. Anno ab V. C. 325.

L. SERGIVS. C. F. C. N. FIDENAS........III

Et hæc scripta sunt rubeo caractere. Item anno V. C. 360. inter Tribunos militares,

SER. SVLPICIVS. SER. F. SER. N CAMERINVS
V.C.379. P. CLOELIVS. SICVLVS
430. Q. AVLIVS. Q. F. Al. N. CERRETANVS
566. CN.MANLIVS.CN.F.L.N.VVLSO

Et alii præterea, qui visuntur tam in *Fastis*, quàm in Lapidibus.

125 Illud etiam non est prætermittendum, consuevisse Antiquos cognomina habere à patria orta. Sic *Carolus Sigonius* in Tractatu *de Nominibus Romanorum* inter alias cognominis occasiones hanc recenset: *A loco unde commigraverint, aut ubi nati sint, aut ubi habitaverint:* & inter alia exempla adducit illud: *Sabinus Regillensis, vel Regillanus, ut est apud Suetonium, Appius Claudius dictus, quia ex Regillo Sabinorum oppido venit. Livius.* Nec tamen hinc ideo sequitur hæc, vel similia oppidorum, vel regionum significativa nomina semper esse pro cognominibus accipienda, nisi id ratio, vel conjectura suadeat. Cùm enim cognomina ad majorem & expeditiorem personarum cognitionem & distinctionem sint inventa, ut idem *Sigonius* innuit his verbis, *valuit autem in primis hic cognominum usus ad confusam (ut ostendi) gentium turbam distinguendam*; non benè distinguebantur per nomen patriæ homines, cùm ex eadem patria plures essent eodem prænomine & nomine gentilitio nuncupati. Lapis vet. apud *Gruter.* p. 862. n. 5. meminit plurium, inter quos *C. Cæcilius Felix*, *C. Cæcilius Vrbicus*, & *C. Cæcilius Maternus:* quos ideo suis quemlibet cognominibus distingui necesse fuit: quæ necessitas non fuit ut exterum *Romæ*, aliave in civitate degentem, & prænomine, ac nomine, personam satis distinguente insignitum, tertio nomine ad illum distinguendum vocitarent. Sic in *Sext. Roscio Amerino Cicero* illud *Amerinum*, non ad cognomen, sed ad patriam refert in *Oratione* pro eodem, *Sextus Roscius pater hujusce, municeps Amerinus.*

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Quibus omnibus sic rectè ponderatis, nescio quid obstet, quominus *Faventinos*, in Lapidibus cele- 126
bratos, ex *Faventia* ortos, aut ad minimum oriundos faciamus. *Paul. Manutius* in *Comment. ad epist.* 16. *lib.* 4. *ad Atticum* ad illud *C. Pontinius*, quod tamen est gentilitium nomen, sic subjungit, *& videtur ab urbe derivatum nomen: nam ut à Gabiis Gabius, & inde Gabinius, sic à Pomætia Pomptinus, & Pomptinius, sive Pontinius.* Quid autem adversatur, cur non à *Faventia* deducatur *Faventinus*? maximè etiam cùm *Romanum* morem magis sapiat regione oriundos non *Faventia*, sed *Faventinos* indigitari, ut aliàs inculcavi, non solùm ex mea, sed doctorum Virorum ac *Josephi Scaligeri* auctoritate, qui idem observat in *Not. ad fragmenta* post Opus *de Emend. Temp.* pag. 31. Editionis 2. ad illa verba *Solini*, *Elissa mulier exstruxit domo Phœnix*, ubi subjungit *Scaliger*, *Quid est domo Phœnix? sanè dicendum erat, Elissa natione Phœnissa, domo Tyro.*

Quibus consentiunt veteres Lapides; qui enim cognomen non habebant, nec certæ Tribui erant adscripti, necessariò patriam tertio loco ponere debuerunt, eóque magis, quia necessitatem tertii nominis exclusi, deque exprimenda Tribu, ultra ea quæ dixi, est etiam habenda ratio, cùm *Faventia* municipium esset, ut satis docui, nullæ certæ Tribui fuisse adscriptam, sed suo jure utentem, tandem jus suffragii *Romæ* adeptam, cùm omnis *Italia* civitate donata est post latam legem *Juliam* de civitate: nisi & plerique *Faventinorum* Lapides eversâ Republicâ incisi, quando nullus antiquitatis ordo supererat. Ex tot enim exprimendi patriam modis per D. Eq. *Orsatum* subtiliter inventis, & aliis etiam fortè non inventis, ego non certam quamdam regulam, sive regulas deducendas censeo, sed potiùs arbitrariam licentiam suo cuique modo rem perficiendi ex animo, vel Do- 127
minorum, vel Grammaticorum, vel Architectorum.

Reliquum est verò, ut *Faventinos* in Lapidibus expressos ad *Faventiam Italiæ* spectare ostendam, ad quod sic procedo. *Romanæ* Historiæ Scriptores quotiescumque nominaverunt *Faventiam*, de *Faventia Italiæ* intelligunt; quod exemplo confirmo. *Spartianus* in *Hadriano: Palma Terracinæ, Celsus Bajis, Nigrinus Faventiæ, Lucius in itinere, Senatu jubente, invito Adriano occisi sunt.* Nos enim aliunde scimus, & alibi probabimus, *Domitium Nigrinum Faventinum* fuisse, & *Faventiæ* interfectum: & equidem *Faventiæ* nomen referre ad *Barçinonem* cognomine *Faventiam*,

etiam, & quæ suo vulgato nomine *Barcino* dicta est, & *Faventiam Italiæ* tali nomine celeberrimam declinare, ita à ratione alienum videtur, ut nihil confusius, nihil absurdius: quod ab ipsis Historicis ad vitandas difficultates fuit animadversum. *Livius* in simili casu *Hist.* lib. 31. cap. 46. *Larissamque* (*non illam in Thessalia nobilem urbem*, *sed alteram*, *quam Cremasten vocant*) *subito adventu præter arcem cepit.* Sed ulteriùs.

Faventiæ cognomen *Barcinoni* inditum, & *Vescis Hispaniæ* oppidis ab incolis *Faventinis* ex *Italia* illuc deductis affirmo, & sic probo. *Plinius Hist. Nat.* lib. 3. cap. 3. citerioris *Hispaniæ* oppida enumerans ait: *In iis colonias* XII. *oppida Civium Romanorum* XIII. *Latinorum veterum* XVII. & deinde, *colonia Barcino cognomine Faventia*; item, *in Hispania Bætica*, *Vesci*, *quod Faventia.* Hæc nomina bonæ ominationis causâ *Hispanis* oppidis imposita, quidam Recentiores autumant, nullâ suffulti ratione, vel auctoritate: cùm vero ex *Plinio* sciamus multas in *Hispania* fuisse civitates vel oppida à populis vel oppidis *Italiæ* nominata, vel
128 cognominata, veluti *Julia*, quæ *Fidentia*; *Virgao*, quæ *Alba*; *Illipula*, quæ *Laus*; *Artigi*, quod *Julienses*; *Illiturgi*, quod *Forum Julium*; *Hispalis* colonia cognomine *Romulensis*; inter æstuaria *Bætis* oppidum *Nebrissa* cognomine *Venetia*, *Subur*, *Cerretani*, oppida Civium *Romanorum*, *Betulo*, *Illuro*, flumen *Larvum*, *Blandæ*; cessat suspicio assumpti à bona ominatione nominis, quia licèt hæc ratio asseri posset de *Faventia* à favere, quamvis insulsè, tamen verificari non potest de tot aliis *Latinis* nominibus bonam ominationem non significantibus: quemadmodum verò idem *Plinius Hist. Nat.* lib. 3. cap. 1. sic ait: *Celticos à Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est*, *Sacris*, *Lingua*, *oppidorum vocabulis*; & *Sigismundus Gelenius* in *cap.* 5. *ejusdem lib.* 3. *Verisimile est autem eam solam indigenarum fuisse*, *reliquas duas à Pœnis colonias deductas*, *& à deductoribus denominatas*, *vocabula Punica indicant*; ita sequitur etiam à *Faventia Italiæ Barcinonem* cognominatam *Faventiam* fuisse; sic *Carolus Stephanus* in *Diction. Geograph. Barcino*, *colonia Faventia dicta.*

Etenim *Augustus*, qui *Barcinonem* coloniam deduci fecit primo Imperii sui anno, *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum abs se frequentavit*, ut aliàs ex *Sueton.* cap. 46. si extra *Italiam* colonias deducere voluit, ut multas in *Hispania* & *Gallia* deduxisse scribit *Dio. lib.* 54. & *Xiphilinus* in *Augusto*, *Italicis* colonis opus habuit, eisque terras patriis regionibus conformes & similes assignavit; quod optimè dignoscitur ex concessis *Venetæ* nationi æstuariis.

Romanis verò in more fuisse in deducendis coloniis integros ejusdem nationis ordines cum suis Ducibus mittere, clarè colligitur ex *Taciti Annal.* lib. 14. cap. 27. ubi de deductis *Antium* & *Ta-*
129 *rentum*, *Neronis* tempore, sic ait: *Non enim*, *ut olim*, *universæ legiones deducebantur cum Tribunis*, *& Centurionibus*, *& sui cujusque ordinis militibus*, *ut consensu & caritate Rempublicam efficerent*; *sed ignoti inter se*, *diversis manipulis*, *sine Rectore*, *sine affectibus mutuis*, *quasi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti*, *numerus magis*, *quàm colonia.* Legiones verò ex eadem natione exstitisse liquidò constat ex *Veget. lib.* 2. *cap.* 2. & hinc tollitur illa difficultas, & ratio redditur cur *L. Valerius* licèt *Faventinus* ex *Italico* municipio, tamen in Tribu *Gal.* fuerit adscriptus, in qua perhibetur fuisse *Barcino*, nempe quia coloniæ deductæ Duumvir.

Cæterùm deficientibus colonis *Faventinis*, *Barcino* cognominari desiit *Faventia*; neque enim, ante vel post *Plinium*, alium inveni, qui tale nomen usurpet, nec ex *Barcinonensibus* alius se *Faventinum* vocasset, nisi qui à *Faventia* ortum duceret ob memoriam antiquæ patriæ; ut *Hadrianus* Imperator, quem ideo sic cognominatum esse scimus, quòd *Hadriâ* oriundus esset. *Spartianus* in *Hadriano*: *Origo Imperatoris Hadriani vetustior à Picentibus*, *posterior ab Hispaniensibus manat*, *siquidem Hadriâ ortos majores suos apud Italicam Scipionum temporibus resedisse in Libro vitæ suæ Hadrianus ipse commemorat.* Colonias verò deficientibus colonis ipsas quoque defecisse patet ex *Tacito Histor.* lib. 1. cap. 78. *Hispalensibus & Emeritensibus familiarum adjectiones*, *Lingonibus universis civitatem Romanam*, *provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit*; & de *Puteolis* coloniæ jus & cognomentum à *Nerone* adeptis refert idem *Tacitus Annal.* lib. 14. cap. 27. quos tamen coloniam deductos anno V. C. 560. observat *Lipsius* ex *Livio* & *Vellejo*; & *Frontinus* coloniam *Augustam* recenset.

Neque gratum fuit civitatibus in colonias con- 130
verti; quod liquet exemplo *Prænestinorum*, qui à *Tiberio* impetrarunt, *ut ex colonia in municipii statum redigerentur*, prout refert *Aul. Gellius Noct. Attic.* lib. 16. cap. 13. quamobrem *Barcinonenses* etiam *Faventiæ* nomen odisse credendum est; quod testatur Lapis *C. Julii Paulini*, qui se non *Faventinum*, sed *Barcinonensem* vocat, apud *Gruterum* pag. 424. num. 3. ab ipso D. Eq. *Orsato* adductus; cui alterum addo simile, & quod maximè rem demonstrat, de qua disputamus:

Lapis in Hispania, apud Gruterum pag. 458. n. 5.

L. PORCIVS. L. F. GALERIA. STILO
OBVLCONENSIS. ANN. LXV.
AEDILIS. II. VIR. DESIGNATVS. P. I. S
H. S. E. S. T. T. L.
HVIC. ORDO. PONTIFICENSIS. OBVL
CONENSIS. LOCVM SEPVLTVRAE
IMPENSAM. FVNERIS. LAVDA
TIONEM. STATVAM. EQVE
STREM. DECREVER

Hinc nullo labore assequi licet, quis usus esset in *Hispania* quoad exprimendam in Lapidibus patriam, quæ nomine & cognomine esset insignita. *Obulco* enim, vel *Obulci*, non *Botificense*, ut corrupti Codices *Pliniani*, sed *Pontificense* fuit cognominatum, ut notat *Sigismundus Gelenius* in *cap.* 1. *lib.* 3. *Plinii*, & pluribus evincit *Jacobus Gutherius* lib. 2. *de Jure Manium* cap. 1. pag. 158. aut enim solum patriæ nomen absque cognomine scribitur, ut *Obulconensis*, aut utrumque, ut *Pontificensis Obulconensis*, non cognomen solitariè, quod cùm fuerit à publicis Ordinibus præstitum, factum fuisse juxta receptum morem censendum est.

Sed adhuc arctiùs arguo, & affero Lapidem, 131
quem ex *Mazocchio* adducit D. *Joannes Zaratinus Castellinus* in ejus *Schedis* apud D. *Azurinum*:

D. M.
FAVENTINO. BENEMERENTI. FECIT
TVCHE. CONIVX. CVM. QVO
VIXIT. AN. XX. D. XV.

Nullus ambiget profectò hîc *Faventinum* esse Liberti nomen, qui à *Faventia* municipio manumissus, *Faventini* nomen assumpsit, juxta illud *Varronis de Ling. Lat.* suprà adductum testimonium, *ut à Faventia Faventinus*; quod procul dubio applicari non poterit *Faventiæ Hispaniæ*, quæ erat colonia, cùm *Varro* à *Faventia Italiæ* municipio deducat, nec jus esset coloniis Servos manumittendi.

Et

Et si cui placeret *Faventini* nomen non esse Liberti, sed Servi, adhuc inculco etiam in *Romanorum* institutis fuisse, Servos ante libertatem nominare nomine nationis unde orti: exemplum sit *P. Terentius Afer* Comœdiarum Scriptor, ante libertatem *Afer* dictus, eò quòd ex *Africa* oriundus, natus *Carthagine*, ut in ejus *Vita Ælius Donatus* testatur.

Sed ut magis Viro doctissimo ostendam *Faventinos*, de quibus ipse dubitat, ad hanc *Italiæ* esse referendos, visum est subjicere Notas ad eosdem Lapides.

Ad Lapidem *L. Valerii* relatum pagg. 3. & 37.

L. VAL.] Satis probatum est *Faventinos*, quorum Lapides in *Hispania* reperti sunt, esse ad *Fa-*
132 *ventiam Italiæ* redigendos; sed quò magis veritas tangi possit, demonstrabo ope antiquorum Lapidum, adhuc intra hujus regionis fines superstitum, familias eorum, de quibus dubitatur per D. Eq. *Orsatum*, ex hac nostra *Faventia* fuisse. Ad gentem *Valeriam* quod attinet, eam *Faventinam* etiam produnt Lapides, quos subjicio.

Lapis extra *Ravennam* ad Sacrarium D. *Apollinaris in Classe*, apud *Rub. Hist. Rav.* lib. 1. pag. 19.

C. IVL. PRISCI
VIX. ANN. VI. M. X. D. VIII
IVLIVS. GERMANVS
ARMORVM. CVSTOS
ET. VAL. MARTIANA
PARENTES

In vico Portiolo ex eodem.

M. COCCEIVS. M. F. CAM
EROTIANVS. DEC. COL. CENT.
M. R. SIBI. ET. VALERIAE
BENIGNAE. CONIVGI
INCOMP
CVM. QVA. VIXIT. ANNIS. XX

Ex eodem.

D. M
M. VALERIO
M. F. CLAVD. CO
LONO. LIBVRN
VARVAR. SCRIB. CL
PR. RAVEN. VIX. ANN. L
133 MIL. ANN. XXVI
VALERII. COLONVS. ET ...
....

Liceat verò & afferre Lapides in ipsis ferè regionis limitibus *Arimini* repertos, cùm hæc pretiosa Antiquitatis supellex ex nostra civitate *Faventiæ* fuerit erepta per barbaros *Gothos Ravennæ* degentes, tunc scilicet quando jussu *Theoderici* Regis omnes quadrati Lapides *Faventiâ Ravennam* delati; quod testatur *Cassiodorus* lib. 5. *Variar.* cap. 8. ad novæ fabricæ exstructionem, quod liquet ex ejusdem *Cassiod. Var.* lib. 2. cap. 7. & lib. 3. capp. 9. & 10. quamobrem nobis Antiquitatum studiosis deplorabile est tot Lapidum & Monumentorum, quæ in tota *Faventiæ* civitate ejusque territorio visuntur, fragmenta non solùm tempore, sed manu resecta, vel excisa spectare.

Ergo Lapis *Arimin.* ex *Clementin. Hist. Arimin.* lib. 1. pag. 45.

DIS. MANIB. VALERIAE
M. F
SEPTIMIAE. M. VALERIVS. M. L
HERMA. PATER
ET. VTILIA. M. F

A MIRTALE. MATER
FILIAE. PIENTISSIMAE
POSVERVNT. EX. IVG. X
IN. FRONTE. P. XXX. VII
IN. AGRO. P. L
V. F

GAL.] De adscriptione in Tribubus satis diximus: modus, quo Cives *Romani* ex coloniis Co- 134
mitiorum tempore *Romæ* suffragia ferebant, intelligendus est stante Republicâ; tempore enim Imperatorum, aut nulla, aut nullius momenti suffragia, sed tantùm quædam privilegia & jura in filios, in libertos; item jus *Quiritium*, quod per *Romanos* Imperatores sæpiùs singulis concessum est. *Plinius lib. 10. epist. 12. ad Trajanum: Rogo ut propinquis ejus des civitatem*; & paulò pòst, *item liberis ejusdem Chrysippi Epigono & Methridati, ita ut sint in patris potestate, utque iis in libertos servetur jus patronorum. Item rogo indulgeas jus Quiritium*, &c. Cæterùm juxta Reipublicæ exigentias modò coloni missi absque jure civitatis, modò datum jus civitatis & suffragii, absque eo quòd mitterentur coloni, & talia sæpiùs, quæ legentium mentem perturbant.

Licèt verò quidam Lapides exstent hominum *Barcinonensium* ex *Galeria* Tribu, mihi tamen suboritur difficultas: cùm enim *Barcino* deducta fuerit colonia ab *Augusto*, eo tempore quo Tribus xxxv. celebriores erant institutæ, non videtur *Barcino* referri posse ad Tribum *Galeriam*, utpote unam ex antiquis illis 35. sed potiùs alicui ex Tribubus illis extra numerum additis, de quibus mentio apud *Panvin. de Civit. Rom.* pag. 259. ubi idem Auctor observat morem *Romanorum*, *qui propter novos Cives novas etiam Tribus addere solebant*. Ex quo videtur argui posse *Barcinonem* non in *Galeria* ut antiqua, sed in aliqua ex recentioribus Tribubus esse recensendam.

FAVENTINO.] Ex *Faventia Italiæ*, ut abundè demonstravimus rationibus, conjecturis, & Lapidibus Gentis *Valeriæ* intra *Faventiam* regionem repertis: nec obstat quòd ejus monumentum in *Hispania*, quia tunc temporis multi etiam specta- 135
biles viri *Romani*, vel *Itali*, erant *Hispaniæ* coloni.

Lapis apud Vulsinios, ex Grutero pag. 385. num. 1.

L. GAMVLEIVS
IN. ITALIA. VOLSINIENSIVM. PATRIAE
E SVAE. ITEM. FERENT. ET
TIBVRTIVM
ITEM. COLONI. ITALICENSIS. IN. PRO
VINCIA. BAETICA. PRAETOR
ETRVR. XV
POPVLORVM. SACERDOTI. CAENI
NENSIVM. M. HELVIVS, &c.

II. VIRALI.] Duumvirali, quod est expræfecto, sive coloniæ, sive municipii sui, ideoque nobili viro. Plebeji Duumviratu non fungebantur. *l. 7. §. 2. D. de Decur.*

ANNONA. FRVM.] Frumentatores in provincias mittebantur ad comparandam annonam tempore sterilitatis. *Suetonius* in *Claudio* cap. 18. *Nibil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus: nam & negotiatoribus certa lucra proposuit suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset.* Immò ipsæ provinciæ curam habebant servandi frumentum pro Populo *Romano*. *Cicero pro Domo sua: Frumentum frumentariæ provinciæ partim non habebant: partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miserant.*

PLEBEM.] *Romanam* intelligo.

ADIVVIT.] Vel tempore caritatis annonæ, vel munere plebi debito lege *Clodiâ* frumentariâ, quâ populo frumentum gratis datum, & quam tulit *P. Clodius* Trib. Plebis, aut lege *Semproniâ C. Gracchi.*

KOLLEG. KAL. ET. IDV. DVO.] Quæ fuerint *Romæ* hæc Collegia, didici ex *Cujacio ad African. tract.* 8. *in l. ejus qui in provinc.* ubi quòd *Kalendarii* nomine significantur fœneraticiæ cau-
136 tiones, & pecuniæ destinatæ fœnori, & ratio nominis hæc, quòd solerent creditores stipulari usuras in Kalendas singulas, ut hac scilicet ratione usuræ duplum excederent: nam per partes solutæ supra duplum deberi poterant. *l.* 10. *C. de usuris*, & ibi explicatur 2. *Epod. Horatii*,

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Hæc verò Collegia, & Iduaria, quæ Lapidem posuerunt, *Romana* fuisse, nemo, puto, inficiabitur: præterquam enim in una civitate *Hispaniæ* non fuissent tot Kalendariorum, tot Iduariorum Collegia, obstabant etiam Imperatorum decreta hisce Collegiis provincialibus contraria, quæ sunt apud *Suetonium* in *Julio* cap. 42. in *Augusto* cap. 52. & *l.* 1. *D. de Coll. & Corpor.* Ad Curatores verò Kalendarii spectasse rem frumentariam docet *l.* 2. *C. Theod. de Curator. Calend.* & D. *Gothofr. in l.* 1. *D. de muner. & honor.*

CIVI.] *Romano*: quod patet ex eo quòd in *Galeria* Tribu descriptus.

Ad Lapidem *M. Cornelii Faventini*, qui est pag. 39.

Hic Lapis repertus est *Blandæ*, quæ oppidum est Civium *Romanorum*, ut vidimus ex *Plinio*. Gentem verò *Corneliam* in *Faventia* fuisse conjicio ex Lapide *Arimini*, de quo *Gruterus* p. 1093. num. 3.

C. CORNELIO
C. F. QVIRIN
FELICI. THRALLO
IVRIDICO. PER. FLAM
ET. VMBR. C. V. &c.

137 Ad Lapidem *L. Furii Faventini* pag. 40.

Suburitani & ipsi, qui Lapidem posuerunt *L. Furio*, sunt ex civitate *Latini* nominis, quidquid alii dicant, aut à *Subura Romæ* vico, aut à *Suburana* Tribu. Gentem verò *Furiam* hîc etiam habitasse indicat Lapis *Arimini* apud *Clementin. Hist. Arim.* pag. 31.

D. M
THEONI. APOLLINARIS
C. FVRIVS

Ad Lapidem *Otacilliæ Faventinæ* pag. 40.

Cùm Lapis hic sit in *Helvetiis*, quis nescit communionem inter *Gallos Transalpinos* & *Cisalpinos*? sed si hoc non sufficit, tamen indicatur *Martiam Otacilliam Severam Philippi Augusti* uxorem hinc aliquid traxisse. Lapis vetus *Foropopilii*,

MATRI. DIVM
MARTIA. OTACILIA. AVG
D
MATRI. DEVM. TAVRO
POLIVM

Ad Lapidem *Staberii Faventini* pag. 3. sive potiùs *Palladis* ejus servæ.

A Videtur hic *Staberius Faventinus* idem esse, de quo *Horatius Serm.* lib. 2. Sat. 3.

Hæredes Staberi summam incidere sepulcro: 138
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. ———

Cùm enim ibidem *Horatius* describat hominem avarum maximè per ea quæ sequuntur,

——— *& cavit nil acriùs, ut si*
B *Fortè minùs locuples uno quadrante periret.*

Talem hominem *Faventinum* describit *Martialis lib.* 2. *epigr.* 74.

Hos illi amicos, & greges togatorum,
Fusciculenus præstat, & Faventinus.

Duo scilicet fœneratores, qui pecuniam injusto lucro præstabant.

Cùm verò arbitrium ejus testamenti dederit *Arrio*, verisimile est *Staberium* & *Arrium* fuisse quodam necessitudinis vel affinitatis vinculo conjunctos. Gens autem *Arria* hîc in *Faventia* sive
C *Flaminia* frequens erat.

Lapis ad Plebem Ceparani paulò supra Faventiam.

ARRIAE. IONIDI
C. GAVIVS. THALES
CONIVGI. OPTIM

Foropopilii ex Vecchiazzano Hist. Foropop. contra Bertin.

TE. TIBI. VNA. QVAE. ES
OMNIA. DEA. ISIS
ARRIVS. BABINVS. V. C

D Cúmque jubeat dari populo frumentum quantum metit *Africa*, hic fundus (qui adhuc Inter- 139
pretibus crucem fixit) intra *Faventiæ* fines reperitur, de quo exstat mentio in Diplomate *Henrici* Imperatoris prid. Kal. Januar. 1012. Ind. 10. apud *Vghel.* Tom. 1. *Ital. Sac.* col. 513. in quo Monachis *S. Benedicti* in *Alpibus Faventiæ* Diœcesis inter alia concedit Mansos duos in *Africo*, & sic etiam explicatur *Horatius*, quem hyperbolicè locutum dicebant, referentes ad *Africam* illam vastissimam; quo nihil ineptius.

Ad Lapidem *Tib. Claudii* & *C. Clau-*
E *dii Faventini* pag. 3.

Hunc *C. Claudium Flavenum Faventinum* necesse est vel patrem, vel adscendentem, aut descendentem esse illius *Claudii Faventini* centurionis, de quo *Tacitus Histor.* lib. 3. cap. 57. *Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio, per ignominiam à Galba dimissus, ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis ostentans.* Et ne credatur hæc ignominiosa *C. Claudii* dimissio aut viri ignaviâ, aut ali-
F quâ aliâ, quæ militarem honorem deturpet, causâ accidisse, ecce quomodo legiones ipsæ per ignominiam dimitti consueverunt. *Suetonius* in *Augusto* cap. 24. *Decimam legionem contumaciùs parentem cum ignominia totam dimisit.*

Ad Lapidem *Ulpii Egnatii Faventini* pag. 6.

VLP. EGN.] Ambo nomina sunt gentium quarumdam propria: si verò hunc ex gente *Vlpia* esse volumus, *Vlpii* non fuerunt *Hispani* origine, ut vult D. Eq. *Orsatus*; si enim *Vlpius Trajanus* in *Hispania* natus est, natus est in urbe *Italica*, 140
ut omnes Auctores consentiunt; nec in *Italia* de-

sunt antiqui Lapides gentis *Vlpiæ*, veluti *M. Vlpii Apollonii* apud *Gruter*. p. 86. n. 1. *Vlpii Vrsini* p. 569. n. 12. *Vlpiæ Restutæ* p. 549. n. 1. *Vlpiai Scitai* p. 517. n. 3. Si verò ex gente *Egnatia*, repetatur fragmentum C. EGN. *Faventiæ* repertum, quod attuli pag. 6. & quod rem clariùs explicat.

V. C.] Vir clarus.

AVGVR. P. V. B. P. R. Q.] Augur publicus Pop. Rom. Quiritium: aliorum Lapidum testimonio & auctoritate sic explico. Cæterùm Augurum dignitatem clarissimam fuisse nullus diffitetur, maximè stante Republicâ.

HIEROCERIX.] Vox *Græca*, quæ sacrarum rerum Præconem significat.

D. S. M. I.] Dei solis Mithræ invicti: ideo enim sol Antiquis, & maximè *Persis*, *Mithra* vocatur, quasi Dominus, vel Dynasta, ut observavit *Jos. Scaliger* in Lib. *de Emend. Tempor.* pag. 588. Edit. 2. Invictus verò ob actionem, quâ cætera omnia generabilia movet invictis viribus, ut ego aliàs disserui in *Conjecturis Physico-Astronomicis de universo anno* 1669. editis, conjectura 12. p. 43. Physicis & Astronomicis rationibus.

ARCHIBVCOLVS. DEI. LIB.] Custodum armentorum Deo *Libero* sacrorum Præfectus.

HIEROFANTA. HEC.] Scribi debebat *Hierophanta*, Sacrorum Interpres.

SACERD. ISIDIS.] Hæc tria Sacerdotia in *Faventia* antiquissima invenio, *Liberi*, & *Hecate*; Lapis non diu repertus *Forocornelii*, cujus copiam recepi ab egregio Jurisconsulto D. *Michaële Ignatio Portio*, quem subjicio:

141 M. AVR. MONTA
NI. SACERDOTIS
LIBERI. ET. ECATHE
AVR. AGATHE. FIL
ET. HIRCIA. CAPRIA
CONIVX. CVRA. GEN...
CALPVRNIO
FAVSTINO. P...
CL. PR
CENT....

Isidis verò clarissima sunt *Foropopilii* Monumenta ultra Lapidem allatum *Arrii Babini*, quorum affero exemplum, quod visitur juxta portam Palatii populi *Foropop.*

FVLLONIA. L. F
TERTVLLA. SACRORVM
ISIDIS
LOCVM. DEDIT
C. TELEGENNIO
SPERATO. SACERDOTI

VI. VIR. AVG
TELESTINIS. EIVS
POSTERISQVE
EORVM

TAVROBOL. CRIOBOL.] Malleo quo Sacerdotes percussere victimas, tauros scilicet & arietes.

VALENTE. AVG. V.] Quintus Consulatus *Valentis* ab *Onuphrio* confertur in annum *Christi* 376. sed à *Scaligero* in annum 377. cùm enim duobus annis præcesserit Consulatum *Ausonii Galli*, is refertur ad annum 379. ut in Lib. *de Emend.* 142
Tempor. pag. 513. quibus consentiunt *Fasti Siculi*.

Vota.] Dedicatio aræ votivæ.

Bis deni suscipit orbis] Annorum viginti vovens scilicet significare per annos viginti; sic in Nummis sæpè VOTA. X. VOTA. XX.

Auratâ fronte bicornes.] Mos fuit Antiquis victimas coronare, & earum cornua auro obducere, ut fusè *Paschalius de Coronis* lib. 4. cap. 16.

Quoniam verò in Augures *Faventinos* incidimus, visum est subjicere Lapidem *Græcè* exaratum, qui dicitur exstare *Romæ* in ædibus *Massejorum*; ex *Grutero* pag. 340. num. 5.

TON. COΦON	*Sapientem*
EN. ANAPACIN	*inter viros*
OIΩNIKON	*Augurem*
ANΔPA. ME	*Virum ma*
ΓICTON. KTIN	*ximum Quin*
TON. IOTAION	*tum Julium*
MEIΛHTON	*Miletum*
OI. TEXNEITAI	*Artifices*
ANEΘHKAN	*statuerunt.*

Q. IVLIVS. FAEN
TIVS. ALVMNVS
CVM. ARTIFICIBVS . POSVIT

Hunc *Quintum Julium* (eumdem credo cum *Q. Julio Faventino* alumno *Q. Fabii Citisi*, de quo *Gruterus* pag. 617. num 5.) par est *Faventinum* ortu vel origine credere, siquidem *Juliorum* hìc 143
exstant plures Lapides, ultra allatum *Julii Germani Ravennæ*.

Foropopilii.

MAGNAE. MATRI
C. IVLIVS

Et hactenus extra oleas, ut ajunt, pro temporis angustia hæc pauca dixisse sufficiat: maximè cùm idem Dom. *Tondutius* & ipse amplâ responsione objectis satisfecerit: in integra Descriptione, ubi omnes, quos potero, antiquos Lapides ad rem spectantes afferam, plura dicturus.

FINIS.

INDEX.

F I N I S.

SCIPIONIS CLARAMONTII,
Cæſenatis, Equitis ac Doctoris,

CÆSENÆ URBIS HISTORIARUM

Ab initio Civitatis ad annum MDCXL.

LIBRI SEXDECIM:

Una cum duplici illarum

APPARATU.

In quibus totius interdum ITALIÆ, univerſæ fere ſemper Provinciæ communis Status deſcribitur.


Editio Noviſſima, ab innumeris nævis purgata, Indiceque meliori aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

VIRO
REVERENDISSIMO DOCTISSIMO AC CELEBERRIMO
D. PETRO CATHERINO ZENO
CLERICO REGULARI SOMASCHENSI
BONITATE NATURÆ
AC
PARTA MAGNO STUDIO VIRTUTE
BONARUM ARTIUM STUDIA
TUENTI AC PROVEHENTI
NOVAM HANC EDITIONEM
LIBRORUM SEXDECIM
CÆSENÆ URBIS
HISTORIARUM
JOSEPHI CLARAMONTII
UNA CUM DUPLICI ILLARUM HISTORIARUM
APPARATU
IN PIGNUS ET MONIMENTUM
PROPENSISSIMI ADDICTISSIMIQUE ANIMI
OB
NULLO MERITO PROVOCATA
CONSILIA ET OFFICIA
TRACTATIBUS RARISSIMIS IMPERTITIS
MIHI PRÆSTITA
D. D. C.

REVERENTIÆ TUÆ
Assiduus Cultor
PETRUS VANDER AA.



LECTORI CANDIDO.



Cum ex Romanæ Eloquentiæ Principis definitione *Historia sit Testis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *magistra vitæ*; *ac vetustatis nuntia:* Jure merito ad *Cæsenæ* urbis laudem, decus & splendorem, sexdecim hosce *Historiarum Cæsenatium Libros*, unà cum duplici illarum apparatu, Auctore SCIPIONE CLARAMONTIO, Equite, multarumque disciplinarum Doctore notissimo & excellentissimo, primum *Cæsenæ* ex Typographia M DC XLI. *Caroli Nerii* in 4to in lucem evulgatos, denuo luci exponi curavimus, ut ejusmodi opus ad suæ Patriæ decus & ornamentum exaratum oblivioni atque inerti silentio subtraheremus. Qua autem fide summa, laboreque immenso historia hæc sit conscripta, hic enarrare supervacaneum esset, quia hoc ab auctore ipso in sua Dedicatione satis luculenter exponitur, ad quam L. B. ablegamus. Sed hoc saltem dicendum, quid in hac Editione nova fuerit præstitum. Annotationes, & appendices, quas hinc & illinc auctor addiderat, ut & Bullas Summorum Pontificum, ex quibus nonnulla ad probanda dicta excerpserat; Bullas autem ipsas in calce Operis affixerat, suis locis inseruimus. Multos quoque errores ex literarum mutatione vel duplicatione, vel dipthongi abusu & ex interpunctione commissos pro facultatibus sustulimus. Paginas jamjam dictæ Editionis in margine novæ huic nostræ, ut lectori in evolvendo loca ab alio quodam auctore forte citata, succurreremus. Non incongruum etiam duximus catalogum Auctorum, quos Auctor noster, Civitatis *Cæsenæ* Historiam, & res ejus gestas, plerumque cum reliqua provincia, interdum cum *Romanis*, nec raro cum Exarchis & Occidentalibus Imperatoribus conjunctas perscripturus consuluit, colligere, & operi ipsi præmittere. Tabulas antea inornatas, invenustas & incultas, jam elegantiores ac nitidiores perspicies. Indicem tandem antea fere nulli usui accommodatum, meliorem, locupletiorem & correctiorem invenies. Hæc præmonere & præfari de nostro hoc opere visum fuit. Tu vero, Benevole Lector, feliciter utere, nobisque fave, atque vale.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

ANTONIO BARBERINO,

CARDINALI

URBANI VIII.

EX FRATRE NEPOTI

F. P.



NTIQUISSIMÆ Civitatis Historia (Amplissime Cardinalis) novissime prodit. Quod autem nunc etiam prodat felicitati Sæculi hujus, in quo Musæ regnant, tribuimus. Qui modo omnia moderatur, nedum Apes in Insignibus gerit, sed mella quoque in facundissimo ore, & immortalibus scriptis condit, funditque: inde in subjectos emanat virtus, & ad eloquentiam, & scribendi studia incitamentum: hæc siquidem est rerum indoles, ut superiores in eas, quæ subsunt, dotes suas infundant, atque infundendo sibi aliquo pacto assimilent. Ejusmodi ergo instinctu informata Scipionis Claramontii *Civis nostri pietas potuit ex densis silentii tenebris vetustæ hujus Patriæ facta eruere, eaque stylo consequi, & constantem nostram erga Sanctam Sedem fidem, qua præsertim gloriamur, pangere. Cum itaque Historia hæc sit Cæli istius (ita dicere liceat)* Barberini *opus, quod vim condendi Authori influxit; par est patrocinium ad conservationem inde petere, unde cæpit originem. Verum enim vero scriptio ipsa supremi Principis, ac Pontificis majestatem reformidat, confidentiusque Sacram Nepotum Purpuram adit: verum, quoniam Eminentissimi* Francisci *in Foribus* Astræa *excubat, in penetralibus postea Gratiæ occurrunt; ad Te humanissime, ac magnanime ANTONI confugit, cujus nedum Adyta, sed Vestibulum Charites occupant. Tibi, qui Patrui Sceptrum, Fratris Gladium nobis conciliare potes, eam dicamus, gloriosoque tuo nomini nuncupamus, enixe deprecantes, ne dedigneris lucem, qua longe, lateque emicas, devotissimæ hujus Civitatis gestis impertiri. Tanto hæc aucta jubare mirum in modum coruscabunt. Congruet celebratæ ubique & undique beneficentiæ tuæ Urbis hujus, quæ nunc tandem ad memoriam renascitur, communicatione Tui splendoris illustrare natales. Suscipe ergo Historiam hanc læta, ac benigna fronte, & Civitatem, cujus texitur potentissimo patrocinio tuo, ad quod universi ardenter anhelamus, in perpetuum fove. Sic sospitet Vos, Eminentissimi Fratres, Illustrissimamque & Excellentissimam Familiam fortunetque Deus, & quod caput est, Sanctissimi Patrui diu vitam prolatet.*

Humillimi, ac Devotissimi Clientes

Senatus, Populusque Cæsenas.

Eminentissimo, ac Reverendissimo D.

D. ANTONIO BARBERINO

S. R. ECCLESIÆ CARDINALI

AMPLISSIMO

JOANNES BAPTISTA AMBRONUS A SECRETIS
SENATUS CÆSENÆ.

Principis Alme Nepos, Orbem qui legibus æquat,
Et Sedem Petri solus ubique tenet,
Accipe nunc hilari, qua fulges undique fronte,
Quæ Cæsena Tibi tradidit historica,
Magni scripta Sophi nuper, quem clara Sophia
Hinc facit ad summos usque volare Polos,
Et tam Pierio, atque diserte aspersa liquore,
Qui melius posset condere nullus erat.
Sit Tibi grata Operis tanti (oro) cura tuendi,
Urbs quoque Præsidio sit recreata Tuo
Namque Tibi tot laudes, quot sunt ora Virorum,
Sunt ac Virtutes, Astra quot Axe micant.

Niti-

Nititur, & merito splendor, plaudenteque toto
Orbe simul Cœtus gloria Purpurei.
Quid plura? es Romani Herois Celsa Propago,
Et Patruo similem Te fore quisque putat.
Ac ideo Tua cum propria virtute coruscant,
Non est cur Soli lumina ferre velim,
Innumerasque modo hoc parvo libamine dotes,
Indigus afflatu tangere Apollineo.
Concinat ipsa Tuos queis gaudet Roma Triumphos
Urbs dum nostra, Tuo Numine dexter adi.

Ad Eminentissimum, & Reverendissimum Principem
ANTONIUM BARBERINUM
S. R. E.
CARDINALEM.

Magne Nepos Patrui, totum qui temperat Orbem,
Ullos nec fines, sceptra verenda ferunt;

Nunc dignare tuo insignitam nomine gentis
Prodire antiquæ, fulgereque Historiam;

Gesta ejus tenebris oblivia dira premebant;
Eruit industris quæ pia cura Viri.

Quod si qua splendes, qua comples omnia, lucem
Præstes, sicque micent lumine scripta tuo.

Quanto Luna magis Solis radio aucta renidet,
Tanto gesta, & opus, splendidiora cluent.

Simonis Claramontii Authoris Filii.

SANATUI, POPULOQUE CÆSENATI
SCIPIO CLARAMONTIUS
D. D. D.



QUOD Liricus dicit, Occultam virtutem parum distare inertiæ, nostra hæc Patria (Ornatissimi Cives) diutissime experta est. Natales ejus, repetita saltem à *Senonibus* origine, quorum Regia fuit, clari, & illustres hucusque delituerunt ob Scriptorum incuriam, & Civium præcedentium negligentiam. Quid pariter florente *Romano* Imperio, & quid declinante ingruentibus Barbaris gesserit, & eo abolito, quæ in magna rerum *Italicarum* perturbatione opera, modo fidei erga Principem, modo fortitudinis pro sui, & amicorum defensione ediderit, universa sunt silentii tenebris relicta; etiam quæ industriæ vestigatoris patere, in multa licet Scriptorum penuria, potuissent. Quod eo magis mirari in hac Civitate oportet, quo præstantium ingeniorum fuit semper fæcunda Parens. Certe, qui proxime floruerunt *Jacobus Mazonius* Philosophus celeberrimus, & ultra omnem fidem eruditus, & *Iosephus Isæus* Comes, qui cum jurisprudentia scientias impense conjunxerat, Scriptorque fuit politissimus, poterant, si ad hæc stylum detorsissent, prædecessorum defectum largo fœnore compensare. Sed forte propera mors (uterque enim inter angustiores, quam pro publica opportunitate, vivendi limites decessit) hujusmodi pio proposito fuit impedimento. Huc usque ergo illustria facta hujus Patriæ sine luce desidebant. Quæ consideratio cum jamdiu foderit mihi animum, potuit tandem à publico munere, eoque honestissimo, in quo versabar, *Cæsena* me ad ejus texendam Historiam revocare, privatæ scili-

cet utilitati, & rationi publicam longe præferentem. Numine afflante, pietatique meæ opem ferente, longum, & laboriosum opus hoc absolvi. Tribuamus etiam felicitati hujus sæculi, quando Musæ, & stylus fervent, tandiu omissum opus huic tempori fuisse reservatum. Ipsum vobis nuncupo, & dico, in quorum gratiam scripsi, ad gloriam scilicet communis Patriæ, quæ in vobis consistit, industria mea desudavit; ad gloriam tamen veram, non falsis laudibus quæsitam, servata fideliter Historiæ lege, quæ veritas est. Hanc mens mea semper prospexit, & ubi obtutum refugiebat, ratione quæsivi. Suscipite Cives benigno animo, & vultu pium hoc Civis vestri officium, quo vobis in re inservivit ad publicam dignitatem prorsus necessaria: Erunt forte qui hoc exemplo excitati uberius, & ornatius hæc ipsa tractent, quæ præsertim ab Anno millesimo quadringentesimo ad hæc tempora contractius justis de causis scripsi. Attamen post *Livii* ubertatem adhuc alii rei *Romanæ* Scriptores leguntur. Utinam præterito silentio, Historicorum post hac vestrorum multitudo succederet, tanto clarior Civitas redderetur. Quæ scripsi ex editis Scriptoribus plurima sumpsi, *Livio*, *Polybio*, *Strabone*, *Procopio*, *Paulo Diacono*, *Blondo*, *Sigonio*, & *Bononiensibus* Historicis, ac *Flaminiis Rubeo Ravennate*, *Tholosano Faventino*, *Clementino Ariminensi*, & aliis nonnullis. Verum cum dispersa, quæ ad *Cæsenam* attinebant in illis essent, vix in legentibus ejus memoriam imprimebant, nunc in unum collata, subque *Cæsenatis* Historiæ titulo non permittent Civitatis, de qua conscribitur, memoriam elabi. Monimenta etiam nondum edita materiam suggessere, quorum præcipua fuere, quæ à *Reali* Canonico, & *Petro Cantarella Cæsenatibus* conscripta fuerunt, & quæ *Vincentius Carrarius* Jurisconsultus, & Canonicus *Ravennas* in Commentariis Provinciæ universæ prodidit, ex quibus multa manuscripta in Urbe hac palantia, & parum fida emendare oportuit, quod, labori haud parcens, impigre præstiti. Hæc de Opere: nunc de me, deque sensu erga vos meo pauca hæc subjungo. Commentarios hos rerum vestrarum multa cura, magna diligentia scripsi. Plura Opera ad Scientias attinentia edidi, ex quibus, si qua mihi laus oboriretur, ut in vos recideret, curavi. In civilibus muniis, officiisque per annos unde sexaginta ex quo munera publica attigi operam meam magna fide præstiti. Attamen profiteor obligationibus erga vos meis nunquam plene satisfecisse. Plura sunt, quæ debeo, quam ut ea æquare officiis meis valeam. Debeo sane pluribus nominibus, primum ut Civis. Ecquid vero non debet Civis Patriæ, quam genitricem, altricem, institutricem, conservatricem, nisi demens sit, agnoscere cogitur? Debeo præterea nomine familiæ, quæ variis casibus, ab antiquis Sedibus in *Italiam*, *Insubriam*que depulsa, ibique jactata incommodis sub extremis demum *Malatestæ Novelli* annis huc appulit, ubi benigne suscepta à vobis fuit, qui *Simonem* tum advenientem inter Cives, & *Gregorium* deinceps, ejus Filium inter Senatores cooptastis, quem locum adhuc Posteritas ejus retinemus, utque loci dignitatem tueremur, multi Literis, aliqui Armis, non pauci Ecclesiasticis muniis, & functionibus Sacris contendimus: laboravimus scilicet, ut nobis honori, vobis non dedecori esset collatum beneficium. Ex quo id demum nos assequutos agnoscimus, ut *Transalpinam* nominis Claritatem, nisi assequi, liceat tamen æmulari. Debeo vobis postremo nomine ipse meo, in quem dignitates omnes, quæcunque in Cives Primarios conferri consueverunt, plena manu congessistis. Excedunt ergo longe vestra in me merita quascumque gratias huc usque retuli, & quæcunque officia rependi. Id libere fateor, & in animi grati specimen me jam ab ortu dicatum, vobis quasi novo facto principio rursus devoveo. Vivite felices, & Majores vestros, quos Præclaros Viros fuisse intelligetis, æquate, vel superate, si liceat, factis.

JOH. BAPTISTÆ
IN EXIMIUM
AUTHOREM
Enixa Animi propensio.

QUÆ Cæsena Tibi haud debet præconia? namque
Per Te nunc Patriæ redditur omne decus:

Jam, jam versasti instar Apis monumenta Virorum,
Nunc dulci cunctis nectare plena fluis:

Præstat, si dignos cumulasti hic Urbis honores,
Ad nutus saltem sit Tibi prompta tuos;

Nam quantum Stellas Sol vincit luce minores,
Sic inter velut es Docta Minerva Sophos.

PER

ELOGIUM.
PER
L'HISTORIA DI CESENA
DEL SIG. CAVALIER'
SCIPIONE CHIARAMONTI.
IL TEMPO
ODA
DI DOMENICO GILBERTO CESENATE.

Quel Vecchio altier, che le volanti piume
Spiega co'l Sole, e ciò, ch'è in Terra adombra;
E ch il tutto qua giù qual fumo, ed ombra
Disperde, quasi al Vento, e quasi al Lume.

Dopò, che'l crudo hebbe atterrato, e vinto
Il Faro à Memfi, à Babilonia i Muri;
Rotti i Marmi di Sparta, e i Bronzi duri,
Fatti polue di Rodi, e di Corinto.

Dopò, c'hebbe su'l Nilo alfin' prescritto
Termine a le gran' Fabbriche superbe;
Stese su'l piano in frà l' Arene, e l' Erbe,
Le più vaste Piramidi d' Egitto.

E poi, che d'ira infellonito, ed ebro
Fè per l'antica Roma andar' gl' Aratri,
Sù i distesi Obeliscchi, e sù i Theatri;
Rotti mille Colossi in Val' di Tebro.

Non ancor'satio il Temerario, e l' Empio,
Venne in riva del Savio, e l' Opre antiche
Gettate à Terra, pullular l' Ortiche,
Fè sopra più d'un' Arco, e più d'un' Tempio.

Indi in Fogli eruditi i Gesti accolti,
Oscurati a i SENONI arsi gl' Annali,
E i Nomi de gl' Heroi Chiari, e Immortali,
In Oblio profondissimo sepolti.

Su'le nostre Ruine alzato il Soglio,
Ridea sprezzante, e insuperbia quel Folle;
Ea pie de l' Alpi, in su'l Garampo Colle
Mostrava i danni, e se n'empia d'orgoglio.

Quando il Gran' SCIPIO, il cui saper trà i vivi
Può tornar' l' Ombre, e immortalar gl' Estinti:
Quel', ch'à la Grecia i Senofonti hà vinti;
Quel', che del Latio hà superati i Livi.

Quel SCIPIO, c'hor'su'i nobili Volumi
Stilla sol Meraviglie, e sol' Tesori;
Hor'manda fuor'da i labri suoi sonori.
Catene d' Or', pieni di Mele i Fiumi.

Traendo fuor' da le folt'ombre il vero,
Al dispetto de i Secoli tiranni,
Voglio rifar' (disse) a la Patria i danni,
E saprò ben'mortificar' l' Altero.

E con la Penna sua chiara, immortale,
Pugna co'l TEMPO, e i Secoli combatte,
E saetta l' Oblio, l' Invidia abbatte:
Quasi fosse di Gloria alato strale.

Chiama a la luce, e fà più bella, e viva
De la Patria, e de suoi la Fama oscura;
E ne'l Età volubile, e futura,
I Nomi eterna, e le memorie auviva.

Esserciti schierati, illustri imprese,
Popoli domi, e le grand'opre in carte,
E l'onte hor'di Vulcano, hora di Marte,
Come fosser' presenti ei fà palese.

Mura abbattute, è dessolate Moli,
Guerre Civili, e de'Nemici insulti,
E longhi Assedii, e Popular' Tumulti
Narra, ed auvien', che da l'Oblio gl'involi,

O de'l Oblio veleno, e de la Gloria
Balsamo pretioso, e sacro Inchiostro,
Che ritorni più belle al Secol nostro
L' Opre vetuste, in sempiterna Historia.

E chi ti diè (dimmi, ò Scrittor Divino)
Quella Penna immortal'? fù la Fenice?
La Fama? ò pur' de'l Cielo Angel felice?
O te la die' da'l Ali un' Serafino?

Poiche non solo in questi Fogli tuoi
Pon' trar esempio i Regi, e metro i Regni;
Mà ponendo a i Scrittor' gl' ultimi segni,
Quì dai Norma a i Guerrieri, ed a gl' Heroi.

S 1.

E L O G I U M.

SIMONIS CLARAMONTII,

Authoris Filii,

DE

A U T H O R E.

Romulus extruxit, liberavit ab Hoste Camillus
Romam, Urbisque Parens, dictus uterque fuit;

Hic non ex saxo, sed famæ ex ære perenni
Mœnia nunc Patriæ, non peritura struit;

Non pressam à Gallo, at lethæo in carcere vinctam
Extrahit, & liberat, jam celebremque facit.

Inveniat Cæsena novos cum nomine honores:
Non Patrem Patriæ est dicere namque satis.

CATALOGUS AUCTORUM,

quos

SCIPIO CLARAMONTIUS

in opere hoc perscribendo consuluit.

Sexdecim hosce Historiarum Cæsenatium Libros, una cum duplici illarum Apparatu Auctore SCIPIONE CLARAMONTIO *Equite, multarumque disciplinarum Doctore notissimo, & excellentissimo vidi Ego infrascriptus pro Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Petro Bonaventura Cæsenæ Episcopo, & pro Reverendiss. P. Mag. Michaele Saxo Generali Provinciæ Inquisitore Dominis meis. Opus ad Patriæ decus, & ornamentum, ex veritatis alvearibus summo nixu, laboreque immenso in suavissima mela derivatum; ac deductum antiquissimorum olim Progenitorum Senonum seri Nepotes hianti animo, gratoque corde suscipiant; & totius Flaminiæ Civitates egregie factorum tam simul, quam sejunctim ab eis per anteacta Sæcula fideliter insinuata in copiosam recolenda messem percurrant; dum interim illud ad legum cussionis amussim confectum approbo, & suscipio. Ex Monasterio Almæ Virginis de Consolatione Idibus Maji 1640.*

D. Celsus Rosinus Abbas Canonicus Reg. Lateranen. Doctor Theologus, & Consultor

Imprimatur. *P. Episcopus Cæsenæ.* Imprimatur. *Fr. Michael Saxus Mag. Inquisitor Generalis Faventiæ.*


S C I-

DESCRIPTIO
PADI FLVVII.
In cujus Descriptione
Polybium sequutus sum,
qui duo illi tantum ostia
tribuit, Padosam et Volanam.

ALPES.
CAMPI MAGNI
ITALIÆ.
Padus Fluvius.
Tergeste
LITTVS VENETVM
MARE
ADRIATICVM
SEV
SVPERVM.
Cæsena
Ariminum.
Fanum Fortunæ.
Pisaurum
Mons Pisauri.
Metaurus Fluvius.
Senogallia.
Ancona
Mons Anconæ.
Farmianum seu Formanum
Locus, Clade Asdrubalis
Clarus.
APENNINVS.
APVLIA.



Scala Miliaria.



SCIPIONIS CLARAMONTII
CÆSENÆ
HISTORIARUM
PROOEMIUM.

EST hominum haud levis auctoritatis sententia: Maximarum tantummodo Civitatum, insigniumque Principatuum texendas Historias esse. Dedecere ejus scriptionis gravitatem si mediocribus Urbibus, ac Rebuspublicis applicetur. Non possum ego probare hoc maximæ partis rerum humanarum fastidium. Paucæ illæ ad summitatem extolluntur. plurimæ circa mediocritatem, infraque consistunt; ut necesse sit permultas illis ignotas esse, qui summas tantum consectantur. Quod præterea *Aristoteles* despicientibus in naturali scientia vilium animalium contemplationem objecit (nimirum in illis quoque numen, & admirandum naturæ ingenium reperiri) Quippiam tale his quoque opponi potest in minoribus enim Civitatibus æque ac in magnis rationis vis, & instinctus apparet, sive cæcas appetitiones coerceat, & ducat: sive ab illis ducatur: casus pariter in illis visuntur multi, & graves, quibus aliqui remedia prudenter adhibuerint, aliqui manus ignavè dederint; aliqui infracto eos animo cum vitari non potuerunt, exceperint. ut legentibus æque occurrant præclara facta ad imitandum, turpia ad evitandum, eventaque varia, quæ pabulum menti præstent ad prudentiæ penu instruendum, & locupletandum. Si quæ vero Civitates magnis fortunæ, vicissitudinibus documento esse possunt humanæ instabilitatis, ac prudentiæ suggerere unde calamitates futuras provideat, ac præcaveat, vel præsentes facilius toleret, vel post casum resurgat, certe non postremum inter eas locum *Cæsena* patria mea obtinet. Hæc modo inter mediocres *Italiæ* Civitates majoribus multo quam minoribus propior, florentium olim *Senonum* Regia fuit; quibus prostratis, *Romanorum* Colonia facta est, ad superum mare privilegio vacationis insignita. At in civili inter *Syllam*, *Marium*que bello à victoribus, contra quos steterat, diruta jacuit. Restituta tandem pro Colonia Oppidum diu permansit. Attamen sub *Romano* Imperio cujus diutissime retinens fuit, tantum incrementi fecit ut prementibus jam *Italiam* Barbaris potuerit pro *Odoacro Theodorico Gothorum* Regi resistere, & longo post tempore pro *Vitige*, cui subjiciebatur, longam ferre *Græcorum* obsidionem eosque demum depellere. Et sequentibus seculis *Luithprandus Longobardorum* Rex sat habuit ad munimentum imperii sui, si cæteris Exarchatui locis restitutis, tertiam ipse sibi partem *Cæsenæ* reservaret. *Egidius* Cardinalis qui ditionem Ecclesiæ à pluribus Tyrannis usurpatam universam recuperavit, Prætorium in eadem Civitate suum nobilissimis ædibus excitatis collocavit. Attamen sub Cardinali *Genebensi* Legato miserè concidit. Hanc ipsa remunerationem fidei suæ ab infido rectore tulit. Ipsum sola advenientem ultro susceperat, omnique officio coluerat, at decuit eum qui paulo post Ecclesiam specie summi Pontificis immani schismate erat distracturus Civitatem fidissimam Ecclesiasticæ ditionis simulatione pastoris dare barbaris militibus direptum. Non integro tamen elapso inde seculo tantum resumpsit virium, & dignitatis, ut Ecclesiasticæ libertati restituta caput ipsa fuerit universi in hac Provincia imperii pontificii. Pariterque aliquot post annis *Cæsari Borgiæ* ab *Alexandro Sexto* tradita, ab eo fuit latè jam effusæ ditionis suæ statuta sedes. Nunc demum Pontifici subjecta quiescit ubertate agri nulli secunda, ad colles amænissimos sita, fæcundam ad mare usque planitiem, ibique portum nobilem obtinens. Publica omnium bonarum artium academia sola inter hujus Provinciæ Civitates floret, & exercitatione armorum non minor, hastiludium ab antiquis usque temporibus exercet, cujus in nulla *Italiæ* Civitate par, aut simile reperiatur. Indigenæ instar Cataphractorum Equitum armati infestis invicem concurrunt hastis tantæ crassitudinis, ac firmitatis ut reboet ex ictu cavea, & percussi interdum adeo obstupescunt, ut ex equis deturbentur. Hujus Civitatis Historiam aggredior, res ejus gestas ab origine perscripturus: erunt eæ plerumque cum reliqua Provincia, interdum cum *Romanis*, nec raro cum Exarchis, & occidentalibus Imperatoribus conjunctæ. Satisfaciam ego officio ac pietati civis, dum enitar longam annorum, ac vitæ Patriæ meæ seriem oblivioni, atque inerti silentio subtrahere. Cæterum qui Historicus esse non encomiastes velim pari veritate majorum nostrorum bona, & mala promam. Nulla fuit unquam adeo laudata, ac laudabilis gens, cui non aliqua vituperationis nota inuri potuerit, & ab Historicis non fuerit inusta, verum ante aggressionem Historiæ hunc ejus apparatum præmitto.

Margin section marks 1–4 (beside the lines beginning "Est hominum", "tiones coerceat", "tis, tertiam" and "boet ex ictu")

5 # APPARATUS HISTORIÆ.



Pparatus duo continebit. Primum quidem erit, cum duæ Senæ *antiquitus fuerint; alia trans* Apenninum, Tuscorum Sena *dicta; alia cis* Apenninum Umbrorum Sena *appellata, hanc fuisse* Cæsenam *nostram. Et quoniam in aliam fermè sententiam reliqui scriptores abeunt* Senegalliæque *non* Cæsenæ *id tribuunt; idcirco rem diligenter excutiam, & veritatem potius à conniventia scribentium oppressam, quam ipsam per se occultam, claram faciam. Secundo vero loco, quoniam* Cæsena *duos fluvios habet,* Sapim, *cui assidet;* Rubiconem, *à quo prope abest, hunc vere esse antiquitus dictum* Rubiconem *ostendam cum modo sint qui nomen hoc* Aprusæ Ariminensis *agri tribuant. Antiquo Civitatis nomine constituto; & remotis de minori ejus, at celebriori flumine ambagibus; quæ postea*
6 *de ipsius origine, gestis, agroque dicenda sunt, inoffensa procedent. Atque ita disputatio, sine qua revocatæ in controversiam veritates statui non poterant, ab Historia, ut par erat, sejungetur. neque enim historiam subtilis dissertatio decet. Eum tamen locum habebit, unde possit historicæ veritati cominus lucem afferre.*

---

7 # APPARATUS PRIMA PARS.



UAS igitur *Senas* ab antiquis Scriptoribus memorari facile intelligunt quicunque in eorum lectione versantur. Altera quarum in *Hetruria* locatur à *Plinio* (qui Coloniam eam *Senensem* vocat) à *Ptolomeo*, ab aliisque non paucis. Altera inter *Umbros* reponitur, & ad superum Mare à *Strabone*, à *Polybio*, & à *Livio*. unde ejus quoque recentiores meminere viri eruditi *Raphael Volateranus*, *Leander Albertus*, & alii nonnulli. verum ut in hoc rectè, ita in decernendo quænam *Sena* ea fuerit plurimum decipiuntur. Credunt enim esse eam *Senegalliam*; cum tamen non *Senegalliam*, sed *Cæsenam* fuisse, quam *Polybius*, *Livius*, *Strabo Senam* dixere clarissimum sit; modo non conniventibus oculis eorum verba legantur. A *Strabone* exordior, qui ut geographus rem digito monstrat. Is ergo *lib.* v. *Geograph.* disertis verbis *Senam* hanc *Sapi* Fluvio, & *Rubiconi* propinquam dicit. Quam esse *Cæsenæ* descriptionem omnes ad unum fatentur, etiam qui *Aprusam Rubiconem* esse contendunt, *Cæsenam* ibi describi asseverant, & id solum excusare conantur quomodo dicat propinquam *Rubiconi Cæsenam* quæ ab eo 15. mill. distet. At locum integrum *Strabonis* appono, ut ex ordine quoque locorum intelligatur jure in confessione omnium esse, & fuisse Oppidum tum à *Strabone Senam* vocatum *Cæsenam* esse. verba sunt. *Inter has Placentiam, & Cremonam, & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia. prope Ravennam in harum medio exigua quædam jacent Oppida, per quæ iter est Romam, Acara, Rhegium Lepidi, Nacri, campi ubi quotannis forum conficitur, Cliterna, Forum Cornelium, Faventia, Sena Isapi*
8 *fluvio, & Rhubiconi propinqua. Hæc proxima sunt Arimino.* Hæc *Strabo* ex quibus sanè patet *Senam* significare ibi *Cæsenam*, tum ex fluviorum *Isapis*, & *Rubiconis* circumscriptione, tum ex ordine, & situ, cum inter *Faventiam*, & *Ariminum* collocetur recta per *Romanam* viam. Noto vero ubi in codice græco irrepserit * pro H' scil. ητα, ι. nempe *jota*, mendum esse, quod & constat ex sequuturo mox testimonio *Strabonis*. Præterea vero eo quod *Ce-Sena* quæ nomen *Senæ* retinet in postremis duabus syllabis non *Cesina*: sed *Cæsena*

A vocatur. At secundum *Strabonis* testimonium adducamus, ex quo hoc ipsum constat; prætereaque *Senam* ab ipso, & *Senogalliam* ut duo loca distincta memoratas non ut unum. verba sunt. *Tusciæ applicatur ex parte Orientis Umbria, quæ ab Appeninis incipit, & ultra etiam usque ad sinum Adriaticum. Hic enim à Ravenna inchoantes propiora deinceps tenent Sarsinam, Ariminum, Senam, Camarinum ibi, & Æsis fluvius, & mons Gingunus, & Sextinum, amnisque Metaurus, & Fanum fortunæ. In hisce namque locis priores fuere Italiæ termini, atque Galliæ ad quandam maris ejus partem, licet Imperatores sæpenumero transposuerint. Antea quidem Æsim Flumen terminum facie-*
B *bant. Rursus Rubiconis Fluvium. Æsis inter Anconem labitur, & Senegalliam.* Hæc *Strabo.* Quo ex loco duo colliguntur. Primum est, *Senegalliam* & *Senam* differre, cum in eodem literæ contextu diversis, & nominibus, & locis nominentur. Secundum est, *Senam* ibi græcè per H' scribi non per jota, indeque *Senam* non *Sinam* jure merito verti, ut constet *Senam*, quam prope *Sapim*, & *Rubiconem* reposuit, & cujus unius hoc nomine meminit per H'. non per ι. scribendum, proinde *Senam* non *Sinam* legendum veluti antea monui. Jam patet *Senam Umbrorum Strabonis* non esse *Senegalliam*, sed *Cæsenam* cum hæc non illa *Isapi*, & *Rubiconi* propinqua sit. Idem prorsus de *Sena Polybii* demonstro. Is *Senæ* meminit *lib.*
C 2. *hist.* ter primum autem in describenda *Italiæ* planitie, quæ vulgo nunc *Lombardia* dicitur, maximamque partem *Romandiolæ* nostræ occupat qua usque ad littus *Adriatici* Maris porrigitur, ad ejusque angulum quo id ipsum littus in Eurum flectitur cum prius à septentrione in Austrum recta perrexerit. Verba sunt. *Subjacent Campi extremi* 9
totius Italiæ, omnisque Europæ maximi, atque uberrimi. Horum etiam forma triangularis. Apicem trianguli facit Apennini, atque Alpium copulatio non longe à mari Sardoo supra Massiliam. Latus quod Septentrionem spectat (quemadmodum supra
D *diximus) Alpes faciunt, quæ ad duo millia, & ducenta stadia protenduntur. Latus vero, quod ad Meridiem vergit, perficit Apenninus; hic ad tria millia, & sexaginta stadia protenditur. Basis locum tenet latus ipsum Maris Adriatici; ejus magnitudo*

---

* *Pro* H *scil. ita, ι. scil. jota mendum esse*] Ostendi ego ibi ex alio Strabonis loco *Senam Isapi, & Rubiconi* propinquam fuisse scribendam per vocalem ita non per jota, neque in præsentia dictum revoco. At illud amplius addo *Procopium Cæsenam* nostram ter nominasse per jota tum in prima syllaba, tum secunda Κισίνα & interdum Κισίνη sive fuerit is error Impressoris, sive Hellenismus, aut Græcismus vitiatæ posterioribus illis seculis linguæ Græcæ,

tudo est à Sena Urbe usque ad intimum ejus Maris
sinum, & duorum millium, & quingentorum sta-
diorum spatio continetur. Hæc ille. Modo dico
situm, quem is *Senæ* tribuit, nullo modo qua-
drare *Senegalliæ*: adamussim autem *Cæsenæ* con-
venire. Quod ut evidentius sit, figuram *Italiæ*
appono quà ad hoc nostrum negotium spectat.
Est itaque figura quæ subjicitur. Noto vero li-
neas progressuum *Apennini*, *Alpium*, & littoris
maris à nobis in universum descriptas, proinde-
que anfractus omissos, quibus illæ (si res minu-
tatim consideretur) à rectitudine excidunt, cum
ejusmodi excursus, & recursus totius *Italiæ* figu-
ram non mutent; & ideo *Polybius* iis spretis tra-
ctus, tum *Apennini*, tum *Alpium*, tum *Veneti* lit-
toris pro rectis habuit. Esse vero littus *Venetum*
à Septentrione in Austrum (progressu ejus in uni-
versum considerato) demonstro, nam intimum
sinum occupat *Tergeste*, cujus longitudo est grad.
34.45. ex *Ptolomeo.* ex eodem longitudo *Cæsenæ*
est grad. 34.40. ut littus nostrum Orientalius Ci-
vitate quinque circiter milliariis sit ejusdem fer-
mè cum *Tergeste* longitudinis. unde linea inter ea
loca sub eodem erit meridiano; proindeque à Se-
ptentrione in Austrum recta procedit. Littus ve-
rò, quod ab agro nostro ad *Senegalliam* pergit,
indeque in *Apuliam*, ipsum si universum specte-
mus Eurum versus tendere inde constat, quod
Cæsena quadraginta quatuor, & amplius gradus
latitudinis habet; at *Barium* gradus 40. circiter
solum obtinet cum interim, & *Barium*, & cæ-
tera inter illam, & nostram Civitatem interjecta
loca subinde semper majorem quam nos longitu-
10 dinem nacta sint. Ut ex majore longitudine Or-
tui propiora esse, ex minore latitudine in Au-
strum deflectere, adeoque in Eurum plus, minus-
ve (id non moror) vergere constet. Indidem
consequitur ad agrum nostrum angulum eum fie-
ri, quem *Venetum* littus cum *Flaminiæ*, *Piceni*,
atque *Apuliæ* littore continet. Hoc ipsum quod
geographica graduum ratio monstrat nobis ocu-
lari inspectione constat, qui ex nostris collibus
littoris *Adriatici* versus Eurum flexum despici-
mus, magnamque ad Occasum, ac Septentrio-
nem planitiem. Quibus præmissis rationem jam
colligo. *Sena* ex *Polybio* est terminus *Veneti* litto-
ris quà stringitur triangulum ab eodem littore,
& à tractu, tum *Apennini*, tum *Alpium* conten-
tum. Sed in eo ipso termino *Cæsena* est, nequa-
quam *Senegallia*. Ergo *Cæsena Sena* est, non *Se-*
negallia. *Cæsenam* in eo esse termino satis ex di-
ctis planum. Unde etiam *Senegalliam* non esse,
necessariò consequitur. Attamen hoc ipsum con-
firmemus adhuc. Ex Iconographia ergo satis pa-
tet littus à *Tergeste* ad *Senegalliam* duas esse lineas
non unam; quibus si jungantur *Apennini*, & *Al-*
pium longitudines quadrilateram inde figuram a-
cinoidis instar non trilateram (ut *Polybius* asserit)
exsurgere. Neque accommodata esset responsio
si diceretur despici ob exiguitatem *Cæsenæ*, atque
Senegalliæ intervallum. Cum enim distent ipsæ
quingentis sexaginta stadiis. Sit vero *Venetum* lit-
tus ab intimo sinu ad nos stadiorum duorum mil-
lium, & quingentorum proportio inter ea quin-
cupla minor despici neque debet, neque potest.
Accedit præterea esse *Senam* ex *Polybio* in extre-
mitate sitam maximorum *Italiæ* camporum plani-
ciei scilicet celebris, & à *Cicerone* usque decanta-
tæ *Galliæ* olim *Cisalpinæ*: nunc vulgo *Lombardiæ*
à qua longe *Senegallia* abest. Cum post flexum
Adriatici littoris trames potius quam planities in-
ter montes, & Mare evadat, præsertimque post
Ariminum qui quoque trames ad Catholicæ vicum
à collibus abrumpitur, & à *Pisauri* montibus præ-
cipue. Neque sunt hi despicabiles, ut suadere

A nititur *Leander*: sed ejus altitudinis, quam pro
planicie nullus rerum justus æstimator sit trans-
missurus. Ad hæc. *Polybii* verba ex *Casauboni*
ad fidem græcæ litteræ versione repudiant esse
Senegalliam memoratorum camporum extremita- 11
tem. Sunt verba. *Sena hæc dicitur de eorum Gal-*
lorum nomine, qui prius tenuere. Fecimus nos paulo
ante ejus mentionem, ostendimusque ad Hadriam esse
sitam in extrema planicie, quam Padus irrigat.
Non terminat sanè *Senegallia* planiciem à *Pado* ir-
rigatam, quem tamen fluvium fuisse olim agro
nostro propinquum; cum ultra *Ravennam* versus
Cæsenatem agrum aquas effuderit, colligere faci-
B cile ex veterum monumentis possumus. At hoc
certe nemo inficias iverit, nullius planiciei termi-
num *Senegalliam* esse. Esto enim ad eam Civita-
tem campos *Italiæ* magnos extendi, at ibi non si-
stentur. Nam quæ ibi planicies eadem ad *Anco-*
nam usque pari æqualitate procedit, ejusque in-
ter *Pisauri*, & *Anconæ* montes medium non ex-
tremum *Senegallia* occupat. Non est ergo *Sene-*
gallia ullius planiciei terminus, multominus cam-
porum *Italiæ* maximorum. Non eorum quos *Pa-*
dus irrigat à quo fluvio abest. Non cum *Alpium*,
& *Apennini* longitudinibus triangulum ducta ad
eam ab intimo *Adriatici* sinu linea conficit. Quæ
C omnia tribuit *Senæ Polybius. Cæsenæ*que singula
congruunt ut nomen etiam convenit, quod dempta
prima syllaba integrum retinet *Cæsena*. Alia po-
strema ratio ex *Polybio* ducitur si *Eutropii* dictum
jungatur, quæ planissimam pariter sententiæ meæ
reddat veritatem. Polybius ergo hæc scribit, *lib.*
11. *Hist. Hic M. Curius Consul statim legatos in Gal-*
liam ad redimendos captivos mittit, qui cum eo per-
venissent, violato jure gentium à Gallis interficiun-
tur. Quo scelere indignati acriter Romani novo
delectu habito penetrare in Galliam aggrediuntur.
Sed parum processum erat, cum eis Senones occur-
runt. Hos collatis signis e vestigio aggressi superant:
D *magnam partem interficiunt: si qui superfuerant, se-*
dibus fugant, regione potiuntur: novam ipsi in urbem
coloniam inducunt. eam veteri nomine quòd primo à
Gallis habitata fuerat, Senam appellant, est autem
ea Urbs, quemadmodum supra memoravimus in lit-
tore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ termi-
nantur. Hæc *Polybius* cum quibus jungo, quæ
dicit *Eutropius* de strage exercitus *Asdrubalis* ad
Metaurum. verba sunt. *Fuit hoc prælium penes*
Metaurum Fluvium, ubi Asdrubal victus est, ut
Trasymenus lacus ubi exercitus Romanus, ut Cæse- 12
na Piceni Civitas, ut vicus ille Cannensis. Cladem
ergo exercitus *Asdrubalis Eutropius* cum tribus
E exercituum stragibus comparat, quæ ad *Trasime-*
num, quæ ad *Cæsenam*, quæ ad *Cannas*. Insi-
gnem itaque is aliquam stragem penes *Cæsenam*
accidisse significat; at cum nullam in tota anti-
quitate copiarum occidionem apud *Cæsenam* re-
periamus præter memoratam à *Polybio* ad *Senam*,
qua *Senonum* nobilis natio, & *Romæ* expugnatio-
ne celebris extincta est, fateri oportet, eandem
Urbem *Senam* à *Polybio* dictam, quæ *Eutropii*
temporibus (ut nunc etiam) *Cæsena* vocabatur.
Jam ostendo *Senam* à *Livio* dictam eandem no-
stram Civitatem esse. Meminit *Senæ Livius* cum
adventum *Neronis* scribit ad copias cum *Salinato-*
F *re* altero Consule jungendas. *Ad Senam* (inquit)
Castra alterius consulis erant, & quingentos fermè
passus Asdrubal aberat. Confirmat *Silius Italicus*
de eodem tum *Asdrubalis* exercitu agens.

Pœnus inundavit campos, qua Sena relictum
Gallorum à Populis servat per sæcula nomen.

Dico ego *Senam* hanc *Livii* nequaquam *Senegal-*
liam esse potuisse. Nam recedenti ab eo loco *As-*
drubali, ne cum *Romanis* pugnaret antequam se
fratri, qui in *Apulia* erat conjungeret, occurrit

S. Claramontius. A 2 *Me-*

Metaurus fluvius, quem cum transire non potuerit à *Romanis* ipsum consequutis una cum exercitu ad ripam fluminis ejusdem occidentalem occidione occisus fuit. Constans est accolarum fama stragem prope Castrum fuisse nunc *Formianum*, vel *Firmanum* dictum. Est etiam mons *Asdrubalis* hucusque dictus, & *Castrum Ossaja* ubi in camporum cultu ossa interdum, & arma rubigine scabra deteguntur. Recessisse vero à *Sena Asdrubalem* ut ad fratrem proficisceretur disertis verbis *Appianus* testatur. Cum sit itaque *Senegallia* ultra *Metaurum* ortum versus nonaginta stadia; & ea orientalior adhuc *Apulia*, non potest pergenti ab ea Civitate in *Apuliam Metaurus* occurrere adeoque non potest impedire iter aut retardare. Ad hæc si qui à *Senegallia* proficiscens non posset transire *Metaurum*, is in orientali non in occidentali ripa consisteret. *Sena* ergo ad quam castrametabantur tum *Romani*, & à qua quingentis solum passibus *Asdrubal* aberat, non erat *Metauro* ad ortum; adeoque *Senegallia* esse non potuit: sed erat ad occasum illi flumini. At quænam alia *Sena* ad occasum *Metauro* legitur, aut dicitur,
13 quam quæ à *Strabone* memoratur prope *Isapim*, & *Rubiconem?* firmiter admodum probasse mihi videor *Senam*, cujus *Strabo*, *Polybius*, *Livius* immo, & *Silius Italicus* meminere, fuisse *Cæsenam*. De *Silio* præterea evincit *Rubiconis*, & *Senæ* proximitas, quam illis in memorando tribuit.

Et *Clavis*, & *Rubico*, & *Senonum* de nomine *Senæ*. Restat nunc contraria diluere quæ repugnare sententiæ nostræ videntur. Illud itaque primo valde obsistit. Non videri *Senones* ultra *Rubiconem* ad occasum resedisse sed inde ad ortum nimirum inter *Anconam*, & *Rubiconem*. Ita eos *Ptolomeus* collocat. *Cato* in Originibus ab *Arimino* ad *Anconam* statuit. *Gallia* (inquit) *Flaminia à Ravenna ad Ariminum à Comitibus Herculis conditum à quo cognominatur. Ab eo ad Anconam Senegallia a Senonibus dicta pulsis Hetruscis, nunc Gallia Togata.* Quibus *Catonis* verbis *Sempronius* attestatur suis. *Flaminia* (dicit) *à Bononia ad Rubiconem amnem antea Felsina à Principe Hetruriæ missis coloniis Lemonibus à Rubicone ad Anconam Senonum Gallia Togata dicitur.* His etiam adduntur Plinii verba. *Ab Ancona gallica ora incipit Togatæ Galliæ cognomine.* Verum enim vero statuendum est *Senones* ad occasum etiam *Rubiconi* resedisse. Id *Plinius* aperte monstrat qui in octava Regione *Italiæ* collocat eamque *Arimi-*
L. 3. c. 15. *no*, *Pado*, & *Apennino* terminat *Octava* (inquit) *Regio determinatur Arimino*, *Pado*, *Apennino.* Postea ad calcem capitis subjungit. *In hoc tractu interierunt Boji quorum Tribus* 112. *fuisse auctor est Cato. Item Senones qui ceperant Romam.* Ita ille. *Polybius* dum *Senam* in littore *Veneto* qua clauditur triangulum planiciei maximæ *Italiæ* id ipsum aperte ut jam vidimus significat. *Livius* apertissime qui *Senones* dicit ab *Ufente* flumine ad *Athesim* fines habuisse. Testimoniis jam in contrarium adductis respondeo id præmittens *Senones* à sede sua, quæ in octava regione fuit extendisse postea ad *Anconam* usque totique tractui dedisse nomen, & Civitati præsertim *Senegalliæ*, neque intra eos fines stetisse imperium cum ad *Ufentem* ditionem extenderint: verum denominationem constitisse. Patet hinc nihil obesse nobis *Plinii* dictum, sed neque *Catonis*. nihil enim aliud is significat, quam regionem ab *Arimino* ad *Anconam Senegalliæ* nomen à *Senonibus* suscepisse. Ergo nihil aliud possedere *Senones*. Ergo non
14 fuit Urbs ab eis *Sena* dicta. nihil horum colligitur. *Sempronii* pariter testimonium id unum ostendit *Galliam Togatam* fuisse dictam quæ à *Rubicone*

A ad *Anconam* extenditur, at nullam aliam fuisse *Senonum* ditionem, & loca non dicit præterquam quod cum verbo dicitur in tempore præsenti utatur, aperit quæ tum denominatio locorum fuerit jam extinctis *Senonibus*: non quæ antea adhuc florentibus. Idemque de *Catone* dicendum dum aliam regionis partem *Aureliam*; Aliam *Emiliam*, aliam *Flaminiam* à *Romanis* ducibus dictam asserit. vigentia enim eo tempore nomina non antiqua memorat. *Ptolomeus* pariter denominationem est scriptorum tunc temporis sequutus. Utrum autem vulgo ita an *Picenum* potius ea tempestate vocaretur, cæteri considerent. mea nunc non
B interest. Secundo loco contra me est. *Senam* apud quam debellati sunt *Senones* penetrantibus in *Galliam Romanis* statim fermè occurrisse. ita siquidem *Polybius* parum dicens processisse *Romanos*, cum occurrerunt *Senones*, ibique pugnatum, & *Senam* captam, atque in eam coloniam inductam. Si ergo parum processum erat. cum terminus *Galliæ* iis primis temporibus fuerit *Æsis*, non *Rubico Senogalliam* non *Cæsenam* pervenisse *Romani* potuerunt: cum *Cæsena* ab *Æsi* quadringenta prope stadia absit. Neque etiam hanc capere valuissent quin *Ariminum* prius attigissent,
C cujus nulla tamen fit mentio, & quæ Civitas non nisi multo post tempore capta est victis *Picentibus* atque Colonia deducta eodem, quo *Beneventum* anno.

At facilis, & obvia responsio. *Romani* tum cum in *Galliam* processere *Aretio* signa moverunt id ex *Polybio* elicitur *lib.* 11. verba affero. *Post decimum annum Galli comparato ingenti exercitu in Hetruriam profecti Aretium obsident: Romani Aretinis auxilium ferentes non longe ab Urbis mœnibus dimicarunt in qua pugna superati Lucio Consule amisso Marcum Curtium in ejus locum suffecere. Hic statim Legatos in Galliam mittit ad redimendos captivos, qui cum eo pervenissent violato jure gen-*
D *tium à Gallis interficiuntur. Quo scelere indignati acriter Romani novo delectu habito in Galliam ingrediuntur. Sed parum processum, cum eis Senones occurrunt.* Elicitur ex his *Polybii* verbis *Aretio* movisse *Romanos*, at vero *Aretio* tendentibus in *Galliam Cisalpinam*, sive per vallem quam *Ariminum* fluvius, sive per eam quam findit *Sapis*, ager 15
Cæsenas proxime occurrit. Nec per *Ariminensem* Civitatem, agrumve transire necesse est, ut omnia objecta cessent, quæ contra in argumento adducebantur.

Objicitur tertio loco *Cæsenam* ab *Eutropio* in
E *Piceno* collocari; non ergo est nostra. Responsio facilis. Nulla est in *Piceno*, neque fuit olim *Cæsena*, ut quam *Eutropius* dicit, oporteat nostram esse. Quod vero in *Piceno* eam reponat non tanta cum religione Historici Civitatibus Regiones, ac Provincias præscribunt, ut non interdum in finitimis collocent. Quod *T. Livius*, (licet *Italus*) in *Arimino* fecit dum in *Piceno* posuit. Quanto magis græco scriptori de *Itala* Civitate id ipsum indulgere æquum est?

Postrema adversus me dubitatio ex *Livio* nascitur. Nam propinqua admodum *Metauro* describitur ab eo *Sena*, ad quam videtur *Asdrubal* inter pauculas primæ noctis horas pervenisse. Cum *Cæ-*
F *sena* nostra ab eo flumine milliariis quinquaginta, seu stadiis quadringentis distet quantum itineris vix expeditissimi veredarii brevi adeo tempore conficerent. Verba *Livii* propinquitatem tantam significantia sunt. *His Asdrubal anxius curis, extinctis ignibus, vigilia prima dato signo ut taciti vasa colligerent signa ferri jussit. In trepidatione, & nocturno tumultu duces parum intente servati alter in destinatis jam ante animo latebris subsedit: alter per vada nota Metauram Flumen tranavit. Ita de-*

sertum

sertum ab ducibus agmen primum per agros palabatur, fessique aliquot somno, & vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Asdrubal dum lux viam ostenderet ripa fluminis signa ferri jubet, & pertortuosi amnis sinus, flexusque cum errore obiens haud multum processisset, & ubi prima lux transitum opportunum ostendisset transiturus erat: Sed cum quantum à Mare abscedebat tanto altius coercentibus amnem ripis, non inveniret vada diem terendo, spatium dedit ad insequendum sese Hosti. Nero primum cum omni equitatu advenit. Hæc *Livius* quæ indicare videntur sub initio profectionis elapsum ducem per vada *Metauri*, ut ad *Metaurum* fermè cum fuerit *Asdrubal* dumque tota nocte per riparum flexus incertus erraret die

16 postera *Romani* sunt illum assequuti. Huic ego argumentationi respondeo. Primum à Civitate *Cæsenæ* ad *Metaurum*, iter esse commodum, & facile unius diei artificialis. Id ipsum ego confeci per gradientes non currentes equos duodecim circiter horarum intervallo, ut *Asdrubal*, cujus iter simile fugæ erat dicente Livio. *omisso ejus itinere, quod simile fugæ erat.* non difficile potuerit totius noctis profectione, eaque rapida accedere ad *Metaurum* ut jam elabi per vada ejus nota potuerit peritus locorum dux. Sed id præterea addo, non certo elici ex *Livii* verbis utrum prima, an secunda nocte ad *Metaurum* pervenerit *Asdrubal*, duxque *Metaurum* tranaverit: at à ratione impelli nos, ut credamus secunda potius nocte pervenisse. Cum enim *Asdrubal* prima vi-

A gilia tacitè fugam arripuisset nonnisi sequenti die, altoque jam Sole *Romani* potuerunt ejus abitum explorare, ut illius discessus horum insequutionem decem saltem horis præcesserit. Quo temporis intervallo si quot milliaria confecerint *Pœni* justus rerum æstimator statuat, posteaque consideremus dum tantundem itineris insequens *Romanorum* equitatus perageret rursus *Asdrubalis* exercitum spatium aliud viæ pro velocitatis proportione confecisse, idque subinde semper facile credemus ad vesperam adductum esse primum diem antequam *Nero* sit *Carthaginenses* consequutus, secunda itaque solum nocte ad *Metaurum* pervenit *Asdrubal* totaque illa per fluvii ripam incertus vadi copias duxit. Tum demum remorari cæpit eum *Nero*, ut potuerint consequi, & *Portius* cum

B levi armatura, & qui plus temporis poscebat *Salinator* cum Legionario, & gravi pedite. Die itaque post secundam noctem solum sequutum est prælium. hæc ita dicere nedum verisimilitudo: sed fermè necessitas postulat. Evidentiæque rationis verba etiam *Livii* suffragantur dum dicit milites postquam eos Duces deseruere vigiliis, & itinere fessos procubuisse multos, atque signa reliquisse. Id non accidisset prima nocte, nam quotus quisque militaris homo non sustinet in præsenti adeo discrimine unius noctis vigiliam? Quod si integræ noctis vigiliæ accesserit sequentis diei iter, & vigilia alterius noctis tum sanè cedent somno præter veteranos, & induratos milites, ferme omnes.

17

APPARATUS SECUNDA PARS.



DEmonstrare nunc superest, Fluvium, qui prope *Cæsenam* bis mille circiter passus ad orientem reperitur, antiquum esse *Rubiconem*. Quod non ita pridem exorsi sunt in dubium revocare *Ariminenses*. Suadere ipsi conantur eo antiquitus nomine Amnem nuncupatum, qui est ad Occidentem *Arimino*, ab eaque Civitate sex ferme millibus passuum abest, popularique nunc nomine *Lusus* dicitur. At non satis constanti id assertione proferunt, neque firmis admodum rationibus utuntur, ut ex mox dicendis facile patebit. Interim ut controversiæ status magis constet, Fluvios describo, de quibus ambigitur: ita etiam adducendis rationibus, earumque intelligentiæ sternetur aditus. Fluvius ergo noster, quem antiquum *Rubiconem* asserimus, ab Austro ferme in Septentrionem fluit: viam *Æmiliam*, nonnullis *Flaminiam*, nunc *Romanam* scindit ubi ligneo ponte transmittitur. Antea ostio ipse suo in Mare excurrebat, ut ex Statuto nostro elicitur, & tempestate id sua accidisse memorat *Blondus*, in eoque tum ostio Portum fuisse nostrum asseverat: nunc in *Saviniani* amnem influit, vel is in nostrum, junctique ambo in Mare devolvunt; quod etiam *Sabellici* tempore (ut is attestatur) accidebat. In ripa Fluminis *Cæsenam* versus in via ipsa *Æmilia* columella erecta, illique imposita tabula marmorea, in qua sequens jussio * vetusto sculpta charactere legitur ab usque *Blondi* temporibus, annis ab hinc ferme ducentis.

18 Antequam tabula hæc, quæ diu defossa eo in loco latuerat forte fortuna detegeretur, hoc legebatur ut videtur distichum in marmore pariter impressum.

* Jussio describitur infra pag. 28. & 34. juxta veterem Editionem.

C *Hic licet unda brevi Gallorum terminus olim,*
Ausoniæque fuit, puniceus Rubicon.

Nunc marmor id in impluvii publici Palatii muro est insertum. Cursus totius amnis hæc est descriptio. Sub *Strigaræ* Castello prope Montis *Campi* villam ejus est scatebra, & fons. Inde per *Montis Leonis*, *Montis Jani*, Subrivolique convalles delabitur; totoque eo tractu, qui octo circiter milliarium est usque ferme ad *Æmiliam* viam *Rico* vocatur. In *Pissatelli* inde nomen transit, quod usque ad finem retinet. præterlabitur reliquo cursu decem ferme millium passuum Villas *Riconis*, *Ruffi*, *Bagnarolæ*.

Hæc ex Icone clariora, atque sub oculis posita. Quæ ideo prædixi, quoniam manifestissima

D inde ratio ex monimentis publicis *Ariminensium* adversus eosdem colligetur.

His jam habitis reliquum sermonem dispertiar, Primo quæ pro nobis sunt proponam: postea quæ contra adducuntur expendam, & summovebo. Pro nobis igitur est evidens *Strabonis* testimonium, qui *Cæsenam* nostram, quam ipse *Senam* vocat, *Isapi* dicit, & *Rubiconi* propinquam. *Σίνα Πρὸς τῷ ισάπι Ποταμῷ Καὶ τῷ ῥυβικῶνι.* Id est *Sena* prope *Sapim* fluvium, & *Rubiconem*. Hoc unum gravissimi Geographi dictum manifesto confirmat *Cæsenatum* sententiam. Cum enim duobus illis amnibus *Cæsenam* circumscribat, ut *Sapis* ab Occidente proxime fluit, ita *Rubiconem* eum esse oportet, qui ex altera parte ab Oriente scilicet ejusdem Civitatis agrum propinquissimus omnium

E alluit. *Leander Albertus* gravis & ipse* Scriptor hoc uno argumento adductus *Ariminensium* sententiam refutavit, nostræ subscripsit. Verba Viri sunt. *Passando più avanti si giunge al picciolo Fiume Pissatello da gl'antichi chiamato Rubicone si come da Strabone, Livio, Plutarco, Plinio, Cesa-*

 re

re ne suoi Comentarii, Lucano, Silio Italico nell'ottavo, e da molti altri Scrittori. E perche appresso molti è dubbio se questo Pissatello sia il Rubicone, overo quell'altro, che habiamo descritto per Plusa,
19 *chiaramente il dimostra Strabone nel quinto, quando dice Cæsena Isapi fluvio propinqua, & Rubiconi; cioè Cesena ella è vicina all'Isapi, & al Rubicone; conciosia cosa che dall'altro lato hà il Savio (come demostrerò) e da quest'altr'il Rubicone. Laonde pare à me, che sijno in errore quelli, che altrimenti vogliono tenere.* Hæc Albertus. (*Procedendo pervenitur ad parvum amnem *Pissatellum*, ab antiquis *Rubiconem* appellatum, ut à *Strabone*, *Livio*, *Plutarcho*, *Plinio*, *Cæsare* in Commentariis, *Lucano*, *Silio Italico* in octavo ab aliisque multis Scriptoribus. Et quoniam ambigitur à multis, utrum sit hic *Pissatellus Rubico*, an quem *Plusam* diximus, demonstrat id clarè *Strabo* dicens *Cæsena Isapi* fluvio propinqua, & *Rubiconi* siquidem habet ex altera parte *Sapim*, ut demonstrabitur, ex hac alia *Rubiconem*. Unde errare mihi videntur qui aliud sentiunt.*)

Et nunc præsertim duos transilisset à *Cæsena* fluvios, *Pissatellum*, & *Saviniani*, & tertium ab illis *Lusum* quindecim millibus passuum distantem ad nostram Civitatem determinandam adhibuisset; non facile exemplum apud Geographos.

Ariminenses Scriptores cæteri non viderunt, vel vidisse dissimulaverunt *Strabonis* locum. Eruditus *Porta* vidit, & declinare conatus est, at non satis felici eventu. Summa responsionis est descriptam à *Strabone Cæsenam Rubicone* non ob propinquitatem, sed ob celebritatem. At non est mos Geographorum alienis, non propriis fluminibus; & demum limitibus Regiones, Civitatesve describere, præsertim abest à *Strabonis* consilio, qui flumina in Geographia adhiberi dicit ad definiendas Regionum magnitudines, & figuras. Verba ejus sunt. *Nam Flumina in primis ad totam præsentem materiam conducunt, cum ea magnitudines, & figuras Regionum naturaliter determinent.* At vero non aliena hoc flumina, sed propria, & insita præstant. Præterea si ob celebritatem erat *Rubico* ad definiendam Civitatem aliquam adhibendus, cur non reservasset eum *Arimino*? cujus paulo post meminit, & *Arimino* fluvio non *Rubicone* describit. *Habet* (inquit) *Ariminum portum, & ejusdem nominis amnem.* Attamen si *Lusus Rubico* fuisset ad *Ariminenses*, tum
20 vicinitate, tum celebritate pertinuisset. Neque vero *Arimini* fluvii, & *Rubiconis* par celebritas. unde *Ptolemeus* inter *Æsium* fluvium, & *Padum* solum *Rubiconem* memorat; *Ariminum* cum reliquis reticet. Secunda ratio pendet ex *Plinii* dicto, quo is aperte *Rubiconem* à *Lusi* fluvio distinguit; adeoque *Ariminensium* opinioni refragatur, & suffragatur nostræ. verba sunt *lib.* III. *nat. hist. cap.* 14. *Octava Regio determinatur Arimino, Pado Apennino in ora fluvius Crustumium, Ariminum colonia, cum amnibus Arimino, Aprusa, hinc Rubicon quondam finis Italiæ, ab eo Sapis, & Vitis, & Anemo.* Ex hoc loco patet *Rubiconem* ab *Aprusa* distinctum. *Aprusam* vero *Lusi* flumen interpretantur *Blondus* & *Leander Albertus*; & *Plinii* verba, ac ordo id exposcunt: nam procedit *Plinius* tum ab Ortu subinde in Occasum, ita à *Crustumio* scilicet hodie *la Conca* ad *Ariminum*; ab *Aprusa* ad *Rubiconem*, inde ad *Sapim*; ab eo ad *Vitim* scilicet nunc *Ronco*; & inde ad *Anemonem* nimirum *Lamone*: non autem *Montone* ut *Porta* non recte exponit. At utrum sit, posteriora sunt, subinde ad Occasum prioribus, ut pariter necesse sit secus esset ordinis perturbatio, *Aprusam* esse occidentalem *Arimino* fluvio nunc *Marecchia*. verum enim vero id si concedatur necessum est fa-

A teri *Aprusam* esse *Lusi* flumen. Scriptores *Ariminenses* ultro suscipiunt *Lusi* flumen non esse *Rubiconem* à *Plinio* memoratum: sed *Lusæ*, vel *Plusæ* ab eo nomine appellatum asserunt. Ita Cæsar Clementinus *lib. primo hist. Gl'Ariminensi all'incontro sono di parere, che il Rubicone sia il loro fiume Uso chiamato da Plinio Lusa dal nome di una donna.* [**Ariminenses* contra sentiunt *Rubiconem* esse ipsorum flumen *Usum* à *Plinio Lusam* à mulieris nominis vocatum.*] *Porta* cum primo extenderit *Aprusam Plinii* significare *Avesam* torrentem ad ortum *Arimino*, & *Rubiconem* significare *Luso*; postea in Apologia adversus supplementum Chro-
B nicorum *Veruculi*, ut sunt curæ posteriores juxta adagium meliores in priorem *Clementini* sententiam venit nomine tantum *Lusæ* in *Plusam* mutato. verba sunt ferme ad libri calcem in Epilogo. *Di maniera, che resta assai provato, che non si dia quella celerità militare immaginata dall'autore su-* 21
detto, e da quanto ho discorso, che Cesare da Luso nostro fiume, Rubicone all'hora, e Plusa di Plinio. [*Ita ut satis sit confirmatum non eam dari celeritatem militarem ab Auctore supradicto excogitatam, qua *Cæsar* à *Luso* nostro flumine tum *Rubico*, & à *Plinio Plusa*.*] Id modo dissimulo nusquam à *Plinio* vocem *Plusæ* adhibitam, sed
C *Aprusæ* tantum; at non moror novationem nominis. Esto *Plusam* à *Plinio* dictum *Lusum* nunc Flumen, satis est mihi *Rubiconem* à *Plinio* memoratum non fuisse *Lusum*, cum afferant *Ariminenses* hunc à *Plinio Lusam*, vel *Plusam* fuisse appellatum non *Rubiconem*. Fuit ergo *Rubico* à *Plinio* memoratus noster *Pissatellus*, cum inter hos tantum duos amnes sit de nomine controversia etiam secundum *Ariminenses*. Concedant ergo nobis opus est, *Pissatellum* nostrum esse *Plinii Rubiconem*. Tum ulterius infero, & qui tempore *Cæsaris* vocabatur *Rubico*, idem est. Secus demonstrent *Ariminenses* Scriptores aliqua antiquorum aucto-
D ritate mutationem significationis vocis intra præsertim septuaginta annos, quot inter *Cæsarem* Dictatorem, & *Plinium* intercessere. Secus attestari vocis antiquæ novatam antiquitus significationem absque antiquitatis ullo testimonio, quo demum nomine est ausus ejusmodi vocandus? Immo eundem semper fluvium fuisse à *Rubiconis* voce significatum conspicuum hinc redditur, quoniam omni tempore significavit amnem, qui *Italiæ*, & *Galliæ* confinium erat. Plinius. *Rubico quondam finis Italiæ.* Suetonius. *Consequutus est cohortes ad Rubiconem, qui Provinciæ ejus finis erat.* Provincia autem *Cæsaris Gallia* fuit. *Plu-
E tarchus* quoque dicit *Rubiconem* dividere *Galliam Cisalpinam* ab *Italia*. colligo argumentum. Fatentur Scriptores *Ariminenses*, *Rubiconem*, cujus meminit *Plinius* non fuisse *Lusum*, quippe qui ab eo *Plusa*, non *Rubico* dictus fuerit: at *Rubico Plinii* idem est qui *Suetonii*, & qui *Plutarchi*, adeoque is de cujus transitu hæsitaverit *Cæsar*. Ergo *Rubico Cæsaris* non est *Lusus*. At hoc dilemma *Ariminenses* ultro concedunt *Rubico* fuit vel *Lusus*, vel *Pissatellus*: cum igitur *Lusus* non fuerit, reliquum est, *Pissatellum* fuisse. Quid vero? quod *Suetonius* contemporaneus fuit *Plinio*, ut eandem fuisse in utriusque Scriptoris vocis si-
F gnificationem omnino oporteat. Cum itaque 22
Plinio non significet *Rubico Lusum*, neque *Suetonio*, cujus *Ariminenses* testimonio utuntur, significare potuit. Satis hinc superque sententia nostra confirmatur. At videamus Scriptores *Romana* tempora consequutos, qui à nobis stant. *Joannes Boccacius* gravis Scriptor in *libro de Fluminibus* juxta versionem *Liburni* (careo latino codice) in voce *Rubicone* hæc habet. *Rubicone è Fiume, dove già Italia Provintia trà Rimini, e Raven-*

Ravenna per li Romani Capitani era separata dalla Francia Cisalpina piccolo certo, da monti vicini và nel Mare Adriatico hoggi da gl'habitanti è chiamato Pissatello appena conosciuto. [* *Rubico* est fluvius ubi Italia olim inter Ariminum, & Ravennam propter Romanos Imperatores à Gallia Cisalpina dividebatur: exiguus is sane à propinquis montibus in Adriaticum mare delabitur: hodie ab accolis Pissatellus vocatur vix notus.*] *Blondus* antiquitatum eruditissimus aperte nomen antiquum *Rubiconis* nostro *Pissatello* adjudicat. Hic post *Savinianum Butrium* Torrentem collocat, inde in collibus vitium, olivarumque refertis *Montejanum* Castrum postea *Rubiconem.* verba sunt. *Succedit Torrens parvus Rubico terminus olim Galliæ Cisalpinæ, Italiæque infra Flaminiam viam Pissatellum vocant, supra Riconem. Florente Romana Republica vetabatur ne quis armatus illum absque Magistratuum licentia transiret; quæ jussio nunc quoque ibi legitur in marmore elegantissime scripta.* Hæc Blondus, & paulo post hæc alia scribit. *Nunc ubi Rubico Mare Adriaticum ingreditur est Cæsenæ Portus.* Planum itaque est ex sententia *Blondi*, *Rubiconem* esse *Pissatellum* non *Lusum*.

Nicolaus Perottus in verbo occido.

Nicolaus Perottus celebris eruditionis Vir *Sipontinus* Episcopus disertis verbis *Rubiconem Cæsenæ* tribuit. verba viri hæc. *Sunt qui existimant Cæsenam quoque Flaminiæ Urbem à cedendo appellatam, quod exiguo intus amne Cæsa hoc est divisa sit: vel quod ager ejus duobus fluminibus Sapi, ac Rubicone sit divisus.* Hæc *Perottus.* Itaque *Rubico* in agro *Cæsenate* ex sententia ejus, & eorum præterea, quorum dimissis nominibus sententiam refert.

Sabellicus in vita Cæsaris Dictatoris.

Marcus Antonius Sabellicus in *Suetonium* hæc de *Rubicone. Is* (inquit) *finis olim fuit Cisalpinæ*
23 *Galliæ, & Italiæ.* Lucanus.

—— —— —— qui gallica certus
Limites ab Ausoniis disterminat arva colonis
Hodie corrupto nomine Ricconem accolæ vocant.

Et paulo post subjungit. *Priusquam ad Mare sit ventum proximo amniculo insinuatis aquis, & nomimine confusis in Adriam inter Ariminum, & Ravennam devolvitur.* Hæc duo, quæ *Rubiconi* tribuit *Sabellicus* nostro, non *Luso* conveniunt. Vocatur enim hic *Rico* ab accolis usque scilicet ad *Flaminiam* viam, & cum flumine *Saviniani* jungitur. Neutrum horum *Luso* convenit. *Andreas Baccius* Reipublicæ olim *Florentinæ* à secretis in versione *Appiani Alexandrini* dicit, *Rubiconem* antiquum, nunc *Pissatellum* vocari. sunt verba. *Arrivò con veloce camino sul fiume Rubicone, il quale si chiama hoggi Pissatello, e passa trà Arimino, e Ravenna.* [*Pervenit veloci cursu ad fluvium Rubiconem, quem hodie Pissatellum appellant: fluit vero inter Ariminum, & Ravennam.*] *Leander Albertus* ut pro nobis sit, & contrariam sententiam confutet, jam vidimus. Auctor supplementi Chronicorum *Veruculi* eidem sententiæ patrocinatur. Dimitto *Malombrium*, quem *Porta* ipse adducit dicentem *Rubiconem* nunc *Pissatellum* vocari. At *Porta* exponit *Pissatellum* fortè pro *Luso* accipere, qui exponendi, & detorquendi verba pro arbitrio usus, & ausus si permittatur nihil est adeo falsum, quod defendi non possit. Certe hic Scriptor in omnibus aliis locis, & reliqui Scriptores *Ariminenses* omnes uni nostro nomen *Pissatelli* tribuunt. At cæteris dimissis ex publicis *Ariminensium* tabulis, quas ipsi pro se afferunt clarissima redditur, & evidentissima concluditur sententia nostra. *Clementinus* igitur Hist. in confirmationem assertæ opinionis esse *Lusi* flumen *Rubiconem* adducit *Federici* Primi Imperatoris diploma sub anno 1165. die 21. Martii, & judicium præterea coram *Uberto* Vicecomite arbitro inter *Cæsenates*, & *Ariminenses* in controversia de finibus. Exscribit vero in eodem opere Imperatoris diploma *lib.* 111. cujus ego cæteris omnibus omissis hanc partem pono. *Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus imperiali aulæ constitutis totum comitatum, & districtum suum sicut trahit Rubicon usque ad Mare à latere Cæsenæ; Pi-* 24 *sauri usque ad Foleam, & Ariminum liberam potestatem, & meram jurisdictionem concedimus.* Et lib. eodem post multa refert acta Procuratorum earundem Civitatum coram memorato *Uberto*, ejusque judicium. Ego petitiones utriusque partis cæteris circumscriptis exscribam, & judicium *Uberti* qua petitionibus respondet, ut luce clarius meridiana reddatur ex monumentis antiquis *Ariminensium Rubiconem* esse non quem illi: sed quem nos dicimus. verba sunt. *Tenores, quorum libellorum, & petitiones partium utriusque sunt hi. Ex parte quidem Ariminensium hic est; Nos Ariminenses dicimus comitatum nostrum, & districtum, & fines esse debere, & nunc esse, & extendi ex latere Cæsenæ supra stratam sicut trahit, & incipitur à termino lapidis Strigariæ, & descendit in Rivum Fazeti, & per eundem rivum descendens in flumine Rubiconis, & per Rubiconem veniens ad stratam ante Hospitale Butrii, & à strata inferius sicut trahit via pergens juxta illud idem Hospitale à latere Cæsenæ, & exit ad Plebem Ruffi, & inde vadit ex illo latere Plebis versus Cæsenam ad vadum Bagnarolæ Plebe etiam dicta cum suis pertinentiis omnibus, & Plebatu in nostro territorio remanente, & inde exit ad vadum Aguzam, & sicut inde progreditur ad Castellare Casalighi, & inde descendit ad Castellare S. Thomæ, deinde ad locum, qui dicitur S. Thomæ supra situs Maris, quæ omnia dicimus à nobis, & pro nobis Ariminensibus detineri, & possideri, & esse detenta, & possessa, & ad nos pertinere. Hæc omnia Casottus Syndicus Communis Arimini nomine ipsius Communis proponit, & dicit, & petit prædictos fines sicut distincti sunt ut comprobetis, & terminos imponatis, & sicut in hoc libello designati sunt supra. Tenor autem libelli, & petitionum ex parte Cæsenatum dati, porrectarum hic est. Ego Zeno Syndicus Communis Cæsenæ nomine Communis dico Comitatum Cæsenæ, seu districtum, & fines esse, seu esse debere, & nunc eo usque detineri à Cæsenatibus, & extendi ex latere Cæsenæ supra stratam sicut incipit terminus lapidis Strigariæ, quæ incipit inter nos, & comitatum Imperii, quem dicunt Ari-* 25 *minenses suum esse debere, & descendit in Rivum Fazeti, & per eundem Rivum confinando in flumine Rubiconis, & per Rubiconem descendens usque ad vadum S. Apollinaris, & per vadum exiens de Rubicone trahit per viam inter unum vadum Archiepiscopi, & alium usque ad vadum de fantis, tumba tantum Carmezani de nostro remanente districtu, & sicut trahit fundum Rogossæ, usque ad stratam ubi fuit pons trabis de Rogossa, & à prædicta strata inferius quæ vadit ante hospitale Butrii incipit comitatus Cæsenæ, & districtus in ipsa strata in alveo Rogossæ ibi ubi fuit pons trabis, & descendit per antiquum alveum Rogossæ ipso alveo redeunte super Ecclesiam de Roncore ipsa Ecclesia remanente in plebatu Bulgariæ, & comitatu Cæsenæ, & sic confinando decurrit in Pontanum, & descendens ipse Pontanus in Treponzellum decurrens cum ipso Treponzello ad vadum trabis redit ad fossaltam, & trahit ad cortinas Blanchesii, & tenditur retro portas Gualdi in via Pavirani ad Rancum Musani, & exit ad vadum Cassellæ in Treponzum, & trahit per ipsum Treponzum in Mare districtus vero Communis Cæsenæ pertinens ultra protenditur scilicet usque ad pontem marmoris de Savignano, & descendit per rivum Treponzii confinando in Mare. Quæ omnia pro Communi Cæsenæ postulo à vobis Domino Uberto Potestate Bononiæ declarari.*

clarari. Visis, & auditis utriusque partis allegationibus, testium depositionibus, instrumentis, & confessionibus, & privilegiis; & deliberatione super his habita. Dico ego Ubertus Vicecomes Bononiæ Potestas, laudo, arbitror, & statuo scilicet à strata superius sicut trahit, & incipit à termino lapidis Strigariæ, & descendit in Rivum Fazeti, & per eundem rivum descendens in flumine Rubiconis, & per Rubiconem usque ad vadum S. Apollinaris usque ad stratam ad terminum qui ponatur in eadem strata in medio inter Hospitale Banzolæ, & Hospitale Butrii, à strata vero inferius terminus ponatur in eadem strata per medium inter Bulgariam veterem, & Bulgariam novam, & sicut trahit illud medium ad cortinas Blanchisii, cortinis Blanchii, & Bulgaria nova remanentibus ex latere Cæsenatum, & Bulgaria veteri remanente ex latere Ariminensium, & à cortinis Blanchisii recta linea usque ad Mare Bulgaria nova remanente ex latere Cæsenatum, & quicquid est ab illis confinibus sive terminis ponendis versus Cæsenam inferius, & superius à strata adjudico pro districtu, & comitatu Cæsenatibus Quicquid vero ab illis confinibus versus Ariminum adjudico pro districtu, & comitatu Ariminensibus, & inferius, & superius à strata. Sic statuo, sic arbitror, sic laudo, sic præcipio ab utraque parte Ariminensium, & Cæsenatum perpetuo observari, & his secundum quod superius legitur esse contentum. Data in scriptis Anno à Nat. Domini M. CCXXII. Hæc reposui ad verbum, ut constet ex *Ariminensium* tabulis unanimi tum consensu *Ariminensium*, *Cæsenatum*, & Judicis, *Rubiconis* ortum esse sub *Strigaria*, & in eum influere, & delabi in rivum *Fazeti* vocatum, ad *Ruffi*, *Bagnarolæ*, *Blanchisii* villas accedere citra *Bulgariam* esse. Quæ uni nostro *Pissatello* congruunt, & longe absunt a *Luso*. Sub *Strigaria* noster nascitur, & in eum hucusque rivus *Fazeti* delabitur, ut ex Topographia patet, quam nemo sanus negabit, cum aspectus ipsæ regionis, & obvius sit, & Iconi prorsus respondens. Num vero erit qui propinquitatem *Strigariæ* tribuat *Luso*, & *Riconi* nostro neget? qui rivum *Fazeti* in illum procedere asserat? præterea num *Ariminenses* fluvium, qui prope *Ruffum*, *Bagnarolam*, *Cassaligium Castellare* D. T. esse *Lusum velint*, & non *Pissatellum* nostrum, qui eas omnes villas findit, vel alluit? pariter ex judicio, & sententia *Uberti Butrium* est ultra *Rubiconem* versus *Ariminum* erit quispiam adeo positionis tenax, qui *Butrium* inter *Lusum*, & *Ariminum* collocet? qui hoc dixerit potest etiam Lunam, & Solem confundere. Est ne in re tam evidenti adducendus *Blondus* quod citra *Savinianum* versus nos *Butrium* reponat? at concludo rationem ex descriptione ipsa, & Icone esse evidentem. Placet nunc urgere eosdem ex diplomate *Federici Rubiconem* is finem, & limitem facit agri *Ariminensis*. Num est is *Lusus*? num restringunt *Ariminenses* intra *Lusum* agrum ad occidentem suum? si restringunt cur *Cassotus* Syndicus usque ad *Bagnarolam* ad *Casalidium* ad D. *Thomæ Castellare* (ut vocant) extendi contendit? vel injusta antiquorum *Ariminensium* petitio, vel falsa recentium de *Rubicone* opinio. Cur præterea non assensere tum *Cæsenatibus* citra pontem marmoreum *Saviniani* fines suos contrahentibus cum citra *Lusum* ii fines sint circiter quinque millia passuum. Cur damnatur à *Clementino Ubertus*, si ultra fines ab *Ariminensibus* petitos tantum illis citra *Savinianum* assignat? næ ut verum sibi undequaque consentit, ita falsum à se ipso undique dissonat. At nos tamen non assentimus *Federici* limitibus; vel diploma confictum, vel ut in contrarios sibi, & Ecclesiæ adhærentes tum *Cæsenates* illud ceu indignationis suæ fulmen contorsit in favorem sub-

26 (margin, beside "ria veteri remanente ex latere Ariminensium")

27 (margin, beside "lare (ut vocant) extendi contendit?")

ditorum tunc *Ariminensium* ut erat eo tempore & Civitatum, & Provinciarum divisio in Ecclesiæ, vel Imperii sequaces. Placet subjicere testimonium *Joannis Antonii Magini* Mathematici celeberrimi, qui in Topographia *Romandiolæ* fluvium nostrum *Pissatellum* inscribit Italice *Pissatello*, *ò Rubicone*. Eundem in *Italiæ* universa tabula *Rubiconis* nomine describit. *Joannes* pariter, *Nicolaus Dollionus* in *Europa* sua Italicè conscripta cis *Savinianum* ad occasum scilicet immo cis *Butrium Rubiconem* ponit, eumque *Pissatellum* nunc vocari asserit. *Aldus Manutius* nostrum hunc pro *Rubicone* pariter agnoscit dum anno 1565. in ejus ripa columellam erectam, & Edictum idem quod in solo hoc nostro, & tunc reperiebatur, & nunc reperitur se legisse asseverat. Exscribo verba ejus in lib. de Ortographia pag. 766. *Tyro novus miles cum y non cum i ex inscriptione Edicti vetustissimi, quæ adhuc in Rubiconis ripa conspicitur à me superiore anno* MDLXV. *cum Venetiis Romam redirem diligenter exscripta.*

IVSSV MANDATVVE P. R. COS. IMP. MILI. TYRO COMILITO MANIPVLARIVE CENT. TVRMAEVE LEGIONARIOE ARMAT. QVIS QVIS ES HIC SISTITO. VEXILLVM SINITO NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONEM SIGNA. ARMA. DVCTVM COMEATVM EXERCITUMVE TRADVCITO. SI QVIS HVIVSCE IVSSIONIS ERGO ADVERSVS IERIT, FECERITVE ADIVDICATVS ESTO HOSTIS P. R. AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TVLERIT. SACROSQ. PENATES E' PENETRALIBVS ASPORTAVERIT SANCTIO PLEBISCI. SENATVSVE CONSVLTI VLTRA HOS FINES ARMA PROFERRE LICEAT NEMIMI. 28

S. P. Q. R.

Rationes *Ariminensium* jam audiamus, earum levitas à multarum nos consideratione excusaret; at placet sigillatim excutere. Clementinus ergo *lib.* 1. *Hist.* primo loco utitur antiquorum testimoniis ut opinioni suæ suffragantibus, primo ergo loco adducit *Titum Livium*, cui hæc verba imponit. *Rubicon est prope Ariminum.* imponit autem; nam non hæc habentur penes *Livium*, unde *Porta*, qui ut videtur illud argumentum indigitaverat, fatetur deinde non haberi ea in *Livio*, qua de re postea. At esto id dici à *Livio* à *Vibio Sequestro Rubicon Galliæ* flumen juxta *Ariminum*. & alios non procul *Arimino* eum collocare, nihil tamen inde elicitur unde concludi possit nostrum *Pissatellum* non esse *Rubiconem*: mos enim Geographorum est fluvios ex ostiis describere id observare licet in principe Geographorum *Ptolemeo*: satis vero sit aliqua hic memorare. *Arnum* ex ostio determinat cui ad occidentem ponit, ut viciniorem locum *Herculis Fanum*, ad ortum *Liburnum* Portum, nulla tum *Pisarum*, quam Civitatem findit mentio, nulla *Florentiæ*, quas tamen Civitates in mediterranearum descriptione ponit. Quid quod in *Tiberi* describendo de *Roma* ne verbum quidem? *Ostiam* memorat, cui ad occidentem *Alsinum* jungit; ad orientem *Altinum*; in ostio ipso *Ostia*. Satis hæc ad declarandum cur *Ariminum* prope *Rubiconem* collocent Geographi, vel Geographos sequuti scriptores cum ejus ostio 29

Prima Ratio.



TOPOGRAPHIA RVBICONIS FLVVII.
Scala Miliaria.
1
2
3
4
MARE ADRIATICVM.
PORTVS CÆSENATICVS.
CÆSENA.
Sapis Fluvius.
Fluvius.
Rubicon
Russium
Bulgaria.
Butrium Torrens.
Sabinianus Fluvius.
SABINIANVM.
Lusus seu Plusa Fluvius.
Ariminus Fluvius.
S. Archangelum.
Carpeneta.
Subrivolus.
Mons Novus.
Mons Leo.
Longianum.
Ronco Eredu.
Strigarium.
Bola Laidi.
35
10
15
20
25
50
45
40
43

ostio ex locis maritimis sit omnium proxima illa Civitas.

Secunda Ratio.

Alia scriptorum testimonia ad eandem probandam conclusionem inducunt, quæ ferunt inter *Ravennam*, & *Ariminum Rubiconem* esse, ac fluere: utuntur *Strabonis* testimonio. *Rubicon est inter Ariminum, & Ravennam.* Item *Ambrosii Calepini. Rubicon fluit inter Ariminum, & Ravennam.* Ex iis inferunt *Rubiconem* esse *Lusum*, non *Pissatellum.* Cum *Cæsenæ* scilicet non meminerint. At eadem quæ præcedenti etiam huic argumento responsio satisfacit, & per ostia describuntur Flumina, & adjacentia loca maritima ostio apponuntur. Non possum præterea imbecillitatem dissimulare ejusmodi rationis. Quæ namque illatio est. Fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam Rubico.* ergo est *Lusus?* Id sane est si ad integri-
30 tatem adducatur argumentum. *Rubico* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit. *Lusus* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit. ergo *Lusus* est *Rubico*, verum nos pariter inferremus *Sapim* esse *Rubiconem* eodem usi argumento. *Rubico* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit. *Sapis* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit. ergo *Sapis* est *Rubico.* Exigitur sane ad recte arguendum major logicæ observatio, cujus adeo ipsi canones spernunt. In secunda siquidem figura ex duabus affirmativis nihil colligitur. Quid vero dum adducunt testimonium pro se *Silii Italici*? dicunt autem. *Silius Italicus idem* libro octavo *innuit dum Civitates fideles memorat, quæ auxilium* Romanis *adversus* Annibalem *præstitere.* At innuit ne *Rubiconem* esse *Arimini* fluvium, an potius *Senæ* aperte jungit? nimirum *Cæsenæ* ex jam ostensis ita *Silius lib.* eodem *octavo*, & loco indicato ab *Ariminensibus.*

Tertia Ratio.

Et *Clanis*, & *Rubico*, & *Senonum* de nomine *Senæ* jungit *Senæ*, scilicet *Cæsenæ Rubiconem Silius Arimini* ibi, & in eo toto catalogo Civitatum opem ferentium *Romanis* nusquam meminit, ut constet non satis accuratos esse, an non satis veros? in testimoniis pro se afferendis. Habemus nos tamen illis gratias, dum arma nobis ipsimet subministrant, quæ retorqueamus adversus eos prævalida.

Quarta Ratio.

His rationibus aut aliam à præcedentibus, aut confirmationem præcedentium subjiciunt, cujus (quocunque nomine appellemus) verba sunt. *Itaque non video à quopiam mentionem, vel minimam Cæsenæ haberi.* Videtur autem esse ratio, quam hic jacit Scriptor. In describendo *Rubicone* nulla mentio *Cæsenæ.* ergo non est is fluvius *Cæsenæ* propinquus. At jam ut vidimus non recte consequitur; non est cujuspiam in describendo flumine Civitatis facta mentio. Ergo non est illi propinquum flumen. *Tiberis* enim non esset prope *Romam*, cujus in eo describendo nequaquam meminit *Ptolemeus.* Item *Arnus* non fuisset *Pisarum*, non *Florentiæ* eandem ob causam. Præterea vero neminem meminisse *Cæsenam* occasione *Rubiconis* falsum esse jam vidimus. verum distinguere oportet, non parum interesse inter descriptionem locorum ex fluminibus, & fluminum ex locis: loca enim etiam mediterranea ex fluviis describuntur, tumque propinqui prorsus nisi fin-
31 dant Urbem assumuntur; at fluvii ex ostio, & locis maritimis proprie designantur non ex mediterraneis idque jure; si enim per mediterranea determinarentur, cum fluvii quique plura loca alluant prolixa descriptione esset utendum, instar

Clem. pag. 78.

A ejus, quam in *Dante* habemus dum *Arni* cursum designat, ut in populos scilicet quos alluit invehatur. Addo nunc præter communem eam causam hic peculiarem fuisse quamobrem adducti auctores tum *Cæsenæ* non meminerint; nam occasione illi itineris *Cæsareani Ravenna Ariminum, Rubiconis* meminerunt. per eam autem viam pergenti *Cæsena* non occurrit, ut deinceps latius aliquanto dicemus. At *Ariminensis* Scriptor aliorsum reticentiam *Cæsenæ* accipit amarulentam nempe interpretationem aspergit. *Quoniam* (inquit) *vel* Cæsenæ *tum non ea erat, quæ nunc existimatio, ut ex ultima epist. fam.* Ciceronis, *& ex capite*
B Catonis X. *elici posse dicit, aut quoniam* Rubico *cum in agro* Ariminensi, *ejusque ac* Italiæ *finis esset, non erat cur* Cæsenæ *meminissent, quæ qualiscunque esset extra ditionem* Romanam *reperiebatur, adeoque nec ibi edictum posuissent, nec* Boji, *aliive* Galli *ei regioni imperantes id tulissent.* At poterat non necessariam hanc causam omittere, * cum, & *Cicero* de alia *Cæsena* exponat *Aldus Manutius* vir eruditissimus, & *Catonis* locus sit somnium Scriptoris, nusquam in *Catone* reperiatur: poterunt enim aliqui credere ex vomica antiqui olim inter has conterminas Civitates odii dictum
C erumpere. At reliqua rationis pars flaccescit prorsus, nam vel arbitratur cum edictum posuere *Romani* ad *Rubiconem* Imperium tum eorum finitum; & sive *Lusus*, sive *Pissatellus Rubico* fuerit æque ratio procedit, vel in nostro nullam habet vim, vel æque in *Luso* habet: aut non finiebatur *Rubicone* imperium, ut vere non finiebatur, & corruit argumentum.

Proponit quinto loco diploma *Federici*, & sententiam *Uberti*, post acta *Cæsenatum*, & *Ariminensium* pro se, quæ pro nobis efficacissime concludere supra jam ostendi.

Quinta Ratio.

Annectit idem Scriptor aliam rationem, dum
D Edictum illud stetit nullum in *Rubicone* jus habere *Cæsenates*, quicunque is fuerit, sive scilicet quem ipsi, sive quem nos contendimus. Quæro ergo unde ipsi desumant nullum jus *Cæsanates* in *Rubicone* habuisse, an sibi somnia fingunt? vere pusillum oppidum fuisset *Cæsena*, cujus fines non 32
abfuissent bis mille passuum à Pomœrio. At satis de magnitudine *Cæsenæ* in præcedenti. verum enim vero faciamus, *Cæsenæ* agrum tum ad *Rubiconem* non pervenisse, & *Ariminenses* ultra *Pissatellum* protulisse fines. Adhuc modo *Pissatellus* sit *Rubico* est quod nos contendimus contra *Ariminenses.* Non est enim controversia utrius fue-
E rit *Rubico*: sed uter fluvius *Lusus*, an *Pissatellus Rubico* fuerit. Disputator è statu causæ delabitur. At urgeo dictum viri, ager *Cæsenæ* ad *Pissatellum* non pervenit, id sibi vult dum quicunque fuerit *Rubico* in agro *Cæsenate* fuisse negat. Quæro ergo cujus fuerit ager ultra *Cæsenates* fines; si *Arimini* dicant, at finis agri *Ariminensis* erat finis *Italiæ*, & finis *Italiæ* erat *Rubico*, id ipsemet Scriptor asserit; ergo inter *Cæsenam*, & *Pissatellum* erat *Rubico.* Forte erat Rivus ille illac fluens, quem vulgo *Matolardum* dicimus. Geræ meræ. Quod si nec *Ariminensium*, nec *Cæsenatum* tantum agri, quænam inter eas Civi-
F tates intercedebat Civitas, aut Oppidum, cujus nec *Strabo*, nec alii tum Geographi ulli meminerunt, nec modo ullo asserunt *Ariminenses*? patet quam sint omnia inconstantiæ, & repugnantiæ plena, quæ ad tuendam falsam causam *Ariminenses* Scriptores dicunt.

Sexta Ratio.

Ab

* *Cum & Cicero de alia Cæsena exponat Aldus Manutius*] Loco *Pauli* reponendus est *Aldus Pauli*, sensus vero ibi responsionis non est quasi *Aldi* expositio de alia *Cæsena* probetur: jam enim in principio quarti libri suspexi viri amorem, non suscepi opinionem, sed quod in diversitate opinionum præstabat non abuti altera ad depressionem amicæ nunc Civitatis.

Septima Ratio.

Ab experientia itidem naturali ſuppetias petunt. verba ſunt. *In oltre gl' Arimineſi* (Clement. pag. 81.) *in aumento delle loro buone ragioni aggiungono con l'eſperienza in mano queſt'altra, che tutti i foſſi, rivoli, e fiumi di queſte parti da* 150. *anni in quà habbino alargato li loro letti altretanto quanto haveano prima, e così ſi puo credere veriſimilmente, che habbino del continuo fatto per l'adietro. Il Piſſatello di preſente non occupa in larghezza di terreno più d'una canna e mezo. Adunque* 200. *anni ſono era aſſai minore* 1500. *anni per conſequenza dovea eſſere un picciolisſimo foſſo, e perciò non pare che habbi molto del veriſſimile, che poteſſe ſervire per confine di Provintie, e forſi Regni, come è l'Italia, e le Gallie.* [*Ulterius Arimineñſes per incremento rationum ſuarum hanc aliam experientia ductam addunt foſſas omnes, rivulos, & amnes hujus regionis ab hinc 150 annis prolataſſe ulterius altero tanto alveos idem primo in præteritum
33 ſemper accidiſſe æquum eſt credere. Piſſatelli nunc latitudo non eſt ſeſquipertica amplior, ita 200. ab hinc annis multo minor: at 1500. fuiſſe minimum foſſulum fateri oportet, adeoque non admodum veriſimile eſt potuiſſe pro limite provinciarum, potiuſque Regnorum quantæ Italiæ, & Galliæ erant deſervire.*] At infirmæ ſubſtractioni falſam rationem ſuperſtruunt. Fundamentum (inquam) quod 150. quibuſque annis duplo majora facta fuerint hujus regionis fluenta. Quod neque ex naturali philoſophia ſumitur, neque non experientiæ refragatur. Ariſt. 1. Meteor, docet flumina primo creſcere, deinde in ſtatu permanere; poſt multum ſeneſcere ſcilicet diminui: & demum exſiccari: qui eſt ordo, & progreſſus rerum omnium ortui, & interitui obnoxiarum ortus ſcilicet incrementum, ſtatus, decrementum, & interitus. Oportebat itaque *Arimineñſes* id demonſtrare, non aſſerrere gratuito, fluenta hujus Regionis elapſis temporibus uſque nunc ſemper in incremento fuiſſe, quod ſane aſſequi non potuiſſent, cum contra experientia conſtet ipſa in ſtatu ſaltem ab Auguſti temporibus conſtitiſſe, cujus rei nobis prævalidum argumentum pons ipſe *Ariminenſis* fluvii juſſu *Auguſti* conditus ſuppeditat, qui intra eadem nunc alvei latera, intraque tunc exædificatus fuit conſiſtit: alveus ergo idem nunc, qui eo tempore perſeverat. At vero incrementum illud altero tanto centenis quinquagenis annis, quod Scriptores iidem profitentur quantum ſi calculus ineatur ab omni veritate abhorret? Ego ratiocinium ex fluvio ipſo *Arim.* progreſſione uſus (ut vocant Arithmetici)

Clementinus pag. 100.

ſupputo. Pons itaque *Arim.* longus eſt, adeoque ejus fluvii alveus latus pedes 120. ſcilicet perticas 12. tantaque adeo erat latitudo ejuſdem alvei tempore *Auguſti*, ſcilicet ſub initio annorum Chriſti. At faciamus latitudinem tum fuiſſe unius tantum perticæ. annis itaque 150. Chriſti ex *Arim.* canone fuiſſet 2. pert. annis 300. 4. pert. annis 450. 8. pert. annis 600. 16. pert. annis 750. 32. pert. annis 900. 64. pert. annis 1050. 128. pert. annis 1200. 256. pert. annis 1350. 512. pert. annis 1500. 1024. pert. quoniam vero non effluxerunt alii 150. anni integri, quibus incrementum fuiſſet uſque ad pert. 2048. ſed interceſſerunt anni circiter 130. ex reg. aurea colligemus incrementum ad pert. ferme 1775. exporrigi, quæ conficiunt miliaria 5. integra, & tertiam inſuper proxime partem: quod ſi retineamus latitudinem perticarum ab initio 12. exſurget latitudo, quam modo ineſſe oporteret ejuſdem fluminis
34 alveo 63. milliariorum. Quod portentum neſcio an par aliud portentum penes Scriptores obtineat. Neque tamen leviculus error erit ſi latitudinem quinque milliariorum retineamus pro præſenti flu-

A vii *Arimini* latitudine, non *Indus*, non *Ganges* longo intervallo ad *Arimini* fluvii latitudinem pertingent. Alia ratio adduci videtur ex *Piſſatelli* noſtri puſillitate, quem aſſerunt 15. millia paſſuum longum, ſeſquiperticam latum, cumque pleniſſimus fluit uni tantum molæ frumentariæ ſufficere. Alii dicunt tantum ſex millia longum eſſe. Non eſt autem pro dignitate tantarum regionum exiguus limes; rivus potius, quam flumen, qui non in mare: ſed in alium fluvium aquas demittit; cujus pons nullus magnificus; at contra *Luſus* altitudine, & copia aquarum. Magnificentia olim pontium, quorum adhuc ruinæ indicant qui
B fuerint, & quanti. Hæc eſt itaque alia ratio *Ariminenſium*, quorum ſi energiam in attollendo *Luſum*, in deprimendoque *Rubiconem* attendamus, videbitur ea eſſe inter *Piſſatellum*, & *Luſum* ratio, quæ inter *Teleboam*, & *Gangem* eſt, cum tamen *Luſus* longus vix ſit 25. millia paſſuum; tanta loquuntur hi viri animoſitate; tanto partium ſtudio feruntur. Certe ſi limitanei fluvii diviſarum Provinciarum dignitati amplitudine ipſi ſua reſpondere deberent, vix *Padus* eſſet par *Galliæ*, & *Italiæ* dividendis; at non ex amplitudine: ſed ex ſitu conſtituuntur limites. Ita ſolvo argumen-
C tum. at modo retorqueo. Ex ipſamet enim puſillitate aquarum, & pontis contra confirmatur noſtrum hunc *Rubiconem* eſſe. Lucanus parvum, & exiguum *Rubiconem* deſcribit.

Ut ventum eſt parvi Rubiconis ad undas.

Item:

Fonte cadit modico, parviſque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æſtas.

Suetonius ponticulum illi, non regium pontem tribuit. *Quod ſi* (inquit) *ponticellum illum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* Jungitur alteri fluvio antequam in Mare erumpat. Hoc ipſum *Rubiconi* tribuit *Sabellicus*, ut quæ *Arimineñſes* contra nos afferunt pro nobis prorſus fa-
D ciant, & contra *Luſum* omnia ſunt, quem ipſi dum eloquentiæ vi tantum augent, certe contra cauſam loquuntur ſuam. Poſtremo arguunt, quoniam *Rubiconem* ex *Alpibus*, ex *Apennino* ſcilicet oriri *Lucanus*, & *Lucani* expoſitores aſſerunt. 35
At noſter *Piſſatellus* paulo ſupra montem *Cogorutium* naſcitur, qui idcirco ob brevitatem curſus non plus aquarum aggregat, dum pleniſſimus fluit, quam quanta ſatis ſit ad uſum frumentariæ molæ. At vero *Rubico* negotium fecit aquarum copia *Cæſari* tranſeunti, unde Lucanus.

Tum vires præbebat hyems, atque auxerat undas.

Proinde dicit equitatum oppoſitum vadum feciſſe
E pediti.

Primus in obliquam ſonipes opponitur amnem
Excepturus aquas.

At quod ſupra dixi nunc repetendum eſt nimis deprimi noſtrum hunc ab *Ariminenſibus*, molæ frumentariæ plures nunc huic *Rubiconi* inſident, quæ præterquam in ſummo æſtu ſemper frumenta expediunt: at cum turget plenitudine aquarum, ac cumulo ut Poëta dicit ſepta interdum molarum lapidea demolitur, aggeres ſcandit, & in receſſu hinc *Romam Clementis Octavi* tanta aquæ copia fuit, ut non minus negotii nunc Pontifici, quam olim *Cæſari* in tranſeundo attulerit
F etiam ſi nunc multum curæ, & diligentiæ adhibuerit hæc Civitas, ut tanto Principi iter expeditum eſſet. Non eſt Rivus, nec foſſa *Rubico* noſter, ut appellant *Ariminenſes*; ſed amnis cujus alveus non ſecus, ac minorum fluminum qua tegitur aqua, qua glarea, & arena ſternit ſiccum iter commeantibus. Oriri autem ab *Alpe Lucanus* innuit ibi.

Euri reſolutæ flatibus alpes.

Et Mantuanus dicit.

Vene-

Venerat Alpini parvum Rubiconis ad amnem.
Attamen verum eſt oriri ab *Apennino*: cum montes omnes huc pertinentes *Apennini* ſint propagines. Præterquam quod *Apruſa*, ſive *Luſus* longe ab *Apennini*, & ipſe jugo naſcitur, nec multo minus ejus origo ab Alpino vertice, quam *Piſſatelli* noſtri fons abeſt. At licet retorquere argumentum. efficacique ad hominem retorſione. *Rubico* eſt parvus, ponticulo conſtratus ex *Suetonio*, & *Lucano*, & veteribus. At *Luſus* non eſt parvus, ſed magnus, & pontibus magnificis, ac regiis inſtructus. Ergo *Luſus* non eſt *Rubico*. Minor ex *Ariminenſibus*. At *Porta* eludere argumentum nititur dicendo parvum à *Lucano* dici
36 in comparationem *Rheni*, & *Moſæ*, & ejuſmodi fluminum, à quibus tum diſcedebat *Cæſar*. at frigida evaſio. Non ex *Cæſaris* perſona loquitur: ſed ex ſua Poëta, qui non (ut *Cæſar*) tum ex *Gallia* proficiſcebatur ut offucias pateretur. Præterea parvitatem deſcribit *Rubiconis*, quia æſtate pede quaſi ſicco tranſitur; quæ eſt ipſa per ſe, non ex collatione parvitas. At quam *Boccacius* parvitatem deſcribit, volunt ne ut ex comparatione accipere? qui *Boccacius* declarat quomodo ex *Apennino* naſcitur *Rubico*, dicendo oriri ex propinquis montibus, nimirum ſignificat non ex jugo, ſed ex propaginibus *Apennini* naſci. Ignoſcant mihi; nimia licentia in interpretandis auctoribus utuntur. Ad argumentationes adductas ab Hiſtorico *Ariminenſi* accedunt aliæ ratiocinationes. Primum quæ in Epiſtola Hiſtoriæ inſerta leguntur (pag. 83.) & ſequentibus; deinceps, quæ in opuſculo adverſus ſupplementum Chronicorum *Veruculi* habentur. Singula excutiamus.

Decima Ratio.

Prima ergo viri ratio, quæ erit decima præſentis Catalogi, quam multo ipſe apparatu, multaque digrediens exponit, hæc in ſumma eſt. *Cæſar* non tranſivit per *Cæſenæ* Civitatem, dum *Ravenna Ariminum* contendit. ergo injuria *Cæſenates* ſibi *Rubiconem* adſciſcunt. Totus eſt in antecedente probando, (*Cæſar* tum non eſt per Civitatem *Cæſenæ* profectus) in ejus probatione duas integras chartas ponit. At adverſarium ſibi fingit; neque enim nos hac tranſiſſe *Cæſarem* dicimus; neque à *Ravenna* ad *Ariminum* pergentibus *Cæſena*: ſed *Cæſenæ* ager, & *Rubico Piſſatellus*ve occurrit. Conſequentia autem quam abſque ratione dimiſit cujus roboris eſt? quam vel minimam efficaciæ ſpeciem præ ſe fert? nullam ſane. *Cæſar* per Civitatem *Cæſenæ* non tranſivit ergo *Rubico* prope illam non fluit. Immo neque dicimus illac tum tranſmiſſum flumen à *Cæſare* ubi nunc edictum viſitur: ſed multo inferius verſus Mare. At nuſquam illud tranſgredi poterat armatus, & cum armatis turmis *Cæſar*, quin adverſus juſſum Populi *Romani* faceret.

Undecima Ratio.

Succedit ſecunda ratio viri, quæ eſt in ordine hoc undecima. Huic rationi plurimum fidunt (ut videre mihi videor) *Ariminenſes* procedit ex eodem *Cæſaris* itinere, & hujuſmodi propoſitionibus maximè nititur, *Cæſarem* ad ripam *Rubiconis* ſub auroræ initio *Ravenna* perveniſſe; inde vero *Ariminum* ante Solis ortum deveniſſe. *Piſ-*
37 *ſatellum* autem abeſſe *Arimino* duobus de viginti paſſuum millibus. Non poteſt ergo is eſſe *Rubico*, non enim ex tanta diſtantia potuiſſet *Cæſar* intra crepuſculorum ſpatium *Arimini* Civitatem occupare. Hæc eſt ſumma rationis, quam valde Scriptor prolatat in memorata epiſtola: poſteaque in opuſculo adverſus ſupplementum Chronicorum *Veruculi* repetit, magnoque auctario refercit. Modo ut ſingulas confirmet ſuppoſitiones videamus. Primam itaque ex verbis *Suetonii* probat. ſunt autem *Suetonii* verba. *Deinde poſt Solis occaſum multis ex proximo piſtrino ad vehicu-*

A *lum junctis occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt, & cum luminibus extinctis deceſſiſſet via diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit. Conſequutus cohortes ad Rubiconem Flumen, qui Provinciæ ejus finis erat: paulum conſiſtit: ac reputans quantum moliretur, converſus ad proximos. Et etiam nunc inquit regredi poſſumus, quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* Conſiderat *Porta* verba ad lucem: quam diei lucem, crepuſculinam, ſcilicet interpretatur. una id Virgilii auctoritate ſatis habet confirmare.

— — — *felix ſi protinus illum*
B *Æquaſſet nocti ludum, lucemque tuliſſet.*

At vero hæc lucis ad diurnam reſtrictio nullam obtinet neceſſitatem; ſiquidem lucis ſignificatio ampla eſt, & ſolarem nedum, verum, & aliorum aſtrorum, & corporum hic lucentium fulgorem ſignificat; qua de re nemo ſanus (arbitror) ambigeret; arctare itaque lucis vocem ad diurnam eſt metaphora à genere ad ſpeciem, quam inter quatuor metaphorarum ſpecies reponit *Ariſtoteles*, & in antonomaſiam ob *Phebeæ* lucis excellentiam recidit. verum quando res ipſa proprietatem non reſpuit, non eſt interpreti à proprietate recedendum; multo id minus cum exigitur C ex rerum, & verborum nexu (ut nunc) proprietas. In adductis ſiquidem *Suetonii* verbis ſibi ex adverſo reſpondent *extinctis luminibus*, & *ad lucem*, at extincta lumina nonniſi faces noſtrates ſignificant. Ergo ad lucem quoque lumen humana factum ope importat. Nimirum *Cæſar* itineri ſe nocturno non niſi cum aliquibus funalibus 38 commiſit, quibus extinctis erravit in tenebris quouſque vel caſa aliqua inventa, vel alio argumento ignem excitavit, & faces rurſus accendit, per quas duce præſertim reperto, in viam rediit: neque enim extincta lumina interpretari poſſumus quaſi *Cæſar* ſine luminibus in viam ſe dederit. lon- D ge aliud eſt ſine luminibus, aliud extinctis luminibus incedere. Id ipſum Hiſtoricus *Ariminenſis* aſſerit, *Cæſarem* accenſis cum funalibus verſus *Rubiconem* inter inſtituiſſe, quibus extinctis erraſſe diu donec duce reperto in viam ſe remiſit. Alia etiam ratione verba propriam non metaphoricam interpretationem expoſcunt; nam ſi concordes ſunt *Suetonius*, & *Plutarchus* reddendi, qua de re poſtea, non aliter illi convenient, quam ſi de funalium luce *Suetonium* exponamus; ita enim & *Cæſar* ad lucem eorum poterit reperiſſe ducem, & deinde ad *Rubiconem* perveniſſe, ut *Suetonius*, & ante lucem diurnam *Ariminum* occupaſſe ut E *Plutarchus* ſcribit; ſecus qui fieri poteſt, ut ad lucem diurnam ad *Rubiconem* devenerit, & tamen ante eam *Ariminum* occupaverit? Violenta ſunt, quæ ad conciliandam repugnantiam retenta ſua ipſa explicatione *Ariminenſis* Scriptor commentus eſt: non vacat omnia confutare, id unum conſidero quod ipſe contendit, præpoſitionem (ad) ſignificare propinquitatem, non tempus ipſum, ad lucem ſcilicet ſignificare prope lucem, non autem initium jam lucis: ſed cum præpoſitio (ad) tempori apponitur id falſum frequenter erit, ad tempus enim venire non ſignificat ante tempus. * *Nos hic te ad menſem Januarium expectamus.* * Cicero. F Non ſignificat ante Januarium. verum enim vero res ipſa ſuadet (ad lucem) *Suetonii* pro nocturnis facibus, non pro diurno lumine interpretari. Siquidem *Cæſaris* celeritas, & diligentia non patitur, ut cum ab occaſu Solis ut *Porta*, & *Suetonius* fatetur diſceſſerit *Ravenna* nocte hyberna, ut deinceps patebit, quæ tum major erat horis 15. & triente, non niſi ad initium crepuſculi pervenerit; etiam ſi *Luſus* fuiſſet: nam vix is abeſt à *Ravenna* millia paſſuum viginti ſeptem, quod ſpa-

In Poetica.

tium sejuges hyemali etiam tempestate octo horis, & paucioribus conficiunt. Porta septem horis cum dimidia contentus videtur. Dico autem sejugibus potius quam quadriga *Cæsarem* vectum,
39 quod id verba *Suetonii* (multis junctis) significant, licet *Beroaldus* (mulis) legat : at Codex meus (multis) habet, & non ineptè dum equos subintelligamus. Certè enim tum in usu nedum quadrijuges, & sexjuges: sed aliquibus etiam octijuges erant. At aberravit via *Cæsar* ; non tamen debuit Dux diligentissimus, & perspicacissimus sex usque horas, & amplius in errore perseverare absque eo quod aliquo argumento, vel luminis, vel ducis in rectum se iter restitueret. Nihil minus verisimile: cum ratio præsertim militaris posceret invadere *Ariminum* in tenebris, non autem lucente jam aurora; neque sane crepusculum expectant, qui ex insidiis locum aliquem intercipere student : ut credendum omnino sit *Plutarcho* dum ante lucem *Ariminum* occupatum narrat. Quocirca ad *Rubiconem Cæsar* nocturnis facibus, non diurna luce pervenit. Satis superque ratio secunda nobis undecima hunc in modum sublata est. Attamen reliquas sumptiones percurramus. E re nostra est detegere quam falsis undique fundamentis ratio, quam ipsi pro *Achille* habent, nitatur. Secunda tamen suppositio nimirum *Cæsarem* ante Solis ortum invasisse *Ariminum* vera est, ut nos tamen, non ut ipsi explicant. Dum scilicet intelligamus ante quoque auroræ ortum eam occupatam esse Civitatem. At tertia sumptio in præsenti negotio falsa est abesse scilicet *Pissatellum* ab *Arimino* duobus de viginti millibus passuum: nam qua pergentes à *Ravenna* ad *Ariminum* illum transeunt, & qua tum transgressus est ipsum *Cæsar*, nunc decies circiter mille passus ab *Arimino* distat. At in deducendo quartam assertionem, non potuisse scilicet *Cæsarem* à pissatello nostro ad *Ariminum* crepusculi tempore, immo & majore proficisci, non leviter nec semel peccat argumentator. Illud est palmare *Cæsarem* pertransisse *Rubiconem* circa Martii finem (*Porta* adversus *supplem. Chronicorum Veruculi pag.* 18.) alibi id fuisse die 22. Martii videtur asserere. At longissimè à veritate abest; cum *Cæsar* mense Januarii *Rubiconem* transierit, & *Ariminum* occupaverit, ut patens est ex *coment. de bello civili*, ex Epistolis *Ciceronis* ad *Atticum*, & Epistolis *Cæsaris*, & *Pompeji* ibi insertis. Miror in re tam obvia, & aperta hominem eruditum parum adeo vidisse. Nonnulla ex multis locis huc pertinentibus congeram. In primo ergo *libro coment. de bello civili* cum prius narretur quid *Cæsar* à Sena-
40 tu petierit. Eratque eo tempore, ut ibi dicitur, *Ravennæ*, expectabatque lenissimis suis postulatis responsa, tum subjunguntur hæc. *Decurritur ad illud extremum, atque ultimum Senatus consultum, quo nisi pene in ipso Urbis incendio, atque in desperatione omnium salutis nunquam antea discessum est. Dent operam Consules P. Rom. Trib. Pleb. quique Proconsules sunt ad Urbem, nequid Respublica detrimenti capiat.* Hæc Senatus consulta perscribuntur ad VII. Id. Januarii. Post aufugerunt ex Urbe Tribuni *Antonius*, & *Curio* amici *Cæsaris*, ita in eodem loco. *Paulo post profugiunt statim ex Urbe Tribuni Plebis, se seque ad Cæsarem conferunt. interim Cæsar, statim atque Senatus conf. expulsionemque Tribunorum intellexit alloquutus est legionem decimam tertiam, quam solam secum tum habebat, seque & dignitatem illi suam commendavit.*
In Coment. *tum* (ibi scribitur) *conclamant Legionis* XIII. *quæ aderat, milites (hanc enim initio tumultus evocaverat, reliquæ nondum convenerant) sese paratos Imperatoris sui, Tribunorumque Plebis injurias defendere. Cognita militum voluntate Ariminum cum*

A *ea Legione proficiscitur.* Cæsar vero Tribunos Plebis *Ariminum* pervenisse reperit. Ut hinc colligamus cum sexta die Januarii sit Senatus consultum factum, & ejecti Tribuni, illique statim ad *Cæsarem* profugerint, & ipsum *Arimini* convenerint, tanto tempore post sextum diem Januarii, quæ fuit Senatus consulti dies, *Ariminum* occupasse, adeoque *Rubiconem* transisse, quanto Tribuni Plebis iter ab Urbe ad *Ariminum* absolvere potuerunt sex scilicet circiter dierum intervallo. Hæc ex *comment.* At modo ex Epistolis Lib. 1. de Bello Civili
Ciceronis. Is ergo libro septimo in Epistola Nihil habebam, *Pompejum* jam post bellum illatum
B concidisse animo die 19. Januarii describit. *Vidi*, (inquit) *hominem* 14. *Kal. Februarii plenum formidinis.* Et post multa in eadem Epistola hoc Ad Atticum.
subjungit. *Hoc scribis* (scripserat autem X. Kal. Februarii) *post diem quartum quam ab Urbe discessimus.* Die ergo 19. Januarii discesserunt *Pompejus*, *Cicero*, & Optimates. Discessus vero fuit nedum postquam *Cæsar* transeundo *Rubiconem*, & occupando *Ariminum* arma in patriam movit: sed postquam illud rescivere Consules, & Senatus, 41
& post nuntium acceptum postquam discessum adornare vel raptim potuerunt : verisimile est sex dies saltem intercessisse, ut initium pariter
C belli, & *Rubiconis* transitus hinc in diem circiter 13. Januarii rursus recidat. alia plura prudens omitto. Est inter Epistolas *Ciceronis* itidem septima ad *Atticum* Epistola *Pompeji*, in qua certiorem facit *Ciceronem* se à *Domitio* accepisse obsidione cinctum *Corfinium* à *Cæsare* die 17. Februarii scilicet XIII. Kal. Martii libro VIII. itidem ad *Atticum* Epistola cum ad se literas, rescribit *Pompejo*, se accepisse ejus literas datas die 20. Februarii, quibus hortabatur ut quanto citius *Brundusium* irent. Verba *Ciceronis* ad *Pompejum.* *Interim accepimus tuas literas Conusio ad* X. *Kal. Martii datas, quibus nos hortaris ut celerius Brundusium ve-*
D *niamus.* Præterea vero est in eodem libro Epistola *Balbi* ad *Ciceronem*, & in ea inserta Epistola *Cæsaris*, cujus ibi verba. *Ad* VII. *idus Martii Brundusium veni, ad murum castra posui. Pompejus est Brundusii, misit ad me Cn. Magium de pace.* demum lib. nono Epistolarum ad Atticum. *Epistolam miseram ad te* IX. *Kal.* scribitur, *Pompejum* ex obsidione *Brundusiana* elapsum esse, adeoque ex *Italia* profugisse die XV. Martii. Viderint *Ariminenses*, utrum *Cæsar* transierit *Rubiconem* ad finem Martii, qui die XV. *Pompejum Italia* expulerat post reliquum ferme *Italiæ Picenum*, *Hetruriam*, *Umbriam*, *Corfinium* occupatum. Quam
E ergo falsis propositionibus nititur ratio, quam ipsi pro *Achille* jactant? cum itaque circiter XIII. diem Januarii transgressus sit *Rubiconem Cæsar*, ex *Plutarchi* autem testimonio erat eo tempore (nondum anno emendato) ea die Solstitium, nox in hac Regione fuit horarum 15. & m. 20. crepuscula autem tum horæ unius, & minutorum quinquaginta. Considerent nunc Scriptores *Ariminenses*, utrum Cæsarianæ celeritati adeo repugnaret decem circiter milliaria intervallo duarum horarum absolvere, cum Livius *lib.* XXVII. scribat *Philippum Macedonum* Regem uno die milliaria amplius 60. contendisse, concitati
F etiam pedites absque ullis impedimentis præsente, & excitante Imperatore ad breve spatium tantum viæ conficerent. prolatavi autem ad duas horas crepuscula, quoniam *Portæ*, ad lucem, non significat principium crepusculorum : sed prius aliquanto tempus. quod dixisse ex abundantia volui. at in priore responsione persisto, non significare *Suetonio* (ad lucem) initium, vel pro- 42
pinquitatem auroræ, sed lumen nocturnum humana arte, & opera excitatum. Satis hæc superque

perque. Attamen placet subjicere; genus hoc arguendi, dum simul testimonia duorum Historicorum conjungimus ea ratione, ut utriusque dicti veritas inconcussa sit servanda, non esse usquequaque firmum. Exemplis hoc confirmo. *Hirtius* in Commentariis alloquutionem *Cæsaris* ad Milites, qua dignitatem illis suam commendavit, *Ravennæ* factam esse dicit. At *Suetonius Arimini* coram Tribunis Plebis ejectis, quos nondum adfuisse indicat *Hirtius*. *Plutarchus* dicit nocte, quæ præcessit *Rubiconis* transitum visum esse *Cæsari*, se cum matre coire: at *Suetonius* idem somnium alio tempore, & loco refert. Sufficiunt duo hæc ex plurimis loca attulisse, non esse admittendam hujusmodi religionem diversorum Historicorum dicta componendi perpetuo, ac tuendi.

XII. Ratio. Ad tertiam rationem, sive duodecimam Catalogi nostri transeo. Est autem ex *Plinii* testimonio à me pro nostra opinione adducto in secunda ratione. pro se adducit locum *Ariminensis* Scriptor: at pro utra opinione sit locus ex dictis in eadem ratione meis clarissimè constat, ut quicquid adderetur ad ratiocinationis adversariæ levitatem aperiendam vere supervacaneum esset. Noto in eo duo solum. Primum, scilicet repeto repugnantiam inter arguentis dicta: in eo enim argumento concedit *Rubiconem* ibi à *Plinio* dictum esse *Lusum:* at postea in supplementum fatetur à *Plinio Lusum* non *Rubiconem*, sed *Plusam* vocatum. Secundum quod in censuram cadit est id viri dictum. Civitatem quamque à Geographis duobus fluminibus definiri exemplo *Cæsenæ*, quæ à *Strabone* tum *Isapi*, tum *Rubicone* determinatur. At fallax est argumentum penes logicos ex particulari universale colligere. Non enim colligi potest *Averroes* fuit Philosophus, & impius, ergo omnis Philosophus impius. Penes *Strabonem* non aliud facile exemplum præterquam *Cæsenæ* reperitur. Interim autem satis sit *Ariminensibus Ariminum* offerre, quod ab eodem *Strabone* non nisi flumine *Arimino* determinatur. *Habet autem*

XIII. Ratio. Adversus Supplem. pag. 14. (inquit) *Ariminum Portum*, & *ejusdem nominis Amnem.* Succedunt aliæ duæ (pace eorum dixerim) ridiculæ rationes. Erit ergo decima

43 tertia, quam Scriptor ducit ex venditione *Ugonis Maltaleonis Malatestæ* facta. venditionis sunt verba. *Ego Ugo Maltaleonis do tibi presenti in Xp̄i nomine Malatestæ emptori pro te, & tuis heredibus titulo meræ venditionis concedo tibi quicquid habeo, vel de cetero habere spero in Castro Scorticatæ, & in ejus curia, & insuper quicquid habeo inter flumen Mariculæ, & flumen Rubiconis à litore Maris, usque ad castrum Sobiani: & hæc omnia pretio centum aureorum, & decem insuper librarum.* Argumentum inde elicit, si *Rubico* esset *Pissatellus* noster tantum agri tam exiguo pretio nullo unquam tempore par esse potuisse; idcirco intra *Lusi* flumen restringendam venditionem. proinde ei flumini *Rubiconis* nomen assignandum. Et potuit supina adeo interpretatio in animum docti viri surripere? quasi *Ugo* vendiderit quæcunque inter duo flumina *Ariminum*, & *Rubiconem* continerentur: non autem quæ solum in eo tractu possideret ipse, cum tamen aperte in verbis exscriptis legatur quicquid habeo, non vero quicquid jacet. Adhuc vero potest ne is sibi persuadere quicquid inter *Lusum*, & *Ariminum* fluvium continetur posse pretio centum circiter aureorum ut justo liceri? Solum Oppidum *S. Archangeli*, quod in eo tractu continetur, quanto pluris valet? Nollem virum gravem pro amore positionis, & Patriæ adeo hallucinari.

XIV. Ratio. At neque longe ab hac nota abest ratio XIIII. quam elicit ex versu Frizolii de se dicentis. *Non infimus accola Plusæ.* Natus is siquidem est in *Frizolii* pago, quem *Lusus* alluit. interpretatur *Ariminensis* Scriptor sensum *Frizolii* esse, etiam si in eo humili loco esset ortus, tamen eo quod *Plusa* sit *Rubico* fluvius celebris, se quoque ejus celebritatis esse participem. At oportet excitare manes *Frizolii*, & ab eo tam reconditum sensum haurire; secus enim verba satis apertè significant fuisse ipsum inter conterraneos suos honestæ conditionis. Cedit divinatrix hæc, & extorta expositio in reprehensionem ejus non spernendi Poetæ. Nam si laudem ex *Rubicone* quæreret, næ valde reprehendendus esset, qui nomen *Rubiconis* unde laus tota promanasset reticuisset, & in ignobile nomen *Plusæ* commutasset: non ita monet Aristoteles 3. *Reth.* exemplo *Simonidis*, qui dum Cap. 2.
mulas laudavit, vocavit filias volucrum equorum, 44
at dum vituperaret (inquit) filias asinorum. Excideret demum alia *Ariminensium* ratio, quam ex *Areosti* auctoritate deducunt, qui celebrans *Gineuram Malatestam* tum *Arimini* Principem, eam illi virtutem tribuit, ut *Cæsarem* pacatura fuisset, ne *Romæ* bellum inferret, libertatemque Patriæ opprimeret si ea tempestate vixisset. XV. Ratio. Porta in Epistola. pag. 103. Hist.

Se à quell'etade ella in Arimin'era
Quando superbo de la Gallia doma
Cesar fù in dubbio s'oltre la riviera
Dovea passando inimicarsi Roma
Crederò, che piegata ogni bandiera,
E scarca di trofei la ricca soma
Tolto hauria leggi, e patti à voglia d'essa,
Ne forse hauria la libertade oppressa,

Quoniam vero meminit hæsitationem *Cæsaris* in *Rubiconis* ripa, colligunt inde fuisse in ditione *Arimini Rubiconem*, secus ab re *Ariostum* ibi loquutum. At quæ vis quæso, quæ necessitas rationis? Princeps *Arimini* à *Cæsare*, qui fuit anceps transeundi in *Rubiconis* ripa, impetrasset ne bellum *Romæ* inferret, nec patriæ libertatem opprimeret. Ergo *Rubico* fuit in ditione *Ariminensi*. Cur etiam si in ripa *Anemonis* anceps pariter fuisset *Cæsar*, non tamen posset eam vim tribuere formæ, & virtuti egregiæ illius Heroinæ, qua *Cæsaris* ferociam sedasset, & in gratiam cum patria reddidisset? non etiam tum pertinuisset ad ditionis ejusdem securitatem mitigare *Cæsarem*? ne bello *Italiam* perturbaret, multoque maxime ne *Ariminum* occuparet: quæ duo *Rubiconis* transgressus spectabat. Præterea non quærimus hic, cujusnam fuerit *Rubico*; sed quinam fuerit. Memini nunc Scriptores rursus *Ariminenses* ex auctoritate *Lucani* interpretum asserere fuisse quondam in Portu *Arimini* Crustam marmoream, in qua scripta erat hæc Jussio.

Imperat. sive miles, sive Tyro armatus 45
Quisquis es sistito vexillum
Arma deponito, nec citra hunc amnem
Arma, signave traducito, & si quis contra fecerit
Hostis adjudicabitur P. R. ac si arma contra Patriam
Tulerit, Penatesque Deos abstulerit.

Si hoc dicunt ut ibi *Rubiconem* esse colligant, erit *Ariminus*, in cujus ostio est *Arimini* portus, non *Lusus Rubico.* Si vero velint aliud esse illud edictum ab eo, quod in *Rubiconis* ripa, oportebat ibi, non ad *Rubiconem* finiri *Galliam.* Nam ideo in ripa *Rubiconis* hæsitavit *Cæsar*, quod ejus Provinciæ is terminus esset, ut diserte tradit *Suetonius.* Non satis ergo sibi constant, neque id ingenii, & doctrinæ imbecillitati; sed causæ falsitati potius tribuendum; neque enim causa falsa potest rationibus veris confirmari, cum ex veris propositionibus vera conclusio colligatur necessario ductu.

FINIS APPARATVS.

47 SCIPIONIS CLARAMONTII

CÆSENÆ TUM SENÆ HISTORIARUM LIBER PRIMUS.

AECUNDA fuit semper *Gallo-*
rum gens & numerosa: at pri-
mis adhuc temporibus magis.
Tum enim bellax natio, & fer-
vidi ingenii stimulis Veneris pa-
tet. Tum quæque gens usque
quo naturalibus contenta divi-
tiis simplici victu, & vestitu utitur, statim at-
que per ætatem instinctu ad id agitur connubia
quærit, non luxus impedimentis, non familiarium
bonorum angustia retardatur. Sunt quæ ad nu-
merosam quantumcunque sobolem nutriendam
sufficiunt tunc obvia, & paratu facilia. Præser-
tim vero cum agri accedit fertilitas, qua insigni
Gallia utitur, eademque pascuis abundans, & pi-
scosa regio. Hinc itaque magna ceu sui exami-
na in finitimas nedum, sed remotas Provincias
effudit, nedum scilicet in *Hispaniam Celtiberos*, in
Italiam Cisalpinos Gallos: sed in *Asiam* usque *Gal-*
48 *lo-Græcos* proseminavit. Ad *Italicas* vero Colo-
nias sermonem contrahendo par est *Livium* sequi.
Quo ergo tempore *Tarquinius Priscus Romæ*, eo-
dem *Celtis* imperitavit *Ambigatus*, qui redundan-
tem multitudinem intelligens *Bellovesum*, ac *Sin-*
govesum ex sorore nepotes magnis cum copiis emi-
sit, qui sibi alias quærerent sedes. *Belloveso Ita-*
lia obtigit, in quam per *Taurinos*, *Juliæque* al-
pis saltus transgressus prope *Ticinum* flumen *Tuscos*,
ejus tum tractus incolas, & dominos collatis signis
superavit, *Insubriam* cepit, *Mediolanum* condi-
dit. Continebatur occupata Regio inter *Alpes*,
& *Padum*. Verum *Boji Pado* ratibus trajecto
Transpadanam illis, ac *Cispadanam* nobis intra *A-*
penninum tamen obtinuerunt. Postremi *Senones*
postremam ejusdem *Cispadanæ* Regionis partem,
quæ ad *Adriatici* Maris oram sita est, occupave-
re. Utrum vero *Boji*, & *Senones* iidem fuerint
qui cum *Belloveso* venere, an post sequuta *Gallo-*
rum manus, incertum cum sit, sub eadem etiam
ambiguitate à me relinquetur. Quod autem de
iisdem *Senonibus* constat hinc jam tradam. Gens
hæc celebris *Celtici* portio extremam *Cisalpinæ*
Galliæ partem sibi vindicavit, vel quod postremo
advenerit, vel quod eam sibi partem quæsiverit,
ex qua in novas imperii accessiones aditus liber es-
set, & à reliquis *Gallis* expeditus. Conjecturam
facit, quoniam *Senones* ad *Ufentem* usque prove-
xere ditionem, iidemque in *Græciam* intulere ar-
ma, & *Delum* invaserunt sub Rege *Brenno*, cum
& *Brennus* fuerit, sub cujus ductu *Romam* occu-
paverunt ut idem Rex, vel cognomines Reges
eandem fuisse nationem monstret, quæ tum *Ro-*
mam cepit, tum *Græciam* invasit. Ad magnos
ergo ditionis accessus cum adspirarent *Senones* non-
dum occupatæ *Italiæ* parti contermini esse volue-

A runt. Prima vero eorum sedes in octava *Italiæ*
Regione (ut postea distinxerunt *Romani*) con-
stitit: à Septentrione finem *Athesim* fluvium ha-
buit: ab Austro *Apenninum:* ab Ortu sinum *A-*
driaticum, & *Ariminum:* ab Occasu *Bojos*. *Athe-*
sis Veronam scindit, & in *Venetiarum* æstuaria in-
fluens qua ex parte ad Mare jam accedit, inter
Venetos, & *Senones* limes fuit. In designato tra- 49
ctu *Senam* ipsi ædificaverunt ad mare *Adriaticum*
prope flexum littoris ab Austro quorsum *Venetum*
littus tendit ad Eurum quorsum reliqua *Flaminiæ*
ora *Piceni*, *Apulorum*que flectitur. Cæterum vi-
catim habitabant, iis exceptis Civitatibus, quas
B reperierunt, inter quas *Ravenna*, & *Sarsina*. *Se-*
nam ergo ipsi suo de nomine dixerunt, ut *Silius I-*
talicus confirmat. Et *Rubico*, & *Senonum* de no-
mine *Senæ*. Situs ejus ad occurrendum *Venetis*,
quibus cum inimicitias habuisse narrabimus, &
ad imperium protelandum accomodatus. Ager
amænitate, & ubertate nulli secundus. Colles
ad Austrum molles, & fæcundos obtinet nunc
vitibus, oleis, ficubus, & aliis fructibus conser-
tos, valliculis intersepiuntur amænis. Desinunt
colles, aperiunturque valles in amplam, & fru-
giferam planitiem, quæ maximorum *Italiæ* Cam-
porum nunc *Lombardiæ* vocatorum pars est uber-
rima. Planitiem ad Ortum, & partim ad *Cæ-*
ciam stringit Mare, ibique Portus profundiorum
C antea aquarum, & intimiore sinu nunc à Civita-
te octo millibus passuum circiter abest: semper
enim aggeritur terra, & Mare subinde recedit.
In Collibus, & inter Colles vina præsertim ge-
nerosa producuntur, quo nomine ab antiquis us-
que temporibus celebria sunt vina *Cæsenatia*.
Territorii ad Septentrionem limes mare. Lon-
gitudo Civitatis more geographico est grad. 34.
40. latitudo grad. 44. at amplius quam *Roma* ad
polum grad. ferme 2. minus ad Ortum grad. 2.
40. accedat. Hæc fuit *Senonum* Regia. Post
autem *Cisalpini* Imperii divisionem *Galli* fædere,
& amicitia juncti perseverabant. At singulorum
Respublicæ distinctæ. Forma vero ipsarum Re-
D gia, sed refracta, ut magna quidem esset in omni-
bus rebus Regis auctoritas: plurimarum tamen
potestas non nisi à populo. In reliqua *Italia*
Tuscorum gens prævalida, etiam si eorum citra *A-*
penninum accisæ vires à *Gallis*, restabat tamen ea
in parte in eorum adhuc ditione *Picenum*, unde
antea *Umbros* expulerant. *Romani* in *Latio*, & Plin. lib. v. cap. 13.
finitimis Regionibus imperium prolataverant. Li-
beræ reliquæ ut plurimum erant Civitates, &
quæ nationis ejusdem plures uniebantur fædere.
In hoc rerum statu *Senones* suis è finibus egressi 50
Picenum invadunt, ex eoque *Hetruscis* expulsis
Ariminum, & *Anconam*, interjectasque, & adja-
centes

A
centes Civitates, & loca occupavere. *Piſaurum* ſcilicet, & *Fanum*, & *Camarinum*, & *Æſium*, totumque illum tractum obtinuerunt, & *Apenninum* etiam tranſgreſſi confines *Tuſcis* auſtralibus evaſere. (Livius Lib.) Id quod teſtatur reſponſum *Vejentibus* ab iiſdem *Etruſcis* datum, dum peterent à *Romanis* obſeſſi auxilium, denegaverunt enim eo quod novos accolas *Gallos* haberent, cum quibus nec bellum, nec fida pax eſſet. Interim erat in *Inſubria* florentiſſimum Oppidum *Melpum* nondum à *Gallis*, quibus *Inſubria* obvenerat, captum. (Plin. lib. III. Hiſt. Nat. cap. 16.) Suppetias illi à *Bojis*, & à *Senonibus* pro fœdere, & conſanguinitate petierunt ad tollendos è medio
B
hoſtes, qui ditionem ipſorum intutam reddebant. Exercitum miſerunt una cum *Bojis Senones*, unde oppidum illud celeberrimum victum, & expugnatum, demumque deletum fuit. Incidit expugnatio in annum eundem, quo *Camillus Vejos* cepit. Florentes ergo *Senones* amplitudine imperii, & rerum geſtarum gloria interim quieſcebant, captaque loca cultu exornabant, & ædificiis. Montes *Piſauri*, atque *Anconæ* Mari imminentes duo promontoria efficiunt, inter quæ jacet æquata planities quadraginta milliarium. In ejus medio ad Mare novam Civitatem excitaverunt, deque ſui nomine vocavere: verum ad dif-
C
ferentiam prioris, & ad gloriam gentis non *Senam* tantum; ſed *Senegalliam* dixerunt. Alluit Civitatem fluvius non quidem magnus, ſed qui Portum aptiſſimum ad hæc uſque tempora faciat. Potuit ea commoditas, & agri fertilitas ad novam ibi condendam Urbem *Gallos* allicere. At ecce nova ſe ſe obtulit occaſio ad *Hetruriæ* imperium aſpirandi. *Aruns Cluſinus* ob irrogatum uxori ſuæ ſtuprum *Lucumoni* infenſus præpotenti juveni, cujus prius tutor fuerat, confugit ad *Senones*, qui rumore victoriarum ſuarum *Italiam* impleverant, in ſuique ultionem adverſus patriam eos incitat. Obcæcat adeo impotens ira, ut vel
D
per patriæ ruinam ad ultionem privatæ injuriæ quis pergere ſuſtineat: neque vero trans *Alpes A-*
51 *runs* ivit ad educendos inde in *Italiam* tum primum *Gallos* illectu vini, ut quidam dixere, quos *Livius lib.* v. confutat. Jamdiu advenerant *Galli*, & magnam *Italiæ* partem ſui juris effecerant. At profectus eſt ſane in *Ciſalpinam Galliam* ad *Senonum* Regiam *Senam* ſcilicet, ibique facilitate victoriæ, & amplitudine occaſionis propoſita movit concionem, & Regem ad arma ſumenda. *Cluſium* olim *Porſenæ* Regia, & pollens inter *Etruſcas* Civitates, tum quoque ad ſui imperium allicere quam maxime poterat avidos imperandi
E
Gallos, eoſque ampliore adhuc ſpe implere, qui ſibi ab armis, & virtute ſua omnia pollicebantur. Indicto ergo juſtitio maximas copias coegit Rex, eaſque omnibus rebus inſtruxit, non ad *Cluſinos* ſolos expugnandos: ſed ad maximos præterea progreſſus in reliqua *Italia* faciendos. Inclinabat jam ver cum ſuperato *Apennino* ad confinia imperii ſui adeoque & *Hetruriæ* pervenit *Brennus* tremendo exercitu. Inde in *Cluſinos* movit apertis aut debilibus locis ſtatim occupatis: munitioribus vero interim declinatis ab *Arunte* Duce locorum perito ductus. *Cluſini* ſane tot, & tantorum hoſtium
F
inopinato adventu perculſi non deſponderunt tamen animum: ſed ut viros fortes decet ad patriam defendendam ſe accinxerunt. Difficilem Civitatis expugnationem reddebant ſitus (in edito enim ac arduo monte poſita erat) & munimenta. Cum tamen hoſtium ferociam cernerent, eorumque adverſus *Tuſcos Tranſpadanos*, & *Ciſpadanos*, immo & finitimos victorias audiſſent, alienas quoque opes quærendas arbitrati ſunt. *Romam* itaque legatos miſere, qui auxilium à Senatu peterent adverſus gentem exteram, quæ ſatis jam manifeſto ad totius *Italiæ* imperium adſpiraret. Cum *Romani Vejos Etruſcam* Urbem oppugnarunt, *Cluſini* etiamſi *Etruſci* ſuppetias *Vejentibus* non tulerunt, quo nomine cultam à ſe cum *Romanis* amicitiam profiteri poterant. Legati ergo in *Romano* Senatu hunc ferme in modum locuti ſunt. Si Populus *Cluſinus* P. Conſcripti adverſus cujuſvis *Italæ* gentis invaſionem à vobis auxilium in ſui defenſionem peteret, certe defenſionis titulus poſſet adverſus injuſtitiam aggreſſorum juſtiſſima 52
arma veſtra allicere. Accedit antiquum inter veſtram, noſtramque Civitatem fœdus, & amicitia, quæ tantum apud nos valuit, ut reliqua *Etruria* pro *Vejentibus* adverſus vos conſpirante, nos (etiam ſi *Tuſci*) ab omni tamen facto, dictove adverſus veſtram victoriam abſtinuerimus; noſtræ tamen ceſſationis, & incrementi imperii veſtri non pænituit, & multo minus nunc pænitet. Utile eſt in quavis gente Populum aliquem potentem eſſe, qui cognomines populos ab exterorum, & barbarorum inſultu poſſit defendere. Res nunc incidit. Gens fera, & barbara ab extremis Oceani finibus, ſuperatis conterminis cælo *Alpibus* olim *Italiam* invaſit, amplaſque ejus Provincias occupavit (cur enim non pro *Italia* habeamus univerſam hanc plagam, quæ ab *Alpibus*, & à duplici Mari continetur?) nunc antiqua portione etiam ſi longe lateque effuſa haud contenta, *Piceno*, & *Umbria* magna ex parte occupatis, *Tuſciam* invadit, nec eorum inſana dominandi libido poteſt aliter quam armis repelli. Quos *Alpes*, & *Padus* non coercuit, certe non *Aucenis*, non *Tibris* ſiſtet, ut quæ arma nunc nos terrent, nobis devictis ſint vobis intra *Ancenem*, & forte *Tibrim* expectanda: conſiderate pro veſtra prudentia utrum vobis expediat junctis etiam noſtris viribus longe ab Urbe pugnare; an nobis debellatis (tollant Dii omen) intra viſcera imperii veſtri cum immani hoſte veſtris ſolis viribus magnis (fatemur) attamen ſolis de ſalute potiuſquam de imperio certare. Imploramus P. C. veſtrum auxilium pro *Itala*, & amica Civitate adverſus barbaros hoſtes. At ſi res intimius conſideretur offerimus arma noſtra adverſus communem, & immitem hoſtem veſtris jungenda: proponimus Urbem noſtram munitam opere, & ſitu pro ſede belli, in qua laſſetur furentium impetus, frangantur animi, tela hebeſcant, quo facilius veſtra virtus, & diſciplina feris inimicis debellatis *Italiæ* libertatem partim reſtituat, partim tueatur. Senatus poſt maturam de re gravi conſultationem reſpondit. Curæ ſibi futuram *Cluſinorum* defenſionem; placere tamen prius tentare, quid pacifica legatio, authoritaſque in ea *Romani* nominis ad avertendos *Gallos* ab incepta oppugnatione poſ- 53
ſit. Elegerunt itaque tres *Fabii Ambuſti* filios, qui cum *Cluſinis* irent, atque Senatus, & P. *Romani* nomine cum *Gallis* agerent, ut à violandis P. R. ſociis nulla ipſi injuria provocati abſtinerent, pergratum id Senatui Populoque *Romano* futurum, qui optent amici *Gallis* eſſe. Petere itaque ab illis ut *Cluſinos* antiquos amicos poſſint pace defendere. Sentient *Galli* poſtmodum non eſſe illis *Romanam* amicitiam inutilem. Conſilium Senatus fuit antequam quicquam decernat, noſcere ſenſum *Gallorum* ſitne prædatorius: an ſedes figere, & imperium propagare intendant: quæ virtus, quantæ copiæ, demumque id agere ut ſi declinari poſſit, bello non ſe implicent novo. Sin minus, hoſtis ſaltem prius noverint ingenium, & vires. Prudens omnino deliberatio, niſi ferocia Legatorum eam corrupiſſet. Illi in *Gallorum* concilio accommodatis primo verbis Senatus mandatum expoſuerunt. *Galli*, & pro illis *Brennus* mitius ſpecie quam re reſponſum reddidere.

Romanos tam fœde fugisse crediderunt. Unde *Brennus* insidias suspicatus non permisit suis effræni eos cursu, ac inordinato insequi. Quousque instructa acie licuit, eousque fugientes est persequutus. Inde vero expeditam manum misit, quæ hostium iter exploraret, num insidiæ alicubi laterent. Retulerunt exploratores nullas subesse insidias *Romanos* effusa fuga *Romam* petere, plerosque arma ad expeditiorem fugam abjecisse. Tum demum *Galli* facilitatem victoriæ suæ admirari cæperunt mutataque ira in derisionem, quærebant num ii fuerint *Romani* tantæ penes *Italicas* gentes existimationis. Posse sane sibi totius *Italiæ* imperium spondere, cujus fortissimi ante telorum jactum aufugiant. At *Brennus* non contemnendos hostes prudenti Duci arbitratus jussit ibi consistere, & pernoctare agmen ut vegetes crastina die *Romam* pervenirent: sequenti ergo die bene mane præmisit qui *Romam* usque irent, & Civitatis statum, atque hostium in ea defendenda consilium explorarent. Ipse vero cum Exercitu instructo tanquam subinde pugnaturus est subsequutus. Postquam exploratores munere sibi injuncto diligenter functi sunt, reversi renuntiavere, Urbem nulla statione ad Portas, quæ paterent omnes, firmatam; neminem in mænibus apparere, ut speciem prorsus desertæ Civitatis referat. Se vero obequitavisse portis: at non ingressos: tum rursus novas insidias Dux veritus jussit refici militem, postea vero instructa pariter acie militari ac lento passu pervenit ad Urbem quam patentem, & ipse reperit, & neminem usquam apparere tum in portis, tum in muris conspicit. Unde tutius ratus ingressum reservare luci. vespera enim appropinquabat agmen extra continuit, diligentibus-
61 que excubiis undique sepsit. *Romani* interim cum hostes eadem die expectarent, qua milites suos ex fuga recepere in re tam subita, cum neque tempus esset convocandarum rusticanarum Tribuum ad delectum, neque accersendi ex viis milites ad ejus Civitatis custodiam ante collocatos (de iis enim qui novissime illuc fugerant, nihil noverant) neque socios convocandi, judicaverunt à præsentibus copiis solum Capitolium posse defendi. Illam ergo arcem, & collem robore militum firmaverunt. Illuc frumentum, & commeatum importaverunt. Res sacras in Civitates propinquas, & amicas amandavere. Inutilem turbam, & plebem quocunque liberet abire permiserunt. Senatores præ ætate invalidi ipsimet ne oneri essent defensoribus, in Civitate permanere decreverunt, ibique in suis sedibus mori cum Magistratuum gestorum insignibus. Id congruentius esse ante actæ dignitati, quam fugam. Alii ergo triumphalibus vestibus induti qui triumphos duxerant, vel gestos honores decentibus in medio ædium eburneis sellis sedere obstinato animo certam mortem expectantes. Refert *Livius* à nonnullis scriptum præfante Pontifice Maximo carmen eos Senatores se pro Patria devovisse. Certe eorum constantia, & pietas, qui noluerint pro sui salute inutiliter occupare in arce locum, & cibum militibus præripere, inutilem plebem, & turbam ab ejus loci desiderio avertit, unde privato quisque consilio (quibus licuit) ex Urbe effusi in finitimas Civitates, & loca abierunt. Non omnis tamen plebs evasit, tardiores *Gallorum* ingressus occupavit. Qui adventante luce instructi Urbem intraverunt, vacuamque ab armatis repererunt. Solam arcem præsidio munitam videre. Adversus ergo capitolinos milites partem ipsi copiarum opposuerunt, ut reliqui tuto Urbem diriperent. Interim venerandos Senes in domorum vestibulis conspiciunt augusto amictu ve-
A latos. Primo rei novitatem admirati sunt: at omnes postea trucidavere. Dicitur *Gallus* quidam *M. Papyrii* barbam quæ promissa admodum erat permulsisse manu, cui *Papyrius* in caput scipionem eburneam impegit. Tum *Gallus* evagi- 62
nato ense vitam *Papyrio* ademit, & eodem exemplo cæteri omnes occisi. Tum vero ad populandam, & incendendam Urbem dividuntur. Parciores tamen in incendendis ædificiis ab initio fuerunt, quasi quo integra Civitas eo majore pignore animos præsidii ad reddendam arcem, atque ad paciscendum oppugnarent. At cum intelligerent obduratos ad defensionem loci, & libertatis *Ro-*
B *manos* sævitiæ fræna laxantes omnia fœde incenderunt, & quæ pars plebis, vel ætate, vel ægritudine detenta, vel pavore oppressa in Urbe remanserat, universam miseris exemplis trucidaverunt. Spectaculum sane miserandum obsessis in Capitolio militibus, ac Civibus offerebatur omnes eorum sensu diro modo vexans: fervor late effusi incendii tempore præsertim æstivo, ac solstitiali torrebat tactum, flamma patriam vorans, & pereuntis Civitatis aspectus oculos excruciabat, Fuliginis acrimonia nares torquebat, sonitus ignis, & fragor ruentium tectorum mulierum, puerorumque pereuntium ploratus affligebat aures Tot-
C que & tantorum malorum internuntii sensus animum perfodiebant. Attamen obfirmatum propositum tuendi reliquias quæcunque supererant *Romanæ* libertatis, & dignitatis abalienabat à sensu malorum animos. Tantum aberat ut flecterentur ad sui deditionem, vel ad paciscendum de salute cum hostibus. *Galli* vero post Urbis direptionem, & stragem ad expugnandam arcem, quod facilius factu ex præcedentibus victoriis credebant, quam usu ipso repererint, se accinxere. Prima itaque luce instruunt in foro aciem, moxque facta testudine magnis clamoribus, & truci cantu adversus arcem, collem, cui insidebat,
D scandunt. *Romani* qui hostes dedita opera ultra clivi medietatem ascendere permiserunt sperantes quo illis in arduo magis loco occurrerint facilius per proclive depulsuros, subeunti aciei robur militum opponunt, qui dedecus *Alliensis* fugæ perosi *Romanæ* virtutis specimen tum demum *Gallis* præbuere. Non defuit tamen animus, & virtus *Gallis*; at loci iniquitas facilem reddidit testudinem quæ perfringeretur. Tum vero *Romanorum* ex superiore loco impetus pendentes ferme hostes 63
facile deorsum depulit, quoque amplius repugnabant *Galli*, eo major eorum strages facta est, majorque mortium multitudo extitit. Agnovit ex
E eo experimento *Brennus* non esse expugnationi locum: sed obsidione, & fame vincendos inimicos. Quocirca cinxit obsidione locum ne pateret ingressui, egressuique aditus. Rupem solum *Tarpejam* qua præceps flumini imminet, quasi in viam, dimisit. Interim tantæ Civitatis expugnatio rumore sui finitimas nedum, sed longinquas etiam Provincias implevit. In *Græciam* enim fama pervenit. Ut multo verisimilius sit in *Galliam* Plutarch. in Camill.
pervenisse. Immo *Brennum* eo nuntios misisse victoriæ suæ, & præsertim *Senam* cum selecta prædæ parte pro donariis Deum, & publicorum locorum ornamentis. At ad obsidionem redea-
F mus. Agnovere jam *Galli* imprudenter incendio Civitatis corruptum frumenti, & vini non parum, quod servasse oportebat postea quam obsidio diuturnior futura erat, quam ab initio crediderant. Accessit quod messis maxima pars à *Romanis Vejos* traducta fuerat; oportebatque longius ab Urbe ad commeatum quærendum procedere: quod difficiliorem obsidionem reddebat. Adversus tamen obortam difficultatem intentus Dux ne quod in longum requirebatur deficeret jam tum par-

partem copiarum in obsidione detinere, partem mittere pabulatum, alternis tamen vicibus cæpit, ne perpetua in Castris quiete gentem moræ impatientem in æstuante præsertim solo, & in fæda incendiis Civitate morbi corriperent: neque tamen vitare potuit (ut dicemus) quo minus post diutinam ibi mansionem pestis Castra invaderet. Perduravit septem mensibus obsidio sperantibus *Gallis* alimenta defutura *Romanis*: & *Romanos* contra spes eadem alebat non bene paratos à commeatu *Gallos* tandem recessuros. Interim hi post *Romani* territorii populationem in vicinos irrumpentes in *Ardeatem* agrum pervenere. *Ardeæ* vero degebat *Camillus*, Civis *Romanus* insignis, quem ob invidiam plebs dejecerat, qui sane in militari arte omnibus præstabat *Romanis*; sed neque tum
64 facile alibi erat, qui conferri cum eo posset. Tantus vir ibi calamitatem patriæ magis, quam suam mœrebat. Cum vero adventus *Gallorum* innotuit, tum propemodum desperabundi pavere *Ardeates*, congregatique consulere, quid in sui defensionem facerent. Quod intelligens *Camillus*, qui antea ab eorum conciliis perpetuo abstinuerat tum in concionem se se intulit. Excepit concio magna cum veneratione virum, quem maximi faciebat, & cujus in ea Civitate exilium pro magno ornamento reputabat. Tum Camillus. *Quanto vos amore sim antea prosequutus Ardeates, præter vetera mea in vos officia, hoc indicare potest, quod sedem exilii mei hanc unam Civitatem elegi. Modo vero cum exutus Patria istius unius sim Civis, necesse est ad antiquam amicitiam charitatem erga vos Civis accessisse. Cum itaque intelligam Gallorum metu territos vestris rebus diffidere, amor me coegit insuetum olim vestris conciliis huc accedere, ut timorem vestrum multo quam par sit majorem esse ostendam, deincepsque opem nedum ad defensionem; sed ad victoriam, & gloriam pollicear. Gens hæc, quæ vos terret proceritate potius corporum, animorum impetu, quam firmitate, & fortitudine pollet. Qui primo terrori ex eorum congressu resistit, facile repugnat armis. Argumento sint Romani, qui nunc jam assueti eorum aspectui, & clamoribus parva manu in Capitolii defensione illis resistunt. Hi barbari nunc post captam Urbem magno omnium nostrum, & finitimorum Populorum contemptu inflati sine ordinibus incauti vagantur: sine stationibus, ac munimentis noctu sternuntur, & dormiunt: Exercitus sine ordine quantacunque sit militum fortitudo, nullius est roboris: ipsi semet impediunt. Prudentia Ducis est virtus, & copiarum robur. Et certe Imperatoris temeritas stragis Romanæ ad Alliam non Gallorum fortitudo causa fuit. Ab inordinata itaque & palante ejusmodi turba non est Cives cur tantum timeatis. Verum si vobis placet nedum mænia hæc tueri (ne barbara gens omnia occupet) sed victoriam gloriosam consequi, vobis me offero ducem, sub quo duce adversus bellicosos Populos nunquam victi semper victores Romani fuerunt. Polliceorque non ad*
65 *pugnam, sed ad cædem ducturum. Somno hostes devictos pecudum instar trucidandos tradam. Quantum vobis gloriæ afferet vicisse Romanorum victores? prætereaque iisdem Romanis pro magnis eorum in vos meritis maximum hoc beneficium rependisse? Parate ergo arma, & me prima vigilia sequimini: nisi vos præclara victoria auctos reduxero non deprecor quin me ut olim Romani ita, & vos extorrem ex hac Civitate depellatis.*

Auctoritas viri tanti cui bello parem tum neminem esse jure merito existimabant, movit *Ardeates*: unde dimissa concione arma parant, corporaque curant expectantes interim à *Camillo* signum; quod cum datum viderunt præsto ad portas, cum eo fuere: qui eos pro sua singulari pe-
A ritia egregie instructos noctis silentio cum profundior somnus mortales occupat, ad hostes perduxit: ipsos undique intutos, & absque ullis excubiis, & custodiis (tantus erat omnium spretus) nacti magno sublato clamore invadunt, omnes somno oppressi, multi etiam spoliati armis jacebant, ut facile fuerit in quos primo inciderunt, trucidare omnes. Qui longius aberant exciti strepitu, adeoque improviso malo territi, arma capiunt; sed ignari unde clades, & à quibus inferretur, pars in hostes incidunt, qui eos occidere, pars in *Antiatem* agrum aufugerunt, ubi ab oppidanis in ultionem damnorum antecedentis
B populationis palantes, & trepidi interempti fuere: pauci ad *Brennum* remearunt: qui in imprudentiam Ducum, & in temeritatem militum nimis hostes contemnentium cladem rejecit, quam documento esse debere dixit ut cautius in posterum pabulatores procederent; atque ita consolatus milites obsidionem prosequebatur. Populi interim *Romanis* infensi ut *Volsci*, *Etrusci* non pauci *Tiburtini* voto saltem *Gallis* favebant, quorum postremi in sequenti *Gallorum* reditu cum illis etiam arma (ut dicemus) junxerunt. *Etrusci* certe obsidentibus adhuc Capitolium *Gallis* in agrum *Romanum* irrupere, indeque onusti præ-
C da prope *Vejos* transeuntes non procul Castra posuere à Civitatis ejus obsidione non alieni. *Ro-* 66
manum præsidium damna sua, & hostilem *Tuscorum* conatum contemplans exarsit animis, *Italos* etiam, & finitimos Populos suis insultare miseriis, & cum barbaris hominibus *Italiæ* libertati insidiantibus conspirare voto, & viribus. In ultionem proni à *Ceditio* Centurione, quem in Ducem sibi delegerant in noctem differuntur: tum in tenebris sopitos somno *Tuscos*, & ab omni invasione securos (adeo contemnebantur tum *Romani*) non secus ac *Ardeates Gallos*, trucidarunt; & prædam omnem immo, & hostium spolia *Vejos* reduxerunt. Post *Ardeatum*, adeoque *Camilli*
D victoriam & *Tuscos* à se trucidatos cæperunt *Romani*, tum qui in *Vejentana* Civitate erant, tum qui in alios erant locos dispersi sumere animos, & jam inertiam suam detestari qui ad Patriæ partim obsessæ, partim incensæ defensionem, & recuperationem tandiu cessantes non anniterentur. Plurimi ergo *Vejos* conveniunt, ibique se Duce destitutos quærentes unum *Camillum* esse, sub cujus ductu victoriam sibi pollicerentur, omnes vociferabant. Mittunt itaque *Ardeam* ad illum Legatos qui militarem concordem electionem ejus in Imperatorem denuntient, utque imperium suscipiat deprecentur. Respondit Legatis
E *Camillus* nullum se imperium suscepturum nisi suffragiis Senatus, & Populi in Capitolio obsessi, in quibus jus Reipublicæ residebat, prius sit ab exilio revocatus; deinde Magistratus demandatus; secus injustum, & illegitimum omne imperium futurum. Magna offerebatur difficultas penetrandi in obsessam arcte adeo arcem. At non defuit ex illis juvenis impiger, qui offerret se ad periculum faciendum, & spe successus reliquos animaret. *Pontinius* is *Comminius* fuit honestæ inter plebejos conditionis Civis. Hic sub vestitu ad id quod agebat accomodato subere occultato *Romam* perrexit. Vespere autem dedita opera ad
F Castra hostium accessit qua ex parte flumini assidebant. Tum antequam despici potuerit in *Tyberim* descendit, innixusque suberi ad proximam usque *Tarpejæ* rupi ripam enavit, quam magna cum difficultate, at pro summa sua dexteritate feliciter conscendit. Tum vigilibus consalutatis 67
se se illis manifestavit, itaque in arcem admissus Magistratibus, & Senatui, & victoriam *Ardeatum Camilli* opera, & victoriam exercitus qui

Vejis adversus *Tuscos* significavit magna cum Se-
natus lætitia, qui nihil eorum antea intellexerat;
tum desiderium ejusdem Exercitus opem ferendi
Patriæ, atque eorundem consensum in *Camillum*
pro Imperatore in tam difficili tantique momenti
bello, in quo recuperatio Patriæ, & defensio li-
bertatis *Romanæ* consisteret. Quidque militibus
responderit *Camillus* exposuit. Ibi Senatus, ac
omnes unanimi consensu, Centuriatisque comi-
tiis ab exilio revocarunt *Camillum*, atque Dicta-
torem constituerunt. *Pontinius* ergo sequenti no-
cte eadem via, & pari felicitate *Vejos* repetiit
Senatus consultum, Populi decretum, Legem-
que attulit. Quæ omnia nulla interposita mora
miserunt *Ardeam* ad *Camillum*. Is tum *Vejos* adiit
summa militum lætitia acceptus, juramentumque
ei militare non minori alacritate omnes dixerunt.
Statim vero prudens, & amantissimus patriæ Im-
perator adorsus est ea parare quæ adversus præva-
lidos hostes natura, & victoria feroces exigeban-
tur, dispersos ergo *Romanos* undique contrahere
missis qui excirent, contendit. Interim milites,
quos repererat clade, & fuga perculsos instruere,
& exercere, ad exactamque disciplinam revocare
nitebatur. Ex sociis quoque quos potuit excivit
potius pro amicitia, quam pro imperio. Vix
enim ulli se captivæ Urbis subjectos amplius ar-
bitrabantur. Non parum itaque temporis inter-
cessit antequam copias eas contraxerit, quibus
adoriri *Gallos* posset, & liberare Urbem. At ve-
ro interim *Roma* maximo in periculo fuit ne pe-
nitus concideret, arxque, & quicunque ibi erant
Cives, & Senatores in hostium manus venirent.
Aliqui enim *Galli* circumeuntes obsessam arcem (Plutarch. in Camill.)
in pertranseundo viderunt qua *Pontinius* ascende-
rat vestigia adhuc pedum, immo & manuum qua
eminentias saxorum interdum ipse prensaverat.
Rem Regi indicant, qui locum ipsemet adire,
ac videre voluit, intellexit Rex per eam viam
conscendisse quempiam in arcem, & posse ab aliis
scandi: sed dissimulato tunc consilio suo ad ten-
68 torium revertitur. Postmodum ad se vocatis
quos corporis dexteritate præstare cæteris judica-
bat hortatus est, magnis etiam præmiis proposi-
tis, eandem tentare viam, quam hostes monstras-
sent. Facilius multos, quam unum ascendere
dum scilicet sequentes interdum sustinent prio-
res, & priores interdum inferiores sublevant, se-
que invicem trahentes alii alios adjuvant: neque
difficile etiam ferre arma, leviora tamen dum pro
loci iniquitate proximo tradunt cum constiterint
resumpturi. Convocati gaudentes quod Rex eos
aliis prætulisset omnia se facturos prompto animo
pollicentur, quod & præstitere. Tanto enim
silentio ad summum evasere ut nedum vigiles: sed
canes etiam fallerent; anseres soli qui *Junoni*
sacri in summa licet alimentorum inopia tamen
servabantur exciti strepitu etiam si tenui clangore
ipsi, alarumque crepitu propinquos Cives exci-
tarunt, primus accurrit *M. Manlius* vir fortitudi-
ne præstans, & clarus qui triennio antea Consu-
latum gesserat. Hic armis arreptis alios etiam ci-
ves ad periculi locum advocavit, & *Gallum* qui
jam in summo constiterat scuto impulsum præci-
pitem de saxo dejecit. Is cadens subjectos, in
quos incidit in eandem ruinam traxit. Cæteros
Gallos coronæ montis proximos jam territos tru-
cidavit qui infra illos scandebant missilibus, &
saxis petiti omnes in idem præcipitium deturbati
sunt. *Romani* tanto periculo defuncti reliquam
noctem diligentioribus positis custodibus quieve-
runt. Luce autem orta militari concilio à Tri-
bunis convocato, ut præmia viris fortibus statue-
rentur, pœna ignavis. *Manlius* ut Patriæ defen-
sor publice laudatus, donatusque nedum de pu-

A blico à Tribunis, sed singuli milites se libram far-
ris victu suo se fraudantes, & quartarium vini ad
ejus ædes quæ in Capitolio erant detulere, ma-
ximum in tanta inopia donum. *Brennus* postquam
in irritum cecidit dolus locum antea incustoditum,
ipsum quoque custodibus sepsit. At grassabatur
jam in obsidentium exercitu pestis, sub initio ea
autumni, quo tempore grave est Cælum *Roma-*
num in *Gallorum* corporibus frigidiori Cælo assue-
tis exorta, postea ex copia mortium, & mortuo- 69
rum increbuit, dum non singuli sepelirentur; sed
acervatim multi simul urerentur. Unde teter
nidor, & pestilens ex semiustulatis corporibus in
B aërem diffunderetur ex quo cæpta contages supra
modum aucta fuit. Frequentia sepulcrorum, &
injectæ terræ cumuli nomen loco fecerunt. Bu-
sta *Gallorum*; ut pestis *Gallos* ita fames utrosque
& præsertim obsessos affligebat. *Romani* tamen
ne hostes penuriam, qua laborabant, crederent,
adeoque diutius in obsidione perseverarent panes
ex muris in castra, quasi abundarent, projece-
runt. In hoc rerum statu res *Romanis* opportu-
nissima cecidit. Numine scilicet in eorum jam (Polybius lib. 1.)
libertatem conspirante. *Veneti* confines *Senoni-*
bus in eorum regionem irruperunt. Quo nuntio
C ipsi accepto induciis cum *Romanis* factis colloquia
vulgo serere cum illis cæperunt, paulatimque in-
nuere non magna mercede se ab obsidione reces-
suros. Obsessi ergo cum jam fame conficerentur
neque *Camillus* adventaret, quidque interim fa-
ceret ob arctam custodiam intelligere non possent,
aures præbuere dictis. Adeo ut Senatus assense-
rit nedum sed Tribunis etiam militum ut pacisce-
rentur injunxerit. *Sulpitius* ergo Tribunus, in
quem munus id reciderat cum *Brenno* convenit,
se mille auri pondo daturos: ut dimissa obsidio-
ne, & Urbe à *Romanorum* confiniis prorsus rece-
dant. Pacto inito deferunt *Romani* aurum, in
D quo pendendo cum *Galli* iniquis ponderibus ute-
rentur, idque dolerent *Romani*; dicitur *Brennus*
ponderi gladium cum baltheo addidisse, quæren-
tique Tribuno, cur id faceret, respondisse, *Ut* (Lib. 11.)
dolorem adderet victis. Quod in adagium postea
cessit. Polybius scribit auro accepto *Gallos* inco-
lumes domum rediisse, ut sua scilicet à *Venetis* de-
fenderent eosque ulciscerentur. At cum *Livio*
Plutarchus in *Camilli* vita (in *lib. de fort. Roma.*
Polybium non confutat) longe aliter narrant;
nimirum dum altercarentur cum *Gallis Romani*
de iniquitate ponderum tum cum exercitu adve-
nisse *Camillum*, qui summa cum reverentia ut
Dictator à *Romanis* exceptus jussit aurum reassu-
E merent, ac reportarent. Et *Brenno* pacta jam 70
inita protestanti respondit, invalidum esse omne
pactum se Dictatore ab inferioribus Magistrati-
bus factum, proinde expedirent arma: *Romanos*
ferro non auro se suaque defendere, ac recupera-
re solitos. *Galli* improviso, licet discrimine oc-
cupati, non despondere tamen animos: sed ar-
mis correptis *Romanis* acerrime resistebant. ve-
rum cum *Romanus* exercitus instructus accessisset;
aspectuque deformatæ, ac desolatæ Patriæ ira
impleretur, ac plenus fiducia sub tanto Duce es-
set, facile hostes, quorum turmæ confusæ, &
implicatæ erant, expulerunt: immo *Brennus* ipse
F intelligens quanto eas ob causas tum superiores
Romani essent in castra suos reduxit: noctu po-
stea clam signo suis dato omnibus convasatis inde
recessit, & via *Sabina* octo millia passuum pro-
cessit. Orta luce *Camillus* est eos consequutus,
ibique aciem instruxit nec detrectavit pugnam
Brennus, licet diminutus longe numero exercitus
esset, tum ex *Ardeatum* victoria; tum ex hester-
na pugna; tum vero ex strage pestis diutinæ.
Milites præterea multi debilitati morbis; omnes
autem

autem fame, & diutinæ obsidionis tædio fracti. Non tamen destitit Dux excitare animos memoria pristinæ virtutis; gloria rerum gestarum; qui ab Oceano eo usque omnium gentium victores extitissent. Recordarentur quam facile hos ipsos *Romanos* vicerint: si pristino ardore ipsos invadant non toleraturos impetum, immo nec forte aspectum irruentium. Ab hac una victoria pendere num Patriam, Uxores, Filios revisant; num *Venetos* importunos adeo hostes ulciscantur, num postea hæc ipsa loca repetentes post *Venetos* expulsos aut deletos imperium, & hujus regionis, & totius *Italiæ* occupent. Considerent pro se habere Deos infensos perjuris, & fædifragis quales *Romani* sunt, qui adversus juratum fædus clam exercitum accersierunt ut incautos, & fidentes opprimerent. *Camillus* contra incensos ad ultionem suos rursus oratione incendit. Quos videant coram *Gallos* eos esse internecinos hostes qui *Romam* ceperint, vastaverint, incenderint; primores Senes ætate, & factis venerandos occiderint;
71 nuptas, & innuptas quotquot *Romæ* remansere stupraverint, deincepsque cum viris efferate trucidaverint, sacra prophanaverint, templa combusserint. Si virorum fortium est injurias ulcisci quid publicas? quid immanes? patriam immo bustum patriæ ab illis recuperaverunt, dignitatem *Romanam* per annos trecentos sexaginta inviolatam, ac florentem ab iisdem belluis fædatam, & conculcatam recuperandam restare: acceptum dedecus non nisi occidione hostium expiari posse. Fædam *Romano* nomini maculam inustam nonnisi eorum inimicorum sanguine posse elui. Demum considerarent sub eo se tunc Duce militare, cujus ductu semper antea vicerint. Ostenderent virtutem *Romanam* non à *Gallorum* furore victam, sed temeritate, & imperitia imperatorum suorum impeditam, ac fractam fuisse: irent in pugnam, ulturi patriam, ulturi patrios Deos, dignitatem *Romanam* à teterrimis hostibus insigni facinore recuperaturi. Processere ergo acies, *Romana* qui-

A dem integra viribus, proximæ victoriæ memoria ferox, Duci fidens, ordine excellentissimo pro summa imperatoris scientia instructa, indignitate injuriarum acceptarum in hostes animis incensa, & desiderio ultionis efferata; contra *Gallorum* ut jam dixi longæ obsidionis tædio affecta morborum reliquiis, & fame debilitata, ex peste, ex occidionibus numero diminuta, ex proxima demum clade animis fracta. Par tamen fuit in impressione utrimque impetus: *Gallorum* ex instinctu; *Romanorum* ex rabie. At non par in durando virtus. *Gallis* siquidem post longam pugnam fatiscere vires, deinde pelli loco, & tandem in fugam conjici: in Castra primo compulsi ea (annitente *Brenno*) tueri adorsi sunt.
B Verum urgentibus summo ardore successus suos *Romanis*, Castra occupata, & omnes occidione occisi; si *Livio* credamus, neque superfuisse qui nuntium in *Galliam* cladis ferret. *Plutarchus* tamen majore ex parte occisos scribit, ut aliquam partem superfuisse significet. Neque vero in pugna omnes à *Romanis*: sed post cladem palantes à Populis finitimis plures interemptos. Cumque *Polybius*, & cladem, & pugnam neget, incolumemque exercitum in *Galliam*, & in patriam rediisse 72
asserat, inter extremas *Livii*, & *Polybii* mediam *Plutarchi* sententiam suscipio. *Brennum* cum selectiore manu desperatis jam rebus, & amissis ca-
C stris aufugisse: reliquos vero qui à clade superfuerunt dum palantes *Galliam* repeterent plures à populis oppressos, nonnullos tamen evasisse, qui postea in *Galliæ* ingressum expectati à *Brenno*, & excepti sint. Oportet enim pugnam cum *Romanis* ad vesperam protractam esse, cum octo passuum millia prius hi eadem die confecerint, & erat dies hyberna. Antequam ergo instruerentur arma, & pugna inter bellaces gentes absolveretur, prætereaque & castra caperentur ad noctem certamen pervenit unde beneficio tenebrarum magna *Gallorum* turba ex *Romanorum* manibus elabi potuit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

73 BRENNUS ditionis suæ fines ingressus ad reliquias pristini exercitus magnam manum adjunxit populorum subjectorum. idque prudenti admodum consilio: nimirum ut majore cum dignitate *Senensibus* suis se se repræsentaret. ut instructior adversus *Venetos* esset: demumque ut pro obsidibus essent ne ob infelicem cum *Romanis* exitum recentis Imperii accessus rebellaret. *Senenses* Regem advenientem commistis affectibus receperunt. magna, & fusa Civium orbitas commiseratione cæteros, at parentes, uxores, affines dolore maximo afficiebat. Contra victoria præclaræ gentis, amplæque Urbis expugnatio temperabat luctum; adesse vero Regem infractum animo, & imperatoria arte excellentem cum strenua etiam ac veterana pristini exercitus
74 reliquia: præter novas copias spem faciebat defensionis ne dum: sed ultionis adversus *Venetos*. qui jam ingressi fines late regionem *Senonum* vastaverant. *Brennus* ut gentis pacaret animos, auctoritatemque sibi suam, si qua ex parte ex clade exercitus labasceret, restitueret, concionem advocavit. Ibi de profectione sua, de rebus gestis, magnifice disseruit. Ivisse *Clusium*, obsedisse Oppidum situ, & munitionibus firmum, cessu-

D rum tamen *Gallicæ* virtuti: quod cum intelligerent *Clusini Romanorum* auxilium petiere. *Romana* Civitas magnam inter eas gentes virtutis opinionem obtinebat, perpetuis ferme victoriis per quadringentos prope annos confirmatam; lateque ditionem extenderat. Is tamen populus pacifica primum legatione obsidione liberare amicam Civitatem tentavit. At iniquis postea factis arma provocavit, & in se avertit. *Clusinis* ergo interim relictis exercitus raptim *Romam* contendit, cumque non procul ab Urbe *Romani* occurrerint mirum est quam facile quam fæde solo aspectu territi aufugerint fracti adeo, & prostrati animis ut nec muros firmare præsidio nec portas
E claudere auserint in arcem rectà profecti illam solam defendere tandem sustinuerunt. Turba Civium pars palans aufugit: pars captiva cum omnibus ferme rebus, & Civitate præter arcem tota in manus victorum cessit. Arduus arcis situs longam obsidionem desperata expugnatione fecit, Procedente ergo obsidione in semiustulatæ Urbis solo per se fervido, & insalubri morbus, in *Gallorum* corpora frigidiori climati assueta sævire cœpit; & autumno tandem pestilens jam factus horrenda contage, & innumeris mortibus grassari. Perseverasse tamen post morbi, & pestis stragem in obsidione mira constantia exercitum an potius

exercitus reliquias ? ut ad extremam penuriam
Romani demum ducti ſe redimere pretio ſint pa-
cti, emptitiamque deinde vitam, ac Civitatem
habere decreverint verum virtus *Gallorum* non
pretium redemptionis: ſed deditionem expreſſiſ-
ſet. At gratias habeant *Venetis*, qui coegerint
exercitum cogitare de reditu ante deditam arcem;
qui prohibuerint ne ſupplemento novarum copia-
75 rum petito, & miſſo priſtinas vires exercitus re-
ſumeret, qui occaſionem dederint ut pactionis
beneficio fidentes fœderi *Gallos* exercitus ex *Ro-
manis* profugis contractus ex inſidiis inter expen-
dendum pretii aurum fracto fœdere invaſerit, &
licet improvidos vix tandem vicerit. Neque vi-
cerunt *Romani Gallos*; ſed peſtis; ſed in alieno,
& ſterili ſolo diu tolerata fames: & vicerunt non
exercitum ſed parvam exercitus reliquiam. Tot
ſcilicet contagio abſtulerat; & tandem corpora
non virtutem, ac ferociam *Gallorum* vicerunt.
Artus languentes vel morbis præſentibus, vel
nondum plene recreati à morbis, multorum fame
tabeſcentes vix arma ſuſtinebant: ferocia ſola ani-
morum arma regebat, impetum faciebat, hoſtes
repellebat, ut licet fortunæ, & iratis Diis ceſſe-
rint ſpecimen tamen eorum fortitudinis in animis
nedum gentilium qui amant, & admirantur: ſed
hoſtium qui timent, & obſtupeſcunt, triumphet.
Hæc cum militari facundia dixiſſet Rex ſubjecit,
Romanum imperium captione ejus Urbis lacerum
relictum. Populos enim olim ſubjectos in liber-
tatem ſe vindicaſſe, multoſque pro *Romanorum*
ſuperbia favere *Gallis*, ut ſi proſtratis *Venetis* il-
luc novus mittatur exercitus *Roma* rurſus facile
occupari poſſit. Qua capta Civitate totius *Ita-
liæ* imperium ſibi ſpondeant. Concluſit demum,
parentandum eſſe viris fortibus, qui pro gloria
gentis, ac Reipublicæ *Senonum* glorioſe oppetie-
rint. Deinde præſenti, exercitui novo delectu
ſupplementum conſcribendum. Iis etiam militi-
bus dimiſſis, qui longis laboribus, & malis tole-
rati fracti quiete, & vacatione egeant. Ceterum
polliceri ſe impurtuniſſimorum *Venetorum* debel-
lationem. Tum à concione ſæpius acclamatum
fortiſſimum, & invictum imperatorem eſſe Re-
gem. Omnia fortiter, & prudenter egiſſe dele-
ctum pro arbitrio faciat: ſe imperio parituros,
homines pecuniam, & quicquid opus ſit, ſubmi-
niſtraturos. Rex ergo primo magnifice parenta-
ri mortuis juſſit quod ejuſmodi parentatio tum in
conſolationem affinium cederet, tum milites ad
76 fortiter agendum inflammaret. Delectu deinde
habito, & cætero apparatu inſtructo in hoſtes
ſtatim movit. Id ipſum anxie cupiebat Civitas,
ut impetum hoſtium cohiberet, & illata damna
ulciſceretur gente etiam, quam maximè oderant
(ſi fieri poſſet) debellata. Qui fuerit belli ad-
verſus *Venetos* exitus nullius ſcriptoris narratione:
ſed ſola conjectura aſſequimur, victos ſcilicet *Ve-
netos*: at non ſubactos. Victos quidem ex iis con-
Lib.1.Hiſt. jicimus, quæ *Polybius* ſolus harum rerum Scriptor
indicat. Cum enim ad *Venetos* repellendos *Roma*
remigraſſe *Senones* ſcribat ſucceſſum reticens bel-
li; ſubjungit tamen illatum *Senonibus* ab aliis *Gallis
Alpium* incolis bellum ob felicitatis eorum, au-
ctique imperii invidiam. Ni viciſſent *Senones
Venetos*, ſuſceptaque damna rependiſſent commi-
ſerationem, vel contemptum non invidiam ejuſ-
modi conditio genuiſſent: non tamen ſubactos
tum *Venetos* demonſtrant quæ *Livius* narrat. Coſſ.
ſcilicet *M. Livio*, & *C. Æmilio* qui annus fuit
poſt Urbem liberatam tum ſcilicet *Cleonymum La-
cedæmonium* Ducem cum claſſe invaſiſſe *Patavi-
num* agrum, & a *Patavinis*, *Venetiſ*que occur-
rentibus non alienis auctoritate, & viribus: ſed
ſuis male cum claſſe mulctatum. Quandiu vero

A duraverit bellum cum *Venetis* neque id conſtat, ut
omnino reticere neceſſe ſit, niſi quis fingere, &
divinare velit quod ab hiſtoriæ legibus procul ab-
eſt. Illud conſtat referente *Polybio Senones* poſtea Lib.primo.
à cæteris *Gallis* bello vexatos, præſertim ab *Alpium*
accolis, qui *Senonum* incremento inviderent. Ve-
rum cum *Alpini* (*Taurini* ſcilicet, & *Ligures*)
Longe à *Senonum* finibus diſtarent, oportuit in-
terpoſitos *Inſubres*, & forte *Bojos* faviſſe illorum
conatibus, & forte eadem, & ipſos invidia rigen-
tes ſuaſiſſe ſterilis ſoli, & præruptorum montium
cultoribus ut ad *Senonum* amplam, ac beatam re-
gionem adſpirarent, ejus vel precario partem
quærentes, vel armis occupantes. Bellum ſane
B diutinum exarſit, & non ſemel repertum, ut to-
tos unde triginta annos partim *Veneto* partim *Gal-
lico* bello occupati *Senones* fuerint. *Livius* tamen
ad duos, & viginti contrahit: vigeſimo enim,
& tertio anno rediiſſe *Gallos* adverſus *Romanos* 77
ſcribit. Ego in ſequentium bellorum ſcriptione
modo *Livium*, modo *Polybium* ſequar ut alteruter
rem dinſtinctius enarraverit. Anno ergo poſt Liv. lib. 6.
Urbem à *Gallis* captam vigeſimo tertio rurſus
Galli adverſus *Romam* rediere. Compoſitis ſcili-
cet cum *Venetis*, & cum reliquis *Gallis* bellis an-
tiquum deſiderium exarſit occupandi *Romam*, ac
C *Romanam* ditionem memoria priſtinæ victoriæ
ſpem felicis exitus faciebat neque ſuſceptam dein-
de cladem *Romanæ* virtuti: ſed morbis, & peſti,
inopiæque toleratæ tribuebant. Dum parati à
commeatu dum integris viribus eſſent longe ſe præ-
ſtituros *Romani* reputabant. Deſiderium præterea
ulciſcendi ſuos à *Romanis* occiſos valde urgebat.
Publice ergo decretum eſt bellum, & omnia ad
illud pertinentia magno apparatu inſtructa. Se-
lectorum militum præſertim ingens multitudo.
Explorati etiam per Legatos *Volſcorum*, & *Lati-
norum*, & finitimorum Populorum animi; ali-
qui *Tyburtini* præſertim commeatum polliciti
D ſunt, neque plura *Galli* quærebant ſuis armis, &
militibus contenti. Satis illis erat habere ab ami-
cis quo ſe pro occaſione reciperent, & unde vi-
ctui neceſſaria ſuis ipſi nummis compararent. Im-
minentis ergo belli à *Gallis* fama ad *Romanos* per-
venit, in quorum animis inſidebat, & diu etiam
poſt, timor maximus funeſti hoſtis inſedit. ut le-
ge ſanxerint; nemini, neque etiam Sacerdotibus
vacationem ab armis in tumultu *Gallico* permitti
quocunque is privilegio nitatur, modo à Quæſi-
toribus eligeretur. Erant eo anno *Romæ* Tribu-
ni militares poteſtate conſulum *A.* & *M. Cornelii*,
M. Gegunius, *P. Manlius*, *L. Veturius*, *P. Vale-* Liv. lib.6. prope finem.
E *rius*. At experti jam quid multitudo Ducum ad-
verſus formidabiles *Gallorum* copias poſſet, ad
Dictatorem ſupremum in rebus ambiguis præſi-
dium confugerunt: dictaturamque *M. Furio Ca-
millo* Imperatori invicto, & adverſus *Gallos* fatali
demandarunt. *Senones* ergo ad *Senegalliam*, pri-
mo profecti videntur, inde per *Camerinum* recta in
auſtrum procedentes *Tybur* tandem devenere, ubi
conſalutatis amicis, & firmato rurſus fœdere mo-
dica quiete recreati in *Romanam*, ac ſociorum di- 78
tionem irruperunt, late omnia vaſtantes, & po-
pulantes, magnaque edita ſtrage in *Albanum* per-
venere: ubi obvios *Romanos* habuerunt. Per-
F gratus fuit occurſus *Gallis*, qui ſpe victoriam præ-
ſumebant. Exercitum occidione occiſum; *Ro-
mam* captam, ditionem *Romanam* univerſam oc-
cupatam ſibi animo temere repræſentabant. *Ro-
mani* contra damnis ſociorum, & ſuis præſenti-
bus irritati antiquarum injuriarum odio efferati
ſub maximo imperatore, & ſemper invicto fidu-
ciæ pleni ſperabant victoriam, nec ſpernebant
hoſtes. Fidebat etiam Dux militibus; multis Plutarchus
enim exerciti bellis, ac veterani plures erant. Po-
ſuit

ſuit tamen prius, & munivit Caſtra, eaque con-
traxit, ut ſimularet metum, & diſſimularet mi-
litum multitudinem, cupiebat ſcilicet augeri in
hoſte ſuorum contemptum, & ali temeritatem.
Cum ergo temere, & incauti frumentatum irent,
eos adorti *Romani* multos occiderunt. Aliis præ-
terea levioribus præliis aſſuefecit *Camillus* milites
diſſonis *Gallorum* cantibus, & truci aſpectui.
Cum confirmatos autem vidit, inſtruxit aciem,
& ſigna cum hoſtibus, id ſumme expetentibus
contulit. Providit ne à majore *Gallorum* multi-
tudine circundarentur. Cæterum vero *Romana*
acies longe *Gallicanæ* ordinatione, & diſciplina
præſtabat. Primo enim furori, & impetui *Gal-*
lorum jaculis, & velitaribus armis occurrerunt
velites: at ipſis intra ordines principum receptis
principes ipſi ſtataria jam pugna diu reſtiterunt.
Succeſſere principibus haſtati, qui recentes, &
integri hoſtes jam diu pugnantes (eadem enim
ſemper frons erat) exceperunt, & poſt diutinam
pugnam cum laſſari inciperent jam *Galli* tum de-
mum Triarii ferociſſimi milites, & veteranorum
primi receptis inter ſe haſtatis ordinibus deinceps
confertis in fatiſcentes jam *Senones* inſurrexerunt:
tum laxari *Gallicanæ* turmæ, deinde cedere, &
tandem inferentibus ſe acerrimè Triariis effuſa
fuga Caſtra petere cæperunt. Non deſtitere
Romani inſequi fugientes, eodemque ferme im-
petu Caſtra ingreſſi univerſa mortibus, & ſangui-
79 ne repleverunt; magna tamen pars *Gallorum* au-
fugit, neque Dux *Romanus* paſſus eſt milites
prædæ implicatos numeroſum adhuc equitatum,
& peditatum ulterius ſequi. Illud præterea in-
ventum *Camilli* memorat *Plutarchus* ſcuta *Roma-*
mana circumdediſſe ferro, ut reſiſtere poſſent
gravibus *Senonum* ictibus, qui cæſim feriebant.
Galeas quoque licet ferreas, ferreis adhuc aliqui-
bus circulis ad majorem firmitatem munivit. Præ-
terea vero ut *Plutarchus* dicit venabulis armavit
quorum cornibus hinc inde extantibus vibratos ſu-
ſtinerent enſes unaque prominente mucrone pe-
ctora foderent. Maximam ergo victoriam au-
ſpiciis excellentiſſimi Ducis ab infenſiſſimo hoſte
Romani reportaverunt, ob quam timorem ingen-
tem *Gallorum*, quo prius premebantur, dimi-
nuerunt. *Galli* poſt cladem in *Apuliam* deflexere,
ut ſcilicet *Piceni* imperium in *Apuliam* prolata-
rent poſtea quam cum *Romanis* infelici eventu
pugnaverant. In *Apulia* quid ipſi fecerint non
ſatis conſtat. feciſſe tamen, & Sedem iis in Re-
gionibus quæſiviſſe aliquam, id argumento eſt
quod ſexto poſt anno cum adverſus *Romanos* re-
dierint, rurſus receſſerint non in *Galliam* in oc-
Anni ab Urbe capta. cupatumque *Picenum*: ſed in *Campaniam* abiere,
unde iterum ſequenti anno in auxilium *Tyburtino-*
rum contra *Romanos* reverſi ſunt, ut conjicere li-
ceat, & locum in *Campania* occupaſſe ubi per
annum morarentur, & trans *Apenninum* finitima
loca antea adeptos eſſe quæ à regione *Campaniæ*
Anno. 29. non longe disjunctæ forent: Sed facilis eſſet ab
his ad illa tranſitus. Hæc pro conjectura dicta
ſint. At ſexto poſt Anno Coſſ. *L. Sulpitio*, &
C. Licinio rurſus *Senones* bellum intulere *Romanis*.
Memoria captæ olim Urbis faciebat animos: ſu-
ſcepta poſtea damna acuebant iras. Et forte *Ty-*
burtes quibus tum denuntiaverant *Romani* bellum,
miſſis Legatis pro amicitia, & fædere ſolicitave-
re. Magno ergo exercitu reverſi *Galli* in *Roma-*
næ ditionis viſcera penetraverunt. Late enim va-
ſtato agro, ad *Aniennis* pontem ter mille paſſibus
ſolum ab Urbe diſtantem pervenerunt.
80 Ibi repererunt *T. Quintium* Dictatorem ejuſ-
dem tumultus *Gallici* cauſa creatum, & equitum
Magiſtrum *Sergium Cornelium* cum maximo exer-
citu trans flumen *Galli*, cis *Romani*, pons in me-

A dio, quem neutri exciderant ne timorem præ ſe Ab Urbe capta.
ferrent: at frequentis pugnæ erat occaſio, &
materies, dum utraque pars eum occupare conten-
deret. Erat adhuc ab alterutrius dominatu is li-
ber cum *Gallus* procero admodum corpore inſi-
gnibus armis ornatus in medium pontem proceſ-
ſit, magnaque voce ad ſingularem pugnam pro-
vocavit quicunque ex *Romanis* manum ſecum
conferre auderet: ab eventu pugnæ conſtitu-
turum utra gens fortitudine præſtaret. Ceſſanti-
bus aliis *T. Manlius* celebris ob maximam in Pa-
trem pietatem, quam à tribunitia vexatione libe-
rando oſtenderat; licet ipſe à patre inhumane
B tractaretur. Hic inquam juvenis Dictatorem
adivit, ab eoque veniam petiit extra ordinem cum
provocatore *Gallo* pugnandi. Sperare ſe præſul-
tanti, & inſultanti demonſtraturum quantum in-
ter barbaram jactantiam, & *Romanam* virtutem
interſit. Amplexus juvenem Dictator. *Macte*
virtute (inquit) *tuam in patrem pietatem hæc in*
patriam pietas decet. Ito, & in ſingulari etiam pugna
invictos Romanos oſtendito. Armatur *Torquatus* con-
currentibus militibus ejus virtutem ex ſola oblatio-
ne ad pugnam totis caſtris celebrantibus: armatus
is ſe pedeſtri præterea ſcuto munivit; *Hiſpanienſi-*
que gladio ad propiorem pugnam habili, & ad
C punctim feriendum cinxit. Tum productus ab
æqualibus in pontem ipſe remanſit, cæteri ſe ad
ſtationem recepere. *Gallus* cum longe proceri-
tate corporis præſtaret, ac ſplendore armorum,
prolixitateque enſis, nedum exultatione, & ja-
ctatione armorum cantuque ut mos ferebat gen-
tis *Manlio* inſultabat; ſed exſerta præterea lingua
ipſum irridebat. At *Romanus* tacitus mente ſoli-
da, & præſenti animo contemplans qua in parte
pateret ictui hoſtis, acceſſit. Tum magno co-
natu, & robore enſem cæſim vibrante *Gallo*
ipſe ſcuto ſublato plagam excepit, eodemque
temporis momento veloci, & porrecto gradu
D inter hoſtiles enſem, & clypeum ſe inſinuans 81
mucrone hauſit ventrem, & hoſtem eo vulnere
occiſum proſtravit: quem ſolo ſpoliavit torque
reliquis ſpoliis relictis, circundeditque eo ſibi
collum; occurrentes itaque lætabundi milites mi-
litari applauſu *Torquatum* vocaverunt, quod poſtea
cognomen poſteris perpetuum fuit. Dictator
eum pro concione meritis laudibus extulit, coro-
namque inſuper auream pro dono addidit. *Senones*
tam celerem ferociſſimi viri occiſionem obſtupue-
runt, & cum ex ea, & velitaribus præliis pro
pontis occupatione ſpem tum vincendi depoſuiſ-
ſent *Tybur* revertere, & credentibus tum *Tybur-*
E tibus tum *Gallis* eo anno non amplius *Romanos* ar-
ma illaturos, dimiſſi à ſociis *Galli* commeatu etiam
benigno ab iiſdem adjuti *Campaniam* repetiere. Anno 30.
Sequenti anno Conſules creati *C. Petilius Balbus*,
M. Fabius Ambuſtus. Bellum adverſus *Tyburtes*
Petilio à populo mandatum. Acciti ergo à *Ty-*
burtibus Galli ex *Campania*, qui aucto (ut ex ge-
ſtis apparet) exercitu fædas populationes in *La-*
vicano, *Tuſculano*que, & *Albano* agro fecere.
Cum reverti *Gallos Romani* intellexerunt Dictato-
rem *Q. Servilium Halam* Magiſtrum Equitum *T.*
Quintium creavere. Dictator maximum coegit
exercitum nullo juniore ſacramentum militiæ de-
F trectante. Dum delectus *Romanos* diſtinet ad Ro-
mæ uſque mænia *Galli* audacter perveniunt: Non
procul à porta ergo collina totius Urbis viribus
pugnatum inſpectantibus parentibus, liberis, &
conjugibus: quorum libertas, & ſalus, & invio-
latus pudor, patriæ item conſervatio, Senatus
dignitas, populi majeſtas præmium erat pugnæ.
Utrinque acriter bellatum atque diu, & magna
utrinque manus cecidit. *Senones* tandem pulſi
Tybur repetierunt, at cum ſolutis ordinibus, &
pala-

Ab Urbe capta. palati redirent in *Petilium* Consulem inciderunt, qui exercitu in eos invectus est. *Tyburtes* periculum sociorum conspicantes; non enim procul ab Urbe congressus est *Petilius*, copias emisere in *Gallorum* subsidium; ambo tamen, & *Tyburtes*, & *Galli* victi, & intra Urbem compulsi nihil aliud eo anno contra *Tyburtes*, & *Gallos* moliti *Romani*, ut satis pateat *Gallos* potius depulsos, quam confractos: cum neque in reliquiis infen-
82 sissimi hostis exscindendis persisterent *Romani*, & *Galli* subinde ferociores, & plures ad eorum damna remearent, & viscera imperii immo Civitatem ipsam peterent. *C. Petilius* tamen Consul concedente ei Lauream Dictatore. de *Gallis*, & de *Tyburtibus* triumphavit. Tanti adhuc faciebat S. P. Q. R. *Gallos*, ut quævis de ipsis victoria triumpho digna haberetur. In sequente anno *Tyburtes* suis ipsi viribus ad mænia *Romana* profecti noctu sunt Coss. *M. Popil.* & *C. Manlio* ma-
Anno 31. ne inde repulsi. Quieverunt postea ambo à mutuis offensis populi: unde neque accersiti *Galli*, qui idcirco in *Campania* perstitere. At postero anno *Galli* reviviscente in *Romanos* ira, & forte instigantibus *Tyburtibus* novis accersitis copiis rursus arma movere. At prudentiore consilio non viscera, sed extrema *Romanæ* ditionis adoriuntur. *Præneſtem* ergo cum venerint propinquum inde *Pedum* obsidere. *Gallorum* accessu audito *Romani* jusserunt Consules dicere Dictato-
Anno 32. rem. Coss. erant *C. Fabius*, *C. Plautius*. Hic accitus dixit Dictatorem *C. Sulpitium*, cui Magister equitum additus *M. Valerius*. Dictator ab exercitibus consularibus, quorum alter in *Tarquinienses*, alter in *Hernicos* pugnabant, robora detraxit, eaque adversus *Gallos* duxit. Rem *Romanam* pluribus bellis implicatam juvit pax *Latinis* petentibus data, auxilioque ab illis numerosa militum manus ex vetusto fædere missa. *Galli* certaminis ab initio avidi parem pugnandi aviditatem in hoste cum repererint, partiariisque in pugnis magnam in illis ferociam experti sint, lentius jam trahebant bellum. Imperator pariter *Romanus* cunctandum dicebat. *Gallos* enim impetu valere, at frangi mora, neque satis paratos tum esse à commeatu, neque in hostico esse sumendi copiam. Præterea neque munitis admodum Castris confidere ut tædio quietis, & diligentioris custodiæ impatientes facile recedere cogantur absque pugnæ alea, & *Romani* militis atque sociorum discrimine. Sanguini suorum parcendum dum sine sanguine sit obvia defensio. Prudens sane consilium: at ingratum militibus, qui quasi *Roma-*
83 *nam* disciplinam cum *Gallica* ferocia commutassent, parum abfuit quin imperio Dictatoris conculcato ipsimet sibi pugnæ signum dederint. Victus à militum consensu Dictator pugnandum edixit cum tamen multitudine superarent inimici astu juvandum numerum censuit. Mulis clitellis detractis Agasones armatos captivorum, & ægrorum armis imposuit: fuerunt illi mille quibus adjunxit centum equites ut veri equites in fronte sequentium figmentum amplius obtegerent. Eos noctu in montis sylvis esse, & se occultare jussit, ibique expectare evasionis, & incursionis signum: In campum deduxit ex monte, ubi Castra locaverat, Legiones, easque instruxit. Non crediderant *Galli* in æquam planitiem *Romanos* descensuros: sed montis, & situs beneficio usuros. Cum autem descendisse viderunt alacrius multitudine fisi in prælium non expectato à Ducibus signo ruerunt: tantoque impetu in dextrum cornu irruere, ut nisi ea parte constitisset Dictator, *Romani* locum non tenuissent. Tum is alta voce inclamare num hæc ea esset militum ferocia, quæ quasi certa victoriæ

A paullo minus excusserit Ducis sui imperium desiderio pugnandi. En jam campus, & hostis cur Ab Urbe capta. segnes cessarent. Cur obstupescerent in acie pavidi, in Castris feroces? Vera objurgatio tantos pudoris stimulos admovit, ut per tela, & per mortes vecordi impetu in hostes irruperint, quos turbatos immissus deinde equitatus in fugam conjecit: ab eo cornu jam vincente in levum accurrit Imperator; indeque signo agasonibus, & equitibus eorum ductoribus dato, ex insidiis illi magno clamore evaserunt, cumque obliquo cursu monstrarent, se à Castris separaturos *Gallos*, eorumque terga petituros veriti *Senones* ne interci-
B perentur Castra effusa fuga petiere. At cum in *Valerium* qui equitatu dextrum cornu profligaverat, inciderent, pars magna in sylvas aufugit. Multi itaque *Galli* in prælio, & post prælium in sylvis occisi: nec majorem hac cladem post *Camillum* passi sunt. Castra capta, spoliaque ampla inde accepta, ex quibus magna vis auri in Capitolio consecrata. Imminutæ adeo fuerunt *Senonum* 84
vires, ut octo annis intra suos fines quieverint. Secundo itaque post victoriam anno *Romani Tyburtes* à *Gallis* desertos ad deditionem compulerunt Coss. *M. Fabio Ambusto. M. Popilio Lænate*; alii pro *Lenate T. Quintium* dicunt, in quorum
C sententiam videtur propendere *Livius*. Quid *Galli* interim in *Campania*, & *Apulia* egerint non constat. Retinuisse tamen quas ibi paraverant Anno 40.
sedes credere par est ex illis, quæ sequuntur. Octavo ergo post anno *Senones* Coss. *M. Popilio Lænate*, & *L. Cornelio Scipione* rursus arma *Romanis* intulerunt: non amplius vero per *Tyburtem* agrum processerunt, prærepta illorum societate à *Romanorum* Dominatu: sed per *Latium* scilicet ex *Campania* processere. Jam posuerant in *Latio* castra cum *Romanis* infensi hostis adventus innotuit. Tum *Popilius* Consul, cui extra sortem ægrotante altero Consule, bellum in *Gallos* mandatum quatuor le-
D giones supplevit jussis junioribus ad ædem Martis convenire cum armis, & Quæstoribus illuc deferre signa. Alios præterea selegit, quos Prætori *Valerio Publicolæ* tradidit. Author enim fuit Patribus alium exercitum conscribendi, qui in omnem incertum belli casum subsidio Reipublicæ esset. Cunctis jam paratis, & instructis adversus *Senones* perrexit. Confidebant illi non procul ab *Alba*, late scilicet agro vastato. Consul proximum illis collem occupat, in eoque Castra collocare, & munire decernit. Muniebant Triarii Principes, & hastati armati astabant, munitoresque custodiebant. *Galli* pugnæ avidi ad
E primum inimicorum conspectum instruxerant ut pugnaturi aciem. Cum itaque eos viderent munire se vallo pavorem illum interpretati, & opportunam rati invasionem dum intenti operi ordines deseruerant magno clamore, & ingenti ferocia erigunt in collem aciem, in *Romanos*que feruntur: sustinent hastati, & principes impetum; inde Triarii resumptis armis, pilisque jactis, & hastis deturbant ascendentes *Gallos*, eosque vel transfixos vel oneratos conjectis telis in planitiem multa cum morte dejiciunt, at ibi ex novis copiis *Gallorum* multitudine abundantium pugna inte-
F gratur, Consulque macera in humero lævo vulneratus excessit pugna unde cunctari *Romanos*, & 85
e cunctantium manibus victoria prope elabi. Cum Consul vulnere alligato revectus increpavit milites quid starent adversus exitialem inimicum, quem vel exscindere, vel à quo exscindi necessum erat: Irent, victoriam jam cæptam urgerent; non morarentur. His incensi monitis renovant impetum, & *Gallos* demum fundunt, quibus nec certa imperia, nec Duces essent. Fugati *Galli* non ad Castra, sed ad *Albanam* arcem confugiunt,

giunt, quæ in tumulo erat circumstantium omnium editissimo. Consul continuit ab insecutione milites in tanta loci iniquitate cum fessi essent. Sed opulentum spoliis *Gallicis* exercitum *Romam* reduxit, & licet *Galli* occuparent arcem *Albanam*, in tantaque propinquitate permanerent de illis triumphavit. Hæc est *Livii* narratio, quæ mihi prorsus inverisimilis videtur. Cur enim Consul victos hostes in possessione *Albæ* relinqueret ubi multa adhuc sacra *Romani* celebrabant? Si reliquiæ *Gallorum* paucæ cur non in tanto odio excisæ? Si multæ ut ex sequentibus eorum gestis patet, cur eas in tanta vicinitate relinquere, quæ vastarent agros in visceribus *Romanæ* ditionis. Cur non consulere *Latinorum* sospitati, dum in *Latio* barbaram multitudinem permitterent residere? Multo probabilior est hac in parte *Polybii* narratio. *Gallos* scilicet repentino adventu ad *Albam* revertisse non quidem quòd tum primum post captam Urbem bellum *Romanis* moverint; Sed cum octo annos quieverint facile *Romani* non amplius reversuros credebant. Adversus ergo inopinatam invasionem, & numerosum hostem imparati loca munita custodierunt aperta, & debilia reliquere. Accessit quam postmodum subjungit *Livius Latinorum* defectio, quam tum quoque cum *Galli* advenerunt, ebullisse credendum est, cum non restitisse *Gallis* in *Latium* introeuntibus, neque adversus eos petiisse à *Roma* auxilium legatur, ut cum *Gallis* tacite potius conspirare videantur. cum itaque *Romani* se à *Latinis* destitutos à *Gallis* bello petitos; *Græca* etiam classis eodem tempore maritimam oram deprædabatur non
86 arbitrati sunt acie certandum sed potius populationem agri tolerandam quousque exercitum compararent multiplicibus inimicis parem. *Galli* late vastatis agris cum desperarent munita Oppida capere in *Campaniam* revertere contenti præda, & incusso inimicis timore, qui ne illis quidem occurrere ausi fuerint. At si *Livio* hac in parte credamus perstitere in *Albano* per hyemem montanique frigoris impatientes in campos, & maritimam oram populabundi descenderunt, ibique cum maritimis prædonibus decertaverunt. Senatus interim in tanto discrimine, cum sociorum auxilia deficerent decrevit intentum delectum à Consulibus sequutis *App. Claud.* & *L. Furio Camillo* habendum tum *Urbanæ*, tum agrestis sobolis, suo enim milite, eoque solo imperium *Romanum* conservandum. Decem itaque Legiones descriptæ, quarum duæ ad Urbis defensionem relictæ: octo cum Consule *L. Furio* (nam moritur, in apparatu *Appius*) & Prætore *L. Pinario* iverunt Prætor adversus *Græcos* maritimam oram custoditurus. Consul adversus *Gallos* nomen adversum eam gentem furiorum fatale fecit ne Dictator diceretur. In agro ergo *Pomptino* prope hostes locum stativis aptum firmare vallo decreverat; non subire autem pugnæ aleam non cogente necessitate: sed prohibendo à populatione hostem numerosum, & à commeatu imparatum sedens vincere. Dum ergo ita quiescerent opposita Castra, processit *Gallus* proceritate corporis, & armorum decore insignis ad singulareque certamen quicunque *Romanorum* id auderet, provocavit. *M. Valerius* Tribunus militum adolescens fortis, & cui gloria *Torquati* animo obversabatur concedente Consule arma sumpsit, & in *Gallum* perrexit. Dicitur Corvus advolasse, & in galea *Valerii* insedisse in hostem versus, utque ciebatur pugna *Galli* oculos oraque rostro, & unguibus impetiisse, unde animatus ostento *Romanus*, & territus *Gallus*, hic concidit, ille victor evasit. Dum vero *Valerius* corpus obtruncati hostis spoliaret concitati indignatione *Galli* accurrerunt, quibus occurrere *Romani*. Atrox ergo certamen oboritur: tandem non solum manipuli proximarum stationum: sed legiones universæ procurrerunt concitante eas 87
Consule, quod lætas, & animatas victoria Tribuni, & opinione faventis Numinis videret. Certamen tandem ejusdem exitum habuit, quod pugnæ origo. Victi, fugatique sunt ingenti strage *Senones*. In *Apuliam* itaque *Campania* etiam derelicta aufugerunt, & omni spe abjecta *Roma* potiundi, & cogitatione dimissa *Romanum* populum amplius bello lacessendi. Victoria magna de illustri bellica virtute gente *Romano* nomini celebritatem addidit. Inde præsertim factum crederem quod *Capua* præclarissima Civitas cum à *Samnitibus* armis premeretur ad *Romanum* patrocinium confugerit, & cum aliter auxilium impetrare non posset, quoniam *Romani* antiquiore fœdere erant cum *Samnitibus* conjuncti, *Campani* se se illis dedidere, ut jam cogerentur *Romani* deditiam sibi gentem defendere. Primum quidem tentarunt pacifica legatione ab oppugnatione *Samnites* avertere: cumque id frustra fuerit, armis protegere decrevere. Sumpserunt itaque bellum adversus gentem numero, fortitudine, & opibus prævalidam. Diuturnum fuit bellum, & ancipitibus casibus plenum. *Samnites* tamen tandem domiti jugum acceperunt. *Romani* ex diuturna cum *Gallis*, & *Samnitibus* pugna edocti militarem disciplinam ad summam perfectionem adduxisse à *Polybio* dicuntur. Centum prope annos *Samniticum* bellum duravit; cujus initium non multo post sequuta est *Latinorum* aperta defectio. Cum ipsis pugnatum ancipiti prælio; par enim disciplina utriusque partis, iidem ordines, eadem arma. *Romani* antea exercitus parem legionibus suis numerum Latinorum sociorum habebant equites suis dimidio plures: disparem certaminis exitum fecit, atque *Romanis* victoriam peperit Imperatorum suorum; alterius (*Decii*) pietas, qui se devovit; alterius (*Torquati*) Imperatoria scientia, & virtus. victi tum Latini: at quia mulctati agro rursus rebellaverunt, tandem expugnatione Oppidorum subacti fuere. Communicata tamen multis eorum *Romana* Civitas, ut participes aliquo, & ipsi pacto Imperii essent. *Volsci* etiam domiti eodem fere tempore, quo *Latini*. *Galli* autem totis ferme quadraginta annis à vexando 88
Romanos abstinuerunt si *Livii* supputationem; at triginta solos annos si *Polybii* sequamur, quo temporis intervallo *Romana* arma longe, & late vagata Reipublicæ ditionem amplificaverant. *Apuliam* domuerant, *Lucanos* vicerant: pluribus stragibus *Samnites* ceciderant, *Hetruscos*, *Marsos*, *Pelignos*, *Umbros*, & *Equos* victricibus armis non semel fregerant Coloniis etiam in hostili terra alicubi collocatis. *Galli* interim nihil ut dixi adversus *Romanos* moverant. At Transalpini alii *Galli* tum *Alpes* transgressi *Cisalpinos*, & præsertim *Senones* vexare cæperunt, qui adventantium copiam, & feritatem veriti conciliare eos sibi aggressi sunt. Affinitatem ergo generis demonstrantes, opimisque donis placantes, quanto satior fortunatiorque victoria foret ostenderunt si *Romanis* arma inferrent, eorumque magnum Imperium, & Urbem assequerentur: id accidere posse suo ipsi exemplo monstrabant, qui eam Civitatem soli cepissent quid modo si junctis armis invadant? multos esse populos iis subjectos, qui magno eorum odio teneantur, illis spe vel libertatis, vel mitioris imperii se exteris libenter juncturos, dum superaturos credant. *Transalpini* precibus victi, & donis, speque uberioris victoriæ ex hostibus amici fiunt, fæedereque cum *Cisalpinis* junguntur. In finitimos ergo *Hetruscos* arma expediunt, ut iis devictis tutius demum *Romanos* aggrediantur.

Polybius libro 2.

Livius quoque lib. 10.

Hetruſci tanta belli mole territi ſe maximo auri
pondere à belli periculis, & damnis redimunt:
poſtmodum in belli ſocietatem adverſus *Romanos*
ſolicitant nec abnuere *Galli:* ſed de mercede diſ-
ſenſerunt. Credebant *Tuſci* ſatis amplam eſſe
mercedem datam jam ingentem pecuniam: at
Galli contra eam datam ne vexarentur bello re-
ſpondebant: pro bello ergo agri partem quam
incolerent, colerentque flagitabant: verum agri
damnum, & multo minus conterminam habere
gentem ferocem utque ipſi credebant barbaram,
& efferatam non placuit. Revertere ergo *Galli*
pecunia abſque ſudore, & ſanguine parta con-
tenti. At reverſi in *Galliam Ciſalpinam* ſcilicet
89 de diviſione prædæ orta contentione ad arma
hic *Senones*, inde *Tranſalpini* venerunt. Is fuit
pugnæ exitus ut *Senones* ab eo bello occupati ma-
gnam Imperii partem perdiderint: tum nempe
Livius. *Picenum* amiſiſſe veriſimile eſt nam ſub ea tem-
pora *Picentes* cum *Romanis* fædus inierunt, ut jam
Senonum jugum plures ſaltem eorum abjecerint.
Hic annus quo tumultuati ſunt *Galli* fuere *Romæ*
Coſſ. *M. Fulvius Pætus. T. Manlius Torquatus.*
Romani autem cum motum *Gallorum* intellexere
quorum arma horruere diu, ſprevere nunquam;
maximo adverſus eos copiarum apparatu ſe ſe mu-
nierunt: at intellecto diſceſſu ea cura levati mul-
to fidentius ſolos *Hetruſcos* aggreſſi ſunt, lateque
eorum agros populati etiam vicos, & inferiora
Oppida incenderunt ſedentibus intra munitiones
Tuſcis nec audentibus ſeſe aciei aleæ committere.
Senones demum reverſis in ſua *Tranſalpinis* circum-
ſpicere damna ſua, imperiique diminutionem, à
cujus recuperatione *Picentium*, cum *Romanis* fæ-
dus, prohibebat, ni *Romani* ipſi vincerentur.
Cum ergo præſentibus incommodis vetus odium
reviviſceret decreverunt cum *Samnite* implacabili
Romanorum hoſte arma jungere. Quadriennio er-
go poſt percuſſo cum *Samnitibus* fædere invaſe-
runt in *Camertinorum* regione *Romanos*, pluri-
moſque eorum cecidere, & rurſus juxta *Sentina-
tes* non pauciores alios obtruncarunt, copiaſque
univerſas in fugam conjecerunt. Ita narrat *Poly-
bius*, variatque *Livius* non negando tamen mul-
tos tum *Romanos* à *Gallis* cæſos. Narrat itaque
Livius tertio non quarto poſt anno Coſſ. *Q. Fabio*,
& *P. Decio* cum *Samnitibus Gallos* in *Romanos*
moviſſe tantis copiis eaque ferocia ut *Galli Clu-
ſium* uſque venerint; ibique *Scipione* Prætore in-
tegram legionem ex aliquorum narratione, quos
non improbat occiderint ut neque nuntius ſuper-
fuerit: tum demum adveniſſe Conſules ambos:
exercitus eorum quatuor legionibus conſtabat:
ſociorum vero *Latini* nominis numero ampliore:
equitatui *Romano* magno mille ſelecti equites
Campani adjungebantur. Alii præterea duo exer-
citus in præſidium urbis *Hetruriæ* oppoſiti, alter
in faliſco ſub *Fulvio:* alter in vaticano agro ſub
Poſtumio collocati: At cum *Gallis* erant *Samnites*,
90 *Hetruſci*, & *Umbri*, qui concilio habito, cum
Senones, & *Samnites* multitudine abundarent,
non omnibus copiis in pugnam deſcendendum ju-
dicaverunt; ſed ſolis *Gallis*, & *Samnitibus* pu-
gnam delegavere. *Hetruſcis* vero, & *Umbris* in
ardore pugnæ Caſtrorum oppugnationem deman-
davere. In agrum *Sentinatem* uterque exercitus
convenerat ibi à *Cluſinis* tribus clam noctu Con-
ſules de hoſtium conſilio certiores facti ſunt. Ex-
civerunt illi Prætorum exercitus *Fulvii*, & *Poſt-
humii*, ut *Cluſium* profecti inde vi ſumma *Hetru-
riæ*, & *Umbriæ* fines late vaſtent. Nuntius po-
pulationis ambos eos populos ad ſuos fines defen-
dendos impulit. Quibus abſentibus pugnandum
ſtatuerunt. Biduo ergo laceſſerunt hoſtes tertia
demum die in aciem utrinque deſcenſum. *Galli*

A adverſus ſiniſtrum cornu ubi erat *Decius*, *Samni-
tes* adverſus dextrum ubi erat *Fabius* ſteterunt.
Et pari adeo virtute concurrerunt, ut fateatur *Li-
vius*; ſi *Tuſci* præterea, & *Umbri* adfuiſſent, ma-
gnam cladem *Romanos* accepturos fuiſſe. *Fabius*
in dextro cornu continuit milites, ne impetum
ipſi facerent, ſed ſuſtinerent tantum *Samnites*:
perſuaſum enim habebat eam gentem ſicut etiam
Gallos initio pugnæ magno ferri impetu: at lan-
gueſcere poſtea animi, & corporis vires; tum-
que facile vinci dum *Fabianus* miles lenta pugna
Samnites retardabat. Contra ferox juventa *Decius*
B militem ſuum, ut *Gallorum* impetui pari impetu
occurreret incitabat, immiſitque etiam equita-
tum: qui proturbaret hoſtem ad eam laudem ex-
citans utroſque ut priores dextro cornu pellerent
hoſtem. Maximo illis honori futurum ſi ab equi-
tatu, & a lævo cornu victoria inchoet. Equita-
tus itaque *Romanus* bis *Gallicum* averterat, cum
Galli eſſedarios immiſere. Superſtabant carris, &
eſſedis armati milites, ingentique equorum, &
rotarum ſonitu in hoſtem ferebantur: fragor, &
inſolitæ pugnæ ſpecies *Romanorum* equos terruit,
& diſſipavit: inde peditatum aggreſſi anteſigna-
nos proterrere, & jam perturbare legiones: nec
C ceſſabant *Galli* impreſſionem carrorum catervis
ſuis ſequi, nec reſpirandi tempus *Romanis* conce- 91
dere. Inclinabat jam acies, nec Conſul præſens
objurgando milites eam reſtituere poterat, cum ad
ſuperſtitionem paternam recurrit: Se ſe ſcilicet
pro legionibus ſuis eodem quo pater olim habitu,
iiſdemque in hoſtes imprecationibus uſus in me-
dios *Gallos* ſe moriturus invexit. Animavit Con-
ſulis mors imbutos eadem ſuperſtitione milites,
quaſi ipſi ab omni jam Deorum ira expiati; quaſi
ea morte devoti telluri, & Diis manibus inimici.
Pontifice ergo *Lucio*, cui lictores tradiderat Con-
ſul, vociferante jam defunctas Conſulis fato Le-
giones feruntur in hoſtem. Advenerant quoque
ab altero Conſule miſſa auxilia unde primo ſubſi-
D ſtere *Galli*, & facto cuneo irruentibus *Romanis*
reſiſtere donec *Fabius* in *Samnites* jam defatigatos
impreſſione facta eos fugavit, qui Caſtra effuſo
curſu *Gallis* relictis præter eorum aciem petive-
runt. Tum à Conſule miſſus *Campanus* equita-
tus à tergo invaſit *Gallos* conſtanter tamen ordi-
nes tuentes donec captis, & direptis Caſtris *Sa-
mnitum* à toto fermè exercitu circumventi ſtantes
non fugientes mortem bellicoſa gente dignam op-
petierunt: laſſati tamen victores multas catervas
intactas reliquerunt, quæ adventantibus tenebris
in *Galliam* revertere. *Senones* victi licet armis non
tamen cecidere animis, nec ultionem deſperave-
E re. Quievere tamen uſquequo vires reſumpſe-
runt. Decennio ergo elapſo ſi *Polybio* credamus;
at bis decennio ſecundum *Livium*, arma reſumpſe-
runt; ingentique comparato exercitu non amplius
propinquas *Romanis Hetruriæ* partes: ſed ab eo-
rum finibus remotiorem aggreſſi ſunt. Tranſgreſ-
ſi enim *Apenninum Aretinos* fines invaſere, & eam
demum Urbem obſiderunt. *Romani*, qui ſæpius Polybius.
Tuſcis victis *Hetruriæ* imperium, vel ſui juris fa-
ciebant, vel jam deſtinatione præſumebant, in
tutelam *Aretinorum* exercitum ſub *L. Lentulo* Con-
ſule miſerunt; Coſſ. enim eo anno *M. Curius*, *L.
Lentulus*. Exarſerunt in *Romanos Senones* non
F poſſe jam ſe commovere quin præſto ſint ad reſi-
ſtendum *Romani*. Quæ in *Campania*, quæ in *A-
pulia*, & demum quæ in *Piceno* poſſederant ab
iis vel occupata, vel per rebelles ſubtracta, quos
ipſi protegerent. Nihil eſſe medium *Senonibus*, 92
vel vincendos, & proſternendos *Romanos*, vel in
antiquam *Galliam* redeundum. Exacuente ergo
ira ferocis gentis furorem aciem in *Romanos* ne-
quaquam detrectantes pugnam moverunt. Con-
flictus

flictus acerrimus fuit tanto tamen ardore animorum *Galli* pugnaverunt, ut magna edita strage *Romanos* vicerint, Consule etiam interempto. Propinqua Urbs (non longe enim à mœnibus *Aretii* conflixerunt) fugientes *Romanos* multos servavit; quæ reliquiæ adjunctæ Civibus à *Gallis* Civitatem defenderunt. *Senones* magna parta præda cum plurimis captivis in patriam remeaverunt, *Senam*que magno cum triumpho, qui postremus fuit, ingressi sunt. Successere novi Consules *Sext. Cornelius*, & *M. Curius*. Huic Provincia *Hetruria* demandata, & contra præsertim *Senones Aretinorum* defensio: qui statim *Senam* ad redimendos captivos misit. At internecinum adeo odium *Senones* adversus *Romanos* jam conceperant, ut in Legatos ipsos jure gentium violato populariter insurrexerint, eosque occiderint. Finis jam inclitæ gentis, & *Romæ* captione celebris imminebat; unde quod moribundis ferme accidit, jam mentis lumen, & vigor subdeficiebat. *Romani* itaque tam insigni injuria provocati, innocentium præterea commiseratione moti novum delectum magna cura habent, copiasque & numero, & virtute militum præstantes comparant, commeatu præterea, & apparatu omnimodo instructas. Cum illis *Curius* in *Galliam* contendit ad excindendam, si fata velint, gentem *Romano* nomini prorsus infensam. Multæ sunt viæ, per quas ab australi parte ad borealem *Apenninus* pertransitur; inter cæteras ea est, quam *Sapis Cæsenæ* flumen cursu suo findit. Hæc cum prius inter montes triginta ferme millia passuum arctetur, ad *Cæsenæ* tum *Senæ* Urbem in planitiem aperitur, quæ est pars, & prope terminus ejus, quam maximos *Italiæ* campos vocat *Polybius*; nunc autem *Lombardiæ* planitiem vulgo dicimus. *Senones Romanorum* cognito adventu maxima si unquam ira incensi sunt; ausos eos esse qui intra suos fines *Gal-*
93 *lica* arma semper horruerant in *Galliam* nunc proficisci. In tantum ergo contemptum vires nunc *Gallorum* captivo olim populo devenisse? at id permisisse Deos ut *Alliensem* fugam in *Sapiensem* occidionem commutent, ut sanguine ipsi suo occisis postea *Senonibus* parentent. Quæ vero temeritas cum ad *Aretii* mœnia à *Senonum* parte victi, & fœde fugati fuerint nunc cum universa gente intra ejus vires velle confligere? Non vero hic fugatis erit amica Civitas, & propinqua refugium: sed hostilis undique regio aut sepulchrum, aut vincula minatur. Quid vero vincula? Implacabilem hostem occidione occidendum universum esse. Pleni igitur ira, fiducia *Senones* prope fines suos *Romanis* occurrunt; id ipsum *Polybio* asserente. Intra fauces itaque montium ingenti militum multitudine obviam inimicis vadunt. Furor certe potius, quam prudens Imperator eorum exercitum duxit: non enim ingens multitudo, equitatu præsertim, & essedis pollens inter arcta loca, ac montana cogenda erat: potius situs ejusmodi *Romanis* manipulis, luxatisque eorum ordinibus prorsus accommodatus erat. Concurrerunt ergo ad primum occursum exercitus pari animorum forsan ardore: at disciplina longe dispari, & fortuna. Intra montium angustias obstricta *Senonum* multitudo postquam longa, & diutina pugna iræ furor elanguit, *Romanæ* disciplinæ, & fortunæ cessit non fugiens aut cedens; sed ubi constiterat ibi mortem oppetens ut celebris Imperii finem pulchra saltem morte honestaret. [Polybius.] Quanta fuerit clades ex successu elucet: statim enim, & Urbem *Senam*, & cæteram regionem *Romani* ceperunt, quasi omnibus *Senonum* viribus excisis, & confractis. Hæc est ea ad *Cæsenam* clades quam inter maximas exercituum occidiones *Eutropius* numerat. *Romani* ergo tanta potiti victoria, ultique tum demum [Antea in apparatu.] ignominiam captæ olim, & incensæ Urbis supramodum læti in Regiam *Senonum* Civitatem *Senam* scilicet novam Coloniam inducunt iisdem Coss. *Sext. Cornelio*, & *M. Curio*, qui annus fuit.

Hæc Polybius gravis Scriptor his verbis rem 94
totam exponit. *Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt: Hos collatis signis e vestigio aggressi superant. Magnam partem interficiunt: siqui superfuerunt, sedibus fugant, regione potiuntur. novam ipsi in Urbem Coloniam inducunt. Eam veteri nomine, quod prius à Gallis habitata fuerit, Senam appellant. Est autem ea Urbs, quemadmodum supra memoravimus, in littore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ terminantur.* Qui fuerint Triumviri, à quibus deducta Colonia *Senam*, cum desint XI. & XII. libri *Livianæ* historiæ, non constat. In librorum Epitome, & Coloniam deductam, & violatos à *Senonibus Romanos* Legatos, & ob id indictum illis bellum dicitur: at perturbato etiam ordine; sed nulla narratio. Colonia [Lib. 27.] hæc *Senensis* vacationis sacrosanctæ privilegio fuit insignita asserente *Livio*; quæ tamen ei vacatio sub *Asdrubalis* adventu quousque hostis in *Italia* esset, abrogata Senatus Consulto fuit; ut suo infra loco. Interim jure merito huic Coloniæ vacationis privilegium concessum, cum inter populos, vel inimicos, vel suspectos conderetur, ex altera enim parte *Boji*, ex altera *Veneti* certe inimici, ab ortu *Picentes* nondum domiti; ab austro autem magno montium tractu à *Romana* ditione separati, & ob longam ab Urbe distantiam, & interpositos *Hetruscos* imprompta subsidia. Huc usque de *Sena Gallica* texuimus Historiam; deinceps de eadem, sed *Romana* jam Colonia facta, agemus.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS.

95 EXORDIOR jam Historiam *Senæ* postquam Colonia *Romana* facta est, secundum *Polybium Sext. Cornelio*, & *M. Curio* Coss. licet *Florus Senonum* extinctionem *Dolobellæ* tribuat, cujus Consulatus *Cornelii* & *Curii* Consulatum novem annis præcessit. At quoniam par est graviorem, & antiquiorem Scriptorem sequi, idcirco *Polybio* stemus. Jejuna autem erit hæc Historiæ pars quod vacationis privilegium altam colonis quietem peperit: at nihil otio à gloria alienius. Non potest idem tranquilla vitæ silentia, & effusum famæ sonitum obtinere. Alternantis fortunæ, & obnitentis virtutis fragor famæ tubam implet. Coloniæ status ut conjicere licet sub initio hic fuit. *Ravenna* in *Romanorum* jus cum *Sena* devenit. At illa Municipium, non 96
Colonia, constituta est. Cæterum *Ariminum*, & si qua *Piceni* pars, non prius sese in libertatem [Rubeus in Hist. Raven. lib. primo.] vindicaverat. Tum abjecto jugo cum reliquis *Picentibus* convenit: unde paulo post *Picentibus* victis,

victis, etiam *Ariminum* Colonia deducta est; quod paulo post rursus dicemus. At ad occidentem finitimos habebat *Sena Bojos Romanorum* victoria, ac progressu territos, proindeque infensos vicinos. Soli *Etrusci*, in quorum defensionem cum *Senonibus Romani* pugnaverant, spem auxilii faciebant, & per eorum regionem saltem *Romanis* exercitibus quotiescunque poposcisset occasio aditus, & transitus expeditus sperabatur. Dum igitur nova, & intuta Colonia suæ saluti, ac securitati invigilabat, quid circumjecti populi molirentur, & præsertim *Galli* circumspiciendo intellexit *Bojos* cogere concilia: Legatis sollicitare *Tyrrhenos*, & parare arma. Unde timens (ne si conspirarent *Tyrrheni* cum *Bojis* ipsa penitus à *Romanis* auxiliis secluderetur) de hostium consiliis, & apparatu Senatum certiorem fecit. At tecta ab initio consilia statim eruperunt: palam enim convenere *Tusci* cum *Gallis*, & magnis contractis copiis bellum *Romanis* indixerunt. Commune periculum gentes etiam si dissonas conjungebat; satis enim apparebat *Romanos Italiæ* totius imperio inhiare; jam enim ad Mare *Ionium* ditionem extenderant *Tarentinos* oppugnantes, & *Pyrrho*, qui opem *Tarentinis* tulerat victo, & ex *Italia* depulso nunc *Galliam* Coloniis occupare velle. Domitis *Gallis* quid iis *Tuscis* sperandum, qui soli ex nomine *Hetrusco* liberi conservabantur? Cum quisque ergo populus servitutem timeret, studio tuendæ libertatis totas vires suas in eam unam curam contulerunt, spem esse libertatis, immo & victoriæ si juncti pugnent dictitantes: at si seorsum, & disjuncti impares futuros. Decreverunt vero ad promptiorem fructum victoriæ, quam non desperabant, propius *Romam* pugnare, proindeque in *Etruriam* copias transferre, non ad novam Coloniam ducere, quam æque si in *Etruria* vicissent in eorum manus recidere necessum erat. Interim vero, eos *Hetruriæ* populos, qui subjecti *Romanis* erant ex propinqua victoria rebellaturos, ut quos jamdiu

Polybius. Lib. 22.

97 superbæ Civitatis dominatus pertædebat. Hæc ergo jactantes *Boji* trans *Apenninum* in *Tusciam Bononia* rectà (ita credere par est) moverunt. Ibique junctis *Tuscorum* confœderatorum copiis adversus *Romanam* ditionem magno apparatu, nec minore fiducia processere. *Romani* contra prius exciti *Senensium* nuntiis deinde hostium aperta declaratione, denuntiationeque magnam, & ipsi militum manum coegerunt. Novus hostis *Boji* non sine timore auditus: *Gallorum* enim adhuc nomen horrebant, quorum genus clarum, & numerosum *Bojos* esse audiebant. Hic annus incidit in Consulatum *C. Fabii*, & *C. Claudii*: sub eorum itaque ductu concurrerunt acies magno utrinque conatu. Victoria vero penes *Romanos* stetit multis *Etruscis*, plurimis *Bojis* interemptis: verum non desponderunt victæ gentes animum, sed bellum in sequentem annum majore nisu reparaverunt; quo anno Coss. *L. Papirius Cursor* & *S. Carvilius*, qui inimicis occurrerunt iisdem legionibus, quæ anno elapso victrices fuerant. Collatis itaque signis *Romanus* miles fiduciæ plenus post diutinam contentionem utramque gentem ad internecionem prope excidit. Fracti ergo *Boji* pacem petierunt, & percusso fædere obtinuerunt. Tranquillior inde *Senæ* status; cum neque à *Gallis*, neque à *Tuscis* sibi timeret. Restabat quæ solet inter finitimos non ejusdem imperii esse, cum *Ariminensibus* de finibus altercatio, quæ fortasse causa fuit, cur ad limitum, quos quisque statuerat, manutentionem armati usque discurrerent; cumque *Ariminenses* patrocinio *Picentium* niterentur, cum quibus una à *Senonum* imperio liberati se se junxerant, *Senenses* nuntiis missis *Romano* Senatui ortam contentionem significaverunt.

Polybius.

A Præterea (credo) proposuerunt, cum *Senonibus*, & *Senæ* Populi illi subjecti fuerint, jure omnino eos victoriæ, qua *Senones* excisi fuerunt, manubias esse debere. Hoc sive ex colonorum instigatione, sive ex se Senatus tum ab omni alio bello solutus recogitaverit tertio anno post victos *Bojos*, & ictum cum illis fædus, bellum *Picentibus* decrevit, & Populus scivit. *Florus* aliam causam affert; auxilia scilicet à *Picenis* ad *Tarentinos* missa, ut *Romani Tarentinis* victis adversus 98
socios arma circuntulerint. Quæcunque vero causa fuerit: *P. Sempronio*, & *App. Claudio* Coss. indictum, & illatum est bellum *Picentibus*: ut planior au- Eutropius.
B tem sit rerum qui fuerit status hæc breviter repeto.

Tarentini cum bellum à *Romanis* prospicerent ultra multos *Italiæ* populos, qui cum iis arma ad impediendum progressum præpollentis jam populi, junxerant, *Pyrrhum Epiri* Regem exciverunt. Is magnis, & bellicosis copiis in auxilium *Græcæ* ab initio Civitatis specioso prætextu accurrit: sed Rex bellandi, & imperandi avidus aditum illum ad *Italiam*, indeque adjacentes regiones occupandas est arbitratus. In primo cum *Romanis* conflictu Elephantorum beneficio victor, sed cum ingenti suorum occidione fuit; in reliquis deinde præliis victus in *Siciliam* secessit præclara oblata
C occasione, & lætis principiis: at non respondente exitu in *Italiam* reversus majore clade à *Curio Dentato Romanorum* Consule profligatus fuit, ex *Italia*que depulsus. *Tarentini* à *Pyrrho* destituti ad *Carthaginensium* opes confugere. Missis à *Carthaginensibus* auxiliaribus copiis, adhuc tamen victi fuere: sed à victore populo pacem, & libertatem obtinuerunt, suis scil. ut viverent legibus. In hoc ergo rerum statu in *Picentes Romani* Duce *Sempronio* Consule, arma moverunt: magnum consertum prælium. Stabant ordinatæ acies cum maximus terræ tremor utrunque exercitum exterruit. Vovit Telluri Ædem *Sempronius*. *Romani* de-
D mum vicerunt; & *Picentes* subjugati. Tumque *Ariminum* Colonia deducta non vero tum condita Civitas fuit, licet *Eutropius* id dicat, & *Eusebius* in Livius.
Chronicis: sed cum multo antiquior esset, Colonos tum *Romanos* suscepit. Tutior ita reddita Eutropius.
Senæ Colonia, quæ undique jam tuta, & ab onere milites mittendi, ab omnique alio munere libera in alta quiete per annos ferme quadraginta vixit. Cultui itaque agri vacans vitibus, oleis, omnisque generis fructibus consitum reddidit, qualem nunc usque visimus: licet diligentia longe impares Patrum nostrorum beneficia ægre tuea- 99
E mur. Cum jam nova *Gallorum* pubes creverit mortuis illis, qui à *Romanis* non semel victi pacem deprecati fuerant, studio rerum novarum inflammata meditari eousque arma cæpit, ut *Transalpinos* etiam *Gallos* sollicitaverit: quæ ta- Polybius.
men omnia à primoribus inscia plebe facta sunt. Adventantibus *Transalpinis*, & *Ariminum* usque profectis *Bojorum* plebs adversus Duces, qui tantum motum se inscia ausi erant excitare insurrexit, eosque peremit; deinde cum *Transalpina* manu conflixit, & ex *Italia* secedere coegit. Tanti exercitus adventu *Senenses* valde perturbatos fuisse necessum est, cum *Roma* ipsa vehementer exter-
F rita fuerit: at audita dissensione *Gallorum*, eorumque inter se pugna, deposito timore, legiones, quas adversus *Gallos* instruxerat revocavit. Quinto post hæc anno Coss. *M. Lepido*, & *C. Flaminio* secundum *Polybium* (at si fastos consulamus) *M. Lepido*, & *Marco Poblicio*, *Romanus* Populus legem scivit *Picenum* olim acquisitum Coloniis occupandi, sicut subinde fecit. *Pisaurum* enim, & *Æsium*, & *Fanum*, & *Ancona*, & *Ricinum*: præterea *Asculanorum*, & *Frumanorum* Coloniæ ductæ. Cum lex innotuit, *Boji* præ-

sertim

sertim commoti non de gloria contendere *Romanos*, sed de agro, & cum *Picenum* missis Coloniis occupaverint ad *Galliam* aspiraturos. Communi ergo conciliorum consensu statutum est, & delectu diligenti, & armorum apparatu, & novis fœderibus *Bojorum* libertati consulendum. Quibus ergo demandata ea cura, *Insubrium*, *Cœnomanorum*, & *Venetorum* animos prius tentavere. *Insubres* prompto animo convenere: descripti ex formula milites, commeatusque & cætera quæcunque ad bellum requiruntur, promissa. *Cœnomani*, & *Veneti* nulli se fœderi alligare voluerunt. Id *Romani* per Legatos obtinuerunt, qui conspirationem jam *Bojorum*, & *Insubrium* suboleverant. Nec procul à veritate abest *Senæ* id prius propter propinquitatem, & commercium innotuisse, ipsamque Senatui renuntiasse. At vero qui conspiraverant *Cisalpini Transalpinorum Gallorum* præterea auxilia quæsierunt. Circiter *Rhodanum* ha-

100 bitabant *Galli Gessatæ* appellati, quod mercenariam militiam exercerent; id enim *Gessatarum* nomen importabat. Sub Regibus erant *Congolitano*, & *Averroeste*. Hos *Insubrium*, *Bojorum* Legati aggrediuntur, primoque magnam auri vim pollicentur, si valido cum exercitu adversus *Romanos* superatis *Alpibus* descendant, ibi *Insubres*, & *Bojos* cum amplis copiis reperturos, qui commeatum abunde præstabunt, & gnari locorum, & viæ *Romam* usque ducent. Amplissima autem ostenderunt (si *Romani* vincantur) victoriæ præmia, *Romæ* felicitatem, atque divitias exaggerando: facilitatem quoque victoriæ præmonstravere; tum quod alias à *Gallis* ea Civitas capta fuerit; tum quod copiæ nunquam tantæ, tamque bellaces adversus eandem (si *Gessatæ* adveniant) coactæ sint. Maximas esse *Insubrium*, & *Bojorum* unitorum vires, quid si *Gessatæ* ipsi accesserint? Præterquam quod populi à *Romanis* subacti amissam quotidie libertatem deflere, & quamlibet occasionem abjiciendi jugum attendere. Legatorum promissa adeo Regum, & gentis animos incenderunt, ut nunquam tot copiæ, neque tam fortes milites, neque tanto apparatu ex iis Regionibus processerint. cum tanti apparatus nuntii *Romam* pervenerunt, summopere ea contremuit. Gens fatalis habita, quæ universa *Cisalpinis*, & *Transalpinis* junctis copiis in eam Urbem ferebatur, quam *Senones* pars modica gentis ceperant, terrorem prævalidum incutiebat, & eo justius timebant *Romani*, quod non impetu, & furore actæ eæ nationes convenerant; sed meditate: nam septem ferme annos in ea negotiatione posuerant, quot inter *Lepidi*, & *Poblitii* Consulatum; atque *Æmilii*, & *Atilii*, quibus Coss. advenere *Gessatæ*, intercesserunt. *Romani* ergo tanto apparatui magnum, & diligentissimum delectum opposuerunt: cui diligentiæ aliam adjunxerunt. Quot singulæ subjectæ Gentes milites descriptos haberent, catalogum poposcere. *Polybius* in admirationem *Romanæ* potentiæ descriptionem universam diligentissime ex-

Polybius. scribit. Summa vero fuit militum, quos *Italia* tum *Romanis* subjecta descriptos habebat peditum

101 septies centena millia: equitum septuaginta circiter millia. *Liguria*: *Gallia Cisalpina* maxima ex parte: pars aliqua *Etruriæ* extra hunc numerum erant, ut totius, quam nunc *Italiam* dicimus, militares copiæ immensum quendam numerum obtinerent. Mira multitudo, & vix credibiles vires, figmentique instar si cum his temporibus comparentur, *Gessatæ* ergo superatis *Alpibus* ab occurrentibus *Insubribus*, & *Bojis* excepti, commeatuque abunde instructi, & recreati, auctique copiis, numeroso, ac formidabili exercitu in *Tusciam* transierunt *Romam* contendentes. *Ro-*

A *mani* Consules erant *C. Atilius*, & *L. Æmilius*, quorum hic cum legionibus *Ariminum* profectus est, ut ibi hostium iter, progressumque observaret. *Atilius* in principio Consulatus ante hostium adventum in *Sardiniam* classe navigaverat. Alter exercitus sub Prætore Urbano *Tusciæ* præsidio erat. Universa *Italia* suspensa ob ingentem formidatæ gentis exercitum. At præsertim, quæ propiores hostibus Regiones erant. Unde *Sena*, & *Ariminum* ab initio in se irrupturos *Gallos* timebant. Itaque *Æmilii* Consulis excercitus *Ariminum* insederat, *Sena* scilicet ob exemptionem ab omni onere nullo prægravata milite: quam

B tamen in tanta propinquitate posset advenientibus hostibus tueri, ac protegere. At cum innotuit *Gallorum* in *Tusciam* trajectio, Consul per propiores *Apennini* saltus in eandem Regionem exercitum traduxit. Jam vero *Galli* ad *Clusium* usque omnibus locis parum firmis vastatis, maxima præda congesta pervenerant. Occurrit exercitus Prætoris, qui cum impar esset hostibus numero, & ferocia, nec Prætoris ars imperatoria tanta esset, ut exercitus sui defectum suppleret: adeoque nec rite instructum, nec caute in hostem duxisset: fusi sunt *Romani*, & ad sex millia cæsi: cæteri dilapsi; major tamen pars in locum mu-

C nitum se recepit, quam partem cum *Galli* obsidere decreverint, interim equitatu noctu circumsepserant. At *Æmilius* advenit, & adhuc prælii nescius ipse prope locum suorum castrametatus est. Ex ignium autem multitudine victi, & fugati *Romani* adventum Consulis conjecerunt; unde læti missis clàm per propinquam silvam nun- 102

tiis de statu suo, ac successu certiorem Consulem fecerunt: qui in tanto Civium periculo non cessavit ipse statim in eorum subsidium, cum equestribus copiis accurrere, ad tumulumque ab obsessis occupatum proficisci. Jussitque interim Tribunis militum, ut primo mane cum peditatu

D sequerentur. *Galli* ubi Consulis adventum intellexerunt, concione habita quid faciendum esset consultavere. Ibi Rex *Averroestes*, cujus sententiam sunt omnes sequuti, stultum esse dixit, tantam prædam, quantam & captivorum, & pecorum, & rerum omnium contraxissent, sub aleam revocare; prius esse eam in *Gallia* reponendam, & postea ad pugnam in *Etruriam* redeundum. Motis ergo signis per littus inferi maris Patriam versus repedabant. Insequebatur autem *Romanus* Consul pugnaturus solum cum hostium error, vel loci angustia, vel casus ejusmodi aliquis superiorem redderent. *Atilius* interea Consul ad nun-

E tium hostium in *Italiam* adventus ex *Sardinia* classe *Pisas* trajecit, perque idem maris littus versus hostes, eorum itineris inscius procedebat. Qui ergo præcedebant *Gallorum* in *Romanos* improviso inciderunt, qui capti omnia *Atilio* exposuerunt, *Gallicum* scilicet exercitum adventare, poneque *Æmilium* Consulem sequi. Consul fausto lætus eventu, quòd legiones *Romanæ* inimicos intra suas vires continerent, idque apertum Numinum favorem interpretatus, collem viæ, qua processuri erant *Galli*, imminentem occupavit. Quod *Galli* cernentes, jamque intelligentes alium sibi *Romanorum* exercitum occurrisse, ideoque à

F fronte, & à tergo cum inimicis pugnandum, bifrontem exercitum suum ordinavere. *Atilio Gessatas*, & *Insubres* opposuerunt. *Taurinos*, & *Bojos* *Æmilio* jam supervenienti, quique intellecto alterius Consulis occursu, acie instructa procedebat. Magno ardore, magnaque virtute utrinque pugnatum, ut ex parte *Romanorum Atilius* cæsus sit. At *Galli* profligati, & ambo Reges perempti: in acie *Congolitanus*: post aciem sua manu *Averroestes*. Præda à *Gallis*

olim corrogata restituta dominis. Spolia eo-
rum concessa militibus. Signa solum aurea,
103 & torques gentis gestamina in triumphum, &
Capitolii ornamentum reservata. Prius tamen
per *Liguriam* in agrum *Bojorum* transivit, ibique
longe lateque omnia populatus militem præda
locupletatum *Romam* reduxit illustri Triumpho
ab Urbe exceptus. *Italia* omni metu deposito
ob victoriam læta erat, at præsertim *Sena*, *Ari-
minum*que ex *Bojorum* depressione tutam sibi in
posterum vitam, & quietem pollicebantur. Cre-
vit annis sequentibus spes, quibus *Romani Cisal-
pinam Galliam* percurrerunt, & magna ex parte
vicerunt. Nam proximo sequenti anno Coss. *T.
Manlio Q. Fulvio*, bellum in *Gallos Cisalpinos*
mandant tum cupiditate, tum spe ducti inimicam
gentem trans *Alpes* depellendi. *Romanus* ergo
exercitus nobilem ex *Bojis* victoriam reportavit,
in Reipublicæque ditionem perduxit. Post hos
Coss. *P. Furius*, & *C. Flaminius* jussu pariter *Ro-
mani* Populi bellum *Insubribus* intulere. In *In-
subriam* illi profecti *Cænomanorum* ut antiquorum
sociorum auxilium advocavere, quibus juncti *In-
subriæ* agros populati sunt. *Insubres* propositum
Romanorum perspicientes obfirmatum in eorum
extinctionem occurrere illis totis viribus, & ex-
periri decreverunt, num quæ sibi intentabatur
pernities, in inimicorum capita retorquere vale-
rent. Solemni ergo voto armati signa aurea,
quæ immobilia dicebantur è *Minervæ* Templo
sustulerunt, diris devovebatur, qui ea relinque-
ret. Quinquaginta ergo millibus militum coa-
ctis adversus *Romanos* processere, qui longe nu-
mero impares cum essent, nec *Cænomanis Gallis*
scilicet adversus *Gallos* satis fiderent, ancipites
quid agendum hæsitavere, tum præsertim quo-
niam ab initio in velitaribus quibusdam præliis su-
periores *Insubres* fuerunt. Freti tamen disciplina
sua militari pugnare soli seclusis *Cænomanis* adeo
ut neque possent cum hostibus conjungi, statue-
runt. Cum ergo ex eadem fluminis parte uter-
que exercitus castrametaretur, jusserunt *Romani*,
Cænomanos trans flumen copias suas ducere, &
instruere. At statim atque ipsi transierunt pon-
tem intercidere, atque aciem in *Insubres*, qui
104 pugnam poscebant, moverunt. Notat *Polybius*
Tribunorum militum prudentiam, quorum non
Consulum peritiæ victoriam tribuit. Triariorum
hastas antesignanis tribuerunt eo consilio ut disti-
nerent *Gallos* quousque primus eorum impetus,
& furor, quo cæteris mortalibus præstant, elan-
gueret. Tum autem collato pede brevioribus
ensibus, & punctim confoderent, qui prælon-
gis, & cæsim utebantur. Quod prorsus evenit;
ut maximam stragem *Insubres* passi sint. Fracti
ideo viribus, & animis pacem petierunt, cum
interim Consules exercitum celebri victoria victo-
rem, & spoliis onustum cum magna captivorum
multitudine triumphantes reduxerunt. Sequen-
te anno creati Consules *C. Cornelius*, & *M. Clau-
dius Marcellus*, qui ne *Gallis* petentibus pax con-
cederetur omni ope annixi sunt, atque obtinue-
re. *Galli* ergo pace denegata ad bellum atque ad
extremam sui defensionem se parant. Cumque
eorum vires valde accisæ essent triginta millia
In vita Marcelli. *Gessatarum* conduxere. Verum antequam narra-
tio progrediatur, moneo lectorem à *Polybio*,
quem ego sequutus sum, *Plutarchum* in nonnullis
dissentire: hic enim asserit, quod *Polybius* reti-
cet, Coss. *P. Furium*, & *C. Flaminium* redeun-
tes *Romam* non fuisse consueto occursu à Popu-
lo exceptos, quod consulatum spretis augu-
riis, contraque jussum Senatus retinuerunt: un-
de vix triumphum obtinuisse, & nonnisi ut pri-
vatos deposito Consulatu. In sequentibus Con-

A sulibus aperta est dissensio: nec vult *Plutarchus*
impetrasse Consules à Senatu, ut pax *Insubribus*
denegaretur: sed illis libere concessam. At bel-
lum postea ortum eo quod *Gessatæ* ultro in *Ita-
liam* adventarunt, quorum adventu *Insubres* ani-
mati arma sumpserunt, *Acerras*que Oppidum *Pa-
do* insidens obsederunt, contra quam *Polybius*
qui à *Romanis Acerras*, non à *Gallis* obsidione
cinctas scribit. At reliqua jam prosequamur.
Classidium oppugnatum pars *Gessatarum* cum Re-
ge *Viripomaro* (si *Livium*) *Briomato* (si *Plutar-
chum* audiamus) ivit, quod cum intellexisset *Mar-
cellus* altero Consule ad *Acerras* relicto cum reli-
B quo exercitu ipse duas equitatus tertias partes cum
sexcentis expeditis peditibus accepit, concitato- 105
que gradu, & nunquam intermisso itinere hostes
est consequutus. *Gessatæ* pugnæ avidi, *Romano-
rum* pro eorum paucitate, & pro sui ferocia con-
temptores statim advenientes invaserunt, nec de-
tractevit *Marcellus* bellax vir pugnam; sed ne sui
à multitudine hostium circumvenirentur, exte-
nuata acie in eos movit, conspicatusque Regem
spolia ejus opima, si vinceret *Jovi Feretrio* vovit.
Hinc infesta cuspide in eum irruens thoracem æ-
neum cum pectore transfixit. Occiso Rege,
victi sunt, & profugati *Galli*; multi occisi: re-
C liqui aufugerunt; & qui ad *Acerras* erant audita
suorum clade, & Regis morte territi trans *Alpes*
aufugerunt. Quocirca *Insubres* soli relicti victi à
Romanis fuere, multaque eorum Oppida capta
una cum Civitate amplissima *Mediolani Insubriæ*
Metropoli, quæ quoque in *Romanorum* ditionem
cessit. *Marcellus* ergo Triumphum insignem ob
tantam victoriam duxit, eo tamen speciosiorem,
quod arma victi Regis in *Trophæi* speciem querno
trunco circumposita in Triumpho vexit, *Jovi-*
que *Feretrio* ipsemet dicavit. Pacata hunc in mo-
dum *Cisalpina Gallia* Coloniæ duæ ductæ sunt
Placentia, & *Cremona*, ut *Ariminum*, & *Sena*,
D quæ limitaneæ erant, magna jam præ se propu-
gnacula haberent, eosque magis, quod *Illyrii* octo
antea annis *L. Posthumio*, & *Cn. Fulvio* Coss.
domiti fuerant ut ab hoste, seu prædone maritimo
etiam tutæ essent. In tanta rerum malacia, quæ
biennis, vel paulo major fuit, semina olim jacta
effuderunt tandem horridam messem maximæ to-
tius *Italiæ* concussionis. *Carthaginensis*, & *Ro-
mana* Respublica ab initio, & quousque spes ea-
rum intra *Italiæ*, & *Africæ* limites constrictæ à
mutua invidia abfuere variis etiam officiis amici-
tiam, & fœdus coluerunt. At cum *Carthaginien-
ses Sardiniam*, & *Siciliam* magna ex parte, inter-
E mediasque insulas cepissent, cupiditasque dilatan-
di Imperii crevisset, *Tarentinis* petentibus auxi-
lium adversus *Romanos* miserunt, tanquam *Itali-
cis* se rebus miscere non detrectaturi. *Romani*
ergo, quorum devicta maxima *Italiæ* pars animos
erexerat, cum & aviditatem imperandi *Cartha-* 106
ginensium intelligerent, non sibi expedire judica-
verunt ampliari Imperium Civitatis æmulæ, &
ex præstitis *Tarento* suppetiis parum amicæ. In
hac rerum inclinatione id accidit, quod primi
belli *Punici* fuit origo. Res hunc in modum se
habuit. Campana legio sub *Agatocle Siciliæ* Re-
ge militans per speciem amicitiæ in *Messanam* in-
F gressa, eam violata fide occupat, Civibusque tru-
cidatis ditioribus, & splendidioribus saltem, sin-
guli eorum sibi uxores, & facultates vindicant;
seque *Mamertinos* novo nomine vocant. *Sicilia*
tum duplici imperio premebatur: pars enim *Sy-
racusanæ* Reipublicæ, pars *Carthaginensibus* sube-
rat. *Hiero* Dux *Syracusarum* ergo intulit *Ma-
mertinis* arma, quod scilicet in ejus parte *Messa-
na*, si recuperaretur, erat; & collatis signis *Ma-
mertinos* vicit: cujus victoriæ merito à *Syracusa-*
nis

nis Rex creatur. Cum hunc itaque fracti bello *Mamertini* timerent incertis studiis inter se divisi, alii *Carthaginiensibus* se, arcemque tradunt; alii ad *Romanos* confugiunt, Civitatem consignaturi, si veniant. Senatus *Romanus* inter utilitatem suscipiendæ Urbis, quæ secus in ditionem æmuli populi cessura erat; & turpitudinem defendendi *Mamertinos*, qui per summum scelus eam Civitatem occupaverant potiorem honestatem habuit, defensionemque rejecit. At ad Populum eadem deliberatio cum adduceretur, prævaluit utilitas: susceptaque defensio, & *Appio* Consuli cura belli adversus *Carthaginenses* demandata. *Polybius* miratur, *Romanam* Plebem diuturnis bellis attritam, adeoque quietis egentem, remotum locis bellum, & magnum suscepisse: & jure miratur. At forte populum ferocem movit auxilium non multo prius *Tarentinis* subministratum. Num ergo permittendum, homines *Romani* nominis contemptores imperio Civitatis *Italiæ* conterminæ augeri? *Mamertini* cum à *Romanis* susceptam Populi jussu sui defensionem agnoverunt, universi convenere, etiam qui antea vocaverant, *Afros* expellere, & *Romanos* ut ejusdem secum nationis recipere. Partim ergo astu; partim terrore Præfectum *Carthaginensem* arci impositum eje-
107 cerunt. At Præfectus facilitatis, vel ignaviæ suæ pænas dedit cruci ob id decreto Senatus *Carthaginiensis* suffixus, unaque bellum decreverunt. Transmissis itaque in *Siciliam* copiis *Messanam* obsident: & *Hiero* ex altera & ipse parte castrametatus est, ut hinc *Syracusii*, inde *Pæni* totam Civitatem obsidione cingerent. Interea *Appius* trajecto exercitu supervenit; primoque *Hieronem* aggressus eum fudit. Mox *Carthaginenses* pariter profligavit, atque ita liberata *Messana* hostium agros populatur ad usque *Syracusas*, quas etiam obsedit. Hoc fuit initium primi belli *Carthaginensis*, quod quatuor, & viginti duravit annos; casibus varium, exercituum utrinque occidione, classium amissione atrox: at copiarum iteratarum numero, & classium, quibus concurrerunt magnitudine (prope dixerim) immensum. Victoria tandem penes *Romanos* fuit Duce *Lutatio* Consule, qui classem *Carthaginensium* ad *Ægates* Insulas ingenti clade vicit. Fructus victoriæ fuit una cum Insulis inter *Siciliam*, & *Italiam* intercedentibus *Siciliæ* pars universa, quæ prius in *Carthaginensium* ditione erat. Cum *Hierone* enim jam initio ferme belli pacem fecerant, fædusque percusserant, quod fædus Rex ille usque ad mortem summa fide coluit. At *Carthaginienses* post finitum parum felici exitu cum *Romanis* bellum, cum stipendiariis militibus, & cum rebellibus *Afris* de imperio nedum, sed etiam de salute contendere coacti fuerunt. Contentio quatuor prope annos eam Rempublicam vexavit, & ad extremum interdum periculum adduxit: causa vero belli denegata militibus ob ærarii inopiam stipendia fuere. Accessit Senatus illius error, dum milites stipendia poscentes in unum locum *Siccam* scilicet Civitatem coegit, qui sejuncti erant dimittendi. Cumque impedimenta eorum, & uxores, ac liberos *Carthagine* reliquissent pro obsidibus deservituros, ipse ultro asportandos assignavit. Conjuncti ergo milites cum suas ipsi vires conspicerent, satque intelligerent, tantundem copiarum, quas opponerent, *Carthaginenses* non habere, plura adhuc quam stipendia debita poscere orsi, demumque sumptis armis *Carthaginem* obsidere. Cum etiam missis nuntiis, & literis
108 *Libyam* universam ad libertatem recuperandam concitaverunt. *Amilcaris* tamen *Barcæ* virtus, quæ in bello *Siculo* enituerat, servavit Patriam, atque pristinum illi imperium asseruit. *Romani*

A adversus stipendiarios juvarunt *Carthaginenses*, commeatuque ad illos transmisso, hostibus denegato, veteranis etiam *Carthaginensium* militibus tradere *Sardiniam* volentibus, & *Uticensibus* rebellibus deditionem pollicentibus non assensere. Verum finito bello *Africo* rursus à militibus qui *Sardiniam* custodierant, & *Romam* transfugerant sollicitati; causa an prætextu? violatorum mercatorum bellum indixerunt *Carthaginensibus*, qui ut impares, ad bellum declinandum *Sardiniam* cessere, & tributo in pace *Sicula* in vigesimum annum imposito mille, & ducenta alia talenta addiderunt. Hoc *Sardiniæ* spolium, & tributi in-
B crementum valde *Carthaginenses* pupugit, & *Amilcarem* præsertim *Barcam* virum artibus belli nemini secundum. Hic prospiciens tractu temporis, aut imperium *Romanis* eripiendum, aut libertatem *Carthaginensibus* amittendam, ex jactis altius principiis ad novum cum *Romanis* bellum se, Rempublicamque suam paravit. *Gadibus* enim occupatis *Hispanias* adortus est: Regionem sane amplam, & gentium bellicosarum alumnam: sed quæ in minutas Respublicas disjecta, ac inter se non conspirantes invadi per partes, & occupari poterat. Nec fefellit virum perspicacem opinio. Intra decennium enim magnam ejus Pro-
C vinciæ partem obtinuit. Quo facto, & ditionem *Carthaginiensem* late protulit; & longa militia exercitum veteranum, & invictum reddidit; & gentes bellaces subjecit, ex quibus fortes milites deligere in supplementum, & augmentum veterum copiarum posset, sique opus esset novos exercitus reparare. Non secus atque *Romanos* posse indeficientem sublegere sobolem, & manus militares prioris belli usu compererat. Creditur, si diutius vixisset *Amilcar*, ipse bellum illaturus *Romanis*. Adversus enim mediterraneam gentem terrestribus præsertim copiis fretam ipse jam firmum exercitum ex peditatu, & equitatu diutissi- 109
D me excercitis, & continuato victoriarum cursu ferocibus comparaverat, & instruxerat. Ex *Gallis* etiam, qui sub eo militaverant, intellexerat *Cisalpinis Gallis* rebellandi a *Romanis* non animos: sed occasionem, & vires deesse: qui dum exercitum in *Italia* videant *Romanis* infensum, statim juncturi sint arma, & commeatum subministraturi. At mors *Amilcaris* inhibuit, ne quæ coquebat animo, aggrederetur. *Appianus* in acie pugnantem obiisse scribit. Successit *Amilcari* ejus gener, ac alumnus *Asdrubal* Imperator, & ipse magnus: at multo antecessore minor, qui tamen inceptam a Socero *Hispaniæ* occupationem prosequens, novam & ipse, ac insignem ditionis
E accessionem adjecit. Jam *Romani* tanto incremento æmulæ Civitatis permoti, & à *Saguntinis*, aliisque *Hispaniæ* Populis sibi à *Carthaginiensibus* timentibus sollicitati, victoriarum cursum terminare conati sunt missis ad *Asdrubalem* Legatis, qui cum eo convenerunt, ne arma *Punica Iberum* flumen transirent. At octavo Magistratus anno *Asdrubal* occisus est à servo quopiam in ultionem domini ab *Asdrubale* interempti, qui contentus heri sui ultione lanienam corporis, & crudelem mor-
F tem ridens pertulit. Mortuo *Asdrubale* Imperator factus est *Hannibal Amilcaris* filius miro totius exercitus consensu, & deinceps Populi *Carthaginiensis* suffragiis confirmatus. Is à puero in Castris versatus, & in muniis militaribus gregarii etiam militis sponte exercitus, infimorum cibo, & strato contentus: at manu, consilio, tolerantia præstantissimis major: amorem, & admirationem exercitus, qui etiam in eo agnoscebat paternam cum effigie virtutem sibi mirum in modum conciliaverat. *Carthagine* autem duæ factiones pollebant *Barchina*, & contraria, cujus

Hanno

Hanno caput erat, & *Aſdrubal* cognomine *Hæ-
dus.* Verum longe *Barchina* prævalebat, ut fa-
cile ei fuerit militarem electionem *Hannibalis* in
Ducem Populus confirmaret; obtinere. Cæterum
viri prudentes ab re publica eſſe cognoſcebant in
eadem familia exercitus magni imperium tot an-
110 nos manere. Qui tantum in libera Civitate emi-
net, libertati imminet. *Hannibal* ergo imperii
ſummam conſequutus conſilii paterni conſcius,
& odii hæres, ad bellum ſe accinxit. Dicitur is
puellus adhuc novennis à patre ſacrificante altari-
bus admotus ſpecie blandientis ad jusjurandum
adactus perpetuæ in *Romanos* hoſtilitatis. Is pri-
mo loca, quæ citra *Iberum* erant, univerſa ſube-
git, non violato eouſque *Romano* fædere: dein-
de belli jam occaſionem ferens, *Saguntinos* aggre-
ditur. *Saguntum* erat Civitas ampla citra *Iberum
Pœnis*; ultra *Iberum Romanis*, at in fædere ex-
cepta, ne violaretur; ſed libera viveret. cumque
Romanis fædere, & amicitia juncta eorum patro-
cinio præſertim nitebatur. Hanc ergo obſedit
Hannibal, & dum *Romani* Legatis ad *Hanniba-
lem*, & *Carthaginem* miſſis ab amica Civitate bel-
lum avertere nituntur, eam ſumma vi oppugna-
tam *Hannibal* cepit, & diruit; *Saguntinis*, qui
ſupererant captivis factis, & divenditis. Ita ex-
ortum bellum *Punicum* ſecundum eſt, brevius
præcedente: at periculoſius *Romanis*, quibus pe-
ne extremum fuit. *Pœnis* demum luctuoſius, qui
victi priſtini imperii umbram, & libertatem pre-
cario retinuere. Bellum facto *Hannibalis* cæptum
Carthaginenſis Senatus, ac Populus probaverunt,
ſuperante factione *Barchina*, & imprudentum le-
vitate, nec non ultionis cupiditate prudentum
ſententias. Imprudens enim omnino conſilium
fuit illud bellum ſumere, cujus ſi victi eſſent, fi-
nis erat amiſſio Imperii; ſi viciſſent, deplora-
tio libertatis. Num enim *Hannibal* victor *Roma-
ni* Imperii cinctus exercitu invicto, qui eum unum
coleret, & majeſtate victoriarum, & manubia-
rum beneficio: factioniſque tum præpollentis
princeps pateretur æquali ſe jure cum cæteris Ci-
vibus eſſe, in cujus manu eſſet pro arbitrio prin-
cipatum ſibi vendicare? & qui à juventute in ſum-
mo imperio fuiſſet? At plerumque major pars me-
liorem vincit. Glorioſum tamen fuit (fateri id o-
portet) & Duci, & *Carthagini* bellum quod *Roma-
nos* ad excidium prope adduxit: & ſi clades æſti-
memus, majores *Pœni* inflixerunt, quam ſuſce-
perint: at minore conſtantia toleratæ. Ad rem nunc
111 redeo. *Italiæ* ergo dum diuturnam ſibi pollice-
batur quietem, repente in maximam perturba-
tionem incidit. Primo ergo bellum cum *Pœnis*
certo futurum intellexit: poſtea Coſſ. *Publio Cor-
nelio Scipione*, *Tit. Sempronio Longo* non in *Hiſpa-
nia* gerendum, ut ab initio crediderant *Romani*,
qui illuc Conſulem *Publ. Cornelium Scipionem* cum
conſulari exercitu ablegaverant: ſed in *Italiam*
adventare, & jam adventaſſe hoſtem; *Gallos Ciſ-
alpinos*, *Taurinos*, *Inſubres*, & *Bojos* arma jun-
xiſſe intellexerunt. At auctus timor, cum pri-
mum Conſulem *Publium Scipionem* ad *Ticinum* vi-
ctum, & vulneratum intellexerunt. Ipſum ad-
ventus Hoſtis in *Italiam* ex itinere retraxerat, qui
miſſo in *Hiſpaniam* ſuo ſub fratre exercitu, ipſe
cum prætoriis copiis, quas ibi reperit, *Hannibali*
occurrit. At poſtea *Sempronium* alium Conſulem
ad *Trebiam* clade majore affectum audiverunt.
Jam direptionem, & diruptionem propinquiores
Coloniæ, & Municipia verebantur. Licet ten-
tata *Placentia* fortiter *Hannibali* reſtiterit. Lo-
ca tamen aliqua minus firma per illam hiemem,
quam tranſegit in *Gallia*, cepit, & diripuit: ve-
rum ſentiens Dux perſpicax, ſuam moram eſſe
jam gravem *Gallis*: ſeque ab eis inſidiis petitum,

A ſæviente adhuc frigore in *Tuſciam* tranſgreſſus eſt,
ne quos ſocios acceperat, hoſtes faceret. Ibi
cum novo Conſule *Flaminio* circa *Aretium* teme-
rario duce conflixit, ipſum interemit: exercitum
occidione ferme occidit. Fuit hæc *Romanorum*
celebris ad *Thraſimenum* clades. *Sena* interea ni-
hil paſſa eſt niſi dolorem ex ſuæ gentis clade, &
matricis Urbis geminatis damnis: nam *Hannibal*
in *Umbriam* poſt eam victoriam tranſiit; vaſtatiſ-
que agris *Spoletum* oppugnavit: at ſumma Civium
virtute repulſus in *Picenum* fertilem regionem:
inde in *Apuliam* abivit omnia prædando. Huic
Romani poſt mortem *Flaminii* Dictatorem *Fa-
B bium Maximum* oppoſuerunt ſemeſtri imperio, qui
Caſtris *Punicis* Caſtra opponendo nunquam pu-
gnæ aleam ſubeundo rem *Romanam* ſuſtinuit, mi-
liteſque levibus certaminibus aſſuefecit, & ſuſti-
nere *Pœnos*, & interdum repellere. At ſequenti
mox anno, qui fuit tertius belli Coſſ. creati ſunt
L. Æmilius, & *Terentius Varro* homo prorſus no- 112
vus, cujus temeritas cauſa fuit, cur *Romani* ſtra-
gem omnium maximam ad *Cannas* perpeſſi ſunt,
quæ potuiſſet omnem alium populum, præter
Romanum ad extremam conſternationem, & de-
ſperationem adducere. At invicta illa pectora
etiam reparaverunt exercitus, & ſequenti mox
C anno *Marcellus* ad *Nolam Annibalem* fudit, poſ-
ſeque vinci primus monſtravit. Et quod admi-
ratione dignum eſt, poſt tot continuatas clades
eodem tempore, quo adeo in *Italia* ab hoſte fe-
roci premebantur, in *Sicilia*, in *Hiſpania*, & in
Sardinia bellum ſunt proſequuti; quinimo cum
Macedonum Regem *Philippum* fædere cum *Han-
nibale* alligatum ad *Italiæ* damna intellexerint, in
Macedoniam claſſem uſque miſere. ubique victo-
res præterquam in *Italia*, in qua tamen ab anno
quarto cum adverſis læta miſceri cæperunt. Poſt
Cannarum ſtragem elanguiſſe videtur martius *Pu-
nici* exercitus vigor; indeque reſpirare *Romani*
D cæperunt. Socordiæ *Hannibalis* id paſſim tri-
buitur, qui non ſtatim *Romam* adierit certo (ut
ipſi reputant) ceſſuram. At quid futurum fuiſ-
ſet, novit Deus: mihi certe aliud conjectura ſug-
gerit. In clade *Romani* exercitus, qui ſtans, &
fortiter pugnans occubuit nonniſi cum multo vi-
ctorum ſanguine conſtitit victoria. Octo millia
fortiſſimorum militum periiſſe ſcribit *Livius*.
Hannibalem tot ſuorum mortes in funere eorum
curando lachrymaſſe ſcribit *Appianus*, idque præ-
terea exclamaſſe, non optandam alteram ejuſmo-
di victoriam. Multos etiam vulneratos legimus,
ut prudenti conſilio *Hannibal* ab oppugnanda *Ro-
E ma* abſtinuerit: cum & eodem anno ad *Nolam* in
fugam à *Marcello* verſus fuerit antequam *Campa-
nis* deliciis ſolutus fuerit, cui cauſæ enervationem
militaris virtutis *Pœnorum* uni tribuunt: ſed pro-
ceſſus belli ejus ab aliis petatur. Ad rem noſtram
pertinet, quod in *Gallia* eo tempore accidit, ex
quo *Senam* timore niſi damno perturbatam fuiſſe
neceſſum eſt. *Romani* ergo ſecundo belli anno
Servilium Conſulem in *Galliam* miſerunt, ut *Fla-
minium* in *Etruriam*. *Servilius* exiguis præliis la-
ceſſivit potius quam ultus ſit rebelles *Gallos*. At
poſt Collegæ ſtragem *Romam* profectus, & *Fabio* 113
Dictatori creato copiis traditis *Galliam* reliquit,
F quæ progreſſus *Hannibalis* attendens, in cujus
Caſtris magnam, & ipſa militum manum habe-
bat, quievit. *Sena* tamen ut finitima rebellibus
Bojis cogebatur in armata vigilia adverſus repen-
tinas hoſtium invaſiones perpetuo manere. *Ciſ-
alpina Gallia* tum ita partiebatur. Trans *Apenni-
num Piſas* uſque *Galli Ligures* erant. Cis *Apen-
ninum Boji*, hinc uſque ad *Padum*; inde uſque ad
Ciſalpinos Ligures, ultra quos erant *Taurini Alpi-
bus* proximi. Ultra *Padum Inſubres* degebant, &
Cæno-

Cænomani. Extremi ad Mare *Veneti* ex *Gallia* an ex *Asia* profecti? Horum itaque *Boji* proximi *Senæ* erant, *Mutilum* (nunc *Mutiglianam* dicimus) inter cætera loca possidebant, *Cæsena* distat viginti quinque millibus passuum. Citra *Mutilum Cæsenam* versus ditio eorum extendebatur, ut postea clarius non levis conjectura reddet. In tanta ergo propinquitate hostium in vigili statione degere oportebat, licet *Romani* quotannis in *Galliam* Provinciam Prætores miserint, qui dum ad continendos solum in quiete *Gallos* adspirabant, *Arimini* residebant; *Senam* ut sacra vacatione donatam, militum hospitio non gravabant; vicinitate tamen præsidii protegebant. Verum tertio belli anno cum Prætor ibi *L. Posthumius* esset cum duabus Legionibus & Sociorum magno numero, movit is in *Bojos* arma: intercedebat magna Sylva *Litana* à *Gallis* vocata: ejus arbores *Boji* ita secuere, ut erectæ manerent: at exiguo impulsu caderent. Tum à læva, & à sinistra Sylvæ delitescentes dum *Romani* per Sylvam incederent, ipsi extimas hinc inde arbores impulere, quæ casu suo propinquas sternentes, & illæ subinde alias *Romanum* exercitum universum oppressere, partim exanimatos, partim trepidos, qui dum aufugere tentabant in *Gallorum* stationes inciderunt, à quibus perempti fuere. Clades ea cum non multis post diebus *Cannensem* sit consequuta, *Romanum* Senatum, ac Populum summopere terruit, neque eo anno exercitum in *Galliam* amplius misit. Quievere tamen interim *Galli* contenti victoria,
114 & præda, quæ magna fuit. Anno quarto demandata *Pomponio* Prætori cum duabus legionibus *Gallia* sine ullo motu. In eandem successit Provinciam *Sempronius* cum pari exercitu, qui triennio in quadriennium præfuit, & cum eadem, tum à *Gallis*, tum à *Romanis* quiete. Anno deinde nono *Lectorio Gallia* assignata, qui *Arimini* cum exercitu resedit. At anno sequenti Prætori *Veturio Philoni Gallia* scilicet interior assignata ad tutamen forte ulteriorum Coloniarum *Placentiæ*, & *Cremonæ.* At *Ariminum Cajo Hostilio*; neque tamen ullus legitur in Provincia ea motus. Anno etiam sequente continuatum *Veturio* cum iidem legionibus imperium. At duodecimo anno major in *Gallia*, necnon, & *Senæ* motus. *Asdrubal* enim cum ingenti exercitu in *Italiam* per *Galliam* venit, ut juncto cum *Hannibale* fratre exercitu, & auctis longe viribus *Romanos* debellarent. Gravi adeo Nuncio perculsus Senatus jussit, Colonias vacationis sacræ privilegio munitas milites tum
Liv. lib. 7. dare. Fuerunt compellatæ Coloniæ *Hostiensis*, *Alsiensis*, *Antias*, *Anxuras*, *Minturnensis*, *Sinuessana*, & à supero Mari *Senensis* nostra scilicet Civitas. Singulæ vacationes suas recitarunt, at nullius habendam rationem in posterum dum hostis in *Italia* præterquam *Hostiensis*, & *Antiatis* Senatus decrevit. *Sena* ergo tum primum militem dedit, ex formulaque (ut credere par est) magna ob diturnam ab omni subministratione, & pecuniæ, & hominum immunitatem. Coss. fuerunt eo anno *Claudius Nero*, & *Livius Salinator*; ille adversus *Annibalem*; hic adversus *Asdrubalem* missus magno uterque cum exercitu. *Livius* ergo ad *Senam* castrametatus est, & provido sane consilio. Cum enim ad *Hannibalem*, qui in *Apulia* erat, *Asdrubal* pergeret cis *Apenninum* per oram maris nostri *Adriatici* perrecturus erat. Consul ergo ad prohibendum *Pæni* progressum ad *Rubiconem* antiquum *Italiæ* limitem in fauce ferme, qua via inter *Apenninum*, & Mare restringitur legiones collocavit, & vallo munivit. Commeatus vero abunde à Colonia fertili, nullisque contribu-
115 tionibus exhausta patebat, præterquam quod *Ariminum* multa suggerere poterat ferace, & ipsa

A agro pollens. In tam ancipiti rerum statu aliquid audendum ratus *Nero.* Bis autem cum *Hannibale* felici eventu pugnaverat, ut *Hannibal* deinde pugnam declinaret, & in adventum fratris quiesceret. Ausus est Consul Castris, quæ opposita *Punicis* erant munitis relictis ab exercitu sex millia peditum, mille equites, fortissimos scilicet milites seligere, cum illisque clam omnibus etiam exercitu suo in Collegæ Provinciam celerrimo cursu contendere. Pervenit ergo ad Collegam atque *Senam*, cum eodem *Asdrubal* venisset, quem oppugnatio *Placentiæ*, at frustra tentatæ, retardaverat. Interim *Nero* præmisso ad Collegam
B adventus sui nuncio, & à Collega data tessera suis militibus ut Tribunus Tribunum, Centurio Centurionem, Eques Equitem, Pedes Peditem hospitio exciperet, clam noctu Castra cum exercitu ingressus auxit numerum militum: at non valli ambitum, situmve dilatavit. Urgente *Nerone*, cujus consilium mora periculosum reddebat, propositum est hosti pugnæ signum, eductaque e Castris instructa acies. *Pæni* pariter instructi ante vallum erant. Attamen *Asdrubal* pugnandi consilium abjecit eo quod auctum *Romanum* exercitum conjecit ex eo quod ter classicum sonuisse intellexit, quod tertium Imperatorem duobus
C prioribus advenisse significabat. Major etiam multitudo militum visa, & observati strigosiores equi, & coloratiores à Sole vultus. In Castra ergo suos reduxit. Noctu deinde sequente relictis in Castris accensis luminibus, collectisque vasis tacite discessit veloci itinere, & non absimili fugæ in *Apuliam* ad fratrem contendens. Expediebat sane non subire aleam dubii certaminis antequam junctis cum fratre viribus, eam bellandi rationem inirent, quam peritissimus Dux *Hannibal* præferret. Orto Sole cum *Romanus* exercitus pugnandi avidus adversus Castra *Punica* moverit, intellexit demum hostem abesse. Tum ergo *Nero*
D cum equitatu est fugientes insequutus, & post illum reliquus exercitus processit. Interim *Pæni* tota nocte, & diei parte antecesserant; unde non- 116
nisi ad *Metaurum* est eos consequutus, per cujus ripam vadum quærens *Asdrubal* errabat (Duces enim deseruerant) & ipse humiliores sciens amnes quo propiores fonti fluunt, illorsum ducebat agmen, quod etiam carpere, & remorari *Romanus* equitatus cæpit, & qui mox cum levi armatura successit *Porcius* Prætor. Tandem *Livius* cum universis legionibus advenit. Tum *Asdrubal*, qui primum munire Castra decreverat, pugnare coactus, suas & ipse copias instruxit. In
E dextro cornu *Hispanos* milites *Livio*, ac gravi legionarioque pediti opposuit. In medio Elephantes, post eosque *Ligures*: & in sinistro cornu *Gallos* collocavit. Penes *Romanos* mediam aciem Prætor; dextrum cornu *Nero* obtinebant. Inter sinistrum *Romanorum* cornu, ubi *Livius*, & dextrum *Pœnorum*, in quo *Asdrubal*, certamen atrox ortum: in idem cornu *Romanorum* obversi Elephantes, qui ab initio antesignanos turbaverunt, *Ligures Romanos* premebant. At *Nero* cohortibus aliquibus e dextro cornu selectis, cum non posset recta in *Gallos* irrumpere, quod interpositus mons eos tueretur, celeri circumeatu eas in
F latera nedum *Gallorum*, sed in terga *Hispanorum*, & *Ligurum* duxit; interimque Elephantes à *Romanis* repulsi sæviebant in suos: Sed artificio ab *Asdrubale* excogitato à rectoribus suis brevi opere occidebantur. Jam dextrum *Pœnorum* cornu primo perturbatum, deinde trucidatum, & in eo *Asdrubal*, qui postquam eximii Imperatoris omnia munia perfunctus est in medios hostes invectus, ne superstes exercitui suo viveret dignam patre, fratre, se ipso mortem pugnando invenit. *Gallos*

vigiliis, & fugæ labore fractos, qui etiam signa
deseruerant, facile fuit multos occidere, reliquos
loco pellere, & fugare. Hæc fuit ad *Metaurum*
strages *Pœnorum* par *Romanæ* ad *Cannas* cladi.
Cujus adhuc multæ memoriæ in occidentali ejus
fluminis ripa extant. Ab ea sane victoria mirum
in modum recreata est *Romana* Respublica; *Han-*
nibalis ex ea vires accisæ cum tantum auxilium,
tamque propinquum sublatum esset, & jam aliud
amplius ullum desperaret. Ipse sane viribus omni-
117 bus suis contractis in angulum *Brutiorum* conces-
sit. *Nero* in suam Provinciam rediens summa Co-
loniarum exultatione exceptus fuit. Prospecta-
bant jam finem belli, & propinquum, & *Roma-*
nis faustum, & *Pœnis* luctuosum, ut quinque post
annos accidit. Sequenti anno *Manlius* Prætor
cum duplici mandato in *Galliam* missus, ut *Gal-*
lorum eorum, qui sub adventu *Asdrubalis* rebella-
verant Regionem popularetur, & Colonos præ-
sertim *Placentinos*, & *Cremonenses* ab omni vexa-
tione defenderet. Nihil intercessit, quod remo-
raretur à jussis exequendis Prætorem. Pacatior
inde ab accolis *Gallis Placentinus*, & *Cremonensis*
ager, & frequentiores Coloniæ Civibus ob Con-
sulare edictum reversis. Consules enim edicto
jusserunt, ut Cives illarum Coloniarum domum
redirent: multi enim ob molestiam, & popula-
tionem *Gallorum* abierant. Sequenti anno, qui
fuit decimus quartus belli in *Galliam* Prætor venit
Sp. Lucretius, qui *Arimini Gallis* quiescentibus
mansit. At interim *Mago Hannibalis* frater in
Italiam ex *Balearibus* cum duodecim millibus pe-
ditum, & duobus millibus equitum trajecit, *Ge-*
*nuam*que repentino adventu cepit, & diruit; in-
de cum *Ingaunis Liguribus* inito fœdere, palam-
que ab illis exercitu auctus: at cæteris *Gallis*, qui
Romanis finitimi erant clam commeatum, & mi-
litem suggerentibus, brevi copias magnas con-
traxit. Jussu itaque Senatus *Livius* Proconsul
cum *Volonum* exercitu ex *Hetruria Ariminum* pro-
fectus secum *Sp. Lucretii* copias junxit, ut se se
opponeret *Magoni*, ne motum in *Gallia* excitaret,
*Romanam*que ditionem turbaret, præsertimque
ne ad *Hannibalem* iret. Non movit tamen se ab
angulo *Alpium Mago* etiam si sex alia Peditum mil-
lia, octingentique equites missi à *Carthagine* ei
fuerint, & pecuniæ magna vis ad conducendos
quamplurimos mercede *Gallos*. Unde, & *Ro-*
mani in *Ariminensi* statione quieverunt: in eadem
quiete (si *Livio* credamus) permansit *Mago*; quod
vix tamen credibile est, tanto cum exercitu, tan-
tisque sumptibus biennium stetisse, urgente etiam
118 *Carthaginiensis* Senatus jussu bellicosum Impera-
torem, nisi forte idipse moliretur, ut ob tanti
exercitus metum distineretur *Scipio*, ne in *Africam*
trajiceret. At cum trajecisse audivit, tum de-
mum in agro *Insubrium* anno belli decimo sexto
cum *P. Quintilio Varo* Prætore, & *M. Cornelio*
Proc. collatis signis pugnavit, victusque & trans-
fixo femore est vulneratus; non tamen incruenta
Romanis victoria. Unde nocturno itinere trans
Apenninum in *Ligures Ingaunos* concessit: ibique à
Legatis ad id *Carthaginiensibus* jussum suscepit, ut
in *Africam* ad defendendam Patriam reverteretur:
id ipsum *Hannibali* mandatum renunciantibus.
Jam enim *Scipio* victis iterum *Pœnorum*, & *Sipha-*
cis exercitibus, *Siphace*que capto præter alias cla-
des *Carthagini* imminebat. Unde *Mago* classe
cum copiis, quæ restabant avectus, dum in
Africam contenderet, circa *Sardiniam* ex vulnere
moritur. Prætori deinceps Sextio *Gallia* cum
duabus legionibus demandata nullus ibi motus fuit.
At post hæc *Boji* (qua de causa, aut qua fiducia
Liv. lib. 31. in principio. non satis patet) in socios Populi *Romani* incur-
sionem fecerunt. *P. Æmilius* Cons. cui *Gallia* ob-
A venerat, adversus eos præmisit *C. Appium* Socio-
rum Præfectum cum duabus subitariis legionibus
additis solum quatuor de exercitu suo cohortibus.
Appius ergo primo quidem prospere, & tuto *Bo-*
jos populatus prope Castrum *Mutilum* loco dele-
cto: sed non satis munito, nec explorato, ad de-
metenda matura jam frumenta profectus oppres-
sus à *Gallis* interemptus ipse est, & ejus milites
usque ad septem millia occisi. Reliqui milites ad
Consulem, qui per medios montes ducebat exer-
citum confugere. Iter tum *Appii*, tum Consulis
fuit per Tribum *Sappiniam*. Est hæc vallis cum
adjacentibus montibus, quam findit *Sapis* prope
B *Sarsinam*, & *Cæsenam* alluens in paulo antiquio-
ribus nostris Chronicis eodem nomine vocata.
Umbries vero ideo dicebatur, ut *Livius* memo-
rat, quoniam limes inter cæteros *Umbriæ* erat per
Civitates *Ravennam*, *Senam*, & *Sarsinam*, ut eli-
citur ex Strabone, cujus verba sunt. *A Ravenna*
inchoantes Umbri propiora deinceps tenent Sarsinam,
Ariminum, *Senam*, *Camarinum*. Per vallem ean- 119
dem cum transierint & Consul, & Præfectus, per
altiores montes Consul perrexit, per humiliores
Præfectus iter habuit. Clade perpetua Consul
late in ultionem agros *Bojorum* vastavit non au-
dentium cum Consulari exercitu manum consere-
C re. Cum vero populando usque ad *Ingaunos Li-*
gures ferme pervenisset, cum illis fœdus percussit.
At sequenti mox anno nihil tale *Romanis* metuen-
tibus conspiraverunt *Boji* cum *Cænomanis*, & *In-* Livius lib.
subribus, & *Salyis*, *Illuatibus*que & cæteris *Li-* eodem 31.
guribus Duce *Amilcare Pœno*, qui in illis locis ex
Asdrubalis exercitu substiterat. Et repentino in-
sultu *Placentiam* ceperunt, ac magna ex parte in-
cenderunt. Statimque trajecto *Pado* invaserunt
Cremonam: at Cives casu *Placentiæ* jam intelle-
cto, & portas clauserunt, firmaruntque militibus
mænia, ut hostes ab expugnatione prohibiti ad
obsidionem sint versi. Interim nuntii *Romam*
D missi, & alterius Coloniæ, quæ adversus *Hanni-*
balem, & *Asdrubalem* steterat, direptionem; &
alterius periculum nunciaverunt, Coss. erant *Sul-*
pitius, & *Aurelius*, quorum illi demandatum e-
rat adversus *Philippum Macedonum* Regem bel-
lum, quod bellum populus sub eo tempore ci-
verat, & magno apparatu adornabatur: exerci-
tus ergo *Aurelii* ex *Etruria* in *Galliam* missus ad
Furium Prætorem *Arimini* tum sedentem, qui
jussu Senatus, & Consulis ad liberandam *Cremo-*
nam ivit, & collatis signis *Gallos* numero licet
plures vicit, occisis & captis eorum ferme milli-
bus 35. *Placentinis* multis captivis liberatis, &
E Coloniæ suæ restitutis, ingentique præda acquisi-
ta. *Amilcar* Imperator eo in prælio occidit. Se- Liv. lib. 32.
quenti anno *Bæbius Panphilius* Prætor temere in
fines *Insubrium* ingressus prope fuit ab illis cum
exercitu oppressus ad sex millia militum cæsi.
Clades inexpectata à gente, quam victam crede-
bant excivit Consulem *Lentulum* (Coss. eo anno
erant *L. Cornelius Lentulus*, & *P. Villius*) ab Ur-
be in Provinciam, qui objurgato Prætore, &
dimisso, ipse tamen nihil magni adversus *Gallos*
fecit: sicut nec sequenti anno *Ælius* Consul cum
Helvio Prætore, quibus *Gallia* delegata erat, quic-
F quam memorabile fecerunt: sed quies in *Gallia* 120
fuit. Alter Consul fuit *Tit. Quintius Flaminius*,
qui sequenti postea anno Proconsul vicit *Philip-*
pum Macedoniæ Regem, *Græcas*que omnes Civi-
tates in libertatem asseruit. Tum vero Coss. fue-
runt *Cn. Cornelius*, *Q. Minutius*: quibus ambobus
decreta fuit *Gallia* Provincia. Uterque Consul
prospere pugnavit. *Q. Minutius* adversus *Ligures*.
Cornelius adversus *Insubres*, & *Bojos*, & *Cænoma-*
nos, quorum *Cænomani* ab *Insubrium* Societate sua-
sione distracti; *Insubres* autem ingenti clade victi.
Boji

A *Boji* ad ſua defendenda dilapſi ut non acie victi ſunt, ita populationem magnam, & devaſtationem minus munitorum locorum paſſi ſunt. *Ligures* alii primo, poſtremo *Illuates* in deditionem Populi *Romani* venerunt. Sequenti anno Coſſ. ambo *L. Furius*, *M. Marcellus* in *Galliam* miſſi adverſus præſertim *Bojos*, & *Ligures*, qui adhuc in armis erant; *Marcellus*, qui primus in *Bojorum* agrum venit, dum Caſtra commutaret à *Corolamo Bojorum* Regulo improviſa invaſione non exiguum damnum ſuſcepit: ad tria enim militum millia occiſa, inter quos viri illuſtres Præfecti Socium, *T. Sempronius Gravus*, *M. Innius Sylanus*, & duo Tribuni Legionis ſecundæ *A. Ogulnius*,
B & *P. Claudius*. Dilapſi deinde ad ſua *Boji* Conſul itaque cum prælii occaſio ſubtracta eſſet, ne à diſſitorum locorum oppugnatione diu diſtineretur, in *Inſubres* abiit, qui magnum exercitum coegerant. Cum illis itaque minime pugnam detractantibus conflixit, & ingenti prælio vicit; ad quadraginta enim millia *Gallorum* cæſa dicuntur: captumque paucos poſt dies *Comum*, & duo de triginta Caſtra ad Conſulem inſuper defecerunt. Alter interea Conſul per Tribum *Sapiniam* ad Caſtrum *Mutilum* tendebat. At veritus, ne inter eos montes, ac ſaltus à *Liguribus* una *Bojiſque* circumveniretur,
C in planitiem deſcendit, & longiore via, ac tutiore cum altero Conſule *Inſubrium* jam victore copias junxit: inde ambo adverſus *Bojos* loca omnia, & *Felſinam* ipſam ceperunt, gentemque *Romano* ſubjecerunt Imperio, ea ſolum juventutis manu excepta, quæ
121 prædandi cauſa armata in devias Sylvas tum ſeceſſerat: poſt tot clades neque *Boji*, neque *Inſubres* deſponderunt animum: nam cum annum quieverint, altero poſt anno Coſſ. *P. Scipione Africano*, & *T. Sempronio Longo Boji* transgreſſi *Padum* ad ſollicitandos *Inſubres* cum illis juncti adverſus Proconſulem *L. Valerium Flaccum* pugnaverunt: victi tamen decem millia militum amiſere:
D ſed admiranda gentis copia & pertinacia: cum ambo Coſſ. in *Galliam* venirent, quorum alter erat *Africanus Pœnorum*, & *Hannibalis* victor haud territi *Sempronio*, qui prior venit, *Bojorum* Regulus tota gente concitata ad fines occurrit pugnaturus, ſi *Romani* eos ingrederentur. Conſul caſtrametatus eſt, ibique audacia hoſtium motus expectandum collegam cenſuit: at *Boji* id perſentientes, meliuſque rati cum unico; quam cum ambobus Conſularibus exercitibus pugnare, inſtructa acie in campum deſcendunt: at cum ad ſimulationem timoris Conſul copias intra vallum continuiſſet,
E tertia die vallum ipſum tanta ferocia aggreſſi ſunt, ut *Romani* ſigna efferre juſſi exire non poſſent adeo conferti ad portas *Galli* obſiſtebant: quinimmo pars eorum quæſtoriam portam irrupit, & Quæſtorem, & duos ſociorum Præfectos cum ducentis ferme militibus occiderunt. Ingreſſi tamen perempti, & repulſi invadentes; Legioneſque demum erupere, & poſt diuturnam pugnam ad meridiem uſque productam fatiſcentes tandem *Gallos* vicerunt, & in Caſtra compulerunt. At cum ab oppugnatione Caſtrorum Conſul edicto milites revocarit, majorque pars edicto paruerit, minor pars, quæ in oppugnatione perſeverabat à *Gallis* paucitatem
F contemnentibus in fugam acta, & in caſtra repulſa cum plurium occiſione fuit: plures *Galli* ceciderunt: ad undecim ſiquidem millia: *Romanorum* tamen quinque millia perierunt: tum *Boji* in intima Regionis ſe ſe recepere, utque par eſt credere in denſas ſylvas, & alii intra paludes. Tum Conſules ad *Placentiam* juncti Regionem univerſam quoad ſylvæ, paludeſque paſſæ ſunt diripuere, ac vaſtavere. Sequenti anno Coſſ. *L. Cornelio Merula Q. Minutio Thermo*, *Ligures* magnum concitaverunt bellum. Magna manu trans *Apen-* 122 *ninum Piſas* uſque populando peragrarunt: & citra *Apenninum* uſque ad *Placentiæ* mœnia. Eodem tempore *Boji* rebellionem ſpectabant. *Minutius* contra *Ligures Piſas* obſidentes duxit copias, ibique levibus præliis non univerſa acie confligens ſocios, & fines adverſus numeroſiores Liv. lib. 35. hoſtes defendit. Alter Conſul *Bojos* aggreſſus, eoſque perpopulatus, qui potius damna rerum pati, quam certamen conſerere malebant. At Conſul ſecundo rerum eventu in incuriam prolapſus paulominus in hoſtium inſidias incidit: extra enim fines ſuos *Boji* ſaltum ceperant, occultaque ſtatione munierant qua erant tranſituri *Romani*, & ſi tectiores inſidiæ fuiſſent, magnam illi cladem accepiſſent. Magna tamen inita pugna, magnoque utrinque animorum fervore peracta: cecidere ex *Gallis* quatuordecim millia; capti mille nonaginta duo; equites ducenti viginti unus; tres Duces; Signa militaria CCXII. carpenta LXIII. *Romanorum* vero, ac Sociorum ſupra quinque millia perempti. Sequenti demum anno *Domitio* Conſuli ſe *Bojorum* Senatus cum liberis, & præſertim equitum cum equitatu ſe dediderunt; neque tamen ea deditione poſt tot tantaſque clades fractæ adeo ſunt vires *Bojorum*, ut non rurſus ſequenti mox anno inſigni prælio cum *P. Cornelio Scipione Naſica* certarint; victi tamen fuere, Liv. lib. 36. & ingenti clade profligati, ſeque inde dediderunt: unde ob victoriæ amplitudinem ſupplicatio à Senatu decreta, majoreſque victimæ cæſæ. Poſt hæc quieverunt *Boji* ſub Imperii *Romani* jugo. Non æque *Ligures*, qui uſque ad Conſulatum *Pauli Æmilii Perſei* victoris, ac *Macedoniæ* ſæpe tumultuarunt, aliaſque *Bæbium* Prætorem, alias Conſulem occiderunt, alias *Mutinam* Coloniam ceperunt: domiti demum Imperio paruerunt. At ad *Senam Bojorum* facta, eorumque & tumultus, & bella magis pertinebant; ob propinquitatem enim non ſine timore à Colonia infeſtæ gentis hoſtiles motus exaudiebantur. Pacata ea *Gallia*, quæ etiam paucis poſt annis *Bononia*, deinde *Mutina*, & *Parma* Coloniis factis firmis ceu præſidiis occupata eſt, in tranquilla jam, & ſecura quiete degebant *Senenſes* Coloni; nullo præſertim 123 onere ob ſacram vacationem gravati, cum Populus *Romanus* ſumma felicitate floreret. In *Africa* ſiquidem *Carthaginenſes* vicerant. *Maſſiniſſam* ingentibus beneficiis ſibi devinxerant, quem maximum Regem fecerant. *Hiſpanias* obtinebant: *Italiam* ab *Alpibus* ad Promontorium *Leucopetram* poſſidebant. Ab eorum nutu *Græcia* omnis, pars metu, pars devotione ob ingentia beneficia pendebat. *Philippus Macedonum* Rex ab eorum armis victus quas leges ab eiſdem acceperat, ſervare cogebatur; neque enim ſolus reſiſtere illis poterat, neque Socios habere, quorum victoriæ fideret: præſertim vero *Antiocho* diffidebat, qui finitimam *Macedoniæ Thraciam* occupaverat, in eaque Civitates excitaverat, ac munierat, ut eſt Regum infinita cupido, poterat ob Imperii amplitudinem integram *Alexandri* Monarchiam, cujus adhuc erat partiarius hæres, & cupere, & ſperare: aluerat præterea *Antiochus Philippi* ſuſpicionem dum *Macedonum* reliquias antea à *Romanis* cæſorum ſepulchro ipſe condidit, quaſi eo facto animos ſibi gentis devincire ſtuderet, & alienare à *Philippo*, qui ſua cauſa occiſos ſine honore ſepulchri tandiu jacere permiſiſſet. Verum paulo poſt *Antiocho* victo, & intra *Taurum* montem compulſo, non erant amplius vires, quæ *Macedonibus* junctæ *Romano* cum Populo certare poſſent. In tanta ergo amplitudine Imperii, ac fortuna ceſſaverant cauſæ, quamobrem vacatio-

nis sacræ olim concessæ, privilegium antea suspenderant. Coloni tum *Senæ* alto abundantes otio conserendis in hanc vitium, olearum, fructuumque copiam agris totis vacare: ut occultam deinde vitam Civitas duxerit, & tacita morte tempore *Syllæ* perierit. Mirum est Coloniam *Senam* ad Superum Mare cum fuisse certum sit (in eoque solum ubi, & quæ fuerit non omnes consentiant) periisse tamen absque ulla ruinæ ejus memoria. verum enim vero cum Regio hæc universa pro *Mario*, ejusque ducibus steterit, utque *Eutropius* dicit innumeri *Italiæ* populi sine consideratione à *Syllanis* deleti sint, par omnino est credere, tum cecidisse Coloniam, at ignorari casum:
124 quoniam *liber* 87. atque octogesimus octavus *Livii* exciderint, in quorum primo quæ à *Syllæ* Legatis ubique gesta sunt scribebantur; in secundo autem cædes, quibus & Urbem, & universam *Italiam* replevit, referebantur. In partibus vero *Marianis* fuisse Regionem hanc significant *Eu-*

A *tropius*, & *Livii* Epitome, dum *Carbonem* postquam ad *Clusium* victus fuit in hanc Provinciam profectum esse, & reparato exercitu ad *Faventiam* rursus pugnasse *Livius*: & postea victum ab *Arimino* aufugisse *Eutropius* scribunt: prætereaque *Marcus Brutus* Dux *Marianus* tenuisse *Galliam Cisalpinam*, & à *Gn. Pompejo Syllanarum* partium victus, & occisus ab eodem *Livio* dicitur. *Appianus* scribit Civitates quæ quovis modo cum adversariis senserint, variis pænis, ac gravissimis vexatas, aliquas etiam eversas. Scriptores quoque *Ariminenses* à *Sylla* dirutum *Ariminum* affirmant. ut hæc omnia suadeant tum quoque *Senam* concidisse. Permansit ergo hæc Colonia annis circiter 190, à Consulatu nempe *Sext. Cornelii*, & *M. Curii* ad Consulatum *L. Syllæ* secundum, & *Q. Metelli*, quo tempore Populus *Romanus* ab Occasu ad *Atlanticum* Oceanum; ab Ortu ad *Taurum*, & ultra *Taurum* montem in *Asia* arma, & Imperium protulit.

Claudii Ptolemæi Chron.

B

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

125 ACCISA *Sena* circiter Consulatum *Syllæ* II. & *Metelli* diu jacuit; demumque infra priorem conditionem restituta fuit, vel adhuc restituebatur sub Consulatum *Lepidi*, & *Munatii Planci*, quos *Q. Cicero* præstringit ad *Tironem* scribens: indignos enim vocat, quorum alteri fundamenta *Cossutianarum* Tabernarum alteri *Cæsenæ*, nimirum *Cæsenæ* reædificatio crederetur. Scio tamen non videri *Aldo* juniori de *Cæsena* nostra locum exponendum cujus dicit tantam esse, & fuisse dignitatem, ut non fuerit Scommatis ejus contemptui obnoxia. Habeo ego eruditissimo viro pro Patriæ laudibus gratias non vulgares; non tamen pro amplæ quantumvis Civitatis ludibrio haberem, si minor diceretur, quam ut intra eam Consulis tunc *Romani* jurisdictio contraheretur, cui amplissimæ Provinciæ
126 universa *Gallia*, *Macedonia*, *Hispania* consueverant demandari. Nunc quoque cum Legatis Pontifex in universam hanc Provinciam imperium tradat, si Cardinalis alicujus Legationem ad unicam ejus Civitatem restringeret, dedecori Legato esset coarctata jurisdictio. At certum est *Senam* majorem ante occubitum, quam post restitutionem fuisse: nam *Strabo* illam cum *Rhegio Lepidi*, *Elaterna*, *Foro Cornelii*, *Faventia* Πολίσματα parva scilicet Oppida vocat, quæ tamen post annos CXX. Civitates πόλεις à *Ptolemæo* dicuntur, & ab *Antonino* pariter in Itinerario *Cæsena*, *Faventia*, *Forum Cornelii*, & *Regium*: tempore eodem *Strabonis* nondum restitutum *Forolivium* videtur cum nulla ejus fiat à *Strabone* mentio (locum in Apparatu adduximus) cum tamen tanto prius fuerit à *Livio Salinatore* conditum. Non itaque in pristinam amplitudinem fuit *Sena* restituta, neque in pristinam Coloniæ dignitatem. Forte illa vacationis prætextu magistratus *Romanos* parum in Provincia demeruerat, ut idcirco tanquam otiosæ fuerit tarde à Senatu decreta restitutio, & tardius à Magistratibus provincialibus jussioni obtemperatum: mutato etiam nomine revixit cum pro *Sena Cæsena* sit dicta, quam prius *Polybius Senam* dixerat, & post etiam *Livius*, & *Strabo* ex antiquis annalibus antiquo nomine

Penes Sigonium de Regno Italiæ.

C nuncupaverunt. Accisio forte, & excisio *Senæ* novo nomini occasionem præstitit, quasi scilicet *Cæsa* Senatum diceretur in *Cæsenam* duæ voces coaluerint: Incidit autem ejus restitutio in id temporis cum Triumviratus *Lepidi*, *Antonii*, & *Octaviani* imminebat, quem consequuta est *M. Bruti*, & *Cassii* pro libertate stantium debellatio; prius *D. Brutus* conciderat. Demum *Sexto Pompejo Cn. Pompeji* magni, filio victo, & occiso *Pompejana* factio tota exolevit. Triumviris autem in se versis primus *Lepidus* exauthoratus est. *Antonius* deinceps ab *Octaviano* (qui *Cæsar* jam dicebatur) ad *Actium* victus in *Ægypto* sua se manu confodit. Universum adeo Imperium in unius *Cæsaris* manum devenit. Quod ille septus licet
D militibus, artibus tamen boni Principis in posterum rexit. 127
Nomen pro antiquo usu mitius Imperatoris fuit; at potestas Regia. Cultus tamen qui speciem pristinæ civilitatis multam retineret. Huic eodem nomine *Cæsaris* successere Imperatores, at non eodem cultu. Plurimi enim immodico fastu se supra hominem erexere. Pro tanti Imperii majestate *Italia* Imperii sedes in alta pace degit. Digladiantibus inter se *Othone*, & *Vitellio*, deinde *Vitellianis*, & *Flavianis* exercitibus vix tumultum præter pauca loca, & infelicem *Cremonam* sensit, pax Regionis, & *Romæ* propinqua claritas *Italas* ferme Civitates silentii obscuritate involvere. Idem Civitati nostræ acci-
E dit. Quicquid tamen in tantis tenebris eruere licebit summa fide exponam. Religio Christiana, quæ fuit antiquitus à *Cæsena* suscepta aliquam ejus a priscis illis Imperii temporibus memoriam per medias archivii Episcopalis fortuitas flammas, & per funestum à *Britannis* excidium ad nos transmisit. Primum ergo qui fuerit Religionis *Cæsenæ* priscis illis temporibus status disseram. In aliquibus manuscriptis annalibus habemus Christianam Fidem hic à *D. Timotheo Pauli* Apostoli Discipulo satam, nec quæ in ejus vita leguntur assertioni ejusmodi repugnant; immo potius suffragantur. Legimus ibi fuisse in *Italia Timotheum*, nec inde nisi post Apostoli mortem in *Asiam* revertisse: Interim vero dum in *Italia* fuit, certum est otiosum non vixisse, sed conversioni gentium præceptorem sancte æmulatum jugem operam navasse.

Primum seculum à Christo.

navasse. Graves authores scribunt, *D. Paulum* in proximo morti octennio aliquam ejus temporis partem in *Hispania* transegisse, & alias etiam partes peragrasse divinum verbum invulgando: postremo autem *Neronis* anno rediisse *Romam* atque coronatum martyrio fuisse. Nemo autem scribit tum ex *Italia* discessisse *Timotheum*, ut eidem muneri gentes *Italas* ad Christum aggregandi incubuerit, cur non ergo tum potuit hanc Civitatem invisere, & vera Fide imbuere, ab ubere præsertim, & vicina *S. Apollinaris* semente
128 animatus? Fuisse autem in *Italia Timotheum* nemo in dubium est, qui revocare possit ex *epistola* 2. *Pauli ad Philemonem Roma* scriptam, in qua secum esse *Timotheum* asserit: non obstat autem fuisse *Ephesi* Episcopum: nam ut apprime tradit *Eusebius* non fundavit Episcopatum *Ephesinum Timotheus*; sed *Paulus* Apostolus neque *Timotheo* traditus, sed *Joanni* Evangelistæ, pro quo ipse administravit dum Apostolus à *Domitiano* in Insulam *Pathmos* relegatus ab ea cura facesseret, qui mortuo *Domitiano* omnibusque ejus actis à *Nerva*, & Senatu abolitis, statim Ecclesiam suam recepit: fuerat autem *Timotheus* ab Apostolo *Paulo* Episcopus ordinatus, antequam is *Ephesinum* Episcopatum regeret, ut alibi Episcopalia munia, exercere potuerit, & oblata occasione pro fidei propagandæ studio exercuerit: non semper vero adhæsisse *D. Paulo*, dum is etiam *Romæ* fuit, ostendit Epistola quæ in ejus vita legitur qua *D. Dionysius Areopagita* mortem illi Apostoli ut præsens absenti significat: oportet ergo tum alibi in *Italia* tamen (ex qua non nisi post Apostoli mortem excessit) aggregandis Christo animabus insudasse. Quoto vero anno post *Pauli* mortem in *Asiam* remeaverit *Timotheus* nihil certi habetur. Certum est sub exilium saltem *D. Joannis* Evangelistæ in *Asia* fuisse, tum enim vices Apostoli in administratione Ecclesiæ *Ephesinæ* subiit. Exilium autem Apostoli fuit anno circiter Christi 95. ex *D. Hieronymi* testimonio. ante vero in *Asiam* reditum constituerat primum *Cæsenæ* Episcopum *Silemonem*, qui in quibusdam nostris Chronicis primus hujus Civitatis Episcopus dicitur. Immo si fides narrationi adhibeatur verisimilius est *Timotheum* post quam Ecclesiæ hujus fundamenta jecit, eam *Silemoni* commendasse cum ipse ad uberiorem conversionem nulli se loco astringeret: indeque *Silemonem* primum Episcopum jure dici. Credidissem *Philemonem* pro *Silemone* scribendum ex librarii errore, ad quem *Philemonem D. Pauli* extat Epistola, in qua ipsum quoque *Timothei* nomine salutat: nisi *Philemon* is *Pauli* discipulus *Neronis* tempore *Colosses* in *Phrygia* occisus in
129 Martyrologio legeretur. Hæc ergo potius confirmant, quam impugnent monimenta nostra quæ tanti Patris nos in Evangelica vita sobolem faciunt, & de Christianæ penes nos Religionis primordiis, ut potuerunt ex vetustatis tenebris erui tot dicta sunt. Qui vero *Silemoni* successerit latet: anno solum ab ortu itidem Redemptoris centesimo quinquagesimo *Isidorum Græcum* sedisse pariter in Chronicis nostris legimus. Inde vero usque ad *Melchiadem* Summum Pontificem omnia occulta. At *Melchiadis* tempore anno scilicet ejus tertio, & ab ortu Christi supra trecentesimum decimo tertio conspicuus fuit Civitatis Episcopus *Florianus*, qui Concilio in causa *Cæcilini* à Summo Pontifice coacto interfuit cum *Rhetico*, *Materno*, & *Marino* Episcopis *Gallis*, & cum Episcopis *Italis Merocle Mediolani*, *Zotico Quintiani*, *Stemno Arimini*, *Felice Florentiæ*, *Gaudentio Pisarum*, *Constantino Faventiæ*. ut Ecclesia *Cæsenas*, ejusque Episcopus conspicui fuerint, qui Episcopus ex cæteris *Italicis* cum

Lib. 3. Hist. cap. 16.

In ejus vita.

Penes Villegam.

A paucis fuerit à Summo Pontifice ad Synodum de gravi causa vocatus; & cum pariter adfuerint *Ariminensis*, & *Faventinus* Episcopi apparet has eo tempore floruisse Ecclesias sævientibus adhuc Imperatoribus in Christanam fidem; anno enim elapso solum scil. 312. peremptus est *Maxentius*, qui cum ab initio simulaverit pietatem, postea impietatem in Ecclesiam Sanctam crudeliter exercuit; fuit hæc secundum *Sulpitium Severum* nona persequutio, quæ fuit iteratæ à *Diocletiano*, & *Maximiano* persequutionis appendix à *Galerio*, & *Maxentino* in diversis Orbis partibus exercita: prior autem *Diocletiani* quæ fuit octava decennioque
B duravit tantum martyrum sanguinis effudit, ut omnem ferme Orbem sacro martyrum cruore infectum *Severus* scribat subjungitque dignissima lectu verba: *Nullis unquam bellis magis mundus exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicimus quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Hæc ideo scripsi ut constet nostram etiam Ecclesiam una cum propinquis gratas litasse Deo, Christoque victimas, neque enim hæ ipsæ Ecclesiæ sine semente Sacri Martyrum sanguinis adolescere adeo potuissent. Nedum vero his postremis, sed & præcedentibus cladibus Xpiano nomini ab Imperatoribus intentatis præsertim *Romæ*, & in
C *Italia* ob præsentiam propinquitatemve imperantium, vitam Fideles in testimonium Fidei exhibuere. Fuerunt novem persequutiones, sub quadraginta Imperatoribus ab *Augusto*. Fuerunt autem *Augustus*, *Tiberius*, *Caligula*, *Claudius*, *Nero*, *Galba*, *Otho*, *Vitellius*, *Vespasianus*, *Titus*, *Domitianus*, *Nerva*, *Trajanus*, *Adrianus*, *Antoninus Pius*, *Marcus Aurelius*, *Commodus*, *Pertinax*, *Didius Julianus*, *Severus*, *Antoninus Caracalla*, *Macrinus*, *Heliogabalus*, *Alexander*, *Mamææ*, *Maximinus*, *Gordianus*, *Philippus*, *Decius*, *Gallus Hostilianus*, *Valerianus*, *Galienus*, *Claudius* secundus, *Aurelianus*, *Tacitus*, *Floria-*
D *nus*, *Probus*, *Carus*, *Diocletianus*, cum *Maximiano*, *Constantius*, *Galerius*, cum *Constantio*, & cum *Maxentio*. Horum Imperatorum primus *Nero* est in Christianos invectus, secundus *Domitianus*, tertius *Trajanus*, quartus *Adrianus*, qui tamen re melius intellecta persequutionem compescuere, quintus *Marcus Aurelius*, sextus *Severus*, septimus *Decius*, octavus *Diocletianus*, qui & nonæ originem præbuit. His temporibus *Italia* quæ ab externis bellis quiescebat intestina Martyrum clade vexabatur an coronabatur? Magistratus sane Christianis infensi, sed, & divisi cives quorum Idolorum cultui dediti atroci odio Fide-
E les insequebantur, non enim statim Civitates totæ se se aggregabant Christo, sed paulatim, lentisque & clandestinis incrementis unde diu *Cæsenæ* permanserunt sacrificia *Minervæ* inoræ, in *Garampæ* colle, Kal. Maji, & Kal. Augusti in *Monte Sacro*, olim Saltu *Spatiani Jovi Ossirio*, ubi etiam sueta reddi Oracula scribitur usque scilicet ad eam felicem redemptoris victoriam, qua Satanas Sæculi Princeps victus, & ejectus fuit. Hæc de Religionis statu usque ad *Constantinum* qui anno 312. Imperium mortuo Patre *Constantio* sumpsit, qui securum demum reddidit Christi
F cultum, passimque & publice celebrari posse lege cavit, ipseque Christianus factus templa extruxit, & Christo dicavit, donariis ornavit: reditibus ac vectigalibus ditavit: tumque demum Imperii fastigium Cruci subjecit, quam in Labaro Imperatorio vexillo deinceps impressit, & 131
felicissimo auspicio semper sub eo victor vexit. Hæc de Religionis Sanctæ progressu, & statu ad *Constantinum* usque Christianum factum quarto scilicet seculo ab ortu Christi non multum ab initio Ecclesiæ *Ravennatis* notior antistitum à

130 (margin, beside "Italia ob præsentiam propinquitatemve imperantium")

Joann. c. 16.


Beato *Apollinari* series, & multorum martyrum descriptæ coronæ. Ad statum nunc *Cæsenæ* politicum qui fuerit memorato eodem tempore veniamus factaque quæcunque inter silentii tenebras sublucent non multa enarremus. Certum autem est jure *Italico* cum cæteris *Italiæ* locis potitam suis hæ à Magistratibus regebantur potiore quam Provinciæ extra *Italiam* jure utentes, quæ à Magistratibus *Roma* missis regebantur ideoque Civitates ipsarum servitute affectæ vocabantur sicut liberæ quæ à suis. Erat vero penes Decurionum ordinem administratio: qui & ordo simpliciter vocabatur & Senatum referebat sed pro disparitate non curia sed diminuto nomine Decuria vocabatur, & participes Decuriones. Magistratus vero, qui præsidebat Duum virum Consules numero, & officio referebat. Penes *Tacitum* ordo *Mutinensis* Senatoribus arma, & pecuniam offerebat. *Onerabat* (inquit) *paventium curas ordo Mutinensis, arma, & pecuniam offerendo.* Et *Constantius* sequenti postea tempore ad ordinem *Cæsenatem* scripsit: quas literas suo post loco exscribemus. Duum virum autem Magistratus lex non semel meminit *codicis lib.* x. *Cæsena* ergo, &
L. si ad Magistratum. ipsa hoc se modo regebat prorsus tamen ab Imperantium nutu pendens: bonitate interim agri, & pacis beneficio incrementum subinde suscipiens, accessit classis ab *Augusto Ravennæ* locata ad tutelam *Adriatici* Maris, & ad *Dalmatas*, *Pannonios*, *Græcos*, finitimasque gentes in fide continendas, sicut aliam *Miseni* constituerat ad *Africam*, *Galliam*que & *Hispaniam* defendendas si invaderentur, & compescendas si tumultuarent. classes ambæ magnæ unde ingens turbæ classiariorum; & militum confluxus, & ibi habitatio, nec non institorum, & mercium ad celebrem Portum, & frequentiam gentium concursus: inde factum ut *Ravenna* in magnam immo triplicem
132 Civitatem augeretur *Cæsarea*, & *Classe* Oppidis continuo tractu adjunctis. vicina frequentia *Cæsenæ* quoque incrementi magna fuit occasio. Agrum Civitas hæc possidet ubertate soli insignem, in planitiem feracem, quam mare terminat, & fertiles colles, vitibus, oleis, & frugiferis arboribus consitos, divisum. Vina præsertim generosa fert, antiquitus usque celebria, quæ cum Mæcenati exquisiti palati homini grata admodum fuerint Mæcenetiana dici (*Plinio* vocante) meruerunt. Suavissimos præterea fructus colles gignunt; nunc etiam vina nostra *Ravennates* cellas, & fructus fora implent; quanto magis tum in immensa ferme emptorum copia? Pretia hinc aucta, adeoque diligentior reddita cura culturæ, unde cultorum, & incolarum numerus crevit; & reditus, & vectigalia opulentiora facta, ædificia intus, & foris numero, & magnitudine ampliavere, adeoque quam Πόλισμα *Strabo* vocavit tempore *Antonini* Πόλις Civitas fuit, ut mox ex ejus itinerario referemus. Idem ferme fatum finitimarum Civitatum *Forocornelii*, *Faventiæ*que fuit, ac *Forolivii* duæ enim priores Civitatis appellationem sortitæ: Tertia nominata, quæ fuit à *Strabone* omissa; quod ad disciplinas & nobilium artium cultum spectat, quam *Cæsenæ* propensionem, ac indolem ad musicam ab omni hominum memoria observamus videtur antiquitus obtinuisse. *Neronis* enim tempore floruit *Narcissus Cæsenas* eximius Cytharœdus Imperatori illi summopere carus etiam si in iisdem artibus magno artifici, ut ipse de se urgens jam supremum fatum dixit. *Qualis artifex pereo*: verum Musæ, nequaquam à Marte alienaverunt. Qui enim ob studium partium *Marianorum* victoris *Syllæ* iram experti ad excidium usque Civitatis fuerant *Cæsari* partes *Marii* restituenti libentissime armis saltem

A animis votisque favere: Et sub *Trajano*, ejusque ductu strenue se manus *Cæsenatum* gessit, & indoluit Imperator cum id illis acciderit quod de fortibus militibus adagio fertur. Martem sibi fortissimum quemque oppignerare fortiter enim in expeditione parthica pugnando interiere, ita annales quidam nostri quibus cur fidem detraham non video, cum præsertim prætoriæ cohortes tum consueverint ex *Itala* sobole eligi. Jamque creverat Civi- 133
tas, & nedum à *Ptolomæo* qui *Adriani*, & deinde *Antonini* tempore scripsit, & à *Plinio* qui tempore *Flaviorum* Imperatorum *Vespasiani*, & *Titi* præcessit, memorata: sed in Itinerario *Antonini*
B ter inter Civitates reposita. Placet hic aliquantisper immorari. *Plinius Cæsenam* in octava *Italiæ* Regione reponit, ubi *Senones* interiisse scribit; ut *Senonem* Sedem adeoque Regiam in Regione hac ad occidentem *Rubiconi* sitam fuisse agnoscamus, quod in Apparatu præmisi, & nunc repetiisse juvat. *Ptolemæus* longitudinem nobis grad. 34. 40. Tribuit latitudinis grad. 43. 40. at ego latitudinis grad. 44. assigno in Antityconis Supplemento, & alibi. Itinerarium demum *Antonini* ter *Cæsenæ* meminit ut Civitatis. Et Itinerarium hoc ad calcem *Sigonii* impressum *De Regno Italiæ* legimus ab eruditissimo eo homine agnitum,
C & editum. Exscribo hic partes, quæ ad nos pertinent. *In itinere ergo à Mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam.* post Bononiam habentur *Forocornelii Civitas, Faventia Civitas, Cæsena Civitas, Ariminum Civitas: Item in Itinere ab Urbe Mediolanum* post præcedentes Civitates habentur. *Ariminum Civitas, ab Arimino recto itinere Ravennam: inde navigantur septem maria Altinum, usque inde Concordiam, Aquileja, &c. Item ab Arimino, Cæsena Civitas, Faventia Civitas, Forocornelii Civitas, &c. In itinere ab Arimino Derthonam Curva Cæsena, Forolivii, Faventia, Forocornelii, &c.* Hæc ibi ut ad rem no-
D stram: Poscit vero locus ut de curvæ appellatione dicam, eam indicabit situs. vallis est, quam *Sapis* Flumen findit, alteram huic ad ortum Torrens exiguus, quem vulgo *Cesaulam* dicimus irrigat. Dicitur autem à *Dario Tiberto* Cive nobili, Poëta laureato *Cæsis*.

Urbs Cæsena mihi Patria est, quam dividit unda Cæsis.

Inter has amœnas valles collis assurgit *Apennini* propago, *Garampam* vetusto nomine appellamus. In hoc sedebat Civitas angusta præ Populo. Fuit enim, & est populosa unde sub urbia plura (interdum septem) quasi radii ex orbe stellæ fun-
E debantur, ut Stellæ formam redderent. Hinc ali- 134
qui stellam (per metaphoram scilicet) appellavere. Similem nunc figuram *Perusia* repræsentat diductis vicis suis: universis tamen intra mœnia comprehensis, at id præterea intererat, quod suburbia nostra in planitiem declinabant illud etiam quod Pidriolum vulgo dicebatur non in jugo sed in latere collis ad *Cesaulam* acclivi extendebatur. Omnibus suburbiis eminebat Civitas inde illa gibbosa structura quæ curvæ appellationem tribuit, & *Antonini* descriptio repræsentavit & ad *D. Petri Damiani* tempora perseveravit. Intelligemus enim suo infra loco eodem epitheto *Cæsenam* à sacro viro in vita Beati *Mauri* appellatam:
F usque ad *Constantinum* deinde *Cæsenatum* facta silentio involuta. At sub *Constantino* magnam *Cæsenatum* manum egregiam in multis expeditionibus ei navasse operam inter nostra monimenta legimus: auctamque gloria, & muneribus domum postremo rediisse. Attestatur, ac suffragatur dictis peculiare devotionis signum quod eidem Imperatori tum gens nostra exhibuit: Columnam enim erexit quam in *Flaminia* ipsa via ad nos pertinente

ICON URBIS CÆSENÆ



Ma. di Monte

Osseruanza.

P. Rivarola

P. di Santi

P. di Fiume

S. Rocho

F. Savio

P. Ceruesa

P. di Trova.



tinente defossam proxime deteximus, & eruimus Senatusque consulto cautum ut decenter reponeretur. Inscriptio Columnæ est quæ sequitur. Columna autem ex albo marmore.

	D. N. IMPERATORI CÆSARI.	*scil. Domino nostro*
	CONSTANTINO.	*Imperatori Cæsari.*
	MAXIMO.	
	P. F. VICT. AUG.	*scil. Pio felici victori Augusto.*
	PONT. MAX.	*scil. Pontifici Maximo.*
	TRIB. POT. XXIII.	*scil. Tribunitiæ potestatis* XXIII.
	IMP. XXII. CONSULI.	*scil. Imperator* XXII. *Consuli.*
	P. P. PROCONSULI.	*scil. Patri Patriæ Proconsuli.*
	HUMANARUM RERUM.	
	OPTIMO PRINCIPI.	
	DIVI CONSTANTI FIL.	*scil. Filio.*
135	BONO R. P. NATO.	*scil. Bono Reipublicæ.*
	M. P. XV.	*scil. monimentum posuere Decem viri, vel quindecim viri.*

Ex qua inscriptione ordo tum fuisset ad quindecim viros restrictus cum enim non sit interpunctio inter X. & V. potius quindecim viros quam Decem viros significant notæ. Fuit autem *Constantinus* magnus qui in inscriptione dicitur *Maximus* Filius Imperatoris *Constantii Clorii*; fuit Pater, *Constantii Constantis*, & *Constantini*, qui cum omnes in Imperio successerint, *Constantius* ambobus his superstes Imperium universum obtinuit. *Constantis* autem sunt penes *Sigonium* ad ordinem *Cæsenatem* literæ quarum hoc est exemplar.
De Imp. occid. Scripsit autem Mediolano XI. Kal. Junias. *Vinum quod ad Cellarii usum ministrari solet, cuncti Italiæ possessores juxta statutum Constantii fratris mei comparent. Quod ut fieri facilius possit ab omnibus Italis nostris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini viri clarissimi, & Illustris præfecti urbis, parentis, amicique nostri moderatio dandam esse censuerit* Mediolano deinceps Cæsenam profectus X. Kal. Julias ad Anatolium Præfectum prætorio rescriptum in hæc verba misit. *Quoniam nonnulli curiis derelictis domesticorum, seu protectorum se consortio copularunt; Scholarii etiam quidam nomen dederunt militiæ, aut Palatinis sunt officiis aggregati, cunctos jubemus omni frustratione sublata ad curias revocari. Ne tamen diuturnitatis ratio videatur esse neglecta, quicunque sub armis militiæ munus comitatense subierit, si necdum quinque stipendia compleverint, nec pro publica defensione præliis assuerunt, reddantur. Qui vero Palatini nominis præferunt dignitatem, si curialem trahant originem infra tot annos militiæ nudati præsidiis oppidanis restituantur obsequiis. De qua re magistros equitum, & peditum, & V. Comitem domesticorum, nec non etiam sacrarum largitionum Comitem, & magistrum officiorum, & Castrensem sub quibus cuncti esse noscuntur, credidimus commonendos, ut tua insistente prudentia, & scribente de nominibus singulorum unusquisque propriæ conditioni reddatur.* Ab hoc tempore usque ad annum quadringentesimum *Cæse-*
136 *næ* & Provinciæ status idem mansit: res enim in *Italia* quietæ sub *Constantio*, qui vitam, & Imperium ad annum 361. perduxit. Successit *Julianus* Apostata dictus quod in Religionem Christianam quam prius coluerat, impius fuerit, at brevi intra biennium extinctus pœnas violatæ Religionis dedit. Electus à militibus *Jovianus* Imperator pius is at quietis impensius amator perbrevis ævi fuit qui intra sextum mensem vitam, & Imperium reliquit: Imperatores post ipsum *Valentinianus*, & *Valens* creati. *Christiani* ambo, at hic *Arrianus*, & in Catholicos sævus: *Valen-*

A *tiniano Gratianus* filius viventi Patri in Imperio collega eo mortuo cum Patruo *Valente* imperavit, post cujus fata *Valentinianum* fratrem adhuc puerum *Augustum* declaravit. Et deinceps *Theodosium* majorem ex *Hispania* excitum Imperatorem cooptavit, quæ electio titubanti Imperio saluti fuit. Tyrannos extinxit *Maximum*, & *Eugenium* barbaros irruentes compescuit, & repulit insignibus cladibus attritos. Mortuus est anno trecentesimo nonagesimo quinto, relictis filiis, ac successoribus *Archadio*, & *Honorio* in Imperio occidentis hoc, & illo orientis, sed parum felici Reipublicæ fato. Ipsis imperantibus ea Imperii à barba-
B ris perturbatio exorta quæ demum vertentibus annis occidentale primum, deinde orientale Imperium ad interitum adduxit. Tenera Imperantium ætas (erat enim *Honorius* annorum decem, undeviginti *Arcadius*) & tutorum à patre relictorum improbitas ruinæ *Romanorum* à barbaris aditum aperuere. Tutores fuerunt *Rufinus Arcadii, Stilico Honorii* inter se odio incensi, ac Principibus infidi dum uterque in se, ac suos Principatum vertere summo astu quæreret. Primus his fuit, ac palmaris improvidæ ætatis error, & perfidum tutorum consilium militiam, & armorum tracta-
C tionem à *Romanis* gentibus ad barbaros stipendiaque transferre, vidit errorem, & monuit sed frustra *Arcadium Cyrenarum* antistes *Synæsius*. literæ ejus penes *Sigonium* leguntur. *Vandalus* erat *Stilico*, exterus etiam *Rufinus*, ut jure merito potius barbaro militi, quam *Romano* ad occupandum Imperium fiderent. In hac rerum dispositione *Gothi*, qui sæpe antea sub *Romanis* meruerant, 137
in *Romanos* arma sumpsere, & in *Italiam* invexere signa repulsi; primo virtute *Stiliconis*, sed ejusdem dolo non extincti. Anno postea quadringentesimo circiter septimo *Radagasius* cum ducentis *Gothorum* millibus *Italiam* invasit. Tota *Ita-*
D *lia* exterrita ad tanti exercitus invasionem: at *Venetæ* Regionis incolæ nedum terrore periculi, sed damnorum, & vastitatis sensu in æstuaria confugere cæperunt. Quod fuit augustæ Civitatis *Venetiarum* initium, ac prima origo. Tendebat contento cursu *Romam Radagasius*, ut in *Hetruriam* transmisso *Apennino* jam penetraverit cum obvium habuit cum exercitu *Stiliconem*, cujus etiam intererat ab ea barbarie defendi *Italiam*, ac *Romam*. victi ad *Fesulas Gothi*, omnesque aut occisi aut ad contemptum captivi una cum *Radagasio* facti: minus enim in singulorum capita quam in pecudem pretium; at *Radagasius* brevi in captivitate occisus. Huc usque opera *Stiliconis*
E Reipublicæ utilis, licet forte semper animus subdolus. At triennio vix elapso *Alaricus*, vel reversus, vel tum primum invectus (utrumque dicitur) *Italiam* intravit, & demum *Romam* cepit obsidionis angustiis fameque victam. Fraus unius *Stiliconis* ad Imperium pro filio aspirantis, & irritavit *Gothos*, & iter ad Urbem, Urbemque ipsam indefensam reliquit. *Gothi* direptione contenti non multum *Romani* sanguinis effuderunt. Direpta Civitate in ulteriorem *Italiam* discessit cum exercitu *Alaricus*; verum ad *Cosentiam* ex febri mortuus stitit cursum. Inde *Gothi Romam*
F reversi rursum diripuere; & in *Galliam* abiere cujus partem, & deinde tractu temporis *Hispaniam* occupavere. *Honorius* post hæc Imperium Occidentis partim jam lacerum retinuit *Ravennæ* residens, quæ Civitas instar *Venetiarum* nunc, tota lembis, & pontibus (ut dicit *Suetonius*) peragrata, & obfirmata, præterea magna classe, & tutior adversus terrestrem Barbarorum insultum erat, & in eventum desperatæ defensionis securum præbebat in Orientem effugium. *Honorius* itaque ibi firmata sede videtur pro delitiis nostris colli-

collibus usus: ædibus ad æstuandum Regiis excitatis, nam cum proxime Senatus noster novam
138 portam ad commodiorem Capuccinorum accessum aperiri jusserit, quæ recludi non poterat, nisi reliquiæ arcis veteris jam dirutæ extirparentur, in fundamentis antiquissimæ Turris repertum est numisma antiquitate corrosum, in quo tamen facies admodum juvenilis conspiciebatur, & in limbo literæ. HONORIO MAXIMO. delectatum nostris ejusmodi recessibus indicant, & ii *Claudiani* versus pro *Roma* adventum, præsentiamque *Honorii* deprecante.

—— —— vetitumque propinqua
Luce frui spatiis decernens gaudia parvis
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?

Florente etiam Imperio sub *Augusto Ravennæ* Præfectura ex illis erat quæ ad Cæsarem non ad Senatum pertinerent, quæcunque enim loca milite firmarentur ex *Augusti* distributione ad Imperatorem spectabant. Pacata ad Senatum. Inde in *D. Apollinaris* vita legimus à *Saturnino*, & *Paulino Neronis* Vicariis, non autem Prætoribus, & Proconsulibus *Ravennam* gubernatam non etiam ab ordine *Ravennate*, ut pro jure *Italico* oportebat; at cum ibi classis, & milites essent ab Imperatore per ministros, qui præfecti prætorio erant vicarii, regebatur reliquam vero *Æmiliam*, *Flaminiam*que ab ordine quamque Civitatem suo Regi, literæ *Constantis* ad *Cæsenatem* ordinem antea relatæ indicant: adeo ut *Gennadius* Proconsul quem *Rubiconis* incolam vocat *Claudianus* fuerit non Proconsul Regionis hujus, sed *Græciæ* olim, & *Ægypti*, at Civis noster. Epigramma *Claudiani* repono, & suppono eruditorum judicio. Epistola ad *Gennadium* Proconsulem. hæc est inscriptio.

Italiæ commune decus Rubiconis amæni
Incola Romani fama secunda fori
Græcorum Populus, & nostro cognite Nilo
Utraque gens fasces horret, amatque tuos
Carmina jejunas poscis solantia fauces
Testor amicitiam nulla fuisse domi
Nam mihi, mox nidum pennis confisa relinquunt
Et Lare contempto non reditura volant.

139 *Honorio*, qui post *Romæ* infortunium annis 13. imperavit plurimum *Ravennæ* residens: successit *Valentinianus Ravennæ* natus ex *Placida Honorii* Sorore, & *Constantio Cæsare*, triginta annis est Imperio potitus, ipso imperante *Athila* toto Septentrione concusso ad *Italiæ* etiam Imperium aspiravit. cursui feri hominis resistit *Ætius Valentiani* Dux, qui junctis *Theodorici Visigothi* viribus in *Catalaunicis* campis memorabili in omne ævum victoria ipsum depressit. Resumptis tamen *Athila* viribus in *Italiam*, & *Romam* omnia vastaturus ingentes copias duxit, at dirum hostem potius quam armis Legatione Summi Pontificis *Leonis* Imperator compescuit: Vir Sanctus oratione, & cælitus immissa in sacrum aspectum veneratione efferatum Regem sedavit. Dicitur etiam colloquenti *Leoni* adstitisse Apostolos *Petrum*, & *Paulum* denudatis ensibus minitantes ni pareret Regi, qui se spectro ejusmodi commotum respondit admirantibus reditum ex *Italia* suis. Jam tamen *Aquilejam* ceperat, & diruerat, & totam *Venetiæ* Regionem vastaverat. Unde inchoatum metu Barbarorum in æstuaria effugium ab illis populis impense adeo crevit, & multitudo tanta fuit ut in Civitatem coire, & in tutioribus illis locis sedem statuere demum decreverint. Felici scilicet *Italiæ* fato. In ea enim una Civitate antiquæ *Italæ* libertatis, & nobilitatis est illibata repræsentatio. Post *Valentinianum* octo Imperatores occidentis fuere. *Macilius Avitus*, *Valerius Majorianus*, *Vibius Severus*, *Anthemius*, *Anicius Olybrius*, *Glicerius Tulius Nepos*, *Momillus Augustulus*, qui infausto nomine postremus Imperator fuit. Hi simul una cum interregnis viginti tres annos solum implevere. *Augustulus* fuit ab *Odoacre Herulorum* Rege de Imperio deturbatus anno Christi 476. qui sibi *Italiæ* Regnum vindicavit. Status autem Civitatis nostræ, ac reliquæ Provinciæ post cladem ab *Alarico Romæ* illatam, qui fuerit, Imperatoribus ut plurimum *Ravennæ* residentibus facile est conjicere: quies enim ferme semper. Industriæ ob frequentiam gentis ad aulam confluentis incrementum. aliqua tamen perturbatio in adventu *Alarici* in primo quidem si ad *Pollentiam* nostram, ut *Blondus* scribit victus fuit, sed potiores Historici de alia *Pollentia*, & jure sentiunt. In secundo autem certe secundum tamen *Jornandem* cum exercitu Provinciam peragravit, & moram aliquam traxit. Major adhuc turbatio sub *Augustulo* obsidente *Ravennam Odoacre*, quam & cepit. Cum vero *Odoacer* asserente *Sigonio* alias Civitates vi ceperit, & diruerit alias benevolentia allexerit. Arbitror *Cæsenam* inter eas fuisse, quæ capta *Ravenna* se victori dediderit. Nullam enim dirutionem passam suadet munimentorum firmitudo, cujus merito potuit elapso solum decimo tertio inde anno sustinere *Theodorici* triennem obsidionem: sub *Odoacre* autem præsidio imposito paruisse Barbaris rectoribus necessum est. *Odoacer* Regno *Italiæ* anno 476. potitus quod, & tranquillum usque ad annum 490. obtinuit. Cum *Theodoricus Gothorum* Rex cum magno exercitu permittente *Zenone* Imperatore ad *Italiam* sibi quærendam, & ab *Odoacre* redimendam venit. Hinc jam *Cæsenæ* paratior mentio, quæ cum reliqua Provincia, *Ravenna* excepta, raro antea memorata fuit. 140

Theodorico itaque occurrit *Odoacer* cum omnibus copiis ter ab eo collatis signis victus *Ravennæ* se inclusit, quem *Theodoricus* triennio circumsedit, interim reliquas Provinciæ Civitates omnes occupavit. *Cæsena* sola toto triennio restitit; nec nisi post *Odoacris* deditionem, & mortem victori obsidione licet pressa cessit. At *Blondus* duas solum restitisse *Cæsenam* & *Ariminum* dicit. Sat est *Cæsenam* triennio Regi victori restitisse, & nonnisi mortuo priore Rege sacramento ejus exutam se novo dedisse: cum ergo adversus *Cæsenam* frustra triennium arma *Gothi* intentaverint argumento est ipsam situ nedum, sed & opere munitam, immo forti, ac fido Populo nedum magno, & strenuo præsidio instructam: infirmis, & fluctuantibus locis magnæ copiæ adversus victorem à victo non creduntur, qui tum præsertim milite veterano, ac fido ad sui tutelam eget, neque etiam si præsidium validum collocaretur, debilia loca diu resisterent. Ad longam obsidionem ferendam oportet cum loci munimentis, & cum fortitudine militum populi conspirare fidem, ac virtutem. Quodcunque horum desit, aditus obsidentibus ad occupandum facile aperitur. Hæc ideo scripsi ut intelligant legentes scommata esse amice repensa *Candidiano Cæsenati*, quæ Sidonius *Epist.* 8. jacit in *Cæsenam Candidiani* patriam, & *Ravennam* ejusdem tum habitationem. Jocatus fuerat *Candidianus*, cum *Sidonio*, qui jocum refert dicendo. *Ais enim gaudere te quod aliquando necessarius tuus videam Solem, quem utique raro bibitor araricus inspexerim. Nebulas enim mihi meorum Lugdunensium exprobras: & diem quæreris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano fervore reserari.* 141

Aretinus, & Sigonius pag. 413.

Cui Sali salsius multo respondet. *Tu ista hæc nobis Cæsenatis furni potius quam oppidi verna deblateras? De cujus natalis tibi soli vel jucunditate, vel commodo quid etiam ipse sentires dum migras indicavisti.*

visti. Certe neque verna fuit *Candidianus* vir eruditus, & *Sidonio* necessitudine junctus: neque *Furnus Cæsena* quæ *Theodorico* ipsi, qui tum regnabat tandiu resistere potuit. At neque certe quæ in *Ravennam* jocatur tum Civitatem Regiam, & florentem nisi pro jocis accipi possunt. sunt autem. *Ita tamen quod te Ravennæ felicius exulantem auribus padano culice perfossis municipalium ranarum loquax turba circumsilit in qua palude indesinenter rerum omnium lege perversa muri cadunt: aquæ stant: turres fluunt, naves sedent: ægroti deambulant, medici jacent: algent balnea, domicilia conflagrant: sitiunt vivi, natant sepulti: vigilant fures, dormiunt potestates: fænerantur clerici; syri psallunt: negotiatores militant, milites negotiantur: student pilæ senes, aleæ juvenes: armis eunuchi, lituis fæderati. Tu vide qualis sit Civitas, ubi tibi lar familiaris incolitur, quæ facilius territorium potuit habere, quam terram. Quo circa memento innoxiis transalpinis esse parcendum, quibus cæli sui dote contentis non grandis gloria datur, si deteriorum collatione clarescunt. vale.* Quas dicacitates comparando oportet sane fateri quæ *Cæsenatis* venustiorem esse, quæ *Arvæni* mordatiorem. Sed ad pensum redeundo *Theodoricus* anno 493. Rex jam quietus longa orientalis aulæ consuetudine emollitus non est barbarie usus in Regno *Italiæ* con-
142 stituendo tertiam agri partem ab *Odoacre* pro suis subtractam *Italis*, ipse quoque *Gotthis* reservavit; quod etiam de domibus, & habitaculis est pariter asserendum. Sed vectigalia præterea exegit, quod *Boetius* disertis verbis dicit. *Provincialium* (inquit) *fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessundari non aliter, quam qui patiebantur, indolui. Rex tamen injurias ea in re ministrorum, & militum cum ad ejus aures perferebantur.* Emendabat illatas, prohibebat inferendas. Quod de *Conigasto*, & *Triquilla* à Rege cohibitis ipsemet *Boetius* testatur. Usum armorum *Italis*
Arist. 5. po. ademit, vel fallacia politica cogendo scilicet ad tractationem armorum *Gothos*, non cogendo *Italos*, imo neque specie quietis ipsos militiæ adscribendo: vel edicto cavit ne *Itali* arma haberent, ac tractarent, quod edictum *Athalarici* proxime subjungendum potius suadet. id quod prius *Cyrus Lydis* inhibuit. Sub *Theodorico* itaque *Itali* quieti, & rebus suis, sed demissi animo incubuere: mos enim victorum est insultare victis, eundemque morem servatum à *Gotthis* indicant inducta *Boetii* verba. Regnavit tres supra triginta annos *Theodoricus* anno enim quingentesimo vigesimo sexto Regnum, & vitam reliquit. Fuit hic Christianus sed *Ariana* labe infectus, ut in singulis ferme Civitatibus Episcopum etiam Arianum præter Catholicum esse voluerit, & *Ravennæ* Templum *D. Martini* in cælo aureo à fundamentis excitavit, Sedem *Ariani* pro tempore Episcopi esse jussit: eousque hæresi ei favit ut *Joannem* Summum Pontificem nefario errori repugnantem carceri *Ravennæ* mancipaverit ubi loci pædore mortuus est. Nec diu post *Symmachum Boetii* Socerum nec non, & *Boetium* capitis amputatione perimendos curavit, sed in pœnam gravis adeo peccati brevi sua est eorum mortem consequutus, sed dispari eventu: illi ad beatas sedes evolarunt, hic ad horrida baratri loca testante *D. Gregorio* depressus est. Qui *Gotthi* sub *Alarico Romam* ceperunt, *Visegotthi* fuere; sicut *Ostrogotthi*, qui Rege, ac Duce *Theodorico* Regnum *Italiæ* victo, & occiso *Odoacre* usurpaverunt: *Ostrogotthi* autem secundum idioma gentis Orientales *Gotthos*, & *Vi-*
143 *segotthi* Occidentales significabant. *Athalaricus* successit *Theodorico* ejus ex filia *Amalasuenta* Nepos octo annorum puer unde Mater filii quidem nomine, sed suo ipsa consilio ab initio regnavit;

A cujus etiam præ mulieris monitis *Athalaricus* fuit multo quam avus *Romano* Pontifici obsequentior ideoque multo minus fuit nostris ab hæresi periculi. Regina nomine Regis edicto cavit ne *Romani* arma tractarent. Edicti verba fuere. *Nec quicquam inter eos Gotthos scilicet, & Romanos divisum nisi quod Gotthi bellicos pro communi utilitate labores subitent, Romani quiete urbem Romam colerent.* Certe cum usum armorum ad *Gotthos* restringeret ab eo *Italos* pariter excludebat, qui etiam tum sub *Romanorum* nomine ad Barbarorum saltem differentiam comprehendebantur: Edictum sane fuit non novum sed pristinum *Theodorici* repetitum.
B *Athalaricus* anno Regni octavo mortuus Matri Regnum reliquit, quæ in maritum, & Regni consortem *Theodahatum* sumpsit: qui Regio sanguine ortus, & in studiis etiam literarum versatus ejusmodi tamen ornamenta degeneribus moribus corrupit immodica auri cupiditate, & ingrati supramodum animi vitio. Reginæ enim pro traditi Regni beneficio relegationem primum deinde mortem rependit. At numine ulciscente pænas etiam pependit. Hujus enim tempore *Justinianus* recuperata virtute *Belisarii* à *Vandalis Aphrica Italiam* Imperio restituere decrevit. *Belisario* itaque Duce tum *Siciliam*, tum orientalem
C *Italiæ* partem, & *Neapolim* ipsam recepit: *Gotthi* id socordiæ *Theodahati* adscribentes ipso rejecto *Vitigem* Regem eligunt, qui strenuus Dux habebatur: sed forte melior, quam Dux, miles. Exitus belli fuit. *Vitiges* cum relictis præsidiis in Urbe *Roma*, & in cæteris citra *Neapolim* locis, quæ munita essent *Ravennam* ad novum Regnum stabiliendum ivisset, *Romani* pristini splendoris cupidi, quos idcirco pigebat subesse *Gotthis*, etenim leni licet Imperio Urbem regentibus, qui universo Orbi imperasse recordabantur, quasi ita *Romanum* Imperium restitueretur, ultro *Belisarium* vocaverunt tanto consensu, ut præsidium *Gottho-*
D *rum* repugnare non ausum, sponte abierit. *Vi-* 144
tiges rebellione audita ducentorum millium ferme *Gotthorum* exercitu coacto ad *Romæ* obsidionem advolavit. At tanta fuit *Belisarii* virtus, & peritia militaris, is Populi *Romani* consensus, & conatus ut restiterint adorientibus, & invadentibus *Gotthis*, & diutinæ obsidionis mala, sævam præsertim famem toleraverint. Cumque interim alias copias Imperator in *Italiam* miserit, eæ jussu *Belisarii* non *Romam* advenere: sed *Ariminum* aggressæ sunt, quam etiam Civitatem cepere, reliquæ *Flaminiæ*, & *Æmiliæ* minitantes. *Vitiges* fractus animo, & spe ferme obtinendi *Romam* deposita
E anxiusque Regiæ Sedis *Ravennæ* passus est loco mittendi in subsidium numerosi exercitus partem, se ab obsidione distrahi; quam certe magna cum difficultate *Romani* tolerabant, & relicto capite, & fonte belli dispertitisque in multorum *Latii, Tusciæ, Piceni*que locorum præsidia copiis cum magna militaris existimationis jactura præbuit aditum virtuti *Belisarii* eas omnes Provincias occupandi, quas scilicet Populi *Itali* desiderio antiqui Imperii incitati, & odio dominii præsentis ultro reserabant. *Gotthi* siquidem *Romam*, & *Romanos* multa cum lenitate tractabant reverentia Imperatorum Orientalium, quid id sæpe poscebant; at
F provinciales multis gravabant oneribus vexabantque expilationibus ut adducta antea *Boetii* verba demonstrant; ideo Populos *Italos* nedum solitus novitatis amor, & tunc dominantium odium, sed præsentium malorum sensus à *Gotthis* alienabat. Eo demum res *Gotthorum* delapsæ ut *Vitiges* postremo *Ravennæ* inclusus amissis ferme *Piceno*, & *Umbria*, & *Arimino* obsideretur. Adspirantes autem *Græci* ad reliquam *Flaminiam*, & *Æmiliam* acquirendam *Cæsenam* quæ prima oc-

currebat aggressi sunt. Duces copiarum erant *Joannes Vitaliani* inter *Græcos* militiæ præfectos conspicuus, & *Phanathæus* Dux *Herulorum*. Cum itaque *Cæsena* esset novæ ejusmodi expeditionis principium ejus successu necesse erat si felix esset, animari milites, & contra si adversus. Unde non levi apparatu, neque inconsulto processere præsertim cum Civitas esset & situ, & ope-
145 re munita, & instructa milite. Non tamen quicquam profecere imperiales consilio aut viribus. Cum enim post alios conatus magna vi oppugnationem inierint, tamen restitere semper defensores, & à mœnibus multis illatis vulneribus repulere, & multis occisis inter quos Phanatæus fuit, ut non levi damno rejecti *Græci* fuerint. Cum itaque nihil succederet ad votum *Joannes Cæsena* dimissa *Forum Cornelii* petiit; quod ultro statim obtinuit. *Sigonius* scribit reliquam etiam *Æmiliam* occupasse, ut hac ratione sola *Ravenna*, & *Cæsena* in hac Regione à *Gotthis* retinerentur. At demum *Vitiges* longa obsidione fractus *Ravennam*, & quæ erant in ejus potestate seque cum Gaza Regia *Belisario* dedidit, qui illum *Constantinopolim* cum thesauris, & familia perduxit. *Justinianus* multo cum honore *Vitigim* su-
Anni 539. scepit. Hoc igitur anno qui juxta *Sigonium* fuit quingentesimus trigesimus nonus, *Cæsena* Orientalis Imperatoris sub ditionem venit permansitque usque ad *Luitprandum Longobardorum* Regem qui anno circiter septingentesimo vigesimo tertio eam cum aliis nonnullis Provinciæ Civitatibus subegit. Sed hæc suo postea tempore. Interim vero *Transpadani Gothi* jura gentis sustinere dedita etiam *Ravenna* conati sunt. *Ildovandum*que Regem creavere, qui egregiis principiis spem restituendi *Gothici* Regni dedit, sed intestina suorum nonnullorum fraude occisus, Imperium vix ultra annum produxit. Suffecere *Gothi Araricum* trimestris vix dominationis, & post electionem vitæ; eo vero extincto *Baduillam* qui notiore nomine *Totilas* dictus *Ildovandi* Regis nepos. Hic res *Gothorum* afflictas suscipiens eo usque provexit ut *Italiam* ferme totam Imperatori subtraxerit, *Siciliam* vastaverit, *Sardiniam*, & *Corsicam* occupaverit, at quod in *Italia* maximum fuit, *Romam* bis cepit, & primo quidem multa sævitie usus eam multa ex parte diruit, & ab omni penitus Populo vacuam reddidit; at cum eam *Belisarius* restituerit rursus eam *Totilas* cepit mitius tamen cum *Romanis* tum agens: nam & eos *Romam* re-
146 vocavit, & ædificia multa restituit, & magnificis editis spectaculis consolari Cives, ac recreare conatus est. Prius vero *Æmiliæ* loca aggressus est, de *Cæsena*, & *Petra* scilicet nunc *Bertinorio*, hæc scribit *Procopius*. *Cæsenam*, & *Petram* loca munita cepit. verbum Græcum quo is utitur cepisse, & convicisse significat, ut scilicet nonnisi cum repugnantia loca munita, & situ, & opere, & præsidio occupaverit: cæterorum autem facilior captura. Aliqui nostri Annales oppugnatam non captam asserunt, & suffragaretur ea consideratio quod sub morte *Totilæ* in initio Regni *Thejæ* erat *Cæsena* sub Græcis fuitque acriter oppugnata à *Theja*, nec *Procopius*, qui cum *Belisario* recessit præsens *Totilæ* factis fuit. *Totilas* ergo *Italia* ferme tota recuperata etiam *Sicilia*, atque *Corsica*, & *Sardinia* occupatis gloria rerum gestarum, & Regni amplitudine florebat. At en rerum humanarum vicissitudo ab Eunucho *Narsete*, quem *Justinianus* ad recuperandam *Italiam* misit, brevi tempore Rex fortissimus de Regno, & vita exturbatus est; vir acquirendo, quam conservando Imperio aptior. Subeundo pugnæ aleam regna afflante fortuna acquiruntur. In id semper, etiam impar viribus *Totilas* pronus.

A At Regna cautioribus consiliis defenduntur. Oppositis Castris iisque munitis invadentes hostes delassando; pabulum, & alimenta subtrahendo, corrumpendoque ut *Hannibalem* repressit *Fabius* maximus prudentissimo consilio: *Totilas* vero statim pugnandi copiam fecit exercitui *Narsetis* maximis copiis referto quodque inconsultius fuit *Longobardorum* multis millibus hoste novo, & efferato quorum præsertim viribus cum exercitu suo concidit. *Gothi* tamen nondum fracti animo *Thejam Totilæ* suffecerunt virum impigrum, consilio, & manu prævalidum. In *Flaminia* adhuc *Ariminum Gothis* parebat premebatur vero obsi-
B dione à *Phaga Narsetis* Duce satis magnis copiis. *Thejas* coacto exercitu mira velocitate, ut imparatum *Phagam* opprimeret accurrit: sed is peri- Blondus.
culi præmonitus discessu adventum *Thejæ* prævenit. liberato *Arimino Cæsenam* detorsit cogitationem, & vires quæ capta futura erat pro ejus firmitate magnus *Græcis Ravennam* possidentibus 147
obex. Obsedit ergo Civitatem machinis etiam adductis quibus illam magis premeret. Non magnum erat in Civitate præsidium; proinde *Phagas* tentavit per montes plures in eam milites inducere, sed hostium consilio cognito *Thejas* re-
C pentino adventu quin supplementum induceretur, prohibuit. Erat itaque tunc Civitas arbitra sui, & ut *Gothis* aperiret suadebant aversæ jam à *Græcis* ob rapacitatem, & fastum, *Italorum* voluntates: at contra præpollens Cæsarianorum fortuna, & laudabilior mos antea quoque observatus Imperantibus etiam si importunis fidos esse, Populum in fide retinuit. Cum ergo *Thejas* admovisset Civitati copias, eamque Castris vallasset, nequaquam territi Cives magno se animo ad defensionem accinxere. Enarrant Scriptores tantam tum cecidisse nivem, (erat autem *Bruma*) quantam nunquam antea seniores cecidisse meminerant, diuque terram cooperuit, quod magno fuit
D machinis impedimento. *Phagas* etiam cum *Cæsenam* ingredi non potuit *Ravennam* retrocessit, indeque equitatu, & expedito milite prohibebat quominus late pabulatum frumentatumque irent hostes, adeoque victus angustia premerentur. Eoque res recidit ut calamis, & culmis tectorum cogerentur equos alere. Rex ferox, & inquietus omnia tentabat tum vi, tum astu ut obtinere Civitatem posset prosperoque ejusmodi principio sequentia Regni sui facta fortunaret: at Cives etiam si parum à præsidio firmi insidiis vigilantia, armis, & insultibus virtute restitere. *Thejas* itaque vere novo frustra se tempus terere intelligens
E obsidionem solvit, & *Ariminum* reversus inde in *Apuliam* transiit ubi multis egregiis factis editis tandem in *Campaniam* profectus ad *Draconem* fluvium collatis signis cum *Narsete* conflixit, fortiterque pugnans ibi occisus vix elapso primo Regni sui anno finem *Gothorum* Regno in *Italia* posuit. Anno postquam illud *Theodoricus* instituerat sexagesimo ferme secundo, & à Christi ortu quingentesimo quinquagesimo tertio. Reges *Gothorum*, sive *Ostrogothorum* in *Italia* octo fuere. *Theodoricus*, *Athalaricus*, *Theodatus*, *Vitiges*, *Il-* 148
dovandus, *Araricus*, *Tothilas*, *Thejas*. Abolito
F Regno *Gothorum* quædam eorum reliquiæ ab aliqua *Francorum* manu adjutæ exercuere arma *Narsetis* qui tamen eas omnes brevi exstinxit. Consequuta est *Francorum* sub *Leuteri*, & *Bucellino* Fratribus in *Italiam* irruptio, quæ excidium multis Oppidis populationem universæ ferme Regioni attulit: at pestilentia *Leuterim* cum exercitu suo consumpsit: *Bucellinum* cum universis ejus copiis *Narsetes* acie debellavit. Inde totius *Italiæ* arbiter sexdecim annis tum pace, tum bello supremus eam administravit. *Romæ* cum quies ab armis

mis erat, considebat. *Romani* metu jam Barbarorum deposito pristinam animi magnitudinem, quam memoria Imperii olim sui excitabat, resumpserunt. Crediderant facile Occidentale Imperium sibi restitutum iri, cujus merito antiqui splendoris speciem referrent. At contra tum Urbem, tum *Italiam* instar Provinciæ misso à *Constantinopoli* Rectore gubernari videbant. Accedebat *Græcorum*, & præsertim *Narsetis* fastus, & forte quæstus, & auri non modica cupido, unde acri quærimonia eum penes *Justinum*, qui *Justiniano* in Imperio successerat incessere, sed paullo post exitum attingam. Interim anno 565. quo *Justinianus* obiit *Cæsenæ* decessore mortuo electus Episcopus fuit *D. Severus** alter divorum hujus Civitatis tutelarium. Admirandus modus quo is suffectus est, & viri sanctitas narrationem minus astrictam poscunt. *Severus* ergo origine *Germanus* in *Italiam* ducente scilicet spiritu profectus *Ravennæ* Diaconus fuit, in quo munere exercendo majore se loco dignum cæteris præ sanctimonia vitæ multaque sapientia: at sibi ne diaconatu quidem parem pro sua humilitate repræsentabat. Mortuo ergo *Cæsenate* Episcopo Archiepiscopus *Ravennas* cui Ecclesia nostra, & reliquæ *Flaminiæ*, ac *Æmiliæ* subjunctæ erant, vel invocatus ab hoc Clero, vel suo ipse consilio misit, qui comitiis futuri Episcopi assisteret; inter comites fuit *Severus* Clerus itaque, & Populus de

D. Severus Episcopus creatus.

A more illius temporis coactus in Cathedrali hujus Civitatis Ecclesia Antistitis sui electioni studebat. Erat Ecclesia tum Cathedralis, quæ *D. Joan.* Evangelistæ dicata nunc quoque in *Murata* existit, sic partem eam Civitatis à primis usque temporibus vocamus. Erat in electione dissensus. At 149
mirum ostentum omnem controversiam, & hæsitationem sustulit. Columba cælitus dimissa cum supervolitarit prius, deinde in *Severi* vertice insederit, palam fecit, quem Deus eligi voluerit, omnes unanimes Divinæ præmonstrationis nutum sunt votis, ac suffragiis, & vocum plausu sequuti. B *Hieronymus Rubeus* idem de electione *Severi* Episcopi nostri, & de Columba cælitus dimissa, & de Ecclesia *S. Joannis* Evangelistæ scribit: sed id discrimen intercedit, quod Ecclesiam *D. Joannis* Evangelistæ eam interpretatur quæ *Ravennæ* sita à Canonicis Regularibus S. Salvatoris vocatis incolitur. Sed fallitur *Rubeus* neque Episcopi Ecclesiarum subjunctarum tum *Ravennæ* eligebantur, sed à Clero, & Populo suæ quisque Civitatis; neque Ecclesia *D. Joannis* Evangelistæ erat *Ravennæ* in qua Episcopi eligerentur, sed Spiritus Sancti Ecclesia. C Verum enim vero Cathedralis nostra tum (ut dixi) erat, quæ nunc quoque superest *D. Joannis* Evangelistæ in *Murata*. Hæc de *D. Severo Rubeum* ferme sequutus scripsi, at paullo secius penes nostros Canonicos in vita ejus hunc in modum habentur.

* *Cæsenæ decessore mortuo electus fuit Episcopus D. Severus*] Qui fuerit decessor *D. Severi* non constat, solum ante *D. Severi* tempus post *Florianum*, qui tempore *Melchiadis* sedit, duo numerantur *Gregorius Ticinensis* Anno 361. & *Ignatius Græcus* ex *Salamina* Anno 403. aliqui tamen, sed minore fide Anno 232. sunt etiam, qui de *Gregorio* dubitant.

150

VITA SANCTI SEVERI CÆSENÆ EPISCOPI.

UT APUD CANONICOS HABETUR.



SANCTORUM *gesta Præsulum, quæ Dei donante gratia partim communi omnium locutione ad memoriam laudabiliter reducuntur, partim Divinæ Scripturæ libellis scripta esse videntur, non immeritò Matris Ecclesiæ patres annua reducta solemnitate ad communem totius Populi auditum Sacræ scripturæ eloquiis recitare decreverunt, sunt enim (sicut testatur Divina Scriptura) lucerna super candelabrum posita, quæ suæ lucis fulgore cunctis Domum Dei ingredientibus, ne offendant lumen præbet, unde eorum vita, & cuncta miracula in Sacris eorundem Solemnitatibus non sine causa quotidie recitantur, ut videlicet eorum Sanctæ vitæ testimonio informati, & mellifluæ prædicationis paterno verbere castigati de virtute in virtutem ambulando Deum Deorum in Syon (sicut, & ipsi) videamus. Ex his vero extitit unus Beatæ memoriæ Sanctus* Severus *Episcopus, qui Dei cooperante misericordia* Cæsenati *Ecclesiæ præsidens*, Populum *sibi commissum diu noctuque Sanctis orationibus Deo commendans adhuc in carne degens saluberrimis monitis quotidie excolens cum à vitiis purgans virtutibus, quibus Christo placeret, præstanter replere stu-*

D *debat; post Sanctam etiam mortem suam eundem* Cæsenatem *Populum saluberrima miraculorum multorum prædicatione informans, & docens Deo (ut justum est) incessanter reddit amabilem. Nunc ergo ad ea, quæ de Sancto* Severo *Episcopo, vel vetustate narrante audivimus, vel quorundam apicibus scripta esse cognovimus, Deo donante provectum transitum faciamus. Tempore itaque quo* Pelagius *Papa* Romanæ *Ecclesiæ Cathedram digne teneret,* 151
& regeret apud nos Ravennatis *Ecclesiæ dignitate* Agnellus *Archiepiscopus gubernabat*, Romani *vero Imperii Sceptrum* Justinus *minor, qui* Justiniano E *successit in* Græcia *universaliter retinebat sub quo etiam* Marcus *Patritius* Romæ *existens curam* Italiæ *religiose habebat. Sub horum ergo justi regiminis moderatione contigit quendam miræ Sanctitatis Puerum nomine* Severum *ad Sanctæ* Cæsenatis *Ecclesiæ gremium Dei destinatum venisse, quæ alio tunc vocabatur nomine* Flavia Curva Papia, *qui prout erat pucrilis ingenii, & columbinæ simplicitatis in eadem Ecclesia diu, noctuque existens Domino se continuis jejuniis, & orationibus prout poterat commendabat. Cum autem jam tantæ esset ætatis, qui literas discere posset sicut Dei diu disposuerat gratia, ejusdem Ecclesiæ inhæsit patrono, a quo litera-*

rum divinarum scientia perfecte imbutus, sicut etiam justum erat, sortitur in Clerum, & de gradu ingradum, sicut Matris Ecclesiæ mos est, Dei in eo crescente gratia certis temporibus ab eodem in Diaconatus officium ordinatur. Post vero non longo transacto temporis spacio prædictus Antistes, qui eum Sanctitatis amore, quasi proprium filium gubernabat, sicut Domino placitum fuit naturæ concedens sanctam animam Deo reddens vita privatur. Exequiis ergo more Pontificum digne compositis, quia indignum est, & ratione carens Ecclesiam suo diu privari Pastore, convenit universus Clerus, & Populus communi desiderio, & voto eligendi sibi Pastorem ad Ecclesiam B. Evangelistæ Joannis, *quæ tunc caput Episcopii erat, inter quos aderat Beatus Levita* Severus *una cum Clero, & Populo obnoxiis precibus exorans, & postulans ut dignum sibi Deus provideret Antistitem. Orantibus autem universis, & supplici voce, ac mente Deum communiter poscentibus, mira res stupore digna, miraculis plena cernentibus qui aderant cunctis. Ecce per fenestram Ecclesiæ advenit Columba, nive candidior cælitus missa per Ecclesiam volitans, diuque circumiens, tandem super caput B. requievit* Severi; *Quo tanto viso miraculo Populus stupens,*
152 *& gaudens altisonis vocibus una clamare cæpit, Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ. Per Columbam enim designavit nobis dignum Antistitem, qui nos verbo prædicationis suæ vere redimet de manibus inimici. Canonizatus ergo ex more Pontificum* D. Severus *Populo unanimiter gaudente, & tandem Divina donante gratia, Populi voto Catholice consecratus, non ut piger Pastor, sed ut servus vere fidelis commissi gregis causam fideliter cæpit habere; amans etenim sibi commissas oves sanctæ prædicationis verbo incessanter exhortans Deo cujus erant, ut assiduus Pastor innocuas conservare studebat, ne lupus insidians de Christi ovili saltem detraheret unam, vigiliis etiam, & orationibus pernoctando se ipsum Deo commendans pauperum habens ut pater curam, humilitatis, & caritatis exemplum cunctis proponebat, sed quia veritate testante Urbs supra montem posita non potest abscondi, nec lucerna accenditur, ut sub modio concludatur. Jam qualiter Deus* B. Severum *Episcopum post susceptæ consecrationis gratiam primo hominibus manifestare voluit vertendo dicamus. Quodam igitur tempore cum peccatis Populi exigentibus tanta esset aeris siccitas, ut nec ros ad terram arescentibus herbis cadere cognosceretur, per quos terra multa pulvere spem segetum, & novalium omnium negare videbatur. Cucurrit universus Populus virorum, atque mulierum, cum parvulis, atque puellis ad præfatam Ecclesiam* D. Severi *clamans, atque dicens Deus propitius esto miseris nobis peccatoribus, & terræ aridæ imbrem tuæ misericordiæ nobis misertus infunde; & hoc dicentes clamabant Sancte* Severe *Serve Dei adjuva nos. Tunc Beatus* Severus *Episcopus his commotus precibus miseriæ eorum compatiens lacrimas fudit, & sanctas in Cælum elevans manus, hanc ad Dominum orationem edidit dicens.* Omnipotens Deus rerum omnium Creator, qui solus omnia noscis, & omnia contines, qui in prima Ecclesia tua *Hierusalem Salomoni* dilecto tuo dixisti, hæc est Domus quam elegi mihi in sempiternum. Hæc est Domus cum clau-
153 sero Cælum propter peccata hominum ut non pluat, ad quam confugient homines, & rogabunt me, ego misertus aperiam Cælum, ut pluat, & subveniam eis. Tu ergo Pater Sancte qui idem es semper, & immutabilis, ne despicias peccata, & scelera nostra, quæ multa sunt, sed respice ad solam misericordiam tuam, qua sustines nos, & Terræ nimium sitienti aquæ fluenta Cælitus funde, ut Populus qui nimia siccitate, & aeris calore laborat sciat te Patrem misericordiæ, & pietatis esse, & glorificet nomen tuum Sanctum, & gloriosum in secula seculorum: *Cumque omnes qui aderant una voce dixissent* Amen. *Res valde stupenda, cum esset nimia Cæli serenitas subito nubes undique venientes ventorumque inglomeratæ ad unum tantam aquarum densitatem dederunt, ut terra irrigata rivulis satiata fuisset, & herbæ quæ prius quasi emortuæ videbantur, penitus reviviscerent. Quo tanto viso miraculo Populi, qui aderant cuncti laudantes, & benedicentes Deum, & Beatum* Severum *Servum ejus, læte alacres remearunt. Angelus autem Domini Beato* Severo *oranti apparuit dicens: famule Dei* Severe *vigilanter ora, quoniam venies ad eum, quem mente, & puro corde dilexisti. Angelicæ visionis monitus oraculo ad Ecclesiam universos convocavit, ac verbum salutis initians, suaque quod dies instabat extrema cunctis reseravit, multitudo Populorum, qui convenerunt hæc audientes lamentabantur eum incessabili cum ululatu discedentes afflicti, seque amplius consolari diffidebant, cum autem appropinquaret hora, ut de corpore migraret spiritus ejus* B. Severus *devoti Cleri in medio jugiter Deum obnixius orabat tanto odore circa eum quæ aderant populorum turbæ sacrique Cleri in Templo Sancto Dei repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Quis poterit tot signa quæ aperte Dominus fecit Beate Pontifex digne laudare? Tu languidum à medicis recusatum de cicatricibus liberasti. Mulierem Dæmoniaco plenam spiritu liberam ad propria in pace restituisti.*

Ex Hymno ad Vesperas. 154

Adhuc Spoleto vehitur
Salutis desiderio
Languens qui sanus repetit
Ad propria cum gaudio,
De partibus Apuliæ
Profectus est Hydropicus
Et liberatus rediit
Ab omni morbo protinus.

Sunt qui dicant D. *Severum Cæsenatem* fuisse, ita scribit *Joannes Baptista Brixius* Medicinæ Doctor, & multæ lectionis homo patritiusque *Cæsenas*, neque ego in aliqua scribentium diversitate volo tanti Civis honorem patriæ detrahere, licet repugnet antiphonæ, quæ ad laudes paucis ab hinc annis dicebatur, quæ *Germanum* faciebat erat autem.

O proles Alemaniæ, Sanctitatis speculum Urbis Cæsenaticæ nobile depositum; intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Occurri tamen potest. Ejus opinionis fuisse, qui antiphonam eam scripsit. utrum autem ab initio ea scripta fuerit, an posteriore multo tempore non constare. *Filippus Ferrarius* Ord. Servorum in *Typographia sua ad Martyrologium Romanum:* Germanum ipse quoque facit. At *Rubeus* videtur *Ravennatem* facere verba sunt. *Severus Ravennas Diaconus.* potest applicari vox *Ravennas* Patriæ, & dignitati ut fuerit Diaconus Ecclesiæ *Ravennatis* non autem fuerit patria *Ravennas.* At modus dicendi potius patriam significat.

Sub hæc tempora *Fanum* Civitas, & *Cæsenæ* arx conflagrarunt id testante *Rubeo.* Scripsit *Andreas Agnellus*, qui Archiepiscopi *Agnelli* vitam scripsit, eorum prope temporum scriptor. Cum vero nulla in D. *Severi* nostri vita fiat tantæ rei mentio arbitror post mortem ejus accidisse: qui obiit anno 571. ut in aliquo nostro manuscripto legimus.

Lib. 3. Hist. pag. 171.

Anne-

155 *Annotatio de nomine Civitatis occaſione vitæ D. Severi.*

In *D. Severi* vita legimus antiquum Civitatis nomen fuiſſe *Flaviam Curvam Papiam*, atque ita nominatam tempore Sanctiſſimi ejus Epiſcopi, quod dictum occaſionem præbet de nomine nominibuſve Civitatis ſermonem ab initio repetere. Duo nos in hiſtoria agnovimus *Senæ* ante exciſionem, poſt reſtitutionem *Cæſenæ* nunc itaque de nuncupatione *Flaviæ Curvæ Papiæ* dicendum. Sentio ego non poſſe appellationem Civitati ſub tempora *D. Severi* accommodari nam vix dum Regnum *Gothorum* exciderat, ſub quo *Procopius* eorum temporum Scriptor non ſemel *Cæſenam* eam dixerat, nulloque alio nomine compellaverat. Sed vidimus prius quoque *Cæſenam*, & *Cæſenatum* ordinem à *Conſtantino* Imperatore Magni *Conſtantini* filio nuncupatum, & à *Quinto Cicerone* dum reſtituebatur. Veriſimilius eſt ſi ejuſmodi unquam nomine vocata fuerit, *Tuſcorum* ſub Imperio id fuiſſe. *Tuſci* ſane ante *Gallos* multam *Italiæ* partem poſſedere. *Livius* id teſtatur. *Hetruſci in utrumque Mare vergentes* (inquit) *incoluere urbibus duodenis terras prius cis Apenninum ad inferum Mare, poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, Coloniis miſſis, quæ Tranſpadum loca omnia excepto* Venetorum *angulo, qui ſinum circuncolunt Maris, uſque ad Alpes tenuere.* Poſſediſſe ergo etiam *Hetruſcos*, *Tuſcoſ*ve hanc Regionem ante *Gallos*, & *Senones* patet. Fert autem conjectura non fuiſſe locum, ac ſitum noſtrum ab invaſoribus, & occupatoribus neglectum. Quem molles colles, fæcunda, & lata planicies, & conterminum mare pulchritudine inſigni decorant, & omnigena rerum copia cumulant. Quocirca multum probabilitatis accedit manuſcripto cuidam noſtrati, quod refert à Duce quodam *Tuſcorum* conditum hic Oppidum fuiſſe. Quod poſtea *Flavius Papius Tuſcorum* Rex miſſa huc Colonia ampliavit, à ſeque *Flaviam Papiam* nominavit. Curvæ autem appellationem à forma ut antea quoque diximus obti-
156 nuit. Ego tamen non oppignero pro dicto in tanta antiquitate fidem: ſunt qui *Cameſenam* à *Cameſe* dictam aſſeverent; poſtea nomen ut in ſeculorum diuturnitate contingit in *Cæſenam* duabus ſubtractis literis contractum. at cum ex figmentis *Annii* opinio procedat, qui quoque alii loco *Cameſenæ* nomen non noſtro aſſignat, dimitto. Reſtat ut quod de nomine *Senæ* dixi noſtram ita Civitatem vocatam uſque ad reſtitutionem poſtquam à *Syllanis* diruta jacuit, rurſus ad incudem revocem. * *Cæſar Brixius* Civis noſter in ſua ad *Clementem Octavum* de Civitate hac relatione locum *Strabonis*, (cui ſententia mea præſertim innititur,) ipſe aliter vertit. *Strabo* loca numerans quæ in itinere *Romano* ſunt inter *Parmam*, & *Ariminum* hæc ſubinde nominat *Acaram*, *Rhegium Lepidi*, *Nacros*, *Campos*, *Cliternam*, *Forum Cornelium*, *Faventiam*, *Sinam* vel ut potius eſſe oporteret *Senam*. Omnia inconjuncta profert; ſolis poſtremis conjunctiones addit *Faventiæ* δὲ. *Senæ* Καί eſt ſcilicet græce Φαουενθία δὲ Καί σίνα. *Brixius* ergo ſyllabam Καί non arbitratur conjunctionem ſed partem nominis quod ex ipſa, & σίνα componeretur ſcilicet Καισινα, ſeu Καισηινα. & latine *Cæſena* at fallitur, neceſſum enim conjunctioni δε aliquam reſpondere conjunctionem, ſecus abſona omnino eſſet jugatio, eſſet enim *Faventia* vero ſive *Faventia*que *Cæſena*, quæ conſtructio ſignificaret *Faventiam* eſſe *Cæſenam* ipſam. ut neceſſe ſit δε. hic vel ſignificare que vel ſignificare cæterum, cui reſpondeat particula Καὶ. id eſt &, & ſit conſtructio *Faventia*que & *Sena*, ſeu cæterum *Faventia*, & *Sena* ſi δε interpretemur hic ſignificare (cæterum) & hic eſt conſuetus ordo, & progreſſus in plurium locorum enumeratione ſi inconjuncte reliqua proferantur, poſtrema conjunctione aliqua ut colligentur, conjunganturque. Eſt alia rurſus grammatica ratio; ſi enim Καὶ eſt pars nominis ex ipſa, & σίνα. reſultantis non ſuo ipſa accentu ſignaretur, & σίνα. ſuo hæc acuto illa gravi, ut in codice Græco ſignatas aſpicimus, ſed earum aggregatum unico notaretur. Torquebat ea cura *Brixium* ne Patria innominata reſtaret, at non viderat eodem quo à *Strabone Senæ* nomine à *Polybio*, & à *Livio* appellatam. Majoremque 157
multo ſplendorem ab ejuſmodi appellatione ſortiri quam ſi ex novo uſu non ex prioribus monumentis *Cæſenam* vocaviſſet. Ita enim indicat eſſe illam *Senam*, quæ ad Superum Mare Colonia privilegio immunitatis donata ab *Romano* Senatu, ac Populo. Eſſeque *Senonum* Regiam in octava *Italiæ* Regione in qua natio ea ſedem ſuam fixam, ac primariam *Plinio* teſte habuit, ex qua veluti ex fonte vires, & Imperii prolatationem effudit, & uſque ad *Uſentem* ad *Eurum*, & uſque ad *Atheſim*, & *Venetos* ad *Boream*. Subjectæ gentes hanc ut *Metropolim* agnovere. Huc ut ad ſupremum Tribunal confugerunt; *Ravenna* certe huic ſubjacuit, & ultro fatetur *Rubeus* in *Ravennate* Hiſtoria, *Ravennam Senonibus* ſubjectam fuiſſe proindeque & eorum Regiæ. verba ſunt. *Multis deinde poſt annis cum Galli in Italiam irrupiſſent, ut Livius memoriæ prodit Senones ab Uſente, ad Atheſim incolentes Ravennam etiam poſt Umbros tenuere, quod, & Polybius affirmat ſcribens inter Apenninum, & Padum primo Ananes, poſt Bojos, inde Euganeos, poſtremo Senones expulſis Tyrrenis juxta Adriaticum Mare extremos omnium Gallorum incoluiſſe, ut Ravennam à Senonibus habitatam affirmare poſſimus.* Hæc Hiſtoricus, & Civis *Ravennas Senam* vero fuiſſe Regiam *Senonum* Sedem ex ſuperiore Hiſtoria planum. Non decet ergo Civem *Cæſenatem* tanta gloria ſpecie pietatis patriam ſpoliare. Sat erat adverſus eam pertinaci ejus factorum ſilentio ſublimia ingenia quæ multa peperit per tot ſecula peccaviſſe. occaſionem noſtra taciturnitate præbuimus, ut eam ſcioli quidam, an potius neſcioli? Caſtellum dixerint. Qui ad *Procopii* Græcas Hiſtorias ſyllabum ſive indicem confecit inter cætera notat *Ciſina Caſtellum* 166. 255. quibus in locis *Procopius* de *Cæſena* noſtra loquitur, quæ tempore uſque *Melchiadis* Pontificis Epiſcopali dignitate ornata certe fuit, & prius non dubie. Indoctus ille Caſtellum vocat: at

* *Cæſar Brixius Civis noſter in ſua ad Clementem Octavum*] Reprehendi ibi *Brixium* de emendatione *Senæ* in *Cæſenam* iis rationibus, quas ſubjeci; nunc noto non à me eum reprehenſum ut opinionis authorem, quæ ſane prius fuit *Aldi Manutii*, ſed ut Civem, qui dum emendatione illa crederet favere patriæ, maximum eidem detrahebat ornamentum, neque idcirco expendi tum, quæ *Victorius*, & *Turnebus* dicant in aliqualem *Cæſenæ* depreſſionem, & quæ eis reſpondendo dicat in laudem *Manutius*, quæ enim ego in eodem quarti libri initio ſcripſi, & quæ de *Sena* prius, confirmant honorem, & exiſtimationem Civitatis, non ſolum ex commendatione *Manutii*, ſed etiam ex dictis parum amice à *Victorio*, & *Turnebo*. Nunc autem multo magis ab his proſequendis abſtineo, quod civis pariter noſter *Celſus Roſinus* vir præclarus, & inter Abbates Familiæ *Lateranenſium* Canonicorum doctrina, eruditione, & moribus conſpicuus hanc ipſam de Nomine *Senæ* ſententiam, quam ſummopere probat, confirmare inſtituit: relinquo ergo docto Viro, & antiquitatum noſtrarum conſultiſſimo opus dum in labente ætate alia me ad ſe trahunt: idem, quæ de Epiſcopis *Joanne* primo, & *Gebizone* ſcripſi, ſuggeſſit.

at erroris occasio homini parum accurato fuit quod *Procopius* vocat eam non semel græce φρȣ́ριον quod nomen cum plura significet. Interim locum munitum sive Civitas sit, sive Castrum;
158 interdum Castellum ipsum significat hinc deceptus indicis confector antiquissimam Civitatem Castellum dixit. Non dixisset si vel parumper geographiæ vacasset, vel historiæ: cum in Itinerario *Antoninus* non semel Civitatem appellet, & in Geographia *Ptolemæus*. Hæc de nomine *Senæ* dixisse, iterum volui, cum jam & in Apparatu dixerim. Sed cur non notem errorem *Leandri Alberti* ubi de *Sena Tusca* loquitur qui *Senensem* Coloniam *Senonibus* conditam *Senam Hetruscam* exponit. Fallitur ipse, & falluntur, quos sequitur præsertim dum dicunt in bello adversus *Romanos* eam condidisse. *Senones* à *Camillo* pulsi domum fracti redierunt. In sequentibus postea adversus *Romam* bellis in *Campaniam*, vel in *A-*

A *puliam* recessere; nunquam in *Hetruriam*. *Senensem* Coloniam ad Superum mare fuisse vacationis, & immunitatis concessione firmatam ex *Livio* patuit, & nos antea late exposuimus. Ad illud mare non ad inferum habitavere *Senones*. ad illudque *Senam* ædificavere in angulo littoris *Veneti* cum *Apennino*, non æstimando geometrica rem subtilitate (neque enim *Apenninus* cum mari jungitur) Et condiderunt ad littus inter *Fanum*, & *Anconam Senegalliam* novum gentis, & nationis monumentum; dum à *Gallis* conditam, & à *Senonibus* eodem nomine significarunt. Supinus
D omnino error *Leandri* cum dicit *Senam Hetruscam* esse quam *Polybius* dicit à *Senonibus* ædificatam, loca *Polybii* antea adduxi in apparatu. *Gotifredus*, ac *Polycarpus* quos adducit in eodem errore versantur. Errorem esse superiora indicant.

FINIS LIBRI QUARTI.

159

LIBER QUINTUS.

REDEO nunc ad *Romanos*, qui gravibus querelis, & impotenti animo debacchati pro decore antiquo, turpiorem adhuc subjectionem: pro opibus, & divitiis pristinis, suarum rerum, & suorum hominum miseram stragem peperere. Res vero hunc in modum se habuit. Pertinet autem ad universam *Italiam*, & singulas ejus Civitates enarratio. Querelæ *Romanorum* ad Augustum, & ad *Sophiam* uxorem summa fuit. Ea se à *Narsete*, & à *Græcis* sub ejus magistratu pati, quæ nunquam à Barbaris passi sint, sub quorum Imperio multo satius fuisset permanere quam sub dira improbi Eunuchi administratione coerceri. Ea vero spe recreari quod cum optime sciant hæc nondum esse Augustæ eorum Majestati, ac pietati nota, confidunt statim atque innotuerint, tantæ Civitati,
160 tamque devotæ opem laturos, Ejusmodi querelis commotus *Justinus* confestim *Longinum* præfectum *Narseti* submisit: *Narsetes* vero tam subita novitate perculsus timore, atque ira pravis consultoribus usus *Longobardos* quibus cum magna ipsi necessitudo intercedebat, & quorum præcipue opera *Totilam* vicerat ad occupandam *Italiam* sollicitavit hortatusque est, ut *Panoniæ* saltibus relictis felicia *Italiæ* rura, & Civitates omni bono refertas suas facerent. Hominem impotentem & sua ob merita tumentem tum Imperatoris factum commoverat, tum *Sophiæ* dictum valde pupugerat. *Rediret ut in gynæceo puellis tanquam Eunuchus lanarum pensa distribueret.* Qui respondit *eam se telam orsurum quam nec ipsa, nec maritus possent detexere.* Fuit hæc postrema pristinæ *Romanæ*, *Italicæ*que felicitatis commutatio, & catastrophe. *Longobardis* genti penitus feræ, & barbaræ, & Religionis experti, qui circumlatum Capræ caput pro numine adorabant, dari direptum. Verum peccata enormia rebus florentibus perpetrata Divinam justitiam provocaverunt. Fuerat *Roma Babylon* illa, quam D. *Joannes* in Apocalypsi adeo detestatur. Fuit ergo Divinæ justitiæ tot ulcisci scelera. Sed est etiam Divinæ pietatis adversa immiscere secundis. Humanus enim animus afflante fortuna velis extensis in vitiorum syrtes impingit, & demergitur: at reflante, vela contra-

C hit, & ad sui cognitionem tanquam ad secura vada retrahitur. At si unquam eminuit mortalium oculis Dei ad affligendum consilium, flagellum scilicet à Divino ipso Numine immissum esse in *Longobardorum* invasione potissimum patuit: stravit enim adventuris viam prævia illa ac sævissima pestilentia, quam *Paulus Diaconus* miserandum in modum describit, est vero descriptionis conclusio. *visus oculorum superabant cadavera mortuorum. Pastoralia loca versa sunt in hominum sepulturas, & habitacula hominum facta fuerunt confugia ferarum, & hæc mala intra Italiam tantum usque ad fines Alemanorum, & Bajorariorum soles Romanis accidere.* Hæc ille. Exhaustas ergo
D gente reddidit funestissimus morbus *Italas* Civitates ut scilicet paterent urbes destitutæ defensoribus Barbarorum furori. Anno itaque quadrin- 161
gentesimo sexagesimo octavo *Longobardi* sub Rege *Alboino* ex *Panonia*, quam 42. annis incoluerant: *Italiam* proxima peste funestam, & juncta penuria, & fame pesti afflictam invasere. Præerat *Italiæ* toti pro *Justino Longinus*, cujus Præfectura Exarchatu nomine nuncupabatur. At brevi invalescentibus *Longobardis* bipartitum est *Italiæ* Imperium: magnam enim ejus partem *Longobardi* sibi vendicavere. In *Transpadana* primum Regione Imperium constituere cujus Sedes *Ticinum*. Retinebat tamen multa ultra *Padum* Exarchus *Paduam*, *Monselicem*, *Mantuam*, *Cremonam*, *Voltureniam*, *Novum Comum*, & nonnulla
E loca in *Taurinis*: Cætera *Transpadana* occupaverant sub *Alboino Longobardi* sed etiam cis *Padum* loca *Placentiæ* occidua obtinuere. Præterea *Apenninum* transgressi *Tusciam* fere omnem excepta *Roma* ceperunt. Reliqua *Italiæ* loca Exarcho parebant, qui in singulas Civitates singulos Duces *Græculos* in Urbem etiam, qui regerent mittebat, & *Romani*, qui fastidiebant *Narsetem* inferiores tanto ministros tolerabant nedum, sed tanquam cœlitus demissos suscipiebant. Terror enim *Longobardorum* dejecerat animos ut *Græcum* auxilium demisse deprecarentur. *Alboino* regnante provincia hæc *Æmiliæ* periculum a Barbaris ut remotum spectabat, tum ob locorum distantiam, tum ob residentis in ea Exarchi præsidium. *Alboino* mortuo, qui parum in *Italico* Regno triennium fraude uxoris occisus superavit, successit *Clefis*,

Anno Christi 468.

Longobardorum invasio.

Clefis, qui in *Æmiliam* ex *Tuscia* transmisso *Apennino* penetravit. *Forumque Cornelii* à *Narsete* dirutum, restituit, ut esset ceu *Ravennæ* obex. Cur autem *Narses* in eam Civitatem sævierit, quæ facile *Græcos* sub *Joanne Vitaliano* cui *Cæsena* restiterat, recepit non video, neque scriptores dicunt. Tum autem *Imolæ* nomen est consequuta. *Ariminum* pariter, & *Classem* Oppidum per ejusdem *Apennini* tramites, & convalles aggressus est, & cepit. Mortuo intra biennium *Clefi* ipse quoque ex insidiis domesticis *Longobardi* pro Rege triginta Duces elegerunt singulis singulas Civita-
162 tes regendas tradendo. *Feroaldus* ex illis classem *Ravennæ* oppidum obtinuit. Ex eoque loco plurimum *Ravennæ* negotiis facescebat. Oportebat autem ex propinquitate damnis forte sed periculis certe subesse *Cæsenam* cum præsertim *Ariminum* etiam finitimam Civitatem hostes occuparent. Par quoque à classe periculum propter parem distantiam *Foro Pompilii*, *Foro Livii*, & *Faventiæ*, sed *Faventiæ* propter *Imolæ* vicinitatem perturbatior adhuc status, ut in vigilia quadam, ac statione militari hæc Civitates in reliquo *Longini* magistratu fuerint, quindecim autem Annos *Longinus* magistratum sustinuit. Ipso autem amoto ut impare oneri novum Exarchum huc Imperator *Mauritius Zmaragdum* virum multo aptiorem militiæ misit, qui brevi classem *Venetorum* Classe adjutus recuperavit, expulso, & occiso *Feroaldo*: plures etiam alias Civitates recepit ut protulerit Exarchatus fines, & Provinciam tutiorem reddiderit. Tres Annos imperavit *Zmaragdus*, elapso autem triennio missus est *Romanus* tertius Exarchus ab eodem Imperatore *Mauritio*. *Romanus* Patritius erat, & ab initio strenue se gessit unica enim æstate armis recuperavit *Sutrium*, *Polimartium*, *Hortam*, *Tudertum*, *Ameriam*, *Perusiam*, *Luceolum*, & complura alia Oppida, & Castella. Deinde vero nihil opis tulit *Romæ* misere à *Longobardis* vexatæ, ut D. *Gregorius* deplorans describit. Præstat ad clariorem intelligentiam Regum *Longobardorum* breviter seriem ad id usque temporis referre. Post ergo *Clefim* qui secundus Rex fuit, *Alboino*que ut antea dixi successit, *Longobardis* placuit pro unico Rege dispertitos habere Duces, quos triginta constituere. Decem hi Annos Rempublicam administravere, at mutato consilio Regem rursus eligere decreverunt *Autharem*que *Clefis* filium elegere; erat is Annus ab ingressu in *Italiam Alboini* decimus quintus qui Annus incidit in *Longini* finem, & *Zmaragdi* principium. Interim vero triginta Duces, & Imperium extenderant, & *Italiam* misere afflixerant iniquissimi in res, sævissimi in homines: in Sacerdotes autem, in templa, in sacra omnia, & demum in totam Christianam Religionem impii, & nefarii. Prolata-
163 tio vero *Longobardorum* Imperii ea fuit ut præter *Romam*, & memoratas antea Exarchatus Civitates nihil Imperatori relictum fuerit exceptis tractibus, qui a *Neapoli* ad *Mamertinum* fretum: à *Siponto* ad *Hidruntem*: à *Benevento* in *Calabriam* extenduntur. Facta vero *Zmaragdi* sub primo *Autharis* triennio fuere. Ad initium ergo Anni ejusdem regis quarti tertius Exarchus advenit *Romanus* nomine, dignitate Patritius. Eodemque anno tot, quot, enumeravimus Civitates, & loca recepit. verum erat *Autharis* implicitus bello bis à *Gallis* illato. At repulsis, & pacatis *Gallis* non in *Æmiliam*, & Exarchatus partem hanc contendit, sed per *Tusciam*, & *Umbriam*, ac *Spoletum* pervenit *Beneventum*, & inde *Rhegium* usque pervasit. *Authari Agilulphus* Anno Christi 590. successit cujus Regni Anno secundo D. *Gregorius* in Pontificem assumptus fuit. In-

Smaragdus. Secundus Exarchus.

Paulus Diaconus lib. 3. cap. 16.

A terim sæviebat atrox illa pestis, quæ *Pelagium* Pontificem D. *Gregorii* decessorem peremit, & *Romam* miserandum in modum afflixit. Soli demum sanctitati D. *Gregorii* institutisque ab eo precibus, quas populus in ordines suos distributus devote recitabat, demum cessit. Præcesserat pestem in tota *Italia* eluvio quæ post universi Orbis diluvium in sacris litteris expositum omnium maxima habita est. *Tibris* egressus ripis ad editiores usque Urbis partes ascendit maximamque serpentum vim, & inter illos ingentem, & enormem Draconem ad Mare devexit. consequuta pestis videtur *Italiæ* universæ non secus, ac eluvies
B communis fuisse: at *Romæ* funestior. Cum à Scriptoribus una ejus Civitatis pestis exaggeretur. Et forte hæc ea est, quam Paulus Diaconus his verbis refert. *Hoc Anno* (inquit) *fuit pestis inguinaria iterum apud Ravennam*, *Gradum*, *& Istriam gravissima ut etiam prius ante triginta Annos extiterat*. Oportet autem tum nostras has finitimas *Ravennæ* Civitates, vel eodem malo perculsas; vel summo saltem in timore vixisse. Interim tamen toto *Zmaragdi*, & *Romani* tempore Provinciæ hæ *Æmilia*, & *Flaminia* nullam ab hoste *Longobardo* molestiam passæ sunt, decenni *Romani* Exarchi Magistratu, quem morte fini-
C vit. *Callinicus* quartus Exarchus successit. Mu- 164
tatio Exarchi D. *Gregorium* recreavit *Romano* jure merito infensum: toleraverat enim ingentes *Romani* territorii clades. Forte à Sanctissimo Pontifice aversus frustraque ejus saltem implorato auxilio; forte in arcanis id mandatis habebat ab Imperatore *Mauritio* parum Pontifici æquo. *Callinicus* ab initio pacem cum *Longobardis* servavit. Regnabat tum *Agilulphus*, quem *Theodelinda* prius *Autharis* uxor in maritum, & in Regem (*Longobardis* ita permittentibus) elegerat. Adversus hunc Regem suspicionibus potius addu-
D ctus; quam injuriis provocatus *Callinicus* movit, & *Mutinam* parvum tum locum, & *Rhegium*, & *Parmam*, quas Civitates occupaverant *Longobardi* (quando vero, non legi) facile omnia Anno sexcentesimo primo recuperavit, & *Parmæ* captivos fecit *Godiscalcum Agilulphi* Regis generum *Parmæ*que Ducem, & uxorem Regis filiam eosque *Ravennam* adduxit. Iratus, & merito ob violatam pacem *Longobardus* magno apparatu exercitum instruxit, quo Civitates *Transpadanas* eousque sub Imperatoris ditione permanentes aggressus *Patavium*, *Monselicem*, & anno sequenti *Cremonam*, & *Mantuam* expugnavit, & *Volturenian* deditione accepit. *Patavium* vero non
E contentus occupatione combussit. Ejusdem Regis jussu *Ariulphus* Dux *Spoleti*, & *Tusciæ Longobardorum* dispertitis copiis, & *Romanum* agrum, & *Ravennatem* nimirum nostrum quoque per quem transire oportebat late populatus est, ut hostilia damna perferre, & armis se defendere hæc loca cogerentur, tum eo anno, tum sequenti, quo idem *Ariulfus* acrius, & hanc Regionem, & *Romanam* vexavit. Secunda vero hæc vexatio sub *Zmaragdo* rursus exarcho fuit. Imperator *Mauritius Callinico* iratus quod *Longobardos* provocaverit, nec potis fuerit Imperii
F postea tot, tantaque loca defendere illum removit, *Zmaragdum* remisit. Qui huc reversus vires hostiles cum suis conferendo diffisus armis pacem quæsivit; commoverat *Zmaragdum*, quod *Agilulphus*, & *Ariulphus* dimissa Regione *Romana* toti in Exarchatum prominebant. Territus itaque Exarchus consilia pacis iniit suadente summo 165
Pontifice *Gregorio* Sancto: ipsoque intercedente ut literæ ejus ad *Theodelindam* Reginam conjecturam præbent, pax coaluit, ea tamen conditione, quam implevit *Zmaragdus* restituendi cum *Par-*

Callinicus 4. Exarchus.

Sigonius lib. 1. sub Anno 601. & 602.

Parma generum, & filiam Regis cum bonis eorum omnibus quæcunque asportata fuere. *Paulus Diaconus* scribit inducias fuisse usque ad Kal. Aprilis Anni 605. sub hæc tempora quæ fuerit Episcoporum *Cæsenæ* series præstat exponere. Post D. itaque *Severum* qui anno 571. obiisse dicitur fuit *Florius*, qui adfuit Concilio sub *Agathone* Pontifice adversus Monothelitas celebrato Anno 580. quæ fuerit ejusmodi hæresis etymologia vocis indicat Monos μονός est idem atque solus, & ideo unus, & thelesis θέλησις voluntatem significat, ut monothelitæ fuerint, qui unam in Christo voluntatem asseruere non duas quot vere sunt humana, & divina: neque enim natura humana sine anima humana, & rationali esse potest, neque anima humana sine appetitu suo, qui est voluntas. De voluntate enim Divina ne hæretici quidem dubitavere. *Macarius* Episcopus *Antiochenus* fuit hæresis, vel author, vel novator. Is autem una cum secta damnatus est hæresis in 6. generali Synodo actione quarta in quam inserta est Synodus *Romana* sub *Agathone*, cui adfuit (ut dicebam) *Florius Cæsenas* Episcopus eique subscripsit statim post *Victorem Bononiensem* Episcopum hunc in modum. *Florius* Episcopus Sanctæ Ecclesiæ *Cæsenatis* in hanc suggestionem. Post *Florium* Ecclesiæ huic præfuere *Concordius*, & *Natalis*, quorum mentio habetur in D. *Gregorio* in *regesto lib.* 12. *epist.* 1. qui locus est ad rei, de qua agitur, & ad antiquitatis intelligentiam importandus, scribit Sanctissimus ille Pontifex *Mariniano Ravennæ* Archiepiscopo (Episcopum autem appellat Pontifex) hæcque ejus verba sunt. *Fortunatus itaque lator præsentium in monasterio SS. Laurentii, & Zenonis, quod in Cæsenati Castro est constitutum à Natali quondam Episcopo officium quondam Abbatis sibi asserens esse commissum; nunc se à successore ejus Concordio nulla existente causa aut culpa exinde remotum atque alium in loco suo quæritur esse ordinatum. quod etiam coram testibus quibusdam*
166 *Diaconibus nostris presente Diacone predicti concordis Episcopi sui causas allegante ex parte ita esse præclaruit. Sed quoniam certior in partibus illis ubi res acta est, potest esse probatio fraternitas tua diligenter, ac sollicite hoc studeat perscrutari.* Colligimus ex his *Concordium* tum cum D. *Gregorius* ad *Marinianum* scribit vixisse. *Marinianus* autem ex *Rubeo* ad Ecclesiæ *Ravennatis* regimen anno 595. evectus anno sexcentesimo sexto moritur. ut *Concordius* facile post sexcentesimum annum Ecclesiæ nostræ præfuerit. Intercesserit vero inter ipsum, & *Florium Natalis*, qui *Fortunatum* Abbatem fecit, at *Concordius* rejecit in manuscriptis nostris *Concordius Tarvisinus* dicitur, & *Natalis Utinensis*. Verum quod ad antiquitatis cognitionem pertinet oportet tum unicum fuisse S. *Laurentii*, & S. *Zenonis* monasterium fuisseque in parte superiore Civitatis quæ nunc usque *Murata* antiquo nomine dicitur quæ superior pars situ, & munitione Arcem, ac Castrum Civitatis repræsentabat, & dicebatur; at postea divisæ fuerunt horum Sanctorum ædes adeo ut Ecclesia D. *Zenonis* in suburbio ab ejus nomine dicto fuerit ædificata ubi mea quoque ætate ruinæ Templi visebantur, nunc autem in ejus ruderibus excitata proxime fuit, & Sanctissimæ Virgini dicata Ecclesia, cum jam pridem intus Civitatem Divo eidem fuerit Templum ædificatum à quo via S. *Zenonis* Troua denominatur. Prior locus extra Civitatem *Casa Rosata* vulgo dicitur. D. *Laurentii* Templum ad *Sapim* fuit translatum quousque porrigebatur suburbium ab eodem Sancto nuncupatum, ibique in egregiam molem extructum, & *Camaldulensibus* monachis una cum multis reditibus sub Abbatiæ titulo assignatum.

Tom. 3. Concil. p. mihi 243.

A At jussu demum pontificio fuit Abbatia *Cæsenati* Episcopo in perpetuum Anno 1460. tempore *Antonii Maletestii* Episcopi unita, quæ unio rursus tempore *Joannis Venturellii* Episcopi confirmata fuit. Cumque *Sapis* partem Ecclesiæ demolitus pro sua incostantia esset, in eundemque statum sacram D. *Michaelis* ædem adduxisset utraque fuit jussu *Petri Vincentini* Episcopi sublata, quod idem proximis annis de D. *Nicolai* Ecclesia Antistite *Adoardo Gualando* contigit: cum enim in edito ipsa loco sita esset, & ad tumuli radicem flumen se se extendisset metu ruinæ Episcopi ejus jussu, diruta est, 167
B & ibi ad rei memoriam columna erecta. At ad pacem inter *Græcos*, & *Longobardos*. Sive ea pax fuerit, sive induciæ, duravit annos octo supra triginta: toto scilicet tempore reliquo *Zmaragdi*, & trium sequentium Exarchorum *Joannis Lemigii*, *Eleutherii*, & *Isacii*. Fuit interim quies à *Longobardis*: attamen aliquæ in Provincia turbæ. Nam *Joannes Lemigius* fuit tumultu populari à *Ravennatibus* in palatium irrumpentibus occisus una cum judicibus, quos secum duxerat universis. Provocavit Populi furorem superbia viri, atque onerum solito graviorum impositio. Sufficitur ab *Heraclio Eleutherius* sibi à cubiculo
C eunuchus quidem, sed rei militaris admodum peritus. Is statim atque *Ravennam* venit severum judicium adversus Exarchi interemptores exercuit, & quoscunque delicti reos repperit pœna mortis affecit, cæterum, & ipso imperante, & duobus sequentibus, & qui eum sequutus est *Isacio* arma cessarunt: successit *Theodorus Calliopa* anno 642. hic etiam primis octo magistratus annis pacem cum Rege *Longobardorum*, tum *Rothari* servavit. Sed anno circiter 650. non sine magno damno arma movit: causa vero fuit *Ariana* hæresis, quam mirum in modum *Rotharis* fovebat. Fuit hic filius *Arioaldi* sexti Regis, qui *Adualdo* Regi, *Agilulphi* filio expulso, fuit à
D *Longobardis* suffectus. Fuit itaque *Rotharis* septimus *Longobardorum* Rex: hic patris errorem sequutus nedum est, sed pro virili provexit ut in quaque Civitate *Longobardis* subjecta jusserit præter catholicum Episcopum etiam *Arianum* esse. *Martinus* ergo primus, inter Sanctos deinde relatus, omni studio, & opera contendit ad Catholicam Ecclesiam, & Regem revocare, & gentem. At frustra cessit tum Pontificis, tum Exarchi quoque cum Pontifice conspirantis conatus: usus est itaque Pontificis etiam consilio *Theodorus* armis; at Exarchatus milites, & *Romani*, qui advenerant, & meliorem causam tue-
E bantur victi multique occisi: timor, & dolor nostris ex clade. At timor cessavit: Quod victor in *Liguriam* non in *Æmiliam* arma vertit, eamque obtinuit, cæterum nullum hic bellum, sed quies suspecta usque ad *Grimoaldi* Regnum, verum 168
enim vero Exarchus *Calliopa*, qui Arianæ se hæresi infensum, & Pontifici junctum præbuit pro hæresi Monothelitarum adversarius acerrimus eidem Sanctissimo Pontifici fuit. Verum clarior erit hoc modo narratio. Imperator *Constantinus* Monothelitarum hæresi infectus adeo fuit, ut conatus per Exarchos sit Pontificem ipsum Summum, vel dolo, vel vi in eum errorem ducere,
F sique prorsus repugnaverit, vel vinctum *Constantinopolim* transmitti, vel interfici jussit. Cum ejusmodi mandatis *Calliopæ* revocato *Olympium* suffecit, qui *Romam* profectus, idque conatus, non est voti compos factus. Rursus ergo Imperator *Calliopam* Exarchum misit, qui felicior *Olympio* in impietate fuit: nam in vinculis *Martinum* habuit Sanctum Pontificem, atque vinctum *Constantinopolim* amandavit; unde in *Pontum* relega-

Exarchi post Zmaragdum Jo. Lemigius. Eleutherius. Isacius.

Sigonius lib. secundo.

Theod. Calliopa Exarch.

Anni 642. 650.

Olympius Exarchus.

legatus brevi moriens æternam in Cælis Beatitudinem; in terris gloriosum Sanctitatis epithetum est assequutus. Imminuit ergo tum Exarchatus Populis ab infectis Magistratibus hæreticæ labis periculum. Credo tamen invictos in recta fide permansisse; nam milites Exarchatus paulo prius ad tutelam Summi Pontificis *Romam* ultro iverant adversus insidias *Zachariæ* protospatarii à *Justiniano* secundo missi, ut Pontificem hæreticis dogmatibus repugnantem, vel assentire cogeret, vel comprehenderet, & vinctum *Constantinopolim* mitteret. Attamen is zelus in militaribus his hominibus veræ Religionis fuit, ut adversus Imperatorem, cui militabant, & adversum primarium ministrum, ejusque jussionem iverint, Pontificemque defenderint: non tamen æque constantes in *Ravennatis* Archiepiscopi schismate, se se à primatu Ecclesiæ *Romanæ*, & universalis subtrahentis. Ad Civitatem nostram pertinet rem aliquanto latius exponere. *Maurus Ravennæ* Archiepiscopus trigesimus sextus ad *Romanam* Synodum sub *Martino* Papa misit, qui suo nomine *Romanum* Pontificem ut primum, & universalem agnoscerent suamque illi subje-
169 ctionem referrent, missi fuere *Maurus Cæsenæ* Episcopus, & *Deus dedit Ravennas* Sacerdos: coacto ergo Concilio, quod centum, & quinque Episcoporum fuit. Postquam *Martinus* Pontifex, qui primus dicere auspicatus est, finem dicendi fecit, *Maurus Cæsenas* Episcopus nomine etiam *Deus dedit* collegæ sui ita loquutus est. *Suggerimus Sancto Apostolatui vestro quia secundum vestram* (Penes Rubeum.) *prudentissimam interloquutionem omnibus luce clarius, manifesta sunt, net cuilibet ignotum orthodoxorum, quæ per tot tempora illicite, tum à Cyro, Sergio, Pyrro, & Paulo, contra quos justæ pro hoc quærimoniæ vestræ Apostolicæ, Sanctæ Sedi à Fidelibus, & Zelum habentibus Deo oblatæ sunt, Qua de re venerator Sancti Apostolatus vestri Maurus Sanctissimus Episcopus certius hæc eadem per apocrysarios suos cognoscens omnino desiderium habuit Sancto Concilio advenire, ideoque satagens direxit nos ad sacra vestra vestigia videlicet ut voces ejusdem per nos ipsos in omnibus, quæ in hoc Sancto Concilio regulariter peraguntur adimplere debeamus, eo quod necessariis utilitatibus occupatus ad præsens minime valuit secundum vestram præceptionem prospectui vestro repræsentari, ideoque propriam Epistolam pro tali re una cum scriptione ejus præ manibus habemus, per quam nostras personas in his: quæ aguntur pro se confirmare dignoscitur. Significans, & ipsas occupationes pro quibus minime valuit advenire, sed si placet vestræ Beatitudini, petimus ut ante omnia coram hoc Sancto Concilio recenseatur, & actibus inseratur. Martinus* Sanctissimus, & Beatissimus Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ Urbis *Romæ* præsidens Sancto Concilio dixit. Secundum postulationem *Mauri* Episcopi *Cæsenatis*, & *Deusdedit* presbyteri *Ravennatis* subscripta epistola per eos oblata Reverendissimi Episcopi *Ravennatis* Ecclesiæ suscipiatur, & huic Sancto Concilio lectione pandatur. Cumque suscepta fuisset à *Paschale* Notario regionario Apostolicæ Sedis in his relecta est.

Domino Sancto, & merito Beatissimo totoque Orbe Apostolico, & universali Pontifici *Martino* Papæ *Maurus* servus servorum Dei Episcopus.

170 *Unum omnibus, & singulare est Redemptoris Dei, & Domini Nostri Jesu Christi concessum remedium ad animarum nostrarum salutem, ut ea, quæ per Apostolorum prædicationem percepimus, & patrum doctrinam procul dubio teneamus. Ergo quia Apostolatus vestri præceptionibus admonitus, ut pro his, quæ adversum eorum doctrinam commentata*
A *sunt, debeam ad Sanctam, & Apostolicam Ecclesiam, vestramque præsentiam reperiri, & una cum cæteris Episcopis, quæ de his patres præcipiunt, debeant terminari, neque etiam præparatus. Dum ab exercitu, & plebe hujus Civitatis, vel etiam* Pentapolitanorum *detinear pro incertis Gentilium excursionibus, & non se habentibus præsentia excellentissimi Exarchi ad hanc suggestionis meæ satisfactionem venire compulsus sum. Quod cum summo mærore satisfaciens supplico ut me non sicut absentem, sed ut præsentem, & festinantem suscipere Apostolatus vester dignetur. Nam in his, quæ moventur, & contra Patrum orthodoxorum decreta pro-*
B *ponuntur, me non aliter sentire nisi quomodo sancta vestra Apostolica doctrina, & orthodoxa tenet Ecclesia: & omnem novitatem repellens, atque respuens non solùm ecthesim quæ à Pyrrho Constantinopolitano Episcopo defendebatur abjicio: quippe quia ut hæretica de ædibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ est deposita; sed & quæ ad ejusdem defensionem noviter conscripta sunt, omnimodo nec consentio, nec suscipio, sed cum anathemate repello, sed, & duas operationes, duasque voluntates profiteor, & Deum, & hominem Dominum Jesum Christum per Spiritum Sanctum in utero Virginis conceptum, & natum in duabus naturis verum Deum, & hominem*
C *in una persona utraque operantem, quæ Deitatis, & humanitatis sunt, tenere me profiteor, nec aliud quam quod Sanctas quatuor universales Synodos invenimus prædicasse, & quintam sub piæ memoriæ Justiniano suscipere. Sed solam fidem à Patribus constitutam, per quam verum Deum, verumque hominem totum in suis; totum in nostris prædicaverunt, omni constantia profiteri. Ad quod hanc satisfactionis meæ suggestionem per consamulos meos Maurum Cæsenatem Episcopum, & Deusdedit presbyterum dirigere non omisi eosque vice mea, ut* 171
quicquid adversus Ecthesios, vel alia conscripta ad ejus defensionem noviter commentata descripserunt, me sine dubio esse conservaturum. Et subscriptio.

D Ora pro me Domine Sancte, & meritis Beatissime totoque orbe Apostolice Papa. Insertæ autem actis Concilii ejusmodi approbante Pontifice, & assentiente Concilio. In alia postea sessione octavo Idus Octobris habita Episcoporum nonnullorum abbatumque & sacerdotum Græcorum damnantium *Cyrum*, *Sergium*, *Pyrrhum*, & *Paulum* libelli lecti sunt: tum rursus *Maurus Cæsenas* Episcopus subjunxit. Congruum est secundum quæ nobis relecta sunt per suggestionem *Sergii Capuensis* insulæ *Archadii* Episcopi de personis, quæ ab ipsis sunt accusatæ propter eorum introductam novitatem, ut hoc, quod ex persona
E Domini à Beato *Hieremia* dictum est, & nos competenter dicamus. Obstupuit Cælum super hoc, & tribuit in amplius terra, quoniam duo mala fecerunt contrarii. Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas contritas, quæ non valent continere aquas. Cisterna namque contrita est omne verbum ex quadam hominum adinventione compositum in allegationem erroris, quæ ab orthodoxis facile, velut aranea dissipatur non enim de fontibus salu-
F tiferis spiritaliter ad acquisitionem æternæ procedit. Atque ideo competenter nos Beatus *Paulus* Apostolus præmuniens ait non debere plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem in definitione pietatis perdurantes. Qui enim hanc prætererierunt non tantum læsi sunt, decidentes a corroboratione sua, sed & insipientiæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, in quibus peccaverunt, nec latere potuissent. Gloria enim, & contumelia in loquela, & in lingua hominis casus est illius, ideoque conveniens est hanc quidem. *Suggestionem ad ostensionem*

reprehensæ hæreseos nostris actibus inseri: nec enim fas est supplicum Apostolicæ sedis inscripto, & sine scripto precationes oblatas despicere, sed ut condecet cum omni probitate contrarii, & veluti paleati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem in communi exercentes efficere de maturis, & nutrientibus Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis per participationem pa-
172 *ternarum institutionum.* Hæc *Cæsenas* Episcopus in Concilio ubi interfuere: subjuncti itidem Archiepiscopatui Episcopi *Boethus Corneliensis*, *Bonus Ficoclensis*, *Donatus Sassinensis*, *Leoncius Faventinus*, *Joannes Vicohabentinus*, *Galionistus Hadrianus*, *Stephanus Popiliensis*, *Crescentius Liviensis*, *Luminosus Bononiensis.* Hanc ergo justam reverentiam *Maurus* Archiepiscopus *Ravennas* summo Pontifici, & Legatis missis, & literis scriptis exhibuit ut universali Pontifici, attamen adeo suadente Dæmone, & surgente ambitione post hæc mutatus est, ut ab obedientia ejusdem *Romani* Pontificis desciverit tanta pertinacia, ut in schismate quoad vixit, permanserit; sicut & successor ejus *Reparatus.* Successit *Reparato Theodorus*, qui à duorum decessorum suorum fastu, & petulantia abhorrens *Romam* profectus Summo Pontifici, tum erat *Agatho* se Ecclesiamque subjecit, vel subjectam esse & fuisse professus est. Perduravit Schisma annos octo supra triginta, quo anno *Theodorus* se submisit, in eadem obedientia *Damianus* successor *Theodori* perseveravit, qui ad annum usque 702. vitam produxit. at *Felix* in ejus locum suffectus, cum ab initio debitum Pontifici obsequium præstitisset. Ex petitione deinceps pensionis solitæ offensus à jurisdictione Pontificis toto Orbe suprema se subduxit. Pontifex omni officio, & lenitate conatus est hominem ad sanitatem reducere, at cum omnia in cassum cederent, demum de *Felicis* vesania est cum *Justiniano* Imperatore conquestus: qui rei indignitate commotus jussit *Theodoro* militum *Siciliam* tuentium, tum Primicerio, ut *Ravennam* adiret, & *Felicem* Pontifici satisfacere cogeret, *Ravennates* tumentes animis eo quod scilicet tum Exarchorum sedes antea Regum *Gothorum*, & nonnullorum prius Imperatorum *Ravenna* fuerit dedecere arbitrabantur occæcati fastu si Antistes suus *Romano* Antistiti cederet. Faciebat etiam animos, quod existimarent *Longobardorum* Regem, & *Aquilensem*, ac *Mediolanensem* Antistites
173 parum Pontificiæ majestati favere. Ea *Ravennatum* animos irritabat consideratio, quod tum *Gothi* Reges, tum Exarchi universæ *Italiæ*, & *Romæ* hi imperitarent, & illi imperitassent tantique imperii *Ravenna* fuerit sedes; his accensi Cives adhuc concione *Felicis* amplius commoti nullum sanum consilium Exarchi præsertim admisere animo; qui tamen periculum ab Imperatoris ira ut magnum, ut imminens illis repræsentabat. Credere sane par est Imperatorem locum primo dedisse admonitionibus, & minis antequam arma pararet, victus tandem pertinacia, & *Felicis*, & *Ravennatum*, qui præterea interpretabantur pensionis quantulæcunque solutionem esse authoramentum servitutis, portamque aperiri Pontificum cupiditati onera subinde graviora pro arbitrio Provinciæ imponendi, quæ causa, & suspicio præsertim arbitror universæ Provinciæ proposita ab omnibus Civitatibus auxilia magna obtinuere. Provinciæ hujus in quam usque ad *Longobardorum* tum fines tot autem, tantasque copias suppeditavere, quot quantasque his seculis nullomodo suppeditare possemus. Id pro conjectura repeto populos Summo Pontifici adeo obsequentes, ut proxime diximus suspicione tamen ne onerum novorum impositioni succumberent eodem voto omnes Civitates ad *Ravennatum* defensionem magnas copias misisse. placet verba *Blondi*, subjicere qui ex *Andrea Agnello* propinquo illis temporibus Scriptore hæc in summam contrahit. *præsciverunt ejus Theodori, adventum Ravennates, & defensionem paraverunt cujus descriptio ab Agnello, qui propinquus illis temporibus fuit accuratissime facta magnam ostendit fluviorum, locorum, & populorum Regionis mutationem: Cervienses enim, & Comaclenses nunc pene nulli, copiosæ fuerunt manus, & Popilienses, Cæsenates, Cornelienses, qui nunc Immolenses, Faventinique multo plures miserunt armatos. quam nunc sit Populi eorum collectio. Soli ex subjectis Bononienses Forolivienses que sunt aucti, & in novum, grandemque populum crevit Ferraria, quam in eo Ravennatum apparatu cernere est minimam fuisse.* Hæc inter cætera *Blondus.* Cur vero numerosæ 174
adeo tum fuerint nostræ gentes, & in illis tot armatorum millia *Italiæ* calamitates, & tum gravia vectigalia pro Græcis Copiis alendis (Imperatores enim potius corradebant ex *Italis* præter stipendium quæ poterant quam ut ab Oriente quicquam huc pecuniæ mitterent) omnem luxum hinc ejecerant. Et perpetua vel occasio, vel suspicio belli in exercitatione armorum perpetua homines continebat. ubi victus vestitusque simplicitas, statimque atque per ætatem licet instinctui ad connubia obtemperatur, minimo enim tum sumptu numerosa soboles alitur. hæc erit penes *Diodorum* in *Ægypto* immensæ multitudinis causa. Exitus modo pugnæ fuit *Ravennatibus* adversus, sunt enim Græci *Ravenna* potiti, quam misere divexarunt adeo, ut unanimes scriptores nunquam parem *Ravennatibus* cladem accidisse dicant. Archiepiscopo catenæ injectæ: primarios ac ditissimos civium *Theodorus* partim occidit, partim *Constantinopolim* cum Archiepiscopo relegavit. Tam vero *Felicis*, quam Civium occisorum, atque relegatorum divitias asportavit. Hic fuit impii belli exitus. *Rubeus* tribuit cladem auxiliaribus nostris copiis, dicit enim victoriam penes Græcos stetisse quia missi à finitimis Civitatibus milites inermes fuerint, & militiæ rudes: sed id ad excusandos *Ravennates* dictum à verisimilitudine aberrat, Populos, qui semper erant in procinctu imparatos ab armis esse, & quam multitudinem armatorum admiratur *Agnellus*, & post *Agnellum Blondus*, fuisse multitudinem inermium. si forte remissiores in pugnando provinciales fuerunt, causa foret quod melius occasione belli moniti impia se arma sumpsisse intellexerint; unde vel detrectasse pugnam, & exitum spectasse, vel etiam vexillis sublatis recessisse. Inde etiam factum ut *Theodorus* sola *Ravennatum* pœna contentus nihil adversus Provinciam fecerit. At dubium mihi videtur quo anno contigerit *Ravennæ* hæc clades, cum enim nullius Exarchi mentio fiat, oportet eo in tempore accidisse cum mortuo decessore nondum successor advenerit quod *Sigonius* asserere videtur dum mortuo (inquit) *Theophilacto* Exarcho fureret *Felix.* at non satis id mihi probabile videtur nam 175
Theophilacto successit confestim *Joannes Tizocopus*, qui secundum *Panvinum* secundo anno exarchatus sui fuit tumultu populari occisus; at quomodo verisimile esse potest nondum elapso biennio ab illata à *Theodoro* clade ex qua adeo exterriti sunt *Ravennates* ut Scriptores testantur, tantum resumpsisse audaciæ ut Exarchum palam occiderent, cujus facti nullam etiam pœnam reportasse, cum tamen ob *Lemigii* occisionem gravi pœna fuerint ab *Eleutherio* afflicti; verisimilius forte est post *Tizocopi* occisionem postquam *Italia* eo magistratu triennio vacavit rebellionem *Ravennæ*

vennæ contigiſſe, ut eo facinore nondum punito animata Civitas, & Imperatoris juſſa, & Pontificis monita ſpreverit, & eo magis Imperatorem irritaverit. Hæc de *Ravennate* Schiſmate, quod ad arma etiam Civitatem noſtram cum reliquis Provinciæ traxit. Nunc repeto *Longobardi* Regis *Grimoaldi* factum in propinquiſſimam Civitati noſtræ Civitatem *Forum Pompilii Grimoaldus* expulſo *Pethartto*, & fratre Regnum occupavit anno *666*. ejus tempore *Conſtans Auguſtus* in *Italiam* venit obſidetque *Beneventum*, & in eo Filium *Grimoaldi* Regis, qui illuc accurrens obſidionem diſſolvit Imperatoremque repulit; at vero grave incommodum à *Foropompilienſibus* acceperant illac ultro citroque transeuntes ejus nuntii: memoria itaque diſſimulatæ interim injuriæ *Grimoaldus* reverſus ex *Beneventana* expeditione, & compoſitis etiam *Forijulii* quibuſdam tumultibus, graviſſime eſt *Popilienſes* ultus; ex *Ticinio* enim in *Tuſciam* profectus inde clam *Apennino* ſuperato improviſus *Foro Pompilio* adfuit. Patentibus itaque portis ingreſſus Populum Sacris aſſidentem (erat Sabbati Sancti dies tumque miſſa, & cetera ejus diei ſolemnia celebrabantur) miſere trucidavit, neque ætati, neque ſexui parcendo. Perturbavit ſane Civitatis finitimæ caſus noſtram, ſed & Provinciam univerſam, coegitque acriore ſe cuſtodia adverſus inopinatos ejuſmodi inſultus ſæpire. Erat Exarchus tum iterum *Calliopa*, qui magiſtratum illum annos 34. geſſit. Is vero tanta licet injuria provocatus quievit tamen, & pa-
176 cem ſervavit, quæ parum licet fida ad *Luitprandum* duravit. Excidium *Foripompilii* à *Sigonio* in anno *665*. reponitur, at *Panvinus* primum *Grimoaldi* Regni annum *666*. facit ut ſaltem circiter anno *670*. oportuerit accidere. *Rubeus* annum non præſcribit, & damnum à *Grimoaldo* acceptum magnum fuiſſe, & à *Ravennatibus* irrogatum prope eam Civitatem aſſerit, ſed non videtur mihi veriſimile cum exercitu *Grimoaldum* per Provinciam non petita ab Exarcho licentia permeaſſe, qui neque etiam permiſiſſet contra Imperatorem tendenti, & ſi invito Exarcho penetraſſet ad provinciæ, & Exarchatus fines, vel ad propinquas illis Civitates occurſum fore non ad meditullium veriſimilius eſt Legatos Nuntiosve tranſeuntes epiſtolis etiam detractis violatos ut *Sigonius* ſignificat. Poſt *Calliopam* Exarchus fuit annis quindecim *Joannes Platina* uſque ſcilicet ad annum 702. inde *Theophilactus* patritius uſque ad annum 710. poſt quem *Joannes Tizocopius* qui tumultu populari *Ravennæ* fuit occiſus anno ſecundum *Panvinum* 712. vacavitque eo magiſtratu *Italia* tribus annis uſque an annum 715. quo *Scholaſticus* Exarchus decimus tertius advenit interea jam Clades *Ravennæ* ob ſchiſma *Felicis* acciderat. Reges vero *Longobardi* poſt *Grimoaldum* fuerunt. *Haribaldus* ejus filius, *Petharitus* iterum, *Gumbertus* ejus filius, *Luitpertus Gumberti* filius. *Ramgubertus*, *Aribertus Ramguberti* filius, *Aſprandus*, *Luitprandus* hic Regnum adiit anno 718. cum Exarchus erat *Scholaſticus*. Hujus ergo Regis tempore in Provincia turbatum eſt. Primo enim *Pharoaldus Spoleti* Dux Claſſe *Ravennam* (ſi *Paulo Diacono* credamus) invaſit, & cepit. At ſtatim juſſu *Luitprandi* Regis reſtituit. At Blondus longe ſecius, & ut arbitror verius. *Pharoaldus* (inquit) *Spoletanorum Dux ſimulata ad Regem ſuum profectione Ravennam verſus iter arripuit fuitque magni, & potentis Ducis adventus Ravennatum ſubditis viæ Flaminiæ accolis, qua illi eundum erat, in tempore inexploratus, ut illius inſidias, perfidiamque ſi timuiſſent, potuerint præcavere: ſed cum nullæ tunc*

Jo. Platina Exarchus. Theophilactus Exarchus. Joan. Tizocopius Exarchus. Scholaſticus Exarchus. Ann. 725.

Lib. 6. c. 13.

A *cum Romanis, aut Ravennatibus belli ſeu recentis odii inimicitiæ intercederent, nullam Oppidis,* 177
Urbibuſque ſervandis cuſtodiam adhibuerant. Veniens itaque recta Pharoaldus cum Cæſenæ appulcuiſſet ad mare deſcendens Claſſenſe Oppidum furto cæpit: mittens tamen Nuntios Luitprandus illico Oppidum ab invaſore illæſum dimittendum curavit. Non ergo *Blondus* exiſtimat claſſe invectum *Pharoaldum* ſed terreſtri itinere; neque *Ravennam* ſed *Claſſem* cepiſſe. *Rubeus Blondo* plane aſſentitur. *Sigonius* nullam facti hujus *Pharoaldi* invaſioniſve aut *Ravennæ*, aut *Claſſis* mentionem facit. In *Pauli* codicem forte mendum irrepit.
B Cum Claſſe ſcilicet dicit invaſiſſe *Ravennam* debuerat legi *Claſſem* invaſiſſe *Ravennæ*, eamque cepiſſe. In ceteris etiam qui ſequuntur motibus enarrandis magna eſt ex diſcrepantia Scriptorum perturbatio, quam ego narrationem pluribus probatam videro ſequar. Reſtituta ergo *Claſſe* à *Pharoaldo* juſſu Regis. Ipſe tamen *Luitprandus*, qui juſſit; aliquo poſt tempore Exarchatui, & *Ravennæ* arma intulit. Erat tum Exarchus *Paulus*, qui *Scholaſtico* ſucceſſit anno Chriſti 725. at Regni *Luitprandi* ſeptimo. Quæ vero cauſa mutaverit *Luitprandum*, & à priore æquitate ejus animum ad hoſtilitatem detorſerit, Scriptores
C non indicant. Forſan, quæ jam gliſſebat inter *Italos*, & *Græcos* Imperatores diſcordia invitavit Regem: forſan Divini Numinis ira ad ulciſcendum Imperatorum *Leonis*, & *Conſtantini* ejus Filii impietatem eum incitavit. Iconomachorum Hæreſi illi infecti reluctantem Pontificem *Romanum* bis, terve, & præſertim per *Paulum* Exarchum conati ſunt occidere, nec avertit eos ab impio propoſito Divina ipſa præſens, & urgens caſtigatio. Cum *Saracenorum* examina Imperium ubique affligerent, & *Conſtantinopolim* triennio obſederint, quam obſidionem conſequuta peſtis trecenta uſque millia hominum in ea una Ur-
D be abſtulerit. Veſani tamen Imperatores, & eorum impii miniſtri, & inſidiis, & aperto bella (fruſtra tamen ſemper) mortem S. Pontificis quæſiverunt. *Luitprandus* ergo inſtructiſſimo exercitu *Æmiliam*, *Flaminiam*que & *Ravennam* ipſam adortus eſt, quam tandem cepit, ut *Paulus Diaconus* ſcribit, & *Sigonius* atque *Rubeus* ſequuntur, 178
quorum *Sigonius* obſidionem, & captionem amplius aliquanto deſcribit. ſumma eſt. Cum diu obſediſſet Rex Urbem deſperata quaſi expugnatione ad *Claſſis* Oppidum arma vertit, quod cepit, & direptum ſolo æquavit intelligens vero exterritos ob id *Ravennates* majore ſpe obſidio-
E nem urbis repetiit, & tandem expugnatam direptum militibus tradidit, quos ex ea direptione ditatos *Ticinum* duxit, relicto *Ravennæ* præſidio ſub *Hildebrando*, qui poſtea fuit Rex, & *Peredeo Vicentino* Duce. *Paulus* interim Exarchus ex obſeſſa Urbe ad *Venetos* aufugerat, quorum opem, & petiit, & impetravit annitente etiam Pontifice, qui injuriarum ſibi intentatarum immemor prætulit rapacitati *Longobardorum* juſtitiam dominii Imperatorum. Interim multæ Civitates capta *Ravenna* ſe *Longobardis* dederant, quæ fuerint hæ non legitur. Dum *Veneti* inſtruebant claſſem ſed ſimulando bellum adverſus *Saracenos*,
F Exarchus in Provinciam reverſus ex locis, quæ in fide permanſerant, quam maximam potuit manum contraxit, ut *Imolam* aggreſſurus, at *Veneta* claſſe repente, & improviſo *Ravennam* aggreſſa *Paulus* quoque (ut inter eos convenerat) cum ſuis ad eam acceſſit. Cum itaque *Longobardi* imparati eſſent victoria penes *Venetos*, & Exarchum ſtetit *Ildebrando* capto, *Peredeo* occiſo; Exarchus autem facile Provinciam univerſam recuperavit verum cum Imperatorum juſſu hære-

sim in subjectos populos spargere & serere enitetur, populi adeo impium ejus conatum sunt aversati ut demum *Ravennæ* occideretur: & eodem ferme tempore *Romani* nequitia Imperatorum adversus Pontificem, & Catholicam Religionem plane prospecta ipsi, & universi *Romano* Ducatui subjecti se solemni juramento summo Pontifici obstrinxerunt, ejusque ditioni in posterum subjecere. Hunc itaque in modum ab Imperio Orientali *Romani* finitimæque Civitates se subtrahentes in Pontificium imperium transiere tumultu ejusmodi audito *Luitprandus* judicavit apertum sibi aditum ad Exarchatum subigendum unde reparato exercitu *Bononiam* aggressus illam
179 cum finitimis locis occupavit, tum etiam *Faventiam*, *Forum Livii*, *Forum Pompilii*, & *Cæsenam*, & dimissa *Ravenna* victoriarum cursum usque ad *Auximum* continuavit. Audita *Italorum* defectione *Leo* Imperator *Eutychium* Exarchum misit mandatis prodendi Pontificem præsertim oneratum. Venit is ergo, & à *Ravennatibus* præmissa (ut arbitror) venia: transacti tumultus libenti animo susceptus fuit. Eorum enim intererat tanti splendori Magistratum ibi residere. Primo autem fœdere cum *Longobardis* inito tentavit junctis armis Pontificem debellare, at frustra Pontificia majestas ipsa per se flexit *Longobardum* Regem, & à *Romæ* obsidione avertit, fuitque coactus *Eutychius* amicitiam Pontificis non perditionem quærere. Interim *Luitprandus* in *Galliam* à *Carolo Martello* jure amicitiæ accersito adversus *Saracenos*, in eaque expeditione pro Christianis *Felici* commorante, Exarchus recuperavit præter *Bononiam* ditionem universam ut nostra idcirco Civitas à *Longobardis* ad *Græcos* traducta fuerit, ac fluctuante, & instabili ditione, nam reversus *Luitprandus* in *Italiam Æmiliam*, & *Flaminiam* præsertimque *Cæsenam* cepit, ita Sigonius. *De integro in Exarchatum immittit, ac Cæsenæ Oppido occupato Ravennam inde se oppugnare velle ostendit.* Collectis Copiis *Eutychius* providit tamen se Regis viribus imparem futurum, quocirca literis, & Legatis ad Pontificem missis cujus quanta fuerit penes *Longobardum* authoritas in *Romana* obsidione vidit, deprecatus eum est ut pacis inter se, & *Lutiprandum* sequester esse vellet; idem enixis precibus Archiepiscopus, & populi reliquæ *Æmiliæ*, & *Pentapolis* petiere. Memores erant ingentium in *Ravennate* clade damnorum. *Zacharias* ergo tum Pontifex miseratus pro Pontificia pietate periculum Provinciæ, & pro prudentia sua non esse è re *Romana*, & sua existimans crescere adeo exciso Exarchatu *Longobardorum* vires, omnem operam est benigne pollicitus. Primum ergo per Legatos, & armorum finem, & locorum occupatorum restitutionem Regem poposcit. Sed frustra: quam ob rem ipse coram petere decre-
180 vit: *Ravennam* ergo transiens ubi ab Exarcho eminus occurrente, deinde prope Civitatem à Clero, & à Populo utriusque sexus, & omnis ætatis effuso cum acclamatione Patris, ac Pastoris exceptus in viam se dedit etiam si à *Longobardis* impedimenta sibi strui, quibus iter periculosum reddebatur intelligeret, quæ jussu Regis profectionem aversantis parabantur. Tamen Deo fidens ad cujus obsequium pericula subibat: institutum iter est prosequutus: qua constantia victus Rex, & suis, ut cum honore deduceretur imperavit, & ipse eum summa cum veneratione *Ticini* suscepit, & victus majestate deprecantis, & efficacia precum rigidum antea animum flexit, & pacem, ac restitutionem locorum occupatorum Exarchatus omnium pollicitus reservata tamen tertia *Cæsenæ* parte (utor *Blondi* verbis)

Sigonius l. 3. sub ann. 727. 730. Blondus.

A quam editiore *in tumulo sitam in arcis præsidiique locum sibi reservavit.* Hæc Blondus. sequitur Rubeus. *Cum tertiam Oppidi Cæsenæ partem Rex sibi perinde, ac arcem munitionemque retinuerit.* *Sigonius* qui dicit reservata tertia agri nostri parte rejiciendus quid enim opis portio tertia agri nostri, ac tutelæ Regis rebus in tanta distantia præstitisset. Erat vero ejusmodi tertia pars Civitas ipsa in colle, & tumulo posita murisque & propugnaculis munita. Reliquæ duæ tertiæ partes suburbia erant. Hinc per magni momenti fuisse tum quoque Civitatem patet cujus partem Rex *Ticini* residens validum re-
B putaret munimentum unde, & bellum (si liberet) Exarchis inferret: & resisteret, si sibi ab illis inferretur. Tum ergo Civitas divisa jurisdictione regebatur; à *Longobardo* intra mænia ab Exarcho in suburbiis: & quoniam quævis divisio etiam situs facile in factiones Cives, ut monet Aristoteles scindit verba sunt. Arist. *Incidunt etiam quandoque in seditionem Civitates propter situm, quando talis est locus, ut non ad unam, eandemque gubernationem sit aptus ut Clazomeniis accidit, qui in Chytra habitant adversus eos, qui in Insula, & Colophonis ergo Notios. Athenis*
C *quoque non eodem modo, sed multo magis populares sunt, qui in Pyræo habitant, quam qui in Urbe, ut enim in præliis transitus fossarum etiam si admodum parvæ sint interrumpunt ordines militum, ita & in Civitate diffidentia omnis videtur disjunctionem facere.* hæc ille. Nobis certe divisus situs in planum, & montem ut Dantes dicit; *tra piano, è monte*, seditionem eam protulit inter castellanos scilicet montis, & muratæ vulgo dictæ incolas, & suburbanos, qui planam partem habitabant. Tum vero ex divisa jurisdictione perturbatum esse oportebat Civium statum, dum diversis modis, & legibus ab adeo diversis Rectoribus gubernarentur, sique supremum Principem adire
D oporteret his *Ticinum*, his *Ravennam* adeundum erat sub bicipiti ejusmodi Imperio ad biennium *Rachis* Regni videtur Civitas scilicet usque ad annum septingentesimum quadragesimum nonum, ab anno septingentesimo quadragesimo tertio permansisse. *Rachis* enim, qui rejecto à *Longobardis Ildebrando* filio *Luitprandi* successit, cum primum artibus pacis se egregium Regem præstiterit, avidus laudis bellicæ invasit Exarchatum anno 749. multaque ejus loca cepit, ut verisimile sit duas reliquas *Cæsenæ* partes sibi adjudicasse, adeoque tum sub *Longobardorum* ditione, & ma-
E gistratu totam fuisse. *Rachis* vero cum *Romanam* etiam ditionem invaderet Pontificis absque armis occurrentis gravi potius admonitione, quam humili prece. (Qua ratione Rex justus nulla provocatus injuria alienas ditiones invaderet, & qua ratione Rex Catholicus patrimonium *Romanæ* Ecclesiæ, & *D. Petri* usurpare contenderet?) adeo commotus est ut omnibus locis captis restitutis, & Ecclesiæ, & Exarcho in Regnum suum redierit, tum forte *Cæsena* ad Exarchum vel tota, vel duabus tertiis partibus rediit. *Rachi*, qui sequenti anno monachum se reddidit *Astulphus* frater successit, qui confir-
F mato intra biennium Regno est deinde armis Exarchatum aggressus universumque cum *Ravenna* cepit. *Eutychio*, qui diu restitit cum suis, & rebus, & hominibus abire permisso. Abiit is autem in *Græciam* deposita omni spe, ac consilio redeundi. Hic fuit Exarchatus in *Italia* finis anno circiter 751. qui annis prope 180. duravit. Fuere Exarchi quindecim licet duo eorum iterum magistratum susceperint. *Longinus*, *Smaragdus*, *Romanus*, *Callinicus*, *Smaragdus* iterum, *Joannes Lemigius*, *Eleutherius*, *Isacius*, *Theodo-* 182
rus

Arist. Polit.

181

rus *Calliopa*, *Olympius*, *Theodorus Calliopa* iterum, *Joannes Platina*, *Theophilactus*, *Joannes Tizocopius*, *Scholasticus*, *Paulus*, *Eutychius*. Hi ab initio fuerunt Catholici, at posteriores impietatem Imperatorum sequuti, hæresim tuebantur. Comitata est impietati virium exsolutio ut *Luitprando*, & sequutis Regibus loca, & Civitates olim maximis exercitibus imperviæ, obviæ fuerunt impetui posteriorum ejusmodi Regum, & facile illis patuerint. *Aistulphus* ergo occupato Exarchatu, & quæ *Pentapolis* posterioribus saltem temporibus dicta fuit, *Romanæ* ditioni inhiavit. Ducatus itaque *Romani* locis ad Urbem usque occupatis *Romam* obsedit, interminatus Pontifici, & *Romanis* nisi se dedant excidium. Territus itaque cum Populo Pontifex ad *Pipinum Galliæ* Proregem se vertit, missisque primo nuntiis deinde illum ipsemet adivit à quo reverenter susceptus promptum auxilium obtinuit. Magnis enim cum copiis *Pipinus* ipse in *Italiam* venit, & cum *Aistulphus* in primo ad *Alpes* congressu à non magna *Gallorum* manu victus fuerit non est ausus *Pipino* venienti occurrere, sed *Ticini* clausus speravit diuturnæ obsidionis tædio fatigatum hostem moræ sui ipsius natura impatientem tandem recessurum: at cum diutius quam crediderat protrahi obsidionem, & ex hostium ferocia imminere expugnationis periculum videret pacem à *Pipino* petiit, qui monitus etiam à Pontifice, ut quo mitius posset *Aistulphum* ad sanitatem reduceret, pactus omnium locorum tum Exarchatus, tum *Romanæ* ditionis occupatorum cessionem, & traditionem ipsimet Pontifici obsidionem solvit. Erat præterea conditio ne unquam esset in posterum Pontificibus molestus. Remeavit itaque in *Galliam* cum exercitu *Pipinus* relicto qui promissa à Rege exigeret. Sed nectens is moras quoad *Gallum* ultra *Alpes* videret, & exercitum dimissum, tum vero coacto ipse exercitu sævius quam antea *Romanum* territorium populatus est, & Urbem vallo cinxit. Credebat non amplius Proregem reversurum; suffecisse *Pipino* semel obsequio erga Pontificem satisfecisse. Parsurum au-
183 tem immani sumptui, qui necessarius erat in tantum exercitum rursus cogendo, & deducendo, ac reducendo cum nihil interim sibi Regnoque *Galliæ* acquireret. Nullum fallacius judicium quam ex nostri mensura aliorum sensum æstimare. Nam *Pipinus* statim atque insidun *Longobardi* factum ex suorum literis intellexit; Sollicitatus præterea à Pontifice in angustiis posito maxima celeritate, & instructo exercitu iterum in *Aistulphum* movit eumque *Ticini*, quo obsidione *Romæ* dimissa confugerat obsedit. *Longobardus* rursus in preces versus priores conditiones non observatas juramento firmavit. *Gallus* pacem concessit, & abiit sed relicta sub *Fuldrado* Abbate tanta manu, quæ ad pollicitam restitutionem Aistulphum cogeret. Restituit itaque is *Bononiam*, *Imolam*, *Forum Livii*, *Forum Pompilii*, *Ravennam*, *Cæsenam*, *Cerviam*, *Ariminum*, *Concham*, *Pisaurum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auximum*, *Numanam*, *Æsium*, *Forum Sempronii*, *Montem Feretri*, *Urbinum*, Territorium *Balneense*, *Calles*, *Luceolos*, & *Eugubium*, loca scilicet antea Exarcho subjecta. Restituit præterea quæcunque ditionis pontificiæ occupaverat. Loca vero olim Exarchatus non Imperatori, ut per Legatos postulabat reddita fuere, sed Pontifici pro Patrimonio *D. Petri* ex voto tradita, à quo voto non posse recedere Imperatoris Legatis respondit. *Aistulphus* interim retentis *Ferraria*, *Faventia*, & *Caballo* conditiones non implevit. Immo non certus (ut creditur) standi promissis atque animo fluctuans mortuus est, vel equo in-

A ter venandum effusus, vel ab apro percussus, vel apoplexia correptus, vel fulmine ictus; non enim de genere mortis Scriptores consentiunt. *Fuldradus* interim Civitatum, & Castrorum claves *Romam* detulit, & in signum traditionis in confessione *D. Petri* depositas ipsimet Apostolo obtulit exinde ergo sub Pontificis ditione tota hæc Provincia, & cum illa civitas nostra fuit: at quæ fuerit administrationis, ac regiminis forma non video satis à scriptoribus expressum. *Sigonius* dicit administrationem *Ravennatem* Archiepiscopo, ac Tribunis concessam: at *Ravennæ* ipsius administrationem hæc verba important non etiam
B totius Provinciæ, ut *Rubeus* interpretatur, & 184
favere videtur *Blondus* tamen cum legamus (id dicit *Sigonius*) Ducem tum *Ariminensem* fuisse, conjicere licet singulas tum Civitates à Duce suo gubernatas ut Exarchorum tempore mos erat, eumque morem à Pontifice permissum. Mortuo *Aistulpho* successit *Desiderius* Dux tum *Tusciæ* ab *Aistulpho* qui illum ex inferiore conditione extulerat, creatus. Hic Regnum suscepit primoque ut Regni possessionem stabiliret (cum multi proceres repugnarent) omne obsequium Pontifici præstitit, utque plenius ipsum, & *Galliæ* Regem demereretur. *Ferrariam*, *Faventiam*, & *Caballum*
C à decessore non restituta, Pontifici reddidit. Perseveravit autem in hoc tuendæ pacis, consilio præ se ferendo *Desiderius* metu scilicet Regis *Galliæ* quousque Regni illius distrahendi spes non offulsit. Duos filios reliquerat *Pipinus Carolum Manum*, & *Carolum*, qui postea ob gloriam rerum gestarum *Magnus* dictus fuit. Mortuo autem *Carolo Mano Berta* ejus Uxor intolerans fortunæ Uxoris *Caroli* viventis cum duobus filiis ad *Desiderium* confugit cujus Soror erat. Is ergo occasionem eam arbitratus Regnum *Galliæ* distrahendi si filii *Caroli Mani*, ac nepotes sui in Reges inungerentur. Ita enim scindi in partes
D Regnum, eaque divisione debilius evasurum, quod si præterea ob divisionem Reges contenderent, eo infirmiores *Gallorum* vires futuras, & sibi tum aditum ad universam *Italiam* occupandam planum fore. Mortuo itaque *Stephano* Pontifice curavit *Constantinum Nepesini* Ducis fratrem sibi amicum per factionem Ducis ejusdem Pontificem eligendum: sed *Constantino* ex sede, in quam se intruserat, dejecto atque *Adriano* rite electo ea spe decidit. Attamen *Adrianum* aggressus primum subdolis officiis, deinde cum nihil proficeret, minis; tandem armis cogere tentavit; in Exarchatumque primum invectus, par-
E teque ejus occupata *Romam* accessit, in eamque angustiam res *Romanas* redegit ut Pontifex solito jam ad *Gallum* Regem confugio *Caroli* opem imploraverit, & obtinuerit; is vero fuit *Caroli*
apparatus, eaque fortuna ut *Desiderium* post diu- 185
turnam *Ticini* obsidionem ad deditionem, & Regni, & sui coegerit, & hic fuit *Longobardorum* Regni in *Italia* finis 206. post quam inceperat
anno. Fuit enim finis anno Christi 774. ince- Anni 774.
peratque anno 568. *Italia* toto *Longobardorum* tempore, vel bello vexata, vel belli suspicione sollicita. Nostra vero Civitas constante fide sub Orientali Augusto diutissime fuit. Deinde
F à *Luitprando* occupata primo, tota illi paruit, at compositis inter Regem, & Exarchum authore Pontifice rebus utrique partiario jure subjacuit. Ac forte *Rachis* tempore sed certe *Aistulphi* in *Longobardorum* ditionem universa venit. A *Pipino* postea Pontifici tradita, Pontificiæ ditionis pars fuit, neque enim à *Desiderio* capta, sed populationem cum finitimis Civitatibus passa est; solas *Ferrariam*, *Faventiam*, & *Comaclum* tum captas legimus perse-

veravit, ergo sub Pontificio imperio ea tamen administratione, quam in sequentibus exponam.

Longobardorum Regno *Francorum* Regnum sub *Carolo* Magno successit. Cujus ea fuit potentia, ut arbiter totius *Italiæ* fuerit extrema saltem ea parte subducta, quæ Imperatori adhuc Orientis parebat. Alio sane consilio quam *Pipinus* in *Italiam Carolus* venit. Ambo quidem ut Pontifici opitularentur; verum ille nihil aliud quærens: hic ut præterea sibi Regnum vindicaret. Occasionem novi in *Carolo* propositi ipsemet *Desiderius* præbuit, qui unde præsidium sperabat, excidium quæsivit. Susceperat *Bertam Caroli Magni* uxorem sororem suam, ac filios ut per eos si in Reges inungerentur *Gallorum* vires distractæ minuerentur quo facto Imperium sibi *Italiæ* pollicebatur. At *Carolus* ut Regnum ab omni divisionis periculo eximeret, judicavit *Longobardorum* Regnum unde periculum imminebat, occupandum esse; quodque statuit, opere perfecit. Non expediebat Pontificiæ ditioni (si politicam rationem spectemus) pro *Longobardo* Rege, validissimum *Galliæ* totius, ac *Germaniæ* Regem Regno etiam *Longobardorum* auctum accolam habere, & forte hoc respexerat *Stephanus* Pontifex dum *Pipino* suadebat, ut mitius cum *Aistulpho* componeret. Fuit itaque etiam absolutior *Pipini*, quam *Caroli* donatio. *Carolus siquidem*
186 (ut in Sigonio habemus) *Exarchatum Ravennatem*, *Pentapolim*, *Ducatum Romanum*, *Tuscum*, *& Campanum*, *jure Principatu*, *& ditione sibi retenta Pontifici permisit*. Neque tamen Ducatum *Romanum* à *Pipino* obtinuerat Pontifex, sed à Populis, qui exsoluti à pristino Imperii Orientalis juramento, se se Pontificiæ ditioni ultro, ac sponte, ut antea diximus subjecerunt. Præterea vero jurisdictionem in Pontificium statum majorem quam Princeps in feudum nobile, ac Regalia habens exercere soleat, sibi sumebat: statuit enim lege de fugitivis servis, & ancillis, qui in *Romaniam*, idest *Romandiolam* nostram, & in *Pentapolim* confugerent, reduci, & restitui. Quinimo *Romæ*, qui eam administraret, posuit. Frangebant hæc imperium Pontificium nisi volente tum ipsomet Pontifice fierent. Ea enim erat *Italorum*, & præsertim *Romanorum* impotentia ut nondum satis coalita in politicis negotiis Pontificia authoritate egerent duriore fræno, ut in officio continerentur. Quinimo ob Ecclesiasticam administrationem, in *Leonem* Pontificem absente *Carolo* violentas manus vesana factio injecit ut idcirco leges à *Carolo* de Ecclesiasticis rebus, & de Episcopis condi nedum pateretur, sed suaderet, arbitror, Pontifex. Verum enimvero ea fuit tum *Caroli*, tum sequentium Regum *Gallorum* in *Italia* æquitas, & probitas ut potestate ipsi sua nunquam ad Imperii Ecclesiastici diminutionem; sed ad tutelam solum usi sint. At sequentium Imperatorum aliorsum versis consiliis coacti sunt Pontifices erigere se, & exserto brachio sua sibi jura vindicare. Modo quod Provinciæ, ac singularum Civitatum regimen sub *Francorum*, *Gallorum*ve Regno fuerit non est omnino apertum. Illud tamen arbitrari oportet laxius semper eorum in *Italia* Imperium factum: priores enim Reges *Pipinus*, & *Bernardus* nihil, vel minus ex *Italia* inter regnandum recessere, sequentes vero Reges sæpius absuere aliis curis distracti; populos itaque in libertatem suapte natura pronos plus juris sibi subinde sumere, ut jura sibi demum belli, & pacis, vitæ necisque vendicaverint, ut paulo post exponemus. Sed ad *Caroli*, & *Pipini* Regni initia
187 redeuntes arbitratur *Sigonius* Pontificem Provincias sibi assignatas auctoritate potius quam Imperio tenuisse. verba ejus sunt. *Et sane quamquam Italia à Rege, eodemque Imperatore & à Romano Pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in utroque auctoritas: Pontifex Romam, Ravennamque & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quam Imperio. Quod Civitates Pontificem ut Reipublicæ Principem, Regem vero ut summum Dominum intuerentur, atque ei tributa, obsequiaque quæ dixi præberent.* Dixerat vero paulo prius *Sigonius* tributa à *Francis* instituta fuisse tria foderum, paratam, & mansionaticum. Foderum erat summa quædam frumenti, quæ debebatur à Populis Regi in *Italiam* advenienti, pro quo interdum æstimata pecunia solvebatur. Parata erat sumptus in vias, & pontes qua transiturus Rex erat. Mansionaticum vero sumptus in tecta, & cætera ad victum necessaria exercitui in agro hospitanti. hæc ille. Crederem ego tamen censum semper fuisse Summo Pontifici à subjectis Civitatibus solutum, video enim in nostris monimentis ejus solutionis, ut antiquissimæ, mentionem fieri. Cæterum fateri oportet ex proxime dictis, Pontifices, qui Rectorem Urbis à *Carolo* poni volebant ad Rectorum, qui Provinciis, & Civitatibus subjectis præessent electionem non descendisse: immo intelligemus in hac Provincia nullum fuisse Pontificium ad regendas Civitates Ministrum nisi post exortas *Ghibellinorum*, *Guelphorum*que factiones aliquot annis transactis. Cæterum tum gestorum Provinciæ hujus, & singularum Civitatum mirum silentium. *Ravenna* vix memorata cum resedit in ea *Pipinus*, & *Carolus* per transennam moratus, certe *Pipinus* ex ea solvit, cum in *Venetos* est classe invectus. Sed ea fuit Scriptorum tunc temporis jejunitas ut plura transmitterent etiam necessaria scitu, quam dixerint. Qua de re queritur non semel *Sigonius*, & queruntur quicunque ex recentioribus sunt de intermedia illa antiquitate scribere aggressi: & forte infantia seculorum id protulit cum lingua Latina ferme abolita, *Italica* nondum instructa esset, quod de *Hispana*, & *Gallica* pariter accidebat: barbara enim linguarum permistio, quæ Lati- 188
nam tum Regionibus illis indigenam corruperat nondum cum reliquiis Latinitatis temperata in unam linguam coaluerat scribendis historiis accommodatam, vel ergo tacebant vel paucula tantum, & summa balbutiebant. Nos etiam de Provincia, & Civitate summa, & paucula quædam prosequemur: anno ergo septingentesimo septuagesimo quarto *Longobardorum* Regnum extinctum, & Provincia nostra sub pontifice. *Faventina* Chronologia asserit manum non exiguam ejus Civitatis, & aliarum etiam hujus Provinciæ Civitatum *Papiam* ivisse, armaque cum *Gallis* Urbem illam obsidentibus junxisse. At oportuit si vera ea sint *Faventiam* præsidium prius *Desiderii* expulisse. Ea enim una inter *Romandiolæ* Civitates à *Desiderio* capta fuerat, at reliquarum agri direpti. *Pipinus Italiæ* Regnum à Patre vivente demandatum anno 781. usque ad annum 810. quo moritur, administravit *Carolus* pater Superstes *Bernardum* nepotem substituit anno 813. qui non continuo in *Italiam* venit immo diu absuit, & conjurationis in *Ludovicum* patruum, & Imperatorem convictus ob idque in pœnam excæcatus Rex tamen *Italiæ* permansit, ac anno Christi 818. cum vita Regnum amisit, quod Imperator *Ludovicus* triennio per Legatos rexit, inde *Lothario* filio communicavit qui prius cum patre, deinde solus usque ad annum 842. retinuit, verum plerumque absens. Tum vero *Ludovicum* filium consortem tum *Italici* Regni, tum Imperii ascivit. Fuit hic *Ludovicus Secundus*,

Foderum quid.

Parata quid.

Mansionaticum quid.

dus, qui *Italiam* infesto exercitu ingressus tum *Bononiam* inter cætera loca, tum *Romæ* suburbia vexavit, at postea, & Pontifici devotus, & subjectis mitis moderato Imperio *Italiam* Rex, & Imperator annis 31. rexit ad annum scil. usque octogentesimum septuagesimum quintum. Post id temporis trium, & decem annorum spatio tres itidem *Italiæ* Reges *Galli* sibi successere *Carolus Calvus*, *Carolus Manus*, & *Carolus Crassus*; qui morte sua finem Regno *Gallorum* in *Italia* posuit, quod Regnum annis 113. perduravit. Multa sub eo *Italiæ* quies præter molestias à *Saracenis* illatas, quæ ad has nostras partes *Piceni*, *Flaminiæ*,
189 *Æmiliæque*, ac *Insubriæ*, & finitimarum Provinciarum non pertigere. ut otio, & opibus pro locorum ratione floruerint. *Ravenna* interim his
Sub anno 816. temporibus imminui cæpit. *Rubeus* id ipsum fatetur tresque causas affert diminutionis. Quod sequuti Principes non amplius ut olim Reges *Gothi*, & postea Exarchi fixerunt ibi sedem: deinde quod Pontifices facile passi sint ejus Civitatis, ac Ecclesiæ decrescere dignitatem, quæ præ tumore se ab Ecclesiæ universalis ditione subtrahere contendit. Tertia ratio erat quod *Venetiæ* auctæ navigationem, & mercaturam ad se attraxerint. At aliam ego subjicio. Quod quæ in æstuariis instar *Venetæ* nunc Civitatis residebat, aggeratis ex limo importato a fluminibus, locis paludosa reddita ex saluberrima antiquitus insalubris effecta sit, unde & infrequentiores incolæ, & minus firmi, ac vigentes, qui habitarent deinceps fuerint; ut finitimæ Civitates nedum repugnare potuerint, sed etiam interdum superare pugnantem. Veluti suo tempore narrabimus concludo sub Regibus *Gallis* cum reliquis Provinciæ Civitatem hanc otio floruisse, ut cultui feracis agri, & fructiferorum collium incumbere libere potuerit, cumque nonnulli eorum Regum ab *Italia* abfuerint, plerique omnes pristinam majestatem *Caroli*, & *Pipini*, adeoque auctoritatem non æquaverint, aditum aperuere Populis, ut pro innata in libertatem propensione paulatim magistratibus se suis rexerint; quam usurpatam potestatem eousque provexere, ut belli, & pacis postea sub *Germanis* Imperatoribus jus sibi vindicaverint. hoc præsertim Civitatibus Ecclesiæ accidit quas nec Reges pari, ac suas Imperio premebant, nec Pontifices ante *Innocentium* tertium politicæ earum administrationi admodum invigilabant. Ad Regnum nunc *Italicum* sub *Italis* Regibus, atque Imperatoribus transeamus. Cum primum tamen quæ ad Ecclesiam nostram Episcopalem pertinent aliqua transegerimus. Per hæc tempora igitur Archiepiscopus *Ravennas Joannes* duro imperio Episcopos subjectos nostrarum Civitatum opprimebat ut illi demum ad Pontificem
A. 861. Summum *Nicolaum* primum, atque ad coactum ab ipso Episcoporum plurium Conventum oppressionem suam detulerint rem totam *Sigonii* ver-
190 bis, quibus etiam ferme eisdem utitur *Rubeus*, describere placuit. *Tertio* (inquit) *die Conventus iterum Leonianis in ædibus convocatus est. Eo demum die causa Episcoporum Æmiliæ est audita. Hi tum facta accusandi copia surrexissent hæc præsenti Archiepiscopo crimina obtulerunt: Joannem secundo quoque anno Episcopia sua cum ferme quingentorum hominum, equorumque numero perlustrare, ac tandiu in singulis moram trahere, donec omnia, quæ ad fructus Episcopi, alimentum clericorum, & pauperum, susceptionem peregrinorum, atque instaurationem Basilicarum pertinerent, cum magna illa multitudine consumpsisset, nec ante recedere quam ab Episcopo ducentos sibi manicosos, familiaribus vero suis dona non mediocria exegisset, eundem tres, aut quatuor equos perpetuo alendos, agros fodiendos,*
A *vineas pastinandas quotannis suffraganeis suis, tanquam prædiorum suorum procuratoribus, vel repugnantibus attribuere. Plebes, titulos, & Monasteria ad Episcopium suum pertinentia administrationi suæ subtrahere, & sibi ipsi subjicere. Præterea necessitatem sibi imponere, ut Ecclesiis suis desertis more presbyterorum singulis mensibus Ravennæ ministrent, & se viginti, aut triginta diebus per vim Ravennæ tenere; per quos nulli Clerico suo equo vehi per Urbem injussu ipsius sine magno discrimine suo licere, ac demum Episcopos ire Romam ad limina Apostolorum amplectenda, & Sedem Apostolicam*
B *visitandam more prædecessorum suorum non permittere, quæ cum dixissent, & se testimoniis omnia confirmaturos ostendissent, tum Joanni ad respondendum locus est datus. Joannem, cum ad hæc refutanda vires non suppeterent, manifesta animi consternatio incessit ex quo fontem omnes facile judicarunt. Itaque Episcopi, qui in conventu judices assidebant, ad Pontificem conversi hæc singula adversus Leges facta ab Archiepiscopo docuerunt, atque ab eo vehementius, ut perpetuo coerceret decreto ad incolumitatem Ecclesiarum postularunt.* Tunc ergo Pontifex præsente Concilio sic Joanni Archiepiscopo interdixit. *Secundo quoque anno sedem Apostolicam*
C *visitato nisi aut adversa valetudine præpeditus, aut Pontificio beneficio absolutus Episcopos per Æmiliam ne consecrato, nisi à Clero, Populoque electos, & litteris super ea re à Pontifice missis eosdem* 191
Episcopos quotiescunque ad Apostolicam Sedem venire voluerint ne prohibeto, & nullam ab eis pecuniam, nisique quæ legibus contineatur, exigito. Nullius hominis res quocunque modo ac jure partas, & possessas aliqua ratione occupato aut titulum superimponito, donec in præsentia Apostolici, aut Legati ejus, aut vesterarii Ravennæ legitime illas in judicio obtineas, &c.

Post *Gallos*, *Francosve* in *Italia* Reges *Itali*
D ipsi Regnum *Italiæ* sibi vindicaverunt. veteris gloriæ memoria movit gentem honoris cupidam ad repetendum sui ipsius Imperium, quæ olim universo Orbi (exploratiori saltem) imperaverat at repetiit parum felici conatu: summorum enim potentia par, multorum non magnopere dispar Imperantis frangebat auctoritatem, procerumque obedientiam retardabat, hinc rebelliones à Regibus frequentes, & seditiones inter se gentis: & contentiones. Factum inde est ut non multo minus sub Regibus sui sanguinis, quam sub alienigenis, & barbaris vastata fuerit. Translatio ergo Regni à *Gallis* ad *Italos* hunc in modum suc-
E cessit. Cum Imperatores *Galli* infirmiores jam essent, quam ut possent (præsertim absentes) malis *Italiæ* opem ferre vexabatur tum à *Saracenis Italia*, & factiones potentium *Romanorum* Pontifices in ordinem cogebant, & Ecclesiam perturbabant. *Simoniacorum*, & *Nicolaitarum* hæreses quoque multos Ecclesiasticos fædabant magnum vero præstabat hæresibus alimentum diuturnum *Mediolanensium* Archiepiscoporum schisma se à summi Pontificis jurisdictione subtrahentium. *Itali* ergo Principes, & proceres eo præsertim obtentu à Pontifice petierunt ut *Crasso* tum Imperatore, & *Italiæ* Rege sine filiis decedente *Italiæ* Regnum, & Imperium ad *Italos* spe-
F ctaret. *Hadrianus* Pontifex à quo id petebatur, Anni 885.
deprecantes benigno decreto est consolatus. *Ut moriente Rege Crasso sine filiis Regnum Italicis Principibus una cum Imperii titulo traderetur.* Hoc de- A. 888. in principio.
creto confirmati *Itali* cum postea triennio vix exacto mortuus sit absque filiis *Crassus* ad Regni, & Imperii coronam adspiraverunt. Præstabant tum cæteris *Italiæ* Principibus ditione, & opi- 192
bus *Berengarius Forojulii*, ac *Veronæ* Dux, & *Vido* Dux *Spoleti*, pacti ante *Crassi* obitum hi in-

inter se erant dum *Crassus* stirpe non relicta recederet, *Berengario Italiæ* Regnum, *Vidoni* Regnum *Franciæ* occupare permitteretur: & cum minores Principes iis cederent, mortuo Imperatore absque filiis *Berengarius* Regnum *Italiæ* invasit, & nemine resistente obtinuit: at *Vido* frustra *Galliæ Franciæ*ve Regnum tentavit, ut in *Italiam* absque Regno reversus non æquis oculis auctam *Berengarii* quondam paris dignitatem respiceret. Hinc factionis suæ studio, & stimulis incitatus *Berengarium* Regno spoliare statuit. Dicitur Pontifex *Stephanus* ejus voto favisse. Indignatus forte *Berengario*, quod in Pontificii decreti executione nihil Pontifici ipsi detulerit.

Anni 889. *Vido* ergo sub anni ejusdem fine annuente Pontifice, & *Romanis* Rex *Italiæ* salutatus. Et sequenti anno valido comparato exercitu plurimis

A. 890. 891. ad illum *Italis* confluentibus in *Berengarium* movit bisque collatis signis superatum ex *Italia* expulit. Rex itaque *Italiæ Vido* sequenti mox anno à *Stephano* Pontifice Imperator consecratus. Summa illa dignitate ad *Italos* post annos quindecim supra quadringentos reversa. Ascivit in Regni societatem *Lambertum* filium, qui post mortem patris (anno 893. ex sanguinis vomitu mortui) Rex perseveravit, & anno 896. fuit à Pontifice Imperator inunctus, interea tamen *Berengarius* titulum sibi Regis reservabat, & *Germani* Regis viribus adjutus *Veronam* receperat, ibique sedebat, & Regia munia exercebat, atque diplomata emittebat. *Lambertus* Regnum, ac Imperium retinuit usque ad annum 898. quo obiit; inde *Berengarius* solus regnasset, nisi contraria factio mortuo etiam *Lamberto* reluctans *Ludovicum* Provinciæ Regem, atque à *Carolo Magno* genus ducentem ad *Italicum* Regnum evocasset. Bis is venit, primo repulsus, secundo captus, & excæcatus inde *Berengarius* ab anno scilicet 902. usque ad 924. Regnum *Italiæ* totius obtinuit, & ferme pacate rexit. At sub eo *Ungari* novum genus hostium irrupere eamque fæde populati sunt. At tandem pecunia à *Be-*

193 *rengario* deliniti in *Pannoniam* rediere. *Berengarius* anno Regni sui 28. & Christi 916. fuit à Pontifice Imperator creatus: postremis tamen duobus vitæ annis rursus contrariis casibus agitatus adversam multorum *Italicorum* Principum conspirationem expertus est qui evocato *Rodulfo Burgundiæ* Rege ad Regnum *Italiæ Berengarium Veronam* acie victum repulere ibique demum familiaris sui *Flamberti* fraude occisus est anno Regni trigesimo primo, & Christi noningentesimo

Rodulfus. vigesimo tertio. *Rodulfus Berengario* mortuo solus Rex fuit, verum *Hugone* Comite *Arelatensi* ab *Italis* proceribus evocato ipse primo congressu fractus cessit atque in *Burgundia* sua substitit. *Hugo* diu regnavit ab anno scilicet 926. usque ad 933. inde cum *Lothario* filio usque ad annum 947. deinceps *Lotharius* solus mortuo patre usque ad annum 949. annis tamen tribus posterioribus 947. 948. 949. nomen, & insignia penes *Hugonem*, & deinde *Lotharium*, at Regni potestas penes *Berengarium* secundum *Berengarii* primi ex filia nepotem erat. Hunc enim tacitis Nuntiis accivere *Itali Hugonis* jam superbum, & triste Imperium pertæsi. Quippe qui magni licet animi, & consilii Princeps amaverit potius timeri, quam amari. *Berengarius* mortuo *Lothario* nomen, insuper & insignia Regis sumpsit Filioque *Aldeberto* communicavit, atque ad annum usque noningentesimum quinquagesimum secundum retinuit. Cum ab *Othone* Magno *Germanorum* Rege victus, & *Verona* atque *Papia* spoliatus postremum excidium metuens in preces versus ad *Othonem* ipsum cum *Aldeberto* Filio in *Saxoniam* reversum confugit, atque illi se cum Filio solemni obsequio publice dedidit. Indeque Regnum beneficiario jure ab *Othone* recepit, sed multatum Ducatu *Veronensi* & *Forojuliensi*, quos *Henrico* Fratri suo tradidit. Reversus in *Italiam* (cum interim filius *Othonis*, & Gener in Regem conspiraverint, belloque vexaverint) arrepta occasione *Berengarius* vir sævus deditionis oblitus fines Regni extendere cepit ad totiusque forte *Italiæ* Imperium adspirans Exarchatum invasit. *Et Agapetum Pontificem* (utor nunc 194
Sigonii verbis) *Episcopos*, *Abbates*, *Comites*que *Italiæ in ordinem cogere*, *vexare atque omni demum injuriarum genere incessere instituit*, *ita ut neque fortunis*, *neque dignitati ullius parceret*, *verum apud omnes insignia avaritiæ*, *atque superbiæ exempla relinqueret*.

Hic est *Berengarius*, qui ex Chronico nostro *Cæsenam* cepit, & evertit dum scil. Exarchatum occupavit. De Cæsen. Forte Civitas munitioni suæ, atque propugnaculis, & situ fidens acrius, & diutius restitit hominemque suapte natura sævum vehementer irritavit; error sane in Chronicum quoddam irrepsit dum pro *Berengario* secundo primum dicit, *Berengarius* enim primus mitis Princeps fuit, & nunquam in ditionem Pontificiam irrupisse legitur. At de *Berengario* Secundo, ac filio ejus *Aldeberto* adversus Pontificem movisse, & nedum Exarchatum, sed multa alia Ecclesiasticæ ditionis loca occupasse omnes scribunt. *Berengarius* hic quem secundum *Sigonius*, & *Rubeus*, tertium *Blondus*, & *Platina* vocant cum tamen soliprimus, & hic dominationem, ac Regnum obtinuerint hic inquam Civitatem nostram destruxit à Chronico quodam nostro ex *Theodorici Calesidii* nobilis *Cæsenatis*, & Historici scripto de totius *Æmiliæ*, sed dicamus *Romandiolæ* gestis idipsum sumitur. *Theodorici* ad nos scripta non pervenerunt. At confirmatur hoc ipsum ex vita B. *Mauri* Episcopi nostri a D. *Petro Damiani* contexta, qui testatur *Cæsenam* inter sua, & D. *Mauri* tempora combustam fuisse, verba Sanctissimi viri sunt. *Tandem B. Maurus Cæsenatis Ecclesiæ Cathedram divina providentia disponente suscepit. Idcirco autem vel Regis*, *qui tunc imperabat aut ipsius Apostolici præsulis hic interponere nomina prætermisimus*, *quia cum ipsis qui reliqua nobis dictant pariter ignoramus eorum namque vocabula in antiquis quidem tomis se vidisse commemorant. Sed cum Civitas ante hæc tempora flammis fuisset exusta*, *monimenta quoque perhibent simul fuisse consumpta.* Beatus *Petrus Damiani* longævus mortuus est anno Christi millesimo octogesimo quem idcirco circiter millesimum annum natum esse oportet Monachusque effectus dum adhuc in Monasterio erat videtur vitam Beati *Mauri* scri- 195
psisse anno autem 1049. Legatus Pontificius fuit ad *Mediolanenses*, ut eos *Simoniacorum*, & *Nicolaitarum* labe infectos ad Ecclesiam Catholicam revocaret: ante ergo id temporis eam vitam scripserat in qua dicit suis temporibus extitisse senem immo clicernium potius qui viderat *Constantium* B. *Mauri* nepotem *Cæsenæ* Episcopum. verba ejus sunt. *Quidam autem antiquus admodum Senex*, *& corpore marcescente*, *jam tremulus nostris nuper temporibus extitit*, *qui se vidisse hujus Beati Mauri Nepotem*, *Constantium videlicet nomine Episcopum Cæsenatis Ecclesiæ testabatur*. Si ergo hæc D. *Petrus* intra Monasterii claustra scripsit circiter forte Christi annum millesimum, & trigesimum ætas descripti Senis ut descripta pingitur, & potius nonagenaria, quam minor, ut videre, & observare suæ Patriæ Episcopum potuerit circiter annum quinquagesimum supra noningentesimum, ut D. *Mauri* Episcopatus præcesserit id

id temporis quot annos præfuerat Ecclesiæ *Constantius*, & cum vita ejus atque Ecclesiæ Regimen non adeo brevis duratione à D. *Petro* significetur oportet nedum Episcopatum B. *Mauri* priorem fuisse Regno *Berengarii*, & *Alberti*, sed circiter tertiam partem noni sæculi * non autem in ejus fine, ut videtur asserere *Rubeus* fuisse, qui sub anno 997. ejus solum mentionem facit. Verum enim vero neque ad eum annum Episcopatum Sancti *Mauri* restringit, sed laxius sub id temporis dicit, ut mitius verba exponentes de eodem seculo possimus interpretari, secus enim D. *Petri Damiani* contemporaneus fuisset prima scilicet sua ætate postremam B. *Mauri* attigisset, nec tremulo scilicernio opus erat ad testandum *Constantii* Episcopatum, quem ipse adulta pueritia potuisset ferme vidisse: certe *Rubeus* nihil amplius scire de Sancto Episcopo potuit, quam D. *Petrus* tempore tanto propinquior sciverit, atque scripserit. Et incendium ergo Civitatis inter tempora D. *Mauri*, & D. *Petri Damiani* fuisse, ex historica hujus narratione constat. Et *Berengarii* Regnum, & invasionem in Exarchatum, ac Civitatem nostram ex inita à nobis com-
196 putatione pariter innotescit. Nec vero cladis alterius per id temporis à nostra Civitate susceptæ memoria est ulla nam anno quidem secundo supra millesimum obsedit eam *Sylvester Secundus* summus Pontifex, qui prius fuerat *Gilbertus Ravennæ* Archiepiscopus, quam obsidionem narrant *Sigonius*, & *Rubeus*, at captam neuter scribit, immo & Beatus *Petrus* in vita ipsiusmet B. *Mauri* ejus mentionem facit, at non captam scribit, vocat autem Pontificem obsidentem *Girbertum* ex nomine scilicet priore, *Papa* (inquit) *Girbertus juxta Civitatem castramentatus erat, ejusque Oppidum circonfusi Exercitus obsidione vallabatur.* Excidium ergo hoc *Cæsena* pertulit inter annum 953. cum reversus est in *Italiam Berengarius*, & annum 961. quo reditus in *Italiam Othonis* à Pontifice, & Archiepiscopo *Mediolanensi* oblatione Imperii, Regni revocati compescuit Tyranni furorem ut enim *Sigonius* perscribit. *Berengarius autem, & Aldebertus Ecclesias ac Populos Italiæ superbis premere Imperiis perexerunt.* Subjungit deinde summam legationis Pontificiæ ad *Italiam* ipsum revocantis. *Summa* (inquit) *Legationis fuit Berengarium, atque Aldebertum occasione occupationum ejus impulsos multo quam ante truculentius Ecclesiam, atque adeo totam Italiam divexare.* & post nonnulla. *Quocirca orare eum se, ut pro Christianæ Religionis, atque Italiæ salutis amore exercitum de integro in Italiam adduceret, atque Ecclesiam, Italiamque Caroli Magni exemplo ab sæva eorum tyrannide vindicaret.* De eorundem sævitia, quam & rabiem vocat Historicus quæstos Archiepiscopum *Mediolanensem*, & Episcopum *Comensem*, & Marchionem, *Odbertum*, & alios *Italicos* Principes subjungit: In hoc ergo annorum octo intervallo *Cæsenæ* exustio fuit. Quam vidisse oportet in adulta etiam pueritia, qui monimenta Civitatis antiqua se vidisse commemorabant. Eaque narrasse D. *Petro* non multo forsan prius ex Monastico tyrocinio egresso. Hæc de excidio Civitatis, ejusque tempore quantum licuit ex antiquitatis tenebris eruere. *Otho* ergo tamdiu vocatus tandem expedito *Sclavorum* bello in *Italiam* rediit maximo cum Exer-
citu Anno 961. atque intra quadriennium pri- 197
mum *Berengarium* cepit, deinde *Aldebertum* ex *Italia* expulit, atque finem *Italicorum* Regno posuit. Is autem & Rex *Italiæ Mediolani* coronatus, & Imperator à Pontifice *Romæ* inunctus fuit; qui & Provinciam nostram *Romandiolam*, & *Picenum*, & Ducatum *Spoleti* cæteraque Ecclesiæ loca à *Berengario* antea occupata omnia Pontifici restituit. Interim vero *Cæsenam* reædificatam fuisse, & iterum opere munitam oportuit cum nonnisi quadraginta duobus circiter annis elapsis tolerare potuerit Pontificis *Sylvestri* obsidionem undique circumvallata exercitu testante eodem *D. Petro Damiani* cujus proxime verba retulimus, & in vita *D. Mauri* Episcopi nostri ab eodem Beato *Petro* scripta, & mox subjungenda repetentur. Quanto vero tempore post, & quando restituta, & à quo nihil habemus explicite scriptum: at conjecturam restitutæ ab *Othone*, & à Pontifice tum *Joanne* XIII. faciunt quæ sequuntur *Otho* cum primum res Romanas conventu in Urbe habito constituisset *Ravennam* postea cum Pontifice profectus novum ibi conventum habuit, in quo quæ ad Civitatum statum pertinebant conformandum, decretis firmavit, restitutaque Provincia Pontifici, & donationibus *Pipini*, & *Caroli* confirmatis multos emeritos proceres dignitatibus, & ditionibus honestavit, & demum *Romaniola* (inquit *Sigonius*) constituta Pontificem *Romam* dimisit. In ejusmodi Provinciæ totius constitutione quis non credat Civitatem antiquissimam a debellatis Tyrannis eversam, restitui jussam idque impetrasse cives reliquias *Berengarii* opem ad patriam recuperandam humiliter deprecantes à magnanimo Imperatore, & pio Pontifice. Certe cum quadraginta nondum transactis annis arctam obsidionem à *Girberto* Pontifice, ut utar compellatione D. P. *Damiani* tulerit oportuit jam diu restitutam fuisse hoc est sub hoc discessus *Othonis* ex *Italia* tempore anno noningentesimo sexagesimo septimo. (Anni 967.) In primo *Othonis* adventu inter ejus proceres imo propinquos fuit *Vido* illi affinitate junctus. Hic ab *Othone Mutilianæ* comitatu donatus ampla scilicet tum ditione, & Dynastia in *Italia* consedit familiæ in
hac Regione *Guidiorum* author, & origo illustris- 198
sima hæc familia, & cis *Apenninum*, & ultra in *Etruria* magnas est ditiones consequuta quibus quo jure, qua injuria à *Florentinis* longo post tempore spoliata *Mantuam* se recepit ubi, & nunc Marchionum dignitate splendent. Ex illis *Joannes Franciscus* à *Sixto quarto* præfectura sexagenariæ equitum alæ, & quadringentorum peditum honestatus fortem illi operam pro Sancta sede militans præstitit, adeo ut pro ejus meritis à Summis Pontificibus multis Castris donatus, aliisque ex dote *Armellinæ Malatestiæ* Uxoris auctus *Cæsenæ* sedem fixerit ibique nedum in Civitatem sed in Senatum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo cooptatus progeniem proseminavit, quæ semper aucta honoribus, & ditionibus, nunc numerosis locis imperat. *Ferrariæ* supremo loco arma Pontificia regit, & Cardinalitia purpura fulget. De hac suo loco si narratio mea illuc pervenerit, distinctius agam, nunc vitam B. *Mauri* nostri Episcopi subjungo verbis S. *Petri Damiani* descriptam, nihil mei interpono.

VITA

(Florius Ep. Anno 898.) * *Sed circiter tertiam partem noni sæculi.*] Iisque quæ de tempore *D. Mauri* tum scripsi, ac *Constantii* ejus nepotis, & successoris hæc in præsentia addo. Anno 898. erat Episcopus *Florius Neapolitanus* ex Collenutio hujus meminit *Rubeus* sub eodem Anno, dicitque assensum esse donationi à *Joanne* Archiepiscopo Cœnobio *D. Vitalis* factæ. Alter Episcopus fuit *Gonfredus* Anno 954. qui eo Anno asserente *Rubeo* interfuit conventui *Ravennæ* à *Petro* Archiepiscopo convocato, in quo de petitionibus nonnullis Episcopi *Ferrariensis* actum fuit, in intervallo inter duos hos Episcopos collocandos omnino arbitror *D. Maurum*, & *Constantium* post *Gonfredum* enim fuisse, quæ dicta pagina 195. & præcedente scripsi clarissime indicant, falsum omnino esse. (Gonfredus Episcopus Anno 954.)

199

VITA SANCTI MAURI, EPISCOPI CÆSENATIS ET CONFESSORIS, EX ORDINE S. BENEDICTI ASSUMPTI.

A Cupientes aliquid scribere ad gloriam Dei nostri de Beato Mauro Pontifice, ac auditorum desiderio satisfacere cupimus; ut juxta digestæ relationis modum veritati per omnia consulamus. Contemnendus quippe pincerna est, qui dum vini copiam jactat fæcem quoque punienda temeritate propinat. Improbus opipator est, qui tanta ambitione aliis convivium præparat ut in semetipsum æstuantis famis incendium sævire permittat. Temerarius nihilominus narrator est, qui dum laudum præconiis alios extollere nititur ipse mergi in falsitatis barathrum non veretur. Nonnulli enim Deo se deferre existimant si ad deferenda laudis ejus insignia falsitatis argumenta componant, qui nimirum si egregii Prædicatoris verba diligenter attenderent talia non B sentirent. Ait enim Corinthiis. Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo prædicatio est nostra, vana est fides vestra, invenimur autem, & falsi testes Dei. Quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitaverit. Secundum hæc ergo Apostolica verba falsus testis Dei merito dicitur, qui indiscrete eum cupiens laudare mentitur: & adversus Deum proculdubio perhibet testimonium, quis quis in ejus laude perversa molitur arte commentum. Propheta quoque terribiliter intonat dicens. Odisti omnes qui C operantur iniquitatem perdes eos, qui loquuntur
200 mendacium. Nimirum manifeste declarans, quia sicuti levius est odire, quam perdere. Ita etiam tolerabilius iniquitatem ex infirmitate perficere, quam ex studio mendacia fabricare. Hinc est quod per Hieremiam de mendacibus dicitur. Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt qui enim simplicem veritatem ultro oblatam proferre facile poterant, satagunt ut mendacia cum labore confingant. Hic si quis nos longæ præfationis forte redarguat, atque id quod in Machabeorum libro scriptum est austerus censor opponat, stultum est, inquiens ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi, hanc reddimus rationem: quia ubi D materiæ abundantia suppetit ipsa stili prolixitas prohibet in talibus immorari. Hic autem ubi de Beati viri virtutibus pauca, quæ scribi debeant, præsto sunt, utilius arbitramur ad ædificationem audientium, ad quam omnis Ecclesiastica intendit Scriptura in proœmio contra mendacium scribere, quam pro narrationis inopia ipsam historiam mendaciorum finibus protelare.

Igitur quæ de vita, vel miraculis B. Mauri ad nostram notitiam pervenire potuerunt, juxta quod quorundam Monachorum non omnino contemptibilium conjicere narratione potuimus, fidelibus Christi fideliter intimamus.

Eo itaque tempore cum adhuc Romana Ecclesia spatio multo, quam nunc possessionum jura protenderet, & inter cætera Cæsenate etiam oppidum possidere, contigit, ut eadem Cæsena suo privaretur Episcopo. Cumque Romanus Pontifex cerneret nepotem suum Beatum videlicet Maurum, virtutum gradibus ad alta conscendere, & in sanctæ conversationis studio non segniter vigilare congruum duxit; ut talem virum ad sacerdotalis officii apicem promoveret; quatenus lucerna Spiritus Sancti non sub modio delitesceret; sed supra candelabrum posita, omnes, qui in Domo Dei sunt, sacræ doctrinæ radiis illustraret. Quid plura? Tandem Beatus Maurus Cæsenatis Ecclesiæ Cathedram Divina providentia disponente, suscepit. Idcirco autem vel Regis qui tunc imperabat, aut ipsius Apostolici Præ- 201
sulis hic interponere nomina prætermisimus; quia cum ipsis qui nobis reliqua dictant, hæc pariter ignoramus. Eorum namque vocabula in antiquis quidem tomis se vidisse commemorant, sed cum Civitas ante hæc flammis fuisset exusta monumenta quoque perhibent simul fuisse consumpta.

Cum igitur vir Domini Maurus, tam arduæ curæ sibi conspexisset onus impositum, sicut de B. Paulo legitur nequaquam acquievit carni, & sanguini; sed cæpit se in Divinis obsequiis tanto vigilantiorem reddere, quanto sibi noverat, & tot subditorum custodiam imminere. Perpendens namque quia ars est artium regimen animarum congruum judicabat, nec internorum curam exteriorum occupatione minuere, nec rursus exteriorum, providentiam, interiorum sollicitudine funditus declinare; ne videlicet aut exterioribus deditus, ab intimis omnino corrueret, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debebat proximis negligentius exhiberet.

Sæpe namque nonnulli velut obliti, quod fratribus animarum causa prælati sunt, tanto cordis annisu sæcularibus curis inserviunt, quod has cum adsunt se agere exultant: ad has etiam cum desunt, turbulentis cogitationum æstibus anhelant. Cumque ab his cessante forsitan opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque decernunt, si actionibus deprimantur, laborem putant si in terrenis negotiis non laborant. At contra nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime occurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerunque despicitur: quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat,

nat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Hæc autem idcirco de diversis Pastorum moribus loquimur, ut quam prudens, quam mo-
202 *derata in* B. Mauro *fuerit discretio, demonstremus. Quo nimirum dum neque contemplativæ vitæ otium sectando activam omnino deseruit: neque per activæ latitudinem libere discurrendo à contemplatione recessit, ut ita dixerim per auream viam Cælestis Regni celsitudinem penetravit.*

Denique cum in Episcopio suo degeret, & commissam sibi Ecclesiam strenue gubernaret, cœpit talem locum sollicita mentis indagatione perquirere, ubi ad tempus, & à secularium turba secedere, & soli Deo posset specialius adhærere; Domini sui scilicet non segnis imitator, qui per diem in Urbibus prædicabat, noctu vero in monte orationibus insistebat. Dumque in dies hujus anxietatis magis, ac magis cura accresceret tandem adjecit oculum ad breve quoddam promontorium, quatuor fere stadiis ab exigua Urbe semotum vocabatur autem saltus spatiani, locus scilicet nec præruptis cacuminibus, sublimius ad alta porrectus, nec omnino depressus in ima, ad arvalem videbatur planiciem coæquatus, sed ita erat congruo tenore in quodam meditullio constitutus, ut & super se positis liberam visendæ totius pæne Dioecesis facultatem tribueret: se autem ascendentes nequaquam excellentior declivis processibus fatigaret, erat enim mons ille nemorosa diversarum arborum densitate vestitus. Hic itaque mons ita Beati viri aspectibus placuit, ac si montem oliveti adjacere Urbi Hierusalem *cerneret: atque hunc Psalmum non immerito cum Propheta concinnere potuisset: Memor inquit ero tui, Domine de terra* Jordanis, & Ermoniim *à monte modico. Quem videlicet montem prius à* Romano *Pontifice, sub cujus jure detinebatur, petiit: deinde Cellulam sibi illic cum exigua Ecclesia fabricavit, ubi quadragesimali tempore perseverans jejuniis, & orationibus operam dabat: & si quando de Ecclesiasticis negotiis furari poterat ad eandem cellulam velut ad dulcium epularum convivium recurrebat. Illic denique fluentum Divinæ contemplationis avidis mentis suæ faucibus hauriebat, unde postmodum arentia proximorum pectora sanctæ prædicationis poculo recreabat; illo plane loco quasi pro balneo utebatur. Ibi enim curabat abluere, si quam ex*
203 *secularium hominum collocutione aut verbi aut cogitationis maculam contraxisset, & pulverem mundanæ conversationis, sine quo hæc humanæ mortalitatis via non carpitur, crebris illic lachrimarum fontibus expiabat. Ille igitur locus, qui Sancto viro in vita tam dilectus, & familiaris extitit post mortem quoque ejus sepultura meruit insigniri. Nam Corpus ejus in sancta arca reconditum juxta parvam Basilicam, quam ipse construxerat est collocatum.*

Hæc igitur quæ de vita Beati viri ad nostram potuerunt pervenire notitiam, non quia sint à nostris relatoribus visa, sed succedentium generationum celebri memoria divulgata.

Quidam autem antiquus admodum Senex, & corpore marcescente jam tremulus, nostris nuper temporibus extitit, qui se vidisse hujus B. Mauri *Nepotem* Constantium *videlicet nomine, Episcopum* Cæsenatis *Ecclesiæ testabatur. Sed quoniam de vita* B. Mauri *ea quæ nobis audire contigit, stylo currente digessimus: nunc qualiter omnipotens Deus ad gloriam sui nominis ejus merita revelaverit, breviter explicemus.*

Est autem nunc celebre monasterium in prædicto, in quo vir Dei orare consueverat ad honorem B. Dei Genitricis, & Virginis constitutum, ubi mons Mauri *ex antiqua populi consuetudine dicitur, quia locus ille non immerito Sancti Viri vocabulo decoratur.*

Cum igitur arca illa, ubi Beati Viri Corpusculum claudebatur, juxta præfatam Ecclesiam, ter-

A *ræ undique crescente congerie delitesceret: & vix saxi ipsius summitas solo tenus emineret, contigit ut homo quidam cum litaniis adveniens soluta caligæ ligula, repente illic pedem poneret, & nil tale existimans secure ligaret: vincto igitur talo cum jam vellet abscedere, pedem nullo modo potuit amovere. Cumque diu conaretur, & omnia tentans huc illucque se verteret pes nihilominus stabat immotus, & quibusdam veluti clavis saxo tenebatur affixus. Stabat miser ignoti criminis reus, & qui sibi corrigiam ligare voluerat, semet ipsum potius saxo ligasse dolebat. Volebat stare, sed una enixus planta non poterat jacere, sed à suo pede corruere non volebat.* 204
B *Tandem repentino populi adventante concursu, alii malleis, alii securibus gestientes, partem lapidis præciderunt, & post multa vix hominem de saxo exsculpere potuerunt. Mox lætantis turbæ clamor exoritur mira Dei virtus attollitur, &* B. Mauri *tumulus dignus reverentia indicatur.*

Idem prædicti Cœnobii monachus, Teuzo *videlicet nomine grandævus jam, & ipsa canitie venerandus, cujus hæc relatione didicimus, aliud miraculum retulit, quod nequaquam silentio præterimus, aliquando ipse prædictus frater acerrima vi febrium urgebatur. Cumque nulla medicinali cura nullo prorsus humano studio ad incolumitatis statum redire po-*
C *tuisset, cuidam suæ materteræ religiosæ videlicet sanctimoniali nocturno silentio* B. Maurus *apparuit eique dixit. Si vis (inquit) nepotem tuum ex ea, quam patitur ægritudine convalescere, denuntia ei, ut supra sepulturam meam signum Sanctæ Crucis infigat omnique anno solemnitatem mihi se celebrare devoveat. Cumque ille B. viri oraculum, quod Sancta moniali referente cognovit, gratanter impleret; mox ut ferream Crucem super tumulum fixit: deinde commotis visceribus præcipitanter evomit: atque ita protinus omnem ignei languoris molestiam, velut ipso vomitu egerente projecit: jamque pristinæ sanitati integritus restitutus, dignas Salvatori Deo*
D *gratias retulit, &* B. Mauri *miraculum, quod in se expertus fuerat ad gloriam nominis Dei, multis indicare curavit.*

Jam igitur celebri utriusque signi fama volitante per populum cœperunt multi ad sacras B. Mauri *reliquias devote concurrere, piisque ejus meritis suas animas attentius commendare, nonnulli etiam diversis valetudinum incommoditatibus laborantes dum, vel detritam sepulchralis marmoris limaturam biberent, vel B. Confessoris misericordiam fusis tantummodo precibus implorarent, sani & incolumes ad propria sunt reversi, quocunque fuissent vinculo ægritu-*
E *dinis obligati. Videres miserabilium languidorum soluta cadavera alieno prius adminiculo sustentante deferri, qui mox cum magna exultatione, atque tripudio remeabant, saluti pristinæ reparati.*

Cumque tot miraculis coruscantibus magis, præ- 205
clara D. Mauri *fama crebresceret, & virtutes quas per eum Dominus ostendebat non solum contigua quæque sed & remotiora locorum spatia personarent: tandem convocatis Episcopis vicinarum Urbium multisque populorum turbis undique confluentibus certatim arca illa, in qua B. Viri patrocinia reconduntur effoditur, & terebrato pariete Ecclesiæ inter absidam, & Altare cum hymnis, & laudibus summa*
F *diligentia collocatur, processu vero temporis eadem Basilica major facta est, atque ut in præsentiarum cernitur festivius decorata; ubi ad declaranda B. Confessoris merita multa fiunt usque in præsentem diem, Deo operante, miracula, ex quibus nos pauca perstringimus, quæ nimirum hi, qui nobis referunt, se videre testantur.*

Papa Gerbertus *juxta* Cæsenam *castrametatus erat ejusque Oppidum circumfusi exercitus obsidione vallabat. Tunc temporis ad* B. Mauri *tumulum delatus est quidam rusticus gemina morborum passio-*

ne depressus, contractus videlicet, ac cæcus, sed postquam est oratum, & lux amissa ad oculos rediit, & rigida membra fugatus languor absolvit. Protinus videns se homo sanitati tam mirabiliter redditum, utpote, quas valebat gratias agens Beato se Mauro *servum perpetuo jure contradidit, mansurumque se in ejus obsequio donec adviveret devotavit. Qui perceptæ salutis munere pene per decennium fruens postmodum fragilitati carnis enerviter cessit, uxoremque sibi non fausto conjugio copulavit. Mox enim ut luxuriandi voluptatem potitus est oculorum lumen funditus perdidit. Et certe dignum fuerat, ut quia jure* B. Mauri, *cui se mancipaverat, se subtrahens libidinis jugo turpiter colla supposuit, donum quo ab uno Domino fuerat ditatus amitteret, & qui in interiores sponte cciderat invitus exteriores tenebras incurrisset.*

Alio quoque tempore Dæmoniaca quædam ad altare B. Mauri *deducta est, quam tanto pestifer spiritus furore repleverat, ut eam sibi quasi organum faciens multa per os ejus sacrilega & insana proferret diras voces emitteret, & veluti canis rabida crebris baubatibus elatraret. Triduo autem postquam*
206 *illuc perducta est, vehementi quodam impetu sanguinem vomuit, & ita malignum spiritum à quo tenebatur ejecit.*

Alia quædam mulier necessitati rei familiaris plusquam deberet intenta in festivitate Sancti Rophilli *triticum purgare non timuit. Sed dum Beato Confessori digni honoris reverentiam non exhibuit dignæ animadversionis sententiam non evasit. Nam illico Divino percussa judicio Brachiis attractis obriguit, & eodem modo, ac si capisterium adhuc ventilare videretur tremere infeliciter cæpit. Hæc itaque ante* B. Mauri *altare deducitur, & in prædicta solemnitate nunquam se ulterius quippiam tale facturam instantissime pollicetur. Mox largissima omni potentis Dei misericordia clementer adfuit, & stupida mulieris brachia ad libertatem proprii vigoris pleniter reformavit.*

Rursus alia mulier profluvium sanguinis patiebatur, quæ cum insanabili plaga jugiter vexaretur, & hæc atque illa tentans nullum salutis potuisse invenire remedium, tandem in extremis angustiis constituta reperit necessitas ipsa consilium. Nitido itaque juxta possibilitatem suam linteo B. Mauri *mausoleum cooperuit, & ita Divinitus liberata omnem prorsus molestiam lividi languoris evasit. Enimvero cum Apostolus dicat; fide mundans corda eorum; quia mundo corde utpote plena fide Beati viri tumulum tetigit digne promeruit à profluentis sanguinis immunditia liberari.*

A *Item alia Mulier erat ita violentissimi languoris immanitate contorta, ut soluta naturæ ordine ora teneret post se, cervices ferret ante se. Quæ similiter super* B. Mauri *memoriam linteum posuit, & protinus sanitate recepta quibusque membris jus suum natura restituit, & ad tenendum vigorem proprium arteriarum organa temperavit.*

Alia quoque mulier amisso lumine de Aquitaniæ *finibus deducta est, quæ* Gallicæ *animositatis genium servans, & ex more patriæ verba violenter infingens obstinatissime testabatur, quod nunquam inde recederet nisi per Beati* Mauri *merita lumen, quod amiserat, recepisset: sicque magno fidei fervore suc-* 207
B *censa breve tuguriolum juxta Ecclesiæ parietem compilavit; ut quodam modo potius habitaculum, quam præparare videretur hospitium. Cumque per octo dies instantissime fuisset oratum lumen, quod quærebat Divina gratia largiente, recepit; & dignas illuminatori suo Deo, &* Mauro *ejus famulo gratias retulit.*

Popilienſis *diæceseos turba ad* B. Arduini *limina orationis causa tendebat cumque per oratorium* B. Mauri *transitum habuisset contigit, ut quædam ex illis fæmina, genu Abbatis ipsius monasterii humiliter osculata, commeandi licentiam peteret, quæ vix unius sagittæ emissione progressa arrepta mox à Dæmonio in terram projicitur, concutitur, volutatur,*
C *& multa convitia adversus eundem Abbatem mordaciter evomebat. Hæc itaque ante* B. Mauri *Altare deducta non multo post divinæ virtutis est imperio liberata ita ut redeuntibus sociis jam sibimet reddita simul cum eis sana, & incolumis reverteretur ad propria.*

Hæc igitur fratres carissimi de virtutibus quas omnipotens Dominus per Beatum Confessorem suum Maurum *operari dignatus est pauca perscripsimus, ut ad glorificandam Divinæ Majestatis potentiam vestræ charitatis studium incitemus: qui nobis adhuc in via positis miraculorum suorum dignatur exhibere virtutem, per hæc nos ad capescendam Cælestis Patriæ invitat, & provocat hæreditatem testante qui*
D *ait: virtutem operum suorum annuntiavit populo suo ut det illis hæreditatem gentium; quatenus dum ipsa Sanctorum sepulchra tot miraculis radiare conspicimus, de immensa eorum gloria, qua jam cum Christo regnant minime dubitemus. ut despectis terrenis illuc se noster animus jam per desiderium transferat, ubi se gaudere in perpetuum sperat; illuc se libere spiritus dirigat, vbi Imperator Cæli Christus cum supernæ Curiæ Senatoribus ineffabiliter regnat. Cui sit gloria, & Imperium cum Æterno Patre, & Spiritu Sancto per omnia sæcula, sæculorum. Amen.*

FINIS LIBRI QUINTI.

---

209 LIBER SEXTUS.



IAM ab *Othonis*, & *Othonum* imperio teximus Historiam illud autem de Provincia notandum est à temporibus eam *Caroli Magni* novum nomen adeptam, *Romaniam* incepisse vocari, quod scilicet fida *Romano* Imperio fuerit, sub eoque adversus *Longobardos* postremis exceptis annis vixisset ob eandem caußam *Thracia* olim, *Romania* deinceps dicta. Aliter etiam Exarchatus *Ravennæ* vocata, in literis scilicet olim Imperatoriis, & postea Pontificiis Provinciæ administrationem Rectoribus tradentibus,
E at proximo *Othonibus* tempore Comitatus *Britinoriensis* à reliquo Exarchatu separabatur ut in traditione Provinciæ regiminis, mentio Comitatus illius, & Exarchatus sejunctim fieret. *Ugonis Britonoriensis* Comitis, & *Gerardi* ejus filii testamenta refert *Rubeus* ex quibus magnam, & fusam eorum fuisse tum in montana tum in plana 210
Regione ditionem patet. Immo, & in *Piceno*, Civitates autem *Italæ* tum liberæ fuisse videntur juxta antiquam *Romanorum* distinctionem: In liberas, & servitute affectas. Liberæ dicebantur quæ suis legibus uti, & à suis magistratibus Regi permittebantur; servitute affectæ à Magistratibus

bus illuc *Roma* missis gubernabantur. Hæc vero tum erat Reipublicæ forma. Tria erant Consilia, quæ totam Rempublicam continebant, alterum credentiæ dictum, alterum speciale, & generale alterum. Supremus vero Magistratus primum duo Consules ex Civium ordine ambo, at postea, (quod forsan potentiores Cives non satis possent ab urbanis Magistratibus coërceri vel quod dissidiorum civilium periculum in judiciis capitis immineret) externos prætores ad determinatum tempus potes vitæ, necisque conduxerunt, qui etiam in bello exercitus Imperatores erant. Licet sequentibus temporibus ut plurimum in duos rectores tantam potentiam divisérint in Præfectum scilicet, & Prætorem quos ipsi Capitaneum vocarunt, ac potestatem, & jure ipsos libertati ab unita potentia timuisse facta longo post tempore sequuta *Galassi* Comitis, & *Francisci Ordelafi* demonstraverunt. Oportet sane in ejusmodi Reipublicæ constitutione plebem etiam partem habuisse. Præsertim quod ad armorum tractationem (ut *Otho Frisingensis* etiam dicit vocabatur) non potest autem plebs bellicosa ab omni Reipublicæ participatione excludi, ut de *Romana* Republica posteaque de *Florentina* contigit. Præterquam quod in sequente enarratione bis saltem inter plebem, & optimates seditionem extitisse videbimus.

Jam vero tunc Civitates libere se gerentes tum internis tumultibus agitari, tum ab externis vexari hostibus poterant. Seditionum civilium prævalida origo est divitum, & inopum differentia, & dissensio liceat sub his optimates, & plebem reponere. Est etiam seditionis, & popularis scissionis causa duorum inter se potentum Civium discordia, ac inimicitia, ut *Syllæ* olim, & *Marii*; deinceps *Cæsaris*, & *Pompeji*, & demum *Octaviani*, ac *Marci Antonii*, quæ in bellum civile populum *Romanum* traxere.

211 Lucanus. —— —— —— *Populumque potentem*
In sua conversum victrici viscera dextra.

Est tertia causa cum dissidium aliquod vel opinionis, vel affectionis altas in Civitate, & fusas radices egit, ut in universos ferme Cives dispergatur. Talis fuit in seculis de quibus jam scripturi sumus *Guelphorum*, & *Gibellinorum* divisio, quæ tantum in *Italorum* animis potuit ut cætera ferme omnia charitatis vincula huic uni dissidio cederent. In nostris itaque Civitatibus ex altera ferme harum causarum sunt ortæ, sed ex duabus præsertim divitum, & inopum *Guelforum*, & *Gibellinorum* dissidio, seditiones. Externi vero hostes, qui ex remotis locis forte fortuna advenere, à me nunc omittuntur, ut *Gothi*, *Longobardi*, *Unghari*, *Saraceni*, sed propinqui, & propinquas causas habentes sunt considerandi. Civitates ergo finitimæ, & conterminæ perpetuis ferme causis dissidii sunt obnoxiæ dum de limitibus plerunque ambigitur, dum quotidie querelæ, nascuntur de illatis damnis Pastorum incuria, vel fraude, vel spretu, dum ex alveorum obstructione superioris agri aquæ stagnant. hæ, & aliæ sexcentæ sunt querelæ, quæ (cum communi Principi non subsint, qui injurios compescat, & jus habenti administret) sæpe ad arma ducunt. Hinc fit ut trium Civitatum quarum extremæ cum intermedia terminis communicent sint intermediæ parum amicæ inter se vero ut eidem infensæ, amicitia nectantur. *Faventia*, & *Cæsena* parum olim *Ravennæ* amicæ erant, suntque conterminæ. At inter se amicitia junctæ nisi causa interdum intercederet, quæ disjunctionem faceret. *Ariminum*, & *Cæsena* ex finium contentione infensæ inter se animis, & armis sæpe fuere, at cum interdum factionum conspiratione convenerunt, arma etiam junxere, & copias; multo magis quo tempore *Malatestiis* ambæ paruerunt; at his positis, quæ conjecturam interdum præbere possunt eorum quæ silentium scriptorum involvit ad gestorum narrationem accedamus. * Anno 1001. ut *Sigonius*, at 998. ut *Rubeus*, Papa *Sylvester secundus* *Cæsenam* obsidione cinxit, quamobrem moverit in Civitatem arma Pontifex nemo scribit, & *Rubeus* negat à se causam penetratam. Est tamen non omnino clausus conjecturæ locus: non etiam constat qui fuerit obsidionis, & belli exitus. Num expugnata fuerit Civitas, & quia nulla fit à scriptoribus expugnationis mentio num placatus Civium precibus, & errorum pænitentia recesserit; an contumacia resistentis populi tanta fuerit, ut dimiserit interim pervicacis Civitatis punitionem à majore Ecclesiastici regiminis cura retractus. Obsidionem arctam fuisse verba D. Petri Damiani declarant. *Papa* (inquit) *Gibertus juxta Cæsenam castrametatus erat, ejus Oppidum circonfusi exercitus obsidione vallabat.* † Papa *Sylvester Secundus* prius *Gibertus* nuncupatus fuerat Archiepiscopus *Rhemensis* favore Regio factus, *Ravennæ* deinde Archiepiscopatum studio, ac jussu *Othonis* Imperatoris est assequutus, tandem post *Cælestinum* ad Pontificatum evehitur. Ea vero fuit *Giberti* in divinis, & humanis scientiis doctrina præsertim in astronomia, & mathematicis, ut à rudibus eo sæculo scientiarum ejusmodi hominibus pro Mago habitus fuerit; injuria tamen, verum in ipso id merito reprehenditur quod magna cum acrimonia temere universalis Ecclesiæ judicio repugnaverit. Fuerat Archiepiscopatu *Rhemensi* injuste *Arnulphus* spoliatus in ejusque locum *Gibertus* intrusus, Concilium super ea re convocatum *Gibertum* ex injusta possessione dejecit, & *Arnulfum* restituit omniaque ex *Romani* Pontificis authoritate, *Gibertus* tamen se exautoratum non ferens summa petulantia est amarulente in Concilium, & in Pontificem invectus, & in Ecclesiam; narrando scilicet pseudosynodum eamque extollendo *Duri* contori *Rhemorum* habitam quæ injuste *Arnulfum* deturbaverat. Ea fuit scripti virulentia, ut novatores Ecclesiæ Catholicæ jurati hostes illud è tenebris erutum bis edendum curaverint, semel sine dote alias mendaciorum larga dote locupletatum. credamus postea præsertim in pontificatu novo lumine illustratum priora errata deflevisse. Quod tamen erat naturæ, & habitus; iracundiam minus, magisve refractam retinuisse, ut in *Ravennatis* Ecclesiæ administratione quas credidit injurias à *Cæsenate* Republica accepisse, ulcisci Pontifex factus

Anni 1001. Cæsenæ obsidio. 212

In vita B. Mauri.

213

* *Anno* 1001. *ut Sigonius.*] Placet annotare, quod eodem anno 1001. *Cæsenæ*, vel in agro *Cæsenæ* contigit. Est *Padernus* villa *Cæsenatis* territorii olivetis, & vineis referta in ejusmodi loco *Otho Tertius Roma* rediens, *Ravennam* iturus extremum diem obiit. Dicitur à D. *Romualdo* ei prædictum cum *Ravenna* discederet *Romam* versus, non amplius *Ravennam* visurum.

† *Papa Sylvester Secundus prius Gibertus nuncupatus*] De ejusmodi Pontifice ego inter cætera dico ob magnam ejus doctrinam in astronomicis præsertim, ac mathematicis scientiis à rudibus eo sæculo scientiarum ejusmodi hominibus pro Mago habitum, nemo tamen credat à me *D. Antoninum* ejusmodi dicto insimulatum, licet ipse quoque iis assentiatur, qui Magum reputavere. Eos ego inspexi, qui viventem illum Pontificem ejusmodi doctrinis excultum ipsi earum rudes vulgi damnarunt judicio, quod judicium sequutus est *Joannes* de *Cos.* à *D. Antonino* relatus, quem tamen licet non confutet, non confirmat vir Sanctus. Ego mitiorem sententiam sum sequutus, quam etiam eruditissimus *Panvinus* commendat, & sequitur Bellarminus *lib. de Sum. Pontif.* IV. *cap.* 12.

In controversiis.

factus voluerit, & postea etiam non semel Archiepiscopi de *Cæsenatibus* questi sunt, & interdum etiam exercitum bellum. Occasio vero discordiæ dum Civitas se suo regebat arbitrio hæc præsertim erat. Multa sunt Castra in agro *Cæsenate* vel prope in montana scilicet Regione quæ ad ditionem Archiepiscopi spectant. Horum aliqua Respublica nostra, aliqua Cives *Cæsenates* privatim beneficiario jure obtinuere. Alia vero Civitas vi, & armis occupavit ut montem usque *Saracenum* qui nunc *Mercatus Saracenus* vocatur, sed & alia loca, quæ in sequentibus significabuntur. Iidem præterea loci cum juge commercium cum Civitate habeant à qua ipsi frumentum, & reliquum commeatum fere omnem acquirunt. Divenditis etiam hic pauperculis reditibus suis, indeque pecunia comparata unde ipsi nostra emant. Tam frequenti ergo colligatis commercio Civitas non secus, ac subjectis sæpe imperabat, & hinc Archiepiscopi, & ministrorum querelæ, facile ergo est immo, & longe probabile in novitate ea libertatis ab *Othone* concessæ Civitatem id quod esset pro jure habuisse, ac reputasse. unde exasperatus *Gibertus*, quod non potuit Ecclesiæ suæ viribus dum erat Archiepiscopus, ulcisci, viribus Pontificiis postea Pontifex conatus sit. Exitus vero obsidionis videtur fuisse non expugnatio, cujus nulla ab Historicis mentio sed quod Cives demum fracti obsidionis malis polliciti sint pollicitationemque forte juramento firmaverint (ejusmodi sponsioni tum magna adhibebatur fides) se in posterum jura Archiepiscopatus non violaturos, & occupata restituturos. Ejusmodi conventionis effectus unaque argumentum est, quod *Rubeus* narrat sub anno 1022. *At* XVII. *Kal. Novemb.* (inquit) *Heribertus Archiepiscopus Cæsenæ omnem invisit, ac firmavit Ecclesiæ suæ ditionem.* Et Anno 1030. *Genebrardus* (inquit) *Archiepiscopus postquam Cæsenæ fuit multaque ibidem superiore mense restituit ad Ecclesiam Ravennatem spectantia.*

Et anno sequenti rediit idem Archiepiscopus
214 *Cæsenam* ad idem munus implendum. Nimirum quæ Cives *Sylvestro* Pontifici promisere tum, & subinde semper pro Archiepiscoporum instantia opere ipso præstabant. Et forte tum consuetudo illa initium habuit ad demulcendos scilicet Civium animos, quam *Paulus Quartus* in literis suis dicitur immemorabilem asseruisse, quod *Cæsenæ* resideret, & *Cæsenas* esset, modo aliquis ibi esset muneri aptus, qui vicariam pro Archiepiscopo jurisdictionem in memoratam ejus ditionem Castrorum universorum obtineret; ad quem confugerent subjectæ gentes si à suis judicibus peculiaribus gravarentur, querelasque & accusationes deferrent, atque justitiam exspectarent. Interim vero Imperatorum hæc fuit series. *Otho* Magnus sub quo Imperium in *Germanos* transiit mortuus est anno 973. successit *Otho Secundus* ejus filius, qui usque ad annum 983. vixit, imperavitque. Huic *Otho* tertius filius successor extitit, Imperiumque ad annum 1002. cum vita produxit, quo mortuo *Androinus Eporediæ* Marchio anno eodem suffragiis Principum *Lombardiæ* Rex *Italiæ* creatur. At *Arnulphus Mediolani* Archiepiscopus iratus quod se inscio, in cujus manu Regni *Italici* Corona servabatur Regem Principes elegissent. Conventu Ecclesiasticorum coacto *Henricum* Regem *Germaniæ* declarat, pronunciatque *Italiæ* Regem ex antiquo decreto. *Henricus* electione audita *Othonem* Ducem cum Exercitu ad *Androinum* depellendum misit, at contrarium accidit. Stetit enim penes *Androinum* victoria, adeoque in magna *Lombardiæ* parte *Ticini* residens usque ad annum 1013. regnavit, quo

A tempore etiam *Mediolanum* obsedit, & oppugnavit: at frustra semper. Rursus vero vocatus *Henricus* ipsemet venit, *Androinum*que debellavit, sibique Regnum *Italicum* asseruit. Accessit Regno Imperium, statim enim à *Benedicto* Summo Pontifice inunctus Imperator fuit, & usque ad annum 1024. perseveravit, quo mortem obiit: eousque inoffense procedebant inter se amore Pontifices, reverentia Imperatores, at qui sequuti sunt quatuor ex *Gibellina* familia, ut dicit eos *Sigonius*, parum æqui Pontificibus eas simultates inter Ecclesiam, & Imperium excitavere, quæ 215
Italiæ non dixerim perturbationem, sed ferme
B vastitatem attulere. Tum Pontifices sua non amplius ab Imperatoribus, sed à se ministrisque suis regi administrarique conati sunt, & obtinuere demum, summaque nunc cum tranquillitate obtinent. *Conradus* ergo successit: Dux erat *Franconiæ*, imperavit ab anno 1024. ad annum 1039. Hic sane ut dominum se *Romaniæ* gessit, Platina.
ut mox subjiciemus, at quoniam tum *Romani* Pontifices præsertim *Joannem Decimum nonum* seditionibus vexabant, minis autem Imperator *Romanos* deterruit: nullæ ex *Romania* inter Pontificem, & Imperatorem turbæ. Diploma autem *Conradi* Pontificio in Povincia juri derogans,
C quod refert sub anno 1034. *Rubeus* erat. Partem tantum exscribo. *Dominus Gebehardus nobis à Regni nostri principio fidelissimus filius Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus constitutus nostram convenit præsentiam, nostramque poposcit clementiam, quo pro Deo, animæque nostræ salute Comitatum Faventinum Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Imperiali largitione concedere dignaremur, cujus nos fidelitatem devotissimam recolentes, & carissimæ nostræ conjugis precibus annuentes prænominatum Comitatum Faventinum cum omni districto suo, & legati placito, & judicio, omnibusque publicis functionibus, & angariis, & reditionibus, teloneis, fodris, ripati-*
D *cis, aquis, aquarumque fluxibus molendinis, & piscationibus, cunctisque postremo ex eodem Comitatu hactenus juri tegro legaliter attinentibus prænominatæ Sanctæ Ravennati Ecclesiæ studio devotæ religionis offerimus, & à nostro jure, & Dominio in ejus jus perpetuum, Dominiumque transfundimus, & per hæc nostræ auctoritatis instituta donamus, & habendum in perpetuam proprietatem à modo delegamus.* Hæc ibi, quibus sane Imperator omne sibi jus in *Faventinum* Comitatum nulla habita juris in illum Pontificis ratione sumit, licet irritam fuisse concessionem facile intelligemus ex iis, quæ idem *Rubeus* subjungit. Scribit enim eodem
E anno ab *Ugone* nobili Comite *Bononiensi Faventinum* Comitatum *Gebehardo* Archiepiscopo libere renunciatum, tum vero ab eodem *Gebehardo* fuisse *Ugoni*. Eidem medietatem ejusdem Comi- 216
tatus *Faventini* beneficiario jure traditam verba sunt concessionis. *Et tunc jam dictus Dominus Gebehardus prædictæ Ecclesiæ Archiepiscopus hæc ita accipiens, & illico investivit prænominatum Ugonem Comitem de medietate jam nominati comitatus Faventini cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus in beneficio.* Hæc monstrant Comitatum *Faventinum* Comitis *Ugonis* fuisse ante *Conradi* concessionem Archiepiscopo factam ob idque re-
F nunciatum post concessionem *Cæsaream Gebehardo*, qui mediam postea partem renunciatæ ditionis *Ugoni* restituerit, sed cum Chronicis *Faventinis* nullo modo conveniunt, neque etiam cum iis quæ de bello inter *Ravennates*, & *Faventinos* non multo post facto *Rubeus* ipse scribit ut deinceps intelligemus. Moritur interea anno 1039. Imperator *Conradus* cui filius *Henricus Secundus* in Regem *Germaniæ* statim sufficitur, solum vero anno 1046. Rex *Italiæ Mediolani* coronatus, & anno

anno 1047. Imperator consecratus ad annum
1056. vitam, & Imperium produxit prius autem
anno 1055. *Ugo* Legatus ejus (utque tum vo-
cabant) missus conventum in vico de *Rheda* nun-
cupato habuit, cui adfuerunt *Henricus* Archiepi-
scopus *Ravennas*, *Rolandus Ferrariæ*, & *Benedictus*
Hadriæ Episcopi, Judices etiam *Ravennates*, *Cæ-*
senates, *Forolivienses*, & *Ferrarienses*, *Paulus*
Traversaria, & alii multi proceres. Auditæ ibi
querelæ adversus Archiepiscopum de perturba-
tione possessionis cujusdam fundi, & decreti, ju-
dices qui pro Archiepiscopo pronunciarunt. Suc-
cessit *Henrico Secundo* filius ejus *Henricus Tertius*
tum in Regnis *Germano*, & *Italo* tum in Imperio,
quo est annos 49. menses decem potitus. fuit is
Pontificibus, qui ejus tempore sederent refracta-
rius. Fuere Pontifices *Stephanus Decimus*, vel
Nonus, *Nicolaus Secundus*, *Alexander Secundus*,
Gregorius Septimus, *Victor Tertius*, *Urbanus Se-*
cundus, *Paschalis Secundus*. Dissidii ea præser-
tim causa quod *Henricus* Ecclesias pro arbitrio
quasi jure suo distribueret, & quod pessimum
erat, venderet simoniamque adeo publice exer-
ceret. admonitus à Sanctis Pontificibus, & di-
217 ris tandem impetitus nunquam resipuit, sed po-
tius exasperatus falsorum Pontificum sublectione,
est in veros Pontifices debacchatus Ecclesiam ne-
fario schismate distrahendo. Cum Imperatore,
& ejus intuitu cum Pseudopontifice sentiebat,
stabatque *Gibertus Ravennæ* Archiepiscopus, at-
tamen Provinciæ Civitates *Cæsena*, *Forumpopilii*,
Livii, *Cornelii*, *Faventia*que, *Ferraria*, *Cima-*
clum, *Cervia*, Comitatus *Bobii* veris Pontificibus
adhæsere. Hinc iratus Imperator suggerente
Giberto etiam materiam incendio anno 1053. e-
dito diplomate, Civitates has, & territoria, ac
Ditiones omnes Archiepiscopo donavit *Ravenna-*
*ti*que ejus Ecclesiæ. Donatio cum multa com-
Rubeus sub Anno 1063. plectatur hæc sola refero. Ad hæc Comitatum
Cæsenatem cum Castro vetere, & novo *Ficoclen-*
sem cum Episcopatu, & ripa. Comitatus præ-
terea *Bobii*, *Forolivii*, & *Fori Pompilii* cum eo-
rum Civitatibus, & districtibus. sed vana fuit
donatio, & chartæ hæsit, Civitates enim sua
possidere, quod antea de concessione *Faventiæ*,
& *Faventini* territorii diximus. Res hinc jam
clara fit. Anno 1075. & deinceps 1080. bellum
ex æque *Faventini* cum *Ravennatibus* gesserunt,
at si subjecti Archiepiscopo fuissent, neque ipso-
rum erat suscipere interminatum bellum, neque
eorum virium, quibus jam privati fuissent, re-
pulsare, sed Archiepiscopi, & *Ugonis* Comitis si
Dominium ipse eorum pro dimidio obtinuisset.
Narratio utriusque belli juxta *Faventinos* annales
in *Rubeo* legimus placet narrationem secundi belli
anno scilicet 1080. gesti attexere, ut plenior
fiat eorum quæ de donationum inanitate fides.
Narratio ergo est. *Ravennates* interminatos esse
Faventinis se Kalend. Maji semestri scilicet post
interminationem tempore ituros ad procerum
quendam, & celebrem Castaneum in *Cæsarolo*
agri *Faventini* villa excindendum. *Faventini* non
damnum in unius arboris excisione sed dedecus
respicientes, suisque viribus diffidentes eminus
suppetias quæsivere, neque enim sperabant ab
ulla finitima Civitate se auxilia obtenturos eo
218 quod credebant se ob invidiam omnibus odio esse;
missi ergo in *Lombardiam*, qui suppetias inde
quærerent. At irrito labore; solum prope Alpes
in Comitem *Gallum* inciderunt, quem *Vineam*
Rubeus appellat redeuntem tum ex *Palæstina*, quo
pietatis ergo peregre iverat. Ab hoc cum mo-
lestiam illi suam narrassent liberalem pollicitatio-
nem obtinuere, sed ad statutam diem cum suffi-
cientibus adversus hostem copiis reversurum,

A oppigneratamque fidem opere præstitit. Adfuit
enim dicta die cum quingentis equitibus, sed ex-
ciso jam Castaneo nondum tamen *Ravennates* re-
cesserant unde *Faventini* juncto suo cum *Gallis*
milite *Ravennates* in excisionis loco aggressi sunt,
fuderuntque & usque ad *Russi* Oppidum insequuti
ingenti clade affecerunt. Certe neque Archiepi-
scopi, neque *Ugonis* Comitis aut hæredum *Fa-*
ventini erant: ad eos enim confugissent, & sup-
petias petiissent obtinuissentque non erat cur pro-
cul adeo ex *Gallia* auxilium peterent. Archie-
piscopus auctoritate sua *Ravennates* compescuisset,
& nisi auctoritas suffecisset vires Archiepiscopi,
B & Comitis nobilis *Bononiensis* majorem manum
militum quingentis equitibus potes fuissent exhi-
bere. Hæc adversus traditionem Comitatus ac
Ditionis universæ *Faventinæ*. Narrationem vero
minus verisimilem multa reddunt: at hoc unum
objicio. Ob invidiam scilicet exosos reliquæ
Provinciæ *Faventinos*. Non est verisimilis invi-
dia, neque enim ea erat eousque gloria rerum ab
ea Civitate gestarum, neque ejus amplitudo, nec
potentia, quæ posset esse reliquæ Provinciæ in-
vidiæ. Ejusmodi potius affectus Civitatum ad-
versus *Ravennam* esse potuisset. Quæ facile fa-
stum antiquum retinebat, ut id ipsum Chroni-
C cum asserit, at plurimum diminuta potentia, ut
fastus in invidiam *Ravennates* adduceret: at im-
becillitas Provincialium animos exacueret ad eos
comprimendos, & in ordinem redigendos, ne-
que video cur *Cæsenates*, & *Bononienses* qui se-
quentibus annis *Faventinis* potius faverunt, non
easdem tum amicitiæ causas proindeque & amici-
tiam haberent. Præsertim *Cæsenates* quibus cum
Ravennatibus causæ instabant ob fines dissidii,
ideoque odium, & fastus suspecta erant. Quod
vero dixi non fuisse ad id usque temporis gloriam 219
Faventiæ tantam, ut invidiosa reliquæ Provinciæ
esset, eo spectat quod postea præclara omnino fa-
cinora gessere, quæ tum eorum annales, (qui
D non eadem de præcedente ævo dicunt) & nos
ipsi in sequentibus dicemus, sed redeo ad nostra.
Cum id primum de Comitatu *Britonoriensi* dixe-
ro. *Gerardum* Comitem *Ugonis* filium anno 1062.
testamentum condidisse, & obiisse tum videtur
nam anno 1076. eundem Comitatum Archiepi-
scopus jure itidem beneficiario concedit alteri Rubeus sub A. 1076.
Gerardo nepoti non filio *Ugonis*, prior vero *Ge-*
rardus multa legata in testamento reliquerat Ec-
clesiis, & Episcopis. *Archiepiscopo Ravennati*
Palafrenum, *Destrerium*, *Loricam*, *& Vexillum:*
Episcopo Popiliensi Equum album: Episcopo Cæsena-
ti Mulam suam, *in Ecclesia Beati Apollinaris quin-*
E *que jumentas*. Hæc apposui ut ejus ætatis mos
elucerct. Interim Episcopus hic *Cæsenæ* cui
Mula legata, quo fuerit nomine dictus, non
constat, num fuit *Joannes* ille cui Divus *Petrus*
Damiani librum de gradibus Parentelæ inscripsit?
Hic sane in tempus D. *Petri* incidit, qui anno
millesimo octuagesimo in extremo Senio diem
obiit, at parumper sustineo judicium; quicun-
que is fuerit, pro vero Pontifice adversus Pseu-
dopontifices ab *Henrico* factos, vel ejus saltem
jussu creatos semper stetit: res planiore eget nar-
ratione. *Henricus* hic *tertius* de quo dicimus in
Pontifices jam exasperatus *Caldolum* Episcopum
F *Parmensem* Pseudopontificem opposuit *Alexandro*
Secundo Pontifici, *Honorium*que *Secundum* appel-
lavit. Pseudopontificis *Honorii* tempore vivebat
is noster Episcopus cui Mulam Comes *Gerardus*
legaverat qui constanti fide adhæsit vero Pontifi-
ci, ut etiam reliqui Provinciæ Episcopi, quod
quæ sub sequente Pseudopontifice contigere,
confirmant. Mortuo enim *Caldolo* quievere quo-
quo pacto inter Pontificem, & Imperatorem tur-
bæ,

bæ. Sed cum rursus *Henricus* pro sui levitate ab eo quod cum Pontifice convenerat recesserit, recruduit ulcus, cumque *Alexandro* in sede *Petri* successerit *Gregorius Septimus* vir si quis unquam Ecclesiasticæ immunitatis, & Pontificiæ dignitatis an majestatis? tenax. Statim inter ipsum,
220 tatis an majestatis? tenax. Statim inter ipsum, & *Henricum* gravis dissensio exarsit. Unde *Henricus Gibertum Ravennæ* Archiepiscopum Pontificem dixit *Clementem*que *Tertium* vocatum *Gregorio* opposuit Sancto Pontifici hominem scelestum. Provinciæ tamen Populi pro Pontifice non habuerunt. *Rubeus Unibertum* pro *Giberto* perpetuo vocat, idque jure si authographa quæ memorat, & exscribit, suscipiamus. *Constantiam* autem Civitatum, & Populorum Provinciæ in obedientia veri Pontificis, & alienatione à falso ipsemet *Rubeus* testatur. Scribit enim sub anno 1086. hæc verba. *Hæc puto factum quod Populi Ravennatis præsertim Provinciæ, in qua ipse plurimum morabatur, illum nequaquam verum Pontificem ducerent.* At res factaque ipsa idem commonstrant. Cum enim absente *Uniberto Ravennam* Pontifex miserit *Petrum Damiani:* Sanctus is Legatus *Ravennam* quidem à contracto piaculo ob contagionem corrupti Archiepiscopi, & falsi Pontificis exemit, at reliquæ Provinciæ nullum piaculum interpretatus totam absque ulla absolutione dimisit imo *Faventiam* ut minime pollutam Civitatem adivit, monasterium ibi à se olim institutum ut inviseret, ubi etiam febri correptus brevi mortuus est, ut Cælo perpetuo frueretur. Solus ex Provinciæ Episcopis *Cerviensis* si *Platinam* suscipiamus, affuit consecrationi *Uniberti* in Pontificem anno 1081. quo ex *Germania* cum exercitu *Henricus* reversus illum secum *Romam* duxit: consecrarunt autem Pseudopontificem Episcopus *Mutinensis*, *Bononiensis*, & *Cerviensis* ut cæteri saltem Ponvinciæ Episcopi, Pontificis veri asseclæ non se execrando ministerio inquinaverint. *Romam* Imperator cum *Uniberto*, qui præfectus erat copiarum interpolata obsidione tres annos vexavit, at tertio cepit, sed oborta à pestilentia coactus ab Urbe ad colles recessit. Diminutisque ex morbo copiis, cum reliquiæ vix *Unibertum* fovere, & tueri possent reversus in *Germaniam* novum inde exercitum deduxit, at jam se illi *Matildes* ejus ævi Heroina, & Ecclesiæ propugnatrix acerrima opposuit: Varia fortuna pugnatum, captæ primum ab *Henrico Mantua*, & *Ferraria*, mox à *Matilde* recuperatæ.
221 Magna erat inclitæ Principis Ditio in *Etruria* in *Lombardia*, tum *cis*, tum *Transpadana* interque alias Civitates *Mantua*, & *Ferraria* potiebatur. At inter memorata bella interquietes fuere, cum Imperator in *Romania* hac moratus sit; ampliusque *Unibertus*. Tum Civitates suspectæ *Uniberto* quia Pontifici devotæ non sine molestia à pravo Antistite fuerunt. At manuscripta nostra in hoc plura conveniunt, quod ab Imperatore *Henrico*, & *Giberto* Archiepiscopo ita ipsa pro *Uniberto* nominant summopere vexata *Cæsena* fuerit. Favent, quæ *Baronius* ex Pontificiis actis scribit. Is ergo *Annal. tomo undecimo primo* sub anno 1076. pagina mihi 495. hæc habet.

Ann. 1008.

Est de his omnibus monimentum in Vaticana Bibliotheca in Codice, qui Cencius Camerarius inscribitur de Censibus Apostolicæ Sedis, in quo ista (ut hic leguntur) descripta habentur de Synodalibus actis asservatis olim in Archivio Lateranensi in hæc verba, & primum sic titulus. Ex Synodo habita in Dalmatia à Legatis Septimi Papæ Gregorii scilicet à Gebizone tum Monasterii Sanctorum Bonifacii, & Alexii Abbate, nunc vero Cæsenate Episcopo, nec non à Folcovino Forisempronii Episcopo. Quæ Synodus habetur in Archivio Sacri Palatii Lateranensis in qua de Regno, & de Rege Dalmatiæ ita inter cætera legitur.

A

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo sexto, Indictione decima quarta, Mense Octobris Ego Demetrius, qui & Suinmur vocor Dei gratia Croatiæ, Dalmatiæque Dux à te Domine Gebizo ex Apostolicæ Sedis Legatione Domini Nostri Papæ Gregorii potestatem obtinente in Salonicana Basilica Sancti Petri Synodali, & concordi totius Cleri, & Populi electione de Croatarum, Dalmatinorumque Regni Regimine per Vexillum, Ensem, Sceptrum, & Coronam investitus, atque constitutus Rex tibi devo-
B *veo, spondeo, polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reverenda injungit sanctitas. Videlicet ut in omnibus, & per omnia* 222 *Apostolicæ Sedi fidem observem, & quicquid hic in Regno tam Apostolica Sedes, quam sui Legati sanxerunt, & sanxerint, irrevocabiliter custodiam. justitiam excolam, Ecclesias defendam: primitiæ, decimæ omniumque ad Ecclesiam pertinentium procurator existam; vitæ Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, ut caste, & regulariter vivant, provideam; pauperes, viduas, atque pupillos protegam; parentelæ illegitimam copulam destruens legitimam dotem annulo, benedictioneque*
C *Sacerdotis constituam, & constitutam corrumpi non permittam. Hominum venditionem contradicam atque in omnibus, quæ ad rectitudinis statum congruunt Deo auctore me æquum exhibeam. Ducentorum quoque Byzantiorum tributum meorum omnium censultu primatum Sancto Petro in singulos annos in die resurrectione Domini de mihi concesso Regno persolvendos statuo, & ut post me regnaturi hoc idem perpetuo servent censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo, atque confirmo Apostolicæ sedi S. Gregorii Monasterium, cui Urana est vocabulum cum omni suo thesauro scilicet cum capsa argentea reliquias ejusdem Beati Gregorii continente cum duabus*
D *crucibus, cum Calice, & patina, cum duabus Coronis aureis gemmis ornatis, cum Evangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus, & immobilibus bonis, ut Sancti Petri legatis semper sit ad hospitium, & omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, ut nulli alii potestati detur, sed omni tempore Sancti Petri sit proprium, à me meisque successoribus defensum ab omni homine liberum, & securum. Cujuscunque autem audacia temeraria usu præfatum Monasterium ex assignato thesauro privaverit, terribilem illam Judicis vocem, quam Diabolus cum suis Angelis auditurus est, audiat: præterea cum Deo servire regnare sit, vice B.*
E *Petri, & Domini nostri Papæ Gregorii atque post se successorum in Apostolica Sede me tuis manibus committo, & commendo, hanc fidelitatem Sacramento stabilio. Ego inquam Demetrius, qui & Suinmur Dei gratia, & Apostolicæ Sedis dono Rex ab hac hora in antea Sancto Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, suisque successoribus canonice intrantibus ero fidelis, & ut ipse, sive post eum futuri Pontifices sive legati eorum vitam, aut membra perdant, aut capiantur neque in consilio neque in* 223 *facto ero; & consilium quod mihi crediderint ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem quod mihi per manum tuam Domine Gebizo*
F *traditur, fideliter retinebo, & illud suumque jus Apostolicæ sedi aliquo ingenio nunquam subtraham. Dominum meum Papam Gregorium, & suos successores, atque legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, honeste tractabo, & remittam, & undecunque me invitaverint prout potero, ei diligenter serviam hæc ibi.* Huc usque Baronius. Ex quibus constat *Gebizonem* nostrum deinde Episcopum in tanta re, quanta Regni traditio fuisse ministrum *Gregorii Septimi*, & Legatum, qui cum

eum deinceps Episcopum nostrum constituit: sed etiam Cardinalem creavit, ut Ciaconus refert in *Histor. Romanorum Pontificum & Cardinalium* sub anno 1084. Ex his modo lux oboritur illis, quæ in nostris manuscriptis annalibus pluribus legi antea dicebam; Civitatem scilicet alienam fuisse à *Giberto*, sive *Uniberto* Archiepiscopo *Ravennæ*, & ab Imperatore *Henrico*, & ideo multa passam. Etenim præter sensum communem provinciæ: certe Episcopus ejus *Gebizo*, adeo vero Pontifici *Gregorio* deditus, & veritati non potuit non acerrime repugnare Archiepiscopo damnato ab universali Ecclesia, & Imperatori pariter à Summo Pontifice diris devoto, & omni Regni, & Imperii jure spoliato. Civitas in id cum reliquis provinciæ suopte nutu prona adhæsit proculdubio tantæ virtutis, & Sanctitatis, ac auctoritatis Episcopo hinc peculiaris in eam *Henrici*, & *Giberti* exacerbatio, proindeque ab illis illata vexatio, quam annales nostri unanimes gravem admodum asserunt, eamque propter constantem Civitatis erga Pontificem *Gregorium* fidem: non tamen eadem est omnium descriptio. aliqui enim captam asserunt, & horum magna ex parte incensam; alii captam quidem idque opera *Alberici Tusciæ* Comitis, sed à *Gregorio Septimo* restitutam, & munitam partem *Garampæ* insidentem. Aliqui oppugnatam quidem, se tamen defendisse. Ego non arbitror ad componendam diversitatem illud non ab verisimilitudine abesse, si dixerimus
224 non captam Civitatem, sed suburbia. Muratam autem, & insidentem *Garampæ* Civitatem restitisse munitione auctam à Pontifice ipso, intercedente præsertim Episcopo *Gebizone*, idque Civitatis fide promerente. Quod de *Alberico* dicitur facile est post *Cincii* ab urbe fugam *Albericum* propter necessitudinem Imperatori ipsum quoque adversus pontificem, & devotam Pontifici *Cæsenam Henrico*, & *Giberto*, *Unibertove* operam navasse, eamque oppugnasse. Ita *Gibertus Unibertusve* favente, & protegente *Henrico* adversus Civitatem nostram, & adversus Summum Pontificem grassatus est. At non impune, nam *Conradus* Imperatoris filius Regnum illi *Italiæ* subtraxit; Corona ipse faventibus *Italis*, & Pontifice Regni redimitus qua novennio est potitus ad annum scilicet 1001. quo obiit. Impius Imperator est in pœnam impietatis Filios infidos expertus. Nam post *Conradum* natu majorem *Henricus*, in quem successio reciderat, is quoque a patre Principibus *Germanis* urgentibus descivit: moti vero sunt Principes ex iteratis Pontificum execrationibus in Imperatorem contortis, quibus etiam illi Regni & Imperii jus abjudicabatur, & subjecti Populi à fide Principi debita absolvebantur. Regno itaque & Imperio spoliatus *Leodii* in multo squalore mortuus est, nec honore Ecclesiastici sepulchri Pontifice inhibente dignatus est: *Gibertus* quoque Pseudopontifex anno circiter centesimo supra millesimum mortuus, cum, tum vivente adhuc *Henrico*, funere, & monimento insigni fuerit con-
Anni 1086. ditus mox post *Henrici* mortem in Synodo *Guardastalli* habita ejus, & Pontificis *Paschalis Secundi* jussu è sepulchro extractum cadaver fœde discerptum, & laceratum, projectumque in prophana loca fuit. Anno 1106. Hæc autem præ-
1088. cesserant. *Gregorio Septimo* qui anno 1086. vitam, & Pontificatum reliquit, *Victor Tertius* successit, qui parum æquus *Henrico* solum sexdecim menses Sedis cita morte non absque suspicione veneni sublatus: Huic *Urbanus Secundus* suffectus est: interim autem *Unibertus* perseverabat in schismate, quod ab anno septimo circiter *Gre-*
225 *gorii* per tempora *Victoris*, & *Urbani* integra usque ad totum *Paschalis* primum annum perduxit.

A *Urbanus* autem Pontifex à vexatione *Clementis* Antipapæ & *Henrici* non tardatus spe majoris boni in *Galliam* profectus ibique in *Claramonte Alverniæ* coacto Concilio ad recuperationem *Hierosolymorum*, & *Palæstinæ* de infidelium manibus *Europæos* incendit, qui ejusmodi se militiæ despondebant, Crucem sumebant ex panno rubeo confectam, quam in exteriore tunica, vel in pallio insuebant, cruce signati inde dicti, atque tota expeditio Cruciata vocata. Milites ad trecenta millia usque descripti sub variis Ducibus: Primarius fuit *Ugo* Magnus Regis *Galliæ* frater;
B *Robertus* Comes *Flandriæ*; *Gotifredus Bullionius Lotaringiæ* Dux, cum *Baldovino*, & *Eustachio* fratribus. *Ademarus* Episcopus *Podiensis*, & alii multi *Galliæ*, & *Germaniæ* Proceres. Ex *Italia* præterea multi. *Anselmus Mediolanensis* Archiepiscopus quinquaginta *Lombardorum* millia secum duxit, quorum septem millia fuere *Mediolanenses*. Ex *Apulia*, & reliqua orientaliore *Italia* sub *Boemundo*, & *Tancredo* multi; ex *Etruria* non pauci. Ex *Florentia* sola ut *Joannes Villanius* testatur, plures ivere. Tres præterea Respublicæ, quarum maritimæ vires erant prævalidæ. *Veneta*, *Januensis*, ac *Pisana* instructis Classibus ipsæ quoque pro Christo pugnavere ad terram, quam ipse
C presserat pedibus, & sanguine suo tinxerat, redimendam. De *Romaniola* nostra magnum silentium. Forsan *Ravennates Giberto* Pseudopontifici obnoxii expeditionem ab *Urbano* excitatam non sunt prosequuti. Eaque etiam erat Imperatoris in reliquam Provinciam authoritas ut metu virium non auderent eo invito arma sumere. Nostra vero Civitas à *Giberto* vexata coacta erat in militari quadam statione manere, ne tota occuparetur, ac everteretur. Anno 1094. sexto scilicet *Urbani* Pontificis decretum est bellum. Cujus is fuit progressus ut sæpe infideles fusi, & Civitates multæ captæ deinde *Antiochiæ* Principatus occu-
D patus, & pro fidelibus firmatus anno demum
1099. *Hierosolyma* expugnata, & finitima Regio 1099.
capta in Regnumque erecta fuit, quod Regnum
omnium voto *Gothifredo Bullionio Lotharingiæ* 226
Duci traditum, ac assignatum est postremo hoc anno *Urbani* Pontificis, cui anno eodem *Paschalis* secundus successit. Hic magni animi Pontifex in Pseudopontificem *Gibertum* copias comparavit, & arma movit tum *Albæ Marsorum* residentem, qui viribus suis diffisus aufugit, utque necesse est
Ravennam tandem rediit, ubi anno 1100. vel ut Platina.
alii 1101. mortuus, & sepultus: sicuti antea quoque scripsimus. Mortuo *Giberto* non statim
E Pseudopontifices cessavere; coorti enim subinde tres, at brevi omnes rejecti tranquillum Pontificatum *Paschali* reliquere: secundus dictorum Pseudopontificum fuit *Theodoricus Romanus*, qui *Ravennæ* in *Ursiana* basilica inunctus fuit, & coronatus, at brevi primum à *Romanis* proscriptus, licet *Romanus*, & ipse; posteaque à *Ravennatibus* pulsus ex Civitate fuit. *Cæsena* interim mortuo *Giberto*, & postea omni schismate extincto, *Henrico* præsertim in *Germania* detento quietior degit, *Othonem*que Archiepiscopum sive legitimum sive intrusum pro tamen Archiepiscopo à *Ravennate* Ecclesia habitum, & ipsa pacate recepit
F Anno 1103. mense sextili qui multas ibi tabulas concessionum, & institutionum utque nunc di-
citur, investiturarum confecit. Eodem anno 1103.
Faventiæ magna inter Cives seditio. pars partem expulit interque expulsos *Albericus Guidonis Manfredi Rainaldus Rambertini*, & *Signorellus Ugonis*
fuere cum aliis pariter nobilissimis Civibus dici- Rubeus.
tur victrix factio ad id sævitiei devenisse, ut ejectorum uxores, & pueros obtruncarint, manusque puerorum, & mammas puellarum ab expulsis

in testimonium crudelitatis ostensas. A *Ravennatibus* auxilium ad Patriam recuperandam petiere ejecti, & obtinuere. Primum populatione agri *Faventini*, usque ad mœnia Civitatis, nec non, & occultis internunciis tentati animi ad recipiendos exules. verum frustra. Tum ergo majoribus copiis obsessa Civitas, ac oppugnata; & spes erat expugnandæ ni *Guidoguerra Tusciæ* Comes suppetias obsessis tulisset, tanti Ducis adventus multos obsidentium, partim quod amicitia, partim quod clientela, & subjectione cum eo necterentur, à Castris removit. Imminuto ergo
227 hostium numero *Faventini* ex Civitate eruperunt
Anni 1106. junctique auxiliaribus *Guidoguerræ* copiis impetu in obsidentes facto eos fuderunt, & magno damno affecerunt.

Mortuo demum *Henrico* tertio immo ex Regno, & Imperio deturbato sufficitur in Regno *Germaniæ* primum, deinde *Italiæ*, postremo in Imperio *Henricus* IV. Hic primum Pontificis adhuc *Paschalis* fautor postea ob eandem causam instituendi Episcopos, tradendique Ecclesias *Paschali* adhuc viventi mirum in modum succensus, dolebat enim quod antea *Carolo Magno*, & successoribus aliquibus fuerat permissum postea in Synodis à Pontificibusque ut jus à Principe laico alienum vetitum fuisse. Anno igitur 1111. cum primum potuit *Romam* pro Imperii corona profectus, benigneque à *Paschali* susceptus ipsum tamen comprehenderit, cumque multis Cardinalibus, & aliis sacratis viris in arcta custodia, multoque in squallore detinuerit, imo interminatione mortis captorum Pontificem coegerit ad suum immotum at ad suorum periculum emollitum corona se redimire, & concessione expresserit institutiones Ecclesiarum libere faciendi, quinimo neminem à Clero, Populove electum consecrari posse nisi Imperator electionem probaverit. At vix ex *Italia* Imperatore egresso multi Episcopi, & Cardinales factum Pontificis improbare *Cassinensis*que cum illis abbas etiam si pontifex id invitus fecerit potius aliena mala commiseratus, quam suo commotus, unde anno sequenti pontifex Concilium in *Lateranum* convocavit, in quo concessio *Henrico* facta prorsus irrita fuit, & in *Henricum* anathema decretum indeque jactum. Interim *Æmilia*, & Exarchatus jurisdictio penes Imperatorem quo jure, quave injuria erat, immo cum administratione, vel severa unde *Bononienses* extructa firma arte, impositoque præsidio prævalido opprimebat quocirca postquam Concilii auctoritate adversus *Henricum* tumultuari cæptum *Bononienses*,
1112. quibus grave nimis *Henrici* Imperium videbatur,
ex Sigonio. post impositam præsertim cervicibus arcem libertatis recuperandæ consilium inierunt, & præsidio depulso arcem universo populo concurrente
228 sunt demoliti. Reversus in *Italiam Henricus Bononiensibus*, veniam deprecantibus, ignovit, eosque pacate ut subjectos recepit, & rexit; utrum vero permissos rectores, an per permissos Civium Magistratus, incertum est. Crederem tamen rectorem totius Provinciæ missum sive comitis, sive missi nomine ut antea de *Ugone* tempore *Henrici* II. anno 1055. vidimus. Conjicimus interim quo Imperio *Bononienses* Imperator regebat, idem in nostris Civitatibus, totaque Provincia exercuisse. Cum Pontificibus autem *Paschali*, *Gelasio*, *Calisto* contendit, constituto etiam adversus *Gelasium*, & *Calistum* Pseudopontifice *Bordino*, quem *Gregorium Octavum* vocavit. Demum tamen cum *Calisti* Legato in *Wormaciensi* Synodo convenit. Investituris renunciavit, & *Calistum* pro vero Pontifice agnovit, & cum plene conciliatus paulopost anno 1125. absque liberis moritur: interea vero *Henricus* idem anno 1115. confirmaverat

A Cænobio *D. Vitalis* ejusque Monachis quæcunque bona obtinebant in quocunque territorio, ab Anni 1115.
Archiepiscopique & ab omni alia jurisdictione præterque ab Imperiali exemit. inter cætera territoria *Cæsenatis* quoque meminit, unde patet imperatores tum totius *Æmiliæ*, & *Pentapolis* jurisdictionem usurpasse nulla Pontificiæ ditionis habita ratione. Eodem anno fuit *Ravennæ*, & in Provincia *Fulgmarus Henrici* Legatus, ut confirmetur missos tum subinde ab Imperatore, qui
Provinciam regerent. Hoc eodem anno mortua Rubeus.
est Comes *Matildis* longæva jam anus, quæ sum-
B ma pietate semper erga Pontifices fuit, & pro Matildis mors.
illis adversus præsertim *Henricum Tertium*, & *Henricum Quartum* armata contendit. Hæredem *Romanam* Ecclesiam Ditionum suarum, ac bonorum reliquit. Cum vero anno 1115. Concilium *Guardastalli*, de quo antea sub *Paschali* habitum inter cætera in pænam contumaciæ *Uniberti*, *Gibertive*, & nonnullorum aliorum Archiepiscoporum multas Ecclesias *Ravennati* Archie-
piscopatui detraxerit. Nimirum *Placentinam*, A. 1119.
Parmensem, *Mutinensem*, *Bononiensem*, & *Ferrariensem Gelasius* Pontifex novo diplomate anno 1119. omnes restituit. Has Archiepiscopatui illi
C Ecclesias subjunctas declarando his sane verbis eas
exponit. Episcopatus *Æmiliæ* Provinciæ, id est 229
Placentiæ, *Parmæ*, *Rhegii*, *Mutinæ*, *Bononiæ*, *Ferrariæ*, *Hadriæ*, *Comacli*, *Imolæ*, *Faventiæ*, *Forilivii*, *Foripompilii*, *Bobii*, *Cæsenæ*, *Frococlis*. Adeo ut Diploma hoc faveat *Ariminensibus*, qui tempore *Petri* Cardinalis *Aldobrandini Clementis Octavi* ex fratre nepotis, *Ravennæ* Archiepiscopi denegarunt se Ecclesiæ *Ravennati* subjectos. Sed hoc eodem anno, vel sub hæc tempora maximum
enituit *Cæsenæ* ornamentum. *Aldobrandus Cæse-* D. Aldobrandus.
nas ex familia Regularium Canonicorum *Lateranensium* Episcopus deinceps *Forosempronienſis*, de-
D mumque quod maximum inter Divos relatus. Natus est in vico territorii *Cæsenatis*, proindeque *Cæsenas* ab omnibus, qui de eo scripserunt vocatus: Vicus autem *Sorbetulum* dictus, & quoniam prope *Galeatam* reperitur ejusdem nominis vicus ex eo natum aliqui dixere: at vix ob distantiam *Cæsenæ* is dici potest, licet olim ditionem Civitas illuc extenderet: at est alter locus *Sorbetulum*, vel *Sorbolum* dictus prope *Borium* agri *Cæsenatis* Castrum. At *Subrivoli* Castrum hoc sibi ornamentum vindicat, & nomen; dictum scilicet, & ipsum *Sorbetulum* quadam ex propinquitate vocis, ibique natum *Aldobrandum*, & familiam no-
E minant ex qua originem duxit, sed quæ huc usque vidi rem non satis probant. Expecto clariora, quæ nunc ob absentiam amborum fratrum ex amplissima familia *Roverellorum*, & loci Comitum haberi non possunt. De institutione, & progressu hæc in ejus vita leguntur. *Hic grammatica eruditus in portuense Cœnobium ut majores in literis, & pietate progressus faceret, se contulit. Cum autem Ariminenses Canonici Præposito destituti peterent ut fieri ab aliis consuevit, ex eodem conventu aliquem ipsis idoneum præfici, qui virtute præstaret Aldobrandum obtinuerunt, qui deinde Forosemproniensem Episcopatum adeptus Kal. Maji decedens inter Divos relatus est.*

F Anno hoc eodem 1119. *Gelasio* unius anni Pontifici *Calistus Secundus* successit, cum quo tandem *Henricus Quartus* convenit ut antea dixi Ecclesiarum concessionem Pontificium munus non Re-
gium, neque *Cæsareum* esse. *Henrico* quarto dece- Anno 1126.
dente Rex *Germaniæ* à Principibus sufficitur *Lo-*
tharius Saxonum Dux anno 1126. non fine lite 230
tamen, nam *Conradus Henrici* ex sorore nepos de Regno contendit, qui etiam Rex *Italiæ* ab *Anselmo Mediolanensi* Antistite fuit *Modoetiæ* coronatus.

tus. Exitus dissidii fuit *Lothario* faustus, *Conradus* enim, & ab *Innocentio Secundo* fidelium communione privatus fuit, & ipsemet se Regno abdicans *Lothario* subjecit, qui *Lotharius* anno demum 1133. *Romam* veniens fuit à Pontifice *Innocentio Secundo* Imperator inunctus. *Calistus* diem obierat anno 1124. post quem *Honorius Secundus* ipsoque mortuo anno 1130. *Innocentius Secundus* fuit in *Petri* solio locatus adversus quem tamen *Petrus* filius *Petri Leonis* potentissimi Civis *Romani* fuit à prævalente factione Antipapa factus, & *Anacletus* nuncupatus, qui diuturno Schismate *Innocentium*, & Ecclesiam vexavit prævenit tamen impia morte Sanctum *Innocentii* obitum. *Lotharius* interim Imperator *Othones* suos æmulatus Pontifici semper adhæsit, ac favit, contra vero *Anacleto* infensus semper acerrime repugnavit, at ad nostratia propius accedamus. Sub fine ergo *Henrici*, & principio Regni *Lotharii* ob eorum ab *Italia* absentiam Civitates *Italiæ* tantum sibi authoritatis sumpserunt, ut bellum indicere, & inferre nulla petita ab Imperatore, aut Pontifice venia auserint. Tum enim *Mediolanenses* adversus finitimas Civitates arma tulere, & *Laudem*, & diuturno deinde bello *Novocomum* occupavere. Per idem tempus inter *Ravennates*, & *Faventinos* orta contentio, & exercita arma. Rem hunc in modum *Faventina* Chronica (nec dissentit *Rubeus*) narrant. *Faventini Cunium* tum suo milite, tum auxiliis *Bononiensium*, & Marchionis *Conradi* aucti obsidione cinxerant, castrumque facile cepissent, nisi *Ravennates* cum *Forocorneliensibus* suppetias obsessis tulissent. Relicta ergo obsidione *Faventini*, & socii in *Ravennates* irruere, diuque acerrime certatum, & incerta utrinque victoria discessere. *Ravennates* tamen paritate non contenti rursus exercitum quam maximum potuerunt collegere, aliis etiam amicis convocatis *Ferrariensium* scilicet, *Forolíviensium*, *Cæsenatum*, *Ariminensium*que auxiliis, quam ob
231 rem vero *Cæsenates* tum pro *Ravennatibus* contra *Faventinos* iverint conjectura non assequor: suspecti enim *Ravennates* pro vicinitate; infensi pro fastu; at sive *Cæsenates* adfuerint sive abfuerint: exercitus à *Ravennatibus* coactus in agrum *Faventinum* irrupit late depopulando, & vastando usque ad *Diarbecum* Civitatis suburbium. egressi sunt *Faventini* inspectione damnorum suorum irritati, cum Sociorum auxiliis, atque signis collatis acriter ab utroque exercitu ab hora tertia, usque ad nonam pugnatum, tunc demum apud *Faventinos* victoria, adversarii in fugam acti Castra multis referta bonis reliquere. Rursus anno
1131. 1131. exortum in Provincia bellum de quo mox, interim vero anno 1130. *Britonorium* jure beneficiario *Cavalcaconti* in institutione Comiti illustrissimo vocato fuit à *Gualterio Ravennate* Archiepiscopo concessum: forte enim *Ugonis*, & *Lamberti* soboles extincta erat. Bellum autem in Provincia hoc fuit. *Ravennates*, & *Bononienses* cupiditas vehemens subigendi vicinos Populos (verba sunt *Rubei*) incendebat, fædus itaque ad occupandam partiendamque *Imolam* inter se inierunt, ad eamque Civitatem copias admoverunt, quæ impos se defendendi imo ut *Rubeus* dicit jam expugnata ad auxilium *Faventinorum* confugit junctisque armis diu se defendit: *Cæsena* interim nulli se parti applicuit, vel intimis præpedita dissidiis inter Optimates, & plebem, quæ non multo post in seditionem erupere, vel quod res *Cornelienses* non magni sua interesse arbitraretur. Credendum tamen desiderium, quod in *Ravennatibus* conspiciebatur prolatandi ditionem suspectam fuisse *Cæsenatibus*, indeque eam subcrevisse iram, quæ brevi postea in odium, & in bellum evasit.

A *Lotharius* Rex post hæc anno demum 1133. 1133.
compositis *Germaniæ* rebus ut Imperialem coronam obtineret ab *Innocentio Secundo* vero Pontifice, eique opitularetur adversus *Anacletum Secundum* Pseudopontificem in *Italiam* venit, verum cum non satis ab exercitu firmus esset, spreverunt eum cum *Bononiensibus* reliqui *Æmilienses*, & ea potissimum ratione quod *Conradi* Regnum *Italiæ* adhuc usurpantis partes sequerentur. *Innocentium* 232
Pontificem *Pisis* expectantem, convenit, cum eoque *Romam* perrexit ab *Anacleto* occupatam, & cum in munitiora loca se *Anacleti* fautores reduxerint, adeoque Divi *Petri* Basilicam, & to-
B tam *Leoninam* Civitatem occupaverint, liberum habuerunt Pontifex, & Rex in Urbem, & in *Lateranensem* Ecclesiam ingressum, in qua fuit *Lotharius* à Pontifice Augustali corona redimitus; cumque conatus sit *Anacletum* depellere, cui ob patris potentiam universus ferme *Romanus* Populus suffragabatur, nequaquam potuit, in *Germaniam* itaque abiit schismate adhuc turgente, cui impensam operam tulit pro *Innocentio*, & in *Gallia*, & in *Germania*, & in *Italia Bernardus Clarevallensis* tum vivens, & inter Divos postea relatus: attamen nunquam *Anacletus* resipuit, sed in schismate, ut antea dixi, obiit. Licet ad ex-
C tremum pauci eum pro Pontifice haberent ab initio vero multi suscepere. Archiepiscopus *Mediolanensis*, & reliqui fere *Cisalpinæ Galliæ* Episcopi: *Rogerius* Rex *Siciliæ* ab eo declaratus cum ulteriore *Italia* ejusque Episcopis. In tanta tamen *Italiæ* inclinatione nostrates *Innocentio* adhæsere, quod de *Ravennatibus* diserte scribit *Rubeus*: at si à *Metropolitana* Ecclesia subjunctæ Ecclesiæ in tanta re discrepassent non poterat non elucere in ejusdem Ecclesiæ monimentis scissuræ signum, adeoque in scriptore res præsertim ejus Ecclesiæ prosequente. Perseveravit in Provincia Annales
bellum *Imolæ* occasione natum. Multæ ea cau- favent & Rubeus.
D sa pugnæ. Anno enim 1134. *Ravennates Copiæ* Anni 1134.
cum aliqua *Bononiensium* manu, in *Faventinos* profectæ ab illis repulsæ, & victæ fuerunt, victoresque *Faventini*, in ejus victoriæ cursu *Serram* Oppidum ceperunt, multosque captivos fecere *Ugolinum Dunigalliæ*, *Guidonem Bagnacavalli* Comites, Comitissam *Malvicini* matrem, & triginta præterea *Bononienses* Equites, postremo exitus *Imolensis* belli fuit, ut *Bononienses Ravennatibus* repudiatis cum *Faventinis* sint *Imolam* partiti anno 1137. Inter hæc tempora *Lotharius* in 1137.
Italiam redierat ubi pro *Innocentio* adversus *Anacletum*, & qui eum protegebat *Rogerium Siciliæ*
E Magnæque partis *Neapolitani* Regni Dominum 233
multa gessit; plura siquidem loca ejus mediterranea occupavit, & maritima aggressus *Amalphim* à *Pisana* classe adjutus adortus est, & cepit, interque cætera spolia pandectæ fuerunt, in quibus leges *Romanæ* jussu *Justiniani* compilatæ continentur. *Pisanorum* fuerant manubiæ, quæ nunc *Florentiæ* religiose servantur. Jussit autem *Lotharius* ut Leges ejusmodi ederentur, & publicarentur, & abolitis *Salica*, & *Longobardica* Legibus observarentur, ad facilioremque usum publice explicarentur. Munusque ejusmodi primum Academiæ *Bononiensi* concessum, in qua *Ir-*
F *nerius* fuit primus earum interpres editis scholiis, quæ glossas vulgo dicimus. Præclarus adeo, piusque Imperator, & gloria bellica insignis, & justitia non minor, ac Legibus, cum prima dederit vigentis nunc jurisprudentiæ incunabula mortuus est anno millesimo centesimo trigesimo octavo, Idibus Decembris.

FINIS LIBRI SEXTI.

234
LIBER SEPTIMUS.


MORTUO *Lothario Conradus*, qui
prius Regni competitor, illud
deinceps *Lothario* cesserat, tum
fuit à Principibus *Germanis* in
Regem cooptatus, Rexque
etiam *Romanorum* declaratus,
sed numquam Imperii corona,
cum nunquam in *Italiam* impeditus venerit, re-
dimitus. Post autem quadrimestre interregnum
kal. Aprilis, Regni Corona *Conrado* tradita. an-
Anni 1139. no 1139. præcedente autem anno *Ravennates*
cum *Forolivienſibus* arctissimo fædere nexi, quod
ego verbis Historici *Ravennatis Rubei* expono,
Rubeus sub anno 1138. sunt autem. *Eo qui insequutus est* (Anno scilicet
1138.) x. *kal. Aprilis Ravennates, Foroliviensesque inter se fædus religiosum fecerunt, ut urbani,
suburbanique eodem loco ut suis quisque in Civitatibus haberentur. Ravennæ, Forolivii communi rectorum ambarum Civitatum sententia lites, dissidiaque tollerentur; amicitiæ, inimicitiæque cum exter-*
235 *nis instituerentur. Mutuo se auxilio præterquam
adversus Imperatorem, & Ecclesias suas Ravennatem, Forolivianamque juvarent. Apud eos precibus tantum subsidio essent. Consules Ravennæ, Foroliviique eligerentur communibus utriusque Civitatis suffragiis ita ut Foroliviani Ravennatibus: Ra-*
1138. *vennates Forolivianis Comitiis interessent.* Hæc
Rubeus. Quæ insolita, & arcta adeo necessitudo inter eas Civitates *Faventiam* præsertim respiciebat in quam accensi *Ravennates* ob ereptam *Imolam*, ac surreptam. Incrementum etiam potentiæ conterminis Civitatibus *Ravennæ*, & *Forolivio* justam suspicionem efficiebat, verum insidiæ *Ravennatum*, & *Forolivienſium* adversus *Cæsenatem* Rempublicam quadriennio post detectæ *Cæsenam* etiam ab eo fædere respectam indicant.
Notandum. Ex verbis interim fæderis notare est. Tum ma-
gistratum supremum Civitatum, Consules fuisse, & arbitror binos. Nondum itaque inoleverat consuetudo exterum Prætorem, ac Præfectum eligendi, inducendique illud etiam occurrrit considerandum nullam exceptionem, ac mentionem factam Summi Pontificis, & *Romanæ* Ecclesiæ adeo exciderat ex eorum Populorum animis ditio in hanc Provinciam Pontificia, saltemque autoritas, & demum Ecclesiastica in omnes potestas. *Rubeus* hoc eodem anno memorat traditum fuisse *Azoni* præfecto *Camaldulensi* à *Gualterio Ravennate* Archiepiscopo D. *Apollinaris* in *Classe* Cænobium, & quæ ad illud attinerent universa aliaque in diversis territoriis multa, at quæ ad nostram Historiam spectant sunt. Verba refero. sunt autem. *In Ariminensi Massa Uticana Castrum Gajum, Massa branchese, & Ruffiense necnon, & curtis integra, quam vocabant Fontanam Sabbati, nec non, & curtis integra cum Castro, quod Pissatellum appellant. Curtis item integra, quam vocabant Fontanam Sabbati Sala quoque nova, & vetus juxta fluvium Pissatelli, & littus Maris ad hæc Castrum Casalidum, & Montem Albanum, & pleraque alia. In Cæsenati, ipsaque Urbe Cæsena, domus curtisque Succumana, ac fundi præterea multi.* Horum Locorum *Branchese*, sive *Branchisium*, *Rufiense*, sive *Rufium*. Castrum *Pissatelli* quando extabat *Sala* nova, & *Sala* vetus, &
236 Castrum *Casalidium Cæsenatis* territorii sunt, &
semper fuere, licet *Ariminenses* litem de aliquibus intenderint, at *Cæsenates* semper possedere. Mala igitur commemoratio etiam cum extra territo-

A rium *Cæsenate* collocet, pejor si *Ariminensi* tri- Anni 1139. & 1140.
buat. *Ravennates* anno sequenti 1139. & pariter 1140. cum *Pisaurenſibus*, & *Senogallienſibus* juncti bellum intulere *Fanenſibus*. Qui diutino bello
defatigati impares viribus trium populorum fæ- Rubeus.
deri ad *Venetos* missis Legatis confugere auxilium deprecantes, quod & obtinuere. Soloque aspectu *Venetæ* Classis territi hostes pacem *Fanestribus* reddidere. At anno 1142. erupere insidiæ, 1142.
odiaque in *Cæsenates Ravennatum* præsertim, at etiam *Forolivienses*, & *Ariminenses* accessere. Clandestinis officiis, & sollicitationibus, suasionibusque *Ravennates* plebem *Cæsenatem* sibi adjunxere, & à Nobilitate prorsus abalienavere.
B Magna est Plebis hujus contumacia adversus Optimates, & quam idcirco Popularis Respublica deceat potius, quam Aristrocratica. At contra Nobiles contemptores inferioris ordinis, quique idcirco à communicatione Dominii abhorreant. Tum autem ex *Othonum* instituto multi Castrorum ditionibus ornati: Castra enim multa collibus, & montibus territorii, vel territorio propinquis insident, quorum plura beneficiario jure primariis viris concessa fuere. Ab his longe despecta in Magistratibus Plebejorum assessio. Hæc erat dissidii inter ordines materia. Quam vomicam agnoscentes vicini loco leniendi exasperavere. Polliciti sunt etiam auxilia, sicut, & sub-
C misere. Magnæ enim *Ravennatum* manus, & *Forolivienſium*, & *Ariminenſium*, sed clanculo accessere. Plebs tot subnixa auxiliis suoque furore incensa armis sumptis in imparatam Nobilitatem impetum fecit. Quæ cum clandestina ejusmodi consilia non providisset magnum in discrimen adducta erat. In arcem autem confugit ut beneficio loci Popularem impetum eluderet. Spes enim erat fore ut furor ipse exspiraret, & Plebs resipisceret, ejusque petitionibus aliqua ex parte
satisfaciendo, quiesceret, demum, & ordinum 237
pax coalesceret: sed viderunt adesse cum Plebe *Ravennates*, qui non permitterent in sanitatem eam redire postquam armis repellenda erat aper-
D torum jam hostium iniquitas, tum Nobiles obsidione jam cincti ad veteres amicos *Faventinos* misere, qui periculum, quod imminebat amicæ Civitati à communibus inimicis nunciarent, opemque peterent. Non distulerunt auxilium *Faventini*, sed dicto citius coacto exercitu *Cæsenam* advenere. Subduxere se ab obsidione *Ravennates*, & reliquæ exteræ copiæ tum etiam plebs sola relicta admonitioni amicæ gentis præbuit aurem. Non erat difficile ostendere quo specie amoris infida *Ravennatum*, & reliquorum consilia tenderent, ut scilicet occisa, vel extrusa nobilitate plebs absque consilio à simulatis amicis caperetur, & quæ non poterat tolerare Ma-
E gistratus Civium, exterorum tyrannidi subjiceretur. Convenerunt ergo ordines, & justo temperamento constituta Republica utrique in commune bonum incubuere. Dum *Faventini* ad conciliandos animos morati *Cæsenæ* sunt, Adversarii aucti copiis qua erant redituri *Faventini* in insidiis se collocavere. Revertebantur *Faventini* securi, & læti felici amicæ Civitatis successu cum improvisi hostes, copiosique repente in non ordinatam aciem irruere, & permagno detrimento facile eam affecissent, nisi fautor justitiæ, & virtutis Deus magno effuso imbre *Faventinos* protexisset, hostes impedisset. Hoc idem *Faventini*

ni annales, & *Rubeus* dicunt. Et hoc est quod antea innueram parum verisimile esse *Cæsenates* anno millesimo centesimo vigesimo quinto, cum *Ravennatibus* adversus *Faventinos* sociasse arma, cum tam fidenter pro antiqua amicitia opem implorarint anno post decimo septimo. Vel ergo *Cæsenates* sunt ex eo loco expungendi, vel si adfuerint, non fuere publicæ copiæ, sed extorres aliqui Cives, & transversarii clientes, cujus causa
Rubeus sub anno 1142. ortum est illud bellum. Hunc *Cæsenæ* tumultum, & *Ravennatum* suggestionem narrat *Rubeus*, sed breviter sequentibus verbis.

238 *Cæsenæ tumultus hoc anno ingens, Popularibus in Optimates arma moventibus, quod Ravennatum consilio factum tradunt. Optimates in Arce inclusi quo se præsidii causa contulerant, in Popularium potestatem venturi videbantur, nisi advenientibus Optimatum subsidio Faventinis recedere ab oppugnatione fuissent Populares coacti. Verum imbris beneficio Faventinis abeuntibus reditus in suam urbem pene integer est datus, cum Ravennates illis in itinere magna manu occurrentes, cum illis confligere jam cæpissent, eo majore victoriæ spe, quod secum habebant Foroliviensium, Ariminensiumque Copias aliquot.* Testatur ergo Historicus *Ravennas Ravennatum* subdola consilia, & *Foroliviensium*, &
Anno 1143. *Ariminensium* conspirationem. Anno 1143. *Innocentius Secundus* obiit, in ejusque locum electus
Rubeus. *Cælestinus Secundus*, & ipsi semestri tantum Pontificatu potito suffectus est *Lucius Secundus Bono-*
1144. *niensis* anno 1144. quo anno *Ravennates* duas expeditiones adornarunt alteram uniti *Foroliviensibus*, ut ab obsidione Castri *Leonis Faventinos*, qui obsidebant depellerent, at absque pugna recesserunt *Faventini*, quod *Bononienses* quibus cum & cum Comite *Guidone* ad illud Castrum copias admoverant, discessere. Alia expeditio fuit adver-
1145. sus *Venetos* in eaque multis hinc inde illatis malis pugnatum. Verum anno sequenti magnum adversus *Ravennates*, & Socios complurimos *Faventinorum*, & *Cæsenatum* bellum. *Ravennates* enim magno coacto exercitu nedum ex suis, sed ex *Foroliviensium*, *Ariminensium*, *Cerviensium*, *Picentum*, *Ferrariensium*, *Veronensium*, Marchionisque *Conradi* copiis invaserunt *Faventinum* agrum, eumque fæde depopulati sunt. *Faventini* adversus tantam hostium molem coegerunt nedum Urbanum, & Rusticum militem verum Alpicolas quoque suæ ditionis homines, amplius *Cæsenatum* auxilium pro amicitia petiere. Qui recentis beneficii, & veteris amicitiæ memores, providentes etiam in *Faventino* discrimine de re sua agi, magnam, & lectam militum manum misere, neque sane parva, & infirma adversus tantum hostium apparatum satis erat, neque per hostile territorium tot insidentibus copiis secura
239 transire poterat. Pervenerunt ergo *Faventiam* inoffensi. *Faventini*, valido, & fido amicorum auxilio confirmati, tum etiam populationis damnis irritati ad hostem, ut ulciscerentur injurias, damnaque rependerent, perrexere. Consederant hostes ad *D. Luciæ* in *Faventino* agro. In diem sequentem ob horæ tarditatem, & animos, & arma utrique paravere ad pugnam. Crastina die statim atque illuxit acies instructæ. Dux exercitus *Ravennatum* erat *Petrus* Dux vir bello tum inclitus. *Faventini* sinistrum sibi cornu sumpserant dextrum sociis reliquerant. Tum autem *Cæsenatum* ductor, cujus nomen non virtus excidit, dicitur suos talibus alloquutus. Si fortibus unquam factis (Commilitones) *Cæsenatem* virtutem illustrem reddidistis, reddidistis autem sæpe, præsens nunc occasio poscit, ut insigni opera veterem gloriam æquetis nedum, sed etiam superetis. Considerate Civitatem, cui opem fertis.

A Considerate libertatem vestram de qua etiam hic agi intelligetis. Considerate hostem adversus quem arma sumpsistis. Civitas hæc cum qua arma jungitis est *Faventia* amicissima Civitas semper, cum ex instinctu nostro non ex alieno arbitrio amorem, odiaque miscuimus; cui nunc præsertim ex recenti beneficio plurimum debemus. Fraude inimicorum, qui specie amoris Populares à Nobilitate seduxerant, æstuabat seditione Patria nostra, imminebat ex seditione utrique ordini, & universæ Civitati excidium. Plebem tollas de Civitate, auferes robur, & vires. Tollas Nobilitatem, splendorem demes, & consilium,
B ut alterutro ordine privata Respublica, aut tanquam cæca, aut tanquam imbecilla pateat invadenti. Astabat ergo armatus hostis, expectans ordinum inter se cladem, ut reliquias naufragii nostri occuparet. In tanto, & tam præsenti discrimine vitæ, & libertatis *Faventini* hostem depulere, nobisque ut ad sanam mentem, & ad præsentem concordiam reverteremus, authores fuere. Occasio nunc gratiæ referendæ ampla aperitur: Ostendamus itaque quantum sint *Cæsenates*, & grati, & fortes amici. At nedum de amicæ Civitatis, sed etiam de nostræ tutela agitur. Num difficile est quo tendant *Ravennatum*
C concilia, agnoscere? Ad totius *Romandiolæ* im- 240
perium antiquo fastu tumidi aspirant. *Faventinorum* non semel tentavere vires, & fuerunt repulsi: Nos etiam sub *Geheberto* Pontifice, & sub *Giberto* Archiepiscopo fulti *Henrici* Imperatoris viribus, oppugnaverunt: at non expugnavere. Ut diffisi viribus astu, & insidiis nos proxime adorti sint. In has duas Civitates ut impotenti eorum ambitioni adversas ipsi; sed seorsum feruntur. Ita nunc tot fæderatorum viribus coactis *Faventiam* aggrediuntur. Nimirum si eorum votis superbis exitus faverit; nos postea ut debellent. Victo-
D ria itaque eorum si nunc prævalerent, *Faventinos* tangeret; at nos prospiceret. Eja ergo fortiter pugnemus pro amicæ Civitatis salute, & pro dilectæ patriæ libertate, ac securitate. Neque est quod hostes etiam si tot auxiliis fultos timeatis: plus in illis tumoris, quam roboris estis alias experti. At memorate proximam suæ imbecillitatis licet tacitam confessionem; dum internecinum in nos odium non aperta vi ut viros fortes decet, sed astu, & fraude, & subornando quæsita inter nos scissura exercuere. Qui in privatis inimicitiis veneno grassantur, virtuti certe diffidunt, & armis: at venenum Reipublicæ
E quodnam aliud est quam dissidium, & seditio? Cum nulla à nobis provocati essent injuria, si arma intulissent, adversusque nos aperta vi processissent, injustum id fuisset: attamen virilia facta injustitiam, quam continent quadam virtutis repræsentatione adumbrant. At ipsi injustum odium sunt fædis, & ignavis modis prosequuti. Hujusmodi ergo hosti vos jure prorsus succensi superbiam ejus fortibus factis frangite. Odium, & fraudem manu, & virtute ulciscimini; pro discrimine, & damnis intentatis vulnera, & cladem rependite. Excitati, & incensi dictis milites cum classicum intonuit in oppositum cornu
F impressionem fecere, sicuti *Faventini* in adversos: at non minore animo hostes impressionem excepere. Pugna igitur diuturna, & atrox tandem *Faventinis* oppositum cornu referre pedem cæperat; quod eorum imperator prospiciens, cum lecta militum manu accurrit, tantaque ferocia pugnavit
ut suos nedum restituerit, sed *Faventinos* in fugam 241
verterit. Cum vero in alio cornu suos premi à *Cæsenatibus* videret & sociis, eadem virtute laborantibus opem tulit, sed non pari fortuna, nam occisus ibi fuit. Ex cujus morte fracti animo *Ra-*

vennates remisere impetum, unde conversi ex fuga, *Faventini* cum prospicerent socios acerrime pugnare, sui ipsorum pudore commoti tanto impetu in adversos invecti sunt, ut de loco dimoverint, & in fugam tandem conjecerint, parique successu cum socii ex altera parte sinistrum adversariorum cornu propulerint: universus hostium exercitus fugam arripuit, & victoriam, Castraque & impedimenta omnia victoribus reliquit. *Faventini* sunt fugientes usque ad *Lauzolam* vicum insequuti. ex *Ravennatibus* occisi sunt *Petrus*
Sub eodem A. 1145. Exercitus Dux; *Vitalis*, *Guisus*, *Gatobiratus*, *Vitalis*, *Erlandus*, ducentique præterea alii minores: Trecenti capti: *Faventini* amiserunt *Albericum*, & *Guidonem* ejus filium, & *Bernardinum Caminizam*. *Rubeus* pariter scribit. *Qui* Faventini *subsidia contraxerant incolarum Alpium*, *& Cæsenatum*, & deinceps aliquibus interjectis. *Cadente* (inquit) *Petro Duce cum nostri animo concidissent Faventini*, *qui socios acerrime pugnantes intuebantur dedecore promoti fugam sistunt*. *Faventinum* quoque Chronicon narrat *Faventinos* fugientes, cum viderent Socios acerrime adhuc pugnare, dedecore permotos rediisse in pugnam, atque hostes in fugam vertisse, postcaque subjun-
Pontifex Eugenius. git. *Ex hostium spoliis*, *quæ magna*, *& opulenta fuere Cæsenates*, *qui cum Alpicolis Faventini territorii opem tulere ample*, *ac plene remunerati fuere*. Hoc eodem anno post *Lucium Eugenius* tertius Pontificiam sedem obtinuit. Monachus hic fuerat, & Divi *Bernardi Alumnus*, ad quem Pontificem factum aureos libros De consideratione is
A. 1153. scripsit. *Eugenius* anno 1153. vitam cum Pontificatu reliquit, anno vero præcedente *Conradus* Rex, & electus non coronatus Imperator obiit. nunquam enim in *Italiam* venit partim tumultibus *Germaniæ* impeditus, tum profectione adversus *Saracenos* in *Syriam*, sed irrito conatu, tum in *Hispaniam* feliciore successu. Cum vero domum reversus se jam accingeret ad iter in *Italiam*
242 pro Coronis *Italici* Regni, & Imperii recipiendis vitam cum morte commutavit dicto anno centesimo quinquagesimo secundo supra millesimum. Ob perpetuam *Conradi* ab *Italia* absentiam quasi Regnum, & Imperium vacaret, jus sibi belli, & pacis *Italæ* Civitates vindicarunt, vel jam usurpatum confirmavere. *Conrado* successit in *Germaniæ* Regno *Federicus* Dux Sueviæ, qui anno 1154. in *Italiam* profectus Rex *Italiæ Mediolani* coronatus, & sequenti Imperii Coronam est *Romæ* consequutus. Anno vero 1153. *Anastasius Quartus* mortuo *Eugenio* in Pontificatu successerat. Inter hunc *Pontificem*, & Imperatorem *Federicum* paucis post annis capitales inimicitiæ exortæ *Italiam* universam vexaverunt, quodque maximo damno fuit in factiones *Pontificiam*, & Imperialem distraxere, prout alii scilicet Pontifici, alii Imperatori in eadem usque Civitate favebant. Quæ factiones postea *Guelpha*, & *Gibellina* vocatæ sunt. origo nominum (dicam quod probabilius arbitror) fuit, quod *Federicus* ex *Ghibellinorum* familia fuit, cui cum *Guelphorum* familia itidem *Germana* inimicitia intercedebat. Prima simultas *Federici* cum *Hadriano* Pontifice fuit quod scripsisset illi Pontifex Imperium beneficio Pontificis habuisse, cum vero beneficiaria jurisdictio ex usu feudum significaret; iratus Imperator quasi imperium Ecclesiæ feudum dixisset, legatos ejus male acceptos dimisit: at Pontifex alium in sensum verba sua declarans, iram ejus sedavit, animique adeo conciliati, at vero aliunde pertinacioris dissensionis materies. Imperator editis legibus jusserat ab Episcopis regalia renunciari. Jussio Pontifici molesta fuit, quod Ecclesiastica immunitas ea violaretur. Questus est

A etiam Pontifex quod Imperator fodrum exegisset. Hæc, & alia cum *Federico* Pontifex acerbe objecisset: Is autem acerbius responderit: ea est exorta contentio, quæ multorum licet sanguine expiata vix unquam quievit. Quæ post literas Pontifex per Legatos ab Imperatore poposcerit, hæc sunt. *Ne posthac nuncios in Urbem ipsi inscien-* Sigonius sub A. 1159.
te Pontifice mitteret. Cum omnes Magistratus ibi Sancti Petri cum universis regalibus essent. Ne à po- 243
pulis Pontificiæ ditioni subjectis fodrum nisi suscipiendæ Coronæ tempore exigeret. Ne Episcopos Italiæ hominio sibi astringeret: Ne Nuncios suos hospitatum in Episcopia mitteret ut possessiones Ecclesiæ
B *Romanæ: Et tributa Ferrariæ*, *Massæ*, *Ficaroli totius Terræ Comitis Matildis: Terræ ab Aquapendente Romam*, *Ducatus Spoletani*, *Insularum Sardiniæ*, *& Corsicæ restitueret*. Responsio autem Federici fuit, valde scilicet perturbati, perturbata. *Se Episcoporum Italiæ dominium non quæsiturum si illi à suis regalibus abstinuerint*. *Quod si illi libenter usurpaverint*, *quid Episcopo cum Rege? Se quoque interrogaturum quid Episcopo cum possessione? Nuncios suos libenter ab Episcopiis amoturum*, *si probatum esset Episcopos in suo solo*, *non in Regio Episcopium ædificasse*, *neque ædificium solo cedere oportere*. *quod Legatos in Urbem mittendos*
C *negarent*; *quia ibi Magistratus D. Petri essent*, *id longiorem consultationem desiderare: ita enim fieri ut Imperator Romanus inane solum nomen dominantis habeat*, *si Romanam Urbem unde Romanus Imperator appellatur in potestate non habeat*. Notandum autem Missos, aut Nuncios, & Legatos appellatos, quos Imperator ad jura reddenda, populosque in fide continendos constituebat, cum tamen ad Urbem restringerentur tum Legati non videtur quicquam de Provinciis, ideoque de *Æmilia*, *Flaminia*que postulatum, ut ab Imperatore totæ regerentur. Hincque in confœderatione
D *Ravennatum*, & *Forolivienfium* superius adducta nullam Pontificis mentionem factam, perseverarunt, itaque hæ nostræ Civitates à tribus Consiliis antea memoratis, & duobus Consulibus à Comitiis electis regi specie magna libertatis, quæ tamen sub *Federico* concidit ferme tota. *Federicus* cum primum in *Italiam* anno 1154. venerit annoque 1155. *Romæ* coronatus fuerit Imperator antea *Mediolani Italiæ* Rex, jura exinde Regni restituere atque à Civitatibus exigere contendit, fuit à nonnullis Civitatibus repugnatum, verum cum tandem anno 1162. *Mediolanum* vi subactum everterit, Civitates omnes metu terri-
E tæ sese ejus submisere Imperio, & cum reliquis *Cæsena* quod omnia nostra monimenta dicunt, eo scilicet anno se *Cæsenam* Imperatori *Federico Ænobarbo* subjecisse. Astrictum fuit *Federici*, ac 244
severum Imperium. Ipse enim impositis ministris subjectas Civitates regebat, non amplius à suis illæ Magistratibus regebantur. Præterea Sigonius.
vero lege edita in conventu Principum in *Roncaliis* prohibuit Civitatibus Principibusque subjectis quominus absque Imperatoris permissione bella inter se gererent. *Cæsenæ* autem præsidium videtur ex iis quæ sequuntur imposuisse sicut & *Britonorio* locis scilicet situ, & opere firmis; imo
F *Cæsenæ* novam excitasse arcem aliqua manuscripta dicunt, ad reliquam Provinciam in fide continendam. De *Britonorio* postea dicetur, interim de *Cæsena*, ejusque præsidio. Sunt nobis Anna- In annot. ad calcem hujus lib. 7.
les ex hoc anno 1162. exordientes latine, sed barbare scripti ut decebat simplicitatem Scriptorum, de quibus postea, & seculi ruditatem. Tanta est enim eorum fides ut *Vincentius Carrarius* Doctor, & Scriptor *Ravennas* antiquitatis bene peritus in historia sua nondum edita totius Provinciæ hos ipsos Annales ubique receperit, & ad verbum ferme

ferme verterit in margine latinis vocibus annotatis. Ibi ergo hæc contracte admodum, & mutilate leguntur. *Anno Domini* 1162. *die* 16. *mensis Septembris milites Cæsenates cum auxilio Comitis verterunt in fugam Ravennates venientes in adjutorium illorum de Monte Majori, qui ex illis ceperunt, prostraverunt eos usque ad . . . . . Montis, & de Urbanis mortui sunt Vgolottus Crespoldus, & Ugo Gattus.* Ex contracta adeo narratione confirmatur tum Civitatem sub Imperatore fuisse à quo solo tum mittebantur in Provinciam Comites qui eam regerent: *Nicolaus Tertius* primus fuit Pontificum, qui huc Comitem ad regendam suo nomine Provinciam mitteret. Comes vero is, qui copias auxiliares *Cæsenatibus* tradidit milite instructus erat, qui scilicet præsidii loco ad continendam *Romaniam Cæsenæ* præsertim residebat. Castrum *Montis Majoris* erat *Ditionis* immo, & agri *Cæsenatis*, in quo nunc quoque area est ejus eversi Castri. Desciverunt à *Cæsenatibus* incolæ, ad quos ut ad rebelles puniendos, & recuperandos Civitas copias admovit. Non repugnabat Imperatoris legi inhibenti Civitates in Civitates insurgere alienas, & non sui juris,
245 nam in subjectum Castrum rebelle *Cæsena* arma ferebat præterquam quod Comitem tum etiam favisse justæ *Cæsenatum* causæ, quæ postea fecit, indicant: at *Ravennates* suo ipsi arbitrio adversus Civitatem jus suum prosequentem, exercitum coegere, misereque ad obsidionem Castri solvendam. Comes Provinciæ audaciam eorum stomachatus, qui adversus Imperatoris legem arma sumpserant, & adversus justissimam *Cæsenatum* causam, milites *Germanos Cæsenatibus* junxit ad *Ravennatum* temeritatem ulciscendam: exitus pugnæ victoria *Cæsenatum*, & fuga hostium; quousque autem eos victores insequuti sint ob mutilatam scripturam non deprehenditur. Aliqui scribunt pugnam hanc anno 1169. accidisse, sed major adductorum Annalium auctoritas. Mos interim idem *Ravennatum* sublucet captantium subjectorum, vel & popularium nostrorum animos ad vires Civitatis infringendas unde qui triennio post exarsit in Civitate tumultus inter Castellanos, & Suburbanos, ut tum vocabant, potuit ex eorundem artibus sortiri originem. *Sigonius* etiam confirmat Provinciam hanc à *Federico* anno eodem 1162. pacatam. Laborabat interim Ecclesia Schismate *Victoris* Pseudopontificis adversus *Alexandrum Tertium* Pontificem verum. cumque *Federicus* Pseudopontifici faverit; in Concilio ab *Alexandro Claromonte Galliæ* Civitate habito ictus anathemate fuit; unde exasperatus Imperator mortuo *Victori Paschalem* Pseudopontificem alium submisit anno 1164. quo tempore usque ad annum 1166. in *Germania* permansit, impositis *Germanis* Rectoribus *Italiæ* Civitatibus, qui avaritiæ,
A. 1165. & sævitiæ fræna laxantes mirum in modum Populos oppressere. *Cæsenæ* interim rursus inter Optimates, & plebem seditio, quam paulo prius innui, suspectæ etiam in ea habentur *Ravennatum* artes. Annales iidem nostri tumultum, an potius tumultus finem? scribunt. *Anno* (inquiunt) *Domini* 1165. *die* 2. *mensis Novembris Episcopus Mantuanus fecit descendere suburbanos de Monte, & fecit pacem inter illos, & Castellanos, ipse itaque tum erat Vicarius Imperatoris.* Ego hic sequens explicationem olim D. *Greg. de Castro Cæsenæ* inter-
246 pretor Castellanos, qui superiorem, ac munitam Civitatis partem incolebant, Suburbanos autem, qui suburbia, ejusmodi incolæ ne paterent machinarum jactibus ex arce in Montem, vel Sacrum, & nunc Divæ *Mariæ*, vel in *Garampæ* ipsius montem ultra, & supra situm Civitatis: priori tamen explicationi potius standum, cum enim

A montem dicimus, nihil aliud adjicientes: ire ad montem, ivisse ad montem, montem D. *Mariæ* intelligimus: suasit ergo, vel, & coegit pro Imperio Vicarius is *Cæsenæ* plebem, quæ instar olim *Romanæ* in Aventinum, in collem eum secesserat ut in Civitatem rediret, pacemque cum optimatibus iniret. Ex hoc tunc temporis statu Civitatis extra omnem verisimilitudinem redditur quod *Clementinus Ariminensis* Historicus narrat. Ponit ergo is eodem anno primordia belli inter *Ariminenses*, & *Cæsenates* contigisse, causamque fuisse *Cæsenatis* tum Episcopi factum: Narrat er-
B go in Diœcesim *Savinianensem*, & præsertim in plebanos *Gazi* extendere Episcopatus sui jura, Episcopum tum *Cæsenæ* aggressum esse munia ibi Episcopalia exercere, & cum repugnassent parochi, & plebani, armis eos *Cæsenatum* impetiisse, & damnis non levibus affecisse. Erat (inquit) *Cæsenatum* Dux *Cavalcacontes Feretrianus* Comes, & Comes *Britonorii*, & *Cæsenæ* præfectus, & quasi Dominus. *Ariminenses* autem re illis à presbyteris renunciata magna militum manu fines *Cæsenatum* vexaverunt, & plebanos ejectos reduxerunt; rursus vero cum majorem exercitum adornarent ad perdendos *Cæsenates*, & *Cavalcacontis Feretra-*
C *nam* ditionem *Cæsenatem* Episcopum misisse *Ariminum* oratores, qui pacem peterent, eandemque tandem obtentam cum his tamen conditionibus. Quod *Cæsenates* tria bravia *Ariminensibus* exhiberent viginti quinque milites sui ipsorum sumptibus *Arimini* moraturos tres menses tempore pacis, perpetuo tempore belli: si vero *Ariminenses* cum *Ravennatibus* bellum gererent cum illis futuros proque viribus auxilium laturos non amplius quoque Diœcesim eorum vexaturos, quod & Episcopus se non facturum pollicitus est. In confirmationem nescio quas publicas tabulas adducit: at fictitias sane, nam dicta, & scripta nullo modo 247
D populo, rebus, & tempori conveniunt. Non tempori, nam eo anno exarsit seditio inter Nobiles, & plebem ut Civitas alieno se bello immiscere non potuerit, multo minus ipsa excitare provocareque: non populo; nam contumaces, & non summissos animos semper præ se tulit præsertim adversus *Ariminenses*, adversus quos nunquam bellum declinavit, gessitque sæpius victor, quam victus tantum abest ut solo terrore, & minis ad tantam demissionem ageretur. Non rebus autem, nam sub Imperatore erat, absque cujus venia, aut ministri, & Comitis non poterat decernere bellum, & cum pariter *Ariminenses* illi subessent non
E armis subjectæ Civitates, sed viribus, & rationibus apud eundem Comitem controversiam agitassent, neque imminuisset periculum perditionis *Cæsenatibus*, & *Cavalcaconti* ab *Ariminensibus*, quos *Germana* præsidia protexissent. credendum sane multo magis annalibus nostris, qui de hoc dissidio tum ne verbum quidem quam commentitiis tabulis quibus status tum Provinciæ sub severo *Federici* Imperio existentis prorsus repugnat: sed quoniam de Episcopo eo tempore *Cæsenate* mentio facta est intersero de illis hæc, quæ occurrere. Episcopi Cæsenæ Odo, & Leonardus. Post *Gebizonem*, qui tempore *Gregorii Septimi* Ecclesiam *Cæsenatem* consequutus, ac ejus mortem magna est in Episcoporum *Cæsenatum* Albo Rubeus sub
F lacuna, usque ad *Odonem*, qui anno 1151. 5. Non. eo anno. Julii adstitit consecrationi *Joannis* prius Monachi *Clarevallensis*, postea Abbatis *Columbæ*, & tum ad Episcopatum *Placentinum* evectum consecravit *Ravennæ Moses* Archiepiscopus. Hujus postea mentio alia penes eundem *Rubeum* habetur anno 1157. occasioque fuit. *Moses* idem Archiepiscopus acceperat dono tertiam *Reversani* partem à Comite *Panigi*. *Riversani* inquam nostri describunt enim in territorio *Cæsenati* in plebibus Sancti

Victoris

Victoris in valle in monte *Leucadii*. *Anselmus* deinde Archiepiscopus 1157. quarto Kal. Decemb. emit reliquas duas tertias *Riversani* partes ab *Ugone*, & *Rainerio Panigi* Comitibus fratribus & ejus qui prius tertiam partem donaverat, ex filio nepo-
248 tibus. Pretium fuit emptionis centum quinquagintaque librarum denariorum *Lucensium*, *Pisanorum*ve, & quoniam pretium minus erat justa æstimatione rei venditæ, id totum, quod deficiebat ex liberalitate, & pro animabus parentum, ac suis donaverunt cum ratihabitione præterea factæ olim ab Avo donationis. Post tabulas emptionis confectas Archiepiscopus conventum *Riversani* habuit de quo hæc *Rubeus*. *Qui mox Riversanum profecti frequentem Conventum habuerunt, in quo eminebat Oddo Cæsenatum Episcopus Petrus Abbas Cænobii D. Severi. Joannes Dux, Thebaldus Ubertini, Ubaldus Semorelli, Leonardus Andreæ à Calcinaria, Gellus è Panigo, Rodalus Rubeus, Orlandinus Buttus Bononienses, omnesque Oppidani. Illis edixerunt Ugo & Rainerius Panigi Comites, ut Anselmo Ravennatum Archiepiscopo deinceps parerent se illos jurata sibi obedientia eximere. Quæ cum essent dicta Oppidani fere omnes fidem Anselmo juramento obstrinxerunt. De absentibus id se curaturum Comitum jussu Oddo Cæsenas Episcopus pollicitus est.* *Oddonem* in sede *Cæsenatis* Ecclesiæ sequutus est *Leonardus* cujus acta *Ravennæ* quodam anno 1176. intelligemus, & anno 1182. Utrum inter *Oddonem*, & *Leonardum* alius Episcopus intercesserit mihi huc usque non constat. Ad *Federicum* redeo. Is in *Italiam* revertit anno 1166. qui adventus mirum in modum exspectabatur ab *Italis*: sperabant enim ab Imperatore adversus Rectorum *Germanorum* injustitiam, & sævitiem remedium. Statim ergo ad eum Civitates omnes Legatos misere calamitates suas, qui exponerent, & deplorarent, at aspere quærelas audivit Imperator, & superbe despexit; dejectæ Civitates de spe, quæ eousque illas sustinuerat fædus illud inter se adversus *Germanos* in omne ævum memorandum inierunt, in quo præsertim post eversum *Romanum* Imperium eminuit, si unquam *Itala* virtus. Civitates ab initio fæderatæ fuerunt *Verona*, *Vicentia*, *Patavium*, *Tarvisium*, *Veneti* autem promoverunt ad tam præclarum facinus animos indignitate, & Imperatorum superbia accensos. Hæ autem missis ad alias Civitates Legatis in idem fædus duxerunt *Mediolanenses*,
249 tum extorres, & dispersos *Cremonenses*, *Brixianos*, *Bergomates*, *Mantuanos*, *Ferrarienses*, *Bononienses*, *Mutinenses*, *Rhegienses*, *Parmenses*, *Placentinos*que quorum *Bononienses* anno jam millesimo centesimo sexagesimo quarto post Imperatoris discessum *Bocium* Præfectum sibi impositum è fenestris ob ejus improbitatem dejecerunt. Eorumque exemplo videntur Provinciæ hujus homines à *Germanis* alienati descivisse, at *Cæsenates* ab imposita arce, & præsidio detenti sub eodem Imperio permansere. *Ravenna* quoque in eadem subjectione perstitit exemplo arbitror, & monitu, tum Archiepiscopi sui *Guidonis*, qui asserente *Rubeo* sub anno 1160. fuit Imperatori carissimus, & omnium consiliorum ejus particeps: hoc ipsum indicat has duas solas Civitates in reditu *Federici* à *Germania* non fuisse inter *Romandiolæ* Civitates mul-
Anno 1167. tatas. Imperator ergo in *Italiam* reversus primum contendit *Paschalem* suum *Romam* invehere, & *Alexandrum* verum Pontificem deturbare. *Paschalis Lucæ* commorabatur ad eum ergo deducendum partem exercitus misit, cum reliqua parte ipse *Romam* progrediens per *Æmiliam* incessit primoque ulturus *Bononienses*, qui præfectum *Bocium* occiderant agrum eorum fæde vastavit. *Bononienses* tanto Exercitui, & Imperatori impares, se ab ulteriore excidio magna pecuniæ vi,

A & centum obsidibus traditis redemerunt. Deinde utor Sigonii verbis. *Romaniolæ fines intravit, atque ingentem pecuniæ vim populationibus, & maleficiis remittendis ab Imolensibus, Faventinis, Foroliviensibus, Foropompiliensibus extorsit, atque in iis locis per totam Quadragesimam mansit: in Marchiam inde ingressus.* Hæc ille, in quibus nulla *Cæsenæ*, nulla *Ravennæ* inter vexatas facta mentio ob eam scilicet quam attulimus causam. Imperator autem inter eundum *Ancona* devicta, *Romam* invasit, & post longam resistentiam *Romanos* ad *Paschalem* recipiendum, proque vero Pontifice colendum adduxit. At dum impie Eccle-
B siam schismate vexaret *Federicus*, *Alxander*que verus Pontifex *Roma* extorris *Beneventum* se recepisset, en præsens Dei ultio. Tota ferme *Lom-* 250
bardia jam dicto fædere colligata excussit ejus Imperium, & *Alexandri* Pontificis patrocinium suscepit, isque fuit Confœderatorum progressus, ut *Mediolanum* reædificaverint: *Alexandriam* novam Urbem condiderint, deque Pontificis *Alexandri* nomine devotionis ergo, & in odium *Federici* appellaverint: Imperatorem *Roma* cum Exercitu reversum non semel fuderint, & demum ex *Italia* ejecerint. cum autem fractas viderint *Italæ* Civitates Imperatoris vires pristinos resumpsere
C spiritus, & *Germanis* despectis, vel abjectis jus pacis, bellique usurpaverunt, ut in Provincia hac à *Ravennatibus*, & *Faventinis* factum, aliisque anno 1169. mox subjiciam. *Cæsenam* etiam se 1169.
in libertatem asseruisse eodem anno multa nostra manuscripta asserunt. At cum annales nostri *Latini* jam dicti de tanta re ne verbum quidem, cogor credere non expulsos præsidiarios milites, neque à Provinciæ Comite descitum; quocirca ita componerem manuscriptorum dicta cum Annalium silentio, sub Cæsaris devotione mansisse Civitatem, at liberiore sui ipsius administratione, sub suis scilicet Magistratibus. Cæterum mini-
D stris Cæsareis esse obsequutam indicat auxilium quod *Christiano* Imperatoris duci anno 1175. tulisse tum intelligemus; quievit ergo sub Cæsarea factione Civitas, dum inter se cæteræ digladiarentur. *Bononia* scilicet cum *Ravenna* adversus *Faventiam*, cui tum jungebat arma *Forolivium*, anno antea 1149. atrox prælium fuerat inter *Faventinos Bononiensibus* unitos, & *Ravennates* in patrocinium Comitis *Cunii* una cum *Foroliviensibus*; Rivus prope quem pugnaverunt ex sanguine utrinque fuso (incerta enim victoria discessere Rubeus sub
acies) sanguineus vocatus fuit, & adhuc vocatur. anno 1149.
Quieverunt deinde sub *Federico* Populi. At de-
E posito ejus timore Civitates antiquas cogitationes resumpserunt, *Bononienses* scilicet, & *Ravennates* prolatandi ditionem illi ex præsentibus viribus: hi ex antiquo fastu. Reliquæ Civitates dignitatis, & libertatis tuendæ studio se illis opponebant. *Faventia* præsertim impedimento fuerat ne *Bononienses* totam *Imolam* occuparent. *Ravennatibus*, ne dimidiam retinerent: in hanc er- 251
go fædere illigati moverunt. At cum consilium earum Civitatum providere nequaquam difficile esset *Forolivienses* à *Ravennatibus*, ad *Faventinos* antiqua simultate dimissa, se aggregavere. Cum A. 1169.
F ergo *Bononiensium* copiæ, & *Ravennates* ad *Faventiam* obsidendam appulissent, *Forolivienses* obsessis opem tulere. Tum junctæ utriusque Civitatis copiæ in aciem coactæ prodiere ad pugnam, quam avide inierunt *Bononienses*, & Socii: at justior causa defensionis scilicet quam aggressionis victoriam *Faventinis* peperit. Fugati *Bononienses* quadringentique eorum captivi facti. Ita Annales nostri latini, de quibus proxime dixi, & quibus valde fidendum. verba exscribo. *Anno 1169. Bononienses cum Ravennatibus paucis obsident Faventiam*,

tiam, *sed advenientibus Foroliviensibus in adjutorium Faventinorum Bononienses*, & *Ravennates eversi sunt*, & *capti* 400. *Eodem Anno* (sed hoc insertur ex Chronico Foroliviensi) *Faventini convenerunt cum Foroliviensibus velle recipere præsides*, & *Capitaneos*, *vel Ductores de Forolivio.* Prosequuntur idem Annales nostri, quid factum sit anno sequenti 1170. dicunt autem. *Anno Domini*
1170. 1170. *Bononienses faciunt carrocium primum*, & *iterum obsident Faventiam*, *sed pace facta habent suos captos.* Narratio hæc curta quidem, & contracta ideo explicatior admitti potest magnam tamen ubique verisimilitudinem obtinet. Præterea *Sigonius* convenit cum *Faventinis* arma in hoc bello *Forolivienses* sociasse, neque *Ariminensium*, neque *Foropompiliensium*, neque *Cæsenatum* mentionem ullam facit, sed *Rubeus* ex *Faventinis* Annalibus *Forolivienses* adversatos *Faventinis* facit, ac *Cæsenates*, *Ariminenses*, *Foropompilienses* omnesque fere alios provinciæ pro *Ravennatibus* pugnasse. Victos tamen à *Faventinis*; *Cæsenatum* captos *Rialem*, & *Augusellum*. Est etiam alia narratio victos primum quidem *Ravennates*, & *Forolivienses* à *Faventinis*, sed advenisse interim *Ariminenses*, *Cæsenates*, *Foropompilienses*, *Britonorienses*, atque successisse pugnæ *Faventinos*que fudisse, usque ad *Faventiam* imminuisseque Civi-
252 tati periculum ne caperetur nisi pax coaluisset. At nostros tum non se immiscuisse, & nostri Annales indicant dum bellum narrantes nihil de *Cæsenatibus* dicunt, & ratio temporum poscit, cum, sub Imperatore fuisse tum adhuc Civitatem, verisimile reddant, quæ diximus. Et res ipsa suadet non conspirasse *Cæsenam*, neque alias Civitates ad subjiciendam *Bononiensibus*, aut *Ravennatibus Faventiam*. Quod vero *Faventini* convenerunt Prætorem, aut Ductorem à *Foroliviensibus* petere, (si admittatur cum sit ex *Forolivii* Chronicis insertum) potuit Civitas in testationem opportunitatis auxilii præstiti grati animi ergo voluisse. Bis autem pugnatum acie anno 1169. & tum victos fuisse *Bononienses*, & anno 1170. tumque victos *Faventinos*, & *Faventiam* maximum in periculum adductam. Quievere deinde hæ Civitates nam *Christianus* Archiepiscopus *Moguntinus* magno cum exercitu in *Italiam* jussu *Federici* venit, & licet ad *Etruriam* continendam in Cæsaris fide præsertim venisset, tamen ejus curam cis etiam *Apenninum* extensam, quæ in *Romaniola*, & in *Picæno* fecit indicant: facile ergo Provincia respectans, quid faceret, cessavit ipsa à faciendo. Jam vero anno 1169. cum decessisset Pseudopontifex *Paschalis*, suffecerat illi Impe-
1175. rator *Calistum*, quem anno 1175. *Christianus* in *Romaniam* adversus *Bononienses* profectus *Faventiæ* locavit, ubi etiam aliquot est menses moratus. Tum sane universa Provincia Imperatori parebat, quod & auxilium *Christiano* adversus *Bononienses* præstitum, & induciæ anno 1176. factæ inter Imperatoris sequaces, & adversarios demonstrabunt. *Federicus* anno 1174. in *Italiam* reverterat animo in *Lombardos* fæderatos sæviens, ideoque maximo, & validissimo cum exercitu contracto primis *Germaniæ* Principibus cinctus Duce præsertim *Saxoniæ*, & *Bavariæ*. Ad primum ejus ingressum exterritæ, *Cremona*, *Dertona*, *Comum*, & *Hasta* fæderatis relictis, se Imperatori dedidere, at reliquæ in incæpto perstiterunt: tum Imperator ut distraheret hostes partem copiarum *Christiano* transmisit, quibus una
253 cum præcedentibus, quas ipse sub signis habebat, & cum auxiliaribus devotarum Civitatum *Bononiam* invaderet ipse cum reliquo exercitu *Lombardos* subigeret. *Christianus* ergo in *Romaniam* transgressus auxilia Civitatum suo cum mi-

A lite junxit *Sancassianum*que Oppidum aggressus ditionis *Bononiensis*. *Sigonius* ex Provinciæ auxiliis solum *Imolensium*, & *Cæsenatum* meminit. *Christianus* (inquit) *ut aditum Tuscis in agrum Bononiensem aperiret Sancassianum Oppidum*, *quod* VIII. *Idus Februarias Bononienses trecentorum Militum præsidio confirmarunt*, *expugnandum suscepit atque ita Imolensium*, & *Cæsenatum auxiliis septus eo accessit.* Sed fusius rem in *Bononiensi* Historia narrat *Leander Albertus*, qui cum *Cæsenatibus*, & *Imolensibus*, *Ariminensium*, *Foroliviensium*, & *Faventinorum* auxilia conjungit. Narrat ergo *Leander* à *Federico*, qui ex *Germania* re-
B versus in *Lombardia* militabat, *Christianum* Archiepiscopum, & Cancellarium Militiæ bene peritum cum valido exercitu adversus *Bononienses* missum, cui se auxilia adjunxere *Imolensium*, *Faventinorum*, *Foroliviensium*, *Cæsenatum*, & *Ariminensium* cum aliquibus *Etruriæ* Populis (crederem etiam cum *Foropompiliensibus*) ut *Sancassianum* caperent eo consilio, ut *Tuscis* aditus in *Bononiensem* agrum ad eorum damna pateret, fuisseque Ductorem *Foroliviensium Gidonem Guerram*, *Cæsenatum Cavalcacontem*, & *Ariminensium*, *Malvicinum* autem *Imolensium*. Non potuit *Christianus Sancassianum* expugnare, sed obsidione relicta
C multis *Bononienses* damnis afflixit. Semel ex insidiis ad *Claternam* positis eos fudit, deinde *Medicinam* cepit, & diripuit. *Vedrianam* una cum Turri combussit, idem de *Ozano*, & de *Butriorum* Castro, atque *Policalvo* contigit, in populandoque, & vastando *Bononiensi* agro usque ad annum millesimum centesimum septuagesimum sextum perseveravit. Tum vero *Bononienses* tot irritati malis magnis coactis copiis in eum prodiere, sed magna cum occidione profligati fuerunt: at fuit *Christianus* ab Imperatore, qui à *Lombardis* victus fuerat in *Lombardiam* accersitus. Cum *Leandri* narratione de auxilio à *Cæsenatibus* mis-
D so, & de ductore *Cavalcaconte* conveniunt mo- 254
nimenta Civitatis, quæ insuper addunt numerum militum fuisse scilicet quatuor millium. Sæviebat interim in *Lombardia* bellum inter Imperatorem, qui adhuc *Calistum* Pseudopontificem fovebat; Et *Lombardos* pro libertate, & salute pugnantes, atque partes veri Pontificis sustinentes. Cum vero omnia Imperatori in deterius succederent, Principes *Germani* religione tacti id Divino Numini tribuere, quod *Federicum* tot Pontificiis diris devotum puniret: aliqui ergo Principes cum ab ejus exercitu recesserint coactus demum resipiscere *Cælestinum* abjecit, & vero
E Pontifici *Alexandro Venetiis* se submisit pace Ecclesiæ, & *Guillelmo Siciliæ* Regi restituta, induciisque *Lombardis* in sexennium, at cum spe pacis, concessit. Inducias, ut in tabulario *Bononiensi* juxta *Sigonium* reperiuntur repono: ad nostri enim tum status conditionem aperiendam pertinent. Sunt vero verba. *Prid. kal. Septembris* 1176. *inter Imperatorem Federicum*, & *partem ejus Cremonam*, *Papiam*, *Genuam*, *Derthonam*, *Comum*, *Hastam*, *Albam*, *Aquas Taurinum*, *Eporediam*, *Albintimillium*, *Savonam*, *Albingaunum*, *Casale S. Evasii*, *Monte Velli*, *Imolam*, *Faventiam*, *Ravennam*, *Forolivii*, *Forum*
F *Pompilii*, *Cæsenam*, *Ariminum*, *Castrocarium*, *Marchionem Montis Ferrati*, *Comites Blanderati*, *Vasti*, *Marchiones Boschi*, *Comites Laumelli*, & *in altera parte societatem Lombardorum. Nempe Venetias*, *Tarvisium*, *Patavium*, *Vicentiam*, *Veronam*, *Brixiam*, *Bergomum*, *Laudem*, *Mediolanum*, *Novaram*, *Vercellas*, *Alexandriam*, *Cassinum*, *Belmontem*, *Placentiam*, *Bobium Marchionem Malaspinam*, *Parmam*, *Regium*, *Mutinam*, *Bononiam*, *Sancassianenses*, *Ducianos*, & *cætera*

loca societatis Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ induciæ constitutæ sunt à kal. Augusti, usque ad sex annos. Civitates ergo Provinciæ fere omnes sub Imperatore erant; *Cæsareæ*que ideo factionis, in qua *Cæsena* usque ad Legatum *Carsidonum* permansisse postea intelligemus: non amplius metu, & præsidio coacta, sed animositate arbitror partium prævaluisse, scilicet Imperialem sectam in qua *Righitii* primatum obtinebant, eratque Familiæ Princeps *Garaton*, cujus erit etiam posterius men-
255 tio. induciis durantibus Civitates inter se vel confirmare priora fœdera, vel nova jungere, vel finitima Castra capere, vel civilibus inter se bellis
Anno 1178. certare. Anno 1178. ex *Italia* in *Germaniam* *Federicus* rediit: relicto tamen in *Italia* cum Exercitu *Christiano* ad tuendi Imperii jura, atque *Sigonio* asserente, ut bellum Ecclesiasticis Civitatibus faceret, ut vere fecit *Christianus*, adversus tamen pacis, & induciarum jura, nec tamen Pontificem admodum indoluisse legimus. Forsan Sanctissimus Pontifex sat habuit in præsentia compescuisse ne in Episcopos, & Ecclesiasticam administrationem manum mitteret, absisteretque prorsus ab omni Urbis per Ministros regimine; Cætera vero quietioribus temporibus reservans. Illa præsertim *Hadrianus* Pontifex petierat. At quod dixeram *Bertinorium* ab Imperatore præsidio firmatum confirmant, quæ *Rubeus* dicit sub anno 1177. refero verba. *Abiens Venetiis, deinde mense Septembri Ravennæ, quæ cum omni Flaminia Cæsarianarum partium erat ab Traversariis denuo exceptus mox Britonorium contendit, quod Oppidum cum retinere instituisset ob loci opportunitatem rogatu Alexandri Ecclesiæ tandem restituit.* Possidebat ergo jam Imperator, cum restituerit, & possidebat ut locum opportunum, ob scilicet situm, & munimenta multæ firmitatis: non sine præsidio vero loca ejusmodi in longinquis Regionibus relinquuntur. At vero *Bertinorium* restituisse, & tamen impugnationem Ecclesiasticæ ditionis jussisse non satis cohærent; Suntque difficilia explicatu. Profecto Imperatore eodem anno 1178. *Christianus* à Marchione *Conrado Montis Ferrati* olim Cæsareanæ factionis fusus, cum exercitu fuit ipseque captus, qui deinde liberatus, perseveravit tamen infestus esse Pontifi-
1179. ci. *Faventini* Annales narrant anno 1179. *Christianum* arma intulisse *Castrocario*, pro quo ipsi pugnarunt, & postea *Faventiam*, ea forte de causa aggressum partem aliquam *Faventinarum* copiarum in insidias ductam occidisse, reliquam partem licet fortiter pugnantem in Civitatem repulisse. Non aggressum tamen fuisse *Faventiam* nisi
256 aucto prius *Ariminensium*, *Cæsenatum*, & *Forolі-*
Anno 1181. *viensium* auxiliis exercitu anno 1181. diem obiit extremum *Alexander* Summus Pontifex sanctitate vitæ, & constantia in tuenda Ecclesiæ dignitate, & in adversis tolerandis memorandus. Subsequentis Pontificatus initio ferme scilicet anno 1182. mortuus est *Christianus* Archiepiscopus, & copiarum Imperatoris Præfectus, hunc cum audiret morbo implicitum non longe ab Urbe *Lucius* Pontifex, qui *Alexandro* successerat immemor injuriarum, quas Ecclesiæ fecerat ipsum adiit, & noxiis per solemnem confessionem remissis Sacro Pane, ac viatico pavit, animumque agentem reliquit, hæc *Sigonius.* Hoc jam tempore debilitatis in *Italia* Imperatoris viribus, nec Pontificis in ditione Ecclesiastica adultis Civitates sui quasi juris factæ abuti libertate cæperunt, & nedum Civitates diversæ inter se, sed ejusdem Cives factionibus jam divisi bella, & pugnas serere, & plerunque victrix factio alterius sectæ homines in exilium spoliatos nedum Civitate, sed etiam bonis ejiciebat, & quo propendebat eadem


A superior factio in illud dominium Imperii, aut Ecclesiæ universa plerunque ducebatur Civitas: hinc factum est ut *Ariminum*, & *Ravennam*, quæ in induciarum sexennium tabulis Imperii sequaces erant in tabulis anni 1183. Ecclesiæ addictis annumerabuntur, at in gestis anni 1181. persistamus: maxime enim ad *Cæsenam* pertinent. Compotes ergo jam sui Civitates veteres lites, & simultates renovavere. *Ariminum*, & *Cæsena* de confinibus non semel disceptaverant, in nova ergo libertate eandem suscitavere litem; de Castro præsertim *Bulgariæ* erat contentio utrius Civitatis in territorio esset. Post aliquam arbitror hinc
B inde per Legatos negociationem arma illata ab aggressoribus *Ariminensibus:* erant enim in antiqua possessione *Cæsenates* in qua etiam persistere, & nunc usque persistunt quieti, & securi. Hi ergo cum providerent motum iri ab *Ariminensibus* bellum Castrum ipsum *Bulgariæ* munierunt præficiendo etiam custodiæ *Garatonem* primarium Civem de quo antea diximus: crediderant *Cæsenates* suis tantum viribus, & suo milite usuros *Ariminenses*, & in hoc decepti non parem aggres- 257
sioni munitionem paraverunt. *Ariminenses* enim nedum copias suas, sed universas *Montisferetri*, Comitis *Urbini*, & Comitis *Pisauri* cum *Berar-*
C *dinis* duxere. Dux erat vexillifer tum vocatus *Montefeltranus.* Tantus exercitus ad Castrum admotus adeo vires defensorum superaverunt, ut expugnaverint Castrum captivos fecerint cum *Garatone* milites antequam nunciari posset aggressio Civitati nuntius primus, & Castrum captum, & hostem ad pontem usque *Rubiconis* excurrisse nunciavit. *Cæsenates* re audita militem propter belli periculum paratum eduxere statim in hostem, ira virtutem acuebat. Invenerunt *Ariminenses* multitudini fisos longe, lateque dispersos excurrere. Acies itaque *Cæsenatum* ordinata, & irritata damnis magnam, & vehementem impressionem fecit. Exceperunt impressionem forti ani-
D mo hostes, diuque certatum, & utrinque vulnera, & mortes: at cessere tandem *Ariminenses* in fugam acti, quos usque ad *Saviniani* Castrum sunt insequuti victores. Ex victis captivi facti septuaginta quattuor Nobiles equites scilicet, & pedites multi. Annales nostri sua brevitate, & barbarie his verbis rem describunt. Rubrica præmissa.

De sconficta facta in Ariminenses.

Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo, die decimo octavo Augusti cum Cæsenates tenerent Castrum Bulgariæ, venerunt Ariminenses cum Montefeltrano, qui fuit tunc Vexillifer eorum cum
E *tota Militia Montis Feltri, cum Berardinis, & cum tota militia Comitis Pisauri, & Urbini, & expugnantes ipsum Castrum cæperunt Dominum Garatonem cum quibusdam aliis, quo facto venerunt usque ad Pontem Pissatelli. Cæsenates vero rumore audito viriliter surrexerunt in eos præliando forti prælio commisso multis ex utraque parte vulneratis sconfixerunt eos fugientes usque ad Castrum Saviniani. Cæperunt ex eis septuaginta quattuor Milites, cum Peditibus multis.*

F Milites tum dicebantur, qui nunc milites aurati, & Equites dicuntur, verisimile est permutatos captivos cum præsertim tanti esset apud *Cæ-* 258
senates Garato, & tot essent numero captivi *Ariminenses*, & inter eos præcipue septuaginta quattuor Nobiles, oportet etiam inducias factas esse cum quieverint usque ad *Marcoaldum* arma, de cujus occasione belli suo infra loco. Interim de Episcopo *Cæsenæ Leonardo* hæc subjicienda sunt. Leonardus Episcopus Cæsenæ.
Is anno 1176. subscripsit concessioni multarum rerum à *Gerardo* Archiepiscopo donatarum Cænobio D. *Laurentii.* Subscripserunt iisdem literis

ris cæteri cum *Leonardo* Episcopi, scilicet *Albericus Rhegiensis*, *Ugo Mutinensis*, *Henricus Corneliensis*, *Alexander Liviensis*, *Albericus Bobiensis*, anno autem 1177. hanc de eo mentionem facit
Rubeus sub anno 1176. *Rubeus*, cujus verba. *Alexandro Venetiis proficiscente Gerardus Ravennam rediit, illique & Alexandro Liviensi, Leonardo Cæsenati, cæterisque Archiepiscopo Ravennati subjunctis Episcopis, Guilielmo Abbati Sancti Apollinaris in Classe, & aliis eidem Archiepiscopo subditis Fridericus Cæsar concessit, ne ad operam quampiam angarias, & parangarias appellat, & alia ejusmodi ab aliquo etiam Cæsaris internuncio præter ea, quæ ad pia opera, & legibus decreta sunt, cogi aliqua ratione possint, idque testatum voluit suo Diplomate Datam in Comitatu Auximi apud Castrum Cæsarola Anno ab incarnatione MCLXXVII. Indict.* XI. *tert. Non. Decemb.* At anno 1182. hæc contigere, quæ idem *Rubeus* hunc in modum hisque verbis narrat ad eundem Episcopum *Leonardum*, & ejus Ecclesiam spectantia. *Postero* (inquit) *Anno* (scilicet 1182.) XV. *kal. sextil. in Oppido Ligabizo Albarara mater, & Guitta filia dono dederunt Gerardo Archiepiscopo Ravennati, ac Successoribus ipsique Ecclesiæ in perpetuum dimidiam partem Castri Fanani, & curtis ejus, & Montis de Petra: in Pisaurensi plebe S. Christophori, ut suis suorumque propinquorum animabus ea donatio remedium esset. multi adfuere Testes, ipseque potissimum Leonardus Cæsenas Episcopus.* Hæc ibi Rubeus, quibus in eadem pagina subjungit. *Paulo post in gravem incidit morbum Gerardus, itaque quinto Non. Octobris Cæsenæ in Templo Maximo D. Joannis Baptistæ dicato coram Canonicis Cæsenatibus, &*
259 *Guillelmo de Castello Imperatoris Legato, multisque præterea Lanfrando Populiensis Episcopus sacris peractis, quia etiam Episcopus Cæsenas, ejusque Præpositus necessariis districtus negotiis aberant Gerardi Archiepiscopi ægrotantis nomine Hugonem Abbatem Veronensem expiavit, virgaque & mitra insignivit. Augescente autem in dies morbo tandem Gerardus excessit è vita.* Placuit hæc verbotenus exscribere ad nostrum Episcopum, & Ecclesiam pertinentia, cum hac in parte monimenta nostra exhauserint flammæ, quæ Archivium nostrum combussere, ut nobis opus sit aliunde mendicare, quæ jure merito à nobis cæteros petere oportuisset. Anno 1183. Civitates Imperatori adversantes pacem ab eo petierunt, ipseque illis singulatim numeratis pacem concedit. Est hæc tabula pacis
Anni 1183. penes *Sigonium* sub anno 1183. prid. kal. Maji. *Societas Lombardiæ, Marchiæ Veronæ, & Venetiarum cupit habere pacem Friderici in hunc modum, ut Fridericus pacem habeat cum Ecclesia Romana, & nos Civitates Cremonæ, Mediolanum, Lacis, Bergomum, Ferraria, Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Patavium, Tarvisium, Venetiæ, Bononia, Ravenna, Ariminum, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobium, Derthon, Alexandria, Vercellæ, Noaria, Opizo Marchio Malaspina, Comes de Brenone, & omnes Castellani, & homines, qui sentiunt cum Ecclesia Dei &c.* Inter Civitates ergo Imperatori adversas numerantur hic *Ariminum*, & *Ravenna*, quæ in induciis anni 1176. erant inter amicas. *Cæsena* vero ut semper amica ibi inter amicas reponitur, hic inter inimicas reticetur. *Faventia*, quæ hic inter inimicas, & ipsa silentio involvitur, tanquam scilicet devota in pace tamen constantiæ ut adversaria locatur. Imperator in *Italiam* rediit. Ab omnibus Civitatibus juxta formam pacis summa cum hilaritate, & festivo occursu exceptus tum in *Lombardia*, tum in *Romania* præter *Faventiam*, quæ se illi oppositam ostendit, Imperator indignatus eam perobsedit, & tandem obedire per *Bertoldum* Cancellarium suum coegit; ita *Sigonius*, cum quo de *Faventia* devicta consentiunt Chronica nostra, & *Rubei* Historia, dissentiunt solum Annales *Faventinorum* qui victores, non victos se describunt, sed nimium scilicet Patriæ 260
indulgendo laudibus licet nulla narratio deneget illis magnam fortitudinis, & costantiæ repræsentationem, qui soli Maximo Imperatori, & exercitui resistere ausi sint, & fortiter solum pugnando cesserint. Rem latius describere præ- 1185.
stat. Antiquum nostrum cum ruditate illa sua Chronicon ita se habet. *De debellatione facta in Faventinos. Dominus Bertoldus D. Imperatoris Legatus cum Ravennatibus, Ariminensibus, Cæsenatibus, Ficoclensibus, Foropompiliensibus, Forolivi-* Forolivil.
viensibus super Faventinos incessit, & cum in Durbecco, & ad Portam Ravennatensem, & Montanam fortiter dimicavit: sed Cæsenates cum Foroliviensibus, qui a Durbeccum positi fuerunt cæteris acrius præliantes totum suburbium usque ad Pontem ceperunt, & combusserunt; in quo prælio mortui fuerunt Albericus, Rainutius, Filistranus, Petrus Cavi Anno Domini 1185. *die* 19. *Mensis Junii.* *Rubeus* consentit à *Cæsenatibus*, & *Foroliviensibus* ad *Durbeccum* Suburbium captum, & incensum, & demum *Faventinos* Imperatori paruisse. Verum vult primum obsessam *Faventiam*, at rejectum obsidentium Exercitum, atque multos eorum occisos, & signa capta, & fugam Exercitus *Cæsarei* incepisse à *Forocornelianis*, *Ariminensibus*, & *Butorianis*, qui eo quod cum *Faventinis* sentirent remissius pugnaverunt. At instigantibus *Ravennatibus Bertoldum* repetitam obsidionem tum. *Cæsenates etiam, ac Forolivienses, qui ad Durbeccum habebant Castra Suburbana tecta cæpisse ad pontem usque* XIII. *kal. Julii incendio excitato combussisse. Quo tandem Faventini ad obsequium Friderico præstandum sunt coacti. Faventini* victoriam penes se statuunt, ac magnificant mortem nostrorum fatentur at non eorum victoriam, & Suburbii incensionem, neque ideo mortuos dicunt, quod Mors sibi quemque fortissimum oppignerat. Fatentur tamen ab Imperatore se in gratiam susceptos, at non ut victos, sed tanquam victores, qui scriptores virtutem Civitatis falsis laudibus potius obtenebrant. Subjungit *Rubeus* inter *Faventinos*, & cæteros *Flaminios Friderico* jubente pacem deinceps initam. Verum id sane ex his constat totam *Romaniolam* sub Imperatoris ditione tum fuisse, quod & subinde magis confirma- 261
bitur. Moratus est in *Italia Fridericus* usque ad annum 1186. tum relicto in *Italia Henrico* filio Rege in *Germaniam* abiit, primum autem *Henrico* eidem *Constantiam* filiam Regis *Siculi Gulielmi* collocaverat Nuptiasque solemnes, ac splendidissimo apparatu celebrandas *Mediolani* curavit. *Henricus* itaque in *Italia* remansit *Æmiliam*que eodem quo Pater Imperio rexit. Interim vero cum anno 1187. fuerit *Hierusalem* à *Saladino* oc- Anno 1187.
cupata centesimo prope anno postquam à Christianis recuperata fuerat, Pontifices *Romani*, & qui inclinationem rerum, & qui postea ruinam viderunt sollicitaverunt Principes, Regesque ac Populos Occidentales ad opem ferendam labentibus, & postea lapsis Christianorum in *Asia* rebus. excitati *Itali* multas cohortes easque plenissimas conscripserunt, & in *Asiam* miserunt Archiepiscopus præsertim *Ravennas Florentiæ* confidens Pontificis jussu, & nomine confluentibus hominibus plurimas Cruces dispersit, ipseque postea cum *Faventino* Episcopo *Joanne* quem ducenti ex eadem Civitate Cives sequuti, & cum magna militum copia ad tam pium bellum profectus est. Scribit *Rubeus* post liberatam *Tyrum*, & obsessam *Ptolemaidam*, cum adven-



tante *Saladino* acerrime pugnasse, & utrumque concidisse cum suis ibi occisum. *Fredericus* demum Imperator in *Asiam* profecturus magnum Exercitum ex *Germanis* parat anno millesimo centesimo octuagesimo septimo. Anno millesimo centesimo octuagesimo nono in *Asiam* pergit *Iconium* expugnat, & dum magna spe Christianos impleverat abscondito Dei judicio infeliciter in *Armeniæ* flumine *Serra* vocato suffocatus dum præ æstu in illud ad se refrigerandum denudatus descendisset. Funus indignum Imperatoris fortissimi, & summis laudibus (si contumaciam in Pontifices demas) digni, funestissimus casus maximo sane impedimento fuit felici Christianorum eo in bello progressui. Erat tum annus millesimus centesimus nonagesimus, Juniique dies undecima. Non statim ab obitu *Friderici Henricus* ejus filius,
262 licet Rex *Germaniæ*, & *Italiæ* fuit Imperator inunctus quoad enim *Clemens* vixit, qui anno 1191. die 25. Aprilis mortuus, ne petijt quidem quod illum Pontificem à se alienatum cognosceret. At à suffecto *Cælestino* itidem tertio, & petiit Coronam Augustalem, & obtinuit. Retinebat tamen Civitatum Ecclesiasticarum ditionem Imperator, quod non bene sentiens Pontifex anno 1193. *Viterbum* adivit, illudque recepit cum ditione ibi ferme omni, quam *Henricus* ademerat; inter cæteraque loca *Clusium*, & *Montempolitianum* recuperavit. Abierat ab anno usque 1192. in *Germaniam Henricus*, unde solum anno 1194. revertitur ad *Siculum* bellum prosequendum, quod improspere ab initio ipse gesserat, & tum per Legatum gerebat. Verum à *Genuensibus* adjutus brevi felicissime id confecit, Regno Insulæ universæ capto dotali scilicet *Constantiæ* Uxoris suæ, quam etiam ab hostibus antea captam, & *Panormi* custoditam recepit ab ea victoria, qua turpiter usum omnes asserunt, & proscindunt res *Italas* adversus Pontificem, constituit *Philippum* enim fratrem Ducem *Etruriæ*, ac Terræ *Matildis*. *Marchoaldum* Dapiferum suum Ducem Exarchatus *Ravennæ*, & *Anconis* Marchionem. Ducem vero *Spoleti Conradum* constituit anno eodem millesimo centesimo nonagesimo quinto, & horum *Philippus* alias etiam *Tusciæ* Civitates Pontificiæ ditionis cepit, fuitque à *Cælestino* excommunicationis fulmine perculsus. *Henrico* tum in *Germani* morante, qui in *Italiam*, & inde in *Siciliam* reversus ibi anno 1197. obiit. Corona interim *Italici*, & *Siculi* Regni *Friderico* ejus filio insignito, qui postea Imperator Secundus ejus nominis fuit, sed nonnisi duodecimo post anno. Anno sequenti mortuus est *Cælestinus*, cui *Innocentius Tertius* fuit suffectus. Hic statim in animum induxit ditionem Ecclesiæ universam recuperare. Verum ut antea constet quo jure tradita sit Provincia nostra *Marchoaldo* placet exscribere tabulas quasdam inter *Marchoaldum*, & Potestatem *Ravennæ*, quas penes *Rubeum* habemus sub anno 1195.
Lib. quint. sunt autem. *In nomine Domini. Anno ab incarna-*
263 *tione ejus* 1195. *die* xv. *Mensis Junii Indictione* 13. *Arimini in Camera Episcopi Ariminensis. Concordia, quæ fit inter D. Marchoaldum, & Ubertinum Ravennæ talis est. In primis quod Ravennates debeant jurare fidelitatem D. Marchoaldo sicut alii homines de Romania fecerunt, qui ei juraverunt, & debent tantum addere juramento, quod concordiam factam inter se, & eum de facto Cerviæ firmam, & ratam habebunt, & jurabunt illum, & suos liberos partem retinere, partem, quam habebant in Cervia contra omnes personas hominum, nec auferrenti, nec auferre volenti consentient. Cerviam vere communiter habere, & tenere debeat in hunc modum, ita quod Marchoaldus, & sui liberi debeant habere tertiam partem bannorum placitorum, Portus ripatici,*

A *cathenæ, Districtus Jurisdictionis, omniumque Civitatis redditum. Aliam tertiam partem Archiepiscopus, aliam tertiam partem Ravennates debeant habere. Banna vero salis ripatici, redditus Cathenæ communi debeant imponere voluntate. Et de his omnibus, & aliis, quæ in antea posuerint, sine fraude concordari debeat, sine malo ingenio ad eorum utilitatem, nec debeat in hoc fraudem ullam habere, quominus concordentur. Sal nanque totus, qui Navibus vehitur, Ravennam portari debet, nec alio sine communi transvehi voluntate. Sal vendatur, sicut alius Sal de Civitate venditur, & alii Ravennates vendent. Per terram Sal non portetur, nisi*
B *communi voluntate, & Ecclesiæ Ravennæ, & Ravennates debent ibi suas possessiones, & suos fructus salvos habere, ita quod prædictis hominibus nullatenus derogetur, neque in bannis, neque in vectigalibus, & aliis omnibus quæ ipsi præbeant, ut communi voluntate fuerit constitutum, & Dominus Marchoaldus promittit Ravennatibus, quod confirmabit eis prædictam tertiam partem secundum prædictum modum per suum, & nullum malum, nullamque molestiam faciet illis, nec consentiet facienti, & si eam amiserint bona fide illam recuperare juvabit, & suum privilegium privilegio D. Imperatoris faciet confirmari, & similiter faciet, quod Archie-*
C *piscopus per privilegium confirmabit bona fide, sine fraude, & si confirmare noluerit usque ad Festum omnium Sanctorum proximum, debeat esse Dominus Marchoaldus ad voluntatem, & præceptum Potestatis Ravennæ, vel Consulum Ravennæ qui pro tem-* 264
pore fuerunt, de prædicta tertia parte Archiepiscopi, quam habere debet in Cervia: sed hæc promittit Dominus Marchoaldus, quod Ravennam, & ejus districtum in bono statu, & honore conservabit secundum eorum antiquam consuetudinem salvis regalibus, quas Imperator, & ipse Marchoaldus in Civitate Ravennæ, & ejus districtu habere consuevit. Ravennates debent facere rationem Cæsenatibus, Bri-
D *tonoriensibus, Forolivienśibus, & Foropompiliensibus si de eis conqueri voluerint. Salva in his omnibus fidelitate Domini nostri Imperatoris. Hæc omnia suprascripta adinvicem firma tenere promiserunt per stipulationem, & sub pæna centum Marcharum argenti, & soluta pæna omnia supra scripta remaneant firma. Ego Joannes Dei gratia Tabellio ad omnia suprascripta interfui, & sicut superius legitur scripsi. Testes rogati interfuerunt Petrus Traversaria, Malatesta Bartholus de Pilio, Rainerius de Ubertino, Luisinius Judex Vancius, Judex Rhambertus de Monaldis, Gerardus Decia, Rodulphus Judex, Leonardus Porcellus ad omnia suprascripta.*

Constat hinc feudi loco habuisse *Marchoal-*
E *dum* Provinciam hanc universam, at Populorum jura instar rerum publicarum servata. *Innocentius* ergo cum statuerit hanc Provinciam, & cætera Ecclesiæ loca ab Imperatoribus usurpata Pontificiæ ditioni restituere, misit in *Romaniam Cansendinum* (ut vocat *Rubeus*) *Carsidonium* (ut appellat *Sigonius*) Legatum cum exercitu ad universam recuperandam; scripsitque Archiepiscopo *Ravennati*, ut cum subjunctis Episcopis illi adessent, ac faverent. Populos alienos ab Imperio Ecclesiastico *Carsidonius* invenit, at cæteris duriores *Cæsenates* in diuturno scilicet Cæsarum Impe-
F rio in Civitate invaluerant, cæterisque præstabant Imperialium partium studiosi, quos etiam *Marchoaldus* sibi amplius devinxerat, ut ideo se refractarios Pontificio Legato præstiterint. Rem totam *Sigonius* narrat. *Carsidonius autem in Romaniam cum exercitu ingressus difficiliorem opinione expeditionem est nactus; nam cum cæteri Populi, tum maxime Cæsenates, qui primi Romaniam ineunti occurrerunt in pertinacia sua se perstituturos, ostenderunt itaque cum eos sacrorum interdicto notasset,* 265
neque

neque quidquam profecisset auxiliam Bononiensium advocavit. Bononienses sive ut à Pontifice gratiam inirent, cui semper maxime studuerant sive ut Marchoaldum à se procul arcerent, subito arma pararunt, at delectu quam maximo habito Carrocium emiserunt. Dux aderat strenuus, atque ut iis temporibus rei militaris in primis peritus Prætor Urbis Ubertus Vicecomes Placentinus, is omnibus copiis eductis statim Corbariam, Saxatellum Montem Catinum, Arbotum, Duciam, & Flagnanum Imolensis agri Castra, quod infirmis munitionibus essent primo impetu cepit, atque singula certa pecuniæ summa multavit: quo terrore percussi Cornetani, qui se paullo ante dediderant sponte in fidem, cum defecissent, reverterunt inde in fines Immolensem, Foroliviensem, Foropompiliensem, & Britonoriensem exercitus est inductus. In primis Foroliviensium infame facinus erat. Hi enim Robertum Urbis præfectum rem ad Ecclesiam retrahentem Populari in foro concitato tumultu misere interemerant. Universi tamen vastatione agris illata ad pacem petendam, & obsequium Ecclesiæ recipiendum adducti ad extremum junctis exercitibus Cæsenates quoque petiti, atque ad auctoritatem Ecclesiæ revocati. Civitatibus in fidem reversis interdictum est relaxatum. *Rubeus* haud multum discrepat solum vult *Forolivium* non *Cæsenam* postremo loco victum. Additque non solum præfectum ab illis occisum, sed nepotem ipsius Pontificis suspendio necatum; eosdem *Forolivienses* eruptione facta in *Ravennatem* agrum excurrisse, atque etiam *Cerviam Ravennatibus* ademisse, sed de Nepote Pontificis vix crederem, cum nihil à *Sigonio* de tanta re dicatur. di-

A cit præterea *Ravennatum*, & *Faventinorum* copias Legati exercitui junctas *Cæsenam* coegisse ad parendum, nulla facta *Bononiensium* mentione: at licet interpretari in Exercitu Legati, quem meminit auxilia *Bononiensium*, & *Imolensium* includi. *Faventini* Annales, qui dicunt *Faventinos* in auxilium *Ravennatum* eodem anno profectos, cæteris populis suppressis, non dissentiunt à *Sigonio*, sed ea solum intercedit differentia, quod distinctius *Sigonius* cæteri pressius rem describunt, antiqui nostri, & latini Annales sunt huc accersendi. *Anno* (inquit) *Domini* 1198. *die* 26. *Mensis Janua-* 266
rii Marchoaldus volens succurrere Cæsenatibus cum utrisque per partes Arimini aggressus est ab eis in festo Annunciationis, an forte Purificationis? Beatæ Mariæ Virginis juxta Plebem Sanctæ Christinæ, tandem succubuerunt Ariminenses, usque ad Portam B *S. Andreæ fugati sunt à Martino, & pro majore parte, sunt mortui, & fugati, & in Sabbato antecedenti fuerat Lonzanum destructum à Cæsenatibus, & postea in Majo veniente, venerunt Ravennates, Bononienses, Faventini, & tota Romandiola forti manu quam potuerunt super Cæsenam in quo Exercitu fuerunt septem centi Milites de Lombardia, & tunc vicarium fecerunt.* Alia quædam nostra monimenta scribunt *Cæsenates* destructo *Longiano* exspectasse. *Martini* à *Marchoaldo* cum Exercitu missi adventum antea ipsis significatum, cumque ergo advenisse novissent, & obstare *Ariminenses*, tunc Ecclesiasticæ factionis ipsos quoque invectos ut utrinque pressi hostes dictam Cladem acceperint multis occisis, & pluribus captis, *Martinum*que incolumem *Cæsenam* pervenisse.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVUS.

267

Recuperavit ergo universam Provinciam Pontifex, quam leni Imperio pressit, quasi Feudi instar juramento fidelitatis contentus, & tributo ex formula, & milite. Cæterum enim suis se Magistratibus regebant Civitates, atque jus pacis bellique indicendi retinebant. Hinc forte factum, ut cum *Cæsenates* adversus Provinciales à quibus in obsidione damna passi erant turbidos se se ostenderent. Augusti mense (Mario vero Legato deditionem fecerant) convenerint *Ravennates*, *Ariminenses*, *Forolivienses*, & alii, atque rursus in *Cæsenam* arma tulerint: verum qui pro Pontifice præerat pacem inter eos conciliavit. Hoc ipsum significat me interprete Chronicon nostrum, cujus verba aliqua ex parte corrupta refero. *Sed postea in Augusto venerunt Ravennates, & Ariminenses, & Forolivienses, & Taliatenses omnes, & facta est composi-*
268 *tio inter Cæsenates, Ravennates, & Ariminenses*, &c. *Marchoaldus*, qui adhuc Marchiam retinens Ecclesiasticæ ditioni infestus erat anno sequenti 1199. fuit demum Marchia expoliatus, qui præterea agnito errore suo atque Ecclesiasticis diris, quibus à Pontifice devotus erat commotus ad Pontificium obsequium per Legatum Pontificis *Ostiensem* Episcopum verulis expiatus rediit, se seque Pontifici subjecit, atque in clientelam commendavit. Civitates autem Ecclesiasticæ libertati restitutæ antiquos sensus amicitiæ, inimicitiæque resumpsere. Finitimæ Civitates ob litem de finibus inter se discordes. *Cæsena*, & *Ariminum*.

C *Cæsena*, & *Ravenna* inter, *Forolivium* quoque & *Cæsenam* ob intervalli brevitatem simultas. Inter *Ravennam*, *Faventiam*que inter *Faventiam*, & *Forolivium* pariter. At quæ iisdem inmicæ inter se amicæ *Cæsena*, & *Faventia*. *Ravenna*, & *Ariminum*. Ex finitimis tamen *Ravenna*, & *Forolivium* convenerant, prævalebat; siquidem adversus *Faventinos* amborum odium. *Bononienses*, qui ad Imperium hujus Provinciæ aspirabant obtinuerant jam *Imolam*, & cum reliquarum Civitatum hac, vel illa pro opportunitate fædera contrahebant, tum cum *Faventinis* adversus *Ravennates*, ac *Forolivienses* arma jungebant. Occasio præsens belli duo Castra erant alterum Castellionum dictum, cujus incolas valde *Faventini* oderant, at *Forolivienses*, quod eorum Diœcesis esset; tuebantur & cum *Foroliviensibus Ravennates*.
D Alterum Castrum erat ad *Cosmam* à *Faventinis* constructum., *Foroliviensibus* invitis. *Cosma* Torrens *Forolivium*, & *Faventiam* æquali propemodum distantia interfluit. Adversus ergo *Forolivienses* in eorum prope finibus Castrum excitarant, atque firmaverant *Faventini*. Turgebant Populorum animi sed odium usque ad annum 1201. continuerunt, tum erupit licet anno 1200. magna pestis vis Provinciam hanc atque *Etruriam* quoque invaserit, & exhauserit, multi enim mortui, & certissima mors nam intra diem naturalem ex sanguinis è naribus fluxu moriebantur infecti. Anno eodem *Ravennates Argentam* amiserunt à *Ferrariensibus* Duce *Salinguerra Taurelio* tum *Ferrariæ* moderatore victi. Hoc quod eleganter 269
Rubeus narrat, rudi prorsus oratione Chronicon nostrum

Annales nostri, & Rubeus.

Rubeus sub eodem anno 1200.

nostrum exponit, placet referre infantiam illam antiquam, sed simplicis veritatis imaginem. *Anno* (inquit) *Domini* 1200. *die* 21. *Aprilis capta est Argenta cum Potestate Ravennatum, & cum Ubertino, & cum majore parte equitum, & peditum Ravennatum, & cum omnibus Argentensibus, & destructa est à Ferrariensibus, & Veronensibus, & Mantuanis, & sex menses steterunt in captivitate, & quolibet die antequam comederent ex quolibet mense dederunt certam summam pecuniæ communi Ferrariensi, & in fine dederunt* 300. *milliaria de sale, nec debet amplius reædificari, nec aliquod castrum, nec munimen aliquod, nec debent facere Ravennates ultra S. Albertum, & homines omnes, qui sunt ultra Padum debent dare coltam Ferrariensibus, & ire ad agmen ad hostem, & si pax fracta fuerit à Ravennatibus, libere debent habere omnes homines, qui sunt ultra Padum Ferrarienses. Ravennates autem nihil debent habere ultra Padum postea.*

Eodem anno constructum est Castrum S. *Petri* in comitatu *Bononiæ*. verum propius ad res nostras accedendo jam res spectabat ad bellum inter *Faventinos* eorumque socios ex altera parte, ei *Ravennates Forolivienses*, & socios ex altera. ut cum præsertim fœdere alligati essent non sit verisimile, quod scribit *Rubeus* à *Foroliviensibus* occupatam expulso *Ravennatum* præsidio *Cerviam*, quam hi rursus de *Bononiensium* manibus receperant. Illud tamen pro vero accipiendum, quod subjungit anno scil. 1201. à *Cæsenatibus Cerviam* captam scribit. *Cæsenates* 3. *Idus Septemb. Cerviam expugnant, magnam partem incendunt, juratum à Cerviensibus obsequium extorquent cum neminem desiderassent ex suis tradunt aliqui, id Faventinorum gratia factum.* Ita *Rubeus*, & concordant Annales nostri, qui certe dicunt in gratiam *Faventinorum* factum verba ipsa *& factum est in servitium Faventinorum.* explicemus ergo ex his latius expeditionis progressum. *Faventini* Castrum *Leonis* (*Castellionum* vocat *Rubeus*) obsidione cum *Bononiensium*, & *Corneliensium* copiis cinxerant, at in auxilium Castri advenere *Forolivienses*, & *Ravennates*, una cum *Popiliensibus*, *Britonorianis*, & *Cerviensibus*, atque *Galliatensi* Abbate. Tum ergo obsidione omissa Exercitus congressi sunt.
270 Cessit loco *Foroliviensis*, sive timor fuerit, sive astus usque ad flumen *Montonem*, qua Suburbium *Sclavoniæ* vocatum ferme alluit insequuti sunt acriter adeo pugnando *Faventini* ut in angustias fluminis descenderent, tum *Forolivienses* vel conversi ex fuga, vel ex insidiis exsurgentes in hostem temere progressum arma magno impetu inferentes multos occiderunt, & plures ceperunt; neque enim Dux *Bononiensis Guilelmus Rangonius* in easdem angustias militem suum demisit; at solum cohibuit adversarios ne perculsos *Faventinos* insequerentur. *Cæsenates* ergo auditis amicæ Civitatis damnis, vel ab ea sollicitati, vel quod incremento communium inimicorum dolerent ad divertenda arma *Cerviam* aggressi sunt, quæ tum *Ravennatibus* parebat, quæque illis, & *Foroliviensibus* in pugna auxilia submiserat. *Cervia* in campestri tota loco inter paludes jacet, nunc solo aggere cincta, & absque arce, tum septa mænibus, & arce munita, territorio pro Civitate satis amplo, atque admodum feraci potitur. Sale præsertim, cujus penes eam uberrimus proventus ditescebat, ejus reditus erat tunc integer Civium frequentior tum itaque Populo, atque ut cogebat temporum conditio exercita armis. Exitum pugnæ narrant hoc modo Annales latini nostri jam dicti. *Anno Domini* 1201. *die* 11. *Mensis Septembris capta est Cervia pugnando tamen à Cæsenatibus, & pro majore parte combusta de padule, & totam tumbam, & nullus fuit ibi mortuus vel captus de Cæsenatibus, & tandem juraverunt mandata omnia servare Cæsenatibus, & obsides meliores illius terræ receperunt Cæsenates ab eis, & factum est in servitium Faventinorum.* Hæc illi rudi sua simplicitate, at veritatis indice diminutæ ergo hac parte auxiliorum sunt copiæ *Faventinis* adversæ. *Faventini* autem contra prosequuti sunt adversus *Castillionum* bellum novis copiis *Bononiensibus*, & *Corneliensibus* adjuti, quibus adjunxerunt auxilia Comitis *Guidonis Guerræ*, & Abbatis *Galliatensis*, qui ab hoste ad ipsos transierat. At irrito omnia incæpto *Imolenses* enim territi discessere à Sociis, atque terrore ipsi suo reliquum Exer- 271 citum, & numero, & animis minuere. *Bononienses* ergo id sibi dedecori reputantes, auxilia à se missa parum adeo profecisse, neque etiam eorum consiliis congruebat existimationem armorum suorum penes *Flaminios* evanescere. Idcirco magnum coegere exercitum Carrocio usque emisso ad *Castellionum* pro *Faventinis* occupandum; *Imolenses*que secum duxere, ut junctis *Faventinorum*, & amicorum copiis Exercitus maximus tum multitudine, tum virtute militum redderetur. Terrefacti ergo Inimici tutelam *Castellioni* dimiserunt. Castrumque ideo in *Faventinorum* manus devenit, quod habitatoribus omnibus eductis diruerunt. Idque inconsulto, & inscio *Bononiensium* Duce *Rangonio*, qui ut par est credere in mandatis habebat, ut *Faventinos* quidem juvaret ad victoriam verum in victoria ipsa mitius semper ageret cum victis ad clementiæ famam captandam etiam penes victos. Iratus ergo Dux, quod non petita venia id ausi *Faventini* essent in pœnam Castrum *Cosmæ* ipse diruit, atque eos mille librarum damnavit, quas *Foroliviensibus* solverent. Fremuerunt *Faventini* ob *Guillelmi* factum; at ipsimet scribunt ab omni se indignationis significatione abstinuisse ob Cives suos, quos obsidum loco penes se *Guillelmus* habebat: unde oportet subsidium *Bononiensium* nonnisi traditis obsidibus impetratum esse.

Chronicon Faventinor. sub anno 1202.

Interim *Ariminenses*, vel à *Ravennatibus*, & *Foroliviensibus* quibus cum fœdere jungebantur inducti adversus *Cæsenates* arma tulerant, vel quod non ferret æquo animo Civitatis æmulæ auctum captione *Cerviæ* imperium. Fuit autem ea equitatus excursio usque ad *Bulgariæ* Castrum agrum ibi populando. Erat ad *Calisidii* Castrum *Cæsenatum* militum manus in statione scilicet quadam militari adversus suspectæ Civitatis motus quæ populatione intellecta adversus *Ariminenses* statim cucurrit, atque ad Butrii hospitale eos consequuta acri prælio invasit, atque fudit ablata præda, & nonnullis captis interque cæteros *Guidone* de *Rhambertino* ductore. Erat tum *Cæsenæ* Prætor, vel ut vocabant Potestas nomine *Thomas*: die 27. Augusti 272 pugnatum. Cum vero invasionem *Ariminensium* infelicem exitum sortitam *Ravennates*, & *Forolivienses* intelligerent valido contracto exercitu in *Cæsenates* moverunt. Occurrerunt ad fines *Cæsenates*, ut à direptione agrum tuerentur; erat Dux hostium *Petrus Traversarius*, at *Cæsenatum* ductor idem & Prætor *Andalaus*. Post aliquas velitationes die 26. Decembris tandem ad *Castellionum* collatis signis pugnavere exercitus: victoria penes *Cæsenates* fuit. Fusi hostes, & *Petrus Traversarius*, cum decem, & septem equitibus captus, & alii (arbitror) minoris conditionis plures, autem captivi. *Faventini* tum multi *Forolivii* erant apud *Fratariam* capti, atque duriter in custodia habiti, ut interdum ad sitim extinguendam lampadum oleum bibere cogerentur, audita ergo *Cæsenatum* victoria Senatus Populusque *Faventinus Cæsenam* Legatos misere, qui pro amicitia, & fœdere rogarunt *Cæsenates*, ut vellent permutari utrinque captivos adeo ut ex *Ravennatum*

A. 1202.

Chronicon nostrum.

Rubeus sub eodem A. 1202. & Chronic. nostrum latinum.

tum libertate ipsi suos reciperent, quod ultro concessere *Cæsenates*, & *Faventini* libere dimissi à *Forolivienſibus*, & *Ravennates* à *Cæsenatibus*, qui benignius eos custodierant domum suam quisque revertere: tumque demum inter Civitates pax facta, tumque etiam *Cervia* (arbitror) restituta. Nam certe anno 1106. non amplius *Cæsenatum* erat. Quieverunt externa bella: at sævierunt interna. Postquam ex *Carsidonii* Legati victoria Ecclesiæ partibus aggregata fuit *Cæsena* Imperialis factio, quæ antea præpollebat tum imminuta est. Immo videtur à Legato à Civitate exclusus *Garato*, ut *Righitiorum* primus, ac factionis *Cæsareæ* caput, exules enim fuisse *Righitios* in manuscripto habetur. Aliquos ego interpretor, & primarios quotus erat imo inter primarios primus *Garato*. *Righitiorum* ergo familia depressa, & pars odia coquebat, & multa ad superandos, vel etiam exscindendos inimicos volutabat animo. *Ariminum* ex factione Ecclesiæ in imperialem transierat, adeo ut aliquas familias contrariæ sectæ ex ea urbe expulerit inter quas fuit familia *Caminatium* in duos nunc ramos divisa, *Belmontiorum*, & *Ricciardellorum*, qui à Patria extorres à *Cæsena* benigne
273 fuerunt accepti, benigneque habiti, immo ipsi inter gentilitia monimenta habent, quo tempore *Cavalcacontes* Dux erat *Cæsenatis* militiæ, inter ejusdem militiæ ductores fuisse *Ambronem Belmontium*. *Righitii* pariter à Civitate exclusi *Ariminum* confugere, ibique adeo Reipublicæ caros fuisse constat, ut in tabulis fæderum cum aliis Civitatibus amicis conficiendis ea in parte, in qua obligatio texebatur, auxilii adversus quoscunque præstandi, inter exceptos (excipiebatur enim Imperator, & Pontifex) ipsi ponebant *Righitios Cæsenates*. Dum *Righitiorum*, & asseclarum animus inquies, & auxilia *Ariminensium* parata casus impiis Civium desideriis, & sævis æmulæ Civitatis votis ut exsaturarentur, aperuit. Incendium ingens, seu temere natum, seu fraude procuratum magnam Civitatis partem consumpsit. Annales latini nostri fraudi illud *Gherardini* tum Prætoris adscribunt, ex antiqua, & vetere chronologia (erat ea Canonica) dicitur incendium factum ex facto malo, & perjuro, & falsitate *Gerardini* Infantis Potestatis, ut tum vocabant *Cæsenæ*, alii excusant *Gerardinum*, & *Righitiis* tribuunt, à quibus cum ad perdendos inimicos *Calesidios*, & *Artichinos* factum fuerit à *Gherardino* tamen provisum, ne *Righitii* voti compotes efficerentur. Et certe non statim cum incendio fuit invasio Civitatis ex iisdem Annalibus. Combustio hæc accidit die 3. Augusti, at invasio *Righitiorum*, & hostium fuit solum mense Octobris, tum vero ex iisdem Annalibus non amplius erat *Gerardinus* Prætor, Potestasve, quod excusationi ejus suffragatur. Sed relinquatur in incerto incendii origo, ut in alio monimento nostro gravi admodum relinqui video. At certum est secundam exustionem mense Octobris deinceps sequutam, ab exulum impietate, à fraude partis eorum, quæ remanserat, & ab *Ariminensium* militari manu factam esse. Mense ergo Octobris improvisi intempesta nocte advenere, exules *Righitii* præsertim *Garato*, cum Copiis *Ariminensibus* ingressus est Civitatis montanam partem per portam sequacium fraude apertam cum quibus scilicet antea per occultos inter-
274 nuncios convenerat. Partem ergo illæsam Civitatis à pristinis flammis hostes inflammavere secundis; arx tamen, quam præsidio munitam oportet post primam exustionem fuisse ad tutelam Civitatis inter suspectos vicinos ceu præviæ, ipsa se defendit, & propinquam partem; in quæ loca Cives non intercepti ab hostibus confugere ibique sumptis armis fortiter infidis Civibus, &

A sævis hostibus repugnaverunt, statimque calamitatem *Faventinis* significavere auxilium implorantes, quod absque mora amicus is populus misit. Unde territi *Ariminenses* aufugere, aliquibus etiam ex suis relictis, qui captivi facti sunt. Civium diffidentium ex studio factionum animi exasperati licet acceptis, & repensis injuriis: tamen amica *Faventinorum* admonitione, & funesto fumantis Patriæ aspectu emolliti convenere tandem publicis (arbitror) muneribus, & honoribus æquabilius distributis. *Garato*, & exules tanti mali authores cum *Ariminensibus* secessere quousque anno sequenti pace cum *Ariminensibus* facta, num ex
B conventione etiam exules fuerint restituti, nec ne incertum est. At certum est non multo post saltem restitutos fuisse. Quod sequentia ostendent. Pax interim inter *Cæsenates*, & *Ariminenses*, celebrata fuit ad *Butrium* inter Prætores Civitatum, *Bonifacium Errerum Cæsenæ*, & *Madium Arimini*, si pax vocari debet, quæ sub conditionibus concepta fuit, quæ neque fuerunt in præscripto tempore impletæ. *Clementinus* in sua *Ariminensi* Historia narrat privatam opem ab amicis *Ariminensibus* non publicam à Republica *Garatonem* obtinuisse, qua *Cæsenam* invaserit, & secundo incenderit. In pace tamen nomine Rei-
C publicæ *Ariminensis* legimus petitam, & constitutam remissionem à *Cæsenatibus* damnorum omnium illatorum, & irrogatorum, tum ob in- Apud Clementinum.
cendium, tum ob rerum damna, tum ob personarum occisionem, ac vulnera, quæ postulatio indicat etiam publico ea facta consilio verum

Num dolus, an virtus quis in hoste requirat?

Sed tum conventionis modulus, tum consequuta deinceps facta commonstrant quievisse tum eas Civitates ab armis non ab odiis; quæ aliquandiu 275
conclusa sævissima non multis post annis erupe- runt. Dum hæc gerebantur, & *Cæsena* ædificationi intenta, quiescebat ab armis, *Faventia* Annales
cum Comitibus *Cunii*, & *Imolensibus* cum pro- Faventini.
D ceribus scilicet aliquibus Comitum studiosis non cum Civitate, quæ tum sub *Bononiensium* ditione erat bellum gerebant. Ipsique erant in eo tumultu victores. *Forolivienses* ipsi quoque quiescentes ab armis, quod pacis erat Civitatem suam auxere, canali aquæ quæ per ipsam mediam fluit. *Bononia*que muros olim jussu Imperatoris dirutos, Anno 1205.
construxere. In aëre autem nobile meteoron anno 1207. comparuit oculos ad se mortalium 1207.
rapiens; erant duo circuli catenati in alterius medio stella erat insignis claritatis, prope à Sole distabat portentum. Post diuturnam contentionem *Philippus Suevus* fraude Comitis *Palatini* occisus
E Regnum *Germaniæ* liberum *Othoni* reliquit. Principes enim *Germani* sublato competitore unani- 1208.
mes in ejus electionem consensere; Anno scilicet millesimo ducentesimo octavo, & *Romam* profectus Augustalem Coronam à Pontifice *Innocentio* est assequutus. At cum statim coronatus ditionem Ecclesiæ invaserit, aliquaque ejus Oppida occupaverit, Pontifex illum anathemate perculsum declaravit omni Regni, Imperiique jure expoliatum. Commoti *Germani* Principes Pontificis decreto, & jussu ab *Othone* desciverunt, qui idcirco in *Germaniam* reversus aditum Pontifici præbuit recuperandi quæcunque is Ecclesia-
F sticæ ditionis occupaverat. Nullam ab Imperatore vexationem Provincia nostra passa est: in qua tamen residebat adhuc *Othonis* Imperatoris Vicarius *Leonardus* è *Tricano*, qui dicebatur *Othonis* Cæsaris in tota *Flaminia* Comes, & procurator, qui, & Oppida ut juris Imperialis concessit, & *Argentam* armis invasit. Et anno eodem Rubeus sub anno 1210. & 1211.
1210. in porticu *D. Juliani* sententiam confirmavit ab Episcopo *Cæsenate*, & *Faventino* judi-

ci-

cibus ab utraque parte constitutis latam inter
Cæsenas Episcopus. ipsum *Leonardum* ex una parte, & *Hubaldum* Archiepiscopatus sui nomine ex altera, de multis prædiis, quæ *Leonardus* promisit nomine se Ar-
276 chiepiscopi precario retenturum, dum *Ravennatis* Ecclesiæ nomine *Hubaldus* in eorum possessionem veniret. Hæc ad verbum *Rubeus* fere. Episcopus tum noster erat *Oddo*, ut dicit *Rubeus* cujus verba placet exscribere, ut constet quod antea dixeram *Cerviam* esse à *Cæsenatibus* restitutam, vel dimissam, & forte ipsa se debilitata ex incendio *Cæsena* subtraxit. dicit ergo. *Inter ipsum autem Hubaldum, & Cervienses kal. Aprilis in Episcopi Cerviensis ædibus cum Oddo Episcopus Cæsenas, & Canonici Ravennates multi adessent ita convenit. Quæcunque consueverunt obsequia Archiepiscopo, & ejus internunciis Cervienses præstabunt. Consules, Respublicaque Cerviensis venire in possessionem dimidiæ partis cathenæ Cerviæ, & littoris Hubaldum permittent. Sic tamen ut de jure agere sit illis integrum. De obsequiis ad eam diem intermissis rejiciatur ad arbitros.* Hæc ille ex quibus liberam fuisse tum in administratione sui *Cerviam*, & in pristino adhuc ritu permansisse Consulum nondum autem alienigenam Prætorem conduxisse, tunc tamen Prætores jam *Cæsena*, *Ravenna*, & *Ariminum* creabant. De *Cæsena*, & *Arimino* diximus, at *Ravennæ*, tum præturam ex *Rubeo* gerebat *Ubertinus Guidonis Dusdei*. Quiescebat adhuc *Cæsena*, at inter *Ravennates*, & *Faventinos* magnus belli apparatus. Interminaverant *Ravennates* bellum, & jungebant arma *Fo-*
Rubeus sub anno 1214. *rolivienses*, *Britonoriani*, *Bagnacavallenses*. Hoc sub fine anni millesimi ducentesimi decimi tertii, at sub principio anni decimi quarti *Faventini* magnis *Bononiensium* copiis adjuti se ad insignem pugnam accingebant, sed magnitudo copiarum *Bononiensium* terruit *Ravennates*. Inde authoritate *Hubaldi* Archiepiscopi inter ambos Populos eorumque Prætores intercedente leniti sunt animi, & ad pacis cogitationem, electionemque reducti. Cum vero esset de Castro *Bagnoli* orta lis inter Archiepiscopum *Hubaldum*, & Episcopum *Sassinatem* convenerunt anno millesimo ducentesimo decimo quinto decima kal. Augusti partes in rejiciendo judicium totius causæ ad Præpositum *Ravennatem*, & Canonicum *Sassinatem Aldebrandum* spectantibus inquit *Rubeus Cæsenate*, & *Fo-*
277 *ropompiliano* Episcopis. Hoc eodem anno *Innocentius* Summus Pontifex generalem Synodum
Episcopus Cæsenæ. *Romæ Lateranensem* quadringentorum Episcoporum convocavit mense Novembris celebrata jamdiu *Cæsena* quieverat ab externis bellis, at operta ut Poëta dicit tumescebant. *Righitii* veteris potentiæ memores non tolerabant contrariam partem non solum parem ex olim impares, sed & majorem esse. Præstare clientelis, & in Republica superare suffragiis, & votis memoria præterea incendii, quod illis tacite tribuebatur à prudentibus, at inconditis etiam, & jactis vocibus vulgo ab operis saltem contrariæ partis. Non potuere ergo diutius *Righitii Ulcus* premere: ad sui levationem necesse erat virus emittere, at illud præterea erat consilii in patriam licet impii non posse sublevari partem suam *Gibellinam* nisi Respublica, & ipsa *Gibellina* efficiatur, quod obtineri non poterat nisi ope *Gibellinæ* Civitatis qualis *Ariminum* erat, ejusque in *Cæsenates* victoriæ. Concitandos ergo in bellum *Ariminenses*, operamque dandam, ut vincerent. Hac firmata deliberatione *Righitii* clam, & tectis officiis cum *Ariminensi* Republica agunt, ut arma sumat adversus Civitatem factione, & lite perpetua discrepantem. Opportunissimam esse occasionem, quod *Gibellina* pars sit in ipsa pugna opem latura adver-

A sus suos. Consensere libenter *Ariminenses*, at experti jam in superioribus pugnis adversariorum virtutem, nonnisi maximo apparatu bellum sumendum decernunt. Non solum ergo antiquos amicos *Feretranos*, *Bernardinos*, *Pisaurenses*, *Fanestres*, sed ex longinquo *Antonium Tarentinum*, cum magna militum manu conducunt. Collegerat is magnam impurorum hominum, ac sicariorum colluviem, qua loca minus firma populabatur; firmas autem Civitates non mediocrem vim pecuniæ poscebat, ne territoria earum vexarentur. Exemplum fuit, aut rudimentum earum magnarum (ut vocabant) societatum, quæ posterio-
B ribus temporibus sub *Moreali*, sub *Lando*, sub id genus hominibus *Italiam*, & aliqua ex parte *Galliam* afflixere. Cum tantum exercitum, sed dissimulando collegerint *Ariminenses* tum in *Cæsenates* moverunt ad *Bulgariam* scilicet primum anti- 278
quæ discordiæ materiam appellendo. *Cæsenates* re audita fisi primis pugnis, & ignari tanti apparatus hostium, cum magna victoriæ spe, & præsentibus populationis auditæ, damnis irritati (recruduerat etiam pristini odii ulcus) copias eduxere, in *Ariminenses*que perrexere. Non totis copiis invaserant hostes *Bulgariam*, & eam territorii partem, quam populabantur, sed majorem
C exercitus partem penes *Longianum* locaverant, eo consilio ut illuc simulato timore *Cæsenates* abducerent, tumque universis copiis tantam non expectantes molem, & numero longe impares opprimerent. Nec dispar à consilio exitus, nam *Cæsenates* in partem populantem invecti, eamque dedita opera recedentem insequuti ad Montem furcarum adducti sunt ubi considebat reliqua eaque major exercitus pars. Tum integra constitit inimica acies, tanto major solito, ac *Cæsenatum* opinione, qui tamen non demisere animos, sed magna virtute pugnaverunt; verum accessit ad hostium numerum Civium ipsorum fraus. Cor-
D rupti enim *Gibellini* juxta conventa pars strinxere ferrum in Cives pars fuga simulato metu pugnantes terruere. Tot igitur malis pressi *Cæsenates* maximam Cladem sunt perpessi proditos nostros à suis Annales nostri latini brevi sermone, ac etiam mutilato his verbis significant. *Anno* 1216. *die* 14. *Junii facta fuit sconficta die secundo post festum S. Viti Cæsenatum consentiente una parte ceperunt ab Ariminensibus, & Fanestris . . . . . ad Montem Furcarum apud Castrum Longiani.* Hæc Annales, qui dum dicunt consentiente parte acceptam à *Cæsenatibus* cladem, fraudem, & proditionem ejusmodi partis manifestant: cæterum
E mala hæc nostra, & *Rubeus* in *Ravennate* Historia, & *Faventini* Annales, & latius *Bononienses* Historici narrant. Brevissime Rubeus. *Ariminenses* (inquit) *hoc Anno Mense Junio*, *Cæsenatesque ad Montem Furcarum prælio inter se decertarunt*, *Oppido Longiano haud procul: sed inclinante ad Ariminenses victoria multi ex Cæsenatibus fere ad quingentos capti.* At alii ad mille octingentos captos, alii ad mille quingentos dicunt. Et certe magnam fuisse cladem, quæ sequuntur osten- 279
dunt. *Ariminenses* prosequuti victoriam direptionem agri extenderunt, & Civitatem obsedere. Defendere *Cæsenates* Civitatem, nec falsi Cives,
F quorum præsertim fiducia obsidere eam *Ariminenses* ausi sunt, aut potuere quicquam movere. Verum ut agrum ab ulteriore vexatione redimerent, captivos recuperarent, inimicos ulciscerentur ad *Bononienses* Legatis missis confugere, quæsti Legati in *Bononiensi* Senatu non de *Ariminensibus*, non de finitimis eorum sociis, sed de *Antonio Tarentino*, quem Latronum caput, ejusque exercitum Latronum Colluviem appellavere: ut suam scilicet cladem novo illi hosti totam adscriberent.

Sena-

Senatus facile petitum auxilium pollicitus est, lateque promissa explevit. Intererat ejus, qui ad propagandum Imperium spectabat longinquam Civitatem devotam habere, quæ non nisi *Bononiensem* Prætorem se electuram offerebat, & præstituram sub certa formula pro occasione militem, quam formulam ut se tulerit occasio exponemus. Cum vero Senatus is numerosum intelligeret *Ariminensium* Exercitum, universas copias una cum Carrocio misit, accersitis etiam *Regiensibus*, quibus se adjunxerunt. *Faventini* nedum, sed *Forolivienses*, & *Popilienses*, & *Britonoriani* multi: hi vero vel authoritate *Bononiensium* inducti, vel timore ne *Tarentinus* latrocinia sua victis *Cæsenatibus* ad finitimos extenderet. Exercitus tot copiis instructus egregiis etiam ductoribus parebat. Imperator totius erat *Viscontes* ex Vicecomitibus *Placentinis Bononiæ* Prætor. *Faventinorum* Dux, & Prætor *Guido*: *Foroliviensium Rodulfus Borgognonus*, *Regiensis Bernardus Coratianus*. Invasit exercitus agrum *Ariminensem*, eumque longe, lateque populatus ad obsidionem Oppidi Sancti *Archangeli*, ubi captivi *Cæsenates* detinebantur se contulit, & Castris circunvallavit locum. Historia *Bononiensis* eam fuisse oppugnationem asserit, & machinis, & manu, ut intra quattriduum expugnarent Castrum, & *Antonius Tarentinus*, qui in præsidio erat cum suis loco captus fuerit territos idcirco *Ariminenses* petiisse per *Oddum Mandelcem* Prætorem pacem,
280 atque iis legibus obtinuisse. Quod captivi *Cæsenates* libere dimitterentur, & liberi pariter abirent, qui ex *Ariminensibus*, & sociis captivi facti erant præter *Antonium Tarentinum*, ejusque manipulos, quos *Bononiæ* tanquam latrones non milites morte multarunt. Annales nostri latini his verbis rem enarrant. *Post duos menses postquam Cæsenates amiserunt prælium in Monte Furcarum, cum dominis suis Bononiensibus, & amicis suis Faventinis, & Regianis, & cum suis aliis amicis obsident Ariminenses apud Castrum Sancti Archangeli comburendo Comitatum Ariminensium, & tam Castra, quam villas percutiendo cum manganis die, nocteque frangendo muros palatas fossatus homines, ac milites interficiendo, & tantum ibi steterunt, quod vineas inciderunt, & . . . . . . facientes grappos, & ipsis Ariminensibus volentibus Cæsenates, quos in captivitate habebant, in pace dimiserunt.* Nostri ergo plus temporis in vastando agrum *Ariminensem* positum asserunt; at *Bononienses* rem amplius explicant, dicuntque pacem confectam inter *Cæsenates*, eorumque amicos ex altera parte, & ex altera *Ariminenses*, *Pisaurenses*, *Fanenses*, *Urbinates*, Comites *Montis Feretri*, & *Carpinei*, & *Massanos*, & quosdam etiam *Ravennates*. Successerat interim *Innocentio Tertio* qui eodem anno mortuus est die 16. Julii biduo post, scilicet die 18. ejusdem mensis *Honorius*, ut clades *Cæsenatum* mense circiter præcesserit *Innocentii* mortem, at *Cæsenatum* ultio sit post mensem *Honorii* creationem subsequuta. Cum autem magnum *Bononiensium* apparatum *Ariminenses* adversus se intelligerent, videntur *Romam* misisse, qui Pontificem orarent, ut ab incepto *Bononienses* deterreret, & reliquos: se enim paratos cum *Cæsenatibus* diffidium componere, & captivos restituere, & forte compensare damna. Non quievisse autem *Bononienses* ob gloriæ aviditatem, & *Cæsenates* ob desiderium ultionis, etiam si Pontifex eam jussionem concesserit, quam petebant *Ariminenses*, eamque ad *Bononienses*, & socios miserit, & cum spretam intellexit, tum *Bononiæ*, tum *Faventiæ* sacris interdixit. Interdictum ejusmodi Pontificium tum Annales *Faventini*, tum *Bononien-*
281 *sis* Historia, tum *Rubeus* fatentur, *Rubeus* tamen

A non ob literarum pontificiarum spretum, sed quod injussu suo arma moverint eos populos à Pontifice illigatos asserit. *Quod hæc* (inquit) *injussu suo fecerint Bononiensibus, & Faventinis sacris interdixit.* At non erat major ratio cur plecterentur eam ob causam fautores *Cæsenatum*, quam *Ariminenses*, & socii qui *Cæsenatibus* grave adeo bellum intulerant nulla petita à Pontifice venia: potius ergo jussionem Pontificis interminatam *Bononiensibus*, & reliquis interpretemur, & ob contemptum in eos fulmen ejusmodi Ecclesiasticum à Pontifice jactum. Post pacem quievere hæ duæ Civitates divisæ scilicet non unitæ animis: impius conatus autem *Righitiorum*, & *Gibellinæ* partis in contrarium cecidit suspectiores enim, & invisiores, at qui ex iis aperte faverunt in acie hostibus, ejecti, & proscripti. At adversus Civitatem novas apud Pontificem turbas excitavit *Simeon Ravennæ* Archiepiscopus, qui illuc à *Cerviensi* Episcopatu evectus fuit. Is de *Cæsenatibus* est penes Pontificem questus, & querelæ fuerunt. Prætorem, Populumque *Cæsenatem* quosdam Ecclesiæ *Ravennatis* Oppidorum incolas suos Cives facere, hincque tributa ab eis exigere compellereque ut domos *Cæsenæ* emant. Motus querelis Pontifex literis *Laterani* Id. Novemb. ad *Cæsenates* scriptas mandavit illis ut oppidanos illos jurato adversus Archiepiscopi jus obsequio liberarent, liberosque dimitterent, & in posterum ex eis neminem Civitate donarent. Cessavit hoc anno ab armis *Cæsena*, & reliqua Provincia at sata semina discordiarum inter *Forolivienses*, & *Faventinos* ob diversionem fluminis *Montonis* nunc dicti, olim vero *Vitis* à *Foroliviensibus* factam. Anno itaque sequente magna inter eos Populos perturbatio solum tamen populationibus agrorum certaverunt. *Lugienses* tum etiam *Faventinis* mutare solum coacti antiquo Oppido everso ob idque *Faventini* ab Archiepiscopo *Ravennate* in cujus ditione *Lugum* erat anathemati subjecti. Prius vero opera *Bononiensium* cum *Foroliviensibus* conciliati. At major motus adversus *Imolam* fuit: oportet autem eam à *Bononiensibus* in quorum ditione jamdiu fuerat se subtraxisse, ideoque *Bononienses* una cum *Faventinis* ad eam admovisse copias, quo etiam *Cæsenates* à *Bononiensibus* ex conventione evocatos, & à *Faventinis* pro amicitia, cumque eo anno *Imolenses* restiterint; in sequenti adhuc anno instaurata obsidio, & redierunt *Cæsenates*. Annales nostri rudi illa sua oratione totam rem hunc in modum describunt. *Anno Domini* 1218. *die* 19. *Maji tempore Domini Ramondini Potestatis Cæsenates ad petitionem Dominorum Bononiensium, & amicorum suorum Faventinorum iverunt contra Imolam, & tantum ibi steterunt, quantum dicti Faventini voluerunt, postea in secundo anno miserunt in servitium eorundem ad prædictam Civitatem septingentos inter Balistrarios, & Sagittarios, & tam diu ibi steterunt, quamdiu Civitatis portas, & fossata Bononienses, & dicti Faventini destruxerunt.* Ex qua narratione elicitur excidisse ex Annalibus *Faventinis*, & Historia *Rubei* primam invasionem, ac obsidionem *Imolæ* anno 1218. solum enim secundo anno 1219. cum portæ sublatæ, & fossæ repletæ fuerunt meminere. Venenum factionum tum late infecerat hominum in hac Provincia animos, proque factione Civium potentiorum Respublica etiam plerumque mutabatur, & hanc ob causam forte *Imola* in *Gibellinam* mutata à *Bononia*, quæ *Guelfa* erat descivit. Proindeque *Faventia*, quæ cum *Bononia* contrariæ factionis erat acerrime cum *Bononiensibus* adversus eam pugnavit, sed certe ob partium studium eodem anno *Ravennæ* tumultuatio *Petrus* enim *Traversaria* valida contracta amicorum manu die secunda Octobris præ-

Marginal notes (right margin): Anno 1217. — Querelæ de Cæsenat. Archiep. Rav. — A. 1218. — A. 1219. 282

ſertim *Mainardorum Ubertini Guidonis Deuſdei* factionem *Ravennam* ejecit, ejuſque urbis domi-
Rubeus. natum arripuit. *Ubertinus* contra die ſecunda Decembris validis factioſorum coactis copiis ope Comitis *Rogerii*, *Guidonis Guerræ* filii, *Boncontiſque Feretrani*, nec non *Bonifacii Caſtrocarii* Comitis *Britonorium* adortus eſt, & cepit amicis *Traverſariæ* partis ejectis vel occiſis, & *Mainardorum* turribus, uſque & domibus dirutis, & ſolo æquatis. Agrum deinde *Ravennatem* invaſit, fædeque diripuit magnam prædam exportando.
283 Anno ſequenti venit in *Flaminiam* Epiſcopus *Spirenſis Friderici* tum Regis *Germaniæ*, & *Siciliæ* Cancellarius, ſed Imperatoris jam electi, & mox inungendi, ut eodem anno paulo poſt accidit namque in *Italiam* profectus x. Kal. Decembris fuit *Romæ* in Baſilica Vaticana ab *Hugolino Oſtienſi* Epiſcopo *Honorii* Legato Corona Imperiali redimitus. Cur vero non affuerit *Romæ*, & coronationi Pontifex non video ſcriptum forte trahentibus ad ſe *Romanis* munia regiminis non decere reputabat ibi amputata juriſdictione reſidere forte jam cæperant, ipſi *Friderici* facta diſplicere ut incertus quo progreſſura eſſet Imperii adminiſtratio, neque Coronam abnegaverit, neque ſua is præſentia actionem illam ornare ſuſtinuerit. certe ſub adventu Epiſcopi *Spirenſis* Cancellarii Pontificia juriſdictio perturbari cæpit, namque is & conventum Provinciæ convocavit, & Comitem totius *Flaminiæ* pro Imperatore ſtatuit. Indixit
Rubeus ſub Anno 1220. inquam ad *Forum Cornelii* procerum omnium Provinciæ conventum, juſſuque *Friderici* inſtituit *Ugolinum Juliani Parmenſem* omnis Comitem *Flaminiæ* in ſeptem annos ſigillatimque *Ravennæ*, *Cerviæ*, *Britonorii*que in biennium Prætorem, licet *Ravennatem* Præturam tum nam inierit. lædebatur hinc Pontificia in hac Regione poteſtas, ut ab hoc initio excitatus Pontifex *Honorius* cum ſequentia Imperatoris facta principio conſenti-
Joannes Villanius lib. 6. cap. 15. rent: eodem anno 1220. quo Corona ipſum inſignivit, anathemate perculerit: attamen ergo *Ugolino*, qui in prætura *Ravennati* occiſus fuit ſuffecit idem Imperator *Gulfredum Blanderatem* Comitem, mandavitque Provinciæ, ut ipſum tanquam univerſæ Comitem ſuſciperent, atque obſervarent, qui etiam juſſu Imperatoris de occiſoribus *Juliani* judicium inſtituit, & nemine invento (cum nemo auderet accuſare *Petrum Traverſariam* authorem occiſionis) Rempublicam ipſam *Ravennatem* trecentis argentei marchis multavit, ſed tandem multa ad libras *Ravennates* in totum
A. 1222. Rubeus. mille ſeptingentas retracta eſt. Anno vero 1222. *Albertus Magdeburgenſis* Archiepiſcopus Comes Provinciæ fuit, qui *Ravennatibus* à quibus fuit benigne acceptus injunxit ut bellum ad-
284 verſus *Bononienſes*, & *Faventinos*, ac alios gererent, qui Imperatori repugnarent. Ab utro tum *Cæſenates* ſtarent Pontifice, an Imperatore nihil video ſcriptum. *Faventini* ſane cum *Bononienſibus* Imperatori repugnarunt, atque cum *Lombardorum* ſocietate, quæ Pontificis partes tuebatur fæderati. Arbitror tamen in Pontificis obſequio manſiſſe *Cæſenam*, cum videam arma cum *Bononienſibus* junxiſſe anno 1228. ut paulo poſt ſubjungam, & adverſus *Carnevalium* Comitem Provinciæ inſurrexiſſe anno 1234. pugnaſſeque cum *Ravennatibus*, qui factionem Cæſaris tum ſequebantur anno 1235. at anno poſtea 1241. Imperatori ceſſit, qui arcem in ea conſtruxit, ſed de his poſtea, interim pro conjectura adduxi ſtudii partium intermedio eo tempore in Civitate prævalentis; non videtur tamen fæderi ſe *Lombardorum* licet factione conveniret illigaſſe, quod præ diſtantia incommodum illi eſſet longe adeo auxilia ſubmittere, & Civitatibus diverſarum par-

A tium circumdatæ periculoſum. Interim anno 1221. *Bononiæ* obiit Dominicus Sanctæ familiæ Prædicatorum Author, & Parens, qui in ea Civitate perhonorifice ſepultus biennio poſt in decentiorem locum ubi nunc colitur tranſlatus ſuavitate odoris e cadavere ad miraculum efflantis Sanctitatem ſuam Deo ita diſponente confirmavit. Triennio poſt obiit D. *Franciſcus Franciſcanæ* Religionis Conditor, quæ ob vitæ auſteritatem pænitentiæ ordo vocata eſt. *Aſſiſii* is unde ortus erat obiit, & ſepulchro conditus. *Dominicus*, & *Franciſcus* duo veluti rutilantia luminaria
B bono magno Eccleſiæ effulſerunt ad vitiorum, & errorum tenebras diſcutiendas. Ad tantam enim impietatem pars hominum in Chriſtiano licet orbe degentium, & baptiſmo ablutorum devenerat ut publice in Civitatibus nonnullis veluti *Florentiæ*: utra vera Epicurea ſecta, an Catholica Religio armis contenderetur. Verum ſane viſum fuit, & à Deo immiſſum cum *Innocentio* Pontifici in ſomnis viſa eſt Eccleſia *Lateranenſis* ruinoſa niti humeris dutorum pannoſorum hominum, quorum imagines poſtea in *Dominico*, & *Franciſco* agnovit ipſum adeuntibus. Per hæc tempora floruit in agro *Cæſenate Joannes Bonus Mantua-* 285 Joannes Vill.
C *nus* eremiticæ vitæ profeſſione, & pietatis ſtudio, & Sanctitatis ſpecimine venerandus, fuit hic Auguſtinianæ Religionis in *Ciſalpinis* partibus ſicut in *Tranſalpinis* Dux *Willelmus* inſtaurator. Cumque *Joannes Bonus* artem comicam etiam ſi *Mantuæ* honeſto loco natus diu exercuerit, exaudivit tandem Deus piæ parentis preces, quas anxia ob filii periculum continuas de ſalute ejus effundebat. Perculit ergo Divina pietas ægritudine corpus, & animum in ſui conſiderationem retractum novo lumine illuſtravit, unde in ſe reverſus à præcipitio, in quod pronus pendebat ad Chriſti ſequelam ſe totum convertit. Inter converſionis ejus primordia obiit Parens novo filii pro-
D poſito ſupra modum læta: poſt cujus mortem *Joannes* omnia ſua vendidit, pretio pauperibus pie diſtributo, atque in agrum *Cæſenatem* in locum à Civitate duobus circiter milliariis diſtantem conceſſit, quem tunc *Butriolum*, nunc *Elmum* corrupta Eremi voce dicimus, ibi in ſpecu quodam ſe abdidit ac frumenti granum eo in receſſu ſepultum ferax adeo fuit, ut fructibus ſalutarium monitorum, & mirandorum operum, odore præterea Sanctitatis eam nedum Regionem, ſed finitimas late impleverit. Hinc multorum ad idem vitæ genus ſuſcipiendum concur-
E ſus, ut ibi, & Eccleſia, & cœnobium exædificaretur, unde in reliquam nedum *Æmiliam*, ſed in *Etruriam* etiam, & alias *Italiæ* partes novæ ejuſdem Religionis ſoboles proſeminarentur. Auguſtinianæ ſcilicet familiæ cujus inſtituti habitum ipſe ab initio converſionis cæperat. Tanta vero fuit hic degentis exiſtimatio, ut in diſſidio Rubeus. inter *Ravennates*, & *Cervienſes* fuerit is arbiter pari partium voto electus, qui rem omnem compoſuit, acquieſcente utroque populo propoſitis à viro Sancto conditionibus, ut teſtatur *Rubeus*, qui addidit *Joannem* ipſum ſe Eremitam peccatorem appellare ſolitum. Natus eſt B. Vir *Mantuæ*
F anno 1268. quadraginta annos in ſeculo indignis curis mancipatus perdidit, inde à Deo benigne evocatus ſe totum illi reddidit. Ac *Cæſenam* ad ejuſque agrum ſeu receſſum *Butriolum* venit, ut 1208. vel ſub initium noni in Eremum conceſſerit, ſeque ibi condiderit. Anno vero ejuſdem ſeculi 286 49. admonente Angelo in Patriam reverſus obiit mortem an potius veram vitam nactus eſt? die vigeſima tertia Octobris, quæ dies Sabbati fuit hora nona *Cæſenates*, qui tantum ſplendoris ex Sancti Viri præſentia conſequebantur, nec non ad

ad virtutem, ac pietatem ex ejus exemplo, & admonitionibus incitamentum vehementer ob ejus discessum indoluere. Multa hic miracula edidit, quæ in ejus vita legimus. Aquam in vinum mutavit. Ab apoplexia sola oratione subito liberavit *Ranerium* Rusticum *Cæsenatem*. A febribus gravibus multos exemit, præsertim *Albericum Cæsenatem* judicem olim *Bartolomæi* nobilis pariter patris nobilem filium utrunque præconio vetustas illo vocabat. *Albericum* eum inquam à lethali febre transmisso pomo liberavit. Ulcera multa, quæ obcalluerunt, aut fistulam contraxerunt inter cæteros *Mariæ Cæsenatis* curata: ab epilepsia etiam confirmata multos redemit, præsertim fæminam nobilissimam *Cæsenatem Pretiosam* vocatam. Obsessos à Dæmone liberos reddidit, ut *Guerulam Ugonis* Nobilis *Cæsenatis* pedissequam, cæcis lumen restituit, ut nepoti *Resolidi*, filio *Saffolini*; verum, & aliis. Ramos exsiccatos non semel plantavit, qui in arborem adolevere, & fructus ediderunt. Ex angusto *Butrioli* Cænobio Augustiniana Familia in Civitatem traducta Templum obtinuit à *Cæsenate* Republica exædificatum anno millesimo ducentesimo sexagesimo publicis expensisque insignis amplitudinis adjunctum, per commodum Monasterium. In quo multi Sacerdotes degunt: studiumque ibi sacræ Theologiæ, & deservientium scientiarum constitutum. unde Conventus ut vocant generalis privilegiis, & honore insignitur: at ad ordinem temporum redeundo. *Federicus Secundus* Imperium obtinuerat, gerebatque, ad quod anno 1210. fuit à Principibus electus, at solum anno postea 1220. *Romæ* Augustali Corona redimitus. *Federicus* ex materna dote in Regnum *Siciliæ* successerat, nedum permittente Pontifice, sed etiam annitente, quinimo adversum *Othonem*; qui invaserat *Apuliam* defendente. Sed Imperator factus antiquam magnitu-
287 Sub Anno 1220. dinem *Caroli Magni* æmulatus idem in Ditionem Ecclesiasticum arbitrium desiderare cœpit, & exercere instituit, adeo ut *Rubeus* scribat is venisse in *Flaminiam* anno 1220. Episcopum *Spirensem* jussuque *Federici*, cujus erat Cancellarius indixisse *Imolæ* conventum totius Provinciæ, ibique constituisse ejusdem Provinciæ Comitem nomine Imperatoris *Ugolinum Juliani Parmensem*, unde inter *Honorium* tertium, & *Federicum* ortæ dissensiones, & in hunc anathema à Pontifice intortum, at pacem sibi restitui petiit Imperator, & obtinuit: at non servatis conditionibus rursus à Pontifice diris devotus. At mortuo *Honorio* 1226. inter *Gregorium* nonum *Honorio* subrogatum, & Imperatorem sæviit discordia, ea qua exarsit, quæ prius orta erat inter *Gibellinam*, & *Guelfam* factionem funesta seditio, diuturna deinceps *Italorum* malorum materies, neque post tot secula adhuc penitus restincta, quæ dissensio nedum diversas inter se Civitates commisit, sed ejusdem Civitatis inter se Cives. Imo fratrem adversus fratrem, filios adversus parentes efferata ex inani nomine rabies armavit. Hinc factum est, ut eadem Civitas modo Imperatori, modo Pontifici mutata fide adhæserit, prout *Gibellina*, vel *Guelfa* factio in ea prævaleret. In Provincia tum
A. 1228. *Bononia*, *Faventia*, *Cæsena* pro Pontifice stabant, reliquæ pro Imperatore. *Imolam* scilicet oportet à Ministris Imperatoris totam libertatem repetiisse. *Mutina Bononiæ* adversa, & ratione finium, & partium studio; unde frequens inter illas bellum. Anno præsertim 1228. excita arma. *Federicus* declaraverat *Flaminiæ* totius Comitem *Gottifredum Blanderatensem*, qui *Mavolinum Bononiensium* Castrum occupavit dedentibus se, ac Castrum præfecto à *Bononiensibus* imposi-

A to, & militibus. Verum deditio ea, adeo commovit *Bononiensem* Populum, ut in Prætorem, & in Rectores insurrexerit, quibus eam jacturam tribuebat, & seditione facta Rempublicam in Popularem statum mutaverit, tum bellum *Mutinensibus* indictum principiumque fuit obsidio *Bazani* Castri ad *Apennini* radices cis *Sculternam* fluvium siti. Evocati à *Bononiensibus* fuerunt cum cæte- 288
ris sociis *Cæsenates*, quorum expeditionem latini nostri Annales rudi suo sermone sic memorant. *Anno Domini 1228. die XXI. Septembris tempore Barufaldini tunc Potestatis Cæsenæ Cæsenates communiter cum omnibus militibus, & peditibus suis,*
B *& aliis, quos conducere potuerunt, & cum omni apparatu ad exercitum proposse suo iverunt ad servitium Bononiensium ad Castrum Bazani, & steterunt ibi continue septem hebdomadis, & tunc prælium fuit commissum in strata cum Cremonensibus, Parmensibus, & Mantuanis, in quo Prælio captus fuit Potestas Cæsenæ, & quidam Cæsenates capti, & quidam vulnerati, & eorundem equi multi vulnerati, & mortui fuerunt.* Hæc ibi ut subducendo dies pugna inciderit in diem decimam Novembris, *Cæsenates* vero postquam strenue pugnarunt, ut ex mortibus, & vulneribus, & cæteris damnis, quæ perpessi sunt, elicitur domum
C reversi sunt; at *Bononienses* paucos post dies relicto apparatu bellico parum decore *Bononiam* repetierunt. Anno sequente millesimo ducentesimo vigesimo nono secunda expeditio *Cæsenatum* pro *Bononiensibus* fuit ut Annales nostri his verbis memorant. *In sequenti anno tota Militia Cæsenæ cum Balistariis, & Sagittariis omnibus iverunt in servitium eorundem ad Castrum Plumazi, & steterunt ibi octo diebus in festivitate B. Petri tempore Potestariæ Almerici Arpinelli.* Hujus expeditionis nulla penes *Ghirardacium* mentio, fuit autem conatus *Bononiensium* ad recuperandum *Plumatium*, quod præcedente anno amiserant, at ter-
D tiæ expeditionis plenior narratio eodem anno Mense Augusti *Cæsenates* universas copias in subsidium *Bononiensium* misere; *Bononienses* ductu Prætoris sui *Aliprandi* Castrum Sancti *Cæsarii* aggressi sunt, & obsedere, & tandem expugnaverunt præsentibus licet *Mutinensibus* copiis, quas magnas coegerant ex suis nedum; verum etiam ex *Parmensium*, & *Cremonensium* auxiliis imo *Parmenses* cum Carrocio, adeoque universo cum exercitu advenerant. Prætor tamen *Bononiensium* alto adeo, & firmo vallo cinxerat Oppidum ut aditum omne præcluserit hostibus suppetias ferendi obsessis, qui idcirco
E omni auxilio destituti, impares resistendo, fue- 289
rint à *Bononiensium* exercitu expugnati, præter occisos quingenti capti, ac *Bononiam* missi postque direptionem Oppidum combustum. Tum exercitus ambo alter inflatus victoria alter iratus successu in pugnam descenderunt. *Mutinenses* tamen fuere, qui ira incensi priores invaserunt *Bononienses*. Pugna ex omnium narratione atrox, cujus tamen exitus non eodem modo exponitur. *Ghirardatius* fatetur à *Bononiensibus* machinas relictas: attamen utrunque exercitum mortibus, & vulneribus confectum abiisse, at *Cavitellius* itidem Historicus narrat *Bononienses* in fugam *Bo-*
F *noniam* usque ab adversariis actos, & consentire videntur nostri Annales, qui cum expugnationem Castri taccant, auxilium tamen à *Cæsenatibus* præstitum, & Exercituum pugnam narrant hunc in modum. Est autem littera in duobus locis corrupta. *Et in eadem* (inquit) *Potestaria in Mense Augusti ipsi Cæsenates cum omni posse suo iverunt in servitium dictorum . . . . Castri S. Cæsarii, & steterunt ibi tribus hebdomadibus, ubi commisso Prælio cum supradictis in armis, equis papi-*

lionibus temptoriis . . & supellectilibus . . . fuere valde damnificati Bononien. & omnibus amicis eorundem. Caret sensu oratio nisi vox abbreviata *Bononien.* in recto exponatur *Bononienses*, & copula ibi, & pro voce cum statuatur ex Librarii errore mutata, eritque sensus *Cavitellii* dictis cohærens. Fuisse *Bononienses* damnificatos cum omnibus amicis suis in tentoriis armis equis, & reliquis suppellectilibus. *Cæsenates* non leve damnum in prima, & tertia expeditione passi videntur. Non meminit auxiliorum *Cæsenatum Ghirardatius*, at meminit *Rubeus* sub anno millesimo ducentesimo trigesimo, qui scribit ad ferendam *Bononiensibus* opem cum *Ravennatibus* etiam *Cæsenates* fuisse, & *Forolivienses*, & *Faventinos* verum tamen in anno discrepat *Rubeus*, & à *Bononiensibus*, & à nobis, at certe diligentius in nostris hæc Annalibus distinguuntur nec barbaries debet diminuere fidem; sed simplicitas augere. Hæreo præterea ego utrum *Ravennates* auxilia *Bononien-*
290 *sibus* miserunt, & amplius adhuc utrum *Forocornelienses*, quos antea misisse quadringentos pedites idem *Rubeus* subjungit nam *Federicus* Imperator anno 1226. *Ravennæ* fuerat, ejusque sibi Imperium sumpserat; attestatur *Rubeus* idem, qui dicit Imperatorem *Federicum* anno 1226. *Ravennam* venisse diesque ibi quadraginta commoratum esse, conventumque procerum indixisse, Sanctum Pascha magna Principum frequentia celebrasse, Imperiumque sibi universum Civitatis vindicasse, ut ne in minimis quidem rebus ditionis ibi Pontificiæ vestigium remaneret. Quomodo ergo concordant subjectam *Ravennam* Imperatori fuisse (erant autem pariter sub Imperatore *Forolivium*, & *Forum Cornelii*) & tamen auxilium *Bononiæ* misisse adversus *Mutinam*; Civitati scilicet inimicæ adversus devotam penitus Imperatori? Qui ad eam defendendam imo promovendam filium quandoque misit *Entium Sardiniæ* Regem. De *Foro Cornelii* præterea id obstat nedum, quod Imperator *Ravenna* digressus illuc ivit, ut ad Civitatem suam, ac devotam sed quoniam si *Ghirardatio* credamus, nimirum anno eodem quo *Bononienses* iverunt in *Mutinenses* scilicet anno 1228. eodem etiam arma intulisse *Forocorneliensibus*, ut inimica non amica fuerit illis temporibus, ea Ci-
Rubeus. vitas *Bononiensibus*. Ejusdem tum factionis erant cum *Bononia*, *Faventia*, & *Cæsena*, at Imperator cum *Imolam* ivit, *Faventiam* ut inimicam vitavit tantum abest, ut tolerasset auxilium à suis submitti *Bononiæ*, quæ in hac Provincia tum contrariarum partium caput erat. Post pugnam *Bononiensium*, & *Mutinensium* opera tandem *Nicolai* Episcopi *Regiensis*, qui munus id jussu *Gregorii* Pontificis susceperat, induciæ inter eas Civitates in novem annos statutæ, & libentibus utrinque animis acceptæ. Hoc eodem anno *Cervienses* apud *Thomam* titulo Sanctæ *Sabinæ* Cardinalem à Pon-
1229. Rubeus. tifice inter Archiepiscopum *Ravennatem*, & *Cervienses* Judicem deputatum, questi sunt de *Cæsenatibus* se ab illis quinque millium librarum damna passos, nihil sibi opis Archiepiscopo ut debebat ferente, unde se ab ejus imperio subtrahere velle.
291 Pro Archiepiscopo tamen Judex sententiam tulit.
Anno 1230. Sequente anno 1230. fædus inter *Ravennates Forolivienses*, & *Ariminenses* initum, & confirmatum: erant omnes Imperatori devotæ Civitates,
Rubeus sub anno 1220. & finitimis *Cæsenæ*, ac *Faventiæ* infensæ. Sub hæc tempora *Joannes Brena Hierosolymitanus* è Regno suo à *Saracenis* expulsus huc à Pontifice missus ad regendam Provinciam hanc *Ravennæ*que Exarchatum, cui ab Imperatore pariter Rector Comitis titulo fuerat *Albertus Magdeburgensis* Episcopus impositus. Libertas tamen Civitatum ab ejusmodi Rectoribus vix, aut ne vix qui-

A dem imminuta perseverabat. Verisimile tamen est Regem in Civitatibus Pontifici devotis resedisse. Monimenta nostra *Cæsenæ* mansisse plerunque scribunt. *Henricus* sub hæc tempora *Federici* filius, ac *Siciliarum* Rex reverentia ductus erga Ecclesiam in Patrem à Fidelium communione scito Pontificis, exclusum consilia cum Civitatibus *Lombardorum* fæderatis aliisque Ecclesiæ devotis nectebat, armaque clanculo parabat. *Faventini* ad ejusmodi bellum sollicitati etiam si à *Federico* aversi essent, tamen auxilia generosa re- Annales Faventini sub anno 1230.
sponsione denegarunt nolle se in impio Filii cum Patre dissidio communicare. Interim clandesti-
B nam adhuc filii machinationem rescivit Imperator, eumque prævenit, ac in carcerem condidit, in quo mortuus est. Ita nostri annales. *Eodem* (inquit) *Anno scilicet* 1230. *Federicus Imperator Filium suum Henricum cæpit, & carcere tenet; quia contra eum moliebatur res novas cum Papa, quo carcere defunctus est.* Mors tamen *Henrici* fuit posterioribus annis scilicet 1237. Redeo nunc ad nostra, & ad intelligentiam pleniorem auxiliorum à nostris ad *Bononienses* missorum, quæ olim pollicitus tum de formula conventionis Civitatis cum *Bononiensibus* ob opem adversus *Ariminenses* anno 1216. præstitam, nunc subjicio. Conventio
C nostra, quæ excidit, ex *Faventina* apud *Ghirardatium lib.* VI. *Anni* 1216. elicitur. Quæ hunc in modum ab ipso exponitur. *Obligare se Faventinos ad defendendos pro virili Bononienses, idque pro illis; quod pro se ipsis præstituros, bisque exercitum pro ea Civitate coacturos primo quidem suo sumptu usque ad Scultennam Amnem, octoque dies ibi per-* 292
stituros. Secunda autem vice ad Scultennam usque cum Militibus, & Balistariis cum Bononiensibus profecturos, at sumptu Bononiensium. Non dissimilem conventionem cum *Cæsenatibus* fuisse ex Annalibus eorundem latinis apparet prima enim vice post octo dies nondum finito bello recessere:
D at secunda vice anno 1229. tres usque hebdomadas perstitere majore forte obligatione astricti ob magnum adversus *Ariminenses* collatum beneficium, quod memoravimus. *Faventini* Annales quos sequitur penitus *Rubeus* auxilii præstiti, anno 1228. non meminerunt, sed cum aliqua etiam diversitate facti in annum 1229. rejiciunt, & quod nos cum Historico *Bononiense* in anno 1229. ponimus ipsi in 1230. rejiciunt; ego nostris Annalibus adhæreo. *Federicus* post hæc anno 1231. Rubeus. 1231.
in *Flaminiam* venit, primoque adivit *Forolivium*, inde *Ravennam* concessit, ubi ad secundam usque Quadragesimæ hebdomadam moratus est: indixe-
E rat enim conventum Principum, & Civitatum pro rebus *Italicis* componendis, at cum magna vocatorum pars non advenerit, imo eodem tempore *Estenses* Principes, ac *Mantuani*, Civitatibus adversus Imperatorem fæderatis se junxerint in *Germaniam* abiit. At in *Romania* nostra aliquæ ob *Cerviam*, & in *Cervia* turbæ ortæ. Alienati 1232.
erant animo ab Archiepiscopi Imperio tum Episcopus tum Cives *Cervienses*, qui etiam coram *Thoma* Cardinali ut proxime vidimus intentarunt de recessu ab ejus Imperio judicium, & licet Cardinalis Archiepiscopi causæ non desiderio *Cerviensium* faverit: hi destitere tum factis, at per-
F stitere votis in eodem decreto desciscendi. Erat Episcopus *Joannes Ursarola*, qui privilegia Episcopatus, ac Civium suorum extollebat ex quo Cives *Cervienses* tributa denegare, & se subjectos negare incipiebant. Eo res cecidit ut *Cæsenates* demum implicarentur. Nam *Ravennates* ad primas defectionis *Cerviensium* voces armati in eam Civitatem irrupere, Episcopumque invaserunt, unde omnes quotquot invenire potuerunt scripturas abstulere, ut privilegia, quibus gloriaba-

tur

tur Episcopus, vel viderent, vel forte auferrent aliquos etiam Cives, quos libertatis avidiores,
293 studiosioresque credebant occiderunt, ac fortunas diripuerunt. *Ursarola*, qui gratia tum Pontificis in *Romana* aula præstabat injurias *Ravennatum* in Cives, in se magno cum ardore Pontifici detulit, obtinuitque ut *Ravennates* pro damnis Civium, quingentas pecuniæ *Ravennatis* libras, & Episcopo, qui scripturarum jacturam maximam prædicabat mille, & quingentas penderent. Verum his non acquiescens Episcopus, qui adhuc etiam extorris à Civitate vi *Ravennatum* erat auxiliis *Faventinorum Cæsenatum*que imploratis, iisque fretus *Cerviam* ingressus ex improviso est, occupavitque Civibus scilicet conspirantibus, sed quoniam recuperatio hæc ab Episcopo *Cerviæ* biennio post fuit illuc integram narrationem reij-
1233. cimus, interea annus sequens 1233. pro pietatis specimine, & cultu Allelhuja dictus est. Ab aliis annus devotionis ea scilicet copia, is fervor fuit concionatorum ex Prædicatorum, Franciscanorum, atque Augustinianorum Familiis. Ea audientium populorum ad Christianam vitam, & veram pietatem impulsio, tantum devotionis specimen, tam frequens Sanctarum operationum proventus. Cumulatus est odor pietatis viventium odore, & fragrantia sacratissimi B. *Dominici* cadaveris. Fuit illud ex priore monumento in aliud marmoreum, atque decorum translatum ut in decentiorem custodiam tantus thesaurus transferretur. At fuit Divini spiritus impulsus, ut suavitas odoris ex sacro cadavere halantis, qui omnem fidem superabat Sanctitatem testaretur animæ sanctissima illa membra olim animantis. Translatio facta fuit indicibili cum solemnitate, & ingente Populi frequentia Sacrum faciente *Theodorico Ravennate* Archiepiscopo ad tantum opus à summo Pontifice delegato. *Rubeus* multa
1234. eloquentia rem totam describit. Hoc anno vero millesimo ducentesimo trigesimo quarto *Cæsenatum* mascula si unquam virtus enituit, & constans fides. Oportet vero aliquanto altius rem repetere, ut ab exordio narratio ducatur. Inter *Ariminenses*, *Urbinates*que exortum erat bellum. Causa belli hæc ab *Ariminensibus* exponitur. Imperator Civitatem, & territorium *Urbini* tradidit *Bonconti*, & *Thadei Montefeltrani*, filiis *Montis*
294 *Feltrii* seu *Montis Feretrani* Comitibus. Repugnantibus autem subjectioni *Urbinatibus Montis Feltrii* fratres *Ariminensium* opem ut Cives, & ipsi *Ariminenses* imploraverunt, & obtinuerunt magno enim ea Civitas coacto exercitu, cui copiæ *Feretranæ* jungerentur jam ad bellum se accingebat, cum *Urbinates* ad Comitem Provinciæ oratores miserunt. Erat Comes Provinciæ pro Imperatore autem *Carnesalis* (ab aliis *Carnevalis*, ab aliis *Carnevalius* dicitur) hunc orant ut bellum inhibeat: Rem ipse cognoscat, & justitiam administret. Imperatoris enim leges prohibere quo minus Civitates jura sua armis repetant. Avocaturum ad se causam pollicitus est Comes si *Urbinates* traditis obsidibus certum ipsum faciant se judicio staturos. Convenerunt tradere obsides, qui à Comite ipso in custodia haberentur, verum impletis conditionibus restituerentur. Utque certiores essent recuperandi per *Cæsenates*, quibus oppigneravit *Carnevalis* fidem restituendi conditionibus impletis, tradidere. Fiducia hæc *Urbinatium* in *Cæsenatibus* cum opinionem eorum fidei, & virium in iis, qui fidebant demonstret, magno sane honori *Cæsenæ* in tanta existimatione apud exteram, & remotam Civitatem fuisse, sed arbitror etiam amorem accessisse, neque enim expediebat *Cæsenatibus Urbini* Civitatem adjungi *Arimino* æmulæ, an potius inimicæ, Civitati; acce-

A debat vero dum Civium *Ariminensium* esset eorumque armis acquisitum proles, etiam *Montefeltrani*, qui adversus *Cæsenam* arma tractaverat, Imperatorque adversus in clade ad *Montem Furcarum* fuerat invisa ut verisimile sit ab hac Republica ultro oblatum exercitum si bellum procederet. Sed quæ sequuntur certa sunt. Conventione finitum priusque inciperet bellum, & impletis conditionibus adhuc *Carnevalem* quæsitos obsides non reddidisse: custodiebat autem eos *Foropompilii*, & instantibus, & sæpe *Cæsenatibus* flagitantibus Comitem ut restitueret, & fidem præstaret,
B ipse de die in diem eos ducebat. Fremebat Civitas deludi se, & fidem *Urbinatibus* à se promissam aliena culpa violari. Cogitur ergo Senatus, & quid in tanto existimationis discrimine faciendum sit in consultationem adducitur. Re- 295
tinentiores dignitatis bello injuriam ulciscendam proponebant. Ecquid turpius quam in tanto contemptu cessare, & segnes esse? neque dissimulari posse injuriam, quam alta voce *Urbinates* dolentes proclamant, fauturum numen armis ad liberandos à duro carcere homines innocentes illatis. Mittendos tamen *Faventiam* Legatos, qui amicæ Civitatis ad tam justam ultionem opem
C poscerent (illis pollicentibus, ut certe pollicebuntur pro fœdere auxilium) tum per feciales petendos à Comite obsides, nisique reddat, bellum interminandum. At quibus mitiora consilia placebant; neque enim cum solis *Popiliensibus* ubi obsides custodiebantur, & residebat Comes, sed cum *Ravennatibus*, *Forolíviensibus Ariminensibus*, & *Britonoriensibus*, qui Populi Comiti obsequebantur, fore pugnandum. Neque vero ad tantum pro *Urbinatibus* discrimen subeundum teneri, quod privatis idem etiam rebus publicis convenire non statim, & ad omnem offensionem arma sumenda. Cogitarent quot sint, & quæ belli cum
D finitimis præsertim damna. Nihil in agro tutum, omnibus undique commerciis clausis, in angustia multarum rerum, quæ aliunde importantur, pecuniæ indigos, quæ contra ab exportatis rebus comparantur esse vivendum. At sint omnia (subjungebant) pro decore sustinenda ratio tamen, obsidum ipsorum nos ab hoc belli consilio removere debet: etenim ut à carcere liberentur pugnabimus; at durante bello duriore custodia prementur. An forte credimus expeditam adeo fore victoriam ut statim, atque arma ceperimus, vinculis eos eximamus? Victoria sane incerta, nihil enim belli exitu incertius, at sit victoria certa,
E tunc, & obvia num etiam credimus Civitatem in qua custodiuntur expugnaturos? non is est virium inter has Civitates excessus, vel etiam si vicerint, ut victam occupare possint. Quot inter *Faventiam*, & *Forolivium* clades? quot inter *Ravennam*, & *Faventiam*, inter nos, & *Ravennates*, inter nos, & *Ariminenses*? neque tamen victa Civitas in victricis unquam manum venit. Victoria itaque nostra non poterit victos *Urbinates* à vinculis eximere. Ad quid ergo id subire periculum ex 296
quo neque victores poterimus obsides, id quod unum intendimus liberare? Hæc illi. At surrexit primariæ authoritatis idemque fortis, & prudens
F homo, qui hunc in modum disseruit. Duæ sunt, eæque inter se contrariæ (auditores) sententiæ bellum, & pacem suadentium, quarum neutra absque ratione fertur. Crederem itaque si rationum quibus nituntur contraria momenta temperentur, dignam prudentia, & fortitudine vestra sententiam emersuram. Priores rationem præsertim decoris, & existimationis habentes ultionem injuriæ adversus fallacem, & superbum contemptorem quærendam arbitrantur, qui audet Civitati dignitatis præcipue studiosæ verba dare,

 &c

A & inanibus eam pollicitationibus ducere; quasi bardam, & stupidam gentem, quæ se eludi non cognoscat; aut si cognoscit nullius pretii ac virium, quæ non possit, aut si possit non curet injurias depellere: non licet itaque ultionem proponentibus repugnare, etiam si damno futura esset: sunt enim omnia honori posthabenda. Privati etiam, sed fortes homines certæ interdum morti se pro dignitate exponunt. At in præsentia damna, quæ objiciuntur sua etiam solatia habent. Agri nostri direptionis periculo exponentur: at hostium omnium circumjacentium bona erunt nobis obnoxia. Ipsi *Cæsenatis* unius territorii spo-
B liis ditescent: nos si viri erimus *Popiliensium*, *Britonoriensium*, *Liviensium*, *Ravennatum*, *Ariminensium* bonis locupletabimur. Fateor ego prudenter provideri si in *Carnesalem* moveamur memoratarum Civitatum nos arma provocaturos, quæ illi omnes ut Imperialis factionis obediunt, at pro nobis etiam erunt (ita sperare licet) *Urbinates* quorum causa bellum pateremur, & certe erunt *Faventini*, & si opus fuerit *Bononienses* quoque pro fœdere, & amicitia, & factione: verum enimvero, quod posterior sententia reprehendit omnino præcavendum, ne scilicet palam susceptum bellum, vel admota arma obsidum liberationem
C antecedant; duriore enim custodia obsides premerentur. Hoc itaque remedium periculo ejusmodi opponerem. Dissimulemus omne armorum consilium non suspicetur Comes nos ulla vi usu-
297 ros, sed in sola negociatione perstituros. Propterea que ab omni Legatorum ad amicas Civitates missione abstineamur. Abest milliariis vix septem *Foropompilii*. Duarum horarum iter expeditæ, & selectæ militiæ etiam cum frangendarum, excindendarumque Portarum instrumentis. Adsimus improvisi, & à Comite penitus inexpectati fractis Portis irruamus in Urbem nemine læso solos obsides è custodia educamus, innocentem
D invasionem laudabunt cæteri, & non damnabunt *Popilienses*, quibus violatam à Comite promissionis fidem non placere credendum est. Probarunt Cives Viri consilium, & clam omnibus paratis inexpectati impetum in *Forumpompilii* fecerunt, fractisque Portis occupaverunt Civitatem, & absque alicujus læsione, obsidibusque deductis *Cæsenam* ultra omnem modum læti reverterunt, faustis acclamationibus ab universo Populo excepti. Obsides *Urbinum* cum manu aliqua militum ad tutelam remissi. Grata Civitas, & virtutem *Cæsenatem* ad Cælum extulit, & ingentes agit gratias ac habuit. *Rubeus* dicit auxilia etiam *Faven-*
E *tina* adfuisse, at falso; cum annales ipsi *Faventini* denegent, & consilio improvisi, & inexpectati impetus repugnaret alienæ hujusmodi militiæ adventus. Annales *Faventini* non dicunt auxilia illius Civitatis adfuisse, sed *Cæsenates* amicitiæ fisos aggressos esse Civitatem *Pompiliensem* verba exscribo. *Gl' huomini di Cesena confidati nell' amicitia de Faventini fecero impeto contro la Citta di Forlimpopoli, nella quale erano gl' ostaggi posti in custodia, & acquistatili con la forza li renderono alla Città di Urbino.* Annales nostri solita brevitate, & barbariæ rem hunc in modum describunt. *Anno Domini* 1234. *die* 8. *mensis Martii cum*
F *Comes Carlevarius in vinculis contra justitiam teneret obsides Urbinatum apud Forumpompilium, & Cæsenates de hac re nimium dolerent ipsi Cæsenates hostiliter prædictam Civitatem fractis portis occupaverunt, & de ipsa Civitate sine alia læsione Urbis prædicta extraxerunt obsides prædictos, & remiserunt. Incepta est guerra tempore Rainerii Georgi tunc Potestatis Cæsenæ fratris dicti Carlevarii.* Eodem Anno descivere tandem *Cervienses* ab Archiepiscopo *Ravennate*, atque à *Ravennatibus*,

à *Cæsenatibus* & *Faventinis* adjuti, quorum auxi- 298
lium Episcopus Civitatis *Ursarola*, de quo jam diximus imploravit obtinuitque. Erat extorris à Civitate ac sede sua neque gratia, qua ipse pollebat in *Romana* aula potis fuerat restituere ipse ergo (conspirabant cum eo tacite Cives) petitis à duabus memoratis Civitatibus *Cæsena*, & *Faventia* clam auxiliis *Cerviam* ex improviso ingressus recepit accurrentibus scilicet, & applaudentibus *Cerviensibus*. Adversus vero vim *Ravennatum* defendendam præsidio *Faventinorum*, & *Cæsenatum* commendavit hoc ipsum factum, & conditiones etiam subjungens facti describit *Rubeus* dum dicit. *Cerviam Ravennatibus ademptam Cæsenatibus Faventinisque defendendam, ea conditione tradit, ut inde eorum usui, & Sociorum in quibus numerabantur Bononienses quantum Salis videretur exportare illos fas esset.* Erat hoc tempore *Cæsenæ* Episcopus *Manzinus*, qui nomine Archiepiscopi petentis pro tribus Castris tutum ad Civitatem accessum vulgo salvum conductum dicimus juratam promissionem à Prætore, & Senatu *Cæsenæ* recepit, verba *Rubei* placet referre de *Federico* Archiepiscopo agentis. *Litem etiam* (inquit) *Faventinam de possessionibus, & hominibus, quos magno Ecclesiæ Ravennatis damno Faventini recipiebant apud Leonem Canonicum Cæsenatem Judicem à Pontifice datum per Brixianum procuratorem suum Mense Aprili prosequutus est, curavitque ut Ranerius Georgius Cæsenæ Prætor, Cæsenasque Senatus Castris Casæ muratæ, & Montiliano, Montinovoque tuti accessus incolumitatisque sacramentum dicerent quod* 15. *kal. Julii in Senatu, qui hanc ob rem frequens convenerat Manzino Cæsenati Episcopo, & Petro Ravennatis Archiepiscopi à cubiculo id ipsum Archiepiscopi nomine petentibus justo sacramento polliciti sunt.* At Comes *Carnesalis* ob ereptos sibi obsides *Urbinates* vehementer excanduit, tum ob susceptum dedecus, tum quod fræno obsidum in obsequio Imperatoris *Urbinates* servare sperabat, concitavit ergo ingentibus querelis ad puniendam *Cæsenatum* audaciam addictos Imperio Populos. *Ravennates*, qui præter antiquas simultatis causas novi odii excessu ob *Cerviam* ademptam æstuabant. *Carne-* 299
valis injuriam ut suam se se ulturos professi sunt. Obtendebatur Imperii dignitas violata in Comite, qui ut supremus minister Provinciæ Imperatorem ipsum repræsentabat. At urgebant amplius æmularum Civitatum antiqua dissidia, quibus id circo invisum erat *Cæsenatis* gloriæ incrementum, ac potentiæ ex *Cerviæ* accessu, quam præsidio nisi ditione occupabant, & cum ultro illud *Cervienses* suscepissent, ac retinerent certum etiam erat ipsos copiis suis, & armis adversus reliquas Civitates tum *Cæsenæ*, tum *Faventiæ* fauturos suspicari etiam jure poterant *Urbinates* beneficio cum *Cæsenatibus* nexos semper cum illis juncturos arma. Erat præterea ratio partium, quæ tum præsertim pungebat *Italos*. In iisque *Cæsenæ* repugnantia: conspirantibus itaque animis ex communibus odii vel simultatis causis facile fuit *Ravennatibus*, qui cæteros sollicitavere fœdus cum *Ariminensibus*, *Britonoriensibus*, *Foroliviensibus*, *Popiliensibus* in *Cæsenates* contrahere. Quorcirca *Britonorii* in publicis ædibus die prima Maji anno eodem creaverunt, constitueruntque Syndicum, ac Procuratorem ad suscipiendas pollicitationes, & fide jussiones juramentaque Prætorum *Ravennæ*, *Arimini*, *Forolivii*, *Pompilii*, ac Syndicorum Senatuumque earundem Civitatum ad proscribendam Rempublicam hominesque Civitatis *Cæsenæ*, quæ nunquam possit de proscriptione eximi, nisi omnium fæderatorum conspiret consensus, icto itaque fœdere indictum est *Cæsenæ* communi fœderatorum nomine bellum. *Cæsenates* autem re *Faventinis*

Annales Faventini sub anno 1234.

Episcopus Manzinus.

ventinis indicata prompti auxilia promissionem ab amica Civitate obtinuerant. Imo *Faventini* missis ad Civitates adversus *Cæsenam* fœderatas Legatis ne bello *Cæsenates* prosequerentur monuerunt, secus se arma juncturos. Spreverunt Legationem *Ravennates*, & reliqui comparatoque exercitu ingressi sunt *Cæsenatem* agrum ad diripiendum. Ad arcenda damna cohibendumque hostem processere *Cæsenates* sequutæque videntur velitationes inter exercitus aliquæ, levioraque prælia, quæ tamen cum à nullo describantur, neque ariolari licet. Id quod scribitur referam. *Faventini* audita *Ravennatum* aggressione ipsi contra circiter
300 finem Junii territorium *Ravennatum* ingressi ferro, igneque vastavere, Turrem sacram D. *Stephani* everterunt, Castrum *Cortinæ* combussere. Demum aucti auxilio *Bononiensium* Castrum *Rafanarii* obsedere muro, & duplici fossa munitum, cui cum opem ferre *Ravennates* non possent *Cæsenatum* scilicet bello implicati. Chronicum *Faventina*. *I. Ravegnani, ch' erano già occupati coi Cesenati non potendo per se stessi deffendersi.* *Foroliviensibus* suaserunt sexcentis Provinciæ libris persolutis, ut suburbium *Faventiæ Durbecchium* aggrederentur, incenderentque quod & moliti illi sunt, locumque vexarunt aliquot *Faventinis* occisis, at non ceperunt defendentibus Sacerdotibus, atque fœminis, hoc ipso tempore subtractionem *Cerviensium* à *Ravennatum* dominatu accidisse opera *Cæsenatum*. *Il vescovo di Cervia confidato nelle promesse de Cesenati, e Faventini segretamente con l' ajuto de Cesenati senza, che se ne accorgessero i Ravegnani, ch' erano à guardia di detta Città entrò nella Città, e se ne fece padrone, & poi la consigno à Cesenati, e Faventini, che la diffendessero.* Quam nos antea reposuimus, narrant ex *Foroliviensium* facto recruduit inter ipsos, & *Faventinos* inimicitia, indeque ortæ clades, & quibus se se afflictaverunt, variæ, ex eo enim tempore vastationem ab agro *Ravennati* in *Liviensem*, *Faventini* transtulerunt, legimus tamen in commentariis Provinciæ post *Cerviæ* defectionem ab Archiepiscopo, & *Ravennatibus* de pace inter *Cæsenates*, & reliquos actum, atque tandem convenisse. Rem totam hunc in modum in dictis commentariis transfactam legimus. Post *Cerviæ* factum (dicunt) de concordia actum esse, conventumque habitum in quo interfuere Prætores *Imolæ*, *Faventiæ*, qui erat *Gufredus*, *Ravennæ*, qui erat *Milo* præter Comitem *Malvicinum*, Comitem *Guidonem Filaraldum*, Comitem *Berardinum*, *Petrum Traversariam*, *Ubertinum Dusdei*, *Guidonem Signorelli*, *Petrum Rodulfum*, *Bisanzanum*, *Joannem Portam*, *Guidonem Michaelis*, *Alidosium Bonfiliolum*, *Ravenniis*, *Ospinellum Leonardum*, *Porteluon Bucillanum*, *Henricum Ubertelli*, aliisque multis. In eo conventu Prætor *Corneliensis* excusavit se, quod nullas copias adversus *Cæse-*
301 *nates* duxisset eo quod Prætor *Faventinus* sibi, Civitatique *Imolæ* bellum intulisset. Dictum autem eo in Concilio fuit debere *Cæsenates* restituere *Ravennates* captos, prætereaque quicquid damni à *Ravennatibus* acceperunt id totum illis remittere, & servanda omnia quæ à *Ravennatum*, *Cæsenatum*que pacificatoribus jam confecta erant. In reliquis, in quibus convenerint Prætoris *Faventini* determinationi standum, at exercitus præsertim dimittendos Castraque tollenda. Quod *Ravennatibus* præterquam *Guidoni Signorelli* placuit. *Guido* autem contendebat prius de re sua agendum, at Prætori, & *Ravennatibus* probabatur, dum tamen *Ariminensis* Prætoris, & Consilii consensus accederet, cum quibus fœdus erat, idque esse inter eos pactum dicebatur, dimittendorum tamen exercituum mentio non à *Ravennatibus*, sed à Prætore *Faventino* inducta fuit. Is enim cum in tentorio Prætoris *Ravennatis* esset ubi conventus agebatur; sermonem jecit removendarum *Ravennatum* Copiarum sequenti die, quæ Sabbatum erat pro certo asserendo *Cæsenates* idem facturos, cum plures triginta sibi juramento firmaverint in sua, & Prætoris *Ravennatis* potestate, quoad id futuros. In *Ravennatum* ergo Concilio seorsum de ea conditione cum actum sit, statuerunt prius quam deduceretur exercitus ab *Ariminensibus* petendam pacis cum *Cæsenatibus* ineundæ licentiam. Quam licet *Ariminenses* denegaverint, tamen pacem fecere, & conditionem abducendi exercitus implevere. Hæc ibi in summa. Ex quibus patet direptionem à *Ravennatibus* factam, & passos *Cæsenates:* attamen hos occurrisse ad impediendam ulteriora damna & oppositis Castris frænasse incursionem, ibique multis velitationibus conflixisse non copiis universis: superioresque fuisse *Cæsenates*, cum *Ravennatum* captivorum mentio fiat, nulla *Cæsenatum*. Non totis autem exercitibus pugnatum, quoniam alter exercituum cessisset non contra stetissent. Quieverunt post hæc aliquo, sed brevi tempore arma. Anno enim mox sequente 1235. inter *Forolivienses*, & *Faventinos* turbatum in narratione successus rei est inter *Bononienses* annales, & *Faventinos* aliqua discrepan- 302
tia in hoc conveniunt in *Bononiensium* auxilium *Faventinam* militiam adversus *Mutinenses*, & fœderatos ivisse, inde vero reversos cum *Foroliviensibus* pugnasse. Historia quidem *Bononiensis*, *Faventinos* à *Foroliviensibus* oppressos auxilio *Bononiensium* eguisse, quod id circo imploraverunt, ejusque opera recuperasse, quæ *Forolivienses* abstulerant, at *Faventini* semper à se victos *Forolivienses*, & ad obsidendam Civitatem, non ad sua recuperanda, neque ad sui tutelam *Bononiensium* copias duxisse. Mihi verisimile videtur, dum *Faventini*, cum *Bononiensibus* morarentur *Forolivienses* una (credo) cum *Ravennatibus* sollicitatos à *Mutinensibus*, & cæteris earundem Cæsarearum partium insurrexisse adversus *Faventinos*, atque occupasse ea loca, quæ meminit *Ghirardatius* inter cætera *Solarolum*, quod Castrum præsidio firmavere. Intellectis damnis revertere *Faventini*, quibus cum duas tribus misere *Bononienses* alteram portæ *Ravennatis:* alteram S. *Proculi* quarum opera adjuti *Faventini* loca recuperavere omnia, & *Solarolum* præsertim, quod diripuerunt, & flammis subjecere. Inde juxta *Faventinam* narrationem obsidione *Forolivium* cinxere, cujus non meminit *Ghirardatius*, at dicunt *Faventini*, & Commentaria præterea *Carrarii*, quæ mense Junii circumvallatum *Forolivium* asserunt, in quo licet inclusi fuerint *Corradus* Comes *Romandiolæ*, & *Joannes Guannasio* ejus vicarius *Boncontes Feretranus* Comes, cum *Ravennatibus*, *Riminensibus*, *Popiliensibus*, *Britonoriensibus*, aliisque multis, non tamen *Livienses* ad quorum ignominiam Prætorium *Faventini* suum scutis eorundem *Liviensium* exornavere. At cum denuo *Mutinenses* cum sociis adversus *Bononienses* arma intulissent, copiæ eorum ab obsidione *Forolivii* ad Patriæ defensionem rediere cum illis *Faventini* ducentos equites, quingentos pedites 16. kal. Julii miserunt. Profectis *Faventinis*, vel ea occasione arrepta, vel novis adductis offensionibus, vel recrudescente odio *Ravennates*, *Livienses*, *Popilienses*, *Britonorienses* XVII. Kal. Septembris hora diei tertia coacto exercitu invaserunt agrum *Cæsenatem*, illum 303
ad villam usque *Calcinariæ* diripiendo; de hac invasione, ejusque exitu Chronicum nostrum, & cum eo *Rubeus*, & *Carrarius Ravennates* Historici conveniunt, placet vero rudem Chronici narrationem exponere. *Anno* (inquit) *Domini* 1235.

1235. *die prima post Assumptionem B. Mariæ Virginis, Sole existente in superiore emispherio post tertiam Ravennates, Livienses, Britonorienses, & Popilienses communiter juxta posse hostiliter venerunt in districtum Cæsenæ, usque ad Calcinariam, quos Cæsenates ex improviso videntes multis ex eis non existentibus domi, acceptis armis viriliter irruerunt in eos, & stragem multam, & magnam facientes fugaverunt bene tribus milliariis, & dimidio, usque ultra Ecclesiam Rhodæ, & ipsi tamen tanquam multum damnificati in equis, & armis, & militibus dolentes, & flentes fugerunt usque ad amnem Sapis; in qua sconfictа ceciderunt Scalacta Ubertus de Florentia Potestas Liviensis, Guido Posta, Guido Comes, & multi alii nobiles, & potentes. Plures capti fuerunt: Potestas Britonoriensis, Popiliensis, cum quibusdam nobilibus dictarum Terrarum, & totus flos Militiæ Ravennatis, & multi populares; cum eis ipsis autem Cæsenates redeuntes cum gloria, & honore soli Deo, & Beato Joanni Baptistæ suo patrono hujus victoriæ laudes plurimas obtulerunt.* Eadem ferme, sed politiore stylo Rubeus. *Ravennates conjunctis copiis Forolivienfibus, adjunctisque Foropompilienfibus, ac Britonorienfibus in Cæsenatem agrum, usque Calcinariam infesto agmine 17. Kal. Septembris, hora ab ortu Solis tertia irruperunt. Sed Cæsenates cum eos viderent nullo pene ordine, ac nihil metuentes incedere, arma capiunt, acriter irrumpunt, multisque cæsis tandem in fugam conjiciunt, quo factum est ut trium ferme millium passuum spatio ad Templum Rhodæ rejecti non ante finem fugæ dederunt, quam ad Sapim amnem sit ventum: in eo prælio Scalacta Ubertus Florentinus, Forolivii Prætor, Guido Posta, Guido Comes, multique præterea nobilitate inclyti ceciderunt. Britonorianus, Foropompilianusque Prætores, & Ravennatum Militiæ flos capti.* Carrarii comment. Prope ad verba, quæ Chronologia nostra dicit, in qua Chronologia nostra illud noto. *Multos ex nostris non extitisse Domi.* Interpretor autem in *Bo-*

Sub anno 1235.

304 *nonienfium* auxilium missos, ut antea vidimus anno 1228. & 1229. neque enim aliquid interea cecidit, quam ob rem prior Civitatum colligatio eadem perseverante factione divulsa fuerit. Clades *Ravennatum*, & cæterarum gentium tanta fuit, ut *Faventini* potuerint eas incursiones tuto, ac libere facere, quas *Rubeus* narrat, priusque narrant *Faventini* Annales. Eodem anno factos. *Faventini* (inquit Rubeus) *sub vespere urbe in equis egressi via superiore Forolivii prætereuntes omnem eam Regionem præda, ac ruinis ad Foripompilii Portas vexare, cum Ravennates, qui sibi eam Urbem defendendam acceperant, nihil tum repugnassent, neque etiam cum in Ravennatem planitiem irruentes eam ad pontem usque D. Vitalis sunt populati mox mense Septembris (oportuit ergo priorem incursionem fuisse mense Augusti, statim post cladem à nostris illatam) ab Oppido Caminata, Meldolave inferius incendio omnia absumpserunt, & denuo Octobri equite, ac pedite omni contracto Ravennatem agrum usque ad fornaces Urbi propinquas flamma vastaverunt.* Hæc ille ut satis pateat enervatas admodum fuisse *Ravennatum* vires ex clade à *Cæsenatibus* suscepta. Credo etiam se se adjunxisse *Faventinis* ad deprædandum nostros, ex victoria recente ad sarciendum damnum in invasione *Ravennatum* memorata toleratum. Cum anno sequenti se se postea adjunxerint, ut mox intelligemus. Licet forte ex captivorum redemptione non parum pecuniæ nostri quæsiverint. *Faventini* vero Annales in tertia incursione, *Ravennam* proximam fuisse ut caperetur, adeoque bellum illud in perpetuum finiretur, nisi Prætor *Faventinus* ipsemet impedimento fuisset. Anno autem sequenti maximum negotium iidem facessere *Ra-*

A. 1236.

A *vennatibus*, & sociis. Duas priores eorum expeditiones verbis *Rubei* describam. *Faventini* (inquit) *hoc anno mense Aprili cum omni equitatu Urbe exeunt, & prætergresso Forolivio, cum ad D. Laurentii in Noceto, inde ad Arcem Ermicis mox ad collinam tandem tertio die ad Foranicum pervenissent, omnemque illam Regionem præda, & incendio vastassent Ravennates cum Foropompilianis, Britonorianisque & Joanne Vormaciensi, Chonradi Flaminiæ Comitis Vicario obviam occurrerunt. Sed* 305 *Faventinis quarto post die præda onustis abeuntibus nullum prælium est sequutum. Nec diu post Kal. Maji egressi denuo Faventià in Ravennatem agrum*

Sub eodem anno.

B *irrumpunt, eodemque die cum abstinuissent omni maleficio remigrant domum.* Priores duas *Faventinorum* expeditiones descriptis verbis narrat *Rubeus*. At tertiam expeditionem die septima seu non, Maji factam dicit. Cumque *Faventinis* fuisse *Mutilinos*, & *Dutienses*, quod & Annales *Faventini* fatentur. Cæterum cum omnes narrent exitum felicem fuisse *Faventinis* infelicem hostibus in explicatione successus ego præfero Chronicum nostrum, ut facto proximum, vel coævum. Hunc ergo in modum exaratur.

De Triumpho Faventinorum in Ravennates.

Anno Domini 1236. Faventini hostiliter cum
C *exercitu suæ Civitatis, & districtus ipsorum equitaverunt in districtum Ravenn. non longe à Civitate quinque miliaria apud Godum, & Ravennates cum Ariminensibus, & Livienfibus, & Britonorienfibus, & eorum amicis exierunt Ravenna ducendo secum omnes prædictos ad capiendam dictam Faventiam, sed decepti fuerunt spe sua, qua cum accederent Faventinos in fuga conversos, tunc ante faciem eorum ipsi Faventini sagaciter omnibus suppellectilibus præmissis, ut docti post terga eorum ruentes viriliter comparuerunt, & Populum Liviensem fere totum cæperunt, & occiderunt primo cum magna strage circa plantam Burfaliagi, deinde Ariminenses, & Ravennates Populos, quasi sine pugna sconfixerunt,*
D *quorum Populorum milites, qui insipienter præcesserunt dictos Populos, & suos cum reversi essent ad Populos jam dictos captivos, & occisos steterunt à longe, nec vindicare curaverunt sanguinem Populorum suorum, qui effusus erat propter imperitiam suam, sed confusi dicti milites reversi sunt Ravennam cum fletu magno. Faventini vero reversi sunt cum magno triumpho magnificantes Deum, qui dedit eis victoriam de inimicis, qui excogitaverunt ire solum cum solis ferreis, qui buffalis consueverunt immitti . . . secundum quod apud eos repertum fuit.* Hæc ibi cujus narrationis hic est sensus, & hoc fuit *Faventinorum* stratagema.
E Cum *Ravennates* adversus hostem tam infensum clam ex omnibus amicis *Ariminensibus*, & *Feretranis*, & *Carpineanis* usque magnum exercitum 306 convocarunt ad resistendum nedum incursioni, sed ad *Faventiam* debellandam. *Faventini* post populationem cum forte missi ab eis equites ad explorandum ubi, & quot hostes essent magnum exercitum, ac ingentem numerum copiarum retulissent, jamque adventare; impedimenta præmisere ipsique specie fugæ de via decedentes in insidiis se collocavere. Tum hostes impedimenta consequuti credentes præcedere, in fugam præ metu conversos *Faventinos*
F ad prædam se se effudere. Tum *Faventini* ex insidiis emergentes, in confusos, & implicatos hostes impressionem fecerunt. Obtinebant postremum agmen *Forolivienses*, qui & ipsi inordinati præcedentes sequebantur; in horum ergo terga impetum ex improviso facientes *Faventini* facile imparatos, & inopinantes disjecerunt nedum, sed & confoderunt. Antecedentia *Ariminensium*, & *Ravennatum* agmina strepitu, & turbamento audito

audito illuc se converterunt, at *Liviensium* clade, milites illi exterriti pro ultione sociorum dolentes, & gementes *Ravennam* redierunt victoriam quietam, & tranquillam *Faventinis* relinquentes. *Forolivienses* ergo tantam passi cladem, quorum etiam ter mille captivi erant, cum *Faventinis* composuere. Quinto enim Kal. Junii ut scribit
A. 1236. *Rubeus* sub eodem anno 1236. *Gulielmus Amatus Liviensium* Prætor, imperata *Faventinorum Forolivianos* facturos, consiliaque & arma cum illis juncturos, ab eis Prætorem accepturos *Foroliviensium* nomine juravit. His aucti viribus *Faventini* in ultionem *Ravennatum*, & reliquorum sociorum, qui cum illis junxerant arma, contenderunt *Britonoriensium* scil. & *Pompiliensium*.
Rub. sub eodem anno Carrar. & Annal. Faventini. Quinto itaque Idus Junii significato prius *Cæsenatibus* Consilio apud *Manlianum* non procul *Forolivio* castrametati sunt, & postridie adventantibus *Cæsenatibus* una cum ipsis *Britonorianorum* agrum diripuerunt. Territi inde *Meldulenses*, & *Pompilienses Faventinis* satisfecere, eorum se fidei committendo. *Cæsenates* ergo, & *Faventini* domum rediere aucti præda. In reditu autem *Fa-*
307 *ventini*, à *Foroliviensibus* hilariter cum pateris vino spumantibus excepti fuere. Kal. deinde Octobris alia fuit populatio in *Britonorienses* & *Raven-*

A *nates* per *Faventinos*, & *Cæsenates* junctis copiis facta rem totam *Rubei* verbis refero. *Faventini Kal. etiam Octobris per Forolivianum copias in agrum Britonorianum adduxere; ibidemque cum Cæsenatibus conjuncti incendiis, ruinaque passim vastitatem inferentes in Foropompilianum descendunt, inde Mainardorum, & Ravennatum villas æqua strage percurrunt donec ad D. Gervasi pontem, quo prope mare jungitur Sapis ventum est. Illum Ravennates duobus Castellis, & præsidio munierant: sed præter opinionem excurrentibus eo Cæsenatibus, Faventinisque ii, qui præsidio erant, & longe pau-*
B *ciores quam pro numero hostium Ravennam fuga elapsi sunt. Hostes disturbato ponte Castelloso; domum præda onusti rediere incolumes.* Iisdem temporibus *Federicus* Archiepiscopus cum *Cæsenate* Republica de damnis *Ravennati* Ecclesiæ irrogatis, deque tributo, quod à *Saliani* incolis exigebat, contendebat, diuque contenderat, eo demum anno 3. Kal. Septembris ambæ partes communi voto elegerunt arbitrum controversiæ *Ægidium Pompiliensem* Episcopum, seque ab ejus sententia nequaquam recessuros compromisere. His itaque duobus annis *Faventia*, & *Cæsena* factis, & palmis inclaruere.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONUS.

308
Anno 1237. NNUS sequitur 1237. ex quo magna rerum fuit in his ipsis Civitatibus catastrophe. Res est altius aliquanto repetenda. *Federicus Secundus* Imperator cum sæpius à Pontifice admonitus esset, ut in *Palestinam* ad opem ferendam fractis Christianorum, ibi rebus proficisceretur anno 1233. classe instructa profectionem instituit, at cum paullum processisset in *Apuliam* remeavit. Fraudem eam interpretatus Pontifex rursus Imperatorem à fidelium communione secrevit, & lata sententia regno privavit. Quocirca anno sequenti (1234.) satisfacturus specie saltem Pontifici magnis copiis in *Syriam* ivit, ubi etiam *Hierusalem* ultro à *Sultano Ægypti*, & *Syriæ* Rege concessam obtinuit, ibique coronatus tanquam Rex fuit. Cæterum tamen Christianorum adversus *Saracenos* conatibus adversarium se præstitit. Unde tacite convenisse cum
309 *Sultano* Imperatorem interpretati sunt Magister Templi, & Legatus in *Syria* Pontificis, & cæteri Christiani proceres, qui ibi pro Christo ad expianda peccata sua militabant; idemque Pontifici *Gregorio* significaverunt, & infidam *Federici* mentem suadebant, amor quem ipse palam *Saracenis* ostendebat, quorum opera in bello confidentissime utebatur, & pretiosa munera, aliaque permagnæ benevolentiæ officia, quæ inter ipsum, & *Sultanum* intercedebant. Confirmavit opinionem exitus, nam statim, atque is ex *Asia* discessit, omnia loca concessa *Sultanus* nullo negotio, nemineque resistente recuperavit: ex literis, ac rumoribus hujusmodi ad se prolatis Pontifex idem *Gregorius Joannem* Regem *Hierosolymitanum* ab eo Regno extorrem, de quo antea diximus, in *Apulum* Regnum cum copiis immisit ad illud pro Ecclesia occupandum, ejusque magnam partem cepit anno 1236. Re intellecta *Fredericus* in *Italiam* advolavit, magno-

C que coacto exercitu, cum *Conradum* etiam filium ex *Germania*, una cum Duce *Austriæ* cum magna manu evocaverit, facile quæcunque amiserat recuperavit, sed neque iis contentus ira æstuans invasit ditionem Ecclesiasticam, atque patrimonium. Ducatum *Spoletanum*, atque *Picenum* occupavit; *Roma*mque præterea obsedit, parumque abfuit quin Urbem, & Pontificem ceperit, adeo multos *Romanos* muneribus, & lenociniis corruperat, atque à Pontifice alienaverat. Attamen jugi oratione publicisque supplicationibus obtinuit à Deo pius Pontifex, ut Populus
D *Romanus* mutatis animis acerrime pro Urbis, & Pontificis defensione pugnaverit, Imperatoremque repulerit. Interim tamen tota ferme ditione sua spoliatus Pontifex multa in depressione degebat. Hinc Imperatoris factio *Ghibellina* scilicet animos sumere, & *Guelfa* dimittere in tota *Italia*. Joan. Villanius lib. 6. cap. 21.
Sub hac rerum conditione ingressus est annus 1237. *Cæsenæ* autem *Ghibellinæ* partes *Righitiorum* familiæ, ut primariæ factionis nitebantur, Excom. Riestes Tiber. & Thed. Callisidii.
quæ post annum 1216. depressa, cum sequacibus nullam auctoritatem, neque forte partem in publicis deliberationibus obtinuerat. Totum contraria factio administrabat. Ordoque administrans vocabatur. Defensores *Guelfæ* partis. Jam vero tum *Ghibellini* erigere se, atque respectare, 310
E & ab aliis respectari cæpere. Hinc ego factum arbitror cur in ipso anno 1237. in principio mense scilicet Januarii *Cæsenates* nulla *Faventinorum* habita ratione, cum *Ravennatibus*, *Ariminensibus*que, *Britonoriensibus*, cæterisque *Cæsarearum* partium finitimis populis pacem fecere. Non tamen ictum fædus, sed tædio perpetui vel belli, vel suspicionis cum undique hostibus circumdaretur nostros quietem optasse credendum, neque debilitata jam *Guelfa* secta, potuit quietis communi, & justo desiderio resistere. *Federicus* cum tot trans *Apenninum* progressus fecisset ad *Longobardos* contrarii fæderis debellandos transivit, atque cum

cum multas adversus eos victorias obtinuisset, tandem *Mediolanensium* instructissimum exercitum magna clade contrivit die quarta Novembris hora nona præter multorum occidionem mille, & quingentos cepit, inter quos Prætor *Mediolani* fuit filius Ducis *Venetiarum Joannes* Lib.6.c.21. *Theupoli*, quem si *Joanni Villanio* credamus ex alta turri ad Mare sita trahi & suspendi jussit. Cæteri pariter capti variis modis perempti. Eam ob victoriam multæ Civitates in manus Imperatoris devenere. Et ubique factio *Ghibellina* invaluit. Adeo ut *Florentiæ Guelfi* fuerint ejecti. A. 1238. *Faventiæ* pariter *Acharisii*, qui *Ghibellinam* sectam fovebant occasione ulciscendi *Garatonis*, *Zambrasii* Rubeus sub eod.anno. ab *Amadore Bulzaga* occisi arma sumpsere, atque expulsa contraria *Manfredorum* factione dominatum Civitatis occupavere brevi tamen tempore retinuere, nam vix mense elapso à *Paulo Traversario*, & sequacibus ejecti e dominatu fuere, & in carcerem conjecti rem ex Chronico nostro narro. Verbis ipsis usus rudibus licet. At ruditas simplicitatem, & veritatem testatur, quam etiam ad verbum ferme recipit, & exscribit, at versam in *Italicam* linguam *Carrarius*: repono ego eum cum rubrica, & scholiis.

De captione Faventiæ, & captione Acharisii, & fugatione Domini Petri Traversarii.

De Chronica veteri. *Anno Domini* 1238. *die* 3. *Mensis Julii fuit Faventia capta, ab Acharisio, & amicis suis, & tenuit eam per mensem fugatis ex ea homicidis Garatonis cum Capitaneis aliæ partis, & in capite unius mensis fuit ipse captus, cum Dominis Glazerio de Castrocario, & Guidone Rambo, Zambrasio, & Ramberto, & cum prædicta Civitate à Domino Paulo Traversario, & aliis amicis dictæ partis, & hoc fuit, quia non bene recordabatur istius verbi Salamonis, ne credas inimico tuo unquam, & post stetit in captivitate, cum prædictis apud Cavallinum de voluntate, qui eos ceperant multis diebus, & postea fuerunt dati nunciis Imperatoris, & steterunt in captivitate apud Ariminum, & Cæsenam aliquantis diebus, & datis obsidibus fuerunt absoluti, & ita steterunt quatuor diebus, postquam Acharisius fuit captus cum ipsa Civitate Faventiæ venerunt Bononienses, & fugaverunt, & expellerunt, cum magna strage prædictum Dominum Paulum Traversarium, cum amicis dictæ partis de nominata Civitate, & tenuerunt eam expensis Faventinorum multis temporibus; & postea die martis Paschæ Resurrectionis, (anni scil.* 1239.) *oppugnantibus dictam Civitatem Comite Aghinulpho cum aliis Comitibus suæ partis, & quibusdam suis amicis de Romandiola, venerunt Bononienses prædicti, quasi ex insperato ad damnum Civitatis, & ceperunt Comitem prædictum, cum quibusdam suis amicis aliquantis ex ipsis interfectis, omnes alios fugaverunt.* Hæc ibi. *Bononiensis* Historicus *Ghirardatius* hujus solius posterioris *Bononiensium* expeditionis meminit, asserens *Faventiam* liberatam ab obsidione Comitum *Mutilianæ*, & *Bagnacaballi* opera *Bononiensium*, quorum cum implorassent auxilium obsessi ii tres tribus cum Carrocio misere, quæ *Faventiam* profectæ ea virtute in hostes impressionem fecere, ut in fugam eos conjecerint ducentis captis (quingentos dicit *Rubeus*) inter quos fuere Comes *Mutilianæ*, *Aghinulphus*, Comes *Malvicinus*, & Comes *Bagnacaballi Rogerius*. Milites, qui obsederunt *Faventiam* viginti millia circiter fuerunt quos fudere *Bononienses*. Hæc *Bononiensium* victoria *Guelfos* Provinciæ animavit; unde *Paulus* A. 1236. *Traversarius* inter *Ravennates* proceres Ecclesiasticæ factioni maxime addictus; cum *Bononiensibus* convenit si auxilia præstarent ejiciendi *Friderici*, e *Ravenna* Magistratus, eamque Ecclesiæ devotioni restituendis, quod sequenti anno 1239.

311 Garatonis de Zambrasiis. 312

die S. *Juliani* Martyris eam Civitatem occupavit, expulsaque contraria factione sibi dominium vindicavit Urbis. Repono Chronicum nostrum cum rubrica, & scholio.

Anno Domini 1239. *die B. Juliani Martyris Dominus Paulus Traversariæ in sua legalitate, seu forte per contrariam abstulit Ravennam Imperio, & nunciis ejus cum adjutorio Ravennæ, & Faventiæ expellentes ex ea omnes suos vicinos amicos adversæ partis, qui volebant exire de ipsa sua voluntate destruens Turres, & Domos amicorum adversæ partis parvas, & magnas.* Erat autem contraria pars Comitum *Guidiorum* familia, & sequaces. Hoc anno die tertia Junii post horam nonam maxima fuit, ac integra solis eclipsis adeo ut stellæ viderentur. De qua eclipsi rudi eo seculo ejusmodi versus conscripti habentur. Ex Chronica veteri. Carrarius.

Annis ter denis, bis centum mille novenis
Junius intrabat, cujus lux tertia stabat
Sol obscuratus fuit, Orbis obtenebratus
In media luce cæpit fore Sol sine luce
In hora totus fuit nitor à Sole remotus
Sub feria sexta sunt hæc miracula gesta.

Addit vero idem Chronicum nostrum hæc verba. *Et quoddam foratum erat ignitum in circulo Solis ex parte inferiori.* Duobus post annis consequuta est mors *Gregorii Noni* Pontificis. Sequenti mox anno *Paulus Traversarius* jam *Ravennæ* Dominus cum *Gregorio Montelongo* Pontificio *Bononiæ*, ac *Lombardiæ* Legato adversus Imperatorem fædus contraxit: consilium ejusdem Legati una, & Ducis *Venetiarum*, *Azonis Estensis*, & multorum aliorum aggrediendi atque occupandi *Ferrariam*. Regebat eam Princeps ejusdem diuturnus *Salinguerra Taurellius*; Satis ab amicis, & à milite firmus Urbem etiam munitam defendebat attamen cessit ætatis forte frigiditate fractus quadrimestri obsidioni, seque legato dedidit, qui, *Salinguerra Venetias* relegato ubi etiam brevi obiit, *Ferrariam* regendam *Azoni Estensi* tradidit, obsessa fuit *Ferraria* die secunda Februarii, & capta sub fine Maji die scilicet 24. *Cæsenas* usque toto hoc tempore in Pontificiis partibus, & in pristina libertate permansit, Imperatori contraria licet in sinu *Ghibellinam* factionem admodum erectam includeret; quievit autem postquam præsertim *Paulus Traversarius Ravennam* occupavit, nullum enim inter ejusdem factionis Civitates erat dissidium. *Forolivium* sane *Friderico* adhærebat, attamen à *Bononiensibus Faventiam* protegentibus continebatur, ne commotionem ullam faceret. His irritatus damnis *Fridericus* ex cujus devotione *Ferraria*, & *Ravenna*, & *Romania* ferme tota subtracta erat, in *Romaniam* cum exercitu contendit *Ravennam*que primo loco obsedit (mortuus erat paulo prius *Paulus Traversarius*) atque intra sex dies obtinuit. Obsedit deinde *Faventiam*, quæ diutius restitit, cum enim mense Augusti eam Imperator obsederit anno 1240. obtinuit solum anno 1241. die 14. Aprilis quoniam vero de anno aliqui aliter scribunt Chronicum nostrum affero, de antiquiore etiam Chronologia desumptum pono rubricam, una cum scholio. A. 1240. 313

De captione Ravennæ, & Faventiæ facta per Imperatorem.

Anno Domini 1240. *de Mense Augusti Fridericus Imperator venit Ravennam, cum D. Henrico filio suo* (est hic error, debet scribi cum *Hentio* filio suo, *Henricus* enim jam diu mortuus erat) *& obsedit eam sex diebus, ita habuit ipsam Civitatem cum . . . . hoc facto eodem mense ivit Faventiam, & obsedit eam circumcirca æstate, & pene multis diebus cum Civitatibus Provinciæ istius excepta Bononia, & cum quibusdam de Tuscia fidelibus*

bus suis, & ita obsedit eam usque ad diem Dominicum 14. *Mensis Aprilis, & tunc data est in manibus dicti D. Imperatoris operante D. Rainerio Comite de Cunio, cum fidelibus suis, qui erant secum, & cum paucis amicis Acherisii, qui erant adhuc in ipsa Civitate.* Hæc pro tempore invasionis, & duratione obsidionis. Duravit ergo circiter octo menses, non novem, ut dicit *Carrarius*, neque septem solum, ut *B. Antoninus*, sed vel octo integris mensibus, vel paullulum interfuit. Quod
lib. VI. cap. 2. vero dicitur ibi multos ex *Tuscia* milites accessisse *Jo. Villan.* in exercitu Imperatoris alias fuisse certatim *Florentinos*, *Guelfos* & *Ghibellinos* asserit Civitates autem Provinciæ, quæ Imperatori in obsidione adsuerunt, certum est fuisse *Ariminum*, *Britonorium*, *Foropompilium*, *Forolivium*, & *Imo-*
314 *lam*; De *Cæsena* ambigendi est locus, solum enim post captam *Faventiam* concessit Imperatori ut Castrum, arcemve imponeret; ut mox dicemus. Interim *Faventinis* ob diuturnam resistentiam iratus Imperator multos eorum capite damnavit, po-
Carrarius, & Rubeus sub Anno 1241. steaque Civitatem populo *Foroliviensi* regendam tradidit, præsertimque *Tedaldo Ordelafo*, & superbo *Arguioso*. Ob secundas ergo *Friderici* res *Cæsenates* ratione prudenter subducta ultro se Imperatori dedidere, qui cum optime sciret Civitatem suapte indole Ecclesiasticarum partium studiosam ea conditione eam cum venia præteritorum suscepit, si pateretur Castellum sibi cum præsidio imponi, quod concessit Civitas, situm scilicet assignando cum arce à *Friderico* primo condita. Imperator autem ea disturbata aliam firmioribus muris, & propugnaculis amplioremque excitavit. Chronicum idem nostrum. *Anno* (inquit) *Domini* 1241. *Kal. Maji Cæsenates dederunt Domino Federico Imperatori Castrum novum de Cæsena, ut ibi construeret munitionem suam, & ipse eodem mense, quo sibi datum fuit destructis omnibus domibus, & Turribus existentibus in ipso Castro præcepit illud reædificari muris, & Turribus grossis.* Idem, sed elegantius scribit Rubeus. *Cæsenates* (inquit) *Kal. Maji secundis Frederici promoti rebus, Castrum novum Cæsenate dederunt.* Ut hinc pateat solum post *Faventiam* captam *Cæsenates* se Imperatori dedidisse, qui ditionem liberaliter accepit, modo arcem firmiorem, & præsidium paterentur. Credere vero oportet *Ghibellinos* in regimine primas habuisse, satis autem fuisset si *Guelfi* suas sedes retinere potuissent, & non extorres à Patria abire. Quorum hoc multo verisimilius. *Fridericus* enim se ubique & semper infensum contrariæ factioni præbuit, ut oporteat saltem primores factionis *Guelfæ*, vel ultro abiisse, vel fuisse expulsos, quod etiam ex literis infra *Henrici* patebit. Illud autem falsum, quod in quodam manuscripto legitur anno 1243. ordinem *Cæsenæ* Regentem defensores *Guelforum* fuisse, cum ab anno 1241. usque ad 1248. sub Imperatore fuerit, ejus etiam præsidio coërcita. Depressis ergo *Faventia*, & *Cæsena*, *Forolivium* con-
315 tra multum sumpsit incrementi, cui etiam Im-
Carrarius. perator jus condendæ monetæ concessit, præterea vero suis eadem Civitas armis *Cerviam* occupavit, quam tamen illis *Veneti* anno 1243. cum aliquando obsedissent, abstulerunt. At *Fridericus* occupata *Romania Bononiensem* agrum fœde vastavit, publicæque Academiæ privilegio Civitatem spoliavit, quam *Patavium* transtulit, ubi florentissima semper perseveravit, etiam restituta *Bononiensi*, & perseverat. Anno eodem 1241. quo *Cæsena*, & reliquæ Civitates in Imperatoris manus devenere. Mense Augusti obiit *Gregorius* Pontifex molestiis ex Ecclesiæ per *Fridericum* depressione confectus, præter enim occupationem universæ ferme Ecclesiasticæ ditionis insederat

A adeo vias omnes, ut Pontificiis Nunciis extra *Italiam* non pateret aditus, cumque Pontifex *Mari* ad *Gallum*, & *Anglum* Reges miserit duos Cardinales *Prenestinum*, & *Portuensem*, qui auxilium adversus Imperatorem peterent, quique eorum Regnorum Prælatos ad Concilium *Romæ* indictum convocarent eos cum Prælatis multis redeuntes *Romam Genuensium* classe vectos per *Pisanos* *Fridericus* partim demersit, partim cepit, atque in diversos, ac duros carceres dispersit; *Pisani* enim ejus jussu classem instructam paravere, atque *Genuenses* adorti insigni victoria fregere, & qui vehe-
B batur Cardinales, Episcopos Abbates obtinuere ad Insulam *Meloriam*, ad quam postea labentibus annis ipsi justo Dei judicio à *Genuensibus* victi Imperium omisere, & vires, quas nunquam amplius reparaverunt. *Gregorio* suffectus est post mensem *Celestinus II.* die scilicet 22 Septembris, qui decimo septimo post die, vita decessit. Post illum annum 1. mens. 9. Ecclesia Pontifice vacavit, quousque scilicet *Fridericus* Cardinales ad *Meloriam* captos, tandem precibus *Balduini* Imperatoris *Constantinopolitani* fatigatus dimisit. Tum electus est in Pontificem *Sinibaldus Genuensis* ex nobili *Fliscorum* Familia, Cardinalis, antea
C *Friderico* valde amicus fuitque *Innocentius secundus* appellatus. Hic prius Imperatorem pro pristina Anno 1243.
amicitia monuit ut sibi ditionem Ecclesiæ occupatam restitueret. Imperator autem blandis 316
pollicitationibus ipsum de die in diem ducere, quod cum intellexit Pontifex justa ira incensus dignæ pro factis animadversioni animum intendit, quo circa clam ex patria viginti triremibus evocatis ipse cum Cardinalibus, & universa ferme aula conscendit, tutoque *Genuam* pervenit, indeque in *Lugdunum Galliæ* concessit ubi Concilium coëgit, in quo *Fridericum* Imperio sententia lata universo conspirante Concilio exuit, piorumque
D communione privavit. Excitaverat vero ad Con- Anno 1244.
cilium Imperatorem, qui nunquam comparuit. Mandavit ideo Pontifex Electoribus, ut alium Imperatorem eligerent, qui *Henricum Hassiæ*, & *Turingiæ Landgravium* elegere, qui annum tantum vixit, ejus literas habemus ad *Theodoricum Ravennatem* Archiepiscopum, quas penes *Rubeum* legimus, inter cætera vero ibi legimus. *Devotionem tuam requirimus attentius, & monemus, quatenus viros nobiles, qui de Arimino, Ravenna, & Faventia, & aliis Civitatibus, & castris Romaniolæ per Fridericum quondam Imperatorem super eos regnantem ex domibus propriis sunt ejecti, & bo-*
E *nis omnibus spoliati quantum scis, & potes debeas consilio, & auxilio confovere, ac eos efficaciter inducere non desinas, ut ipsi unanimiter ad confusionem suorum inimicorum, & receptionem rerum suarum quantum possent operam adhibeant efficacem.* Ex his patet id, quod antea conjecimus à *Friderico* *Romaniam* adepto ex singulisque ejus locis expulsos contrariæ factionis homines bonisque omnibus spoliatos; saltem scilicet, qui inter eos eminebant, conspicuique erant. Quo ferme anno Synodus damnavit *Fridericum* convenere inter se *Ravennates*, & *Ariminenses*, & in conventione ipsa recruduisse in *Cæsenates* odium monstraverunt.
F Pacta hæc fuere. *Ravennatum tum personas, tum* Carrarius sub Anno 1245.
res incolumes, ac tutas esse Arimini, & in Ariminensium ditione universa tum terrestri, tum maritima non secus, ac ipsos Ariminenses posseque instar eorum mercaturam omnem exercere, ex capta vinorum non licere scilicet cellam Arimini vinariam ad vendendum condere. In nundinis quoque Ariminensibus permitti Ravennatibus esse instar Ariminensium immunes præterquam à vectigali, quod antiquitus 317
Imperatori solvebatur. Pollicentibus quoque Ariminensibus præstituros se Ravennatibus exercitum, &

equitatum per totam Cæsenatum ditionem, & à Be-
tona usque ad Castilionem Episcopi Forolivienfis, &
à Mare ad Alpes, ad Argentamque tradituros illis
manum equitatus sui, & cæterorum suorum amico-
rum, dum tamen Ravennates illis naves præstent, ut
militibus ipsis Ravennatibus præstare solent, sique
Ravennates exercitum postulaverint teneantur Ari-
minenses præstare illis singulis Annis unum intra
quindecim à petitione dies ipsum cogendo, & intra
alios quindecim dies eundem Ravennatibus sistendo
suis sumptibus, ac ad utilitatem pariter, ac damnum
suum, & si acciderit capi Ariminenses dum pro Ra-
vennatibus militarent, teneri Ravennates eos redi-
mere, non secus, ac milites Ravennates si captivi
fuerint, vel si hostium captorum adfuerit copia per-
mutatione eorum eandem redemptionem facere. Si-
que Ravennates cum Cæsenatibus bellum gesserint
jungent cum illis Ariminenses arma, neque cum Cæ-
senatibus pacem, aut inducias, aut pactionem ali-
quam absque Ravennatibus inibunt. Quæ jurari
debeant ab omnibus quindenos Annos usque ad septua-
ginta nactis. Debeantque Ravennates, & Arimi-
nenses homines Arimini eligere, qui jurent se abs-
que fraude, intra 40. diem definituros omnes que-
relas, quæcunque inter Ravennates, & Ariminen-
sesque oriantur . . . . Atque Ariminenses ita ju-
rarunt se facturos usque in annum quadragesimum,
ea tamen conditione, ut altera parte petente quinis
annis juramentum, parte petenti rursus exhibere-
tur. Salva tamen remanente fidelitate debita Hen-
rico Imperatori Regi Romanorum semper Augusto.
Colligitur ex his suspectam esse *Ravennatibus Cæ-*
senatem ditionem, cum per eam mercimonia sua
ab armata *Ariminensium* manu associari petierint,
vel antiqua, ut dicebam odia recruduerant, vel
diffidebant, eo quod cum ipsi *Henrico* Imperatori
parerent *Cæsenates* contra ob impositum præsidium
sub *Federico* adhuc permanebant. Dicitur tan-
tam fuisse tum frugum omnium ubertatem, ut
Bononiæ mensura (quam ii corbam vocant) tri-
tici tribus solidis, seu bononenis, ut ibi appel-
lantur; fabæ duobus zeæ sesqui solido vænierit.

Ubertas maxima. Carrarius.

Fridericus interim sub Concilii *Lugdunensis* tem-
318 pore tanquam illuc iturus ad Alpes accesserit,
cum *Parma* antea illi devota ab ejus Imperio de-
fecit. Expulerat *Guelfos*, atque bonis omnibus
expoliaverat *Fridericus*, ut *Ghibellinos* veluti Im-
perii studiosos extolleret; quo facto nimis mul-
tam hostium sibi copiam comparavit, eamque
pro inopia desperatam. Habebantque in singulis
Civitatibus, qui eandem cum ipsis factionem im-
biberant, licet dissimulatione comprimerent.
Parmenses ergo exules copiis aucti *Montelongi* Le-
gati *Parmam* invasere, & occiso Prætore *Henrico*
Testa Aretino occupaverunt: opera præsertim
Bernardi Rubei, id factum *Rubeus* Historicus scri-
bit, qui *Bernardus* cum primum ex intimis *Fri-*
derici esset, postea ex suspectis quibusdam verbis
sibi timens, adeoque ab eo alienatus se Pontificio
Legato junxit. Occasioneque ex discessu Impe-
ratoris arrepta Patriam à Cæsareis ad Pontificias
partes traduxit. Audita ejus Civitatis rebellione
Fridericus consilium adeundi concilium, vel dis-
simulationem abjecit, & coacto ex omni *Italia*
exercitu Civitatem illam obsedit. Hæc fuit ce-
lebris obsidio, in qua Castra ab Imperatore in
formam urbis constructa. Fuitque Urbs *Victoria*
appellata cujus fastum, & luxum, ac delitias le-
gat quisque apud Historiæ ejus Scriptores, non
est ejusmodi enarratio hujus mei instituti, sat sit
hic exitum obsidionis infaustæ Imperatori expo-
nere, dum is tædio longæ obsidionis venatum
proficiscitur obsessi explorato discessu in *Castren-*
sem Civitatem irruperunt, *Victoriam*que vincunt,
ac expoliant, atque disturbant, coëgereque exer-
A citu amisso Imperatorem *Cremonam* aufugere,
at ad *Flaminiam* deveniendo. Anno 1248. *Octa-*
vianus Cardinalis *Ubaldinus* Pontificis Legatus *Bo-*
nonienſibus secum copiis ductis in *Flaminiam* venit,
ut eam imperio Pontificio universam restitueret.

Anno 1248. Rubeus sub eod. Anno.

Cum Legato erant singularum Civitatum ejecti
à *Friderico*, qui scilicet erant partium Ecclesia-
sticarum studiosi. *Bononienses* Annales primum
Imolam occupatam narrant, tertio loco *Foroli-*
vium. Rubeus, & *Carrarius Forolivium* primo
loco obsessum volunt, dicuntque Castra ad D.
Martini in via collocata, eo forte consilio, quod
illa Civitas erat maxime Imperatori, qui ei plu-
B rimum faverat addicta; unde ejus deditio cæteris 319
Civitatibus esset exemplo, futura utcumque res
se habent tum *Forolivium* tum *Cæsena* se se Legato
dedidere, qui scilicet exules omnes Patriis resti-
tuit, *Cæsenæ* autem arcem à *Federico* impositam
evertit ut libertate Ecclesiastica præsidio omni
sublato frueretur. Cæteræ pariter Civitates *Imo-*
la, *Faventia*, *Ariminum*, *Ravennam*, *Cervia*,
& *Britonorium* legati mandata fecere. *Ravenna*
eo facilius, quod *Theodericus* Archiepiscopus diu
à *Federico* in vinculis habitus; tum vero Legato
junctus, eratque *Federico* infensa, à quo depressa
fuerat, attamen pars in ea prævalens erat *Ghibel-*
C *linæ* factionis verum tamen cum aliqui etiam *Guelfi*
intus essent, & extra omnes expulsi infirmior ea
ratione defensio reddebatur, proindeque ipsa quo-
que facile cessit Legato. Rursus ergo tota Pro-
vincia in Ecclesiasticam ditionem concessit, tum
quoque contrariæ factionis homines saltem potio-
res, vel abiisse sponte ne viderent adversarios
præpollentes, eorum fastu immo insolentiæ, &
injuriis expositi, vel etiam expulsos jussu Ponti-
ficiorum Rectorum fuisse. Utrum autem fuerit
certe extorres fuisse *Ghibellinos* primates colligitur
ex *Innocentii* Summi Pontificis literis, quas infra
reponemus. *Ghirardatius Bononiensis* Historicus
D scribit hoc tempore à *Bononienſibus Romaniæ* do-
minium acquisitum. Attestantur aliquo pacto,
quæ de *Ravenna* sumus dicturi. Crederem ego
commendatam *Bononienſibus* à Summo Pontifice
Provinciam, ceu in custodiam ut Civitati magnæ
potentiæ, & Ecclesiasticæ factionis studiosæ,
atque ab Imperiali aversæ. Tunc certe magnum
virtutis, & erga Pontificem fidei specimen ex-
hibuit. Quæ adversus tantum Imperatorem,
quantus *Federicus* erat se semper invictam præ-
buit; at anno præsertim sequenti scilicet 1249.
quo *Entium* filium ejus, & *Sardiniæ* Regem
magna clade affecit, & cepit. Bellum, & pu-
E gnam aliqua ex parte referam. Ad res etiam
nostras pertinent, qui prompte auxilia *Bononien-*
sibus, una cum reliqua Provincia, & cum *Piceno*
etiam misimus. Favebat enim Pontifex, cui eæ
Regionis parebant, *Bononienſibus*, & *Bononia* erat
veluti caput in his partibus Ecclesiasticæ adversus 320
Imperatorem factionis. *Bononienses* ergo magno
coacto exercitu ex *Picentibus Flaminiis*, ex Mar-
chionis *Estensis* copiis & ex Civitatis ipsius delectu
Duce *Philippo Ugone* Prætore bellum *Mutinensi-*
bus intulerunt. Dicitur Marchio *Estensis Azo*
misisse ter mille equites, & pedites bis mille.
Mutinenses ad invasionem *Bononiensium* nuntium
F ad *Entium* misere *Sardiniæ* Regem *Friderici* na-
turalem filium, qui florens ætate intra quartum
lustrum proceritate, & pulchritudine corporis,
ac militari virtute cæteris eminebat. Rex magno
cum exercitu advenit, ex *Germanis* suis conflato
ex *Cremonensi* militia, exque *Ghibellinis Tuscis*,
*Longobardis*que exulibus, qui multi erant, & pro
studio partium, & pro exercita diu militia magnæ
virtutis manus. Aderant *Mutinenses* ferox, &
ipsi militum genus, atque contra lacessentem
hostem

Ghirard.

1249.

hostem magno odio inflammati congressi exercitus maxima virtute pugnaverunt, diuque anceps fuit victoria, at tandem à *Bononiensibus* stetit, qui pluribus occisis omnibus fugatis Regem ipsum cepere, una cum *Bosio Dovario Cremonensium* Principe. *Entius Bononiam* captivus ductus post custodiam anni 23. obiit. Custodia fuit à splendore Regio non dissentanea. Hinc jam fortuna *Friderici* ruebat, qui postquam in generali Concilio à Pontifice damnatus fuit omnia ferme adversa expertus est. Divino quasi Numine Pontificiam imprecationem prosequente. Chronicum nostrum captum ponit *Entium* die septima Junii *Carrarius* die 24. Augusti, at Historia *Bononiensis*, cui standum die 26. Maji die sacra *Augustino* illi, qui *Anglos* ad Christi cultum ab Idolis traduxit. Omnes in anno 1249. conveniunt. Consequuta est *Friderici* mors anno sequente idibus 2. Decembris aliqui *Panormi* obiisse, aliqui *Ferentilli* Oppidi Regni *Apuli* morbo defunctum nonnulli asserunt, at alii, cum jam ex morbo convalescere inciperet, cervicali ad os injecto à *Manfredo* filio spurio suffocatus. Postque *Fridericus* Imperio à Pontifice abdicatus fuit statim Electores *Henricum* suffecerunt Landgravium *Thuringiæ*, qui post annum cum vitam, & Imperium
321 reliquerit successorem habuit *Hollandiæ* Comitem *Guglielmum*, qui ad annum usque 1255. vixit, & Imperium retinuit, *Fridericus* tamen quousque vixit, & nomen, & jura Imperii penes plurimos retinuit. At anno eodem 1249. magna accidit *Ravennæ* perturbatio. Cum multi enim essent Cives, & nobiles *Ravennates* studio partium ex patria ejecti illi subnixi auxilio Comitum *Bagnacavallensium* eorumque factioni *Ravennam* ex improviso occupaverunt ejecta *Polentanorum* familia cum sequacibus, direptaque Prætoris domo, qui erat *Albertus Cacianimicus Bononiensis*, & tum aberat, & capto *Bartolomeo Uberto* Prætoris assessore. Irrupere quoque in Sacrarium *Ursiani* Templi fractis foribus, indeque tres saccos mo, netæ alios *Venetæ*, alios *Ravennatis* asportavere, quorum singuli à robusto homine non poterant loco dimoveri. Rem hunc in modum describit Rubeus. *Comitum* (inquit) *Bagnacavallensium factio in quibus erant Comes Rogerius Filarardus, Comes Guido ejus Frater Bagnacavallenses, & Ravennates Cives, Anastasius ex Anastasiorum Familia, Percellus Alidosius Judex, Thomas Glesius Ugonis filius, Ugo Saxus omnes Ravennates plurimique eorum asseclæ Guidonem Polentanum, ejusque factionis cæteros Ravenna ejecerant.* At Chronicum nostrum brevissime. *Anno* (inquit) *Domini* 1249. *die tertia Octobris capta fuit Ravenna à Comitibus Bagnacaballi, & omnibus amicis suis.* Obsidebant tum *Bononienses* una cum Cardinali *Ubaldino* Legato *Mutinam*, cum qua demum pace inita, adeoque obsidione soluta Cardinalis cum *Philippo Ugonio* Prætore *Bononiæ*, cum consulibus merca-
1249. torum, & mensariorum, ac Antianis populi, & Reipublicæ *Bononiensis* Legatis *Ravennam* venit. *Cacianimicum in pristinum* (verba Rubei refero) *Magistratum restiturus Urbemque in fidem, potestatemque suam, & Antianorum accepturus.* Ut ex his constet Dominium sibi *Ravennæ* tunc *Bononienses* arrogasse, quod clarius ad huc ex mox sequentibus fit. Cum ergo *Ravennates* non paruissent jussui, neque etiam Cardinalem, & cæteros Urbe recepissent tum Pontificius Legatus *Ravennates* perinde, atque *Romanæ* Ecclesiæ, *Guillel-*
322 *mi* Regis *Romanorum*, & communis *Bononiæ*, ac perduelles pronunciato edicto eas omni *Æmilia* privavit, & hostes pecunia, qua damna Prætoris, & Assessoris sarcirentur multavit. Ex quo edicto constat, & *Bononiensium* dominium, &

A Imperatoris, vel Regis *Romanorum* dum pacate se cum Ecclesia gereret concessione etiam Pontificis aliquod in hanc Provinciam fuisse. Exitus autem hic rerum fuit. *Ravennates* paruere Legato, & satisfecere impositæ multæ pro damnis compensandis Prætoris, & Assessoris. Damnum Prætoris fuerat decem millium, & octingentarum librarum *Ravennatium*. Assessoris quingentarum. Rem hunc in modum succincte scribit *Rubeus*, at *Carrarius* multo diligentius, atque distinctius refero verba ejus eodem quo scripta sunt *Italico* sermone, ut fundamentum pateat *Ravennatis* dissidii, & error emendetur, qui ir-
B repsit in *Rubeum*, & *Carrarium* ipsum dum scribunt è Comite *Rogerio Polentanam* factionem expulsam loco *Traversariæ*. Verba sunt post captionem *Ravennæ*, & repulsos Cardinalem Legatum, & Magistratus *Bononienses*. *Il Papa scrisse à Filippo Fontana Eletto di Ravenna, che con la solita sua destrezza s' adoprasse di far ritornare i Ravennati all' obedienza di S. Chiesa altrimenti procedesse contra di quelli con interdetti, e scommuniche, finalmente si resolsero tanto per questo, quanto per altre occasioni di ritornare all' obedienza del Papa facendo compromesso nel detto Filippo Fontana eletto Arcivescovo come dicemmo di Ravenna, & in Pietro*
C *Priore della Chiesa di S. Maria in Porto, in Trasimondo da Fano Podestà di Rimini, in Tolotendo Gambacero, in Leone Boccadiferro Cittadini, & ambasciatori del commune di Rimino, Sindici Procuratori, e Nuncii speciali del predetto Commune accioche essi come arbitri, & amicabili compositori sopra le liti, e differenze, e discordie ch' erano, e potessero avenire frà Deomel Salici de Chezzi Sindico, Procuratore, Nuncio, & Attore dell' Università, e di tutta la parte de Traversari da una parte: e Deppo d' Ugone Sindico, Procuratore, e Nuncio speciale del Conte Rugerio, e dell' Università, e parte di detto Conte . . . . . . per occasione*
D *de beni tolti, e de danni, & ingiurie date universalmente dall' una parte all' altra, ò di persone par-* 323 *ticolari, ò per altra occasione di quel tempo in quà, che come dicemmo Ravenna fu presa per il detto Conte Rugieri, e suoi seguaci sententiarono, laudarono, & arbitrarono che fosse piena remissione, & assolutione frà le parti predette di tutti i mali, ingiurie, damni, rapine, incendi, e discursioni delle case, & alle persone, e nelle robbe da quel tempo, che Ravenna fu presa dal predetto Conte, e suoi seguaci fino al presente giorno, &c. . . . . E che tutti i Privileggi, e rescritti impetrati da quel tempo, che Ravenna fu presa ò dalla Chiesa, ò dall'*
E *Imperio tanto dalla parte del prefato Conte, e del già Ubertino contra la parte dei Traversarii, ò dalla parte dei Traversari, contra la parte predetta tanto in commune, quanto in particolare di ciascuna persona siano cassi, e nulle.* Satis sit hæc ex multis reposuisse, ex quibus constat non fuisse *Polentanos* ejectos à Comite *Rogerio*, sed *Traversarios* idque ratio partium, & factionum poscit asserere: nam Cardinalis *Ubaldinus* cum anno 1248. *Flaminiam*, cum *Ravenna* imperio Ecclesiastico subjecisset, non contulisset *Polentanis Ghibellinæ* factionis studiosis arbitrium rei *Ravennatis*, at *Tra-*
F *versariis*, qui egregie semper partes Ecclesiæ foverunt, congruebat potentiam à Pontificio Legato tradi. *Cæsena* interim quievit, quod pars expulsa minus valida fuerit, nec idcirco potuerit intus permanenti negotium facessere. Erat politicæ prudentiæ indulgere contrariæ factioni tantumque illi tribuere, ut mitius affecti potuerint permissæ conditioni acquiescere. Vallaverant se præterea Civitates adversus extorres mutuo fœdere, cujus index est id quod penes *Carrarium* legimus in conventu *Cæsenæ* indicto à *Sup-*

pino comite Provinciæ die prima Februarii anno
1251. indixit vero conventum *Suppinus*, una cum
Filippo Fontana Ravennate Archiepiscopo, &
Pontificio Legato. Ad quem conventum vene-
re *Alberghettus Manfredus*, & *Rainerius Valbo-
nensis Faventini* electi à Prætore, & Senatu *Fa-
ventino* némine discrepante, qui *Cæsenam* veni-
rent, & de bello adversus rebelles, & extorres
convenirent cum reliquo concilio: verum de pa-
ce, cum iisdem rebellibus eorumque receptione
324 nihil statui posse, nisi cum Comite *Suppino*, &
Archiepiscopo prædicto convenerint duo Cives
Faventini, à *Faventino* Senatu una cum Prætore
Civitatis eligendi de quorum electione publicum
pateat instrumentum à Notario *Faventino* con-
scriptum, & confectum, & quicquid secus actum
fuerit nullas vires habeat. Pars ergo tum *Guelfa*
Civitatum Ecclesiasticarum se se inito fœdere ad-
versus contrariam, & ejectam muniebat pronior-
que erat ad bellum, quam ad pacem, & rece-
ptionem *Gibellinorum* ejectorum. Anno eodem
die Sabbati, qui erat festus D. D. *Simonis*, &
Judæ Cæsenam venit *Innocentius Quartus* Pontifex
ex *Gallia* rediens, qua de re Chronicum nostrum
exscribo licet in eo desiderem pompam, qua re-
ceptus fuit, omissam. Stylus Civitatis nostræ
suadet fuisse insignem, ita enim accepimus *Cle-
mentem Octavum Ferraria* redeuntem quadraginta
ab hinc annis; verba Chronici sunt. *Anno Do-
mini* 1251. *in die Sabbati quarti exeunte Octobries
in festivitate Sanctorum Simonis, & Judæ Sanctis-
simus Pontifex Innocentius Papa Quartus venit Cæ-
senam, & cum eo erant sex Cardinales, scilicet Do-
minus Gulielmus Fliscus Nepos Domini Papæ, Do-
minus Joannes Caetanus, Dominus Ricardus Epi-
scopus Albanus, Dominus Joannes Columna, Do-
minus Petrus de Baro, & Magister Joannes de O-
lecta, & sex Notarii* (scilicet Protonotarii) *Ar-
chiepiscopus Ravennæ, Archiepiscopus Parisiensis,
Archiepiscopus Sion, Episcopus de Chorinthio, E-
piscopus Mantuanus, Episcopus Faventinus, electus
Forompompilii, Comes de Savoja, qui fuit Comes
de Flandria, Comes S. Bonifatii Comes Rugerius,
& Dominus Thomasius de Foliano Mariscalcus D.
Papæ, Nepos ejus, & tunc idem Marescalcus ivit
Cerviam, & intravit Castrum Cerviæ.* Cum Pon-
tifex advenit nondum *Ravenna* ad Imperium Ec-
clesiasticum reverterat ut revertisse opera Archie-
piscopi *Fontanæ* supra diximus ea de causa ergo
Thomas nepos Pontificis ivit *Cerviam*, inde Ca-
strum D. *Petrus* ad *Vincula* ingressus ubi *Filippus*
Archiepiscopus electus *Ravennæ* cum non esset
tutus ad eam Civitatem accessus in corona omnium
ibi popularium, & clericorum, & laicorum mo-
nuit publice *Ravennates* tanquam præsentes, ut
ad Pontificis obedientiam reverterentur infra quin-
325 decim dies, secus se adversus illos juxta tenorem
literarum Pontificiarum processurum intermina-
tus est. Tum ergo *Ravennates*, & diras Ponti-
ficias metuentes, & bellum, cui se impares sen-
tiebant, ad Pontificiam ditionem redierunt ea
ratione, & modo quem proxime exposuimus.
Interim *Cæsenates* Ecclesiæ subierant, absque se-
ditione ulla licet aliqui Cives, ut *Ghibellinæ* fa-
Penes Rubeum sub anno 1251. ctionis expulsi non finerent ab omni suspectione
liberam, & vacuam degere literæ *Innocentii Pe-
rusio* emissæ eodem anno 4. Id Decembris indi-
cant aliquos fuisse *Cæsenates Friderici* factionis,
hoc est *Ghibellinæ* exules scribit Pontifex ad *Fi-
lippum* eundem *Fontanam Ravennæ* Archiepisco-
pum, & Pontificium Legatum, inter cætera
hæc habet. *Quocirca discretionem tuam rogamus,
monemus, & hortamur attente per Apostolica tibi
scripta mandantes, quatenus venerabilem fratrem
nostrum . . . . Episcopum Feretranum, & dilectos*

A *filios nobiles viros M. & C. fratres ejus, nec non
communia, & universitates Urbini, & Montis Fe-
retri. Homicideos, Bannitos Ariminenses, Cæse-
nates, Faventinos, Britonorienses, exteriores, &
Ravennates interiores, & homines Castricarii de
Romaniola, qui dicuntur quondam F. dudum Im-
peratoris, & C. ejus filii manifesti fautores, ut ad
mandatum Ecclesiæ redeant ex parte nostra moneas
attentius, & inducas, quod si monitis tuis acquie-
scere contempserint, eos excommunicationis mucrone
perculsos facias, tamdiu excommunicatos publice per
loca, in quibus expedire videris pulsatis campanis, &
candelis accensis singulis diebus festivis, & Domini-
B *cis nunciari, donec ipsi ad Ecclesiæ mandatum re-
dierint.* Ex quibus patet *Urbinum* tum, & *Mon-
tis Feretri* universitatem Imperiali factioni adhæ-
sisse, sicut & *Ravennam*, & *Faventiam*, *Brito-
norium*, *Cæsenam*, *Ariminum*, Ecclesiæ paruisse,
at earum exules studiosos Imperii & *Ghibellinæ*
partis. Attamen id fuit Civitatis nostræ tempe- Carrarius.
ramentum, ut nihil in Civitate turbatum per ea
tempora usque ad annum 1259. fuerit, at contra Anno 1253.
Forolivii anno 1252. maximus tumultus extitit
publiceque inter partes alteram Ecclesiæ, alte-
ram populi armis certatum. Parsque Ecclesiæ
fautrix victa, & depulsa, occisi fuere *Zambra-* 326
C *sius* de *Monte Albano*, & *Petrus Clarsius* Civis
Foroliviensis cum decem, ac septem amicis. Pars Carrarius. Anno 1252.
ergo contraria Ecclesiæ, quæ erat scilicet *Ghi-
bellina*, & Imperialis, Populi dicebatur tantum
nempe erat Imperatori addicta Civitas, & *Ghi-
bellinæ* sectæ cujus etiam sequentibus temporibus
sedes fuit sub *Guidone Montefeltri* Comite, &
deinde sub *Ordelafis*. Sed de his postea. Inte-
rim audita morte *Friderici Conradus* ejus filius Rex
Romanorum antea creatus in *Italiam* venit, & bre-
vi quicquid pater amiserat, recuperavit, iniquio-
remque patre se in Ecclesiam præbuit, at brevis
vita (supervixit solum tres annos, & semis) ut
D minus nocuerit, fecit. Interim in *Flaminia Phi-
lippus* Archiepiscopus toties memoratus *Ravennæ*
omnem operam ponebat in conciliandis homini-
bus, & Civitatibus Provinciæ unde *Ariminenses*
ex altera parte; *Montiferetrani* cum exulibus *A-
riminensibus*, ex altera procuratores cum amplis
mandatis creavere compromittendi in ipso *Philip-
po* Archiepiscopo omnes lites, differentias, ini-
micitias, injurias, injuriarumque satisfactiones
ad conciliationem, plenamque ac stabilem pacem
conficiendam. Pariter inter *Forolivienses* ex una,
& exules ex altera procuratores eodem modo con-
stituere, cum facultate compromittendi in eodem
E Archiepiscopo. Curavit conventionem, inter
Bononienses, & *Ravennates* faciendam, in qua
cum *Ravennates* concederent dimidium vectiga-
lium suorum ex sale, ex portubus, & ex catena
Bononiensibus, hi contra pollicebantur se *Ravennæ*
pacem conservaturos; *Cerviam* recuperaturos ab
illis, qui tum occupabant (erant autem *Veneti*)
antequam Octobris mensis elabatur demumque
agrum *Ravennatem*, & *Argentæ*, ac *Argentam* eo
in statu servaturos, in quo tempore *Salinguerræ
Ferrariæ* Tyranni reperiebantur; ut hoc modo sub
Bononiensium protectione se *Ravennates* constitue-
rent. Hæc anno 1253. quo etiam *Bononienses* Rubeus, & Carrarius. 1253.
F *Cerviam* depulsis *Venetis* receperunt, atque *Ra-
vennati* Archiepiscopo restituerunt jura tamen, &
exactionem vectigalium sibi concessorum retinen-
do. Hæc veriora sunt de *Cerviæ* à *Bononiensibus*
occupatione quam quod *Ghirardatius* scribit ideo 327
à *Bononiensibus* captam, quod superbe salem de-
negaverint. Erat certe prius de *Venetorum* ma-
nibus eripienda, quam ipsi exacto cum *Ravenna-
tibus* fœdere salem acciperent. Cum *Philippus*
tot ad conciliandos *Flaminios* fecerit non tamen
quiescebant

quiescebant animi factionum veneno infecti, ideo & *Ravennates* se *Bononiensium* tutelæ commendavere, & non multo post *Faventini* diffisi politicæ suæ administrationi continendi in pace divisos Cives idem fecere eorum literas refert *Ghirardatius* hujus tenoris.

Guillelmus Gosus Prætor, Rainerius Lazarus Præfectus Populi Faventini, Antiani, Consules, Consilium, & Commune ejusdem Civitatis Prætori Bononiensi Præfecto, Pop. Antianis Coss. Consilio, & Communi salutem.

sub Anno 1256. *Confisi potentiæ, & sapientiæ vestræ, quos dominorum instar existimamus ad vos confugimus parte Civitatis hujus partem insequente, & gliscente quotidie seditione vos tanquam Patres, ac Dominos suppetias flagitamus ferre huic jam vobis deditæ Civitati id pro certo habentes fore nos semper mandatis vestris obnoxios, qui nos in vestra ditione reponimus, atque jurisdictioni subjicimus. Ruet hæc Civitas nisi eam auxilio vestro cito fulciatis.* Hic literarum fuit tenor, at vero cum distulerint *Bononienses* opem ferre *Manfredi* ex Civitate *Faventiæ Acharisios* ejecerunt, at excitati ex eo insultu *Bononienses* illuc miserunt *Bonacursium Sorefinum Mediolanensem* in quem cum partes compromiserint ipse quos expellendos ex ea Urbe pro bono publico, & *Faventinorum* quiete judicavit, expulit, cæteros retinuit, aut reduxit. Prætoremque *Conradum Sorefinum* imposuit, qui *Bononiam* profectus die 25. Maji super carrocio solemne hoc juramentum præstitit ad honorem Dei, & Sanctæ Ec-
Anno 1256. clesiæ communisque ac populi *Bononiensis*. Ego *Corradus Sorefinus* Prætor *Faventiæ* juro me gu-
Ghirard. bernaturum eam Civitatem hinc usque ad Kal. Martii proxime futuras fideliter ad honorem, utilitatemque Communis *Bononiæ*, & *Faventiæ*, atque ad arbitrium Prætoris, & Præfecti *Bononiensis*, meque eorum ordinationes observaturum. Civitates pariter *Foropompilii*, & *Forolivii*
328 *Bononiensi* Imperio se subjecere inter cætera Prætores ab iisdem accepturi. Unde *Boncontes* anno
ut Ghirard. eodem anno 1256. lib. VI. 1256. ad tantæ rei memoriam, atque prorogati Imperii attestationem decreverunt conventiones ejusmodi *Imolensium*, *Faventinorum*, *Foroliviensium*, *Foropompiliensium* quotannis describi à
Ghirar. lib. VII. sub Anno 1263. Cancellariis, & in legum tabulis reponi anno postea 1263. *Britonorienses* iisdem se conditionibus *Bononiensibus* obstrinxere. Idque ea præsertim ratione ut *Mainardorum*, & *Bulgarorum* partes in pace continerentur ut se facturos *Bononienses* pacti sunt, ea itaque fuit rerum publicarum *Romaniæ* infirmitas, ac earum politiæ imbecillitas ut ad cohibendas seditiones alieno imperio eguerint, ac libertate ultro se exuerint, ut in hoc Civitas nostra laudanda sit quæ suis freta legibus, ac politiæ etiam si in factiones divisa, tamen non est publicos passa tumultus, vel non succubuit, nam anno 1259. seditionem partium suis ipsa viribus cohibuit. Seditio vero ita se habuit, erat Prætor Civitatis *Guido Polentanus* factionis scilicet pro *Flaminiæ* ratione *Ghibellinæ*; at etiam si Respublica tum nostra Ecclesiastica esset tamen forte Populus majori ex parte integer, & à factionibus immunis cum in Comitiis prævaleret, potius probitatem, quam factionem spectabat in eligendo. Pars tamen *Ghibellina* cujus primores *Righitii* erant fisi communioni factionis Prætoris sustulerunt animos, & ad contrariam partem expellendam insurrexere, erant vero adversarii, tum *Righitiis Irrighii* ex latinis nostris Annalibus, *Joannes* ergo *Righitius* cum sequacibus suis in Castro Civitatis, ubi scilicet Castrum condiderat *Fridericus Secundus* cum pugnam adversus contrariam Factionem cæpisset, & totam Civitatem ultra Pontem, omnesque ejus vias victor percurrisset nemine ob-

A sistente solum ad domum *Ubertini Articlini* adversarii occurrerunt ubi etiam si *Petrus Ugoli Articlini* filius ceciderit, tamen acriter reliquis *Guelfis* repugnantibus cum viderent etiam vexillum Populi adversus ferri, & Prætorem infensum adventare se fugæ dederunt. Alii vero in fuga capti: alii in *Laurentiorum* domo in quam confugerant combusti, alii *Theodoranum Cæsenatum* Castrum contento cursu petierunt, alii in agrum *Feretranum*, alii in alias Civitates dispersi. Castrum 329
Theodorani statim à Populo *Cæsenate* obsessum, & intra quartum diem captum una cum seditiosis fuit, quorum elapso vix die decimo *Martinus U-*
B *gonis*, & *Fulcerius*, qui cum *Righitiis* erant capite privati sunt, aliique multi damnati. Hæc ex Chronico nostro, quod non bene *Carrarius*, pejus *Rubeus* intellexere.

Hoc eodem anno *Theodoricus Callesidius Cæsenas* fuit *Mediolani* Prætor sex mensibus. Hoc eodem anno *Ezelinus* sævus si unquam Tyrannus prælio victus à Marchione *Estensi Uberto Palavicino* dicto anno die 27. Septembris captus *Soncini* ex vulnere pedis an ex animi dolore? obiit. Captus fuerat antea ab *Ezelino Philippus Ravennæ* Archiepiscopus, qui collatis signis cum eo conflixerat anno 1258. insignemque cladem Carrarius.
C acceperat, tum tandem in libertatem restitutus est: de modo vacillant Scriptores. Hæc acciderunt tempore *Alexandri Quarti*, qui successerat *Innocentio Quarto*. Interim in Imperio schisma erat post mortem *Gullielmi Hollandiæ* Regis, ac Imperatoris adversus *Federicum*, qui mortuus est anno 1255. Electores inter se discordes post longum interregnum, hi *Alphonsum Castulonensium* Regem, hi *Ricardum* Regem *Angliæ* elegerunt. At in *Italia Manfredus* illegitimus *Friderici* filius mortuo *Conrado* legitimo fratre *Neapolitanum*, & *Siculum* sibi Regnum vindicaverat, eratque acerrimus *Ghibellinæ* factionis ubique defensor, adeo
D ut *Florentini* exules una cum *Senensibus* copiis *Manfredi* adjuti ingentem ad *Arbiam* stragem *Florentinis* intulerunt ob quam *Ghibellini Guelfis* exclusis *Florentiam* recuperavere, atque usque ad victoriam *Caroli* fratris Regis *Galliæ*, & mortem *Manfredi* retinuere; sed ad elapsa tempora redeamus. Anno 1260. in *Italia* maxima sæviit pestis, & annonæ caritas alimentorumve inopia, ut mortem multi præoptassent, & quoniam crux Crucifixo jungit admoniti populi in peccatorum ultionem flagella à Deo immissa, ad salutarem pœnitentiam palam conversi sunt. Dicuntur primi *Perusini* specimen publicæ pœnitentiæ, & devo-
E tionis exhibuisse bini in longo agmine cum mares 330
tum fæminæ incedentes denudata terga nodosis funibus continuo verberabant sanguine, & lachrimis vias irrigando, divinam jugiter misericordiam implorando, ac veniam perpetratorum delictorum deprecando, nec intra Civitatem se se continuit agmen sed in proxima loca effusum ad eandem pœnitentiam elicuere Oppidanos, & quo longius, procedebant instar fluminum augebatur pius exercitus, qui ex *Tuscia* in Marchiam ex Marchiaque in *Romaniam* transgressus summa ab omnibus devotione, & charitate excipiebatur novisque copiis augebatur. Odia inveterata depone-
F bantur efferati antea hostes se mutuo complectebantur. Annus is proinde generalis devotionis vocatus est. Annis autem mox sequentibus maximum incrementum suscepit *Manfredi* in *Apulo*, & *Siculo* Regno potestas, & in *Etruria* Civitatibus auctoritas. Tum enim ad *Arbiam* victi *Guelfi Florentini* à *Senensibus*, & exulibus *Florentiæ Ghibellinis* auctis *Germano Manfredi* milite nedum *Florentia* discessere, sed ab *Etruria*; & *Guelfa* factio valde ubique imminuta fuit. *Ghibellina* contra etiam

etiam ubi ex patriis extorres erant aucti animis sunt. *Bononiæ* ergo seditio partium increbuit *Hieremæi Guelfæ* primores. *Ghibellinæ Lambertatii:* libratæ tamen quiescebant, adeoque degebat nulla seditione agitata Respublica, verum *Florentini Guelfi* ab adversariis ob *Manfredi* potentiam ejecti, & extorres *Bononiam Guelfæ* factionis Civitatem se recepere, inde plus confidentiæ *Guelfis* plus suspicionis natum est *Ghibellinis* quæ tacita odiorum incrementa non multis post annis in seditionem, & civile bellum erupere, quod universam *Flaminiam* pertigit, ut annis sequentibus narrabimus, interim satis sit hæc subnotasse semina; interim non palam turbatum in Provincia licet in *Apulo*, & *Siculo* Regno fuerit *Manfredi*, & filiorum mors, & eversio à *Carolo* Regis *Ludovici*, postea inter Sanctos relati fratre. Hic enim à Pontifice evocatus ad Regnum *Apulum*, & *Siculum* damnato, ut rebelle, & excommunicato *Manfredo* magno cum exercitu venit, atque *Manfredum* collatis signis ad *Beneventum* vicit, debel-
331 lavit, & occidit anno 1265. die ultima Februarii. Ex qua victoria, *Ghibellina* pars in *Etruria*, & trans *Apenninum* prope cecidit. Solæ enim *Pisæ*, & *Senæ* in Cæsarum parte perstitere. Ex reliquis Civitatibus vice versa *Ghibellini* exulatum abiere, qui tamen inter se fœderati perturbabant adversarias Civitates: sollicitabant etiam suæ factionis Principes, qui Civitatibus, & Patriis ipsos restituerent, earumque sibi ditionem vindicarent. Tum autem *Conradinum* adolescentem adhuc Filium *Conradi*, ac *Friderici* Nepotem ad recuperandum avitum Regnum *Apuliæ*, & *Siciliæ* cum valido exercitu missis iterum, atque iterum Legatis eduxerunt, sed exitu infelici nam à *Carolo* victus, & captus fuit, atque carnificis manu amputata cervice occidit; quod factum, & homines improbarunt, & Deus brevi *Siciliæ* rebellione, filii captivitate ultus est. Et feritatem facti tum verborum acerbitate, tum exempli humanitate *Constantia* Regina exprobravit, quæ *Carolo* filio ejus captivo benigne pepercit, immo adversus *Siculorum* sententiam jam perscriptam prudenter à morte subtraxit. *Flaminia* tamen, & *Cæsena* præsertim nulla intus publica seditione agitabatur, neque externo bello laborabat usque ad annum 1272. quo anno *Forolivienses* aucti animis, & viribus Castrum *Cæolæ* Episcopatus *Sasinensis* locum. Sunt exercitu coacto adorti imperium siquidem dilatare sibi despondebant proximis etiam annis se ab obligatione Prætores *Bononienses* singulis annis accipiendi, & non aliunde soli ex subjectis *Bononiæ* Civitatibus subtraxerant. *Cæsenates* ergo propinquæ Civitatis ambitionem suspectam habere, & certe cum tria flumina ab usque *Apennino* exorientia tres valles findant Castris pluribus immo, & Oppidis refertas, duæ ex illis propiores *Forolivio* sunt: alteram *Vitis*, alteram *Bedesius* rigat. At quam perfluit *Sapis* magno ab illis intervallo separatur, estque is *Cæsenæ* fluvius. Ad eundem fluvium propior jugo insidet *Sassina* à qua prope *Cæola* abest, cum ergo innotuit *Foroliviensium* deliberatio *Cæsenatibus* re diligenter considerata resistendum conatui decreverunt, cumque intelligerent magnum esse *Foroliviensium*
332 apparatum *Ariminensibus*, quibus cum tum amicitia intercedebat rem indicavere, & omnium interesse facile suaserunt ne ulla æqualium Civitatum multum cresceret. Prompte ergo magnas copias misere, quæ cum *Cæsenatibus* junctæ non contemnendum exercitum confecere. Perexerunt ad obsidionem *Ceolæ* solvendam. Quorum adventu intellecto *Forolivienses* inde recessere inque *Cæsenates* inciderunt, vel sponte, vel quod eos à quibus quærebant declinare non potuerunt.

Clementinus eadem dicit sub Anno 70.

Tum multitudine hostium territi *Forolivienses* abjecto pugnandi consilio in *Montem Brollium* vocatum conscendere ibique se munierunt, interim dimiserunt, qui suppetias peterent à suis immo à *Bononiensibus*; erat autem Ductor *Foroliviensis* exercitus *Bonifatius Lambertatius Bononiensis*. *Cæsenates* eos pugnam detrectantes circumvallaverunt, ut omni commeatu interdicto annona omnis defecerit, & ad tantam angustiam devenerunt, ut glandibus alerentur. At *Bononienses* exciti expedito exercitu accurrerunt auctoritateque sua conciliarunt obsessos, & obsidentes ut illæsi discesserint *Forolivienses*, ac *Cæsenates*, quasi triumphantes redierunt. *Cæolam* enim liberaverant, & hostis ex eorum manibus precario dimissus fuerat. Chronicon nostrum placet adducere. Sunt autem verba, & Rubrica.

De obsidione Foroliviensium in Monte Brollo.

Plurimorum antiquorum habetur memoria, quod sub 1272. *vel* 73. *de mense Octobris, vel Novembris Forolivienses equitarunt ad Castrum Ceolæ, quod dicitur Episcopi Sarsinensis volentes semper tanquam suum territorium subjugare. Cæsenates etiam hoc in sui territorii præjudicium reputantes exercitu publice proclamato cœperunt insurgere contra eos cum adjutorio Ariminensium, & aliorum plurimorum amicorum, quod idem dicti Forolivienses timentes recesserunt de . . . Cæsenatibus obviam venientes sicque obviaverunt semper invicem in loco, qui dicitur Monte Brollo, tunc Cæsenates tanquam magis potentes Forolivienses restrinxerunt in ipso Monte Brollo, & eos concircundarunt adeo quod nulla sinebant eis victualia deferri immo penuria famis plures ex eis oportuit comedere glandes: eis autem per triduum* 333
sic stantibus venerunt Bononienses, sub quorum dominio Civitas prædictorum regebatur utraque pacem posuerunt inter illos sicque dicti Forolivienses abierunt illæsi, & Cæsenates redierunt cum gloria, & honore. Suscepit narrationem, eique attestatur *Carrarius Ravennas* in commentariis suis sub anno 1272. Hoc eodem anno *Germani* Principes in Cæsarem elegerunt *Rodulphum Habspurgensem* Comitem, qui primus Imperatoriam majestatem in præsentem *Austriacam* Familiam intulit, in qua tribus jam sæculis conservatur. Hic Imperator *Flaminiam*, & *Æmiliam* à prioribus Imperatoribus vario eventu subtractam Ecclesiasticæ ditioni universam restituit. Non tamen ob hoc Imperatoris præsidio spoliata *Ghibellina* in hac Provincia factio despondit animos, sed quo depressior eo intentiore inter se fœdere colligata, unde vires sumeret providebat. Erat *Guido* Montis *Feretri* Comes idem, & dux *Calliensis*, qui tunc temporis peritia militari cæteris omnibus Ducibus præstabat, erat is *Ghibellinæ* partis assertor acerrimus, eumque Populi subjecti in eadem devotione sectabantur. Ad ipsum ergo respectare cœperunt extorres à patriis *Ghibellini* hujus Provinciæ, eumque in Ducem benevolentem elegerunt. *Guido*, qui leoninæ pelli vulpinam optime assueverat clandestinis officiis per suos sollicitavit etiam ejusdem sectæ studiosos, qui in Civitatibus permanserant non enim omnes contrariæ factionis à Civitate ejiciebantur, sed priores, & suspectiores. Excitatis hoc modo animis factiones *Bononienses* portam ad universæ Provinciæ perturbationem aperuerunt. Turgebant inter *Hieremæos Guelfos*, & *Lambertatios Ghibellinos* ut jam diximus odia. Horum *Lambertatii*, qui minus *Bononiæ* pollebant *Romaniæ* privatas clientelas pluribus officiis quærebant *Forolivii* præsertim multos, *Ordelafos*, ac *Arguliosos* aliosque sibi conciliavere, ut est vero inimicitia perspicax facile prensationes ejusmodi penetravere *Hieremæi* unde irati *Foroliviensibus* in eos Rempub. in qua prævalebant

Ut in annos.

bant concitare contenderunt, & obtinuere: nam multas graves conditiones imperavere *Bononienses*
334 sub interminatione armorum. At *Foroliviensis* Respublica publice indignata cum etiam specie communis dignitatis Civium animos, sed occultis ipsi rationibus *Ghibellini* irritarent, imperium *Bononiensium* ejuravit, & *Bononiensibus* arma moventibus in Ducem *Guidonem* astu partis propositum, ut peritissimum, & fortissimum Ducem elegit. Arrepta itaque opportunissima, & optata diu occasione *Guido* cum valida manu ad defendendam Civitatem accessit, & repulit à mœnibus hostem, qui cum agrum diripuerit spe obtinendi Civitatem amissa discessit: at ad majora *Feretranus* aspirans factiosos *Faventinos*, & Provinciæ magnates partium suarum studiosos clandestinis internunciis excitavit: interea cum seditio jam *Bononiæ* in *Hieremæos*, & *Lambertatios* erumperet *Forolivienses* sub Comite *Monteferetrano* copias ad opem ferendam *Lambertatiis Bononiam* versus sive vere, sive astu misere. At *Manfredi*, qui tum *Faventiæ* pollebant transitum præclusere. Tum substitit Dux, & specie ibi per noctem morandi absque ulla hostilitate quiescens, clam noctu ut convenisse antea verisimile est ab *Acharisiis* per oppositam portam introductus Civitatem occupavit ultro discedentibus ab illa *Manfredis* cum universis clientibus, ac sectatoribus. Tum *Maghinardus*, & cæteri *Ghibellini* magnates convenere, eaque fuit communis deliberatio. Tantam, & tam patentem occasionem factionis restituendæ non esse deserendam, sed totis viribus omni conatu promovendam. A *Bononia* imminere periculum, vel enitendum, ut *Lambertatii* in ea primas depressis *Hieremæis* obtineant, vel totis copiis collatisque cum ea signis certandum, si pro se suaque parte victoria stet tum *Guelfos* Provinciæ omnes in *Ghibellinorum* arbitrio futuros. *Hieremæi* contra incremento magno *Ghibellinorum* territi statuerunt nullo pacto intra eadem mænia *Lambertatios* retinendos esse, quamobrem tum publicis decretis, tum privatis insultibus, ac insidiis coegerunt eos ex Urbe cum suis aufugere.
Joan. Villanius lib. VII. cap. 45. Qui à *Faventinis* recepti in possessionem ædium, & bonorum ejectæ *Manfredorum* factionis immissi sunt. Anno hæc 1274. expulsio accidit die se-
335 cunda Junii. Septembri ergo sequente irati *Bononienses*, seu *Hieremæi*, quod adversarii fuerunt
Joan. Villan. à *Faventinis* recepti, magno exercitu eam Civitatem invasere, at cum egregie defensam experti essent contenti direptione agri retro abierunt. Verum enim vero Comes *Guido*, & *Flaminii* addicti in contrahendis undique auxiliis per annum commorati exercitum magnum nec *Bononiensi* imparem ordinaverunt. In quo præter *Feretranos* Comitis *Guidonis* asseclas, militia erat *Foroliviensis*, & *Faventina* prætereaque exules *Ghibellini Ravennates*, *Ariminenses*, & *Cæsenates* omnes exules; *Florentini* eandem ob factionis causam, quorum Dux erat *Guillelmus Paccius*. Accesserant cum valida manu Comites *Guidii Mutilianæ* Domini. *Bandinus*, *Tancredus*, *Rogerius* atque *Tigrinus* filii Comitis *Guidonis*, & præ aliis omnibus exasperati *Lambertatii*. *Faventinæ* militiæ Dux erat *Maghinardus* è *Susinana*, & Civitatis Prætor cum ergo *Bononienses* anno rursus 1265. adversus *Faventiam* magno cum exercitu moverentur. Comes *Feretranus* dux totius *Ghibellinorum* exercitus hostibus ad pontem Proculum occurrit: Dux *Bononiensium* erat *Malatesta Ariminensis* ex quorum exercitu militia *Imolensis* erat, & exules *Faventini*, sed etiam ex *Lombardis* amicis auxilia accesserant. Propinquæ ergo acies demum in prælium collatis signis devenere. Accendebat *Bononienses* quod contra subjectos, tumque rebel-

A les pugnaturi essent. Juramenta publica in *Carrocio* præstita subjectionis suggerebantur, tum collata beneficia *Faventinis* à seditionum excidio liberatis. Pariter & *Foroliviensibus*, at adversus hos recens erat memoria cum de *Cæsenatum* manibus eduxerunt. Adversus juramentorum fractores, adversus rebelles vindex scelerum numen vires subministraturum. Revocabant præterea in memoriam majorum suorum adversus eosdem populos juges victorias contra *Feretranus* nunc *Flaminiis* obortam libertatis, quam fortis quisque adeo appetit lucem, modo non sibi ipsis desint. Non esse autem cur de victoria diffidant quic-
B quid præclari *Bononienses* adversus *Mutinenses*, & *Longobardos*, quicquid adversus *Venetos* memoran- 336
dum gesserunt, id nonnisi fultos *Romaniæ* copiis, & virtute fecisse, quanto plus divitiarum, & luxus haberent *Bononienses* tanto *Flaminiis* robore cedere, & fortitudine. Hæc seorsum *Romaniolis*, at universo deinde exercitui proponebat factionis *Ghibellinæ* Sacramentum. Hic vero de ejus salute agi: nam si vincantur nullum amplius locum tutum illis restare. At dum vincant proponebat securitatem vitæ, rerum suarum recuperationem extorribus, & ultionis dulcedinem in eos à quibus tot damnis tot injuriis erant provo-
C cati, neque vero timendos nunc *Bononienses*, qui inter se divisi non universi, sed pars tantum adversus tam validum exercitum erant pugnaturi. Respicerent quanta pars cum *Lambertatiis* secum arma jungerent, quæ pars etiam si minor erat multitudine, quam adversarii; justitia tamen vincebat injustissimos homines à quibus contra fas omne, & jus erant de laribus, de bonis de patrio solo ejecti. Ita animati hinc inde exercitus con- Ricord. Malesp. Joan. Vill.
currerunt. Sed equitatus *Bononiensis* primo aspectu territus aufugit, sunt qui id timiditati tribuant, sunt qui odio nobilium adversus populares suos à quibus male tractabantur, id assignent, forte erant
D inter equites aliqui clam *Lambertatiorum*, & *Ghibellinæ* factionis studiosi, qui dedita opera ut suos deterrerent, fugam arripuerunt. Peditatus tamen una cum *Carrocio* perstitit fortiter pugnans, neque impetui, ac impressioni *Flaminiorum* cedebat, quod cum animadverteret prudens Imperator, ut minore suorum clade hostes vinceret ballistas majores accersivit, quarum multiplici jactu occisi, & prostrati, *Bononienses* tandem cesserunt multisque occisis, multis captis, aliis in fugam actis plenam *Flaminiorum* exercitui victoriam reliquere. Inter *Bononiensium* spolia, quibus *Flaminii* ditati sunt maximum *Romaniæ* imperium, à
E quo victi deciderunt. Fuit hæc clades die tertia Junii eodem anno 1275. Dicuntur *Bononienses* ad tria millia occisi, præter demersos ex fuga in flumine *Senio*. Capti vero mille, & quingenti, reliqui *Bononiam* aufugerunt; cujus munitioni intendit Senatus ob cladis magnitudinem Civitati timens, & libertati. Victores autem in agrum *Bononiensem* incurrere omnia vastando. In redituque 337
Castrum *D. Petri* incenderunt. Mense eodem Comes *Guido* cum *Foroliviensibus*, ac *Faventinis*, & *Lambertatiis Cerviam* adivit, eamque sequente die cepit, & biduo post arcem in eadem Civitate Imperatoris dictam occupavit redditam a defen-
F soribus, una cum balistis, & machinis, cumque omni alio commeatu, concessa tantum reddentibus eam militibus incolumitate personarum una cum rebus, quas ipsimet gestando asportare possent. Restabant *Guelfæ* adhuc factionis in Provincia *Ariminum*, *Cæsena*que, & *Ravenna*, at primum *Cæsena* occurrebat ad quam *Malatesta* post cladem *Bononiensem* timens ditioni suæ *Ariminensi* se contulerat, ibique ceu in propugnaculo rerum suarum consederat opportune à *Cæsenatibus*, qui

imminentem jam procellam providebant in Du-
cem electus. Cum ergo *Feretranus* Comes, Dux
id desideraret, & *Cæsenates* exules instigarent,
die primo Septembris movit exercitum verum
non est aggressus Civitatem ipsam, nam oppu-
gnationem diuturnam futuram cognoscebat, nec
satis sperabat expugnationem. Urbs cum situ,
& opere munita, & gens bellicosa, nec deerant
auxilia, tum *Ariminensium*, tum *Ravennatum*,
qui adhuc in eadem factione perseverabant. Mi-
litari itaque astu excogitavit allicere ad campe-
strem pugnam, & seorsum à Civitate Populum
impetui animorum se facile permittentem. *Ri-
versanum* ergo Castrum non integris tribus millia-
riis à Civitate remotum aggressus est illudque bre-
vi expugnavit nondum tamen capta Arce. Captio-
Carrarius. ne *Cæsenæ* audita populus omnis duce *Malatesta*
adversus hostes contendit. Lætus eos excepit
dux *Feretranus* acie scil. sua mirum in modum pro
summa militiæ peritia ordinata. *Cæsenates* tamen
magna virtute prælium aggressi pugnaverunt,
diuque victoria anceps permansit, sed dum maxi-
me pugna ferveret supervenit *Guilielmus Paccius*
Dux *Florentinorum* exulum, atque tum *Lamber-
tatiorum*, qui una advenere cum *Faventina* mili-
tia. In tanta tamen disparitate non despondere
animos *Cæsenates*, diuque adhuc hostem susti-
nuere, at cum undique pressi non amplius subsi-
stere possent in fugam acti pars in *Reversani* ar-
338 cem concessere, pars *Cæsenam* reversi Civitatem
dolore, & timore replerunt. In *Reversani* ar-
cem confugere *Galeottus Lambertinus Cæsenæ*
Prætor, *Rodulfus Calesidius*, & alii multi. Dux
victor vallo arcem cinxit, machinasque tum soli-
tas parari jussit, at neque munitio loci par erat
sustinendæ diuturnæ obsidioni, neque erat anno-
næ copia, quin paucis illis diebus, quibus inclu-
si permanserunt, fame sunt & siti vexati, qui eo
refugerunt *Cæsenates*. Cum præterea *Feretranus*
specie restituendi exules pugnaret, vel se pugna-
re jactaret, feri cæpere conventionis colloquia.
Non poterant, qui *Reversani* includebantur de
tota Civitate, ac Republica *Cæsenate* pacisci,
sed de seipsis fuit autem summa. Redderent ar-
cem, omnes defensores liberi dimitterentur, soli
25. retinerentur, qui captivi *Forolivium* duceren-
tur, at securi vitæ. Pretium autem redemptio-
nis in arbitrio Comitis *Feretrani* esset. Captivi
retenti fuerunt inter cæteros *Lambertinus* Prætor,
Rodulfinus Calesidius cum filio, ac genero, &
Guido e Tumba, & reliqui omnes ad eum usque
numerum potiores *Guelfæ* factionis nobiles, po-
pularesve, at reliqui omnes numero usque mille
libere dimissi, domum reverterunt, victoris exer-
citus, & Ducis humanitate deliniti nec non, &
officiis *Ghibellinorum* exulum facile etiam popu-
lum pejora timentem ad se committendum fidei
Comitis *Feretrani* inclinavere. Qua propensione
perspecta reliqui *Guelfi* magis saltem conspicui
factionis professores ultro cum *Malatesta* ab Urbe
discesserunt in exiliumque abiere: tum Civitas
coactis Comitiis exulibus *Ghibellinis* publico de-
creto patriam, & bona restituit, id scilicet pro-
curantibus exulum amicis, & ut verisimile est
Comitis *Guidonis* internunciis, suadentibus pari-
ter ut ejusdem Comitis se se instar *Forolivii*, &
Faventiæ Ducatui traderent, quod, *Ghibellina*
factione suadente contraria, cujus primores alii
capti, alii sponte exules erant, non refragante
consilia facile decreverunt, atque ita se Comiti
dedere, libertatem, credo, pacti Civium, qui
Forolivii captivi ducti fuerant, ea tamen condi-
tione ne novus interim status Civitatis perturba-
retur, ut exulatum abirent. Chronicum no-
strum brevibus rem totam absolvit. *Anno* (inquit)

A 1275. *die prima Septembris Cæsenates inclusi fue-* 339
*runt à Forolivienslbus in Rocca Roversani, tandem
fame, & siti attriti reddiderunt se dictis Forolivien-
sibus, & sic Civitas Cæsenæ ad dominium Comitis
Guidonis de Monte Feretro.* Latius *Carrarius*,
quem nos sequuti verum non in eo sequimur, quod
Civitas *Forolivio* se subjecerit, sed Comiti *Guido-
ni*, ut Chronicum dicit, & sequentia declarant.
Cum enim à Pontificiis copiis restituta narratur
non de *Foroliviensibus*, sed de Comitis *Guidonis*
manu detracta dicitur, ut postea intelligemus. In
signum quidem pacis, & fœderis eo primo anno
Prætores duos elegerunt, *Forolivienses* ambos
B *Theodoricum Ordelafum*, & *Argoliosum*, *Argolio-
sum*. *Ghibellini*, qui fuerunt *Cæsenæ* restituti,
fuerant *Raules Mezzolinus*, & *Racovitius Poca-
terra*, & amici. Erant itaque *Ghibellinæ* partis
in *Romania Imola*, *Faventia*, *Forolivium*, *Forum-
pompilii*, *Britonorium*, *Cæsena*. Contrariæ partis
erant *Ravenna*, *Ariminum*, & exules superiorum
Civitatum. Patet ex Procuratore pacis electo
in Senatu *Ariminensi* anno 1276. cum mandato, Rubeus, & Carrarius, sub eodem anno.
& facultate spondendi *Bonifacio* Archiepiscopo
arbitro electo omnia nomine Civitatis *Ariminensis*
Malatestæ, è *Veruculo Pauli* ejus filii exulumque
Oppidi *S. Marini* Dominorum e *Plaga S. Agathæ*,
C *Cæsenæ*, *Cerviæ*, *Foropompilii*, *Faventiæ*, Castri
novi, *Britonorii* omnium denique amicorum, as-
seclarum studiosorum Reip. *Arimini*, & *Mala-
testæ*. Cum procuratoribus Civitatis *Forolivii*,
Cæsenæ, *Foripompilii*, *Cerviæ*, *Britonorii*, eo-
rumque amicorum asseclarum studiosorum, &
cum *Guidone Montis Feltrii* Comite *Joanne*que
Malatesta Ramberti filio, eorum nomine, atque
Ariminensium exulum nomine etiam Oppidano-
rum *S. Marini*, *S. Agathæ*, & *Feretrani* Comita-
tus ad hæc cum *Honesto Ravennate* ejus nomine,
atque exulum *Ravennatium* sicut ad *Bonifacium*
Archiepiscopum jus, arbitriumque omne capti-
D vorum, jacturarum, obsidum, mulctæ, homi-
cidiorum, induciarum, ac pacis deferreretur.
Idemque *Ravennæ* in Senatu frequenti factum at-
testatur. Hæc itaque erat tum scissura, atque
status Provinciæ, in qua prævalebat Comes *Gui-
do Feretranus*, ejusque factio, adeo ut anno se- 340
quente 1276. *Hieremianorum* conatum cum *Flo-
rentinis Guelfis* fœderatorum, & cum exulibus
Provinciæ *Guelfis* ad *Bagnacavallum* terruerit:
ad *Civitellam*, qui venerant suasu *Bononiensium*,
Florentinos fregerit, & in fugam conjecerit. Præ-
polluit ergo *Ghibellina* per ea tempora factio du-
ctu præsertim & summa *Guidonis* Comitis milita-
E ri virtute, ac peritia, & qui *Forolivii* residebat,
ejusque præsertim Ducem se compellabat, quod
eum prima receperit magnam illi Civitati glo- Carrarius.
riam attulit, immo & dominium, nam & *Ba-
gnacavallum* ei subjecit, & alia multa Castra. In
tanta tamen *Forolivii* prosperitate fuerunt, qui non
contenti forte comitis primatu immo ad eum ipsi
primatum adspirantes tumultum excitarunt. *Pa-
ganinus* de *Arguliosis*, & *Guillelmus* de *Ordelafis*,
ita Chronicon nostrum, & *Carrarius*, cum asse-
clis multis ex *Guelfis* Prætorium incendere, &
pro virili ad seditionem Populum excitavere, ve-
rum spe delusi aufugerunt, & tanquam rebelles
F proscripti sunt. Præcessit hic tumultus captio-
nem memoratam Civitellæ, nam in ea hi ipsi
capti, atque *Cæsenam* transmissi ubi in Turri Im-
peratoris vocata positi fuerunt; cum vero nocte
quadam fugam moliti essent deprehensi capite
multati fuerunt. Ideo tumultus hic *Foroliviensis*
captionem *Civitellæ* præcessit, in qua dicti *Gui-
lelmus Ordelafus*, & *Paganinus* de *Arguliosis* capti
fuere. Hæc autem anno 1276. accidere. Redeo
nunc ad *Cæsenatem* cladem, quam cum *Rubeus*,
Car-

Carrarius, & priores nostri Annales narrent, etiam Historicus *Ariminensis Clementinus* describit. Sunt autem viri propemodum verba latine versa. *Obsessum fuisse ab exercitu Feretrani Comitis Riversanum, in cujus auxilium accurrisse cum Cæsenatibus Malatestam consertis autem cum hoste manibus post diuturnam, & ferocem pugnam expertum Malatestam rursus esse fortunam adversam. Unde Cæsenam retulit, cum suis pedem exceptis Galeotto Lambertino Bononiensi Cæsenæ Prætore, & Rodulfino Ganalesio, seu Galigesio* (at oportebat dicere Calesidio) *qui in Reversani arcem confugerunt, verum ea brevi capta ipsi cum aliis viginti*
341 *duobus captivi sunt Forolivium in speciem Triumphi ducti, reliquis liberis omnibus relictis.* Ad Episcopos nostros hoc seculo decimo tertio, in quo nunc narratio versatur, quorum commemorationem jamdiu intercalavimus redeamus. Diximus antea post *Odonem* fuisse *Manzinum* cujus anno 1234. memoravimus, ac nunc aliud subjungo ejus tempore factum memoria dignum, pertinet enim ad Monasterii fratrum Minorum aream tradendam, ac confirmandam, ejusque cum Ecclesia ædificationem. Cujus ipse licentiam, ac facultatem in hac Civitate plenam omnimodamque fratri *Alberto Faventino* ejusdem familiæ Sacerdoti concessit. Et quoniam solum pro area ædificandæ Sacræ ædis emptum erat juris emphiteutici, & ad Episcopatum directum, ut vocant, dominium spectabat Episcopus ipse, accedente etiam Archiepiscopi consensu, omne jus suum remisit, & pensiones in futurum omnes renunciavit, pretio quinquaginta librarum *Ravennatum* contentus, & cum Canonicorum non adfuisset consensus sine quo nullius vigoris concessio erat ad Summum Pontificem cum Fratribus Conventus junctis precibus eum (erat *Alexander Quartus*) exoravit ut plenitudine Pontificiæ potestatis ejusmodi defectum non præstiti consensus suppleret, quod fecit Pontifex inhibens sub excommunicationis pæna, aliarumque censurarum omnibus quominus molestiam ullam Fratribus ea in re facesserent. Hoc totum latius in Apostolicis literis patet. Sunt vero literæ.

Episcopi Cæsenates.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Cæsenat. salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum à nobis petitur, quod justum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam occasio exigit narrationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum igitur sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis. Venerabilis Frater noster Episcopus Cæsenas de consensu dilecti filii electi Ravennatis loci Metropolitani quendam fundum ad Cæsenatensem Ecclesiam pertinentem, in quo Ecclesia, & locus in quibus devotum impendant Domini famulatum constructum esse dignoscitur, nobis vendidit pro quadam pecuniæ quantitate prout in
342 *instrumento publico super hoc confecto plenius continetur. Nos devotis supplicationibus inclinati, quod à prædicto Episcopo in hac parte provide factum est ratum, & gratum habentes ideo auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes defectum, qui in hoc extitit ex eo quod Capituli Cæsenatis ad hoc non accessit consensus, de plenitudine potestatis. Tenorem autem instrumenti prædicti præsentibus inseri fecimus, qui talis est. In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Anno Domini* 1258. *die Maji intrante indict. octava Cæsenæ in Domo Domini Episcopi, testes ad hoc rogati fuerunt Dominus Berardus Petri Gastoni, Artusius Sartus, Gualterius Bastardi, Petrus Salamones, Baldinorus Uberti, Fratres Ordinis Pœnitentiæ, & alii plures, in quorum præsentia D. Manzinus Episcopus Cæsenas pro se, suisque*
A *successoribus de voluntate, & licentia D. Archiepiscopi Ravennatis dedit, & concessit plenam licentiam, & potestatem fratri Alberto de Faventia de Ordine Minorum ædificandi, & faciendi locum Fratribus Minoribus in Civitate Cæsenæ in Contrata Trouæ, in possessione ipsius Episcopatus censuali, qui locus jam emptus erat pro Fratribus Minoribus justo pretio ab eis, qui eum possidebant sub dominio, & potestate, atque protectione Ecclesiæ Romanæ, & insuper idem D. Episcopus pro se, suisque successoribus dedit, vendidit, & tradidit de consensu, & voluntate D. Archiepiscopi nominati Michaeli Petri*
B *de Turra Procuratori Minorum de Cæsena, a Romana Ecclesia constituto emptori pro Ecclesia Romana, & pro habitatione, & receptione dictorum Minorum dominium, proprietatem dicti loci jam empti, & emendi pro necessitate dictorum Minorum juxta quantitatem eis placentem cum ingressibus, & egressibus, finibus, & accessibus usque in viam publicam, & in omnibus, quæ supra se, & infra se habet in integrum, omnique jure, & actione usu, sive requisitione sibi ex ea re competente, & omnem suum censum, seu pensionem, quam inde recipere debebat eidem dedit, & tradidit, & pactum fecit ei de non ulterius petendo ad habendum, tenendum, possiden-*
C *dendum, & quicquid Ecclesiæ Romanæ, seu dicto procuratori pro ea exinde placuerit suo nomine faciendum. Sine omni contradictione sua, & suorum suc-*
cessorum affirmans sibi possessionem ejus rei, quam 343
habebat, & ubi non habebat constituit se ejus procuratoris nomine possidere donec possessionem intraverit corporalem in quam intrandi sua auctoritate licentiam dedit ei pro pretio quinquaginta librarum Ravennatum, quod pretium confessus est integraliter recepisse, & in utilitatem dicti Episcopatus versum esse renuncians non numerati, & non traditi pretii exceptioni, & omni alii auxilio legum, & in supra præscriptam rem ab omni homine legitime defendere,
D *& autorizare in judicio, & extra per se, suosque successores, & damna, & expensas ex nunc competitura, vel competituras reficere dicto emptori recipienti, & stipulanti pro Ecclesia Romana promisit sub pœna dupli pretii nominati, qua pœna soluta, vel non, contractus retineatur firmus. Latera ipsius loci fossatum Civitatis à tribus viæ latera Urdalengi.*

Et Ego Joannes publicus Tabellio præsens interfui, & mandatu dicti D. Episcopi ut supra legitur scripsi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire, siquis autem hoc
E *attentare præsumerit indignationem Dei, & Beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli se noverit incursurum. Dat. Lat.* 3. *Id. Februarii Pontif. nostro anno tertio.*

Ex hisce constat *Manzinum* Episcopum ab anno 1234. ad 1258. saltem, sedisse, pariterque ante annum 1248. ædificationem ponunt, & qui larga manu opem tulerint numerant; fuerunt autem *Octavius Tibertus* prior, *Petrus Garulinus* Canonicus, *Franciscus Antiochinus* Præpositus, *Antonius Palaccinus* Archidiaconus, *Pocaterra* de *Montejano*, *Ugo Gattus*, *Alemannus Tibertus*, *Petrus è Monte Riversani*, *Julius e Musca*. Post
F *Manzinum Henverardus* fuit, ac sedit *Cæsenæ* Episcopus. Utrum autem alius intercesserit non constat. Anno sane 1270. fuit *Henverardus Cæsenas* Episcopus interfuit conventui *Ravennæ* habito in sacrario Eccl. D. *Vitalis* die festo ejusdem Sancti convenerunt autem (ita *Rubeus*) *Michael Cymaclensis*, *Gratia Sassinas*, *Henverardus Cæsenas*, *Rodulfus Forolivianus*, *Ravaldinus Foropompilianus*, *Sinibaldus Forocornelianus*, & *Drudo*
Ravennatis Ecclesiæ Præpositus, & *Philippi* Ar- 344

Henverardus Cæsenæ Episcopus.

chiepiscopi Vicarius, aderant etiam Archidiaconus, & Canonici *Ravennates*, in eo autem Conventu diris devoverunt omnes, qui contra *Henverardum* Episcopum *Cæsenatem*, ejusque Episcopatum armati, inermesve movissent, cum illisque consilia, aut copias conjunxissent, neque possent absolvi, nisi satisfecissent, quod si aliqua Respub. id tentasset, illi jam sacris esset interdictum. Adscribuntur huic decreto testes *Placidus* D. *Vitalis*, *Vitalis* D. *Laurentii*, *Jacobinus* D. *Mariæ* in *Monte Cæsenate* Abbates, & alii. Hæc ibi *Rubeus*, ut constet vexatum esse Episcopum, & Episcopatum *Cæsenatem*, cumque ad eam Rempublicam non confugisset facile conjicimus diffisum esse *Henverardum* ut vis illata, vel a Republica ipsa ejusve aliquo Magistratu esset, vel ab aliquo potente, gratiosove Cive cui fautura esset non repugnatura Civitas. Anno eodem vel sequente die vigesima Decembris videtur ad eundem *Henverardum* scriptas fuisse literas, quas commemorat *Rubeus* ab Ecclesia *Ravennate* scri-

A ptas (sede scilicet tum vacante) ad Episcopum *Cæsenatem*, quarum erat tenor referente *Rubeo*. *Ut memoria repeteret decretum provincialis Synodi Ravennæ habiti eo anno, quo præsenti anathemate notari eos voluerunt, qui adversus Ravennatis Ecclesiæ ejusque conventus bona agerent, aut illa occuparent, itaque cum Magistratus, ac Respublica Cæsenas, & Malatesta Ariminensis pleraque nuper occupassent Ecclesiæ Ravennatis loca petere, ut eam execrationis sententiam in eos explicaret diebus festis. Idem sacratis viris Cæsenatibus scripserunt.* Hæc

Aymericus Episcopus, Leonida.

B ille. Successit *Henverardo Aymericus*, de quo suo mox loco, & de *Leonida*, qui post *Aymericum* sedit. At ad ordinem temporum redeundo, apparet Rempublicam *Cæsenatem*, ejus saltem Magistratus Ecclesiasticis execrationibus fuisse per ea tempora irretitos, cum cladem illam magnam Civitas perpessa est, ut Deus sæpe vim imprecationum Pontificiarum, antistitumque sequentibus eventibus testetur.

FINIS NONI LIBRI.

LIBER DECIMUS.

345 Perseveravit hic Provinciæ status, in quo præpollebat Comitis *Guidonis Ferretrani*, adeoque *Ghibellinæ* factionis potestas, usque ad annum 1278. Fuit anno 1277. die vigesima quinta Novembris *Nicolaus Tertius* ex *Ursina* Familia Pontifex electus, & consecratus. Tres ejus decessores intra eundem annum 1276. obierunt, & inter postremi mortem scilicet *Joannis* 21. (duo autem fuerant *Innocentius Quintus*, & *Adrianus* itidem *Quintus*) & *Nicolai* electionem interregnum semestre intercessit. Fuit is Pontifex, habebaturque magni animi, qui inter cætera ditionem Ecclesiasticam ab Imperatoribus occupatam recuperare statuit. Opportunum existimavere ita animatum Pontificem proceres *Romaniæ* nostræ *Guelfi* ad frangendam potestatem Comitis *Feretrani*, & *Ghibellinæ* Factio-
346 nis, ac *Guelfæ* sublevandæ. Erant primores *Guelforum* in Provincia *Malatesta Ariminensis* de *Veruculo* dictus, *Guido* minor *Polentanus*, *Albericus* è *Faventia*, & *Tadeus Petra Rubula*. Hi cum suis viribus resistere Comiti *Feretrano* prorsus desperarent, eam unam esse viam decreverunt, adire Pontificem, ab eoque petere totius Provinciæ Rectorem & Comitem loco Comitis antea ab Imperatore ad regendam Provinciam missi. Urgebant deliberationem eo quod licet *Rodulphus* Imperator eam jurisdictionem Ecclesiæ renunciaverit, eam tamen factione retinebat: etenim *Ghibellini*, qui se Imperiales passim jactant, ipsi erant cum Comite Guidone totius Romaniæ arbitri, expulsa a patriis *Guelfa* factione Pontifici devota, & Ecclesiasticas partes ubique fovente, obtulereque se Comitem missum cum omnibus asseclis recepturos, armaque juncturos, & omnem opem subministraturos. Nihil poterat opportunius offerri Pontifici gnaro præsertim *Italicarum* factionum, & earum studia, ac sensus egregie cognoscenti: absque intervallo ergo misit cum justis copiis *Bertoldum* ex fratre nepotem, cui statim se aggregaverunt, cum copiis suis *Malatesta*, & fœderati, cum *Arimini* prius omni cultu susceptus fuerit. *Cæsena* quoque statim festo cum

C occursu excepit, neque enim præter primores factionis *Ghibellinæ* sponte *Feretrano* suberant, & restitutio *Guelforum*, quæ proponebatur absque exclusione *Ghibellinorum* integrabat Civitatem. Arx illi, ut prius *Arimini* tradita. *Cæsenæ* diu ab ægritudine detentus jacuit. Quocirca ne cursus recipiendæ Provinciæ retardaretur *Gentilem* filium *Roma* accersivit, qui licet magna Civium *Romanorum*, & militum manu stipatus multa cum difficultate admissus *Forolivium* fuit, & difficilius adhuc de Prætura, & Præfectura removit Comitem *Guidonem*, & novum suffecit. At *Faventiæ* magno cum obsequio, & plausu acceptus sub quadrata umbella aurea est, Urbisque & Arcis claves cum vestigalium possessione datæ.
D Pari successu *Imola*, & deinde *Bononia* se Ecclesiæ dedidere. *Bononia* tamen repugnantibus *Hieremæis*, qui Civitati dominabantur, nonnisi post aliquot dies. Nolebant *Hieremæi* concedere *Lambertatiorum* reditum nec permittebant *Gentili* Prætoris, & Præfecti electionem. Cessere tandem *Hieremæi*, & Civitas imperium Ecclesiæ 347
recepit, tum *Gentilis*, & Cardinalis *Latinus* Legatus Pontificius Comiti *Bertoldo* additus, adeoque tum filio, *Lambertatios*, qui *Bononiæ* erant alii capti, alii obsides, deinde *Hieremæos*, qui *Faventiæ* custodiebantur omnes *Cæsenam* adduxit ad *Bertoldum* patrem, qui ex diuturna ægritudine jam convaluerat. Hic lætus filii adventu, & felici eventu concilium universæ Provinciæ *Cæse-*
E *nam* indixit, quo *Ravennatum*, & reliquarum Civitatum procuratores convenere, conventus autem in Prætorio Civitatis habitus est, in quo *Bertoldus* post luculentam concionem leges ab universa Provincia observandas publicavit, inde ad conciliandos factiosos omnem cogitationem, & conatum adhibuit, idque post longam negotiationem, & in *Flaminia*, & *Bononiæ* obtinuit. Restituit ergo *Guelfos* omnes cum *Ghibellinis* prius conciliatos pœna iis, qui violarent decem millium marcharum argenti statuta. *Manfredi* ergo *Faventiam* reducti ab *Acharisiis* amice suscepti. *Meduli* exules *Forocorneliani*, qui *Faventiæ* morabantur in Patriam restituti; *Ravennæ Traversaria*, & Comitum factio licet inter se contrariæ tamen ambæ

Die ult. Novemb. dict. Ann. 1278. Rubeus, & Carrarius.

ambæ extorres *Polentanorum* vi, tum inita pace cum *Polentanis* patriam recuperavere. Solemnis fuit pax inter *Hieremæos*, & *Lambertatios* facta *Imolæ* coram *Bertoldo* Comite, & *Latino* Cardinali Legato assistentibus in sacratis vestibus Archiepiscopo *Barensi*, Episcopo *Bononiensi*, Episcopo *Forocornelienśi*, & Abbate *Galliatæ*. In quandam pacis confirmationem Cardinalis Legatus magnifico excepit convivio factionum proceres, inter quos Comes *Feretranus Guido* sive *Montefeltrius*, ut argumento esset Pontificem æque utriusque factionis patrem futurum modo quiescerent, & debitam obedientiam præstarent. Quievit ergo Provincia à perturbatione factionum sub *Bertoldo*, at brevi tempore propter præproperam mortem Pontificis, qui obiit anno 1280. die 23. Augusti. Qua morte audita statim inter *Hieremæos*, & *Lambertatios* odia increbuere, inde suspiciones, & tandem insultus, & tumultus *Lambertatii* suspicione ducti, ut qui minus polle-

A. 1280.

348 bant, priores tentavere *Hieremæos* opprimere, at victi ipsi, atque ejecti fuere eodem anno die 25. Septembris, qui *Faventiam* rursus repetiere. Jam vero, & *Ghibellina* factio *Romaniæ*, & ductor ejus, ac Princeps Comes *Guido* cohibitum adversus *Guelfos* odium effudere, neque enim mortuo Pontifice *Bertoldum* metuebant. *Forolivium* ergo à Pontifice descivit, at non sine domestico tumultu: nam *Guelfi* captis armis inimicorum insultui resistere unde certamen in foro magnum exarsit in quo *Guido Ursellus*, & *Joannes* frater occisi *Nomajus Nomajorum* ex fabrica *Franciscus Herculanus*, *Ludovicus Pontirolus*, *Andreas*, & *Mattæus Ottorenghi* in turrim fuga elapsi injecto ab adversariis igne conflagrarunt. *Faventini* etiam seducti cum præsertim *Lambertatii* ibi excepti ad rebellionem animos pararent. Eodem cursu *Cæsenæ* factio *Ghibellina* à *Montefeltrio* stimulata proceres *Guelfos* expulit, vel *Guelfi* sibi timentes ultro abiere. Rursus ergo *Romania Ghibellina* majore ex parte facta Comiti *Guidoni* parebat. *Ravenna* tamen in Ecclesiæ partibus mansit cujus ideo agrum *Montefeltrius* cum *Foroliviano* exercitu conjunctis copiis *Cæsenæ Britonorii*, *Foropompilii Cerviæ* diripuit, ac magna ex parte vastavit; ita *Rubeus* ut hinc etiam constet rursus *Cæsenam* sub *Montefeltrio* seu *Feretrano* Comite *Guidone* fuisse, & confirmabitur præterea ex ejus recuperatione pro Ecclesia à *Joanne Appia* anno 1283. ut paulo post intelligemus. Successit *Nicolao Martinus Quartus Gallus*, qui revocato *Bertoldo* in ejus locum *Joannem Appiam*, vel *Epa Gallum* subjecit pro Comite, scilicet ac Rectore *Romandiolæ Bononiæ*, & Comitatus *Britonorii*, ea tum erat nomenclatio, ac titulus magistratus. misit autem cum magna *Gallorum* manu ad recipiendam Provinciam: præoccupaverant Pontificem *Hieremæi Bononienses*, & *Guelfi Romaniæ* tum proceres, tum e patriis ejecti missis enim nuntiis, ac oratoribus se qui Ecclesiæ partes tuerentur à perduellibus Ecclesiæ, qui se palam Imperiales profitentur alios depressos, alios ejectos. Non ces-

Rubeus sub A. 1281.

349 saverunt *Lambertatii*, & *Guido* Comes, etiam oratoribus missis Pontifici se devotos jactare obedientiam deferre, contrarios injuriarum accusare. At Pontifex eos repulit, & adversarios blande recepit ut satis certus ea omnia à *Ghibellinis* fingi, & verbis contrarios esse animos, & facta. *Joannes* ergo *Epa* valido cum exercitu *Bononiam* primo profectus per *Tusciam* scilicet juvantibus Pontificem *Florentinis*, qui partes Ecclesiæ enixe tuebantur à *Bononiensibus* autem benigne, & prolixe receptus procurantibus, vel imperantibus *Hieremæis* Civitatis tum Principibus, deinde adivit *Imolam* pari successu, at *Faventiam*, quæ

A jam defecerat ab Ecclesia cum *Forolivio* obsessurus adivit: ipsa enim dominantibus *Acharisiis*, & *Lambertatiis* annitentibus clauserat se defensura portas. Cum ergo assideret jam Comes Civitati Castris admotis *Tribaldellus* filius *Garatonis Zambrasii* à *Lambertatiis* injuriis, & contumelia affectus (ut erat eorum fastus) ultionis cupiditate etiam si ejusdem factionis *Ghibellinæ* inter Principes esset, clam convenit cum Comite, & *Hieremæis* atque noctu portam versus *Forumcornelii* aperuit exercitui Ecclesiastico ad id parato, qui Urbem occupantes in cives, & præsertim in *Lambertatios* sævierunt multis occisis, multis captis,

B qui evasere incolumes *Forolivium* aufugerunt. In hac *Faventiæ* occupatione, & *Tribaldelli* proditione non satis in tempore in quo, & modo conveniunt Scriptores, in annum 1277. rejicit *Rubeus* ante adventum *Joannis Epa* aliquot annis, indeque *Carrarius*, at Chronicon nostrum, quod video a *Carrario* annotatum nec repudiatum, sed pro scholio appositum in adventu *Joannis* de *Epa* reponit, verba repono. *Eodem anno* 1281. *Papa Martinus* 4. *misit D. Joannem de Apia*, *cum militibus Francigenis*, *& cum Bononiensibus intriusecis*, *Imolensibus*, *& Ravennatibus contra Faventiam*,

C *& habuit illam proditore Tribaldello D. Garatonis de Zambrasiis*, *qui aperuit nocte portam*, *unde multi ex parte Lambertatiorum cæsi sunt.* *Joannes Villanius* in anno convenit 1281. sub adventu *Joannis* de *Epa* non in causa; scribit pecunia corruptum *Tribaldellum* Urbem prodidisse; *Ghirardatius* de causa consentit ob *Lambertatiorum* injuriam *Tribaldellum* irritatum, at in tempore non consentit, 350
& non traditum Comiti Provinciæ, sed *Hieremæis* magnamque *Tribaldelli* negotiationem cum *Bononiensibus* interponit, ejusque diu simulatam dementiam, sed scriptor Chronici in ea præsertim parte fuit propior eventui. Occupata ergo *Faventia*, & *Ravenna* constante in partibus Ecclesiæ magno cum exercitu adversus *Forolivium*

D venit *Epa*, sive *Appia* in quo exercitu præter *Gallos*, qui octingenti usque equites fuere, erant *Bononienses* cum magna manu, & *Cornelienses*, & *Faventini*, & *Ravennates* ex parte Comitis *Montefeltrii*, erant præter *Forolivium*, *Cæsena*, *Forumpompilii*, *Britonorium*, *Meldula*, & alia multa castra. Munierat *Forolivium* Comes *Guido*, & opere, & milite præter enim populum *Foroliviensem* multis bellis exercitum *Lambertatiorum*, & *Cæsenatum*, & aliorum locorum subjectorum validam manum selectam, & fidam studio partium coegerat. Ejusmodi igitur præsi-

E diis munitus, peritus, & vafer dux se se ad defensionem paraverat. Interim Imperator Ecclesiastici exercitus *Epa Forolivium* aggressus est. Cujus obsidionis, & belli non eadem est apud scriptores narratio. Hæc mihi verisimilior, suscipiendo quam *Joannes Villanius*, & *Jachettus Malaspina*, qui historiam *Ricordani* patrui usque ad annum 1286. produxit, probat; adjiciendo tamen aliqua ex Chronico nostro. Aggressus ergo *Forolivii* obsessionem Dux Ecclesiasticus impetum in Civitatem primo fecit, tum Gallico ardore ductus, tum ut tentaret defensorum vires,

F & animos, præsertim cum *Monteferetrius* milites præcipue equites ad pugnandum emitteret, ne scilicet prorsus obvium, & facile hosti esset circunvallare Civitatem, at vero ea arte emittebat turmas, ut subinde essent, qui redeuntes exciperent; integrataque acie in hostem, qui nimium excurrerit impressionem facerent: cum ergo *Galli* impetu suo ducti in iniquum locum processerint ultra fluvium usque in suburbium; tum Dux *Feretranus* dispositis rite, atque ordinatis copiis hostem tanta ferocitate excepit ut multis

occisis alios in fugam verterit, quorum etiam
351 non pauci in flumen demersi perierunt. Mortui
absque demersis ferme trecenti fuere, quorum
primores numerantur, & res tota ab annalibus
nostris sic narratur. *Et ibi mortui sunt Dominus
Ugolinus Fantolini, & Tribaldellus Domini Gara-
tonis de Zambrasiis, & Dominus Ugolinus, & fer-
me* 300. *Francigenæ ceciderunt absque suffocatis in
flumine.* Re infeliciter tentata aliter proceden-
dum ad expugnandam Civitatem judicavit laxio-
re scilicet obsidione hostem defatigandum, &
direptione agri fame macerandum, & amicos
ejus pollicitationibus, interdum damnis abalie-
nandos. Interim etiam astu tentandos obsesso-
rum aliquorum animos; esse enim adhuc in ea
Civitate Ecclesiasticæ factionis aliquos etiam si
occultos, vel depressos, quos sibi corrumpendos
sumpserunt *Forolivienses* exules. Hi itaque clam
internunciis aliquos suæ sectæ aggressi in eam in-
duxere conventionem, ut portam noctu aperirent:
sed non fugit conjuratio vafrum, & vigilantem
Montefeltrium ut proditores in manu habuerit ve-
rum spe proposita vitæ, & veniæ coegit eos fal-
lere, qui ut fallerent, induxerant. Proditores
ergo *Faventiam* clam cæteris, at non Comite
Montefeltrio elapsi convenere cum hoste se Kal.
Maji noctu aperituros portam *Sclavoniam*: eos
enim jam corruptos, qui ex militari stylo erant
ea nocte portam custodituri: cæterum rogare *Gal-
los*, ne sævirent in inermes, sed in armatos solum,
cæteros enim potius Ecclesiæ, ni cohiberentur,
studiosos; his ita statutis, Dux *Gallus* movit ta-
cite exercitum, *Forolivium* pervenit, ibique
partem gentis in loco a *Quercu* dicto (erat illud
prædium *Guidonis Bonati* celebris tum astrologi)
collocavit, qui ibi parati expectarent nuntium Ci-
vitatem ingrediendi si opus esset, aut exciperent
partem ingressam, si forte cogeretur captam re-
linquere, ac pedem referre. consilia hostium
Guido apprime intellexerat ex proditoribus quos
venia magis *Feretrano*, quam suis amicitia, & fa-
ctio devinxerat, Portam ergo apertam repere-
runt *Galli*, & Comes *Guido* cum toto exercitu
per aliam partem egressus ad eos, qui sub *Quercu*
erant pervenit, eosque inopinantes facile debella-
vit. Inde in Civitatem reversus invenit factores
352 cibo distentos, & ebrios, qui Civitate occupata,
ac repertis passim (ut fuerat consilium *Feretrani*)
dapibus paratis in domibus, quas etiam benigne
senes relicti, & mulierculæ subministrabant, se
se cibo, & potu ingurgitaverant. Facile fuit
opprimere non tamen sine mutuo sanguine, mi-
lites lecti etiam si divulsi, & inordinati strenue
pugnaverunt, tamen jacientibus fæminis usque
ex tectis occisi fuerunt, qui fuga elapsi ad *Quer-
cum* tendentes pro suis inimicos invenere: pauci
itaque servati sunt, inter quos Imperator *Joannes*
de *Pà*. Inter cæteros fortiter pugnantes memo-
ratur *Tadeus Montefeltrius Guidonis* frater, ac illi
infensus. At Pontifex clade suorum audita novas
copias ad *Joannem* misit, qui ut vir fortis nequa-
quam territus interim reliquias collegerat eorum,
qui dissipati fugerant, & ex *Faventinis*, & cæte-
ris subjectis populis, & præsertim ex *Bononiensi-
bus* supplementa quæsierat. Instaurato itaque
exercitu agrum *Foroliviensem* iterato incursu mo-
do ex hac, modo ex illa parte vastabat, Castra
etiam circumjecta nonnulla occupavit, quæ *Fo-
rolivio*, & *Guidoni* Duci eorum parebant. Comes
Castrocarii pariter ad Ecclesiasticos se adjunxit, qui
prius à *Montefeltrio* stabat. Hæc eo anno 1282.
facta quo anno *Sicilia* à Rege *Carolo* descivit oc-
cisis omnibus *Gallis*, quorum impotentiam into-
lerandam ferre diutius non potuere. stata die cum
primum vesperarum signum intonuit tota Insula

A *Siculi* (ita convenerant) insurgentes omnes *Gal-
los* trucidarunt tanta feritate, ut mulieres ipsas *Si-
culas* ex *Gallis* gravidas exenterarint, hæc sunt il-
læ *Siculæ* vesperæ, quæ in adagium pro maxima
occidione transierunt. At anno sequenti cum
Comes Provinciæ loca circumjacentia *Cerviam*
pariter consequutus esset, tum demum *Forolivien-
ses* se apparatui Pontificio impares agnoscentes
decreverunt se Pontifici dedere, quorum inclina-
tione prospecta *Montefeltrius* veritus ne ipsemet
traderetur cum *Lambertatiis*, & primoribus *Ghi-
bellinis*, quos sibi fidos, & a Pontifice aver-
sos cognoscebat *Forolivio* relicto, ut de se li-
B bere disponeret *Meldulam* intravit, cujus loci
munitionem amplius firmavit, & illuc com-
portato in multos menses commeatu se se obsidio-
ni diutinæ sustinendæ paravit. Interim recupe- 353
rato *Forolivio* mense Maji, postea Mense Junii
Cæsenam adivit exercitus, quæ ultro se dedidit,
proindeque Comitem hilariter, & cum apparatu
excepit, at non eodem is consilio, quo *Bertoldus*
olim usus est conciliandi scilicet factiones; sed *Ghi-
bellinos* magna ex parte in exilium expulit. An-
nales nostri *Anno* (inquiunt) *Domini* 1283. *Mense
Junii Dominus Joannes de Appia Comes Romandio-
læ intravit Civitatem Cæsenæ cum voluntate Ci-
C vium, quam tenebat contra voluntatem Ecclesiæ Ro-
manæ Guido Comes Montis Feretri mittens ad con-
finia magnam partem Ghibellinorum.* Capto ergo
Forolivio jussu Pontificis fossæ ejus repletæ, mu-
ri eversi, & Chronicon nostrum, & *Rubeus*, &
Carrarius, at hic addit etiam disjecta *Cæsenæ* mœ-
nia, licet Civitas nostra cum sui ipsius arbitra fuit,
propensa potius in partes Ecclesiasticas fuerit, *Gui-
do* interim *Meldulæ* clausus, ibique obsessus post
Cæsenæ deditionem mense Julii eruptionibus ta-
men distinebat hostem, & irruptionibus vastita-
tem inferebat circumjacentibus Regionibus. *Ja-
chetus Malaspina* in supplemento historiæ *Recor-
D dani* Patrui præclarum facinus *Joannis Appia* scri-
bit. Is consueverat inermis invisere *Meldulam*,
ac ejus munitiones ad capiendum scilicet oppu-
gnationis, & expugnationis Oppidi consilium, id
cum observaverit *Florentinus* quidam *Florentia* ob
factionem exul *Guidonis*que miles cataphracti equi-
tis, armis indutus conscenso equo (*Baldus è Mon-
te Sperettulo* nomen) eoque in velocissimum cur-
sum acto cum hasta in Imperatorem *Appiam* im-
petum fecit, qui venientem non declinavit, sed
baculo, quem gestabat lanceam dimovit, atque
Baldum amplexus de ephippio sustulit, cujus ipsius
ense ipsum confodit, quo uno facto se maximum,
E & robustissimum bellatorem declaravit, quinque-
mestris fuit obsidio, ejusque exitus fuisse videtur,
quod *Meldulam* reddiderit *Montefeltrius* pacta in-
columitate personarum, & libertate abeundi ex-
tra Provinciam *Ghibellinis*, *Rubeus Ghibellinos* di-
cit in subalpinos relegatos: *Guido* autem in gra-
tiam à Pontifice receptus fuit, id significant ver-
ba chronici nostri. *Omnes Romandiolæ Ghibellini
in exilium mittuntur: Dominus Guido de Montefeltro
fuit ad mandata Sanctissimi Patris.* Credo tamen 354
à Provincia ad antiquam ejus *Montefeltri* ditionem
remissum, amandatumque. Hic ferme status
erat *Romaniæ* nostræ, & *Bononiæ*, tunc Ponti-
F fici parebat, & à *Joanne Appia* Comite regeba-
tur. Ejectis jam è Provincia cum *Lambertatiis*
omnibus ferme *Ghibellinis*. Sed nova statim emer-
sit dissidii occasio inter rectorem, & subjectos po-
pulos. Civitates solitæ erant liberam habere re-
rum suarum administrationem, & Prætorum, ac
cæterorum Magistratuum electionem: Rectores
vero Provinciæ præter fidelitatis juramentum, &
si opus fuisset militem ex formula, & forsan cen-
sum non se gubernationi rerum civilium non vo-
cati

cati immiſcebant. Si turbæ aliquæ exortæ eſſent
quibus ſedandis civilis poteſtas impar eſſet, tum
ad Comitis, & Rectoris auctoritatem confugie-
batur, ipſeque opem ſuam accerſitus præſtabat.
At tum Comes *Appia*, & *Bernardus* Epiſcopus
Portuenſis Cardinalis Legatus omnimodam ſibi
poteſtatem cum vendicare velle præ ſe ferrent,
animos populorum, & procerum, & regulorum
abalienarunt. Hinc *Malateſta* partium etiam ſi
Carrarius, ſub anno 1284. pontificiarum ſtudioſus, qui inter primates exci-
vit Pontificem ad mittendum qui ſuo nomine Pro-
vinciam regeret, tamen propoſitum perſpiciens
pontificiorum omne ad ſe imperium, ac munia
trahendi diſcordias *Flaminiorum* componere ag-
greſſus eſt, ut uniti validiores eſſent ad conatibus
Comitis, & Legati reſiſtendum. Cum enim
prius inter ſe convenerint *Faventia*, & *Forolivium*,
tum *Malateſta Forolivium* profectus *Arguliosos*, &
Calbulenſes conciliavit, inde profectus *Faventiam*
Manfredos, & *Cunii* Comites concordes, & ami-
cos reddidit: *Calbulos* pariter cum Comitibus *Ca-
ſtrocarii* pace junxit, idque ut firmiores eſſent
adverſus Comitis *Joannis Appiæ* oppreſſionem pro-
vinciales. Inter cætera vero quibus ſe à Comite
Appia gravatos *Flaminii* arbitrabantur fuiſſe vi-
detur novorum vectigalium, & tributorum im-
poſitio, ut ex pace poſtea inter eos inita veriſi-
mile ſit, & nos tum intelligemus. Euſque au-
tem erupit diſſenſio inter dictas Civitates *Mala-
teſtam*que ex altera parte, & Comitem Provinciæ
355 ex altera ut Comes in eas Civitates inquiſierit,
eaſque impoſitis pœnis damnaverit. *Malateſtam*
vero *Ariminum* cum ſeptuaginta armatis equitibus
redeuntem inter *Cerviam*, & *Ariminum* per fi-
lium cum magna manu invaſerit, atque multos
occiderit, alios ceperit, inter quos fuit *Joannes
Malateſta*, alios fugaverit, qui *Cæſenam* aufuge-
re. Cum Pontifex ergo populos refragari ſuo-
rum imperiis intelligeret diffiſus devotioni priſti-
næ *Guelfæ* factionis aliam *Gallorum* manum, eam-
que magnam ex *Ethruria* ſub *Guidone Monfortio*
Gallo dynaſta miſit, eumque armorum Pontifi-
ciarum Ducem appellavit. *Bonifacius* quoque
Archiepiſcopus minas Pontificias ob ditionis ze-
lotypiam expertus eſt. Cum enim antiquæ ditio-
nis Archiepiſcopatus Caſtra, ac Oppida recupe-
rare niteretur, *Martinus* Pontifex per literas *Or-
Penes Rub. biti* datas 19. Kal. Septemb. anni 3. Pontificatus
monuit, ut ea reſtitueret *Joanni de Epa* Provinciæ
Rectori, alioquin *Bernardo* Epiſcopo *Portuenſi*
Legato, & *Guidoni* è *Monteforti* Pontificiarum
copiarum ductori ſe per litteras mandare niſi pa-
reret ut ſacris in eum, prophaniſque pœnis age-
rent & ad illa reſtituenda cogerent: interea tamen
ageret apud Legatum de *Ravennatis* Eccleſiæ ju-
ribus, velle ſe ea tueri, integraque ſervare. for-
ſan hæ minæ etiam alienarunt Archiepiſcopum,
& eam ob cauſam *Cæſenam*, una cum Prætore
Ravennæ Comite *Ugutione*, & cum *Bonifacio Gla-
retii* filio *Caſtrocarii* Comite convenit in præto-
rioque ejuſdem Civitatis pecuniam Comiti *Ca-
ſtrocarii* mutuo dedit. Forſitan is fuit conventus
finis, ut de communibus rebus cum ea Republica
ageretur ſubque Pontificio imperio antiqua tamen
privilegia, & jura Civitatum, & procerum, ac
regulorum Provinciæ ſervarentur. Sedata tamen
eſt Provinciæ perturbatio paxque facta inter Co-
mitem Provinciæ, & Civitates *Faventiæ*, & *Fo-
rolivii* cum *Malateſta* ſimul, conditioneſque fue-
re ut Reſpublica *Ariminenſis* quatuor millia li-
brarum *Ravennatum* ſolveret pro redimendo *Joan-
ne Malateſta*, cæteriſque cum eo captis, at *Fa-
ventia*, & *Forolivium* fidejuſſores idoneos præ-
ſtarent octo millia aureorum deponendi: Comes
356 vero omnem inquiſitionem adverſus eas Civitates,

A ac proſcriptiones ſuſpenderet, ipſeque met aboli-
tionem omnium à Summo Pontifice impetraret.
Quæ omnia utrinque præſtita. *Faventia* enim
Florentiæ quatuor millia aureorum depoſuit, &
Forolivium totidem *Venetiis*. *Cæſena* interim
quievit, vel non vexata à Comite, vel minus ve-
xata, ut certa incertis præferenda judicaverit,
certe cum Rector Provinciæ ſequentibus annis
Prætorem dare voluerit diu ipſa reſtitit, (ut in-
telligemus) retinens ad modum priſtinæ liberta-
tis. Anno ſequenti 1285. die vigeſima nona Mar-
tii obiit *Martinus* Pontifex, cui poſt dies treſde-
cim ſubrogatus *Honorius Quartus* ex nobiliſſima
B familia *Sabella* die ſcilicet duodecima Aprilis. poſt
mortem *Martini* abiiſſe videtur *Joannes Appia*, &
in Provincia Rector permanſiſſe Cardinalis idem
Bernardus Legatus, nam is eo anno tributum
Provinciæ ad perſolvenda militibus ſtipendia im-
poſuit. Hoc eodem anno *Forolivii* turba quæ-
dam accidit, quam ipſiſmet Chronici noſtri ver-
bis refero. *Eodem Anno Forolivii in conſilio com-* Rubeus ſub Anno 1285.
*munis interemptus eſt Daminus Paulus de Clericis,
& Andreas de Siſmundis nocte ſuſpenſus eſt.* De
reliquis Provinciæ rebus, & factis mirum ſilen-
tium, cum tamen ſi vera ſint, quæ de *Honorio*
Pontifice dicuntur anno 1286. ab ipſo univerſam
C Provinciam recuperatam *Guidone Montefeltrio* ex-
pulſo, atque in exilium ad Subalpinos miſſo ne- Carrarius.
ceſſe fuit hoc anno 85. ſub fine *Martini*, & ini-
tiis *Honorii* rurſus in *Flaminiam* irrepſiſſe *Monte-
feltrium*, ejuſque partem cepiſſe; faventibus
etiam forte olim adverſariis cum imperium *Joan-
nis Epa* eos exaſperaſſet, & grave etiam eccleſia-
ſticum tum imperium præ antiquo multo laxiore
videretur. Hiſtoria *Bononienſis* dicit à *Mainardo*
de *Suſinana* captam hoc anno *Faventiam*, in qua
invaſione facile eſt præconſultorem, & adjuto-
rem *Montefeltrium* cum *Ghibellinis* ejectis, & cum
retentis etiam in Civitate, aliquibus ſaltem: ne-
ceſſe ergo fuiſſe in Provincia perturbationem, li-
D cet ſilentio tranſmiſſam, & in ea perturbatione
partem habuiſſe *Montefeltrium*, quod venia indi-
cat, quam ipſe ab *Honorio* poſtque recuperavit,
Provinciam ſupplex petiit, & obtinuit; venia
culpam præfuiſſe monſtrat. Confirmat *Platina* 357
Montefeltrii in hanc Provinciam inſultum in *Ho-
norii* vita ubi hæc habet. *Non potuit Honorius
huic bello Siculo dare operam ut voluiſſet, impeditus
à Guidone Montefeltrio, qui ipſum in Romania ve-
xabat, ſed tandem à Guidone univerſam Romaniam
recuperavit.* Hæc ille, accedit, quod *Ghirarda-
tius* ſcribit anno eodem 1286. obſeſſum à *Guido-
ne Montefeltrio Urbinum*, & captum, & demum
E ab *Honorio* inde, & ex *Romania* expulſum. Pe-
tiit tandem veniam is à Pontifice, ſed ea condi-
tione ut *Jachetus Malaſpina*, & *Joannes Villanius*
(lib. VII. cap. 107.) dicunt ut ad Subalpinos rele-
gatus abiret, pro eoque duos filios obſides trade-
ret. Hoc anno à *Bonifacio* Archiepiſcopo *Raven-
nate* celebrata eſt *Forolivii* Synodus Provincialis
in *D. Mercurialis* ædibus 8. Id. Julii. Epiſcopi,
qui convenerunt fuere ex *Rubeo Rainaldus Foro-
livianus*, *Thadeus Foropompilianus*, *Aimericus Cæ-
ſenas*, *Henricus Saſſinas*, *Ugolinus Faventinus*, *Si-
fredus Forocornelianus*, *Bonifacius Hadrianus*: at
pro Epiſcopis *Bononienſi*, *Parmenſi*, *Mutinenſi*,
F *Cervienſi* procuratores adfuere. Hoc pariter an-
no Pontifex ab univerſa *Italia* decimas exegit,
quarum exactores in Provincia hac fuere . . . .
Interim Comes Provinciæ ab *Honorio* miſſus *Gu-
lielmus Durantes* fuit. At anno ſequenti 1287.
Prætor *Cæſenæ* fuit *Fernandes Columna Romanus*,
& *Ravennæ Guido Polentanus* ſub quibus compo-
ſita tandem inter *Ravennates*, & *Cæſenates* de fi-
nibus ex parte præſertim *Sapis Cerviam* verſus
con-

controversia. Arbitri fuere *Benedictus Curserius* è *Ronta* civis *Cæsenas*, & *Blancus Ressatius* incola *Ravennatis* districtus, ut dicebant, Syndici, qui arbitros elegere. *Ravennæ* fuit *Artusinus Cambii Artusini* filius, & *Peppus Zoffoli Cæsenæ* pæna librarum mille constituta Civitati non acquiescenti arbitrorum sententiæ. Civitates (credo) agnoscebant nedum tutiorem esse pacem, sed etiam ad tuenda privilegia, & pristinam administrationis libertatem utilem esse si concordes, & unitæ forent. Interea moritur *Honorius* Nonis April. tumque videtur à Cardinalibus Præsidentibus subrogatus in Comitem *Romaniæ Gulielmo Duranti*
358 *Petrus Stephani* Proconsul *Romanorum* tum vacante Sede magnæ in Provincia turbæ, quas potius irritavit, quam compescuerit Comes *Petrus.* Statum Provinciæ sub adventu *Petri* Comitis describit his verbis Rubeus. *Petrus Stephani re intuens non omnem modo Cisalpinam Galliam bellis, & factionibus divisam acerrime dissidere, sed Flaminios etiam ipsos immortalibus pene odiis inter se dissentientes esse non admodum libenter Romanæ Ecclesiæ subjectos, conventum ad Forum Cornelii indixit, quo jubet omnium Flaminiæ Civitatum Legatos convenire, ut communi consilio singulis Civitatibus, & milites imperarentur tuendæ Provinciæ, & in officio retinendæ.* hæc *Rubeus*, qui subjungit à *Polentanis* edicto repugnatum eo prætextu, quod *Ravennates* ab omni ejusmodi tributo immunes semper fuissent, etiam si aliæ Provinciæ Civitates eo fuerint vexatæ. Proinde missis Oratoribus injunxere *Polentani* iidem ne tributo alicui assentirent. videnturque cum *Ravennatibus Ariminenses* conspirasse, unde cum utriusque Civitatis ad *Petrum* Comitem *Imolæ* Oratores pervenere, quodque in mandatis habebant respondere, tertio Kal. Decembris fuere omnes jussu Comitis in carcerem conjecti. Fuerunt hi Oratores *Polentanorum* procurator Reipublicæ *Ravennatis*, *Manens* Archipresbyter Plebis *S. Archangeli* Vicarius Episcopi *Ariminensis*; *Joannes* Præpositus Ecclesiæ *Ariminensis*, *Blancus* templi *D. Manentis*, & *Rodulphus S. Paterniani Ariminensis* æditui Legati Reipublicæ *Ariminensis*, quibus demum è carcere dimissis, ut parerent tributumque etiam *Ravennates* ut conferrent edixit sub gravium pænarum comminatione, cumque nihil *Polentani* concederent obtendentes ea à *Petro* imperari non ad tuendum Ecclesiæ imperium, sed ad suam tyrannidem stabiliendam, quam ipse tacite affectabat. Tum ergo *Petrus* edictum grave in eos, & *Ravennates* intorsit universos, quod possent, tum Prætor *Ravennæ* (erat is *Guido Polentanus Lamberti* filius) tum Senatus, tum singuli *Ravennates* impune ab omnibus injuria affici, & occidi. Perseverarunt tamen in contumacia *Ravennates*, & *Cæsenates* loco eos insequendi, & perdendi cum *Ravennati*-
359 *bus* fœdus iniere, licet *Cæsenates* nondum essent à Comite notati, nec in judicium vocati, at populis videbantur imperium rectores Pontificii nimis intendere, adeoque se se mutuis conventionibus muniebant. Anno ergo sequenti 1288. pridie Non. Januarii *Cæsenæ* in Prætorio Senatu coacto ut Provinciæ *Flaminiæ* quieti consuleretur (is erat obtentus) *Rodulphus* è *Calisidio*, & *Gerardus Azzardus* defensores Populi *Cæsenatis*, multique alii, & universus Senatus *Ugolinum Drudoli Rofelli* elegerunt, & constituerunt Syndicum procuratorem, & generalem, specialemque ad fœdus pactaque cum *Ravennate* Republica, ac ejus procuratore ineunda, quibus jura, leges, privilegia consuetudines tueri sacramento promitterent, ejus amicos, ac inimicos suos, item ducerent. Reipublicæ *Ravennati* adversus suos hostes, qui bellum molirentur armatos, cum *Ravennates* evocaverint subsidio

A venturos, jurarent: nullasque inducias nulla conventa pacemve habituros, cum ullo *Ravennatium* hoste nisi *Ravennatibus* assentientibus. Quæ omnia Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ in honorem fieri protestabantur. Cum his mandatis, & facultatibus obligandi Civitatem ad fœdus ineundum Syndicus, & Procurator *Ugolinus* a Republica *Cæsenate*, qui etiam poterat suscipere Civitatis suæ nomine obligationes *Ravennatis* Reipublicæ quibus se fœderi alligare debebat, cum autem nulla mentio Prætoris tum *Cæsenæ* sit, oportuit fuisse suis contentam Magistratibus, nullo constituto externo Prætore, quem tamen paulo post habuit.
B Interim Comes *Petrus* diem dixit *Polentanis*, *Guidoni*, *Bernardino*, *Lamberto*, *Hostasio*que & *Malatestæ* e *Veruculo*, *Joanni*que quem vulgo *Zottum* dicebant, & *Malatestino Malatestæ* filiis. Quod hi defectionis *Arimini*, illi *Ravennæ*, & *Cerviæ* à *Romana* Ecclesia authores fuissent easque Urbes occupassent. At interim post interregnum decem mensium suffectus fuit in Pontificem *Nicolaus Quartus* die 22. Martii anni 1288. totius ante Minoritanæ Familiæ Præfectus, tum vero Cardinalis. Hic revocato *Petro Stephani* Comitem *Romaniæ*, *Bononiæ*, & *Urbini*, ut etiam decessor inscribebatur, misit *Hermanum Monaldensem*, ob cujus adventum, & *Petri* recessum judi- 360
C cia instituta obsoluere. *Ghirardatius* addit, jussa *Petri* revocata fuisse, ipsiusque administrationem à Pontifice per *Salvum Bononiensem* judicem deputatum damnatam. Novus Rector per *Tusciam* in Provinciam ingressus *Faventiam* adiit, ibique conventu totius Provinciæ indicto, & habito exposuit Summi Pontificis mandata ad Provinciæ quietem salutaria. Non video autem narratum quæ fuerint. credo quidem a conventu recepta fuisse, verbis saltem utrum vero etiam animis, sequentia ostendent *Ariminensis* certe Civitas, in ea erupit, quæ tum insidere animo oportebat eodem inquam anno *Malatestam* licet tum Civitatis
D Prætorem, & *Joannem*, & *Malatestinum* filios ejecit factio scilicet *Ghibellina*. In alienatione animorum ab Ecclesiasticis ministris animos sustulit, & *Guelfa* quoque a pristino partis ardore refriguit. unde cum inter populares multum posset *Martinus Cataldus*, atque cum eo conveniret *Montagna Parcitatus* primus ferme *Ghibellinæ* in ea Civitate factionis tumultu excitato in *Malatestam*, & sequaces impetum fecerunt, atque illum cum filiis, clientibusque ex Civitate ejecerunt. *Malatesta* is ex *Veruculo* passim vocabatur, tum in *Ariminensi*, tum in *Ravennate* Historia, tum in publicis tabulis, in quibus ejus contractus

De Malatesta e Veruculo.

E emptionum, & venditionum exponebantur. Hinc aliqui oppidanum *Veruculi*, adeoque novum hominem existimarunt. At me judice injuria: ditionibus is pollebat, interque *Cataneos*, ut tum vocabant numerabatur, cui scilicet *Veruculum Pinnabiliorum*, & facile *S. Archangelum* subjiciebantur sicut alteri ejusdem familiæ propagini *Solianum*, & alia quædam Castra parebant. Erant inter se fratres, vel patrueles, verum factione prorsus adversi, *Guelfæ Malatesta*, & filii; *Ghibellini* alteri ex quo dissidio nedum inter eos simul-
F tatem, sed bellum postea extitisse intelligemus. *Malatesta* itaque vel suo ipsius consilio, vel à *Guelfis* invitatus, qui ejus potentiæ accessu magnum adversus *Ghibellinos* momentum sibi pollicebantur, *Ariminum* concessit felici nempe suæ familiæ fato ad habitandum. Favit viri consilio conditio temporum, ac opportunitas. Anno enim 1248. postquam ex universalis Synodi senten- 361
tia *Federico* abrogatum fuit Imperium, & ipse fidelium communione privatus, magna is clade fuit a *Parmensibus*, quos obsidebat, juncto milite Pon-

Pontificio, à quo defendebantur affectus, & in fugam conjectus. Tum cæpit factio *Guelfa*, cui se Imperator infensissimum semper præbuit, respirare. Conspicui quique *Guelfi Romaniæ*, & *Marchiæ* a patriis Imperatoris jussu extorres aberant, qui omnes sub adventu *Octaviani Ubaldini* Cardinalis Legati cum instructo exercitu in hanc Provinciam, quam etiam universam recepit, ab exilio revocati, ac patriæ & bonis restituti fuerunt. Hi memores quas exanthlaverant, ærumnarum, in futurum sibi cavere cogebantur, unio exigebatur quæ non sine capitis unitate, ac virtute esse, & conservari poterat, oculos ergo in *Malatestam* conjecerunt hominem divitiis, ac ditionibus florentem, quique cum amplitudine fortunæ animi magnitudinem conjunxerat. Ingens sane animi: at Leoni Vulpes assuebatur; qua pelle indutus præsertim *Ariminum* advenit: præcessit enim ejus adventus recuperatam a Pontifice Provinciam, etenim imperante adhuc Provinciæ *Federico*, & pro eo *Thoma Tavarchio* totius Provinciæ Comite *Malatesta* nedum *Arimini* jam morabatur, sed tandiu moratus erat, ut ab eo Senatu Præfectus militum *Ariminensium*, quos Comes ut *Imolam* mitterentur a Senatu poposcerat, electus fuerit. Oportet ergo cum esset tum imperialis Civitas, & pro Imperatore ad ejus ministrum, & Comitem mitterentur milites, pro studioso *Malatestam* Imperialis partis esse habitum, verum tamen cum suspiciosæ sint factiones, eum ut occulte *Guelfum* ad Prætorem Civitatis pro Imperatore detulerunt, qui fide adhibita ad Comitem per Tabellarium scripsit suadens ut statim in vincula *Malatestam* conjiceret. Consequutus est tabellarius *Malatestam*, sed incautus adeo ut ab ipso videretur, & agnosceretur, cumque interrogatus quo, & quam ob rem iret, literas detexerit, eas aperuit, legitque *Malatesta*, statimque re amicis communicata *Ariminum* velo-
362 citer rediit, & magna clientum manu adjutus Prætorem cepit immo Annales nostri dicunt auxilium etiam Populi adfuisse, ab ipsoque captam Civitatem domibus exceptis *Ugolini Parcitati*. *Clementinus* narrationem temperat, captum quidem Prætorem, & tumultum excitatum, at *Ugolinum Parcitatum* cum factione occurrisse, & ne Civitatem occuparet, effecisse, cui ego quoque assentior, nondum enim ex iis, quæ proxime sequuta sunt auctoritatem primarii Civis excesserat. Comes enim *Tavarchius Cæsenam* paulo post venit, ibique *Malatestam*, & *Parcitatos* conciliavit, ut cives scilicet primarios dissentientes non autem ut cives, & Principem. At proculdubio jam restitutis *Guelfis* nudavit animum, vel denudatum in tumultu adversus prætorem, & *Parcitatos* non amplius operuit, tantusque fuit ejus in clientelis, & potentia progressus ut *Parcitati*, qui jamdiu in Civitate præpolluerant (quæ scilicet tamdiu *Ghibellina* fuit) ejusmodi incremento resistendum arbitrati sint, adeoque nacti *Martinum Cataldum* popularem, & populo gratiosum hominem sunt eo ut apto instrumento ad evertendum *Malatestam* usi. Is junctis viribus at diverso consilio (non enim ut illis opem sed ut sibi dominatum quæreret) in *Malatestam* imparatum, & nihil tale expectantem impetum fecit, & expulit. Die quinta Maji anno eodem 1288. confugit *Malatesta* in Oppidum S. *Archangeli* cujus ditionem arbitror, certe ibi ædes, & bona obtinebat. Ipse sane tum privatum civem excedebat nedum enim *Arimini*, sed tota in Provincia, & *Bononiæ Guelfi* ipsum respectabant, & colebant. Hinc *Bononia* in Ducem adversus *Montefeltrium* elegerat, & *Cæsena* adversus eundem postea; licet infelici utraque successu. At infortunium ipsum cogebat *Guelfos* tum *Ariminenses*, tum *Cæsenates*, & reliquos *Romaniæ* extorres se se ejus clientelæ, & ductui committere. Tantæ ergo

Annales nostri, eosque refert, nec non sequitur Clementinus.

A potentiæ sese opponere *Parcitati*, & eorum factio cogebantur. *Ghibellini* jam ex factis Comitis *Feretrani* sustulerant animos, nec adhuc eo vivente demiserant; opportuna quoque erat Provinciæ a Rectoribus Pontificiis subrepens alienatio. At opportunissima ad concitandum adversus *Malatestam Ariminensem* fuit sententia Comitis Provinciæ in *Malatestam*, & junctim in *Ariminenses* 363 prolata rebellionis. præbuit illa ansam *Martino*, & sequacibus hæc inter populares disseminandi. Non esse tolerandum Civitatem Pontifici devotam crimine perduellionis pro delicto *Malatestæ* damnari, adeoque ea in se arma Pontificia pro-
B vocare, quæ potuerunt Imperatorem *Federicum* debellare, & proxime Comitis *Montefeltrii*, & universæ ejus factionis vires infringere: plurimum interesse si Civitas Ecclesiastica repugnet ministris onera solito graviora imponentibus intra modestiam subjectionis, & obedientiæ, & si armis invadantur turmæ, & res pontificiæ. Hoc non Reipublicæ, sed temeritatis *Malatestæ* fuisse. Secernantur ergo homo, & pars infecta, sicut & causæ sunt secretæ. *Malatesta* qui primum *Forolivium* ad *Monaldensem* Comitem se contulit, ibique se ab adversa, & Imperiali factione ejectum tanquam in Ecclesiasticis partibus vigilantia, &
C devotione, & clientelis primas tenentem asseruit: amplexus est Comes hominem, qui per internuncios etiam se adeo Pontifici probavit, ut Pontifex Comiti tutelam *Malatestæ* adversus *Ariminenses* mandaverit. Ideoque cum *Joannes Malatestæ* filius *Zottus* vulgo ex claudita-te dictus *Podium* locum S. *Archangeli* occupaverit, accurrit cum exercitu *Monaldensis* ne *Ariminenses* illum repeterent, at illi nihil moverunt; sed mense Octobris *Malatestinus* alter filius Montem *Scutulum* ditionis *Ariminensis* Castrum cepit, quod ubi fuit *Ariminum* perlatum statim coactis copiis illuc ivere, diligenterque lo-
D cum undique obsedere. Non cessavit *Monaldensis* jussui Pontificio obsequens exercitum in defensionem obsessorum cogere; sed prius nuncius advenit capti loci, & capti *Malatestini*, & asseclarum quam *Monaldensis* collectam manum expedierit. Fuit Castri expugnatio die postremo Octobris in omnium Sanctorum pervigilio. Indoluit *Monaldensis*, & Summus ipse Pontifex *Malatestarum* captione, & damnis; ideoque mandavit *Joanni Columnæ Anconæ* Marchioni, ut in *Flaminiam* se transferret, atque discordiam inter *Ariminum*, & *Malatestam* componeret, qui *Ariminum* profectus
E frustra pacem conciliare tentavit solum *Philipuccium*, & alios *Picenos* liberare a carcere, secumque 364 ducere obtinuit. Sequenti ergo anno 1289. Pontifex alium Comitem Provinciæ suffecit *Monaldensi*, fuit is *Stephanus Columna* de *Ginazano*, misitque Pontifex pro Legato, & sacrarum causarum Rectore *Petrum Saracinum Vicentinum* Episcopum; *Stephanus* ergo primum *Ariminum* venit, ibique multo cum honore exceptus fuit, inde *Cæsenam* venit ubi equitem (militem tum dicebant) creavit *Raulem Manzolinum* nobilem *Cæsenatem* magnifico cum apparatu in Cathedrali Ecclesia assistentibus *Bonifacio Rubeo* Archiepiscopo, *Pe-*
F *tro Vicentino* Episcopo, & Apostolico Legato, & Episcopo *Ariminensi*. *Petrus* vero Legatus missam celebravit Beatissimæ Virginis, post prandium a novo scilicet equite splendide exhibitum Proceres illi omnes ipsum euntem *Mantuam* cujus Prætor electus erat, extra Civitatem ornatissimo comitatu deduxere; Comes postea *Forolivium* se transtulit ibique conventu acto omnium Civitatum *Romaniæ*, & *Bononiæ* oratorum literas Summi Pontificis Magistratus sui exhibuit, quibus maximam illi in Provincia potestatem Pontifex tribuebat. Singuli ergo oratores nomine suarum

Quinta Kal. Octob.

Civitatum, & fidelitatis juramentum præstitere,
& in Comitis auctoritatem tributa, & vectigalia
imponendi pro milite alendo ad provinciæ quie-
tem, & securitatem necessario consensere. Solu-
to conventu reliquas Provinciæ Civitates invisit
A. 1290. *Faventiam*, *Imolam*, *Ravennam*que ubique benigne
exceptus demum *Ariminum* remeavit ibique tan-
dem pacem inter eam Civitatem, & *Malatestas*
conciliavit, eaque perfecta *Malatestam* ad *Ronco-
freddum*, quod *Malatestæ* ejusdem erat, relegavit.
Carrarius, & Rubeus sub A. 1289. Cum filiis etiam relegatum dicit *Rubeus*, at hanc
pacem maxima statim consequuta est perturbatio,
quæ detexit *Ariminenses* parum in Pontificis par-
tes propensos. Regente adhuc *Arimini Columna*
inter familiares Marescalchi ejus, seu Præfecti equi-
tum, & Prætoris Civitatis familiares exorta rixa in
apertam seditionem universam Civitatem traxit.
Prætor enim, qui tum *Ursus* vocabatur jussit *Nolam*
365 quæ in prætoria turri erat pulsari, ad cujus sonitum
populus concitus arma adversus præfectum, &
Columnam sumpsit instigante scilicet *Martino Ca-
taldo* populi ductore gratioso, & eousque vis, ac
furor populi perrexit ut expugnaturi essent *Co-
lumnæ*) in quo scilicet ipse degebat) Palatium, nisi
Montagna Parcitatus compescuisset turbam. Inte-
rim cum primum populus insurrexit *Malatestarum*
asseclæ sibi diffidentes in compita seclanorum con-
venere, ibique a popularibus se defendere; at de-
positis a Populo armis tum clam *Malatesta* accitus
magna cum manu per posterulam prope *Acti Ra-
vignani* ædes ingressus est Civitatem, inopinantes-
que populares aggressus aliquos occidit, aliquos
cepit, alii multi ex Urbe aufugere, inter captos
fuit *Martinus Cataldus*, qui in quæstione positus
fassus est se cum aliquibus aliis Civibus conspirasse,
ut *Columnæ* Civitatem auferrent, ejus familiam, &
milites perderent, vel ejicerent, ut ipse sibi Ci-
vitatis dominium vindicaret, unde *Cataldus* im-
pendio necatus, & complices alii alio relegati.
Tum ergo *Malatestæ* patriam recuperavere, & quo-
niam circiter hæc tempora *Joannes Zottus Malate-
stæ* filius uxorem *Franciscam Polentanam* occidit, si
ante hunc regressum uxoricidium accidit ut aliqui
scribunt non *Arimini*, sed extra *Ariminum* cædes
fuit, at si *Arimini* contingit post recuperatam pa-
triam *Arimini* incestum *Pauli* fratris sui cum *Fran-
cisca* agnovit, & ambos mutuo amplexu compli-
Dantes in canto quinto inferni. catos eodem ictu confodit. Comes Provinciæ
Columna ob populi *Ariminensis* tumultum, & con-
spirationem spoliavit eam Civitatem omni publica
auctoritate, & administratione Prætoremque ipse
imposuit *Andream Montagnam* insignis prudentiæ
hominem prærepta *Ariminensibus* cum aliis facul-
tatibus hac Prætoris eligendi: quæ *Ariminensium*
pæna videtur universam Provinciam commovisse
quasi eo spectaret Ecclesiasticorum Rectorum
consilium, ut paulatim arrepta occasione Provin-
ciam omni libertate spoliarent, inde Civitatum
tacitæ inter proceres Provinciæ, & primores pro
communi libertate, & antiquis privilegiis conven-
tiones. Comes interea *Ravennam* mense Novem-
bris adivit Cives pacaturus, ut literis suis testatus
366 est *Nicolaus* Pontifex, verum cum Arcem Urbis à
Litteræ penes Ghirardatium sub A. 1290. *Polentanis* peteret ipsique eam tradere recusassent
veriti ne vi eam Comes extorqueret accitis taci-
tis auxiliis eodem mense stata nocte tumultu ex-
citato *Stephanum* Provinciæ Rectorem *Joannem*
filium, generumque qui Marescalcus erat *Petrum
Palombaram*, *Guidonem Pileum*, *Petrum Frangipa-
nem*, *Petrum* e *Segia* judicem, & *Angelum Signinum*
medicum cum reliqua familia, & multis stipen-
diariis ceperunt, & in carcerem, atque vincula
conjecere. Pontifex re audita, & *Polentanos*, &
complices seditionis omnes excommunicationis
fulmine percussit. *Malatesta* ex depressione *Co-*

A *lumnæ* Comitis arripuit *Arimini* dominatum, quem
Montagna Prætor intellecto Comitis casu sponte
deposuit: *Malatesta* ergo novus *Anteus* ex casu ma-
jor surrexit de quo postea. Interim non *Polentanos*
solos, sed ex omnibus ferme Provinciæ Civitati-
bus aliquos adversus *Columnam* Comitem Provin-
ciæ conspirasse ex pace cum ipso in liberatione e
carcere facta postea intelligemus. *Arimini* autem
Prætor *Rodulfinus Callisidius Cæsenas* in sex priores
menses. Erant *Cæsenæ* tempore quo captus fuit
Columna judices tres totius Provinciæ *Romaniæ*, Rubeus sub anno 1290. & Carrar.
qui cum conjicerent *Columnæ* Comitis capturam
non displicuisse *Cæsenatibus* decesserunt ab ea Ci-
B vitate *Reversanum* sub Archiepiscopo tum *Raven-
nate* existens profecti, inde *Forolivium* se contulere
fisi populo, qui se S. Sedi devotum profitebatur,
in qua tamen protestatione conveniebant omnes
reliqui Provinciæ populi, at sensu dispari. *Foro-
livienses* ergo in tutelam judices recepere. Eodem-
que ivit *Petrus* Episcopus *Vicentius*, Legatus A-
postolicus *Cæsena* discedens, quo prius iverat ubi
jubente ita Pontifice quicunque fidi Ecclesiæ esse
volebant eos crucibus distributis insignibat a rea-
tibusque absolvens, & à censuris Deo, & Ecclesiæ
restituebat. At die 20. Decembris *Forolivium* in-
gressi sunt per portas S. *Petri*, & S. *Blasii Maghi-
C nardus*, & *Lambertus Faventiæ* Præfectus, & *Gui-
do Polentanus* cum *Ravennatibus*; *Malatesta* cum
Ariminensibus, *Cerviensibus*, *Foropompilianis*, *Bri-
tonorianis*, cumque *Tolosino Abetis*, & universo ipso-
rum equitatu, & peditatu Civitatis dominium 367
absque cujusque privati damno occupaverunt, coe-
geruntque populum eligere in prætores totius an-
ni singulos scilicet in sex menses *Ugolinum Parci-
tatum*, & *Guidonem Polentanum*, sequenteque die
ex ea Civitate recessere. Cum ergo Pontifex ma-
lum latius manare videret Comitem in provinciam,
loco carcerati *Columnæ* misit *Aldobrandinum*, vel
Ildobrandinum (utroque enim modo dicitur) E-
D piscopum *Aretinum* ex *Guidiorum* familia *Romenæ*
Comitem sanguine, & virtute clarum Diploma
ejus Magistratus fuit a Pontifice die 22. Decemb.
eodem anno obsignatum. *Aldobrandinus* se dedit in
viam ut sub initio anni sequentis 1291. Provinciam
per *Castrocarium* ingressus sit una cum fratre *Adulfo*
Comite, & duobus ejus filiis. Comites hi voca-
bantur, & *Palatini Tusciæ*; verum hæc licet in-
terfari conspirasse ad *Forolivii* occupationem *Ma-
latestam* cum *Maghinardo* nimirum *Guelfos* cum
Ghibellinis, tanto pluris fuisse tum rationem libe-
rioris administrationis ratione factionum, quas ta-
men adhuc animis inolitas ex iis, quæ postea e-
E venere parebit. Id vero etiam observare licet in
Forolivii invasione cum finitimi populi omnes ad-
fuerint solos *Cæsenates* ob reverentiam Pontificii
Legati abstitisse. *Ildobrandinus* ergo una etiam
cum *Florentinæ* Reipublicæ Pontificias partes fo-
ventis oratoribus in Provinciam venit, in primo
ingressu obsequii ergo *Maghinardus* Castrum *Ba-
cananum* a se captum *Ildobrandino* tradidit, qui mox
Forolivium profectus maximo cum honore ab ea Rubeus.
Civitate exceptus fuit, ibi indixit in eam Civita-
tem totius Provinciæ conventum, ad quem con-
venere oratores, & primarii Cives *Ariminenses*,
Cæsenates, *Forolivii*, & *Faventini*, *Bononienses*,
F de liberatione *Columnæ*, & familiarium fuit primo
loco actum. Decrevit vero *Ildobrandinus* absol- Die 22. Jan. A. 1291.
vere *Ravennates*, *Polentanos*, & complices, & a
censuris, & ab omni pæna, ac reatu pro injuria
in *Columnam* adeoque in Pontificem collata, dum
cum *Columna* omnes liberent, atque pro equis,
rebusque ejus direptis tria millia florenorum ei-
dem solvant: suscepere tandem decretum *Polentani*,
& *Ravennates* procuratoresque Reipublicæ sive ut 368
vocant Syndicos cum plenis mandatis misere *Fe-
dericum*

dericum Pontem, & *Leutium Balbum*, venitque cum ipsis ipsemet *Guido Polentanus*, qui spondere libertatem *Columnæ*, & aliorum, & solutionem trium millium florenorum, tripartita tamen solutione mille scilicet quintadecima post die; mille alios die D. *Micheli* sacra; & mille ultimos die festo omnium Sanctorum, ea tamen conditione, ut *Columna*, & cæteri finem facerent cum obligatione nihil amplius petendi, neque ratione injuriarum, neque ratione damnorum susceptorum.
Rubeus sub A. 1291. Promissionis hujus vades fuere *Malatesta* e *Veruculo* tum scilicet *Arimini* prope dominus, *Rodulfinus* e *Calisidio Cæsenas*, *Maghinardus* e *Susinana*, *Rainerius Cunii* Comes, *Rainerius Calbulus*, *Albergutius Mainardus Britonorianus*, *Thebaldus*, & *Theodericus Ordelasi*, *Arguliosus Guaiferus*, & *Hieremias Rubeus Foroliviani* omnes. Die itaque 24. ejusdem mensis in campo extra *Faventiam*, quo iverat *Ildobrandinus* in ejus manum, & *Ostasius*, & *Lambertus* una cum *Leutio Ravennæ* Syndico liberos tradiderunt *Stephanum Columnam*, *Joannem* ejus filium, & cæteros omnes præsentibus *Petro* Episcopo *Vicentino* Legato Apostolico, *Bonifacio* Archiepiscopo *Ravennate*, *Lotherio* Episcopo *Faventino Gerardo Camaldulensis* Ordinis Generali Præfecto. Aderant præterea multi Comites tum frater, & nepos *Ildobrandini* tum Comites *Mangonii*, aderant etiam oratores *Florentini Guelfus Cavalcantes*, *Sinibaldus Pulcius*, *Lapus*
Carrarius. *Saltarellus*, & oratores *Ariminenses*, *Cæsenates*, *Forolivienses*, *Faventini*, & *Bononienses* liberi facti *Stephanus Columna*, & filius, & cæteri tabulis manu *Jacobi Benincasæ* Notarii confectis absolverunt ab omni obligatione, qua sibi ob injurias, & damna illata obstricti erant *Polentani*, & complices renunciantes jus omne aliud quippiam ab ipsis petendi omnimodumque finem facientes,
Carrarius, & Rubeus. *Ostasio*, & *Lamberto* filiis *Guidonis* filiis *Lamberti Polentani*, *Leutio Balbo* Syndico *Ravennæ* pro *Ravennatibus Ugoni Asprono* Syndico *Faventiæ* pro *Faventinis*, *Nicolao Syndico Forolivii*
369 *vii* pro *Foroliviensibus Barchino Palatio Riguccii* filio Syndico *Cæsenæ* pro *Cæsenatibus*, *Albergutio Mainardo* Syndico *Britonorii* pro *Britonoriensibus*, proque fratribus, nepotibus, fidelibusque suis *Leoni Fanto* Syndico *Cerviæ* pro *Cerviensibus*. *Rainerio Calbulo* Syndico *Meldulæ* pro *Meldulensibus*; *Tigrino Dovadolæ* Comes pro se, & ejus fratribus, ac fidelibus; *Maghinardo* è *Susinana*, ejusque fidelibus; *Rainerio Cunii* Comiti pro se, & fratribus, *Rodulfino* è *Calisidio*, *Theoderico* ejus filio, *Selvatico*, & *Ghello* nepotibus, atque *Calisidianis Malatestæ*, è *Veruculo*, ejusque filiis, ac nepotibus, ac fidelibus; *Albergutio* è *Polenta*, & fidelibus, ac oppidanis *Polentæ*, & *Cullianelli*; *Paterniano* Syndico *Arimini* pro *Ariminensibus*. His ergo omnibus, & Civitatibus, & proceribus finem fecit *Stephanus Columna* olim Comes Provinciæ una cum filio, & cæteris ut hinc conjiciatur eos omnes in ejus captionem aliquo pacto conspirasse. Tum *Ildobrandinus* Comes absolvit *Polentanos*, & cæteros omnes, qui *Stephanum*, & familiares ejus violaverant ab omni censura: excommunicati siquidem à Pontifice fuerant, & ab omni alio reatu. *Stephanus* autem *Columna* aliquot dies *Castrocarii* commoratus è Provincia abiit, interim pacata Provincia tantum satis fecit Pontifici *Ildobrandini* prudentia, & dexteritas ut Ecclesiasticam etiam ei jurisdictionem ultra politicam injunxerit, utroque illi gladio concesso literæ Pontificiæ expeditæ fuere hoc anno 1291. 5.
Anno 1291. Kal. Julii prius vero mense scilicet Martii alium generalem Provinciæ conventum *Forolivii* coegit ubi lectæ sunt literæ Pontificiæ plenam ipsi in administranda Provincia auctoritatem, potesta-

A temque tribuentes in eo Concilio. Convenere Oratores pro suis Civitatibus viginti millia florenorum quotannis ab universa Provincia pro militum stipendiis, proque omni alia impensa solutum iri. At innovavit præterea Comes constitutiones omnes, ac leges *Bernardi* olim Provinciæ Legati, præsertimque eam, qua Civitates tributa imponendi facultate spoliabantur. Quæ cum dissoluto Concilio perlata *Ravennam* esset statim Civitatis ejus Senatus, authoribus scilicet *Polentanis*, quorum præsertim intererat ea facultas, misit *Joannem* è *Fonte Ilicis* Procuratorem, & Syndicum 370
ad interponendam appellationem ad Summum
B Pontificem ab inhibitione tributa imponendi cum se in quasi possessione imponendi Civitas jactaret. Convenit *Joannes* Comitem *Cæsenæ*, quo eadem die iverat, qua concilium absolvit. Erat tum *Cæsenæ* Prætor *Malatestinus* eo itaque præsente, & aliis nonnullis appellationem interposuit Syndicus *Ravennas* dictus: at eam *Ildobrandinus* non admisit certus prohibendi quominus Civitates pecunias colligerent, ne illis fretæ in Ecclesiasticos rectores, ut faciebant insurgerent. Sub fine præturæ *Malatestini* cum pariter *Cæsenæ* esset Comes *Ildobrandinus*, prohibuit Civitati ne ipsa Prætorem ut consueverat eligeret; à se accipere jubens. At
C repugnavit Civitas attestans se in quasi possessione eligendi ab antiquis temporibus. Indignatus itaque Comes *Cæsena* discessit cum universa curia in qua Civitate exceperat Cardinalem *Gerardum Blancum Parmensem* ex *Gallica* Legatione redeuntem. Profectus autem *Cæsenates* interdicto subjecit præcepitque sub pœna decem millium marcarum argenti, scilicet quinquaginta millium coronatorum ut à se propositum Prætorem acciperent. Tum Senatus misit Syndicum, qui ab utroque sententiæ capite ad Sanctissimum provocaret cum antiqui sui juris, ac quasi possessionis protestatione, sed cum appellationem non
D admitteret Comes, neque forte Pontifex precibus Civitatis quicquam indulserit, tum quid de re admodum gravi deliberandum esset in Senatus consultationem fuit à Magistratibus deductum. Anceps diu fuit inter contrarias sententias, atque adversantium rationum momenta deliberatio. Hinc libertatis, ac privilegiorum zelus ab obtemperando retrahebat. Si nunc cedant indictarum pœnarum metu, expectent post ademptam Prætoris eligendi facultatem omnium subinde privilegiorum, & antiquorum jurium sublationem. Meminerint antiquam subjectarum *Romanis* Civitatum distinctionem in liberas, & servitute affe-
E ctas: liberæ erant quæ à suis Magistratibus, servitute affectæ, quæ missis *Roma* Rectoribus regebantur. Hoc nunc tentare *Ildobrandinum* electionem sibi arrogando Prætoris ut Civitas ex li- 371
bera in servam transeat. Resistant ergo impotenti Comitis conatui, reliquam enim Provinciam ut periculi consortem, habebunt etiam ad resistendum adjutricem. Nemo erat, qui libertatis imminutionem in concessione non agnosceret, at contra objiciebatur num liceret legitimo Principi serio præcipienti pertinaciter repugnare. Jussio Comitis erat ut ipsi jam exploraverant Summi Pontificis jussio, ut non obediendo Comiti una
F Pontifici Principi summo, & naturali repugnarent; at vero esto pro privilegiorum, & libertatis defensione repugnantiam licere, vel etiam si non liceat concedatur pro publica utilitate jus esse violandum, at est ne utile? an majoribus subjacet periculis? primo quidem civilis scissuræ, & seditionis: subtracta enim publice sacrificia, & sacramenta, adeo pios offendent, ut inter ipsos, & pietatis contemptores sit statim exarsura seditio. At illud audientium animos magis commo-

vit internecinum quoddam libertatis imminere discrimen: oportere siquidem se adjungere rebellibus Civitatibus *Maghinardi*, vel *Polentanorum* Tyrannidi subjectis, adeoque alterutrius, vel tertii cujusdam subire ditionem. Eas quidem Civitates specie quadam liberas esse, suos habere judices, sua habere consilia, quæ & libere consulant, & qui libere judicent: at non judiciis grassantur potentes rerum sed satellitibus, & machærophoris suis conficiunt, quos ipsi ad cædem destinant. Nulla sævior tyrannis quam quæ non publicis judiciis, non publicis ministris, sed privata libidine, privato satellitio jura vitæ necisque in cives exercet. Quid tandem? neque contumaciam si perseveret absque bello Comes, ac Pontifex tandem tolerabit qua occasione factionum Ecclesiasticæ, & contrariæ nomina, & affectus nunc quo quo pacto sopitos necesse erit recrudescere. Suadebant ergo accipere Prætorem, sed ea conditione ut juraret se statuta omnia Civitatis observaturum, nec aliter judicaturum. At potissima causa, quæ tacite movit animos, fuit studium factionis Ecclesiasticæ, quæ tum in Civitate prævalebat: pervicit ergo hæc tutior sententia: Electusque Syndicus, & electi oratores,
372 qui *Ildobrandino* se in arbitrio ejus futuros publico nomine renunciarent perbenigne suscepit Syndicum, Oratoresque Comes, laudataque pietate Civitatis ab omni eam pæna, & censura absolvit, Prætoremque misit virum præclarum *Didacum* Cancellarium *Pistoriensem*, qui statutorum, & ordinationum Civitatis observationem juravit. Hujus Prætoris tempore Turris sacra Ecclesiæ majoris (erat tum D. *Joannis Baptistæ*) fuit pinnis ornata. Chronicon nostrum rem his verbis exponit. *Anno Domini* 1291. *campanile Canonicæ Cæsenæ tempore Potestariæ Domini Dechi de Cancellariis de Pistorio Potestatis pro Ecclesia Romana procurante Domino Ugolino Canonico Cæsenæ orate pro eis.* Post hæc *Ildobrandinus* Comes, atque in spiritualibus etiam Pontificius Vicarius, & Legatus cupidus concordiæ provincialium *Imolam* ivit, ut inter *Nordilios* in patria residentes, & *Alidosios* ex patria expulsos componeret, neque id potuit *Imolæ* consequi: attamen *Forolivii* postea prosequendo negotiationem, pacem conclusit, & *Imolam Alidosium*, & *Litum* fratrem exultante populo reduxit: attamen decedens *Imola* Comes veritus ne mutuus factiosorum inter se aspectus recentem, & non satis coalitam pacem perfringeret, ferociores, & studiosiores partium *Forolivium*, & ad Castrum D. *Petri* relegavit, alios etiam utriusque factionis secum *Forolivium* perduxit, atque aliquandiu detinuit. Interea tamen tantum auctoritatis *Ildobrandini* adeoque imperii Pontificii in Provincia incrementum non placebat *Maghinardo*, & *Polentanis*, qui specie defensorum dominatum *Faventiæ*, & *Ravennæ* usurpabant. Hinc priores conventiones arctius colligatæ. Prima vero inobedientiæ commonstratio fuit die 11. Octobris revertente *Ildobrandino* Comite *Imola Forolivium*. Disseminato enim rumore, *Manfredos* cum Comite esse, qui eos omnino reducere statuerat, ad arma Populum concitaverunt, & occupatis mænibus, & portis se ab *Ildebrandino* aversos, & ejus ingressui repugnaturos ostendere. Unde is dissimulata introeundi voluntate per Pomærium extra Civitatem *Forolivium* ivit, ubi factum *Faventiæ* animo volvens, recteque considerans magnum il-
373 lud fuisse defectionis à Pontifice principium, reperit, præterea à *Ravennatibus* magnam peditatus, & equitatus manum ad id missam *Faventiam*, ut evidens esset inter eas civitates immo inter *Polentanos*, & *Maghinardum* conspiratio: omni-

A bus igitur his diem dixit ut coram se adessent vadesque exhiberent idoneos inquisitionique responderent de tumultu excitato, & de copiis *Faventiam* missis nedum se inscio, sed etiam contra se statumque Ecclesiasticæ ditionis, at spreverunt, in jus vocati comminationem immo *Faventini Lambertum Polentanum* defensorem Civitatis, & agri & *Maghinardum* è *Susinana* Præfectum elegerunt in sex menses à Kal. Januar. anni sequentis 1292. sequuturos cum sexcentenis libris *Ravennatibus* pro stipendio. Nec intra hæc stetit adversus Comitem, & imperium Ecclesiasticum contumacia,
B sed *Vitalis Bagnolus*, *Bagnoli* Scribæ filius *Ravennas* nimirum ut ego interpretor à *Polentanis*, & fæderatis immissus cum magna manu *Forumpompilii* cepit, ubi multos occidit, & ministros Ecclesiæ expulit, fossaque excavata Civitatem munivit inde *Britonorium* adortus est, at Oppidum situ, & opere munitum restitit. Dicunt *Rubeus*, & *Carrarius* manum à *Vitale* collectam fuisse ab eo *Forolivii* acceptam: hoc si verum sit oportuit milites ipsius Comitis opera, & fraude fæderatorum subornatos fuisse, clam *Ildobrandino*, qui ibi tum degebat ut suo is milite destitutus non potuerit adeo vicinæ Civitati opem ferre, vel captam ab imbecillo prædone recuperare, nisi
C forte ea esset *Forolivii* tum conditio ob reviviscentem *Gibellinam* factionem, ut diffideret se absente in fide perstiturum, utcunque res se habeat, Comes idemque Vicarius Pontificius *Vitalem*, & asseclas, & complices, & fautores anathemati subjecit, & perduellem, ac majestatis reum declaravit, tantoque crimini debitis omni jure pænis, & proscriptionis bonorum, & mortis obnoxium protulit. At *Vitalis* tantæ fuit temeritatis ut coram honestis personis ab *Ildobrandini* sententia ad Pontificem provocaret negando se ea fecisse, quæ tamen publice constabant. Sed hæc accidisse vi-
D dentur post mortem *Nicolai* Pontificis, qui obiit anno 1291. mense Aprilis, unde seditiosi, & adversus imperium Ecclesiasticum fæderati omni ti- 374
more deposito in Comitem *Ildobrandinum* insurrexere, adeo ut post insultum *Vitalis* non multo tempore mense scilicet Junii die 5. *Maghinardus*, *Polentani*, *Ravennates*, & *Faventini*, & *Cervienses*, reliquique fæderati magno coacto exercitu adorti sunt Comitem Provinciæ Rectorem, *Forolivii* degentem eaque Civitate occupata Comitem inde expulerunt capto *Aghinulpho* fratre Comitis cum *Lamberto* filio; Comes vix cum parva militum manu *Cæsenam* aufugit, ejus etiam copiis partim *Castrocarium*, partim *Britonorium*,
E partim *Dovadolam* dilapsis. Sub ditione ergo Comitis ex universa Provincia *Cæsenæ* Civitas sola cum *Britonorio*, & *Castrocario* permansit; die 5. Junii fuit rebellium invasio, & Comitis fuga verum neque tanto contenti ausu reversi sunt. Cum universo exercitu, castrametati ad flumen *Sapis Cæsenam*, & in ipsa Comitem obsedere die 12. ejusdem Mensis, & secundum alios die 18. rem totam enarrat literis ad *Bononienses* die 26. mensis ejusdem datis hujus exempli. *In Dei nomine amen. Venerabilis Pater D. Ildebrandinus Dei gratia Episcopus Aretinus, Comes sive generalis Vicarius, & Rector in temporalibus, & spiri-*
F *tualibus Provinciæ Romandiolæ per Sanctam Romanam Ecclesiam deputatus considerans devotionem, quam populus Bononiensis, & commune semper habuerit erga S. Romanam Ecclesiam & quod excepta Civitate Cæsenæ quasi omnes Civitates Imolæ, Faventiæ, Forolivii, Ravennæ, Cerviæ, Forlimpopoli, & quædam aliæ Terræ prædictæ Provinciæ, & hominum earundem in rebellione ipsius Rectoris ac S. Romanæ Ecclesiæ persistunt, & sibi non obediunt immo potius ipsum persequuntur, & quod manu armata*

mata hostiliter iverunt in ipsum, & ejus familiam capiendo Comitem Aginulphum fratrem ipsius, & Gibertum filium dicti D. Comitis Aginulphi, qui erant cum ipso Comite, & carceri crudeliter manciparunt, obsederunt insuper cum exercitu generali pluries apud Civitatem Cæsenæ ipsum D. Comitem, in qua se reposuerat, nec non Castrum Bretenorium, & alia loca, quæ mandatis Ecclesiæ Romanæ, & dicti D. Comitis totaliter serviebant. Ob ejusmodi difficultates, & ob fidem, & devotionem Populi
375 *Bononiensis concedit illis recuperationem, & plenam postea administrationem Civitatis Imolæ, & Medicinæ Oppidi.* Ex ejusmodi literis constat non semel obsessum *Cæsenæ* Comitem *Ildobrandinum*, vel *Aldobrandinum*, & *Imolam* quoque inter ea defecisse postquam ipse *Alidosios* restituerat, quos etiam deinde ejectos, nec à *Bononiensibus* restitutos intelligemus. Sed ante expulsionem Comitis ex *Forolivii* Civitate hæc alia acciderunt, ad *Cæsenates* aliquos, & loca finitima pertinentia. Rem verbis ferme Rubei enarro. *Hoc Anno scilicet* 1292. *ac mense scilicet Aprilis Ravennates, Cæsenates, Foroliviani, & Britonoriani plerique apud Guidonem Polentanum Lamberti filium Ravennæ Prætorem accusati, quod cum magno instrumentorum bellicorum apparatu pedites, atque equites in agrum Ravennatem ad D. Zachariæ irruentes domos, agricolas familias ipsas bobus, equis pecore supellectili exportatis, vino e doliis effuso insigni damno affecissent, Thomam Ravaldum Christiani fratrem pluribus vulneribus male habuissent è quibus esset mortuus, cepissent Lazarum Cursinum, ipsum D. Zachariæ templum combussissent diffregissent, abstulissentque sacrum illius æs campanum plura demum excitassent incendia à Laurentio Guazzo Parmensi Guidonis Judice Vicarioque & assessore in jus vocantur, & nisi ad causam dicendam adessent intra biduum, & se defenderent exilio multavit, quod cum non fecissent duum millium librarum Ravennatium pæna illis constituta est. Fuere in iis ex Ravennatibus quindecim Hieremia præsertim, Albericus, & Franciscus Polentani Guidonis filii, Alberici nepotes, Ariorestinus, Saladinus, Valtranus, Bartholinus Vincentii Honesti filii, Cipressus Tiberti Cipressi filius, Joannes Albaranus, Grittus è Grittorum familia; ex Cæsenatibus numerati quinque sunt, in quibus Ubertinus, & Agnella Articlini eminebant.* Fuere additi sed plures tribus ex *Carrario Pocaterra* olim filius *Gandolfutii* è *Montiliano*, *Fuscus Guidaldi* è *S. Andrea Jacobutius*; & *Tetrolianus Guidaldus* omnes ex Civitate, vel territorio *Cæsenæ*, *Bernardus* præterea *Reatinus*, & *Raphines Recinatensis* aliique stipendiarii Cæsenæ. *Ex Forolivianis sex, Superbutius, Joannes, Clarutius, Ubertu-*
376 *tius, & Lambertutius Argulios omnes ex Britonoriensibus tresdecim.* Qui omnes juxta *Carrarium* insuper non soluta pæna damnati sunt, ut homicidæ, & latrones publici, qui impune possent ab omnibus perimi. Tantum sibi arrogabant *Polentani* ut immunes ab homicidii reatu, & pænis declararent quicunque ubi vis gentium eos homines occiderent. At ad Comitem redeundo obsessus is fuit *Cæsenæ* à rebellibus dicta die 12. vel 9. Dux rebellium erat *Bandinus* è *Guidiorum* familia *Mutilianæ* Comes, qui idcirco licet eodem esset genere ortus tamen injurius Generi injurius Pontifici in agnatum Comitem, Provinciæ Rectorem arma movit. Suppetias tulit *Malatesta* cum *Malatestino* filio *Cæsenam* cum militum scilicet ut arbitror manu profectus: Comes autem tot angustiis pressus cum vacante solio Pontificio nullum ab Urbe auxilium speraret, statuit prætura *Cæsenæ*, & *Britonorii Malatestino* demandata ab eoque fidei juramento capto abire. Causa vero quamobrem in Comitem *Ildobrandinum* insurrexere

[Margin: Carrarius.]

[Margin: Malatestinus Prætor Cæsenæ.]

A *Polentani*, & *Maghinardus* cæterique, hæc affertur ab excerpto quodam de antiquiore, & uberiore Chronico, quod excerptum viri prudentis opus videtur: is ergo narrat *Columnenses* à *Polentanis* adeo læsos omnem operam suam, atque auctoritatem ad fovendos atque sublevandos *Traversarios* contulisse, jamque & Pontificem & Comitem ipsum Rectorem in eandem sententiam adduxerant, hinc *Polentanos* cum *Maghinardo*, & cæteris factionis contrariæ conspirasse, adeoque mortuo Pontifice non ferentes suspecti Comitis imperium in ejus expulsionem convenisse. Idem excerptum scribit non subsidium à *Malatestis* Co-
B miti allatum, sed potius terrorem auctum ut ideo ipsum ad concedendam *Malatestino* Præturam *Cæsenæ*, & *Britonorii* coegerint, & ad discedendum; post cujus discessum exercitum (arbitror obsidentem) dimiserunt, quasi scilicet ipsi etiam cum reliquis adversus Comitem convenissent. Cui conspirationi, quæ sequuntur in munitione *Faventiæ* attestantur: arbitror ego tamen *Malatestæ* conventionem tacitam cum rebellibus fuisse, ut quæ sequuntur indicant, at ipsos specie amicorum consuluisse Comiti ut in tanto discrimine quousque Solium Pontificis va- 377
caverit, recederet. Utcumque res habet dis-
C cessit *Cæsena* Comes. Legi aliquando a *Cæsenatibus* usque ad *Castrocarium* in discessu deductum. Vir certe ea ignominia indignus, & nobilitate insigni clarus, & virtute præstans, at interregnum illud Pontificium, quod duos annos, & quadrantem unius duravit, sustulit animos procerum, qui ad eam tyrannidem aspirabant, quam suo tempore constitutam narrat *Dantes*. Post discessum retinuit tamen nomen, & functionem Rectoris *Ildobrandinus*, unde & primum *Polentanos*, & *Maghinardum*, & complices ex fidelium communione exemit; deinde etiam *Bononienses* interdicto subjecit causaque fuit, quod
D *Alidosius* a Comite *Imolæ* restitutus Civitatis dominatum usurpavit, quam ob rem *Bononienses*, qui olim *Imolam* possederunt illuc accurrerunt, & ejecto *Alidosio* urbem ipsi occupaverunt. Displicuit audacia Comiti adeoque censura Civitatem innodavit, eo quod non debebant ipsi armis asserere sibi possessionem, sed ab ipso petere ut Provinciæ universæ Præside, attamen *Bononiensium* officiis placatus administrationem *Imolæ* illis tradidit. Erat autem tum post discessionem ab urbe *Cæsena Dovadulæ*. *Bononienses* ergo *Ildobrandino* faventes per internuncios cum *Romandiolæ* Proceribus & populis egere, ut Comitem
E rursus reciperent, eique debitam Pontificio ministro fidem præstarent. Quod si aliqua essent, quæ a Comite fieri, & alia, quæ non fieri Provincia cuperet, offerebant se sequestres dissensionis omnis modo Provincia arbitros esse ipsos vellet: hæc exposuere in indicto *Faventiæ* conventu Provinciæ, quo etiam convenere *Malatesta*, & *Malatestinus*; conclusio fuit conventus. Quod Oratores Civitatum singuli suarum voluntatem de arbitrio a *Bononiensibus* petito intelligerent, at communis omnium sensus fuit, vel suspicio *Bononienses* ad antiquum Provinciæ imperium ejusmodi artibus aspirare. Id testari *Imolam* occupatam proinde denegandum esse eorum petitioni as-
F sensum. Quo responso internuntii *Bononienses* dimissi. At *Faventini* veriti propter propinquitatem *Bononiensium* arma, nam ob *Imolæ* dominium erant illis finitimi facti Civitatem ideo suam in- 378
juriæ externæ ob repletas fossas, & eversa mænia expositam munire decreverunt annitente scilicet ad id, & forte imperante *Maghinardo* cujus ut præfecti jussu omnes, & Cives, & Agricolæ ad opus convenerunt, verum universa Provincia

[Margin: Cantic. Inf.]

[Margin: Ghirardacius lib. 10. pag. 307.]

ad eandem munitionem concurrit. Prætor *Foro-livii* cum *Foroliviensi* militia, & populo, pariter *Malatestinus Cæsenæ* Prætor cum militia, & populo *Cæsenate*, *Joannes Claudus* ejus frater cum *Ariminensi* militia. *Ostasius* quoque *Polentanus* Prætor *Ravennæ* cum militia, & populo *Ravennate*. Necnon *Bernardinus Polentanus* Prætor *Cerviæ* cum *Cerviensibus*. *Britonorienses* pariter, & *Castrocariani*, & Comes *Mutilianæ Bandinus*, Generalis totius exercitus fæderatorum Dux, cum subditis suis. A tanta multitudine, eaque fervente in operando brevi fossa excavata, & vallo, ac argine munita Civitas. *Bononienses* tum nihil movere, seu quod rem difficilem cernerent, nam exercitus tum pro *Faventia* coactus fuit triginta millium peditum, & mille equitum, vel quod Oratores *Florentini* ab ea Republica missi ad pacem ferendam animos sedaverunt, neque etiam *Bononienses* omnes implicare se negocio *Faventino* studebant, cum scilicet viderent cum universa *Romania* esse pugnandum. Eodem anno 1292. mense Novembris *Guido Montefeltrius* jam *Romandiolæ* multa ex parte Princeps *Urbinum* ex *Etruria* reversus cum 300. equitibus, & duobus millibus peditum eam occupavit Civitatem, atque statim muniendam curavit excavando fossas, & vallo, ac argine circumvallando ante ab Ecclesiastico Rectore hæc eversa, & illas repletas. Succeffit annus 1293. quo etiam perduravit Pontificium interregnum. De Legatis *Florentinis* proxime dictis hæc annotat sub anno 1292. Rubeus. *Florentini Gentilem Ursinum Bertoldi filium Prætorem suum, Legatosque Bononiam mittunt, qui de pace inter Bononienses, & Flaminios ob Faventiam munitam, quod sibi injuriæ Bononienses ducebant ex æquo, & bono agerent verum plerisque Bononiensibus affirmantibus, nihil negocii sibi cum Flaminiis esse velle; Gentilis, & Legati Faventiam adeunt eoque accersunt Guidonem Po-*

379 *lentanum, Malatestam Ariminensem, Rodulfinum Calesidium Cæsenatem, Lambertumque Polentanum Forolivii Prætorem circiter medium mensem Septembrem, sed cum in sententia perstitissent, & munitiones demoliri negassent, re infecta Florentiam rediere.* Hæc *Rubeus* ex quibus constat *Calesidium* tum inter *Cæsenates* eminuisse in Prætura scilicet *Malatestini* prævalente factione *Guelfa*. Infero de æstu quid nostri Annales.

A. 1293.

De Chron. vetere.

De æstu magni caloris.

1293. *indictione sexta Cæsenæ die 29. Mensis Julii fuit calor ita intensus in illo die cum uno vento calido, quod homines quasi non poterant evadere in tota illa æstate, ita quod non erat in tota Civitate Cæsenæ aliquis ita antiquus, qui recordaretur æstatem ita calidam, & siccam sicut illa fuit.* *Carrarius* eundem æstus fervorem asserit additque multos *Cæsenæ* ex eo periisse. Eodem vero anno *Ildobrandinus* Oppidum *Balnei* ad *Appenninum* in *Flaminia* profectus testificationes omnes (ita *Rubeus*) quæstiones, sententias, diras omnes, atque anathemata, quibus notaverat *Bonifacium* Archiepiscopum *Ravennatem* remisit, laxavit, abrogavit ut eum scilicet ad suas partes traheret. Hoc eodem anno Chronicon nostrum dicit conditam fuisse cisternam in peristylio canonicæ: verba Chronici repono. 1293. *facta fuit Citerna in claustro Canonicæ Cæsenæ expensis Canonicæ: tamen super hoc procuratoribus existentibus Dominis Ugolino, & Guillelmo Canonicis ejusdem Canonicæ, orate Dominum pro ipsis.* Eodem anno *Bononienses* cum multis Civitatibus represaliarum ut vocabant, occasione litigabant, pertæsi ergo litium internuntios ad Civitates, quibus cum lis erat miserunt, ut controversiæ componerentur, *Bonaccursium Ti-*

Anno 1294. *bertinum Cremonam, Joannem Guidonis Parmam,*

A *Bonjacobum Julianum Senam, Severum Canetolum Cæsenam, Bonvillanum Tederisium Brixiam*, & *Albertum* è *Calcina Placentiam*, *Chucum* autem *Alerarium* ad Marchionem *Estensem*. Anno autem sequenti *Ildobrandinus* Provinciæ Rector ex *Tussignano* die 24. Maji literas ad *Lotherium Faventiæ* Episcopum scripsit, quibus facultatem illi demandabat absolvendi à censuris Civitates, ac 380
Populos Provinciæ, quibus ob rebellionem eos subjecerat; quas literas subsequuta est pax inter ipsum, & Civitates, ac populos olim refractarios: *Faventinos* scilicet *Forolivienses*, & cæteros fæderatos, ac fæderatorum proceres.
B Tabulæ autem de pace *Forolivii* confectæ. Quocirca sub mensis ejusdem initio *Maghinardum* ad *Tussignanum* ubi Comes ipse degebat, cum valida militum manu evocavit adversus partem ab ipso desciscentem, quæ audito *Maghinardi* adventu aufugit, liberumque imperium *Ildebrandino* reliquit, quem etiam paucos post dies ad *Mutilianam* cum lectis militum copiis honoris, & defensionis ergo deduxit. *Lotherius* pariter Episcopus *Faventinos* omnes ab interdicto, excommunicationibus, & censuris omnibus ab *Ildebrandino*, & a decessoribus irrogatis absolvit. *Nicolaus* autem *Salocchius*, & *Petrus Cantarellus* Syndici ad id a
C pleno *Faventiæ* consilio electi, & constituti absolutionem pro universis genuflexi exceperunt. Stemmatis hujus *Ildobrandini*, *Romanæ*que Comitum propago familia est *Guidiorum*, qui ab *Joanne Francisco Mantua Cæsenam* profecto descendit, & nunc præsertim floret insignita *Joanne Francisco* Cardinali amplissimo, & *Nicolao* armorum *Urbani* VIII. Pontificis *Ferrariæ* Præfecto, licet ab alio *Guidiorum* stipite deducat Amiratus. *Ravennates* pariter absoluti sunt die 16. Junii ex literis *Ildobrandini* ejusdem *Mutinæ*, an *Mutilianæ* scriptis. *Cæsenates* interim die octava ejusdem Mensis Junii ducti à *Malatestino* Præ-
D tore una cum *Ariminensibus*, & *Picentibus* pluribus *Urbinum* obsedere, quod egregie *Guido* inclusus defendit: dies 13. in ea obsidione *Cæsenates* permansere; at præpostero ordine describo *Malatestini* factum grave ut arbitror *Cæsenatibus*. Is ergo anni hujus 1294. mense Februarii die 28. Anno 1294
demolitus est munitiones omnes Civitatis, quas demoliri potuit Castrum scilicet, & Arcem ut Ecclesiam, quæ in Castro erat etiam diruerit. Nimirum ut mea fert conjectura ad tyrannidem pro Prætura aspirabat, repugnabat vero desiderio arx cujus custodia, & præsidium Senatui non Prætori subjiciebatur (infra id patebit) eandem ob cau-
E sam *Articlinos* multosque alios expellendos cura- 381
verat, ut sibi repugnaturos, quos postea *Petrus Montis Regalis* Archiepiscopus restituit ejecto ex Prætura *Malatestino* ut suo loco narrabitur. Hoc anno Junio Mense fuit in Pontificem assumptus *Petrus* de *Morone Anachoreta* post Pontificium interregnum viginti septem mensium, *Cælestinus*que *Quintus* appellatus, verum non statim novum Comitem Provinciæ *Ildobrandino* suffecit, unde idem permansit Provinciæ, & animorum sensus in se ipsos discors, erga Ecclesiasticos Rectores contumax. Hinc *Valbonenses* accitis amicorum *Tuscorum* auxiliis obsederunt *Spinellum U-*
F *bertinorum* Castrum, quod tamen expugnare non potuere. At majoris momenti factum fuit *Montefeltriorum*, qui in ultionem obsessi a *Malatestis Urbini Pisaurum Malatestiorum* Civitatem aggressi, expugnarunt; etiam si firmata præsidio esset: erat enim ibi *Joannes Meldulensis* Dux Cohortis *Cæsenatis*; erat *Philipputius Æsinus* cum aliis *Picentibus*. Alii autem horum mortui sunt *Meldulensis*, & nonnulli cum eo; alii capti *Philipputius*, & alii plures. Ex parte *Urbinatum* occisus *Tere-*

Teresius fuit *Urbini* Vir nobilitate, & factis clarus. Annales nostri ita rem enarrant.

Millesimo supradicto die sexta Augusti Comes Gallassus, & Conradus de Monte Feretro cum Urbinatibus, & suis amicis vi acceperunt Civitatem Pisauri, quam tenebant Malatestii, in qua captione mortuus fuit Dominus Teresius de Urbino nobilis, & probus vir, & Joannes de Meldula Capitaneus stipendiariorum de Cæsena, & multi alii; Philipputium de Æxio, & multos alios ceperunt. Die vero præcedente Bulgaria nostra conflagravit, incendium autem casu advenit errore tamen *Diambræ* fæminæ imperitæ ut iidem Annales. *Anno Domini* 1294. *die* 5. *Augusti villa Bulgariæ igne casu accenso quasi tota igne cremata est operante Domina Diambra fæmina imperita.*

Eodem mense *Forolivii* multo major perturbatio. Inter *Ordelafos* enim, & *Calbulenses* magna pugna exorta utrinque vulnerati. *Calbulenses* tandem victi, & fugati, *Ordelaphi*que victores etiam *Guidonem Polentanum* Urbis Præfectum, *Lam-*
382 *bertum*que filium multis vulneribus affecerunt captivosque cum *Fulcerio* vulnerato, & ipso multosque *Ravennates* fecere. At *Maghinardus* è *Susinana* paulo post advenit, obtinuitque ut in sui gratiam capti liberarentur, quos libenter ei tradidere victores, ipse vero liberos omnes dimisit; idemque Prætor *Forolivii* factus in sex proximos menses Kal. Septembris præturam iniit, electus etiam fuit Præfectus militiæ Capitaneus scilicet, ut tum dicebatur. *Cæsenæ* autem die 15. Septembris obiit post diuturnam ægritudinem *Albericus* de *Medicina Faventiæ* Præpositus, generalis Ecclesiæ *Ravennatis* Vicarius, præcursor scilicet *Bonifacii* Archiepiscopi, qui die 24. Decembris eodem anno vitam *Aureoli* reliquit. Vir ancipitis famæ; laudat eum *Rubeus*, Annales nostri crudelissimum vocant: at pium fuisse monstrant literæ *Cæsenæ* scriptæ ad *Argentanum* Vicecomitem, quibus jubebat, ut frumentum suum gratis populo *Argentano* frumenti caritate laboranti, distribueretur, quas literas adhuc servari in Archiepiscopatus tabulario *Rubeus* scribit. Quarto tandem Idus Octobris ut *Rubeus* dicit *Robertus Gernayus* Comes Provinciæ hujus, & *Bononiæ*, & Comitatus *Britonorii* à *Cælestino* Pontifice missus in Provinciam venit, primo autem *Mondainum* agri *Ariminensis* Castrum divertit, una vero cum *Petro* è *Ruolano* Legato venerant, deinde die 19. ejusdem Mensis *Cæsenam* profectus est, ubi dies quinque moratus die 24. *Forolivium* se transtulit: inde die secunda Novembris *Faventiam* profectus multo cum honore exceptus fuit, ut *Carrarius* narrat. Hastiludii repræsentatione recreatus, & duobus florenorum millibus a Civitate donatus, arte forsan *Maghinardi* tum dominantis ut Comes specie ea honoris, & dono captus manum non admoveret Reipublicæ constituendæ, & imperio Ecclesiastico, ac Pontificio restituendæ. Postremo *Imolam* ivit vi Idus Novembris, ut sex dies sic *Faventiæ* moratus. *Imolæ* conventum totius Provinciæ indixit, in quo literæ Pontificis palam lectæ. Continebant auctoritatem à Pontifice illi in universam Provin-
383 ciam traditam, jussumque illi obtemperandi. Leges deinceps à Provincia observandas promulgavit, quibus restitit *Guido Ildobrandinus* assertus *Ravennæ* Procurator, ut *Ravennatibus* immunitati, ac privilegiis repugnantibus proindeque assensum denegavit, itaque coram judicibus generalibus Provinciæ *Andrea Cæsio*, *Bartholomæo Reatino*, *Jacobo Arcilio* obnunciavit, at repulit Comes obnunciationem, ut inanem cum imperium Pontificium in Provincia esset supremum omnibusque legibus solutum. Attamen non multum

A illi à *Flaminiis* obtemperatum. Expressere id Annales nostri his verbis. *Et ibi Imolæ mansit male obeditus aliquot mensibus, & repedavit: tunc tota Provincia erat in rebellione.* Intra hoc temporis Kal. Octobris anno eodem Comes *Guido Monteferretrius* olim magnæ *Flaminiæ* partis, & *Cæsenæ* Princeps diu Ecclesiæ rebellis tandem consentiente *Carolo Neapolitano* Rege, cum quingentis equitibus *Cælestinum* Pontificem supplex adivit veniamque obtinuit, & ab omnibus censuris absolutionem, & filiorum, qui pro obsidibus traditi diu sunt in custodia habiti, liberationem. *Guido* relegatus ad *Taurinos* à Pontifice maximo
B fuit, quam relegationem violavit a *Pisanis* in ducem, ac militum imperatorem vocatus. *Urbinum* deinde venit unde fuit à *Guilelmo Durante* Pontificis jussu expulsus; at postea recuperavit, & adversus *Malatestinum* defendit veluti narravimus, at perduellis eo usque Ecclesiæ demum in gratiam à *Cælestino* receptus annalium nostrorum verba sunt. 1294. *die prima mensis Octobris Comes Guido de Monte Feretro alias rebellis Ecclesiæ Romanæ ad mandata Celestini Summi Pontificis consentiente Rege Carolo, cum una militibus ivit Neapolim, curia tunc ibi existente absolutus ab omnibus sententiis amicus, ac fidelis Ecclesiæ factus est:*
C *tunc ipse Guido residebat Urbini restitutis suis filiis* P. Realis.
in carceribus Ecclesiæ diu servatis. Hæc latius scripsi, quia pertinebunt ad nostræ Civitatis futuros successus. *Cælestinus* post hæc pontificatu se abdicavit die 12. Decembris, cui pridie Sanctissimæ Christi Nativitatis suffectus fuit à Cardinalibus *Bonifacius Octavus* ex nobilissima *Caëtanorum* genere magno animo Princeps, & Ecclesiasticæ immunitatis, ac dignitatis acerrimus 384
vindex. Hic in locum *Ruberti Gernayi* misit in Provinciam Comitem eundemque in spiritualibus vicarium Pontificium *Petrum Montis Regalis* Archiepiscopum, qui per *Tussignanum* in Provin- Anno 1295.
D ciam pervenit die decima Aprilis anni 1295. statimque jussit *Malatestinum* è Prætura *Cæsenæ* decedere: forte expulsi de Civitate ab eo *Cæsenates* injustitiam jure detexerunt Comiti: & sævum hominem *Malatestinum* fuisse indicat etiam mors irrogata, ejus jussu, & opera *Guidoni* e *Cassero*, judici, & *Angelello* è *Carignano Fanensibus*, quos cum ipse ad *Catholicam* vicum *Ariminensis* territorii specie de communibus negotiis agendi, & affinitatis contrahendæ acciverit ambos trucidari jussit, & in sacco positos in mare demergi, unde *Dantes* quoque eum perfidum *Tyrannum* vo- Cant. 18. Inf.
cat. Paruit imperio *Malatestinus*, adeoque dis-
E cessit *Cæsena Ariminum*que profectus est, & tunc *Cæsenam Ubertinus Articlinus*, & alii cum eo multi antea relegati a *Malatestino*, qui scilicet ut *Guelphæ* factionis studiosissimus *Ghibellinis* adversabatur: ut vero tyrannidis cupidus, omnibus libertatis amatoribus, ac potentibus Civibus erat infensus: at necesse erat alteram partem sibi amicam, & fidam facere ut ejus ope *Ghibellina* exclusa *Guelfam*, quæ sola restabat, & populum viribus diminutum facilius opprimeret. Civitas ergo Prætorem sibi *Petrum* Comitem elegit, qui tamen antequam *Cæsenam* veniret *Imolam* adivit, ibique conventu universæ Provinciæ indicto literas Pontifi-
F cias sui magistratus legendas tradidit, & ab oratoribus Civitatum, & proceribus Provinciæ fuit pro Provinciæ Rectore susceptus, eoque nomine ei fidem dixere ut ministro scilicet S. Ecclesiæ cui se subjectos professi omnes sunt, ibi leges promulgatæ, & stipendium militare ad *Flaminiæ* custodiam, ac Rectoris statutum, & præscriptum. Inde se *Faventiam* contulit magno cum honore exceptus reduxerat autem secum *Manfredos*, & alios ab ea Civitate extorres, qui fuit ejus sensus exules resti-

restituere, & pacem inter Cives conciliare universos. Primum vero *Maghinardum* ex Præfectura *Faventina* exauthoravit ipseque paruit. *Faventiæ* partes coram Comite ipso contendere, nam Co-
385 mes *Cunii*, & *Manfredi* fossam Civitatis complanari, vallumque everti poscebant: at restitit acerbe cum *Acarisiis Maghinardus*, & aliis asseclis suis quocirca Comes eos ex Civitate ad confinia saltem decem milliariis distantia amandavit, qui omnes paruere. At rursus jussu ejusdem Comitis convenere *Aureoli* ad pacem inter se faciendam, quam, & fecere, & deinde in foro *Faventiæ* publice adsistente etiam Episcopo confirmarunt: inde ad præsumptos fines revertere obsidibus etiam traditis, quos Comes partim *Cæsenam*, partim *Castrocarium* ad custodiendum misit, *Forolivium* post hæc profectus est, quo etiam *Guido* Comes *Montefeltrius*, una cum Legato Pontificio venit à quo restituta sunt illi omnia bona antea proscripta. Idemque *Cæsenæ* ubi multa pariter bona habuerat, sed deinceps adempta factum est. At *Manfredi*, & partis *Guelfæ* assertores ægre id omnino tulerunt. Immiscere scilicet iterum Provinciæ factis hominem, qui astu, & militari peritia pene in universa Principis auctoritatem sibi asseruerat, & factionem *Guelfam* paulo minus protriverat, ita *Carrarius*. At Annales nostri posteriorem faciunt Comitis *Montefeltrii* adventum post reditum scilicet Rectoris, & Comitis *Arimino* die trigesima Julii. Venit tandem *Cæsenam*, & cum eo Comes die decima secunda Junii: inde duobus jam ante mensibus *Malatestinus* aberat. Mansit in ea Rector usque ad diem ejusdem mensis vigesimam septimam utrum vero pax inter factiosos inter restitutos scilicet, & existentes non est ambigendum: Is enim erat Rectoris sensus pacem inter Cives conciliare. De modo solum utrum obsidibus traditis, utrum Principibus factionum ad tempus relegatis esse dubitatio potest, cum nihil ab aliquo scribatur. Quievisse vero Civitas *Cæsenæ*, & *Forolivii* Civitas videntur cum nullus earum tumultus describatur. Die postea vigesima septima ejusdem mensis *Ravennam* Comes abiit ab Urbe, & Populo promptissime acceptus: nec *Polentani* restitere. Ibi multa statuit, & ad honorem præsertim Comitum Provinciæ spectantia alia ad Civitatis securitatem conducentia prohibuit autem
386 domos turritas, & quæ amplitudine sua, & munitione essent quasi potentum arces: quin ædes *Guidonis Polentani* eam ob causam demolitus est & *Guidonem* ad D. *Mariæ* in Portu extra *Ravennam* procul à Civitate duobus passuum millibus relegavit, prius autem pacem inter se fecere *Polentani*, & Syndicus Reipublicæ *Ravennatis* ex altera parte, & *Traversarii* cum *Honestis*, & aliis asseclis quos omnes Comes secum duxerat ex altera. vallatæque sunt paces fidejussionibus hinc inde præstitis. *Traversariæ* etiam factionis multos relegavit nonnisi ad Comitis arbitrium reversuros, sicut etiam de *Polentanis* statuit. Paruerunt omnes, & ad loca statuta abierunt. Admiranda vero mihi videtur tam prompta obedientia. *Maghinardus*, ejusque factio, quæ *Faventiæ* dominabatur, & *Forolivii* cujus tum erat Prætor, quæ antea repulerat *Ildobrandinum*, ex quo tempore durante Pontificio interregno vires suas magis confirmaverat, & tamen adeo facile cessit tum *Petro* Rectori ut passus sit præfectura *Faventiæ* spoliari, & *Forolivii* prætura, atque *Manfredos* cum Comitibus *Cunii* adversariis restitui, seque ex ea Civitate ad statuta confinia depelli, quod idem sane de *Polentanis* dicendum, neque id posse responderi videtur. Exterritos *Bonifacii* Pontificis magnanimitate, & ferocia, nam paulo post eo vivente, & imperante palam ab Ecclesiastico im-

A perio desciverunt. Forte semper in ingressu Rectoribus se obnoxios repræsentavere, cum semper se subjectos Ecclesiæ fidelesque testarentur, at vero in progressu administrationis adversabantur absoluto imperio ad quod Pontificii Ministri aspirabant. Cui etiam ministrorum, & Pontificis ipsius voluntati, quod *Cæsenates* repugnaverint ex ejusdem Pontificis literis, quibus indulgentiam *Ricciardi* improbat apparet: accusat enim imprudentiæ, ac temeritatis, quod laxatis habenis Senatum, & universitatem *Forolivianam*, *Cæsenatem*que omnium criminum, & offensionum absolvisset. At certe est eruenda causa quam ob rem
B Civitas Ecclesiasticarum partium suopte genio fautrix in *Montemfeltrium* propenderit, & postea contumax facta se *Ghibellinorum* fœderi adversus 387
Summum Pontificem illigaverit. *Monrealis* Episcopus, & Comes exules reduxerat, & cum Civibus à quibus ejecti fuerant conciliaverat, ab animis scilicet penitus aversis signa concordiæ expresserat. Timor, ira, & odium agitabant utriusque partis pectora, & quæ restiterat, & quæ redierat. *Faventiæ* factum, quo se animo amplecterentur in pace factiosi indicavit. Sed victoria ea *Ghibellinorum*, ejus factionis in Provincia animos erexit, & contra suspicionem addidit *Guelfis*,
C ut ideo *Bertinorio*, cum ibi prævalerent, *Ghibellinos* ejicerent; *Cæsenæ* autem morabatur Comes *Montefeltrius*, & Civitati, & bonis restitutus. Magnum a tanti hominis consilio, & præsentia *Ghibellinis* præsidium. Non erat astuti adeo hominis apertis grassari odiis, sed æquum se se omnibus præbens placidoque aspectu excipiens singulos specie commiserantis ulcus zelantium civium exasperabat. Privilegia scilicet, & indulta Civitatum à novis Rectoribus Provinciæ, ac Comimitibus subinde imminui, ac tolli. Vafer homo disseminatis ejusmodi vocibus popularia comitia sibi, suisque amica reddebat, & aversa à *Guelfis*
D ut partis Ecclesiasticæ fautoribus: res eousque processisse videtur, ut comitia ipsa Magistratus, præsertim supremum (defensores Populi vocabant) *Ghibellinis* replerent: quod indigne ferentes *Guelfi*, & apud Provinciæ Rectores, & apud summum Pontificem sunt de rei indignitate, & periculo questi: Civitatem nempe ab imperii studiosis, & à Comitis *Montefeltrii* clientibus regi: cum itaque Pontificii ministri, & Pontifex ipse prohibuerit, nec populus paruerit, hinc illæ pænæ promulgatæ in Civitatem, quarum in literis suis *Bonifacius* meminit, & quas indulgentius à *Ricciardo* remissas queritur. Cum itaque idem
E Pontifex indulta omnia à *Ricciardo* concessa *Cæsenatibus* ademerit, abstuleritque, Civitas, quæ prius gravitatem novi modi imperandi accusabat, in pessimum facinus ruit excussa pristina, & antiqua obedientia *Galassum* in Præfectum militiæ elegit; Prætorem, quem Comes novus *Guillelmus Durantes* rejecerat, *Baldum Castellani* e *S. Sepulchro* ceu *Ghibellinum* agnitum, ipsa retinuit. Accidit vero integra hæc defectio, tum 388
Cæsenæ, tum *Forolivii* sub adventu *Guidonis Ticinensis* Episcopi novi Provinciæ Comitis à *Bonifacio* Pontifice missi, qui jussu ejusdem Pontificis
F quæcunque *Ricciardus* concesserat, revocavit anno 1296. Januarii Mense, quo in Provinciam pervenit, Mense Februarii quoddam manuscriptum dicit, sed quoniam hæc sequenti anno cecidere, repeto quæ anno 1295. contigerunt: Mense ergo Septembri cum jam tumerent animi, & ad antiquæ libertatis exercitationem raperentur, Castra Archiepiscopatus nonnulla usurpaverunt, sed quæ etiam ad Episcopum nostrum pertinebant (quorum nunc nullum vestigium) Annales nostri id asserunt 1295. *Mense* (inquiunt) *Septembris Cæse-*

Cæsenates usurparunt Castra Episcopatus Cæsenæ, & quam plura Archiepiscopatus. Durabat adhuc in Provincia *Monrealis* magistratus: sed cum successorem Pontifex *Gullielmum Durantem* jam destinasset, in administratione refriguerat. *Anselmus* pariter e Sancto *Laurentio*, qui ejus Vicarius erat pro eoque præturam *Cæsenatem* exercebat, tumentem Civitatem non compressit. Cur vero cito adeo removerit Pontifex ex Provincia *Monrealem* Chronologia quædam id *Malatestiorum* querelis tribuit. Erat Pontifex *Ghibellinis* prorsus infensus, ut necessario victoria *Maghinardi* adversus *Guelfos Faventiæ*, eorumque inde ejectio supra modum ejus animum pupugerit, isque eventus,
B & restitutio *Ghibellinorum Cæsenæ* ac *Arimini*, & alibi insimulantibus *Malatestiis*, & reliquis *Guelfis* suspectum Comitem penes Pontificem reddiderunt, ne in *Ghibellinos* propenderet. Venit *Durantes* demum mense Octobri, ac reperit omnia duriora facta, & Ecclesiæ partes valde diminutas, & fractas. *Ghibellini* Castrum *Montis Riversani* reposuerant, combustis adversariorum ædibus, à quibus suæ olim combustæ fuerant. *Bagnacavallum* ferme universum, sed fortuito incendio combustum est. Magna quoque epidemia mensibus Maji, Junii, Julii, Septembris in Provincia hac
C sævi in hoc rerum statu advenit tandem mense Octobri novus Provinciæ Comes *Gullielmus Durantes*, idemque *Anconæ* Marchio à Pontifice fa-
389 ctus *Ariminum:* ad quem officii causa *Galassus Cæsena* cujus tum præfecturam gerebat cum decem Civitatis Oratoribus venit, & si *Malatestæ* inimicus, & biduo post *Guido Montefeltrius* non sine omnium admiratione ob magnum inter eas familias odium, ingentiaque hinc inde illata, ac suscepta damna accessit; cumque rectore eodem die 23. ejusdem mensis omnes venere. *Cæsenam* ubi totius Provinciæ conventus habitus est. Convenere autem Episcopus *Feretranus*, *Calbulenses*
D *Maghinardus* e *Susinana*, & reliquorum Procerum, & Civitatum Oratores. At *Durantes* die 13. Novemb. à Civitate recessit. Id asserunt nostri Annales. *Die* (inquiunt) 13. *Novembris proximi indignatus de Cæsena Britonorium recessit.* Caussam indignationis *Carrarius* facit, quod *Cæsenates* liberam sibi administrationem poscebant. Ad pristinam scilicet imperii laxitatem adspirabant: susceperunt tamen Prætorem a Comite *Durante* datum. At ex iis, quæ diximus crederem, & ex iis quæ paulo post sequuta sunt elatiores solito spiritus *Cæsenates* Comiti repræsentasse, ex quo homo regimini assuetus intellexerit in Civitate factionem jam *Ghibellinam* invaluisse, & ex conventu
E cognoverit in magna parte Provinciæ prævalere. ut facile is fuerit, qui per literas restitutionem *Montefeltriorum*, & amicorum penes Pontificem damnavit: unde Pontifex misit in *Flaminiam Guidonem* Episcopum *Ticinensem*, qui restitutionem omnem revocaret, & *Montefeltrios* ab omni in *Flaminia* Magistratu abdicaret, ut mox exponemus. *Durantes* interim die 14. Decembris ex *Britonorio*, quo die 13. mensis præcedentis iverat *Castrocarium* se contulit, indeque vitata *Faventia*, quam adire noluit, *Imolam* concessit. Interea *Arimini Malatesta*, & filii, ac sequaces *Parcitatos*
F æmulos primatusque in ea Civitate competitores, penitus perdidere alios occidendo, cæteros ex Urbe in perpetuum ferme expellendo. Anno eodem die D. *Luciæ* dicato *Malatestiorum* victoria contigit, qua plenum *Arimini* dominium sunt assequuti. Oportebat autem tum *Arimini* magna in suspicione factiones versari. Magna erat *Malatestiorum* potentia: Rectoris Provinciæ pro partium studio amici eorumque auxilia parata. Con-
390 tra pro *Ghibellinis Faventia*, & *Forolivium* erant,

A & nutabat *Cæsena* immo jam *Ghibellinæ* propior. *Guido Montefeltrius* eminebat armorum peritia, & fortuna metuendus, *Malatestæ* præsertim bis ab eo collatis signis profligato. In tanta ergo rerum, & animorum suspensione, & *Malatestii*, & *Parcitati* aliunde etiam factiosos, & clientes in Civitatem accersierant. Die ergo decima Decembris eodem anno sive fortuito, sive astu *Malatestæ*, cui expediebat antequam conspiratio *Ghibellinorum* in Provincia magis coalesceret, experiri: tumultu inter factiones excitato ad arma procurrerant partes, totoque triduo atrox pugna duravit. Scribunt *Ariminenses* Historici renunciatum
B fuisse *Malatestæ* propediem ad futurum Comitem *Guidonem Montefeltrium* cum magna equitum, & peditum manu à *Parcitatis* evocatum; unde sibi timens *Malatesta* per viros probos, à factionibus alienos cum *Parcitato* equite egisse, cui *Ghibellini* deferebant, ut ab armis, & pugna discederetur. Eam se inscio, & invito ortam: deprecari ut paci, & saluti Civium consuleretur: se omnes suos dimissurum, & alienigenas à Civitate amandaturum. Decepti internuncii mellitis vafri hominis verbis deceperunt *Parcitatum* virum bonum, & simpliciorem, quam oportebat factionis Ducem. Uterque igitur suos revocavit a pugna;

Clementinus in vita Malatestæ.

C & exteros ex urbe dimisit, vere *Parcitatus*, ficte *Malatesta*, qui nocte eadem dum securi *Ghibellini* quiescebant, quos emiserat ex propinquo loco ubi jussu ejus consederant in Civitatem reductis, & quos condiderat in amicorum domibus eductis magnam *Ghibellinorum* stragem edidit. *Cignata Parcitatus* occisus, *Montagnana* captus, & à *Malatestino* cui pater illum tradiderat, misere occisus. Eques *Parcitatus* vix aufugit, reliquorum *Ghibellinorum* infelix occidio, vel fuga. Solus post hac Reipublicæ *Malatesta* Princeps. Dicitur eques *Parcitatus* ad *Guidonem Montefeltrium* aufugisse, quem delusus falsa pacis spe literis
D scriptis ne veniret, cohibuit is autem advenientem salvere jussit Dominum perdi Civitatem, at melius *Italice* Perdicita de allusione nominis *Parcitatus*, & illusione ejus simplicitatis; nunquam sane amplius ferme *Parcitati Ariminum* ferme re- 391
diere cum ipsisque familiæ *Ghibellinæ*, potiores saltem, ejectæ, aut destructæ. *Durantes* Provinciæ Comes interea *Imola Ravennam* concessit, ubi triduum moratus *Ariminum* die 23. Mensis ejusdem Decembris ivit. Occurrit *Malatesta* regioque ipsum apparatu excepit. Fumabat adhuc occisorum sanguine Civitas, & tot suorum mortibus funesta se in tyrannidem incidisse mærebat.
E Comes tamen *Durantes* nihil asperius in *Malatestam* tantum ob facinus dixit. In tanto forte *Ghibellinorum* in Provincia incremento judicavit non potuisse sine armis eos debellari, nisique *Arimini* debellati essent, facile Civitas in *Cæsareas* partes tota transisset. Eo saltem obtentu apud Rectorem usum *Malatestam*, se pro Sancta Sede subiisse pugnæ periculum, ut imminentem à *Ghibellinis* rebellionem anteverteret. Eadem cura, & vigilantia in futurum, securius autem, & facilius in fide Pontificis Civitatem eandem conservaturum; jam se, filios opes Sanctæ sedi, Ecclesiasticoque imperio despondisse. Nulla itaque re mota *Du-*
F *rantes Anconam* cujus Marchio erat a Pontifice constitutus abivit, in *Romaniam* autem pro Comite venit *Guido* Episcopus *Ticinensis* à Pontifice missus, ut indulta omnia revocaret, & *Montefeltrios* expelleret, aut deprimeret hisce cum mandatis *Cæsenam* die 13. Februarii appulit. Statim Summi Pontificis jussa denuntiavit Magistratibus, & Senatui, & publicavit diplomate. Quo exasperata Civitas, quæ eo usque nutabat in apertam contumaciam ruit Præfectum *Galassum* retinuit, &

Prætorem *Baldum*, qui licet à *Durante* datus, tum ut *Ghibellinus* reprobabatur, & quod pessimum fuit, fœdus percussit cum *Maghinardo*, & *Forolivio*, & *Faventia*, Marchioneque *Estensi*, quos omnes *Durantes* Ecclesiasticis execrationibus subjecerat, atque perduellionis crimine, ac pœnis damnaverat. Interim die 11. Martii *Marani* cum asseclis ex improviso *Castrum Riversani* ceperunt. At illuc statim accurrerunt cum *Galasso* Præfecto *Cæsenates*, una vero erat *Ravennatis* Archiepiscopi Vicarius, & Castrum obsederunt, admotisque machinis *Manganos* vocabant, quibus ingentes
392 petras ejaculabant, tandem ad se dedendum coegere, qui *Cæsenatibus* Castrum resignavere etiam si forte Vicarius Archiepiscopi, ad ejus ditionem spectare, & ideo *Ravennati* Ecclesiæ restituendum contenderet. Facile vero Civitas *Alberici* de *Monte Riversani* filiis restituit, qui ejus Castri Domini fuisse tum videntur, & Cives etiam *Cæsenæ*; ejusdemque amore, & fide æstuasse ex facinore quod memorat Chronicon nostrum ab illis in Reipublicæ nostræ ultionem adversus *Gardinum* Cardinalem *Ravennæ* (erant vero Cardinales *Ravennæ* Canonici ejusdem Ecclesiæ,) verba hæc Chronici. *Anno Domini 1295. die 28. Decembris Dominus Gardinus Cardinalis Ravennæ, & Cameræ Domini Archiepiscopi à filio Domini Alberici de Monte Riversani apud Cavam Collis mortuus fuit, ut homo nequam, & usurpator bonorum Cæsenæ.* Eodem mense Martii die 29. magnum incendium *Cerviæ* accidit, ex quo magna pars ædium conflagravit. Suspecti fuerunt *Cerviensibus Cæsenates* ne authores incendii fuerint. *Carrarius* fortuitum incendium potius existimare videtur; nostrum Chronicon etiam casu advenisse dicit. 1291. (inquit) *die 29. Martii accensus est ignis Cerviæ casu, & combustæ sunt domus in magna quantitate parte timuerunt valde ne Cæsenates hoc fecissent.* Sed die postrema Martii magnus exercitus Comitum, & fœderatorum *Flaminiæ* ut expellerent è dominatu *Imolæ Bononienses*. *Ghirardatius Bononiensis* Historicus authorem consilii hujus, & concilii adversus *Bononienses* facit *Azonem* Marchionem *Estensem*, cujus etiam Patruum *Petrum* adfuisse Annales Provinciæ asserunt. Dicit autem *Ghirardatius* coegisse Marchionem *Estensem Argentæ* conventum, quo convenere Proceres *Ghibellinæ* factionis *Flaminiæ*: *Ghibellinos* autem tum fuisse exules *Ravennæ*, exules *Ariminenses*, & exules *Britonorienses*, Respublicæ enim illæ parebant Ecclesiæ. Erant rursus *Ghibellinæ* Respublicæ *Cæsenas*, *Forolivienses*, & *Faventina*. In eo conventu in quo scilicet primores fuerunt *Maghinardus*, & *Galassus*; statutum fuit *Bazanum*, & *Imolam* occupare, & *Bononiensibus* detrahere. Sta-
393 tuerunt etiam *Lambertatios*, & *Ghibellinos Bononiam* vi reducendos. Quod consilium cum exploraverit *Guillelmus Durantes* his literis illud *Bononiensibus* significat.

Ghirardat. anno 1296. pag. 333.

Ghirardat.

Guillelmus Dei gratia Episcopus Mimatensis Provinciarum Marchiæ Anconitanæ, ac Romandiolæ Civitatis quoque Bononiæ, & comitatus Britonorii Rector in spiritualibus, & temporalibus Generalis. Nobilibus Domino Guillelmo de Lambertinis, & cæteris de Bononia Guerræ Præpositis salutem in Domino. Significamus vobis: quod adversarii magnum parant, & congregant de peditibus, & equitibus guernimentum, & sicut dicitur celeriter sunt venturi ad faciendum in Provincia, & specialiter in Bononia novitatem; unde oramus, & sollicitamus vos, quatenus paratam habeatis gentem vestram, cum qua custodiatis Civitatem ipsam antequam adveniant. Ita quod ea quæ credunt, tractant, & conantur facere, nullo modo perficiant. Nec expectetis super hoc nuncium, sed quam cito aliquid audi-

A *veritis de adventu ipsorum potenter, & plene omnia faciatis. Datum Arimini die 16. Martii.* At prosequamur expeditionem adversus *Imolam*. Kalendis ergo Aprilis *Faventiæ* convenere *Petrus Estensis* Marchionis Patruus, sed ex illegitimo ortu cum magna militum manu: Comes *Galassus* cum *Cæsenatibus* peditibus, equitibusque *Forolivienses* pariter; exules cum his *Ravennates Traversariæ* factionis; *Malosius* Comes *Feretranus* cum *Aretinorum* sociorum auxiliis: aderant *Faventini* cum omnibus suis, & cum *Anselmo* Prætore, & *Neapolione* Præfecto. Imperator autem *Flaminiorum* omnium militum constitutus est *Maghinardus*, at
B semestris tantum, ne continuatio Principem pro Duce faceret. Coactus, & lustratus fuit eo die exercitus. Pridie autem nostri *Cæsena* moti ut dicta die cum reliquis essent. Copiæ inde ad amnem *Rasaulem*, quem *Santernum* nunc dicimus, militari ordine instructæ pervenerunt. Fluvium novis aquis tumidum invenere, ut transitum vel prorsus negare videretur, vel nonnisi magno cum periculo præstare. Servabant ulteriorem ripam *Forocorneliani* cum *Bononiensibus*, & exules *Faventini*, *Manfredi* scilicet, & Comites, eorum- 394
que sequaces. At fœderatorum copiæ, & earum Duces moræ impatientes densatas equitum turmas
C in flumen immiserunt, ex quo obice remoratæ tantisper aquæ dum peditatus, & reliquus exercitus ad contrariam ripam accederent. Audacia hostium, & inexspectato eorum tum adventu territi *Bononienses* fugam suscepere ad Civitatem usque verum insequuti hostes pari ferme velocitate sunt Civitatem ingressi, ibi per vias aliquantisper pugnatum; tamen victi defensores, alii occisi, alii fugati. *Bononienses* multi usque ad bis mille in Prætorio se incluserunt, ut in loco illo opere aliquantulum munito se se defenderent verum admoverunt victores ignem; veriti ergo incendium obsessi se dedidere, atque ita capta *Imola* tum *Alidosii* cæterisque *Ghibellini* in patriam restituti: at
D *Guelfi* abierunt. *Saxatelli* usque Oppidum eodem nomine suum, & Comites *Cunium* metu *Maghinardi* deseruerunt, quæ solo æquata fuerunt. Tam gravi in Sanctam Sedem injuria vehementer permotus *Guillelmus Durantes* Rector, qui tum *Arimini* erat omnes, & qui fecerunt, & qui jusserunt, & qui consuluerunt de piorum communione ejecit; summa sententiæ, & damnationis, quam in rebelles protulit Provinciæ Comes, & Pontificius Vicarius die 26. Aprilis post præmissas rite citationes, quas monitoria dicunt, hæc fuit. Delicta rebellibus imputat, quæ fuere conspirasse cum Marchione *Estensi* ad perturbandum
E Provinciæ, & Ecclesiasticæ ditionis statum; restituisse munitiones jussu Pontificis demolitas, occupasse multa ejusdem Pontificiæ ditionis loca, & postremo *Imolam* invasisse, eamque præsidio, inde partim fugato, & partim occiso occupasse. Fœda omnia in direptione ejus Urbis perpetrasse, sacras usque & Deo dicatas virgines violasse proinde perduellium pœnis damnat, & censuris obnoxios declarat, ac obstrictos. Nominatim autem damnat, & pœnis, & censuris alligat Prætorem,
F militem *Anselmum* è *Campania*; Præfectum, militem *Neapollionem Reatinum*, Magistratus, ac Senatores *Faventiæ* assertos, & qui se asserunt tales (non enim tales esse concedit, ut nullo jure creatos, quo dicendi genere in cæteris etiam Ci- 395
vitatibus utitur) at præterea *Maghinardum* è *Susinana*, *Guidonem Raulem* militem, scilicet equitem, & ejus fratrem *Raulem*, *Federicum*, *Tadeum*, & *Masium Acarisios*, alios præterea multos itidem *Faventinos*; pariter Prætorem, & Præfectum *Forolivii*, & Magistratus, & Senatores assertos, sive se asserentes; præterea quinque ex *Arguliosis*, sex

Rubeus, & Carrarius.

Manfredus primus Generalis Dux Federatorum.

sex ex *Ordelafis*, duos ex *Orsellis*, ex *Arsendis*, ex *Moratinis*, & alios itidem *Forolivienses*, at *Cæsenæ* assertum Prætorem *Baldum* è *Burgo* S. *Sepulchri*, & Præfectum *Galassum Montisfeltrii* Comitem, & defensores octo, & Senatores omnes, & universitatem ipsam *Cæsenatem*; præterea *Ubertinum*, & *Agnellum Articlinum*, *Joannem Palatium*; *Raulem Mazolinum* equitem, *Andream*, & *Palmerium Tibertos*, *Gerardum Azardum*, *Franciscum Pocaterram*, *Ambronum* Jurisconsultum, & *Franciscum* ejus filium, & alios nonnullos. *Malvicinum* etiam è *Bagnacavallo*; exules aliquos *Britonorienses*, & *Ravennates*. Cæterum utraque universitas partes Ecclesiæ sequebatur. Præterea Comites *Castrocarii*, & multos ejus Oppidi in eam damnationem involvit, quod tunc Arcem *Castrocarii* præsidio Ecclesiæ munitam obsiderent: quam etiam deinceps obtinuere. At nil commoti ejusmodi diris, ac pænis *Ghibellini* priora crimina novis onerabant. Nam Comes *Galassus* cum *Cæsenatibus Maghinardus* cum *Foroliviensibus*, & *Faventinis* Castrum novum *Calbulorum* Oppidum obsidione cinxerunt, ibique dies quattuor, & viginti morati occasionem dedere federatis *Guelfis Forolivium* capiendi, & diripiendi: erant vero *Guelfæ* Civitates *Ravenna*, *Ariminum*, *Cervia*, & *Forum Pompilii*, aderant etiam exules *Forolivienses*, & *Faventini Guelfi* omnes. Clanculo igitur copias coegere, & *Forolivium* dum aliena quæreret, suo milite destitutum invadunt. Facile fuit complanare fossæ partem, & evertere vallum, atque inde Urbem ingredi. Ingressi vero quosquos habuere obvios obtruncarunt: exules scilicet *Forolivienses* potissimum sæviebant; inter occisos conspicui fuerunt *Theodoricus*, & *Joannes*
396 *Ordelafi*, & *Joannes Arguliosus*. At cum occupatio, & direptio Urbis fuit renunciata exercitui Castrum novum obsidenti, advolaverunt relicta obsidione omnes copiæ, & Civitatem facili negotio recuperaverunt, & multos hostium occidere, inter eosque *Rainerium*, & *Joannem Calbulos* fratres, & *Albergutium Mainardi*, reliquos omnes expulere. Cecidit *Forolivii* recuperatio in diem decimam tertiam Julii, die autem duodecima Mensis ejusdem *Galassus Cæsenæ* Præfectus cum *Forolivianis*, ac *Faventinis* in planitiem *Ravennatem* transgressus incendio totam usque ad Urbis mænia absumpsit. Vocat *Rubeus Galassum Cæsenæ* Prætorem, sed fallitur, etenim successerat *Baldo* è *Burgo* S. *Sepulchri* in Prætura à die 13. Maji *Rambertinus* de *Arguliosis*, ita Chronicon nostrum. 1296. (inquit) *die* 13. *Maji Rambertutius de Arguliosis intravit in Potestariam Civitatis Cæsenæ post regimen Baldi de Burgo*. Ut Prætor itaque tum fuerit *Arguliosus Galassus* vero Præfectus, & militiæ Ductor. Elapsi erant post devastationem agri *Ravennatis* dies sex Julii cum extorres ex *Castro S. Joannis* in *Galilea* illud consilio, & ope Comitis *Guidonis Montifeltrii* ceperunt, cum vero suspicio esset ne *Malatestinus* restituere recens expulsos vellet, *Cæsenates* cum *Foroliviensibus*, & *Faventinis* prævenerunt locumque aucto præsidio munierunt in reditu autem *Cæsenates* Castrum *Montis Campi*, quod à Civitate desciverat, receperunt. *Maghinardus* post hæc cum *Estenses* duabus ex partibus agrum *Bononiensem* vastarent ipse ex condicto suscepit vastandam cum legionibus *Flaminiæ* partem, quæ ad *Lignanum*, *Vetrianum*, *Fraxesatam*, & *Galegatam*, & *Medicinam* usque vergit; at die postea 23. Septembris majore conatu fæderatorum copiis ferme omnibus coactis ad *Massam Lombardorum* vocatam profectus eam obsidione cinxit. Interim vero Pontifex *Bonifacius* revocato *Guillelmo Durante Maximum Privernatem* Comitem Provinciæ, & *Bononiæ*, & comitatus *Britonorii* in *Flaminiam* misit, ejusque fratrem *Petrum* Cardinalem S. *Mariæ Novæ* ejusdem Provinciæ Legatum. *Maximus* in Provinciam die 26. Septembris venit *Faventiam*que ubi susceptus est; intellectaque *Massæ* obsidione jussit *Flaminios* discedere, & obsidionem solvere ad idque Marescalcum, 397
ut vocabant suum die secunda Octobris cum jussione sua ad *Maghinardum* misit, qui solvit sane obsidionem, sed non ut Comitis imperio obsequeretur verum quoniam *Bononienses* eodem tempore multo cum apparatu *Imolam* ad expugnandam Urbem iverunt, ideo relicta *Massa* illuc se *Flaminii* contulere parati confligere cum *Bononiensibus*, qui re intellecta relictis Carris, multisque armis, & magna apparatus parte discessere. Aliter *Bononienses* narrant à suis scilicet incensa esse *Imolæ* suburbia, quorum flammas cum viderit *Maghinardus* cum Exercitu adversus eandem Civitatem tendens, *Faventiam* aufugisse. Sed minus verisimilis est hæc narratio non enim se timidum Dux, aut exercitus unquam ostendere, qui ferocia ubique semper abundavere, idque tot præclaris adversus eosdem *Bononienses* factis monstraverunt. Utcumque res habeat *Petrus* Cardinalis Legatus *Bononiam* se contulit ut pacem inter *Bononienses*, & *Azonem Estensem* conciliaret, at turpiter fuit à *Bononiensibus* rejectus: inde *Florentiam* abiit. De quo Cardinali *Andreas Barbatia* in principio tractatus de jure Legati pessime scribit. Jure ne an injuria ut factum Patriæ excuset, cæteri viderint. Frater vero ejus, & Provinciæ Rector *Maximus* specie eundi *Venetias* deflexit *Ravennam* iter, quæ tum fida Ecclesiæ reliquis quattuor *Imolæ*, *Faventiæ*, *Forolivio*, & *Cæsenæ* adversabatur, unita *Cerviæ Foropompilii*, & *Arimino*, sed *Forum Pompilii* quoque à Fæderatis occupatum, ac munitum *Foroliviensem* Prætorem impositum suscepit: erant vero *Ravennates* præsertim infensi Comitibus *Bagnacavalli*, & oppidanis quibus cum *Traversarii Ravennæ* exules morabantur, multa illi damna territorio *Ravennati* inferebant pontem *Rafanarium* absciderunt super *Anemonem* fluvium, multa alia deliquerant unde Reipublicæ *Ravennatis* Syndicus coram *Andrea Cæsio* questus obtinuit ut in exilium pellerentur gravi pæna imposita si in Provincia deprehenderentur. pænis pecuniariis gravibus damnati. 398
Cæsenates hoc tempore, & fædere junctæ Civitates majorem quam antea contemptum Comitis jussionum monstravere, cum enim indixerit *Ravennæ* conventum septimo Idus Novembris nulla earum Civitatum Oratores misit, nullusque procerum adfuit. *Malatesta* adfuere, & *Polentani Lambertus*, & *Guido*; adfuisse etiam oportet; Oratores *Arimini*, *Cerviæ*, *Britonorii*, & Prætores quoque. At contra *Maghinardus*, & *Galassus*, & Oratores *Cæsenæ*, *Forolivii*, *Pompilii*, *Faventiæ*, *Imolæ* conventum cum *Azone* Marchione *Estensi* celebrarunt, in apertam adeo seditionem universa Provincia scindebatur. Sub hæc tempora *Guido Montefeltrius* militaris artis illo ævo peritissimus pænitentia forsan ductus, eorum quæ factionis studio in Deum, & Ecclesiam peccaverat habitum, & religionem D. *Francisci* induit; pænitentiæque asperitatis longævus licet ingressus magno cum exemplo ad calcem usque vitæ percurrit; licet *Dantes* in odium forte *Bonifacii* Pontificis, ejus causa in æternas Inferni pænas descendisse asserat. Sed ad rem nostram redeundo non destitit *Maximus* Provinciæ Rector adversus fæderatas Civitates, *Cæsenam*, *Forumpompilii*, & *Livii*, & *Faventiam*, & *Imolam* iterare sententias à prædecessoribus latas tanquam in perduelles Ecclesiæ, & semel, ac iterum censuris subjicere

Margin notes: Rubeus, & Carrarius. — Cæsenates omnes. — Rubeus sub anno 1296. & Chronicon nostrum. — Chronicon nostrum, seu Annales. — Ghirardat. Carrar. dicit incensum suburbium portam alonis. — Carrarius. — In fine Decembris. — Die 17. Novembris. — Can. Infer.

cere interdicendo sacra, & à communione fidelium depellendo, sive jam depulsos in anathemate confirmando. Perseverabat bellum *Azonis* Marchionis cum *Flaminiis* fœderatis adversus *Bononienses*, qui cum divisos inter se *Flaminios* noscerent, cum Provinciæ *Guelfis Malatestiis* adeoque cum *Ariminensibus*, & cum *Polentanis*, adeoque cum *Ravennatibus*, & *Cerviensibus* fædus percusserunt, *Malatestinus* itaque una cum *Ostasio Polentano* selectis militibus stipati in auxilium *Bononiensium* profecti obsederunt una cum *Bononiensibus* copiis *Bazani* castrum à Marchione *Estensi* antea occupatum, & præsidio mille peditum, & quadringentorum equitum munitum, suppetias autem Marchioni ad defensionem properanti attulit cum trecentis equitibus *Maghinardus*: tam Rubeus, & Carrarius. acri tamen custodia, & vallo septum invenere
399 Castrum, ut nihil commeatus importare potuerint ad obsessos alendos. Quocirca cum se triduo equina carne aluerint tandem die circiter octava Novembris pacta personarum, & rerum incolumitate Castrum *Bononiensibus* reddidere. At die deinceps 18. Decembris *Cæsenates Polentam* circumvallarunt, demumque ceperunt, pluresque centum triginta vinctos *Cæsenam* adduxere, (Annales nostri.) quos una cum præda omni Præfecto *Galasso* dono dedere, qui cum prius donum ut sibi gratum acceperit, captivis deinde libertatem, & bona restituit: eo facto sibi homines obsequentiores reddidit: quam si præsidio imposito coercuisset. (Anno 1297. Rub. Carrarius, Annales nostri.) Successit annus 1297. quo in Prætura *Rubertutio Arguliosо* successit *Guillelmus Æsinus*, & in conventu Transpadano Marchionis *Estensis Maghinardi*, & *Galassi* cum Civitatum fæderatarum oratoribus electus fuit imperator, seu Dux Generalis belli pro iisdem fæderatis Civitatibus *Cæsena* scilicet: *Forolivio*, *Faventia*, *Imola*, *Ugutio Fagiolanus Maghinardo* successor. Venit is die 21. Februarii *Forolivium*, & inde *Faventiam*, *Imolam* postea profectus est. Hinc constat eorum error, qui *Cæsenæ* dominatum *Maghinardum* dicunt, fuit *Cæsenæ*, & reliquæ Provinciæ *Ghibellinæ* militaris is imperator anno 1296. at nequaquam dominus. Potius tunc *Galassus* semityrannus fuit, quem arbitror statum descripsit *Dantes* de *Cæsena* loquens dicit.

Tra tirannia si vive, e stato franco.

Primum facinus sub *Ugutionis* ductu fuit *Lugi* occupatio, cujus etiam Castrum vetus, fossa, & vallo munierunt, idque in Pontificis, & Ecclesiæ honorem à se factum jactantes. Non secus quam ante præsentem Regem *Ludovicum XIII.* ac ejus *Rupellanam* victoriam *Galli* hæretici faciebant, qui cum Regia vectigalia, & jura in occupatis Provinciis sibi omnia vindicarint. Ea tamen se pro Regis dignitate, & Regni incolumitate facere jactabant. Simulabant ergo, & tum *Ghibellini* proceres, ac *Ghibellinæ* in *Flaminia* Civitates se subjectas Pontifici, & fidas esse, & Rectoribus solum pro eorum injustitia, & populorum oppressione repugnantes. Exercitus postea versus *D. Petri* Castrum ditionis *Bononiensis* ivit
400 usque ad *D. Stephani* in *Quaderno* indeque supra viam ad *Varignanam* omnia præda, & cædibus complevit, prædamque omnem *Imolam* comportavit, quo equites ducenti *Aretini* (in factione enim *Ghibellina* conveniebant) & *Galassus* Comes cum equitatu, & peditatu *Cæsenate* advenere. Coactus ibi Exercitus decrevit *Bononienses* aggredi, qui ad *D. Petri* universis fere copiis considebant. Triplici ergo instructus acie præmissis nuntiis, qui hostem ad pugnam invitarent, ad illos accessit, at intra vallum *Bononienses* se continuere, neque eam aleam subire voluerunt, in qua de *Bononia* ipsa agebatur adversus solam in præsentia *Imolam*. Unde *Flaminii* quasi expresso adversariorum timore triumphantes cum militaribus lætitiæ signis *Imolam* rediere. *Galassus* inde *Cæsenam* cum militia repetiit. Erat tum inter *Britonorium*, & finitimos inimicitia ob diversitatem factionis: *Britonorium* enim cum Comite Provinciæ, & *Polentanis*, ac *Malatestiis* consentiebat, at *Livienses*, *Pompilienses*, & *Cæsenates* contrarii, discordibus autem animis vicinitas novam subinde offensionum occasionem subministrabat: gliscentibus ergo odiis *Cæsenates* post reditum à *Bononiensium* provocatione die demum 25. Julii *Britonorium* obsederunt, Arce in *Monte Majo* excitata, immo potius reædificata. Ita Annales nostri 1297. (inquiunt) *die 21. Julii Cæsenates obsederunt Britonorium, & reposuerunt Montem Magium, & pulcherrimam Arcem in ipso construxerunt.* Cum ergo reposuisse dicat alias constructa ibidem fuerat. Duravit autem diu obsidio, nam adhuc mense sequenti Februario stringebat adeo *Galassus* Oppidum, ut fame Oppidani angerentur, ut dicemus. Obsidio tamen non fuit continuato vallo, sed disjunctis Castellis, quibus imposita Præsidia, ne quid annonæ importaretur prohibebant. Certum est non totis copiis circonvallatum Oppidum, nam *Cæsenates* accitis *Foroliviensium*, & *Imolensium* auxilis ducente *Galasso* die 25. Augusti *Ariminensem* agrum invaserunt, & quicquid ejus citra fluvium *Ariminum* est, fæde vastaverunt diripueruntque, & una cum *Longiano* combusserunt. Damnum illatum inæstimabile fuit at non 401
distulere *Ariminenses*, & *Malatestii* Principes, tum potius, quam Primates *Arimini* ultionem. Magno enim coacto exercitu cum jam *Cæsenatum* auxilia ad patrias remeassent, territorium *Cæsenæ* ingressi, *Bulgaria*, & intermediis villis divexatis, Castrum *Calisidii*, & *Tumbam* vocatam *Cazam* ceperunt. *Rubeus*, qui nostrorum impetum in *Ariminenses* describit ultionis eorum non meminit, at Chronicon nostrum (scilicet Annales dicti) optima fide æque damna à nostris illata, atque suscepta narrat: placet verba ejus exscribere. *Anno* (inquit) 1297. *die 25. Augusti Cæsenatenses cum Romagnolis scilicet Foroliviensibus, Faventinis, Imolensibus, cremaverunt circa Marecchiam totum comitatum Arimini, & Lonzanum, & fuit quasi inæstimabile damnum.*

Et statim subjungit.

1297. *die penultima Augusti Ariminenses acceperunt Castrum Calisidii, & Tumbam de fontanis de Cazano, & tunc Comes Galassus dominabatur Cæsenæ.*

Utrum autem ea loca detinuerint, & munierint, an direpta, & forte combusta dimiserint nihil ibi scribitur. Credo tamen dimisisse, secus & *Galassus*, & Civitas revocatis amicis pro recuperatione pugnassent, & nullius pugnæ ulterioris mentio fit. Facta tamen fuisset, & in quodam manuscripto Civitatis scribitur *Galesidium* fuisse à *Cæsenatibus* recuperatum, magna cum *Ariminensium* cæde, mense vero sequenti Septembris magnum erupit inter *Malatestios* dissidium, cujus repetenda est origo. Anno millesimo ducentesimo octuagesimo nono, quo *Monaldensi* Provinciæ Comiti *Stephanus Columna* successit, dum hic *Arimini* morabatur *Joannes* ex claudítate *Zottus* vocatus vulgo. *Malatestæ* filius eodem ictu transfixit *Paulum* Fratrem, & *Franciscam* uxorem suam turpi inter se amplexu cohærentes. Ex *Paulo*, & *Margherita* uxore *Glazoli*, & aliorum Castrorum hærede natus erat, jamque adultus *Ubertus*, qui ex materna hæreditate passim *Glazoli* Comes vocatus fuit, adeo ut cum Comes *Glazoli* diceretur. *Ubertus* significaretur.

Hic

402 Hic ergo ægre ferens patris mortem, non tolerabat æquis occidi occisoris paterni, *Joannis* (licet sibi Patrui) aspectum. Quod facile agnoscens, vel suspectans patruus homo ferox, vel aspectu, vel dictis infensum se potius nepoti præbebat, quocirca *Ubertus* odio, & metu adductus se à patruo, adeoque & ab Avo, & à suis subduxit, *Cæsenam*que venit *Glazolo*, & reliquæ ejus ditioni propinquam, ibique maximam cum *Galasso* infensissimo *Malatestiorum* hoste arctamque amicitiam junxit, totus *Ghibellinus* factus. *Ghibellini* autem læti viri accessu, & dissidio familiæ ipsis adeo exosæ, amplexi eum sunt, utque in eodem factionis studio confirmarent completo jam magistratu *Ugutionis* illum ipsi in reliquos sex menses in militari imperio suffecerunt. Fuitque adeo ipse tertius *Flaminiorum* militum fæderatarum nempe Civitatum Imperator, sub quo, quæ facta sunt subinde exponemus. Sub hæc tempora *Cæsenates*, *Livienses*, *Faventini*, & *Cornelienses* invitis *Ravennatibus* sal ex *Cerviæ* salinis extrahebant. Ita siquidem *Ravennates* responderunt *Venetis* querentibus id contra conventiones esse, responderunt autem se non posse propter bella, quæ cum illis Civitatibus gerebant id prohibere. Eodem anno die 27. Novembris turpe facinus perpetravit *Guido Petrella S. Agatæ* Dominus, in eo enim territorio magno spoliavit thesauro *Ludovicum Sabaudiæ* Comitem, qui *Romam* proficiscebatur, quo turpi latrocinio notam infamem sibi, & suis inussit. Reliquum anni 1297. eundem rerum statum retinuit, perseverabat interim modo dicta *Britonorii* obsidio cujus finis erat inopia rerum Oppidanos conficere, non oppugnabant autem Oppidum diffisi expugnationis ob mænium, & propugnaculorum firmitatem, & situs difficultatem. Hoc anno *Cæsenæ* duo fuerant Prætores, ut mos erat semestres esse; primis scilicet sex mensibus *Guillelmus Æsinus*; posterioribus autem *Hieremias* filius D. *Guidonis Rigii* de *Polenta*, ut Chronici verbis utar. Hujus tamen producta fuit Prætura, nam successor *Guillelmus* de *Obdolinis Cremonensis* ingressus est Civitatis Præturam die solum quinta Aprilis anni 403 sequentis millesimi ducentesimi nonagesimi octavi, quo anno die decima Februarii *Rogerius Caza* à Sacris Pontificis *Britonorium* venit à Pontifice missus ut Oppidum illud, & Arcem nomine Pontificis acciperet, curaretque obsidionem *Cæsenatum* solvendam, atque annonæ frumentariæ, qua angebantur *Britonorienses*, annona aliunde convecta succurreret. Angustiam, & inopiam oppidanorum describit his ipsis verbis Chronicon, quibus etiam adventum Rogerii refert. 1298. *die decima Februarii Dominus Rogerius Caza Capellanus D. Papæ ivit ad Castrum Britonorii, & pro Ecclesia Romana fortilitias accepit, quia habitatores ipsius Castri in tam maxima penuria erant, quod victualia ullo modo habere non poterant, quia Comes Galassus cum suis amicis undique faciebat illud custodiri ne alimenta ipsis Castellanis possent exhiberi.* Concessit Senatus *Ravennas* juxta oratorum postulata facultatem extrahendi quater mille frumenti sestaria *Ravennatia* absque vectigalis ullius solutione *Britonoriensibus*. Cur vero passus sit *Galassus*, & *Cæsenates* à ministro Pontificio Oppidum sibi eripi deditioni jam propinquum cum denegarent Pontifici à quo desciverant debitam Civitatis obedientiam, aliosque rebelles adjuvarent non est satis expedita conjectura, nisi forte libertatis suæ tenaces in ea persisterent, & severis Comitum legibus repugnarent, at non æque de extendenda ditione. Post hæc eodem anno die 5. Aprilis *Raules Mazolinus Cæsenas* eques, ac vir in aliis administrationibus exercitus *Forolivium* ivit Præfectus à Civitate electus sic enim Annales nostri. 1298. *die quinta Aprilis Dominus Raules de Mazolinis ivit pro Capitaneo Civitatis Forolivii.* Cum etiam Prætor ibi *Conradus* Comes *Petræ Rubeæ*, at turpiter fuit opera *Ordelaforum* à *Forolivienfibus* ejectus. in Chronico eodem nostro scribitur hoc eodem anno *Maghinardum*, & Comitem *Galassum* una cum *Alidosio Imolam* ivisse, & quasdam domos combussisse, ejectis *Bononiensibus*. *Dominus* (inquit) *Maghinardus de Susinana, & Comes Galassus de Cæsena, & Alidosius de Imola cum amicis suis venerunt Imolam, & combusserunt quasdam domos Bononiensibus expulsis.* Quæ narratio si importaret ad *Imolam* recuperandam profectos, 404 falsa esset: nam postquam anno 1296. die postrema Martii eam ceperunt amplius amiserant; oportet id potius interpretari in *Imolæ* occupatione relictos esse aliquos incolas *Bononienses*, quorum cum fides suspecta evaserit, eos ejecisse ex Civitate, & domos forte furtivo ingressui opportunas demolitos esse; an forte ejusmodi *Flaminiorum* expeditio ea est, quam Historicus *Bononiensis* narrat sub hoc anno, cum ad *Silerum* flumen acerrime pugnaverunt *Flaminii*, & *Bononienses*, quorum nonnulli capti inter quos *Ginoras* Semiti Comes summopere Marchioni *Estensi* invisus, qui eum ab *Ugutione*, & *Maghinardo* petiit: at *Lambertatii* ad permutandum cum *Rigucio Lambertatio Bononiæ* in vinculis detento, obtinuerunt. Hoc eodem anno insecuta negotia pacis *Bononiensis* Reipublicæ cum extorribus *Lambertatiis*, arbitri utrinque pacis, & controversiarum inter partes electi communi voto. *Matteus Turrianus Mediolani* Cæsareus vicarius, & *Albertus Scaliger Veronæ* Præfectus nonnisi tamen hoc anno sequente ad exitum negotiatio pervenit. Pertinet hoc ad res nostras nam *Lambertatiorum* vires cum *Flaminiis* fœderatis *Ghibellinis* scilicet jungebantur. At etiam de pace *Bononiensium*, & Marchionis *Estensis* agi tum incepit, qui fæderatorum pars insignis erat, necesse erat ex ejusmodi negotiationibus *Galassum* etiam, & *Maghinardum*, & fæderatas Civitates, quid sibi tum faciendum esset providere: contra enim *Bononiensium* potentiam, & dimidium ferme Provinciæ scilicet *Ariminum*, *Cerviam*, *Ravennam*, *Britonorium*, & Oppida alia plurima, solæ restabant. Quæ consideratio paravit procul dubio animos ad cogitationem, & desiderium pacis, quæ anno sequenti peracta fuit ut mox exponemus latius aliquanto solito, & distinctius. *Florentini* vero fuere, qui se inter *Bononiam*, & *Estensem* ad animos conciliandos interposuere. Et prudens sane consilium est vicinorum etiam bellorum incendia restinguere, arma tamen toto anno retenta, licet non multum vibrata. III. Kal. Octobris *Guido* olim Comes *Montefeltrius*, at tum Divi *Francisci* habitu indutus, & paupertatem, & 405 humilitatem illam singularem professus *Anconæ* obiit. Die sequenti Comes *Galassus* jam Præfectus *Cæsenæ* una Praeturam suscepit, quæ duo munia usque ad mortem retinuit, tantum auctoritate auctus, ut Annales Dominum vocent. Consequutus annus millesimus ducentesimus nonagesimus nonus fuit ob paces conciliatas his Provinciis salutaris; fessi erant sane diutinis bellis, & præsertim finitimis, & domesticis Populis; licet animorum furentium ardor interdum tolleret damnorum, & defatigationis sensum. Paces tres fuerunt inter *Azonem Estensem*, & *Bononienses*, inter *Bononiensem* Rempublicam, & *Lambertatios* exules, & inter *Bononienses*, & *Flaminios*, quæ pariter inter *Flaminios* ipsos pacem continuit. Hanc tertiam distincte narrabimus; literas

Annales nostri, & Carrarius.

Anno 1298.

Ghirardat.

Anno 1299.

ras usque hinc inde scriptas, & publicas pacis tabulas referemus. Non satis apertum est quod fuerit initium negotiationis pacis attamen pacificator fuit F. *Agnellus* Ordinis Prædicatorum Prior Conventus *Faventiæ*, cujus acta, & literas penes *Ghirardatium* legimus: supponunt tamen aliquid antea actum. Erat tum fœderatorum Dux Generalis, sive imperator *Zapetinus* de *Ubertinis* ut conspicuum hinc sit, dignitatem eam generalis Ducis singulis annis mutari solitam instar Præturæ, atque Præfecturæ, nam hoc anno erat *Zapetinus*, & tres alii ab anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto præcesserant *Maghinardus*, *Ugucio*, *Fagiolanus*, & *Ubertus Malatesta Glazoli* Comes: Nomine autem *Zapetini*, & *Galassi*, & *Maghinardi* scripsit Prætori, & Magistratibus *Bononiensibus* Frater *Agnellus* nolle ipsos in proposita pace tractanda mentionem ullam à *Bononiensibus Lambertatiorum* fieri (forte noverant jam *Lambertatios* ipsos per se concordiam quærere) promptos autem esse ad conveniendum ubi *Bononiensibus* libeat: modo tutus accessus ad agendum de pace. *Bononienses* itaque habito consilio hanc fidei publicæ formulam misere. Placet retinere linguam *Italicam*, qua scripta fuit.

Al nome di Christo l' anno del medesmo 1299. *indittione* 12. *a di primo Aprile Ottolino da Mandello Pre-*
406 *tore di Bologna*, *Biagio de Tolomei Capitano di Populo*, *li quattro Antiani di Populo del me se di Marzo à quali sopra le cose della Guerra dal Consiglio*, *e dalla massa del Popolo generale è data ampia autorità per vigore del loro arbitrio con ogni ragione*, *e modo che meglio possono di consenso del Consilio*, *e volontà della maggior parte degli Antiani*, *e Consoli del mese di Marzo prossimo passato*, *e del presente mese d'Aprile*, *e di trè sapienti per ciascuna Tribu*, *& del Proconsolo della società de Notari*, *preministrale della compagnia delle Spade diedero*, *concessero secura fidanza* (*o salvo condotto*) *alli Signori Zappetino Generale della lega*, *e de gli amici suoi della Provincia della Romagna*, *Pretore di Forlì*, *à Maghinardo Pagano da Susenana Pretore*, *e Capitano di Faenza*, *e d'Imola*, *a Galasso Conte di Montefeltro Pretore*, *e Capitano di Cesena*, *& a gl' altri nobili Ambasciatori*, *overo sapienti delle Città*, *e luoghi degli amici loro*, *di detta Provincia insino al numero di tredici senza quei*, *che verranno con essiloro condurre di venire*, *stare*, *e ritornare à trattar nel parlamento da farsi col detto Pretore*, *Sapienti*, *Antiani*, *Ambasciatori*, *che col detto Pretore veranno*, *& alla sopranominata congregatione si ritroveranno al numero di tredici non computato il Pretore*, *e suo compagno senza la sua militia*, *e per maggior sicurezza di detto salvo condutto*, *e fidanza fecero la detta scrittura autentica corroborata col sigillo commune atacata nella camera del Pretor di Bologna sendo presente Giovannino di Giovannino Notario*, *e Bonaventura di Zambone.* Cum vero sequenti statim die F. *Agnellus Faventiam* reverterit literas *Bononiensium* attulerit *Maghinardo*, & Senatui, & postridie *Forolivii* convenerit *Zappetinum*, & Magistratus eodemque die fuerit *Cæsenæ* itineris sui progressum, & Civitatum responsa his ipse literis *Bononiensibus* significavit.

Magnificis viris Dominis Ottolino de Mandello Potestati, *& Blasio de Tolomeis Capitaneo Civitatis Bononiæ*, *& honorabilibus Civibus*, *Antianis*, *& Sapientibus credentiæ Civitatis ejusdem Frater Agnellus Prior Fratrum Ordinis Prædicatorum in Conventu Faventiæ cum recomendatione se ipsum vestræ Magnificentiæ præsentibus manifesto*, *quod apportata à*
407 *vobis cum retuli Maghinardo die Jovis secundo Aprilis miro cum favore*, *& gratia sunt recepta*, *& dicta Faventiæ in Consilio credentiæ modo simili cum gaudio sunt audita: placuitque eis*, *quod ea deferrem Forolivium*, *& Cæsenam*, *quæ cum Forolivii sequenti die veneris retulissem potestati Capitaneo*, *& Antianus gaudiose*, *& favorabiliter susceperunt*, *eodemque die perveni Cæsenam*, *& Sabbato sequenti de mane retuli Comiti Galasso*, *& adunantiæ Sapientium ubi fuerunt viri amplius*, *quam quinquaginta*, *& audierunt cum favore*, *& Gaudio simili*, *ut priores: omnesque Ramanioli tam principales Capitanei*, *ut Maghinardus Zappetinus*, *& Comes Galassus*, *quam cum aliis nobilibus*, *Sapientibus*, *Consiliariis*, *& sequacibus si ita est de bona voluntate vestra*, *ut ego eis fideliter retuli*, *se offerunt veram pacem*, *unionem*, *promotionem*, *conservationem*, *& exaltationem honorabilis Populi*, *& communis Bononiæ cum rebus*, *personis*, *& viribus omnibus daturos prompto animo operam efficacem*, *& quia me procedere oportuit non potui vobis citius respondere. Hoc autem significo ut bono animo semper sitis*, *& sciatis negotia Deo auspice prosperari. Parlamentum autem usque ad diem Mercurii differetur ut dixi die Jovis*, *quo de Bononia recessi. Vobis Dominis Potestati*, *& Capitaneo securitatem habet Dominus Henrigitus Feliciani plenam solum ex verbo meo*, *& ita dixerunt omnes Capitanei*, *quod solum cum signo meo per eorum fortiam non solum unus*, *sed etiam quattuor de majoribus*, *& melioribus possent libere pertransire*, *& prædictum Dominum Henrigitum honorabiliter*, *& per districtus eorum facient fideliter sociari. Vos autem mittatis supplico illis de Massa*, *& Tussignano*, *quod istis diebus quibus nuntius vester per Romaniolam transit*, *ab incursibus abstineant*, *quia similiter Romanioli abstinebunt. In Christo valete semper. Scriptum Cæsenæ circa horam nonam Sabbato prædicto. Hoc autem scribo vobis per meum nuncium specialem nomine Baldutium de Cæsena.* His literis responderunt Prætor, &c. *Bononienses* ex ordine Senatu probando quæcunque fecerat, seque scilicet Prætor cum aliis à Senatu jam, & consilio destinatus die octava Aprilis conventui in D. *Petri* Castro adfuturos. In qua congregatione id in summa statutum, quod hac publica scriptura continetur.

Ad reverentiam, *& honorem omnipotentis Dei*, 408
Beatæque Virginis Mariæ utriusque curiæ Celestis, *& ad honorem*, *& reverentiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, *& Sanctissimi Patris D. Bonifacii Papæ Octavi Summi Pontificis*, *& suorum fratrum ad pacificum*, *& tranquillum statum communis*, *& Populi Bononiensis & totius Provinciæ Romandiolæ*, *& omnium*, *& singulorum dictæ Provinciæ cujuscumque conditionis existant Dominus Ottolinus de Mandello Potestas Bononiæ*, *Antiani*, *& sapientes infrascripti convenientes ad parlamentum pro communi Bononiæ cum Dominis Zappetino de Ubertinis Capitaneo generali ligæ*, *& amicorum suorum Romaniolæ Potestate Forolivii*, *cum Galasso Montis Feretri Prætore*, *& Capitaneo Civitatis Cæsenæ Mainardo Pagano de Susinana Potestate*, *& Capitaneo Civitatis Faventiæ*, *& Capitaneo Civitatis Imolæ occasione pacis tractandæ*, *& firmandæ inter ipsum Commune Bononiæ Civitates*, *& loca dictæ Provinciæ Romaniolæ*, *& prædictos nobiles Zappetinum*, *Galassum*, *& Maghinardum Civitatis Cæsenæ*, *Forolivii*, *& Faventiæ*, *& Imolæ*, *communia*, *& Terras*, *& sequaces ipsorum secundum quod præordinatum erat de voluntate utriusque partis per fratrem Agnellum Priorem conventus fratrum Prædicatorum de Faventia mediatorem inter ipsos convenerunt invicem utraque pars scilicet dictus Dominus Ottolinus Potestas*, *Domini Joannes de Mezoullanis*, *Joannes Petri Sicchi*, *Michael Vinciguerræ*, *& Bartolomeus Venturæ Antiani præsentis Mensis Aprilis*, *& Martii proximi præteriti*, *Dominus*

minus Bonincontius dell' Hospetale Decretorum Doctor, Ubaldinus de Malavoltis, & Jacobus de Tencarariis Doctores legum; Domini Albertus de Asinellis, Bonifacius de Samaritanis, & Antonius de Galluciis milites, Dominicus Tolomei Proconsul societatis Notariorum. Albertus Domini Laurentii Bonacapti judex præministralis societatis spadarum, Romeus de Pepolis, Joannes Loatti, & Guidottus de Locandinis Sapientes, ac Ambasciatores communis Bononiæ ex una parte, & prædicti Dominus Zappetinus, Comes Galassus, Maghinardus, & Dominus Ubertus de Malatestis Comes de Glazolo, Dominus Alcossus de Pipinis Judex, D. Dontecherius de Castrocario Judex, Dominus Tebaldus de Calanco, & Antonius de Rubeis Ambasciatores Fo-
409 *rolivii, Dominus Guido Raulus, Dominus Taddeus de Acarisiis, D. Guido Rainucii Ambasciatores Civitatis Faventiæ, Dominus Bartolomæus Carnelvaris: D. Azonus de Azardis, D. Pocaterra de Montigliano Ambasciatores Civitatis Cæsenæ: D. Petrus Patarinus Judex, D. Ugolinus D. Petro Boni D. Mondus de Bimellis Ambasciatores Civitatis Imolæ ex alia parte, & promiserunt de vera & recta, & syncera fide dare operam efficacem, quod vera pax fiet inter commune, & Populum Bononiensem, & loca Provinciæ Romandiolæ dicto communi Bononiæ adhærentia, & sequaces d. communis Bonon. dictæ Provinciæ ex una parte, & prædictos Dominos Zappetinum, Comitem Galassum, & Maghinardum, & alios superius nominatos, & Civitates, & loca supradicta, & alia loca dictæ Provinciæ eis adhærentia, ipsorum sequaces de Provinciæ ex alia parte determinantes, & deliberante invicem, quod nihil recusabunt conveniens, nec proponent, seu petent inconveniens, sed ea tantum, quæ ad bonum statum Comm. & Civit. & Pop. Bonon. & Civitatum, & locorum dictæ Provinciæ eis adhærentium, & sequacium, & d. D. D. Zappetini, Galassi, & Maghenardi, & Civit. & Communitatum dictorum locorum, & sequacium ipsorum de Provincia dignoscentur pertinere, & omnem contravolentem tractabunt pro inimico publico, & Comm. Bonon. & utriusque partis. Actum inter Castrum S. Petri, & districtum sive comitatum Imolæ ex parte inferiore stratæ in campis, loci, & contratæ nominatæ, & dictæ Montironi sive Panicali præsente Fratre Agnello Priore Fratrum, & Conventus Prædicatorum de Faventia fratre Jacobo Casotti de Bononia de ordine Prædicatorum D. Bartolomei de Farina Decretorum Doctore, D. Nicolao de Regio Notario Ambasciatorum D. Alberti della Scala, & D. Rogerio de Treglia Ambasciatore Domini Matthæi Capitanei Mediolani.*

Statuerunt autem ibidem sequentem sessionem futuram esse die decima tertia ejusdem mensis Aprilis, cui etiam adesse petierunt *Flaminii* cum *Bononiensibus* fæderati: erant Civitates *Ravennæ*, *Cerviæ*, *Arimini*, Oppidum *Britonorii Guido Polentanus*, & filii *Malatestæ*, Comites *Cunii*, *Manfredi*, & *Calbuli*, additur *Tibertus Carnelvarius*, & extorres, demum *Faventini*, *Forolivienses*, &
410 *Pompilienses* in eodem erant cum *Bononiensibus* fædere. Cum quorum Oratoribus *Ravennæ* in Concilio ibi habito convenerant iidem *Flaminii* omnes perpetuam cum *Bononiensibus* Civitate, & Populo amicitiam se habituros, seque quotiescunque *Bononienses* jusserint, nec rei, nec vitæ pro Reipublicæ illius salute, & defensione parsuros. Idem Oratores contra nomine *Bononiensium* ad fæderatorum defensionem promisere, sed ad aliquas militum stipendio alendorum, & semper in promptu habendorum formulas etiam devenere. *Guido Polentanus Ravennatum* nomine centum cataphractos equites se habiturum: *Bernardinus Polentanus* vi-

Ghirardat. pag. 378. in literis ibi Bonon. & in seq. pagina.

A ginti quinque ejusdem armaturæ equites ex parte *Cerviensium* promisit: *Malatesta* nomine *Ariminensium*, & suo trecentos pollicitus, quos *Arimini* perpetuo haberet. *Britonorienses* viginti quinque obtulere, sed quibus stipendium à *Bononiensibus* penderetur, se sumptui impares esse: *Bononienses* ex altera parte ducentos ad minus equites, in *Romania*, & *Ravenna* cataphractos, & ipsos detenturos ad defensionem amicorum, & inimicorum excidium præterea vero Kal. Jun. se alium equitatum missuros, qui inimicorum messem, & fructus omnes diripiat, ac vastet. Iidem *Bononiensium* amici cum de pace agi inter *Bononienses*, & *Flaminios* adversarios intellexere miserunt Comitem *Cunii Bernardinum*, & *Ugolinum Bozolam*, qui offerebant se; immo petebant interesse conventui in quo de pace agi debebat: Modo id *Bononiensibus* placeret. Interim vero orabant, ne pacem concluderent non habita fidorum adeo amicorum ratione. Responderunt *Bononienses* nullam se facturos pacem, in qua ipsi etiam *Flaminii* non includantur, eorumque incolumitati, & quieti non consulatur; cæterum non arbitrari utile si ipsi crudæ adhuc tractationi intersint. Convenere ergo rursus *Bononienses*, & *Flaminii* ad eam tractandam electi, quos non semel utrinque memoravimus, *Imolæ* in Ecclesia Cathedrali ejus Civitatis D. *Cassiano* sacra: ibi vero Prætor *Bononiensis* petiit, ut *Imola* Reip. *Bononien.* restitueretur ad pacem conciliandam, cui petitioni cum non assenserint *Flaminii*, sed rem amplius maturandam responderint, *Bononienses* 411
ad D. *Petri* Castrum revertere: die autem 14. *Zappetinus* ex Civitate *Imolæ* scripsit nomine suo, & cæterorum scilicet *Galassi*, *Maghinardi*, & Civitatum procrastinando in alterum diem responsionem, quæ demum fuit. Nolle *Flaminios Imolam Bononiensibus* concedere, at Oratoribus responsum ejusmodi afferentibus *Ubaldinus Malvolta* Orator *Bononiensis* denunciavit, non aliter pacem, quam concedendo *Imolam* confectum iri; ideo *Flaminii* Proceres, & Oratores diligentius rem secum reputarent. At convenere tandem inducias prorogare quousque pacis negotiatio perdurat. Novi ergo conventus ad deliberationem absolvendam dies dicta secunda post octavam Paschæ Resurrectionis: exinde ambæ partes patriam repetiere. At vero antequam conventum de pace peragerent rursus die 25. Aprilis scriptæ sunt literæ à *Romaniæ* nostræ Proceribus, & Civitatibus, quibus significabant *Bononiensi* Prætori, ac Magistratibus, & Consiliis à se Oratores destinatos, nomina quorum etiam continebant. Fuerunt autem *Benevenutus* de *Blanchis*, *Nicolutius* de *Sigismondis*, *Antonius* de *Rubeis* pro communi *Forolivii Guido Ranutius* jurisperiti, *Manardinus* è *Manardinis* pro communi *Faventiæ*, *Petrus* de *Patarenis* Jurisperitus, *Ostasius Sersanti* pro communi *Imolæ*. *Jacobus* de *Blasiis*, *Fuscus Joannis* pro communi *Cæsenæ* in referendis autem scribentium nominibus non eadem penitus descriptio, est autem. *Zappetinus de Ubertinis Potestas, Gerardus de Henzola Capitaneus, Antiani Consilium, & commune Civitatis Forolivii. Gatassus Comes Montis Feretri Potestas, & Capitaneus, octo defensores populi, Consilium, ac commune Civitatis Cæsenæ. Maghinardus Paganus Potestas, & Capitaneus, Antiani, consilium Civitatis Faventiæ. Masius de Acharisiis Potestas, Maghinardus Paganus Capitaneus, Antiani Prior Gofalonerius societatis Sancti Donati consilium, & commune Civitatis Imolæ: Petrus Guillelmus Malvasius, & Theodoricus Comites, Potestas, consilium, & commune Castrocarii.* Ut constet *Cæsenæ* tum Magistratum primum, qui nunc est sex Conservatorum Populi, fuisse octo defensorum

Ghirardat.

412 forum itidem Populi. Concilium demum de pace coegere solum die 29. Aprilis in reliquis omnibus concordes in sola cessione *Imolæ* dissentiebant, at tandem controversiam hunc in modum composuere. Custodiam *Imolæ Mattheo* Vicecomiti *Mediolani*, ut ipse se vocabat Capitaneo, & Vicario Sacri Imperii, & *Alberto Scaligero Veronæ* tradi in sex menses; eligi Ducem *Romaniæ* generalem scilicet *Imolæ*, *Faventiæ*, *Forolivii*, &c. *Octolinum* ipsum *Mandellum Bononiæ* tum Prætorem ad testandam sinceram *Zappetini Galassi*, & *Maghinardi*, & Civitatum fœderatarum, erga *Bononiensem* Rempublicam voluntatem. Tandem confecta pax cujus tabulæ hæ fuerunt in quibus conditiones etiam, & formula patet.

In Christi nomine, & Beatæ Mariæ Virginis, & totius Curiæ Cœlestis ad honorem, & reverentiam Summi Pontificis, suorumque fratrum, & totius Curiæ Romanæ ad bonum pacificum statum, perpetuamque unionem pacis inviolabiliter perpetuo conservandæ inter commune, & Populum Bononiæ, suosque sequaces, & eidem adhærentes de Provincia Romaniolæ ex una parte, & Nobiles, Civitates, & loca Ligæ amicorum de Provincia Romandiolæ, & ipsorum adhærentes, & sequaces dictæ Provinciæ ex alia parte anno ejusdem Domini N. J. C. millesimo ducentesimo nonagesimo nono Indictione duodecima quarto Mensis Maji Dominus Ricardus, D. Ægidii Notarius de Bononia Sindicus communis, & Populi Bonon. pro ipso communi, & Populo Bonon. & nomine, & vice sequacium dicti Populi, & communis, & eisdem adhærentium de Provincia Romaniolæ ex una parte ut constet ipsum esse Sindicum ad infrascripta specialiter constitutum ex instrumento scripto manu Joannis D. Anconii de Auliveriis Not. in millesimo ducentesimo nonagesimo nono Indictione duodecima die undecimo mensis Aprilis, & Benevenutus de Blanchis Judex de Forlivio Sindicus generalis, Procurator, & certus nuntius nobilis viri D. Zappetini de Ubertinis Capitanei Generalis Ligæ amicorum suorum Provinciæ Romaniolæ, & ejusdem Societatis, & Ligæ videlicet amicorum Societatis, & Ligæ Civitatis Forolivii, Cæsenæ, Faventiæ, Imolæ, & Castrocarii dictæ Provinciæ ad infrascripta specialiter constituti in generali parlamento dictorum dictæ So-
413 *cietatis, & Ligæ dictarum Civitatum, & locorum, ex instrumento dicti Sindicatus facto in dictis millesimo, & dictione die Dominico tertio Mensis Maji, in caminata Patatii Episcopatus Imolæ per Jacobinum olim D. Philippi Ricardini Notarii de Forolivio, & Notarii prædicti D. Capitanei nomine, & vice ejusdem Domini Capitanei, & dictæ Societatis, & Ligæ, & amicorum prædictorum Ligæ prædictæ, ac etiam nomine, & vice sequacium, & adhærentium prædictorum Ligæ prædictæ, & Provinciæ prælibatæ. Et Ser Margaritus Fratris Rolandi de Forolivio Sindicus communis, & Populi Civitatis Forlivii ad infrascripta specialiter constitutus ex instrumento scripto per Honestum de Rubeis de Forlivio, in dictis millesimo, & indictione, & die Dominico duodecimo mensis Aprilis nomine, & vice dicti Populi, & communis. Et D. Guido Raynuccii Judex de Faventia Sindicus communis, & Populi Civitatis Faventiæ ad infrascripta specialiter constitutus ex instrumento scripto manu Bartolini Guidonis de Cunio Civis Faventiæ Notarii in dictis millesimo, Indictione, die undecimo mensis Aprilis, nomine vice dicti Populi, & communis. Et Ser Jacobus de Balsiis de Cæsena Notarius Sindicus Communis, & Populi Civitatis Cæsenæ ad infrascripta specialiter constitutus ex instrumento Fuschelli Joannis de Linaria de Cæsena Notarii in dictis millesimo, indictione die duodecimo mensis Aprilis nomine, & vice dicti Populi, & Communis. Et Ser Jacobus de Ivanellis de Imola Sindicus Communis, & Populi Civitatis Imolæ ad infra-*
A *scripta specialiter constitutus ex instrumento scripto manu Ser Martini quodnam fratris Rainerii de Cæsena Notarii in dictis millesimo, indictione, & die Dominico duodecimo mensis Aprilis, vice, & nomine dicti Populi, & Communis. Et Albertinus Gulielmi de Castrocario Sindicus communis, & hominum Castri Castrocarii, ad infrascripta specialiter constitutus ex instrumento scripto per Fabricium Jacobi Fabricii de Castrocario Not. in dictis millesimo, indictione, & die 12. mensis Aprilis, vice, & nomine dicti Communis Castrocarii ex alia parte, fecerunt ad invicem osculo pacis interveniente, pacem perpetuam, & inviolabilem finem, remissionem, &*
B *concordiam de omnibus guerris, discordiis, inimicitiis, & offensionibus, injuriis, contumeliis, &* 414
damnis hactenus existentibus, factis, & illatis inter prædictas partes, & ab una parte alteri parti, & à qualibet universitate, & singulari persona, in alteram universitatem, vel singularem personam alterius partis, seu à sequacibus unius partis, in sequaces alterius partis ejusdem Provinciæ. Renunciantes ipsi Sindici sibi ipsis vicissim Sindicario, & Procuratorio nomine Civitatum, & locorum, quorum Sindici, & Procuratores sunt, & vice, & nomine sequacium cujuslibet partium de dicta Provincia eodem osculo pacis interveniente, & omnes & sin-
C *gulas injurias, & offensas, damna, & contumelias illatas, & factas ab una parte alteri parti, à qualibet universitate, seu singulari persona, in alteram universitatem, seu singularem personam, seu in sequaces cujuslibet partis de dicta Provincia, prætextu, seu occasione guerrarum, quæ tempore præterito hactenus fuissent inter Civitatem, Populum, & commune Bononiæ, & sequaces, & adhærentes populi, & communis Bononiæ de dicta Provincia, & inter dictas Civitates, & loca amicorum dictæ ligæ, vel aliquam ipsarum Civitatum, & locorum, & adhærentes, & sequaces eorundem de dicta Provincia. Et renunciantes ipsi Sindici sibi adinvicem Sindicario no-*
D *mine dictæ Civitatis communis, & populi Bononiensis, & dictæ ligæ amicorum prædictorum, & dictarum Civitatum, & locorum, quorum Sindici sunt, & nomine, & vice singularium personarum dictæ Civitatis Bononiæ, & ligæ prædictæ, & dictarum Civitatum, & locorum, & sequacium cujuslibet partis de dicta Provincia, omni juri, & actioni, quod, & quæ competeret, vel competere potest cuilibet parti dictæ Civitatis Bonon. & dictæ ligæ dictorum amicorum, & dictis Civitatibus, & locis, & singularibus personis dictæ Civitatis Bononiæ, & dictæ ligæ, & dictarum Civitatum, & locorum, & sequacibus eorundem de dicta Provincia nomine, & occasione*
E *dictorum damnorum, injuriarum, & offensarum illatarum, & factarum ab una parte in alteram partem, & à singularibus personis unius partis, in singulares personas, vel universitates alterius partis, & ab una universitate in alteram universitatem, & a sequacibus unius partis, in sequaces alterius partis, prætextu, interventu, vel occasione, vel ex discrimine guerrarum prædictarum.* 415
Quam quidem pacem, finem, remissionem, & concordiam, & ipsius pacis, finis remissionis, & concordiæ, perpetuam observantiam, ipsi Sindici Sindicario nomine, & nomine, & vice prædictarum partium, & prædictorum omnium fecerunt eodem
F *osculo, & . . . in animas prædictorum omnium, quorum Sindici sunt solemni Sacramento corporaliter præstito cum infrascriptis capitulis, & modis, conventionibus, & pactionibus à prædictis Sindicis hinc inde firmatis, & approbatis. In primis quod Civitas Imolæ sit, & debeat esse sub guardia, & custodia Magnificorum virorum, Dominorum Matthei de Vicecomitibus Capitanei Civitatis Mediolani, & Alberti della Scala Capitanei Civitatis Veronæ per ipsorum custodem custodienda, & salvanda quousque dictæ*

ctæ partes erunt in concordia: quod dicta custodia ulterius non fiat. Item quod dicti custodes habeantur, & esse debeant in Civitate Imolæ extra, & non communium, & universitatum dictæ ligæ. Item quod nominandi per dictos Dominos Matthæum, & Albertum eligi debeant per commune Imolæ ad regimen dictæ Potestariæ Civitatis Imolæ, & debeant esse Potestates dictæ Terræ toto supradicto tempore, & ipsam Terram regere in officio Potestariæ, & non alii in dicto officio, & habere debeant guardiam, & custodiam dictæ Civitatis Imolæ, cum custodibus eligendis per dictos Dominos Mattheum, & Albertum, & cum salario, & familia consuetis. Item, quod si contingeret Ecclesiam Romanam exposcere, seu postulare restitutionem dictæ Civitatis, Imolæ sibi fiendam, & nobiles Civitates, & singulares personæ universitatis dictæ ligæ obtinere possint à Summo Pontifice absolutionem bannorum, & processuum factorum contra eos per Summum Pontificem, vel ipsius Officiales, vel Legatos occasione occupationis dictæ Civitatis, vel esse concordes cum dicto Summo Pontifice, & Ecclesia Romana, quod tunc, & eo casu per dictos Dominos fiat restitutio dictæ Civitatis Ecclesiæ Romanæ. Item, quod omnia bona, & jura, & honores extrinsecorum Civitatis Imolæ, & comitatus, & districtus adherentium communi Bononiæ, quæ tenebant, & possidebant, seu quasi possidebant tempore proxime occupationis dictæ Civitatis extrinseci prædicti, restituantur eisdem, vel eorum hæredibus secundum quod ea tenebant, & possi-
416 debant, vel quasi possidebant tempore dictæ occupationis: & ipsi extrinseci, & eorum hæredes in eisdem bonis, & juribus, & in eorum honoribus, & in integrum restituantur, & salvis alienationibus juste factis ab ipsis extrinsecis, qui dicto tempore possidebant, vel quasi possidebant, vel ab eorum hæredibus, vel ab aliis pro eis. Item quod nominatio confinandorum dictorum extrinsecorum Civitatis Imolæ, numerus, tempus, & loca confinium remaneat in deliberatione, provisione, & dispositione dictorum Matthæi, & Alberti, & cæteri alii de Civitate, & Comitatu, & districtu Imolæ adherentes Communi Bononiæ libere revertantur, & reverti possint in dictam Civitatem Imolæ, & Terras, & loca, quæ detinentur, vel possidentur per commune Civitatis Imolæ, seu per homines dictæ Ligæ. Item quod omnes homines aliarum Civitatum, Districtuum, Comitatuum, & Locorum de dicta Provincia, quam Civitatis Imolæ, & comitatus, & districtus de quibus factus est singularis tractatus, sint, & esse debeant ad obedientiam suorum communium. Item quod omnes aliæ Universitates, Civitates, & Loca de dicta Provincia, quam Civitatis Imolæ, & districtus, de qua factus est singularis tractatus, & singulares personæ dictarum Civitatum, universitatum, & locorum, & eorum familiæ restituantur in omnibus eorum bonis, juribus, & honoribus, quæ habebant, tenebant, vel possidebant, vel quasi possidebant tempore guerræ inchoatæ inter unam Civitatem, & aliam, vel unam Universitatem, & aliam, vel Universitatem aliquam, & singulares personas ejusdem universitatis, vel alterius, vel inter partem, & partem alicujus Terræ universitatis, vel loci, ita quod ipsa bona jura, & honores habere, tenere, & possidere, & quasi possidere possint, secundum quod ea habebant, tenebant, vel possidebant tempore dictæ guerræ inchoatæ vel ante, vel tempore occupationis factæ de dictis bonis, juribus, & honoribus, salvis alienationibus factis de voluntate partium, & in eisdem bonis, juribus, & honoribus integre restituantur. Item, quod omnes, & singuli processus omnium dictorum extrinsecorum de tota dicta Provincia bannorum, condemnationum, collectarum, vel mulctarum, vel alii quilibet facti, & etiam statuta,
417 & reformationes, & ordinamenta facta occasione dictarum guerrarum, vel alia qualibet contra dictos extrinsecos à tempore guerrarum inchoatarum, seu expulsionis factæ de eis, sint cassi, & vani, & nul-
A lius valoris, & momenti, & cancellari, & aboleri debeant impune absque aliqua datione, vel extorsione pecuniarum. Item quod omnes represaliæ, & bona represaliarum, & omnes facti occasione represaliarum suspendantur, & suspensi esse intelligantur inter Commune Bononiæ, & Civitates, & Loca dictæ Ligæ Provinciæ Romaniolæ, & districtuales, & singulares personas dictarum Civitatum, & Locorum, & sequaces eorumdem de dicta Provincia hinc ad quinque annos proximos ita quod nemo eis uti possit infra dictum tempus. Item quod Domini de Valbona, & Abbas Galiatæ, & illi de Rocca S. Cassiani sint, & esse intelligantur ipsi, eorum bona, &
B jura, & eorum fideles amici, & sequaces comprehensi in dicta generali pace facta inter Commune, & Populum Bononiensem pro se, & ipsius sequacibus, & inter illos de dicta Liga, & Civitates, & Loca Ligæ prædictæ, salvis guerris specialium personarum, quæ in dicta pace non comprehendentur in dictis contractibus. Item, quod propter hæc, vel aliqua suprascripta non diminuantur jura, quæ Civitates, Universitates, & loca de dicta Provincia haberent contra aliquem eorum districtualem, pro exactione ad quam ipsi districtuales tenerentur Civitatibus, & locis eorum, vel eorum Universitatibus dicta Civitate Imolæ, ipsius Comitatu, & districtu, exceptis
C de quibus factus est singularis tractatus. Item, quod omnes carcerati utriusque partis, & sequacium utriusque partis detenti occasione guerræ libere de carceribus debeant relaxari. Item, quod Comitatus Montis Feretri non comprehendatur in dicta generali pace quantum est vicissim inter homines, & Universitates dicti Comitatus, sed quantum est inter homines dicti comitatus, & Universitates comitatus ejusdem, & inter Civitates Arimini, Cerviæ, Ravennæ, & Britonorii Cives, vel habitatores districtuales, & comitatinos, & sequaces eorundem intelligantur, & comprehendantur in pace prædicta comitatus prædictus. Salvo, quod si dictæ Civitates, vel aliqua
D earum, vel dictum Castrum Britonorii, vel homines, seu habitatores dictorum locorum guerram face- 418
rent dicto comitatui, vel hominibus dicti Comitatus, quod eo casu illi Civitati, loco, universitati, vel personæ, quæ guerram facerent dicto comitatui, dictus Comitatus, & homines dicti Comitatus ad observantiam dictæ pacis nullatenus teneantur. Acta fuerunt prædicta in Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indictione duodecima, die lunæ, quarto Madii, in contrata Crucis Pellegrinæ ex parte inferiori stratæ, in quadam pecia terræ aratoriæ, & vineatæ Dominorum Bonifacii, & Francisci de Samaritanis de Bononia, præsentibus religio-
E so viro D. Fratre Agnello Priore Fratrum Prædicatorum de Faventia, & Fratre Lantelmino de Cremona Lectore de dicto Ordine, D. Bartholomæo Farina, D. Nicolao de Regio Not. Oratore dicti D. Alberti della Scala, D. Rogerio Treglia Oratore dicti D. Matthæi Capitanei Mediolani, D. Guidone Aldrovandini de Ravenna, & D. Ventura Domini Bartholomæi Venturæ de S. Maria in Duni testibus ad hæc vocatis, & rogatis, una cum pluribus aliis.

Insero hic quod exciderat. De *Parcitatis* nimirum illis expulsis partimque occisis. Pulcherrimam uxorem *Parcitati Cæsenam* confugisse, ibique moratam; mortuo autem marito, adeoque
F jam Vidua Anno 1298. donationem *Marsabiliæ* filiæ fecit, cui interfuit in testem *Rigutius* alias *Henricus Belmontius Ricciardellus*ve, qui ab aliis Gentilibus suis aversus *Ghibellinam* factionem sectabatur, proindeque *Cæsenæ* tum *Ghibellinæ*, ac *Ghibellino* fœderi junctæ degebat: contra vero *Ludovicus* ejusdem familiæ quartus dicitur fuisse, qui in seditione pro *Malatestiis* classicum intonuit, unde sagitta ab adversariis ex balista percussus periit,

riit, pænasque originis infaustæ pugnæ luit. *Oddo* pariter, & *Ricciardellus*, è *Caminatibus* asserente *Clementino* conscii fuere, imo consilii *Malatestæ* participes dum specie amandandi milites suos partim absconditos retinuit, partim ad breve spatium emissos sisti jussit, indeque sopitis jam nimium credulis *Ghibellinis* in Civitatem revocavit. Hoc scilicet non raro accidit ut prævalidæ, & vetustæ familiæ scindantur in suaque convertantur (ut Poëta is dicit) viscera dextra. pace hac celebrata, & *Bononia*, & universa *Fla-*
419 *minia* publicæ lætitiæ signa omnino festa edidere, carcerati etiam bellorum occasione hinc inde gratis liberati, & res occupatæ restitutæ. *Rubeus* conditionem restitutionis, & ipse memorat in pace hac commemoranda, cum hac tamen exceptione. *Extra ea* (inquit) *quæ Malatestinus Malatesta Cæsenatum maxime arripuit, dum tamen id communi Ariminensium placuerit*, *alioquin illis ne ipse quidem fruitur.* At nulla talis exceptio in tabulis exscriptis, neque credo *Cæsenates*, & *Galassus* passi restrictionem essent. Cum *Galassus* autem nullis Provinciæ bellis distineretur ad ulciscendos inimicos suos arma convertit, duxitque *Cæsenates* secum eam illi operam libenter navantes. Magna intercedebant inter *Galassum*, & *Bartolinum Oliverium Bartolini* filium, & ejus gentiles odia. Obtinebant, quo jure quave injuria *Plegæ* Castrum, quod in Monte *Feretro* continebatur. Illud *Galassus* obsessum ivit die 29. Maji post pacem scilicet cum *Bononiensibus* dies 25. & demum expugnavit, cepitque invisos sibi homines; quorum *Bartolinum*, & filium palo suffixos sæva morte peremit; *Tinajum* vero, & alios gentiles amputata cervice sustulit: Castrumque diruit. Non multis post diebus sævum aliud factum contigit in Monte itidem *Feretro*, nam Oppidani *Petræ Rubeæ* in *Conradum* Comitem, ac naturalem eorum Dominum die 8. mensis Junii impetum fecerunt, ipsumque & ejus parvulum filium, nec non sororem ejusdem Comitis, & *Philippum* fratrem illegitimum obtruncarunt, uxoremque ejusdem tandiu custodierunt donec certi fuerunt, non esse gravidam. Nolebant enim ullam restare propaginem. Postea liberam mulierem dimiserunt, neque hic domus illius constitit infortunium, nam vix tribus elapsis mensibus die scilicet 25. Septembris *Tadæus Conradi* frater captus fuit à *Gabrardis* de *Macerata Montis* scilicet *Feretri*, & in vinculis habitus & ibi paucis post diebus occisus. Erant eo tempore metu *Bonifacii Octavi Columnenses* profugi eorumque *Jacobus*, & *Petrus* Cardinales exautorati, ac proscripti in incertum errabant: tandem in Castrum *Montis Veteris*, quod ipsi possidebant devenere, seque ibi incluserunt, at cum Pontifex literas Pontificias omnes in partes miserit, quibus jubebat quocunque
420 pervenissent, ibi detineri, eæque essent *Galasso* jam redditæ, & ipse adventum eorum intellexerit Castrum obsidione cinxit, & eo expugnato *Jacobum*, & *Petrum* cepit, quos ibi apposita custodia detinuit, donec Pontifex, quem de custodia certum fecit, quid de illis faciendum esset, statueret. Quid rescripserit Pontifex non video narratum, certum est in ejus manus exauthoratos Cardinales non pervenisse, vel ergo *Galassus* abire simulata custodia ob factionem permisit, vel ipsi corruptis custodibus aufugere. Annales nostri hæc tantum dicunt. 1299. *die* 23. *Octobris Comes Galassus Potestas, & Capitaneus Cæsenæ præcepto Bonifatii Octavi cum Cæsenatibus obsedit Castrum Montis Vecli de Rochis, quod Columnenses Romani possidebant. Carrarius* addit *Maghinardum* etiam cum magna manu adfuisse, & Castrum ejusmodi in montibus supra *Forlivium* esse: in nostro etiam territorio, Castrum est ejus-

(Margin notes: Chronicon, seu annales. — Chronicon idem. — Iidem scil. Annales.)

dem nominis. Præcesserat vero mense Septembris eod. anno *Torrentis* qui Civitatem findit, (& *Cæsaula* dicitur vulgo) maxima, & fere portentosa inundatio. Describit eam Chronicon nostrum his verbis. 1299. *die* 21. *Septembris Cæsaula in tantum inundavit, quod non poterat fluere subtus Pontem beccariorum ita impetuose venit, quod partem beccariæ veteris, cum pluribus aliis domibus supra Cæsaulam positis fecit ruere.* Hic torrens supra Civitatem ex duobus circiter milliariis nascitur, & per Civitatem transiens infra eam vix ad stadii distantiam in *Sapim* flumen ingreditur, interdum sicco pede transitur attamen in pluviosis annis, quater jam mirum in modum excrevit, nec sine aliquorum incolarum jactura. Attamen læta tripudiabat Civitas ob communem Provinciæ pacem, viæ jam liberæ, finitimorum commercia aperta, sine incursionum, & direptionum timore: colebantur campi: inserebantur arbores, & villæ dirutæ instaurabantur. In tanta hilaritate jam prope erat sæcularis Jubilei principium, quod primus *Bonifacius* constituit in centesimo quoque anno repetendum à die Nativitatis Christi anni millesimi ducentesimi nonagesimi noni usque ad eundem Nativitatis diem anni sequentis 1300. prætendebatur. In eo temporis inter- 421
vallo quicunque ob perpetrata peccata doluerint eaque confessi rite fuerint, devoteque Apostolorum *Petri*, & *Pauli* Basilicas *Romæ* quidem degengetes triginta: exteri, & peregre illuc profecti quindecim diebus visitaverint veniam omnium peccatorum, & ab omni eorum culpa, atque pœnæ reatu absolutionem consequebantur. Tantus fuit illuc ex toto Christianorum orbe hominum confluxus, ut singulis diebus ducenta advenarum millia toto eo anno *Romæ* fuerint. Credendum est populum nostrum & fæderatarum Civitatum Pontificiis diris non semel damnatum, & illaqueatum conscientiæ stimulis, & cruciatu vehementer agitatum, erant enim adhuc Civitates adversus Ecclesiam contumaces, multi tamen privati, & privato consilio (ita credere oportet) & *Romam* ivere, & ibi Ecclesiæ reconciliati indicti Jubilei beneficio absoluti à censuris fuere. Quæ fuit facile animorum dispositio ad ea decernenda, quæ post mortem *Galassi* eodem anno peregere. Interim tamen quæcunque fuerit privatorum vita, publice in eadem adversus Ecclesiasticam subjectionem contumacia. Perseverabat enim sub Comite *Galasso*, qui Prætor una, & Præfectus, seu ut tum dicebant Potestas, & Capitaneus erat, tantæque auctoritatis ut pronam suis Civitatem jussionibus haberet, unde viribus hujus Populi suas ulciscens injurias adversus *Usilianum Montis Feretri* Castrum *Cæsenatem* militiam duxit, illudque obsidione cinxit, & tandem unum, & viginti dies in obsidione moratus *Usilianenses* ad deditionem compulit. Chronicum nostrum rem ita describit. 1300. *die* 16. *Februarii Cæsenates ad petitionem Comitis Galassi tunc Potestatis, & Capitanei obsederunt Castrum Usiliani de Monte Feretro tribus Septimanis, tandem reddiderunt se Cæsenatibus.* Post quam victoriam non permisit *Galassus* otiosos *Cæsenates* esse, nam ejusdem suasu, vel jussu ad *Eugubium* obsidendum, & capiendum una cum *Ugutione Fagiolano*, *Federico Montefeltrio* Comitis *Guidonis* Filio, *Uberto Malatesta* cum magna *Ghibellinorum* manu iverunt, & eam confestim 422
Civitatem cepere, Prætoremque captæ *Uguccionem* constituere, qui brevi tamen fuit à *Napolione* Cardinali jussu Pontificis ibi obsessus, & demum capta Civitate expulsus ita sane Chronicon idem, cujus verba. 1300. *die* 23. *Maji Comes Federicus de Monte Feretro, Ubertus de Malatestis, Uguccio de Fagiola cum Cæsenatibus, & aliis suis amicis procurante, & ordinante Comite Galasso Capitaneo,*

(Margin notes: Joannes Villanius lib. 8. cap. 36. — d. Annales.)

pitaneo, ac Potestate Cæsenæ acceperunt Civitatem
Eugubii. Dominus Neapolio Cardinalis Romanæ
Ecclesiæ diu obsedit dictam Civitatem. Tandem U-
gutio qui tunc erat ejusdem Eugubii Potestas exiens
de Civitate cum paucis die 24. Junii extrinseci intra-
Lib. 8. c. 43. *verunt Civitatem, & sic recuperata est.* At si cum
hac narratione jungatur narratio *Joannis Villanii*
planior fiet rei successus: *Ghibellini* enim *Eugubini*
extorres cum aliis ejusdem partis, qui in Civitate
permanserant clam convenientes ad *Ghibellinos* pro-
ceres, & *Romaniæ*, & *Montis Feretri*, & *Aretino-*
rum etiam scilicet *Galassum*, *Ugutionem*, *Ubertum*
Malatestam, & Comitem *Federicum* confugere,
qui coactis copiis improvisi *Eugubio* adfuere, at-
que conspiratione, ac proditione *Ghibellinorum*,
qui in Civitate remanserant ceperunt, *Guelfos*que
expulerunt: verum *Guelfi* ad Pontificis pedes pro-
voluti, ut se partis Ecclesiasticæ studiosos adjuva-
ret, obtinuerunt. *Neapolionem* ergo Cardinalem
misit, qui coacto exercitu præsertim *Perusinis*
opem ferentibus post aliquot dierum obsidionem
Ugutio cum præsidio, vel præsidii parte discessit,
atque Civitas occupata cum magna *Ghibellinorum*
occisione, & expulsione reliquorum fuit *Guelfis*
restituta die 24. Junii ut inter occupationem, &
recuperationem Civitatis mensis intervallum in-
tercesserit. Cæterum inter Civitates Provinciæ
quies, & pax inviolata Kal. autem Julii proxime se-
quentis mors accidit Comitis *Galassi*, qui ut dicit
Chronicon dominatus fuerat *Cæsenæ* quatuor an-
nis, & decem mensibus. Reversi sunt *Montefeltrii*
Cæsenam anno 1295. tumque fuit *Galassus* Præfe-
ctus creatus in secundam ejusdem anni medietatem,
ex inde vero semper usque ad obitum Præfectus
423 perduravit. At Prætores alii erant. Sed anno 1298.
fuit utroque magistratu auctus, & Præturæ, &
Præfecturæ. Vir strenuus erat ut ea virtus, quæ
populo in admiratione præsertim est ipsum vene-
randum redderet. Fuit is *Montefeltrani* filius, &
de *Seclano* dicebatur: magna certe auctoritate *Cæ-*
senam rexit, & magnam pariter inter *Flaminiæ*
fæderatos authoritatem obtinuit, ut *Maghinar-*
dus, & ipse videantur cæteris proceribus existi-
matione præstitisse. Post ejus mortem mutata est
Cæsenatis Reipublicæ facies. Prætura, & Præfe-
ctura tum unitæ rursus divisæ sunt *Ghibellinis* ta-
men traditæ ambæ: Prætura scilicet *Uberto Ma-*
latestæ, & *Glazoli* Comiti, & Præfectura Comiti
Friderico Montefeltrio Comitis olim *Guidonis* filio.

A Prima *Cæsenatum* expeditio ductu *Friderici* adver-
sus *Tesellum* fuit, quod Castrum à Civitate desci-
verat die 8. Octobris illud obsederunt *Cæsenates*, Chronicon nostrum.
& intra sex dies ad deditionem compulere. *Uber-*
tus deinde *Malatesta* Prætor iratus Civitati Præ-
turam vix quarto mense elapso reliquit, ab Urbe
recedens. Causa indignationis fuit, quod ipso
invito relegati aliquot in patriam revertere forte
octo defensorum Magistratus, tum primus, Se-
natusque Prætore licet renuente id decreverunt:
post *Uberti* discessum in prætorem elegere *Zappe-*
tinum Ubertinum, qui anno antecedente fuerat
fæderatarum Civitatum Dux Generalis. Magi-
stratumque die secunda Decembris inivit. At men-
se præcedente Comes *Fridericus* Præfectus Ca-
strum vetus *Cæsenæ* reparavit, vallo, & propu-
B gnaculis extructis, quod munimen fuit civibus,
ut res postea ostendit invisum. Hæc quæ ad Civi-
tatem, & Provinciam pertinent. *Joannes Villa-*
nius in hoc anno seculari reponit *Cassaniscytharum*,
vel (ut nunc vocantur) *Tartarorum* Imperatoris
adversus *Ægypti*, & *Syriæ Sultanum*, seu Domi-
num *Mahometis* cultorem bellum, quo *Mahome-*
tanos devicit magnis illatis cladibus, & *Palæstinam*
Christo restituit, misitque ad Pontificem *Bonifa-*
cium, & *Galliæ* Regem oratores, qui eorum domi-
natui, & in posterum defensioni recuperata loca
concederent ipse enim ab aliis *Tartaris* arma mo-
ventibus revocatus occupatam Prouinciam mili-
te spoliatam reliquit, at nostri Principes inter se 424
discordes nulla tanti oblati Regni, atque sancti
C ratione habita permiserunt brevi à *Mahometanis*
rursus occupari, quam negligentiam (ne pejore
eam nomine appellem) Deus videtur non multo
post tempore ultus in Pontifice, dum *Anagniæ* capi
permisit, & in Rege *Galliæ* dum ejus maximos
exercitus ab opificibus *Belgii* omni armorum tra-
ctationi prorsus insuetis occidione occidi voluit.
Chronicon nostrum in sequentem annum 1301.
Cassani victoriam rejicit. Relegati autem, qui *Cæ-*
senam revertere fuerunt *Ubertus Articlinus*, & ejus
frater, *Fuscus Perusdaldi* cum fratre, qui licet *Ghi-*
bellini essent forte tamen ob potentiam *Galasso*
suspecti ad publicam quietem, vel eo obtentu fue-
runt a Civitate relegati, at *Galasso* mortuo amicæ
partis, tumque prævalentis studio fuerunt restituti,
vel invito Prætore *Uberto*, & repugnante, pro-
indeque ipse iratus prætura se abdicavit.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER UNDECIMUS.

427 EXordior Seculum decimum quar-
tum *Cæsenæ* non admodum fau-
stum, multa siquidem perpessa
est, & sub intio, in fine, &
intermediis annis non semel.
Vidit non multo post princi-
pium agri vastitatem, nec ulci-
sci potuit, licet alias eosdem invasores fudisset.
Tyrannidem postea suorum Civium opera *Fran-*
cisci Ordelafi tulit, à qua liberata, paucis post
annis immane à *Britonibus* efferato hoste excidium
perpessa est. Demum ex libertate Ecclesiastica
in *Malatestiorum* manus devenit. At initium sit
narrationis descriptio status eo tempore Civita-
tum. *Ravenna* ergo, & *Cervia* sub *Polentanis*
erant, non amplius ut primariis Civibus, & Se-
natus principibus, vel ut accersitis aliunde Præ-
toribus, & Præfectis sed ut imperantibus, & ple-
nam jurisdictionem obtinentibus. Eodem modo

D *Malatestii Arimino*, & finitimis Oppidis domina-
bantur. *Forolivium*, cum *Foropompilio Ordelafis* 428
parebat. *Faventia*, & *Imola Maghinardo*. Hanc
illi dominationem, Annales nostri anno ejus obi-
tus, qui fuit 1092. tribuunt; licet tabulæ pacis
inter *Bononienses*, & *Flaminios* antea relatæ *Imo-*
læ custodiam consentiente etiam *Maghinardo* fue-
rit *Matthæo* Vicecomiti *Mediolani*, & *Alberto Sca-*
ligero Veronæ Præfectis, at verius Principibus
concessa, at facile est eos palam se custodes re-
præsentasse: at clam ditionem omnem *Maghinar-*
do, ut primario *Ghibellinæ* factionis, quam ipsi
E tuebantur, in *Romania* Proceri remisisse, & ces-
sisse. *Cæsena* sola post mortem præsertim *Galassi*
libera erat, ipsa enim sibi Prætorem, & Præfe-
ctum libere eligebat, & elegerat, verum ob præ-
valentem *Ghibellinam* adhuc partem utrunque Re-
ctorem *Ghibellinum* constituerat. *Federicum* Co-
mitis olim *Guidonis Feretrani* filium Prætorem,

Zappetinum autem *Ubertinum* olim fœderis *Ghibellini* Imperatorem Præfectum, *Guelfi* ergo depressi, & primores ipsorum *Calesidii* præsertim exules essent. Respublica enim adhuc *Ghibellina* erat, & à Pontificiis partibus aversa, unde una cum *Forolivii*, *Pompilii*, *Faventia*, *Imola* execrationibus Pontificis, ut contumax subjiciebatur. *Polentani*, & *Malatestii* etiam si Ecclesiæ ditiones revera usurparent, simulatione tamen quadam inani subjectionis non erant, ut aversi ab Ecclesia notati eorum scilicet simulationi dissimulatione ministri Pontificii respondebant, quam postea dissimulationem *Bertrandus* Legatus aperuit, ut intelligemus suo loco. Pontifex Legatum huc misit *Matthæum Aquaspartam* Cardinalem, ut contumaces ad obsequium Pontificis imperii, ad ejusque partes aggregaret, lenitate tamen non vi, & armis; unde sine exercitu venit. Sub fine ergo anni sæcularis *Florentia Bononiam* profectus universam Provinciam, etiam Civitates contumaces invisit cum honore ab omnibus susceptus, omnes enim se Pontifici subjectas profitebantur, verum antiquæ administrationis, & libertatis retinentes. Obsequium ab omnibus præstitum eventus suadet sed etiam *Rubeus*, & *Carrarius* conveniunt, qui
429 dicunt etiam Cardinalem Legatum *Bononia* rursus *Ravennam* rediisse, ubi consilium totius Provinciæ Procerum, & Civitatis cujusque oratorum indixit, convenere inter cæteros Comes *Federicus Cæsenæ* Præfectus, una cum ejusdem Civitatis Oratoribus: erat tum *Cæsenæ Raules Mazolinus* Eques, vel (ut vocabant tum) Miles, qui & nobilitate sua, & multis clarus Magistratibus, *Mantuæ*, *Forolivii*, & alibi gestis magnam in Republica auctoritatem obtinebat, cumque esset *Ghibellinæ* factionis, erat etiam Rectoribus gratus, & nequaquam suspectus. At ipse contra ex eis, quæ fecit, suspecta Rectorum consilia habebat, ne tyrannidem meditarentur. Jam *Federicus* munimenta à *Malatestino* diruta, reparaverat; poterat reparatio eodem spectare, sed per diversos tramites, quo primum spectabat demolitio. Imponere scilicet præsidium auctoritate quidem Senatus, sed ex *Ghibellinis*, qui idcirco sibi obnoxii ad omne facinus (ut est partum furor) essent. Accedebat, quod *Zappetino* Prætori, *Federico* Præfecto jungebatur *Ugutio Fagiolanus*, qui & ipse *Cæsenam* venerat, ibique morabatur. Trias ejusmodi capitum factionis suspecta merito cuique libertatis amatori Civi esse poterat, imo debebat. Cum *Federico* ergo, & Oratoribus imo forte Oratorum primus ad Concilium *Raules* accessit. Legatus pro prudentia sua cæteras Civitates tyrannide oppressas difficilius restitui Ecclesiasticæ ditioni posse agnovit; *Cæsenam* ut liberam facilius ad Pontificias partes posse aggregari. Inter negotiandum ergo cum *Cæsenatibus* Oratoribus facile agnovit ex sacris, & piis Jubilæi functionibus animos pietate subactos excommunicationis, & interdicti diuturna vincula horrere, totoque animo absolutionem expetere; non defuit opportunitani Legatus, suggerendo quantum homine Christiano indignum esset in tot Pontificiis execrationibus tandiu desidere: numnon erat ea patens ad gehennam via? num sunt, quæ de inferis di-
Plato. cuntur, aniles fabulæ? In tenebris Ethnicorum viros tamen doctos ea agnovisse, & perscripsisse in Christiana ergo luce erit, qui in dubium revocet? At libertatis præcipua cura est habenda. Esto (licet major sit habenda æternæ salutis) at utro in statu
430 magis oppressa libertas sub *Galasso* huc illuc ad suas
Anno 1301. ulciscendas injurias populum raptante, an sub Ministris Pontificiis? qui tandem Senatum & comitia libera ad deliberandum, & decernendum relinquebant, & ad cujuscunque Civitatis securita-

A tem à singulis pecuniam exigebant. At quanto graviora tributa si singulæ Civitates suis ipsæ viribus bellum agere cogantur, quam dum congesta ex omnibus juxta proportionem pecunia ad vexatæ defensionem concurritur, neque crederent minus imperii usurpaturum *Federicum*, quam olim *Galassus* sumpserit. Jam muniri Arcem *Tyrannidis* incunabulum: jam advocatum *Ugutionem*, & sævum jam constitutum Triumviratum, qui *Cæsenam* eo modo opprimat, quo *Malatestii Ariminum*, *Polentani Ravennam*, & *Cerviam*, *Ordelasi Forolivium*, *Maghinardus Faventiam*, & *Imolam*, sed eo etiam gravius, quo illi Populi aliquanto jam
B temporis tractu *Tyrannis* assueti facilius jugum tolerant, at *Cæsena* insueta *Tyrannidi* non nisi sæva Tyrannide coerceri poterit. Hæc altius imbiberunt animis Oratores, & præsertim Raules, atque *Cæsenam* reversi aliud simulando in Populum disseminavere, quem cum paratum agnoverunt tumultu excitato, seque Populo Ducem *Raule* pæbente Præfectum *Federicum*, *Zappetinum* Prætorem una cum *Ugutione* ex Civitate, nedum ex Magistratu depulerunt. Statim Senatus coactus, & comitia decrevere Cardinalem advocare in ejusque & Summi Pontificis gratiam redire; Oratores electi, qui Legatum adirent, & ad Civi-
C tatem recuperandam vocarent. Summa cum animi voluptate Oratores audivit Cardinalis, nullaque mora interposita cum illis *Cæsenam Arimino* venit ab universa Civitate magna cum exultatione festoque occursus exceptus. Annales nostri his verbis rem totam exprimunt. *Anno* 1301. *inditione* 14. *die Sabbati* 13. *Maji expulit Dominus Raules de Mazolinis, & Populus Cæsenæ de dicta Civitate Cæsenæ Comitem Federicum olim filium Domini Guidi Comitis Montis Feretri, Ugutionem de Fagiola, & Zappetinum de Ubertinis tempore Domini Bonifatii Papæ, & tunc Castrum, quod paulo prius reparari fecerat destruxerunt, & sequenti*
D *die Dominico* 14. *dicti Mensis Dominus Mattheus de Aquasparta Cardinalis Rector Provinciæ Romandiolæ Arimini existens venit in Civitatem Cæse-* 431
næ cum voluntate Domini Raulis, & totius Populi. Primum Legati opus fuit ab omnibus excommunicationum, & dirarum vinculis absolvere, & eximere Magistratus, Senatum, ac universum populum. Ob quam absolutionem, quæ fuerit totius Civitatis lætitia vix exprimi posset. His Legati officiis summaque ejus affabilitate, & comitate deleniti Cives Præfectum ab ejus manu, & Prætorem ultro acceperunt. Illum quidem *Gerardum* de *Mazolinis*, hunc *Offreducium Aurelia-*
E *nensem*. *Rubeus*, *Amerinum*, *Carrarius*, ac Annales nostri Prætorem dicunt constitutum *Gerardum* de *Mazolinis*, & Præfectum die prima Junii *Offreducium* de *Almario* Civitate *Aureliæ*. sub hoc Legato, & his Rectoribus pace inter Cives, & cum finitimis potiebatur Civitas, sed eodem anno in *Italiam* venit, ac *Romam Carolus Philippi* Regis frater, qui cum perversis esset oculis strabo dicebatur & *Italice Guercio*. Pontifex eum *Tusciæ* pacificatorem, & *Romaniæ* universæ Comitem constituit. Mense circiter Septembris misit is in Provinciam, qui suas vices gereret. Fuit vero is *Jacobus Paganus* Episcopus *Reatinus*, qui
F in politica jurisdictione *Carolum* repræsentabat, in Ecclesiastica Vicarium Pontificium gerebat. Hic perpetuo *Cæsenæ* commoratus est. Reliquæ enim Civitates Tyrannis mancipatæ nudo nomine se subjectas Pontifici repræsentabant. *Jacobus* ergo *Cæsenæ* residens in Provinciam reliquam acta, & jussa emmittebat, & ex Provincia *Cæsenam* ventitabant, quibus esset aliquid cum Comite, aut ejus curia negotii. Unde *Polentanus Lambertus Ravennæ* Princeps misit *Rodulfum Ragellum*, qui ejus nomine

ne obedientiam Summo Pontifici, & Provinciæ pro eo Rectoribus jusjurando polliceretur. Erat autem hæc *Jacobi* in tabulis inscriptio, & appellatio. *Jacobus Paganus* Episcopus *Reatinus Flaminiæ*, *Bononiæ*, Comitatus *Britonorii* in spiritualibus Rector, & in temporalibus Excellentis viri Domini *Caroli* Regis *Francorum* filii, Comitis *Andegavensis* pro Sancta *Romana* Ecclesia Vicarius Generalis; *Cæsenates* hoc anno restituerunt
432 *Opizoni* Archiepiscopo *Ravennæ*, quæ antea multa abstulerant, præsertimque equos; sponte ne, & ultro an sollicitati, & forsan juridice coacti à Rectore *Petro Pagano* non liquet. Crederem studio omnimodæ à censuris absolutionis, quæ contra immunitatem Ecclesiasticam Archiepiscopo abstulerat, reddidisse piam suamet indole Civitatem. Rector *Paganus* male Provinciam gessit adeo ut Pontifex eum *Romam* revocaverit, atque abrogata nedum Provinciæ administratione, sed etiam Episcopatus dignitate misere ex animi ægritudine mori siverit, brevique id tempore. Sed hæc postea anno scilicet sequenti, verum anno eodem 1301. Mense Novembris die 20. sive 12. Kal. Decembris, pro Prætore una, & Præfecto *Cæsenam* venit *Florinus* de *Ponte*: at cur duos Magistratus Prætoris, & Præfecti unierint, vel uniri permiserint *Cæsenates* nulla affertur causa. Forte ut digniores homines allicerent dum major esset Magistratus exercendi dignitas, vel forte astu Rectoris Ecclesiastici, ut quem ipse imponebat Civitati Rectorem majoris esset adversus Civitatis Magistratus auctoritatis. tutior certe erat ad libertatem tuendam divisio, quod deinceps in *Francisco Ordelafo* sunt experti. Sequitur annus 1302. *Cæsenæ* infaustus. Ab initio oportet cum *Jacobo Pagano* Rectore contendisse, ejus scilicet administrationi malæ infensam; unde facile est per internuntios Rectoris iniquitatem Pontifici Summo indicasse, qui eum *Romam* retraxit. Necesse sane fuit *Cæsenam*, quæ illius ditioni re ipsa non specie tenus ut cæteræ Civitates subjiciebatur injustitiam viri expertam, ac passam præcipue esse. Successit Comes *Rainaldus Concoregia Mediolanensis*, atque Episcopus *Vicentinus*. Venit hic *Cæsenam* die 11. Aprilis 1302. cum triduo ante *Andreas* è *Cereto* concilium totius Provinciæ jussu *Caroli* fratris Regis *Galliæ*, & Provinciæ Comitis ibidem coegisset, quid in eo actum non scribitur, sed de Civitatum pace de tributo, & stipendio militum pro Provinciæ communi custodia juxta priorum tenorem facile egere: *Rainaldus* novus Provinciæ Comes forte ipse quoque se vicarium *Caroli* appellavit; toto enim *Carolus* anno
433 1302. in *Italia* perstitit, atque sub fine illius in *Galliam* pedem retulit postquam *Florentiæ* adversus factionem *Blancorum* dictam pro contraria, quæ *Nigrorum* appellabatur multa iniqua fecit, vel fieri permisit, adeo ut nobiles, & populares factionis *Blancorum* sectarii magna ex parte ejecti à Civitate alio aufugerint loco conciliandi Cives, quem finem adventus sui ipse prætendebat, cum *Blanchis* expulsus fuit *Dantes* Poëta celebris, & omnium scientiarum peritus, qui exul perpetuo fuit; *Ravennæ*que obiit ubi ejus ossa in honesto Mausoleo pone *D. Francisci* conduntur. Posteri vero honestum huc usque locum *Veronæ* retinent. *Blanchi* expulsi *Forolivium* omnes (*Platina* testante) petierunt, ut *Ghibellina* factio cujus studio, & viribus *Ordelafi* dominabantur multo firmior in ea Civitate evaserit. *Cæsenates* interim Castra *Falcini*, & *Casalboni* aggressi recepere, cumque diu cum *Ariminensibus* de finibus contendissent, eaque de causa non semel pugnassent dulcedine pacis deleniti cum illis tandem convenere limitibus die 6. Augusti à Mari ad viam *Æmiliam* concorditer positis: erat tum

Rubeus sub hoc Anno, & Carrar.

Anno 1302.

Florius Comes.

Chronicon & Rub. & Carrar. sub hoc Anno 1303.

A Prætor, & Præfectus post *Florinum* è *Ponte*, *Carrario Mazolinus* de *Mazolinis Brixiensis*, qui malis ominibus venit. Hæc de ipso Annales nostri habent. *Dominus Mazolinus de Mazolinis de Brixia venit pro Potestate, & Capitaneo Cæsenæ, qui proditor fuit Populo Cæsenæ, & finito ejus officio cum magno opprobrio de Civitate discessit, nec etiam totum suum habuit salarium.* Sed de ejus actis quæcunque conjici possunt, postea. *Forolivii* vero Kal. Septembris actio manifestariæ rebellionis contigit. Erat Civitas sub *Ordelaforum* vere dominio, qui tamen inani quodam Rectorum cultu subjectionem ditioni Pontificiæ profitebantur. Rectores tamen, &
B Duci se intelligebant, & ad veram non simulatam subjectionem reducere aspirabant. Id cum *Forolivii Rainaldus* Provinciæ Comes etiam si leniter (arbitror) tentaret tyrannidis zelotypia, quæ sæva est, ideo perturbavit *Ordelafos* ut concitatum per operas suas Populum in mortem Comitis immiserit. *Lethali* itaque vulnere percussus evasit tamen, & quod pro miraculo habitum est, celeriter ex vulnere convaluit. *Cæsenates* vero die 5. Septembris Castrum in littore Maris Portu ibi effosso posuerunt, munitoque muris, & propugnaculis præsidium imposuere: At erga florentem Civitatem maximas turbas odium aliquorum, invi- 434
C dia aliorum excitavere. *Fridericus* Comes *Montefeltrius*, & *Ugutio Fagiolanus*, qui turpiter fuerant à Civitate expulsi odio efferebantur, & ultionis desiderio exardebant; factionis etiam studium *Ghibellinæ* in qua primores erant commovebat: ipsa enim ut Ecclesiasticarum partium sequax contrariæ potius adhærebat. *Bernardinus* etiam *Polentanus* iniquo adversus eam animo erat, quod res ipsa ostendit. Causæ autem irarum plures. Cum Vicecomes esset pro Archiepiscopo Castrorum, quæ in agro, & prope agrum *Cæsenæ* Ecclesia *Ravennas* possidet occasionem frequentem habebat diffidendi: aliqua enim Civitas occupaverat, aliqua ut
D sua flagitabat, inde interdum in vectigalibus, vel portoriis exigendis rixæ. Novus vero Portus effossus, ac apertus, ut poterat imminuere concursum navium ad Portum *Cerviæ*, adeoque vectigalia Civitatis, & *Bernardini* Prætoris, & Domini, valde utriusque animos irritavit: quocirca Civitas urgebat per se pronum Prætorem, sed intimius quoque oderant Tyranni eam sedem Ecclesiasticæ libertatis, quæ animos faceret, & commoditatem præstaret Comitibus pro Pontifice Provinciæ antiquam auctoritatem, & jurisdictionem recuperandi: cum ergo ii omnes per internuntios convenerint invadere Civitatem tum nullo fœdere fultam quinimo Civitatibus olim amicis *Forolivio*,
E *Faventiæ*, *Imolæ*, ob factionis diversitatem invisam. Pacti etiam quibus singuli, & quantis copiis instructi venirent. *Fridericus*, & *Ugutio Feretranis* nedum, sed *Aretinis* (erant *Aretini Ghibellini*) multis ac exercitis militibus coactis, & ex alia parte *Bernardinus* cum *Cerviensibus*, & *Ravennatibus* magnum in numerum (accessere etiam Oppidani Archiepiscopo subjecti) *Cæsenam* inopini die 22. Octobris advenerunt eamque obsederunt *Rainaldus* Comes, vel perterritus *Foroliviensium* insultu nihil audebat, vel è Provincia ad aliquod tempus secesserat utcumque res se habuerit nullam opem
F tum attulit. Prætor vero idemque Præfectus infidus ut Chronica nostra dicunt, & *Carrarius* asserit neque eruptionibus, ut mos est compescuit hostem, neque velitationibus animavit Cives, neque Castris subjectis subsidia misit, unde hostes cum castrametati cis, & ultra *Sapim* essent libere à nemine impediti igne, & ferro omnia vastarunt, & Castra cuncta *Reversano*, & *Formignano* exceptis ceperunt; montem quoque S. *Mariæ* Civitati imminentem, & quatuor circiter stadiis distantem ac- 435

Portus Cæsenaticus positus.

ceperunt, indeque Civitatem, suburbium præser-
tim *Firenzolam* subjectum jactis e machinis missili-
bus, & saxis vexaverunt, at cum frustra tentari
Civitatem cognoscerent biduo post ad Castrum ex-
ædificatum in marino littore perrexerunt machi-
nisque admotis expugnavere, sed restitisset locus
opere, & milite munitus, nisi Centurionum quo-
rundam venalis fides pretioso corruptori tradidisset.
Annales nostri rem describunt, & deplorant. *Tan-
dem* (inquiunt) *cum manganis, & ædificiis iverunt ad
Castrum supra portum, & illud oppugnaverunt, &
sic cum proditione aliquorum capitaneorum, qui erant
in Castro illud ceperunt, combusserunt, & fossas
repleverunt. Oh! quantus luctus hominum, & ulula-
tus puerorum. flevit Civitas, (ut Rachel filios) de
opprobrio, & injuria, & tunc Cæsena sine alterius
Civitatis, & alterius Castri adjutorio erat, & hanc
proditionem cum suis fecerat Mazolinus de Mazolinis
Brixiensis tunc Potestas, & Capitaneus.* Aliud etiam
manuscriptum eandem *Mazolini* Prætoris prodi-
tionem confirmat. Post hæc non cessavit Civita-
tis vexatio ab hostibus dimissa etiam ob ingruen-
tem hyemen obsidione; præsidia enim Castris Ar-
chiepiscopatus tum à *Ravennatibus* tum à *Feretra-
nis* imposita montanam agri *Cæsenatis* partem ve-
xabant: ad Septentrionem erant *Cerviensia*, &
Ravennatia confinia unde hostiles turmæ, & alæ
incertis temporibus invadentes agrum fatigabant
Cæsenates, qui solo suo milite tot ex partibus oc-
currere invadentibus cogebantur. *Mazolino* suc-
cessit in conjunctis magistratibus Præturæ, Præ-
fecturæque *Joannes Puntirolus Mediolanensis* vir
probus, & strenuus, qui Rempublicam fortiter
administravit. Verum cum perseveraret bellum
cognovit Civitas requirendum Rectorem, qui ne-
436 dum virtute, & scientia militari sed etiam viribus,
& auxiliaribus copiis sibi ab omni auxilio destitu-
tæ suppetias ferre posset. Erat is *Ubertus Malate-
sta Glazoli* Comes ditione, & clienteli potens,
quique à *Malatestiis Arimini* dominis obtinere au-
xilia posset: cum quibus postquam se Prætura
Cæsenate abdicavit, convenerat, eaque occasione
Ecclesiasticæ parti se rursus adjunxerat proindeque
factione cum Civitate communicabat Prætor, &
Præfectus itaque eligitur missoque oratore, qui
electionem significaret, & qui oraret ut finitimæ,
& amicæ Civitatis defensionem acciperet, perpe-
tuum inde obsequium Populi *Cæsenatis* atque pa-
ratum auxilium quotiescunque opus in posterum
fuerit, comparaturum. Contra vero si victoria
indefensæ Civitatis penes hostes steterit, incre-
mentum *Polentanorum, Malatestiorum* ditioni peri-
culosum. *Feretrani* vero, & *Ugutionis* auctas in-
de vires, & ob contrarietatem factionis, & anti-
quum inter familias odium damno futuras. Causas
vero quam ob rem ipse olim Praeturam Civitatis
indignatus reliquerit nunc mutatis rebus penitus
esse abolitas. *Ubertus* libenter Magistratum acce-
pit, seque adfuturum brevi cum copiis selectoque
milite pollicitus est, atque non dubitare quin *Ari-
minensis* Principatus sit adversus communes hostes
opem suppeditaturus cum præsertim jam inter
hanc, & illam Civitatem pax coaluerit, atque
ipse die vigesima Januarii anni sequentis 1303.
Cæsenam venit Magistratumque inivit summo cum
Populi plausu, qui ex ejus adventu valde recrea-
tus est: præcesserat adventum *Uberti* in Provin-
cia mors *Maghinardi* de *Susinana Faventiæ* tum,
& *Imolæ* Princeps; obiit is anno 1302. mense
Septembris *Imolæ*; vir militia strenuus, & in tra-
ctandis, exercendisque factionibus summa astutia,
& arte. Fuit is ab ortu *Ghibellinus*, & in *Flami-
nia* præcipuus, & perpetuus factionis ejus asser-
tor, at in *Etruria Florentinarum* partium adeoque
Guelfarum fautor, & constans defensor. ejusmodi

Joannes Villanius L. 2. cap. 148.

diversitatis non inconstantia, sed grati animi offi-
cium fuit. Ortus est *Maghinardus* ex nobili *Pa-
ganorum* genere paterque ejus *Paganus* nomine,
& cognomine fuit, qui filium puellum moriens
reliquit. Ut ergo illi caveret tutelam ejus testa- 437
mento *Florentinæ* Reipublicæ delegavit, quam
summa fide multaque cum pueri utilitate, & com-
pendio exercuit Respublica: gratus ergo *Maghi-
nardus* beneficæ Civitati assiduam illi, & fidam
operam quotiescunque evocatus fuerit, adversus
quoscunque navavit. *Cæsenæ* vero die prima Ja-
nuarii Populus in forum tumultuose convenit,
quæ causa fuerit tumultus, & conventus à nemi-
ne exprimitur. Forte renunciatum aliquod ab
hoste damnum exasperavit plebem, quæ ideo ar-
mis captis adversus hostem duci se non autem de-
sidem in Civitate detineri posceret, nobilitas ta-
men in partem aliam à tumultuante plebe seces-
sit, verum in eo ipso secessu, ac congregatione
diffidentium factione nobilium, vel mutuus aspe-
ctus odia incendit, vel fortuitus aliquis impulsus
specie injuriæ ad arma *Articlinos*que & *Calesidios*
traxit, ut evaginatis armis *Teodericus Calesidius
Ubertinum Articlinum* vulneraverit, ita Chroni-
con nostrum. *Sed Ubertinum de Articlinis Teode-
ricus de Calisidio in ipso furore Populi vulneravit.*
Ut idcirco errent, qui *Theodoricum* ab *Ubertino*
vulneratum asserunt confirmat hoc ipsum, id quod
illi etiam fatentur, *Theodericum* cum filiis a Civi-
tate recessisse, fuerat is scilicet, qui ob vulnus in-
flictum pænæ obnoxius erat; ad quam declinan-
dam recessit. Sub hac igitur animorum ebulli-
tione *Ubertus* Prætor, & Præfectus advenit, at
accessit etiam *Rainaldus* Provinciæ Comes, qui
annitente scilicet etiam Prætore, conciliare *Ar-
ticlinos*, & *Calesidios* conatus est, & voti compos
fuit, adeoque *Cæsenam Theodericum*, & filios re-
duxit, ostenditque palam Civibus dum à sævo ho-
ste bello urgerentur si inter se dissideant eam ipsam
discordiam aperituram hostibus portas Civitatis,
at si uniti, & concordes repugnent, cur non spe-
rent se tandem victoriam obtenturos? cum novæ
vires ex novo Prætore, & Præfecto accesserint,
& majores ab inclita ejus familia subinde sperentur?
& hostes ii sint, quos alias suis solis viribus *Cæse-
nates* fregerint, Castra Archiepiscopatui subjecta,
& ad Vicecomitem spectantia, quæ adversus *Cæ-
senam* militabant, erant *Salianum*, Mons *Augutus*,
Sorivolum, Dielagardum, Rodianum, Casalecchium.
Quæ cum propinquæ Civitati sint, & antea, ut 438
nunc etiam arcto commercii vinculo illagata, tum
tamen inimicis adhærebant, plures tamen eorum
invitos adversari credere oportet, & hinc natum
forte *Serivolæ* dissidium quod Chronicon nostrum
narrat. *Sub* 1303. (inquit) *prima nocte diei venientis*
24. *Maji expulit principaliter Timadeus de Serivola
extra dictum Castrum Serivolæ Uguzon Ramberti-
num, & Rubeum de Malvisinis de Serivola.* Ve-
rum *Cæsenæ* maximum incendium casu excita-
tum combussit universum Palatium Populi, par-
temque Palatii magni, & sacellum communis
(capellam vocat Chronicon) cum circunstantibus
domibus, erant ejusmodi ædificia ubi nunc platea
reperitur. Extra vero Civitatem cum bellum
perseveraret, quod solum anno 1305. pace inter
partes inita, finitum est; oportet multas hinc inde
irruptiones, & excursiones & velitationes fuisse
(non fuit certe supremis copiis pugnatum,) qua-
rum tamen mirum silentium, ut est Scriptorum
tunc temporis in gestis describendis maxima steri-
litas. *Rubeus* dicit sub adventu *Uberti Glazoli* Co-
mitis *Cæsenam* ipsam acriter urgeri à *Bernar-
dino Polentano*, at quo insultu, qua invasione,
& impressione ne verbum quidem subjungit nisi,
quæ anno sequenti ad *Riversanum* acciderant, quæ
suo

Chronicon, item Catarius, & Rubeus.

Chronicon Petri de A quat.

suo loco referam. In eodem anno 1303. immorando Genus *Traversariorum* exciso *Traversaria* Oppido per *Ravennates* immo *Polentanos*, atque omnibus bonis spoliatum in *Tusciam* aufugit demumque stirps ea clara ad inopiam redacta posteros habuit in Oppido *Portico* fabriferrariam exercentes, sed enormius fuit id quod eodem hoc anno *Bonifacio* Pontifici accidit, qui *Ananiæ* in paterna domo captus fuit jussu *Philippi Galliæ* Regis opera vero *Nogaretii Galli*, & *Sarræ Columnæ*, atque in custodia habitus à qua, & si brevi liberatus fuit, tamen ex tanto in se supremæ dignitatis contemptu Princeps magno, & elato animo brevi mortuus est. Facinus hoc indignum Christiano orbe contigit die 6. mensis Septembris; obiit autem mense sequenti die Octobris 12. Rex autem *Galliæ* nuntiis certior de Pontificis captione factus exultavit: at brevem lætitiam consequuta est longa malorum series, quæ
439 ipsum, & filios vexavit, tandem soboles ejus universa defecit. Dicitur Episcopus *Ansionæ* magnæ sanctitatis habitus cum ex Tabellariis ad Regem pergentibus factum audierit omnia quæ postea adversa Regi acciderunt, prædixisse. Anno jam præcedente *Blancos*, & cum eis *Ghibellinos* opera *Caroli* fratris Regis *Galli Florentia* ejectos magna cum ejus Civitatis perturbatione, & direptione diximus, ipsosque *Forolivium*, & in *Romaniam* venisse, aliqui etiam *Bononiam* concessere, quæ Civitas sibi etiam à *Carolo* metuens, quem venturum credebat, magnis præsidiis, & operibus se munivit, at inter cætera munimenta cum Civitatibus *Romaniæ Carolo* adversis, quæ *Blancos* susceperant *Forolivio*, *Faventia* fædus contraxit, atque ita *Bononia* ex *Guelfa* facta est *Ghibellina*, idcircoque non semel copias in *Etruriam* in favorem *Blancorum*, ac subsidium misit, ut postea intelligemus. Maxima hæc rerum permutatio, atque magnum *Ghibellinæ* factionis in *Flaminia* incrementum in majore discrimine *Cæsenam* Ecclesiasticarum partium studiosam ponebat. nec Comites in Provinciam à Pontifice missi, quicquam virium habebant, neque etiam qui residebant *Cæsenæ* prohibere, ne inferretur sedi suæ bellum potes erant.
Rubeus sub eodem anno. certum est inducias fuisse inter *Imolam*, *Faventiam*, *Forolivium*, *Castrocarium*, *Bagnacavallenses*, & *Ravennates*, quarum confirmatio missis undique mutuo Legatis quæsita postea est anno 1304. Non. Februarii nulla mentione *Cæsenatum*, & *Ariminensium* facta: immo cum negotiatio ea de induciis esset, tum testatur *Rubeus* bellum *Bernardini Polentani* adversus *Cæsenam* perseverasse, quæ deinceps repetemus. Satis sit nunc dixisse hæc ad repræsentandum *Cæsenæ* statum periculis undique expositum, cum palam ob factionem reliquæ Civitates adversarentur, & ob studium libertatis Principes *Ariminenses* non ex animo faverent, & in Comitibus Provinciæ Pontificis nullum esset auxilium, aut firmum præsidium. *Ubertus* Rector tamen Civitatis egregie eam tuebatur, & *Malatestios Ariminenses* suppetias dissimulando tulisse verisimile est. Eodem anno die 23. Octobris in Pontificem assumptus *Nicolaus* ex Dominicana
440 familia Cardinalis *Hostiensis*, & *Benedictus Undecimus* dictus, at à *Platina Nonus* vocatus. Chronicon nostrum inertem prorsus Pontificem asserit, at contra *Platinam*, & reliquos (ut fatetur) Scriptores. Certe *Flaminiæ* nostræ vix manum admovit misit solum anno sequenti pro Comite *Tebaldum Brusatum Brixiensem*, at absque milite, sed anno eodem 1303. quem nunc describimus, *Benedictus* absolvit ab omni censura *Joannem*, & *Jacobum Columnios* à *Bonifacio* damnatos, & ex Cardinalium cœtu expulsos, atque bonis omnibus multatos: restituit is omnia bona, purpuream tamen infulam non reddidit. At ad nostratia deveniendo misit anno sequenti 1304. *Thebaldum Brusatum* magna cum

A facultate Provinciæ nostræ, Comitatus *Britonorii*, & *Bononiæ* Comitem, ac Rectorem, at parvo cum famulitio, & nullo ut videtur milite. Hic perpetuo ferme *Cæsenæ* resedit, venit hic die 5. Februa- pag. 509.
rii anno 1304. perseverabat *Ubertus* Prætor, & Præfectus. Conditio Civitatis omnibus aliis auxiliis destitutæ cogebat eam tolerare nedum, sed etiam expetere magistratus continuationem. Ob ejusmodi continuationem *Rubeus* vocavit *Ubertum* Sub anno dicto 1304.
ferme *Cæsenæ* Principem eodem tempore induciarum, quam diximus inter *Flaminios* confirmatio, quæri cœpit. Hæc ex verbis Rubei. *Induciarum autem* (inquit) *jam factarum inter Flaminios tempo-*
B *re ad exitum ferme perducto illas renovaturi Foroliviani, quorum erat Prætor Franciscus Carpigni Comes, Præfectus Zapitinus Ubertinus, Dragolium Fasolum, & Nascimbenum Lizerum: Faventini Peregrino Gallutio Prætore, Comite Tancredo Mutilianensi in Tuscia Palatino Præfecto, Joannem Fasolum Scribam: Forocorneliani cum ejus Urbis Præturam Bandinus Paganus, e Susinana Præfecturam Pocaterra e Montiliano gererent Joannem Mansignanum: Albericus Polentanus, qui ad oppidum Polentam se cum fratribus receperat, Hieremiam, & Franciscum fratres: Bagnacavallenses Jordanem Brandolum: Castrocariani Bontium Tobedum Legatos Cerviam*
C *misere, qui apud Bernardinum Polentanum Cæsenam adhuc bello urgentem inducias cum Ravennatibus renovarent.* Hæc Rubeus. Constat ex his inter quos induciæ essent, utque ab illis 441
Cæsenates exclusi quibus cum *Bernardinus* aliorum socius nondum expirato induciarum primarum tempore bellabat. Subjungit vero *Rubeus* Mense Majo fuisse inducias priores instauratas. Successus vero belli inter *Polentanum*, & *Cæsenam* hic tum à nostro Chronico, tum à *Rubeo* refertur. Cum *Riversanum Cæsenæ* pareret sub dominio tamen *Alberici*, cujus duo filii *Cæsenæ* morabantur Reipublicæ stipendia capientes. Nunciatur *Uberto*
D Prætori, & Magistratui *Albericum*, & *Maranos* oppidanos à *Polentano* corruptos velle illi Castrum dare, & forte præsidium accepisse. Cum indicium confirmaretur, tum Prætor capi jussit *Alberici* filios, eosque vinctos secum cum magna militum manu ad Castrum perduxit, cumque occludisset portas *Albericus*, furcas in conspectu ejus erigi *Ubertus* jussit, minitatus filiorum suspensionem nisi portas recluderet; & non dedentibus se Oppidanis vinctos juvenes suspendi jussit, unde fracti ab eo spectaculo Pater, & Fratres se dedidere, & semimortuos juvenes liberavere, qui etiam supervixerunt. Hæc adversus insidias inimici fecit Civitas, at adversus vim quæ facta sint in tanta scriptorum rei uni-
E tate verbis *Rubei* expediemus. *Horum Cæsenatum* (inquit) *uti supra memoravimus Prætor, ac fere Princeps Ubertus Malatesta erat ab Glazolo Comes. Illorum Cerviensium Bernardinus Polentanus, qui ambo non minus publice Ravennatis præsertim Ecclesiæ nomine Polentanus, quam privatim incendiis, incursionibusque se se invicem hostilem in modum persequebantur dum Polentani Cerviensiumque partes incolæ Saliani, Montis Augutii, Sorivoli, Diolaguardi, Rodiliani, & Casalecchi Ravennatis Ecclesiæ auctoritatem sequentes magno studio foverent.* Hæc *Rubeus*, qui cum neque militum *Ravennatum* pro *Bernardino*, neque *Feretranorum* auxilii meminerit nescio
F an omnium *Cæsenæ* adversariorum mentionem faciat, non enim verisimile *Bernardinum*, qui sævo adeo animo in *Cæsenates* esset, incremento illi virium renunciasse, neque etiam verisimile, dum pro ditione simul Archiepiscopi certaretur, *Ravennates* subsidium detraxisse, quod etiam sedavit *Feretranum* hostem (quem intelligemus iterum bellum *Cæ-* 442
senæ intulisse) ut non sit prosequutus inchoatam belli societatem, militem saltem submittendo montano

tano hosti, atque à *Feretranis* finibus per devia
Montium non remoto? Nos in manuscripto quo-
dam nostro legimus pugnatum esse instructis acie-
bus inter *Cæsenates Uberto* Duce, & hostes Duce
Polentano. Victoriam penes *Ubertum*, & *Cæsenates*
stetisse. Ut cumque res habuerit restitit hosti Civi-
tas sua constantia, & *Uberti* virtute, quem ideo
in Magistratu diu retinuit. Licet postea defuncta
periculo non æque libens. At anno demum se-
quente 1305. fessæ mutuis damnis partes pacem
inierunt. Quæ pax primum decreta fuit mense
Martii à *Brusato* Provinciæ Comite, quo decreto
promulgato *Lambertus Polentanus Cerviam* se con-
tulit ad *Bernardinum* scilicet Civitatis Prætorem,
& Præfectum, & verius Principem, ut suaderet (ar-
bitror) pacem. Profectus est postea *Ariminum*
nimirum ut *Malatestæ*, ac *Malatestini* animum ca-
ptaret, cujus auctoritate *Ubertus Cæsenæ* Prætor
facile duceretur: nemo sane prudens bellum illud
laudaret, cujus impensa magna, & fructus solum
mutuæ direptiones, & vastitates. Jussio tamen, &
decretum Comitis non cohibuit arma, sæviebat
adhuc bellum, sed interposita etiam *Bononiensium*
opera, tandem Mense Maji die vigesima tertia
pax coaluit *Arimini* in D. *Columbæ* choro coram
Malatesta e *Veruculo*, & *Malatestino* filio, & Do-
mino *Rubeo* nonnullisque aliis. Tabelliones, qui
in publicas tabulas simul pacem redegerunt, fuerunt
Joannes Fantinus Cæsenas, *Renutius Frannoli Cer-
viensis*, *Guido* e *Monte Leone*. Hisce vero solemnita-
tibus celebrata pax. *Guidutius Opizonis* Procura-
tor *Uberti Malatestæ Glazoli* Domini tanquam pri-
vatæ personæ, & *Bartolus Bonfiliolus* Syndicus,
& Procurator *Uberti* ejusdem Prætoris, & Præfecti
Cæsenæ nomine ejus Reipublicæ ex altera parte, &
ex altera *Avensor* e *Fautis* Tabellio *Cerviensis* Pro-
curator *Bernardini Polentani* filii *Guidonis*, filii
Lamberti ut privatæ personæ, & Syndicus, ac Pro-
curator ejusdem *Bernardini* Prætoris *Cerviæ* nomi-
443 ne ejusdem Reipublicæ venerunt interposito pacis
osculo ad legitimam, veram, & puram pacem, &
concordiam ad honorem, ac reverentiam Dei, &
Beatissimæ Virginis *Mariæ*, & Beatorum Aposto-
lorum *Petri*, & *Pauli*, Sacrosanctæ *Romanæ* Eccle-
siæ nec non ad honorem *Thebaldi Brusati Brixiensis*
Militis, & Comitis, Rectoris Provinciæ *Romaniæ*
pro Ecclesia *Romana*, propter pacificum dictarum
Rerumpublicarum statum perpetuo duraturum.
Hæc vero in contractu pacis expressa fuere. Con-
donare scilicet sibi invicem partes, & communi
nomine, & singularum personarum, & Civitatis,
& territorii omnia incendia, homicidia direptio-
nes, deprædationes, & omnia damna, injuriasque
verum in ejusmodi remissione non includi jurium
cui vis competentium de Portu in littore Maris, de
quo Portu est præcipua controversia inter eas Civi-
tates. Pacti deinde sunt, si qui ex sociis, vel se-
quacibus ejusmodi pacem noluerint amplecti nul-
lum eis favorem partem, ad quam spectant, præ-
stituram? *Cæsenates* tum Civitatis, tum territorii
incolas libere posse per Civitatem, & territorium
Cerviæ Terra, Marique idemque contra licere
Cerviensibus per *Cæsenam*, & *Cæsenate*. Abolenda
esse, & tollenda vectigalia omnia tempore belli im-
posita? Cum sententia à *Bononiensibus* inter *Cæse-
nates*, & *Cervienses* lata anno antecedente mense
Aprilis rejiciatur veluti juri repugnans à *Cæsena-
tibus*, convenere totam rem ad Comitis Provinciæ
judicium deferendam. Hæc tamen demandari Co-
miti tanquam judici, non tamquam arbitro. In-
terim vero nihil innovetur. Si vero intra triennium
judicium ejusmodi à Comite non absolvatur res in
eodem statu permanere oportere, quo se habent
lite pendente adeo ut nulla interim innovatio fieri
queat. Quod si intra triennii intervallum possit
A judicium terminari, & de controversia decerni,
ambæ partes pro ejus absolutione instent. *Cæsena-
tibus* licere vinum, & cæteras *Cerviæ* Portum de-
ferre absque ullius vectigalis solutione non tamen
absque tessera *Cerviensis* Reipublicæ, quæ gratis
concedi debeat. Exulibus *Riversani*, *Lastagnani-*
que fructus prædiorum suorum permitti sicut inco-
latum *Cæsenæ* tum in Oppidis (modo velint) suis 444
cum immunitate à vectigalibus. Homines *Sa-
liani*, *Sorivoli*, *Budigliani*, *Casalecchi*, *Diolaguardi*,
Montis Agutii in vigesimum usque annum libere
possint frumenta, ac segetes prædiorum suorum
in agro *Cæsenati* existentium libere ad loca sua
B asportare, ut Prætore olim *Cæsenæ Malatestino*
poterant. Possint etiam frumenta quocunque ve-
lint molenda adducere cum *Cæsenate* tamen tesse-
ra eis absque difficultate concedenda, ut *Mala-
testini* tempore soluto vectigali, quod tum solve-
bant. Solverent tamen ea vectigalia, quæ ex anti-
quis tabulis conspicerentur solvi solere. Si vero
nihil constaret ex tabulis, *Malatestini* declarationi
standum. Pœnam pacem violantibus mille mar-
carum argenti statuere Hæc ergo ex *Carrario*
ferme scripsi, quæ Chronicon & *Rubeus* reticue-
rant. *Rubeus* tantum eam conditionem numerat,
quod non armis, sed Scripturis ac legibus apud
C Pontificem, aut *Flaminiæ* Rectorem certaretur.
Cessatum hoc modo, & tempore ab armis, re-
mansitque absque Portu *Cæsena*, quæ tamen postea
anno 1314. illum rursus effodit, & ædificavit
Castrum, qui Portus adhuc usque viget, ædificiis,
& habitationibus plurimum auctus, licet nullis
mænibus fossaque cinctus: antiqua tamen arce, &
nova turri munitus. Quievit Civitas ab ejusmodi
bello sub regimine ejusdem *Uberti*, qui continua-
tione imperii majorem sibi auctoritatem vindica-
verat, cum præsertim imperii in his partibus Pon-
tificii auctoritas jam decresceret, causa autem hæc
D erat decrementi Mortuus est *Benedictus* Pontifex
anno 1304. die 5. Junii post cujus obitum Ponti-
ficium interregnum annum insuper, & mensem
duravit, in quo interregno tyranni Provinciæ val-
de intenderunt vires, & Comitis contra diminuta
potestas. Fuit in Pontificem electus *Beltrandus
Gotho Gallus Burdegalensis* Episcopus, vocatusque
fuit *Clemens Quintus*, qui Cardinales, & *Romanam*
curiam in *Galliam* avocavit, ubi annos deinceps
septuaginta duos mansit, maxima cum *Romæ Ita-
liæ*que jactura, absente ergo Pontifice, Rectores in-
de missi sine armis, nullius auctoritatis erant:
armati autem plerunque Provinciæ, & Civitatibus
E onerosi fuerunt, tumultuosamque administratio-
nem exercuere. Progressum subinde intelligemus.
Interim insero Chronici nostri verba ad transmi- 445
grationem pertinentia *Romanæ* aulæ in Galliam.
*Et eodem anno 1305. in festo B. Michaelis Camera-
rius Domini Papæ, cum comitiva maxima transivit
per Cæsenam deferens secum Coronam, qua coronari
debebat idem Clemens, & quasi tota curia exceptis
quibusdam Cardinalibus cum maximo sudore ivit in
Franciam. Idem vero Clemens Dominum Jacobum,
& Petrum de Columna, quos privaverat Bonifacius
Octavus restituit in statu pristino.* Præcessit ea, quæ
nunc narramus, defectio Civitatum *Mutinæ*, & *Rhe-
F gii* ab *Azone* Marchione *Estensi*. *Joannes Villanius*
ob libertatis studium, & desiderium nimis forte
oppressas scribit Civitates illas à Marchione men-
se Februarii defecisse. At *Cæsenæ* ubi curia veluti
dictum fuit generalis *Flaminiæ* residebat *Jacobus
Brusatus* Vicarius generalis *Flaminiæ* residebat
Jacobus Brusatus Vicarius generalis fratris sui *The-
baldi* Provinciæ Comitis, præcepit missis ad eos
literis *Lamberto Baserghio Pratensi* Prætori, &
universitati rusticanæ *Imolæ*, atque ejus Prætori
(vocant Massarium) ut coram ipsi se judicio siste-
rent

rent ad reddendam rationem, quam ob rem sub-
jectis Comitis *Cunii* tributa imposuerint, & exege-
rint cum Comites nullo eos pacto subesse *Imolensi-
bus* asseverarent. Præcipiens ne interim eos gra-
varent pæna arbitraria imposita nisi paruerint. Ut
constet Comites jus dixisse, & jurisdictionem exer-
cuisse in Provincia, vel conatos esse exercere, at
nulla, aut minima potestate, nam jussui ejus quo
conciliari *Polentanum*, & sequaces cum *Cæsenatibus*
imperaverat, neutra pars paruit, sed opera postea
Bononiensium coaluit. Constat etiam Comitem,
& Curiam Provinciæ *Cæsenæ* resedisse, quod nuper
dicebam. Erat etiam hoc anno *Faventia Guelfa*,
adeoque ejusdem cum *Cæsena* factionis, quæ tamen
anno 1202. *Ghibellina* erat cum *Blanchis Florentinis*
e patria extorribus suppetias mittere decreverit, ad
idque à *Bononiensibus* auxilium peteret, misso *Gui-
dolino Zafalono* Oratore, ac impetraverit. *Ghibel-
linam* tum fuisse nil mirum, nam etiam *Maghinar-
dus* vivebat, at post ejus mortem, vel statim, vel
aliquo post tempore ad Ecclesiasticas partes re-
446 diit. *Forolivienfibus* semper *Ghibellinis* existentibus,
tum *Ordelafis* regentibus, tum ex *Blancorum Flo-
rentinorum*, qui ad eam Civitatem magna ex parte
confugerunt, receptu. Quocirca ea fuit deinde
Scarpettæ Ordelafi Foroliviensis tyranni auctoritas,
& potentia, ut exercitus ex *Bononiensibus*, *Imo-
lensibus*, *Faventinis*, *Foroliviensibus* coacti in subsi-
dium *Blancorum* adversus *Florentinos* profecti, fue-
rit is Generalis Dux, licet in irritum reciderit ex-
peditio. Prætereaque cum à Marchione *Estensi*
numerosas copias armanti *Bononienses* sibi time-
Lib. 8. c. 83. rent à Civitatibus *Forolivii*, *Faventiæ*, *Imolæ*, ut a
confœderatis petierunt, & obtinuerunt auxilia, ut
easdem partes *Ghibellinas* scilicet utque tum voca-
bant *Blancorum* tuerentur tum omnes, anno nimi-
Mense Septembris. rum 1302. at 1306. magna commutatio, nam *Bono-
nienses* ut refert *Joannes Villanius* *Lambertatiorum*
factionem expulerunt pæna imposita mortis, &
bonorum publicationis si quis in Civitate, aut ter-
ritorio remanserit. Tum fœderis mutatio, nam
paulo post intelligemus *Bononiam*, *Cæsenam*, & *Ari-
minum* fœdere alligatas: hoc quod dicit *Joannes
Villanius* confirmat Chronicon nostrum, quod re-
fero 1306. (inquit) *die vigesima Maji Bononienses
expulerunt Lambertatios de Civitate, & Blancos de
Tuscia, qui quasi cum suis amicis Bononiæ videban-
Lib. 15. tur regere terram.* *Ghirardatius* scribit tumultum
Populi adversus *Lambertatios* fuisse Kal. Martii
non die 20. Maji, ut ab aliquibus scriptum asserit.
Nostrum autem Chronicon die secunda Maji nisi
forte scriptoris, & exemplaris error legenda in
exemplo secunda pro vigesima, ex hoc ergo tem-
pore *Bononia Guelfa* reddita cum *Cæsena*, & *Arimino*
conspirabat, *Faventia* vero ad *Ghibellinam* partem
transierat rursus eodem anno prid. Idus Januarii,
exscribo verba Chronici nostri, dicit autem. 1306.
*indictione quarta die Martis quarta Januarii Scar-
petta de Ordelafis de Forolivio, una cum Comite
Bandino de Mudigliana Potestate Civitatis Faventiæ
expulit de dicta Civitate Dominum Guidum Raulum
vulneratum quasi ad mortem, & Tancredum fratrem
ipsius Comitis Bandini Capitaneum dictæ Civitatis si-
mul cum Domino Guidone, & fecerunt reverti Acheri-
447 sios.* At *Bononia* licet *Guelfa* reddita die 22. mense
Maji eodem anno grave commisit piaculum in
Legatum Pontificium Cardinalem *Neapolionem
Ursinum* à Pontifice huc cum ampla auctoritate
missum. Extendebatur autem Legatio nedum ad
Flaminiam, & *Bononiam*, sed ad *Tusciam*, ad *Mar-
chiam Tarvisinam*, ad Patriarchatum *Aquilejensem*,
& *Gradensem*, & Archiepiscopatum *Ravennatem*,
& Civitatem *Ferrariam*, & Diœcesim ad Archiepi-
scopatum *Januensem*, Insularum quoque *Sardiniæ*,
& *Corsicæ*, & *Venetiarum* partes, & alias partes eam

A circum adjacentes. Hunc primo magna cum re-
verentia susceperunt *Bononienses*, at cum in tra-
ctanda pace inter *Blancos*, *Lambertatios*que ejectos,
& Cives residentes in suspicionem devenerit, ne
Blanchis faveret, populus furens ad Episcopum ubi
residebat Cardinalis accurrens in virum Sacrum
insanisset, nisi *Bernardinus Polentanus* tum *Bononiæ*
Prætor leni sermone monuisset, quantum esset de-
lictum, & quam ab universo Orbe Christiano exe-
crandum id quod moliebantur, homines mitigasset.
At Cardinalis occulte ex ea Civitate recedens per
devios tramites *Forum Cornelii* abivit. ex eo loco
B diris Civitatem devovit Sacramentis, & Sacrifi-
ciis interdixit: Publica Academia spoliavit, ex-
communicatione imposita Doctoribus, qui ibi pro-
fiterentur, & Scholaribus, qui illos audirent, adeo
ut Doctores, & auditores *Patavium* profecti sint.
Missisque ad omnes legationis suæ Populos literis
vetuit consuetudine *Bononiensium* uti, multoque
magis ullum illis auxilium præstare. *Ghibellina*
etiam factio *Mediolani* depressa eodem anno fuit,
ejectus enim fuit e dominatu illius Civitatis *Mat-
thæus* Vicecomes, & *Turriani* restituti, quod re-
volutionum eo anno fatum adversum experti tum
Malatestinam Fanestres Pandulfum Malatestam eje- Die 3. Aug.
C cerunt, tum Prætorem nomine sed re dynastam,
licet quingentis equitibus, & trecentis peditibus
pro custodia cinctus esset. *Pisaurenses* factum *Fa-
nestrinum* imitati eundem *Pandulfum* Prætorem de
Civitate expulerunt. Sequuta est earum duarum
Civitatum amissionem *Senogalliæ* etiam amissio.
At magis tetigit *Cæsenam Britonorii* commutatio. 448
Erant *Britonorii* vel potentes, vel etiam Domini in
hoc enim Chronica dissentiunt *Calbuli Forolivienses*
Ordelafis inimici. Inter *Britonorii* primarios erant
Mainardi, quorum primus *Albergutius*, qui *Mainar-
di Bulgaros* contrariæ factionis homines ex ea patria
extorres egerant. Erant *Mainardi* ejusdem cum
D *Calbulis* sectæ una *Ordelafis* inimici, at ea demum
evasit *Calbulorum* insolentia, ut *Albergutius Mai-
nardus* clam cum *Ordelafis* facta pace ejecerit *Cal-
bulos*; usque adeo acrius est odium, cum inter amicos
accenditur. maluit præesse *Ordelafos*, & una resti-
tui *Bulgaros* contrariæ factionis, quam tolerare *Cal-
bulorum*, vel dominatum, vel potentiam. At aucta
Ordelaforum potentia gravis fuit *Cæsenatibus*, &
proximi belli seminarium. *Pinus Ordelafus* statim
atque in eorum dominium *Bertinorium* venit, in
eo Oppido magnificas ædes extruxit: sub hæc
Malatesta Pandulfi pater audita tot Civitatum de-
fectione ad res suas sarciendas relicta *Mediolani*
E Prætura, quam tum gerebat, *Ariminum* advolavit.
Interim *Neapolio* Cardinalis Legatus *Imola*, *Faven-
tiam*, & *Forolivium* ivit, in qua Civitate expectavit
e *Campania* alam trecentorum quinquaginta equi-
tum, & centum peditum cum quibus *Imolam* re-
versus, inde in *Etruriam* transivit ad componendas
ejus Provinciæ dissensiones, & vere ad reducendos
Florentiam Blancos. Pontifex enim tum *Nigris* ut
refractariis auctoritati Ecclesiasticæ jussui scilicet-
que Cardinalis *Pratensis*, erat infensus: licet enim
Nigri se Ecclesiasticæ partis studiosos jactarent, at
id obtentui sumebatur ad spoliandos bonis, & Pa-
tria adversarios, & Pontificem *Transalpinum* turbis
F *Italicis* insuetum, cui nomen vani dissidii factionum
scilicet odio jure merito, erat *Guelfæ* factionis
nomen non alliciebat, sed potius irritabat: contra
vero *Blancorum*, qui patriam, qui bona sua ab in-
juste occupantibus reposcebant petitionem hone-
stissimam dignamque Pontificio favore existima-
bat. Hæc ideo præfatus sum ut ratio constet, cur
Civitates, quæ studium Ecclesiasticarum partium
profitebantur adversus Cardinalis expeditionem
Cæsena, & *Ariminum* quoquo modo fuerint, & *Ghi-* 449
bellinæ tum Civitates *Forolivium*, *Faventia*, & *Imola*,

tum illi faverint. At sequenti mox anno 1307. partium virus jam conceptum in his nostris Civitatibus mirum in modum, & non felici *Cæsenatibus* eventu erupit. Erant *Ghibellinæ* factionis, ac fæderatæ in *Flaminia*, *Imola*, *Faventia*, *Forolivium*, *Forum Pompilii*, & *Britonorium*, licet tunc, & ex aliquo jam tempore tenuis *Popiliensium* memoria. Ex altera parte *Cæsena*, & *Ariminum* unitæ erant, & *Guelfæ* factionis. exulabat, ut rebellis à Civitate *Cæsenæ Pocaterra* de *Montiliano*, qui cum adversariis sentiebat, adeoque Præfectus *Imolæ* fuerat, ut antea diximus: cum is ergo inter Proceres *Cæsenates*, & factionis *Ghibellinæ* esset; habebat etiam in ea Civitate licet extorris adhærentes, quorum unus *Biriola* de *Giugnolis Cæsenas* clam convenit cum *Pocaterra* se illi Castrum *Lugarariam Cæsenatis* agri traditurum, interimque ut traderet conatus est ipse occupare: at non est voti compos factus; fuit autem irritus ejusmodi conatus quin contra vigilantiores reddidit ad sui custodiam Civitatem, & *Ubertum Malatestam* Prætorem, ac præfectum, unde in militari vigilia perpetuo manebant. Cum & extra hostem numerosum, ac validum: intus vero Cives aliquos suspectos, (sed incerti quos) haberent, dum ergo attenti ad omnes hostium motus perstarent, intellexere Comitem *Federicum Montefeltrium*, una cum *Foroliviensibus* magnam militum manum ducturos in subsidium *Neapolionis* Cardinalis, quem *Florentini* in *Aretii* Civitate obsidebant, iverat in *Tusciam* Cardinalis ut dixi ad conciliandos *Florentinos*, & reducendos *Blancos*: at *Nigri*, qui eos ejecerant ne Legatum quidem *Florentiam* admisere. Cardinalis ergo postquam in eos Ecclesiastica tela contorsit, est etiam ferro aggressus. Confidebat autem exulum amicos, qui in Civitate remanserat appropinquante exercitu, in eorum subsidium tumultum concitaturos, quo aperirent in Civitatem advenientibus aditum, idque ipsimet exules, & sperabant, & eventurum jactabant. At irrita fuit spes omnis; unde *Florentini*, quorum validiores copiæ erant Cardinalem *Aretium* usque repulerunt, ibique obsidione cinxerunt. At vero undique & ex *Tuscia*,
450 & *Latio*, & *Flaminia* accurrunt milites in Cardinalis subsidium. Quo circa *Florentini* obsidione soluta domum remearunt, veriti insuper ne dum ibi considerent ex alia parte novæ inimicorum copiæ *Florentiam* invaderent, & factiosorum fraude introducerentur. *Fridericus*, & *Forolivienses Blancorum* hi hospites, & ambo fautores exercitum coegerunt ut Cardinali *Blanchis* faventi suppetias ferrent. Cum eorum igitur consilium, & profectionem intelligens *Ariminensium* Princeps *Malatestinus*, & *Cæsenatum* Prætor *Ubertus* coacto, & ipsi exercitu utriusque Civitatis adversarios insequuti ad Castrum *Montis Vecli* consequuti sunt, vel ibi in insidiis positi expectaverunt (utrunque enim legitur) at frustra irritoque conatu, neque enim damno ullo affecerunt hostes, neque prohibuerunt quominus Cardinali opem ferrent, Annales nostri rem describunt, sed mutilata admodum narratione. Dicunt autem 1307. *die .. Mensis Junii Cæsenates, & Ariminenses juxta montem Veclum insultum fecerunt contra Comitem Federicum de Monte Feretro, & Forolivienses, qui ibant in subsidium Domini Neapolionis Cardinalis obsessi à Florentinis in Civitate Aretii, sed quæ cogitaverunt prædicti Cæsenates, Ariminensesque complere non potuerunt.* Hic certe multa desiderantur, quæ sterilitas scriptorum occulit. Oportuit sane præcedere nisi facta saltem querelas inter finitimas adeo Civitates antequam armis se se invaderent. At vero utcunque res se habeat, ponamus jam, quæ successere. Oppidani *Montisfelli* erant in *Ghibellinorum* & ipsi fœdere, unde *Cæsenates*, vel ulturi aliquas injurias, vel has qualescunque adversariis vires, ut detraherent Castrum aggressi sunt die 2. Julii, Duce scilicet eodem *Uberto* Prætore, & Præfecto: adorti sunt Castrum, primoque die agrum vastavere, deinde sequenti die invasere Castrum, & injecto igne totum arce excepta combussere. Biduoque post Arcem obsessi libere dedidere, quorum octoginta octo captivi *Cæsenam* ducti fuere, & in vinculis habiti. Castrum vero universum dirutum. Jam ergo inchoatum, & apertum inter Factiones *Guelfam*, & *Ghibellinam* erat in *Flaminia* bellum. *Guelfæ* erant *Cæsena*, & *Ariminum*; *Forolivium*, cui *Popilienses* adhærebant, *Faventia*, *Imola*, cum *Bertinorio Ghibellinæ*. Tum *Bertinorienses* cum *Foroliviensibus* militibus Oppidum illud tuentibus improviso ex incursu 451
Castrum *Montis Saraceni*, quod *Cæsenates* possidebant occupavere, & incendere eademque velocitate *Bertinorium* redierunt. Sed gliscentibus jam odiis majora sibi damna partes moliebantur: soli *Polentani* his se turbis non immiscuerunt. Forte vero ea causa fuit, quod *Lambertus* tum *Ravennæ* Princeps re; at nomine minor Principe à *Romaniæ* perturbationibus abstinuit: eodem enim anno ex Prætore *Cerviæ* dominum aperta non amplius dissimulata tyrannide se constituit: inter hæc *Albergutius Mainardus*, qui *Bertinorium* patriam *Ordelafis* tradiderat, vel male ab illis habitus, ideoque indignatus, vel in fraudem *Cæsenatum Ordelafis* obsequutus se *Bertinorium* traditurum pepigit; modo ipsi cum exercitu clam coacto accederent. Re cum *Ariminensibus* communicata, & ab omnibus probata *Malatestinus* cum parte Populi *Ariminensis*, & cum ejusdem Civitatis militibus, *Ubertusque Glazoli* Comes, & *Cæsenæ* Prætor cum populo, & *Cæsenatibus* militibus nocte decima sexta Augusti illuc iverunt, & ab *Albergutio* introducti partem, quam *Mainardi* incolebant omnem ultro obtinuerunt: sed statim adfuit *Scarpetta Ordelafus* cum *Foroliviano* milite, & Populo, unaque erat *Zapetinus Ubertinus* olim Dux generalis fœderis *Ghibellini* anno 1298. tum facile quoque Dux (arbitror) novi fœderis, & *Joannes Villanius* dicit adfuisse omnes *Ghibellinos* fœderatos. verba viri repono. *Nel detto anno 1307. del Mese d'Agosto essendo i Guelfi di Romagna all' assedio di Bertinoro, la Lega de Ghibellini di Romagna raunati insieme conloro amistà sconfissero i Guelfi, e furono tra morti, e presi più di due milla trà a piedi, & a Cavallo.* Hæc ille, & confirmantur ex cæteris expeditionibus *Ghibellinorum* hanc consequentibus, ut quas Chronicum nostrum & *Carrarius* memorant in quibus intelligemus fuere etiam *Faventini*, immo, & *Imolenses*, & Comes *Montis Feretri Fridericus*. At exitus pugnæ fuit ut *Cæsenates*, & socii minime inexpectata aggressione territi invasores fortiter sustinuerint, & cum aliquorum morte etiam re- 452
pulerint, attamen prævalentes numero hostes nova facta impressione vicere nostros, & in fugam vertere pars vero *Cæsenam* aufugit, partem in Oppidum rejecere, qui inter præsidiarios milites, & populum adversum *Britonoriensem*, atque inter victorem exercitum intercepti post bidui defensionem tandem se inimicis dedidere, captivi fuerunt *Forolivium* ducti numero mille, & octingenti, & ultra ut Chronicon nostrum dicit. Perculsi tanta clade *Malatesta*, & hæ duæ Civitates *Bononiam*, quæ tum *Guelfa* erat, Oratores misere ad auxilium contra communes hostes petendum, & obtinuere: *Ghirardatius* die 12. Augusti quarta scilicet die post cladem Oratores profectos dicit. verba sunt. *Alli 12. venero à Bologna gl' Ambasciatori del Malatesti, & del commune di Rimini, & anco gl' Ambasciatori di Cesena, & entrati nel consiglio addimandorono, che per defensione della Città di Cesena, & offesa de nemici di essa i Bolognesi volessero dar loro ajuto, & l'hebbero.*

Rubeus sub anno 1307.

Bononienses tum scilicet cum *Guelfis Flaminiæ* uniti erant, unde eodem Mense Augusti die quarta ducentos equites *Lugum* miserunt in subsidium *Guidonis*

donis Rauli, & *Bernardini Cosparii*, & Comitis *Bernardini e Cunio*, & Comitis *Guidonis* è *Valbona*, qui *Lugum* tenebant, erant alter *Faventiæ*, alter *Forolivii* perduelles Oppidum vero adversus *Faventinos*, & reliquos insuper defendebant: ipsi igitur cum equitatus ala *Bononiensi* in *Faventinum* agrum excurrerunt, adversus quos cum *Faventini* sumptis armis processerint magna extitit pugna; victoria vero penes *Bononienses*, ac socios fuit, multis inimicorum captis, & occisis. Quantæ fuerunt copiæ, in subsidium à *Bononiensibus Cæsenam* missæ non scribitur. Validas tamen fuisse inde conjicere licet, quod hostes tanta victoria potiti diu tamen quievere ab omni vel excursione abstinentes licet odia vigerent, & *Cæsena* præsertim exposita esset injuriis ob propinquitatem; unde ab Oratoribus hujus Civitatis in *Bononiensi* Senatu fuit nominatim rogata defensio. *Bononienses* pariter *Imolam* ut
453 adversæ factionis vexarunt Mense Septembris, *Duccia* diu sed frustra oppugnata. At agrum *Imolensem* repetita incursione diripuerunt partimque combussere, & *Imolenses*, qui armati occurrerunt post pertinacem pugnam multis tandem occisis fugatisque usque ad portam Civitatis persequuti sunt. At inter *Cæsenates*, & hostes fuit quies ab armis nullis licet firmata induciis usque ad Decembris mensem: tum autem, quando hiemis sævities solet arma suspendere, & verisimile est *Cæsenam* minus paratam ab auxiliaribus copiis fuisse. *Scarpetta*, & *Zappetinus* coegere exercitum evocatis etiam *Faventinis* magnum, & die quarta Decembris usque ad *Padernum Cæsenæ* Villam excurrere eaque nocte ibi morati sunt: ita narrant Annales nostri dicunt autem. *Millesimo tringentesimo septimo die quarta Decembris Forolivienses equites, & pedites, & Faventini in magna quantitate venerunt apud Padernum, ibique hospitati fuerunt nocte.* Subjungit postea die sequenti repositam ab iis esse, utar ejus verbis, *Rochettam* de *Reversano*, & die statim sequenti eam reliquisse, & *Forolivium* revertisse, eo quod Prætorium ejus Civitatis conflagraverit. Vereor ego ne ex vitio scripturæ *Rochetam*, quam is *Roversani* dicit, fuerit potius *Turricula Paderni* ob vicinitatem *Britonorii*, & hostium à *Cæsenatibus* disturbata, ut non magni præsidii capace, neque enim *Roversani* munimentum, & propugnaculum dirutum fuisse à *Cæsenatibus* verisimile est, qui illud cum solo *Formignano* in bello *Polentano* retinuere, neque locus adeo munitus si dirutus fuisset potuisset unica die instaurari: at menda multa in exemplaribus vitio scriptorum observamus, neque etiam ex *Paderno* ad *Roversanum* venire potuerant, nisi per vineta celebria vallis, quorum direptio, vel vastitas erat omnino memoranda, ut in secunda excursione sequenti anno meminit. Interim *Ubertus* Prætor non vulgaris prudentiæ militaris, & populus *Cæsenas* suapte natura ferox non potuissent intelligere propinqua adeo damna, & non incendi populares animi, neque (arbitror) intra muros inclusi mansere, sed à prudente Duce extra Civita-
454 tem, & munitis locis dispositi, hostes à vago discursu, & fusa prædatione cohibuerunt: eadem scilicet arte *Ubertus* usus est, quam olim *Fabius Annibalem* victorem propinquitate, sed tuta Castrorum ab effusa direptione prohibebat. Non equidem expediebat diminutas nostras copias ob milites adhuc captivos exercitui majori, & proxima victoria feroci objicere. Recesserunt ergo hostes omnibus locis agri liberis relictis. Non possumus divinare neque pro Historica veritate dicere, quæ inter obequitandum *Cæsenatum* cum hostibus velitationes (quod facile est) intercesserint. Eodem anno 1307. Ecclesia *Lateranensis Romæ* incendio ex propinquis ædibus progagato combusta est, at confestim reædificata ex privatorum opibus insigni pietate collatis. Successit annus 1308. accidentium

A varietate conspicuus. Die quarta Januarii *Cæsenam* venit magno cultu exceptus F. *Gentilis* ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis titulo S. *Martini* in Monte Apostolicæ Sedis, Legatus in *Ungariæ* partibus, *Poloniæ*, *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, *Serviæ*, aliarumque Provinciarum in mandatis præsertim habebat insigniendi Corona *Ungarici* Regni *Carolum Martellum*, & uxorem. Erat *Picens* ex Oppido *Montis Florii*. Eodem mense die ultima obiit Marchio *Estensis Azo* nomine. Fuit is magnus in *Lombardia* Princeps, & cum Regiam Uxorem haberet ex Regio scilicet *Galli* Regis Stemmate Filiam *Caroli Filippi* Regis Fratris, erat ob ditionem, &
B ob affinitatem dynastis *Longobardis* suspectus, adeoque invisus, ut idcirco adversus illum plures eorum conjuraverint, & arma sumpserint, quos auctus ope, & auxilio Soceri egregie ultus est, eoque in bello magna enituit *Petri* Abbatis, *Azonis* filii, virtus, unde pater à *Bononiensibus* petiit, ut juvenem equestri dignitate publice ornarent, quod libentissime, splendidissimeque sub anni 1307. fine præstiterunt. Genus, & modus mortis quis ac locus varie omnino à variis scriptoribus narratur; sicut etiam, quem ipse hæredem reliquerit. Cum enim illegitimum is filium habuerit, & reliquerit nomine *Friscum*, hunc aliqui dicunt hæredem relictum.
C Alii fratres *Opizonem Franciscum*, & *Aldobrandinum*, alii *Fuscum*, *Frisci* filium legitimum ea conditione, ut *Friscus* Dominium nullatenus obtineret. *Friscus* tamen post *Azonis* mortem dominatum usurpavit. Hæc Annalibus *Bononiensibus* respondent, ex quibus etiam falsum id est, quod aliqui scribunt *Fuscum* à patre *Frisco* in carcere positum, ibique mortuum, sed neque vinctus, mortuusque neque eam injuriam à *Frisco* passus est, diu post ab alio, mortuus jam imperii compos, postque ejus mortem certum est *Friscum* dominium usurpasse *Ferrariæ*, deque eo cum *Francisco* contendisse, cumque eum *Veneti* foverent Pontifex contra, tum 455
D *Venetos* Ecclesiasticis execrationibus involvit, tum missis *Arnaldo* Abbate *Tetellense*, tum Magistro *Onufrio* de *Trebis* Capellano, ut in literis vocatur Pontificiis, Nunciis Apostolicis, deinde *Arnaldo Pelagrua* Cardinali Sanctæ *Mariæ* in *Porticu* Legato ad sedandas discordias *Tusciæ*, *Flaminiæ*que & ad recuperationem *Ferrariæ* comparato exercitu, & auxiliis *Bononiensium*, & *Polentanorum* imploratis, *Ferrariam* ditioni Pontificiæ subjecit, *Venetis*, quibus se prius dederat, expulsis. *Rubeus* Coronam ferme muralem in *Ferrariæ* occupatione *Bernardino Polentano* tribuit: at *Bononienses* eam sibi laudem vindicant. Satis sit hucusque aliena tetigisse, licet
E ad *Flaminiam* ob propinquitatem etiam pertinerent. At ad nostra redeundo *Forolivii* Præfectus eo anno factus fuit *Fridericus* Comes *Montisfeltrii* *Cæsenæ* unde expulsus fuit acerbus inimicus, qui paratos adversus *Cæsenates Scarpettam*, & *Forolivienses* adduxit ut convocatis reliquis fæderatis Civitatibus, & locis *Faventia*, *Imola*, *Britonorio* magnis copiis inimicam Civitatem vexarent imo, & si fieri posset destruerent. Die ergo 18. Aprilis *Cæsenam* usque ad *Sapim* profecti cum omnibus copiis sunt, facile etiam exules *Cæsenates* ut *Pocaterra*, & alii spem fecerant præsente exercitu valido factionis *Ghibellinæ* homines tumultum excitaturos.
F At cum in Civitate quies, & *Cæsenates* copiæ instructæ ad oppositam fluminis ripam starent repulsuræ, si tentarent vadum confestim rediere. *Ubertus* continuit militem ne hostem recedentem insequerentur, judicabat enim tum vere antiquum monitum observandum pontem scilicet aureum hosti recedenti faciendum esse. Verum *Fridericus*, & *Scarpetta* ægre ferentes tanto apparatu nihil omnino fecisse improviso excursu in Vallem D. *Victoris* in qua celebre *Cæsenatum* vinetum jacet irruperunt aliquaque ibi loca vastavere inter cætera 456

S. Claram ontius. R 2 Castel-

Castellum (*Tumbam* vulgo vocabant) *Joannis Rai-
nutii* expugnarunt decem defensoribus occisis, &
quatuor cum *Joanne* ipso captis. Fuit hæc postre-
ma inimicorum in *Cæsenatem* agrum incursio, quid
inter hanc, & pacem mense deinde Augusti confe-
ctam à partibus factum sit nusquam legitur, captivi
utrinque in vinculis custodiebantur. Credere par
est à nostris *Guelfos* Provinciæ ad distinendum ho-
stem incitatos. Erant qui *Lugum* tenebant Comes
Cunii, *Manfredi*, *Rauli*, *Valbonenses* magnates
Guelfi, cum his facile per occultos internuncios
agebant *Malatestii*, tum *Ariminenses*, tum Prætor
Cæsenæ Ubertus junctique consiliis licet disjuncti
locis in communem defensionem & inimicorum
damna vigilabant. Ii ergo nedum vellicabant fre-
quenter modo *Faventinos*, modo *Imolenses*, sed
mense Julii demum furtim invaserunt, & ceperunt
Bagnacavalli Oppidum, & contra *Faventinorum*, &
Ghibellinorum conatus, defendere suis nedum viri-
bus, sed majoribus *Bononiensium* auxiliis confirma-
ti. *Bononienses* scilicet intelligebant dum ea ex par-
te hostes distinerentur eorum vires à *Cæsenatum*
damnis averti, interim autem illi cura *Ferrariensis*
belli occupabantur. Secus autem omnes suas co-
pias cum *Flaminiis* amicis convincissent ad *Ghibel-
linos* debellandos & ea spe facile *Malatestii Arimini*
Principes & *Ubertus Cæsenæ* Moderator differebant
in id tempus aleam rursus collatis signis cum ho-
stibus confligendi: at interea negotiatio pacis in-
terposita. Aliqui Cardinali *Pelagruæ* tribuunt, sed
posterior fuit pace ejus adventus. Facile Comes
Provinciæ primus sermonem de ea serere cæpit,
certum autem est ab anno usque præcedente men-
se Octobris die 15. in *Bononiensi* Consilio mentio-
nem ejusmodi pacis factam de qua agendum pro-
ponebatur in *Etruria:* Senatus autem decrevit in
457 pace ejusmodi includi oportere, *Azonem* Marchio-
nem *Estensem*, Civitatem *Ferrariæ*, *Malatestam* è
Veruculo cum filiis omnibus, & posteris Rempubli-
cam *Arimini*, & *Cæsenæ*, & Nobiles *Fulcerium*, &
Calbolum, & reliquos *Calbulenses* sicuti omnes *Val-
bonenses* è Provincia *Romandiolæ* amicos fratres, &
confœderatos cum *Bononiensibus*, & omnes Dyna-
stas, Nobiles, & Magnates *Guelfos* ejusdem Pro-
vinciæ, at pax tum nequaquam conclusa; forte
aliquæ interdum induciæ interpositæ, dum sile-
rent arma: at die vigesima quinta Augusti anni mil-
lesimi trecentesimi octavi pax celebrata, & capti-
vi utrinque libere dimissi. Placet verbis Chronici
rem describere. 1308. *die vigesima quinta Mensis
Augusti pace facta inter Bononienses, Ariminenses, &
Cæsenates ex una parte, & Forolivienses, Imolenses,
& Britonorienses ex altera relaxatis carceratis utrius-
que partis die autem Mercurii* 18. *Septembris qui prius
capti fuerant in Britonorio tenti in carceribus Foroli-
vii relaxati sunt, & eodem die Galastronus, & Gui-
datius fratres cum hominibus de Montisello, qui tene-
bantur in carcere Cæsenæ relaxati sunt.* Credendum
vero est etiam dimissos *Imolenses*, quos *Bononienses*
anno elapso ceperant, & in carcerem conjecerant.
Gravi ergo bello liberata est Civitas, quæ insul-
tus inimicorum prima, & sola excipiebat quous-
que enim ipsa persistebat, propugnaculum *Arimi-
nensibus* ab hostium incursionibus, invasioneque
erat. Quievit itaque interim ab omni externo
inimico, at interna quiete non prorsus potiebatur.
Continuatio Magistratuum *Uberti* nonnisi cum ali-
qua libertatis obumbratione penes saltem zelato-
res Cives esse poterat & cum *Mazolini* etiam si *Ghi-
bellini* plurimum tamen *Ubertum* demeruissent,
qui imperium Ecclesiasticum in Civitate expulsis
Comite *Friderico*, & *Zapetino*, & *Ugucione* asserue-
rant: *Guelfi* eorum inimici *Calesidii* præsertim æquis
oculis neque eos, qui auctoritate præpollebant,
neque *Ubertum* penes quem præpollebant videre
poterant; unde *Theodericus* familiæ primus cum fi-

A liis, vel sibi metuens, vel illos non tolerans ex Ci-
vitate excesserat, & cum *Bernardino Polentano* (erat
vero forte obtentu pro Pontifice in *Ferrariensi* bello
pugnandi sicuti etiam *Polentanus* pro eadem parte
militabat) se se *Polentano* junxit. Contractam ami-
citiam res deinde sequutæ patefaciunt. Huc eodem
anno cum bellum *Ferrariense* ferveret *Arnaldus*
Cardinalis de *Pelagrua* Legatus Archiepiscopo *Ra-* 458
vennati onus injunxit quinquaginta milites *Ferra-
riam* mittendi pro præsidio duosque menses suo eos
sumptu sustinendi facultate tamen eidem tributa e-
xigendi florenos, (floreni æstimatio erat quadragin-
ta solidorum boninorum,) ducentos quinquaginta
B à subjunctis Episcopis ita distributos. Archiepisco-
po ipsi *Ravennati*, ac ejus sacratis viris florenos
unum de triginta, & totidem Episcopo *Bononiensi*.
Undecim *Mutinensi*, viginti quinque *Parmensi*,
Foropompiliano decem, *Forocorneliano* tredecim, *Fo-
roliviano* decem, quinque *Cæsenati*, *Cerviensi* unum,
Sassinati duodecim, *Hadriano* undecim, *Cymaclensi*
duos, *Ariminensi* septemdecim, *Feretrano* decem,
Abbati *Nonantulano* quinque, & *Galliatensi* toti-
dem, *Pompiliano* sex, Archipresbytero *Balnei* quin-
que, quæ summæ junctis minutiis quas omisimus ad
250. florenos ascendebant. Qua in distributione
animadvertendum esse duorum Episcopatuum *Cæ-
C senatis*, & *Cerviensis* vectigalia nunc non paulo ma-
jora quam tum ex proportione fuerint, nam *Cæse-
nati* aggregata fuit D. *Laurentii* olim Monachorum
Camaldulensium D. *Romualdi* Abbatia ex tempore
Antonii Episcopi *Cæsenatis* anno circiter 1441.
creati, fuitque postea Episcopo *Joanne Venturellio*
ab *Amelia* confirmata aggregatio. anno 1475. hic
Episcopus factus. *Cerviensis* vero Episcopatus nunc
luculento vectigali utitur ex adjunctione (ut cre-
do) Ecclesiæ *Massæ Tribariæ*. At perseverante bel-
lo alios octingentos florenos eidem Archiepiscopo
eadem cum proportionatim distributione impo-
suit. Progressum belli aliis narrandum, immo ab
D aliis narratum relinquo. Annus succedit 1309. in Anno 1309.
quo generalis Synodus *Vienæ* à *Clemente Quinto* in-
dicta fuit. Causa adversus templarios milites, uni-
versamque eam sodalitatem jussu Summi ejusdem
Pontificis stituta, sed instigante Rege *Galliæ* agi- 459
tari, & terminari debebat. convenire ad Synodum
jussio Pontificis cogebat Archiepiscopum *Raven-
natem*, cum *Faventino*, *Mutinensi*, & *Parmensi* Epi-
scopis: At reliquorum Provinciæ Antistitum Pro-
curatores. Archiepiscopus ergo Provincialem Sy-
nodum indixit, & Episcopus *Cæsenas Leonardus*
diœcesanam, quæ 6. Idus Octobris in Episcopium
Civitatis convenit, cumque de moribus confir-
E mandis egisset elegit tres, qui Provinciali Concilio
totius Synodi nomine interessent: *Ubertum* Recto-
rem Sanctæ Crucis *Cæsenatis* Canonicæ *Portuensi*,
ut tum in iis tabulis scribebatur, subjectæ; *Rea-
lem* Canonicum *Cæsenatem*, & *Bartolinum* Archi-
presbyterum Plebis Sanctæ *Mariæ Montis Regalis*.
Hæc quoad Ecclesiastica negotia; at quoad poli-
tica magna prorsus extitit Kal. Julii perturbatio.
Respublica tum factionem *Guelfam* publice seque-
batur; attamen *Mazolini*, qui auctores fuerant sub-
eundi rursus Ecclesiasticam ditionem in admini-
stratione publica *Calesidiis*, & *Guelfis* præfereban-
tur, unde *Calesidii* sponte, an ejecti? à Civitate abe-
F rant, & *Bernardino Polentano* veluti paulo prius di-
cebamus hærebant, cum itaque clam cum Civibus
amicis Civitatem incolentibus convenissent, &
forte etiam tædio jam *Ubertus* ob diuturnum regi-
men populo esset. Avidus est is novitatis. Primo
die Junii hora cænæ cum hominibus domi clausis,
& mensæ accumbentibus viæ sunt ferme vacuæ,
Civitatem ingressi sunt, elataque tum voce, & ite-
rata: *moriantur Ghibellini, moriantur Ghibellini* per-
sonabant: *Ubertus* Prætor audita seditione licet à
diutino morbo non satis confirmatus inscenso equo,
&

& sumptis armis accurrit, & fortiter, ac præsenti animo se pugnæ immiscuit, ad eas enim voces *Mazolini*, & sequaces, & quibus præsens status placebat arma ceperunt, & jam prælio certabatur. Increbrescente pugna *Ubertus*, qui inter primos pugnabat ab iratis exulibus præcipue petitus vulnere in facie accepto ex equo deturbatur difficileque à suis in *Palatium* reductus est, unde curato vulnere in domo *Joannis Ferrantini* delituit: at ingressi Civitatem *Calesidii*, & sequaces cum militibus multis
460 *Bernardini Polentani* adversarios vicerunt, & multis occisis, & vulneratis ex Civitate ejecerunt, neque his contenti malis domos multorum sunt populati: nocte eadem *Theodericus* ipse *Calesidius*, & filii introierunt Civitatem, & amicis convocatis ac dispositis Civibus aliis partium studio, aliis metu mane *Bernardinum Polentanum* virum magnum, sed acrem olim Civitatis hostem *Cæsenam* induxerunt, atque effecerunt, ut à populo Prætor, una & Præfectus eligeretur. Interim duos post dies *Ubertus* ex Civitate evasit, ac ad suam ditionem *Glazoli* rediit. *Gerardus Mazolinus*, & cæteris *Uberti* clientes, & amici ex patria aufugere. Non expediebat *Bernardino* Præturam, & Præfecturam alienis à se Civibus gerere, neque illi oblivisci poterant quanta adversus *Cæsenam* paucis antea annis fecisset, aliqua adhuc busta concrematarum villarum restabant, neque ultro demandatus, sed potius exprompturs vi quadam Magistratus quem gerebat, erat. Vir ergo sagax leni alloquio lenire animos, & veteres mulcere iras statuit, convocata ergo concione cum jam direptiones, & arma quievissent ejusmodi est sermone usus. Ea est vicissitudo, & conditio rerum Cives, ut juvamenta, & damna celeriter alternent. Pelliceæ, vestes, & diploides, quæ nos hyeme adversus frigora muniunt æstate nimio calore suffocant; at in rebus humanis, & in rebus publicis præsertim frequentia omnino exempla sunt. Quæ paulo prius arcto fœdere jungebantur, eas non multo post animis, & armis infensas inter se ruere Civitates videas, est scilicet publica utilitas, lex, & norma apud optimos populos odii, & amoris, amicitiæque aut inimicitiæ jungendæ. Nolo aliunde, quam ex vobis ipsis testimonia quærere possem antiqua recensere, vos *Odoacri* fidi diutissime *Theodorico*, & *Gothis* restitistis, & non nisi devicto, & mortuo *Odoacre* victori jam omnium Regi cessistis. At subjecti postea *Gothis* jure fidelitatis postremi, & solum devicto *Vitige*, adeoque soluti juramento *Græcis*, & Exarchis dedistis manus pro quibus, & *Totilæ*, & deinde *Thejæ* quadrimestrem obsidionem tolerastis, obsessoribus rejectis, ac Ci-
461 vitate vestra defensa, nimirum, quos antea ut amicos fovebatis postea (mutata conditione rerum, & fidei ratione id poscente) pro inimicis habuistis, at recentiora recolamus. Vos Ecclesiasticas partes semper pro virili sequuti estis: at cum imprudentia Ministri Pontificii *Guidonem* Comitem *Feretranum* restituit, & ejusdem sectæ factiosos vestros, is fuit veteranæ Vulpis astus, ut nedum ipse partiarios suos animaverit, sed etiam Cives neutros, ac medios captaverit unde necesse fuit pro publica quiete diu tolerare *Galassi* magistratum, & contra imperium Ecclesiasticum invita dixerim Minerva *Ghibellino* fœdere illigari, quo adversus *Bononienses* acerrime certastis. At Divino Numine adspirante ipsi vos vobis restituti, in Ecclesiasticas partes admirando prudentiæ, & virtutis exemplo, vos vindicastis, sub cujus imperii libertate rursus *Bononiensibus* fœderati, *Forolivio*, *Faventiæ*, *Imolæ* pridem amicis repugnastis. Hæc ideo dixi Cives ut ad hanc amicitiæ, & inimicitiæ vicissitudinem considerandam revocati probetis electionem vestram, qua me Prætorem, & Præfectum vestrum fecistis, vobiscum sane bellum gessi, multa ego vobis damna intuli; vos alia mihi rependistis; At id ferebat conditio tempo-

A rum, ego tum *Friderico Feretrano*, *Zapetino*, *Ubertino* amicus eram, quibus vos inimici, vos tum partes Ecclesiasticas soli ferme fovebatis, ego amicus potius illis, qui repugnabant; nunc contra res se habet, ego cum nostra Familia prorsus Ecclesiasticæ partis addictus. In bello *Ferrariensi* enituit, & enitet adhuc nostra fides summopere probata, & grata Pontifici, & Legatis, vos in eadem factione perseveratis: *Feretrani*, & *Ugucio*, qui vobis iidem etiam nobis inimici; æquum est ut cum tot nunc causæ amoris, & amicitiæ successerint contrariis certemus officiis corrigendo, quod olim odii specimen repræsentavimus. Ego certe hoc meo ingressu
B illud in vos beneficium contuli quodque publice *Guelfi* factioni adhærebatis, nunc etiam privatim adhæreatis, contra quam res sub *Uberto* (vos ipsi scitis) se habebat, en *Calesidii*, & præclari alii eorum amici easdem cum Republica partes tuentes in priorem vobis gratiæ locum restituti; alii quos seditionis furor ejecit si voluerint quieti nobiscum vi- 462
vere, dum studium contrariæ partis zelo publicæ utilitatis temperent, recipientur, nec repugnabunt (novi eorum æquitatem) *Theodericus*, & amici, at aliud adhuc vobis contuli beneficium; veræ scilicet non fucatæ libertatis: gravis erat, (& sat scio vos idem pro vestra prudentia cognoscere) libertati tam diuturna Magistratus *Uberti* continuatio. Hæc
C præsertim ratio adduxit hoc vestros Cives amicos meos, ut in expulsionem perseverantis adeo Rectoris insurgerent, & ego tam justo, & pio pro libertate patriæ desiderio opem tuli, & personam obtuli ad asserendam libertatem vestram: spero autem, qui in *Mediolano*, & *Bononia* regendis probavi illis diligentiam, & operam meam, ac fidem, me vobis non minus probaturum; imo eo magis, quod teneor memoriam damnorum ex vestris animis delere. In ejus locum charitatis, justitiæ, beneficentiæ, provisæque at partæ vobis longe, lateque utilitatis vera inducendo, & permansura simulachra. Demeruit ejusmodi oratione *Cæsenates* Prætor, &
D bona spe multos implevit, eos etiam, qui prius diffidebant: erat vero is, & armis strenuus, & administrandæ Reipublicæ peritus gratusque Principibus, & præsertim *Ruberto* Regi, qui eum per literas ad ipsum datas Regium consultorem suum constituit, cum magna significatione amoris, ac commendatione meritorum. Perseverabat adhuc Pontifex Comites huc *Flaminiæ* mittere, una & *Bononiæ*, & comitatus *Britonorii*, ita tum Magistratus hujusmodi inscribebatur; videtur autem tum is fuisse Comes, cujus fit mentio in *Faventiæ* defectione anno sequenti 1310. de quo mox suo loco, *Raimundus Aetii* filius de *Aspello*, ut paulo post repetemus. Co-
E mites autem *Cæsena* recesserant, nec amplius ibi residebant, post scilicet illatum à *Polentanis* bellum, quod vix biennio elapso, consequutum est aliud à fœdere *Ghibellino* illatum. At evitandas igitur ejusmodi turbas, quæ nonnisi cum dedecore erant residentis in ea Civitate Comitis *Aureolum* ab Archiepiscopo *Ravennate* nomine commodati recepere, ibique etiam aliqua militum manum in Provinciæ præsidium habebant sumptu ab universa Provincia contributo. Hoc eodem anno *Veneti*, qui arcem *Tedaldi* servabant magna clade accepta sunt ex arce 463
F expulsi; totaque *Ferraria* in Ecclesiasticam ditionem venit: in qua victoria cum *Lambertus Polentanus* magnam, & ipse operam præstiterit, author postea fuit ut Castrum *Mucabonum* dictum, quod *Veneti* prope D. *Albertum Ravennatum* pagum excitarant, eratque illuc navigantibus obex, dirueretur: unde admotis illuc copiis intra mensem receperunt, receptumque solo æquarunt. Quod ægre ferentes *Veneti* paulo post D. *Alberti* Castellum ceperunt, atque combusserunt. Et post id temporis etiam non restiterunt interdum *Ravennates* perturbare, & accolas. Dum hæc inter Ecclesiasticos, & *Ve-*

netos agebantur, in *Piceno* quoque magnum extitit prælium, in eoque *Anconitanorum* copiæ valde afflictæ. Chronicon nostrum. Civitatem ipsi *Æsinam* adorti erant cujus Præfectus erat *Fridericus* Comes *Feretranus*, sicut & nonnullorum aliorum locorum *Piceni*: certarunt ergo collatis signis, & magna occisione victi *Anconitani*, quorum, & multi captivi. hæc forte occupatio Magistratuum in *Piceno* averterunt *Fridericum* à *Flaminia*, & *Cæsenatibus* præsertim vexandis. *Bernardinus* modo *Polentanus* fuit à Pontificiis ministris *Arnaldo* Abb. Monasterii *Tutellensis*, & *Onofrio* de *Trebis* Decano Ecclesiæ *Meldensis* capellanis (ut in literis Apostolicis dicuntur) Papæ Prætor *Ferrariæ* impositus, ita dicitur in iisdem literis 22. Novembris ejusdem anni 1309. datis. Oportuit ergo expleto semestri magistratu *Cæsenate Ferrariam* ivisse, qui vero primis sex mensibus anni 1310. sequentis Prætor, & Præfectus *Cæsenæ* fuerit non video. Non est autem omittendum post pacem anno 1308. factam inter *Bononienses*, *Cæsenates*, & *Ariminenses* ex altera parte: & *Forolivium*, *Faventiam*, *Imolam*, *Bertinorium* ex altera cujus proxime meminimus; Hoc tamen anno rursus inimicitiam inter *Bononiam*, & *Imolam* extitisse dissidium video; originem, & causam non lego. *Bononienses* sane arma illis intulere magno cum *Imolensium* damno, hic vero fuit progressus. Carrarius. *Bononiensium* equitatus trium tamen tantum tribuum ad D. *Petri* Oppidum pro-
464 fectus, inde die 27. Junii in agrum *Cornelianum* irrupit, diesque in eo duodecim moratus est populando, & diripiendo cum arborum, messium, at vinearum vastatione, molam etiam frumentariam, cum incili, & septo deturbaverunt, unde deterrita multa ejusdem agri Castra in ditionem *Bononiensium* concessere, *Duccia*, *Montecadunum*, *Maconactellum*, & *Tranellum*, decimaque solum die Julii victores fausti patriam repetierunt, & post paucos dies *Plancaldolum Corneliensis* item agri Castrum receperunt. Perturbatio ergo ex ea parte in *Flaminia* erat, neque vero videtur *Faventia* suppetias misisse finitimæ Civitati ejusdem *Ghibellinæ* factionis distenta à Comite Provinciæ *Raimundo*, qui *Aureolum* cum præsidio accepit, & prætorem *Faventiæ* imposuerat adversum quem tamen anno sequenti tumultum
Anno 1310. excitare. Anno sequenti 1310. multa extra Provinciam memoranda, multa in Provincia magna accidere. Quod ad Provinciam, Comes Provinciæ erat, & Comitatus *Britonorii*, & *Bononiæ*, si *Carrario* cre-
Carrarius. damus, *Raimundus* ab *Aspello* qui in *Aureoli* Castro residebat munitus etiam præsidio. *Clemens* Pontifex ab initio cum à *Guilelmo Durante* de *Romaniæ* statu, & dissensionibus diligenter exquisisset responsum tulit à Civitate *Faventiæ* earum præsertim originem pendere, prope ergo eam insidebat Provinciæ Rector, unde tanquam ex tuto loco prospiceret, quæ fierent, & tanquam ex propinquo posset prompte occurrere præter quam quod cum *Ghibellino* fœdere essent tres illæ Civitates alligatæ, *Forolivium*, *Faventia*, *Imola* in medio positus earum quoquo pacto concursum disturbabat, utilissimum vero Comitis consilio præsertim fuerat id quod erat *Faventiæ* consequutus imponendi illi Prætorem, cujus scilicet præsentia, & opera posset, quicquid Civitas moliretur, prænosse. Erat autem illa imperii tum Ecclesiastici in Provincia conditio, ut auctoritate potius, quam potestate uterentur ministri, & precario potius, quam jussu optata consequerentur; *Faventiæ* tamen non tanti erant *Acarisii*, & *Imolæ*
465 *Alidosii* (licet plus quam adversarii possent) quanti *Ordelafi Forolivii*, *Polentani Ravennæ*, *Cerviæ*que & *Malatestii Arimini*; *Cæsena* majore quam reliquæ libertate potiebatur. in hoc rerum statu *Ghibellinis* à *Bononia*, & a Legato seu Legatis Pontificiis, qui *Ferrariam* exercitu consequuti erunt, & tuebantur, periculum imminebat; quod cum ipsi prospicerent (sagax enim est factiosorum zelotypia) lapidem

A omnem movebant, ut *Guelforum* potentiam infringerent, vel saltem cohiberent. *Blanchi*, ac *Ghibellini Florentini* ab ea Civitate exclusi in *Romania Forolivii* præsertim, & *Faventiæ*, & in *Anemonis*, ac vitis vallibus ac Montanis Castris recepti vires factionis confirmabant, tumultum ergo ejusdem factionis studium, & *Ferrariæ*, & *Faventiæ* excitavit. *Ferrariæ Salinguerra* junior antiqui *Salinguerræ* Nepos cum amicis, & sequacibus *Ghibellinis* in *Catelanos* milites, qui pro Ecclesia *Ferrariam* custodiebant, insurrexere, multosque occidere, at infausto exitu: nam accurrit *Bononia* Cardinalis *Pelagrua* cum suis & *Bononiensibus* copiis, suppetias præterea tulit
B *Rhodigio* adveniens, cum egregia militum manu *Franciscus* Marchio *Estensis Salinguerræ* inimicus: ut territus mole impendentis belli populus *Ferrariensis* depositis armis in preces versus sit; at *Salinguerra* cum primoribus *Ghibellinis* aufugit. Cardinalis pollicitus est populo petenti veniam modo triginta obsides darent, quibus datis quoscunque eorum intellexit in tumultu populari fuisse impendi jussit, & Civitatem insuper salvis personis militibus diripiendam tradidit, triduoque rapinæ duraverunt. Ulcus ejusmodi livoris *Ghibellinorum* prius eruperat in *Flaminia* nimirum *Faventiæ*, nam *Bartolus Acarisius* evocato *Sinibaldo Ordelafo* ex *Forolivii*
C Civitate cum magna manu, & ipse *Faventiæ* cum *Ghibellinis*, inter quos Principem locum obtinebat, Prætorem à Comite Civitati impositum captum in custodia habuerunt, & milites Prætoris, qui resistere ausi fuere alios occidere, alios in carcerem detrusere. Comes re intellecta tantæ injuriæ impatiens, quæ nedum illum afficiebat, sed Pontificiam majestatem vulnerabat, adversus Civitatem rebellem, & *Ordelafum* ejusdem criminis reum arma movit. à *Bononiensibus* usque auxilia petiit, & pecuniam quoque mutuam sumpsit, verba Historici *Bononiensis* placet absque versione exscribere, ut res amplius, quæ ab aliis non scribitur, intelligatur. *In tanto*
D *Raimondo Conte della Romagna anch'esso dimandò* 466
novo ajuto di gente, e di danari à Bolognesi per occasione della Guerra, che contra i Faventini e ribelli della chiesta faceva, & acciochè fossero di tal prestanza sicuri gl'offer se dare ostaggi, ò altra sigurtà, che più piacesse loro, à cui volontieri i Bolognesi diedero gente à Cavallo, & a piedi, & di più ricevendo la sigurtà gli prestorono quella quantità di denari, che seppe domandare. Ex quibus verbis constat ante eam quoque occasionem ad præsidium sui à *Bononiensibus* milites accepisse, sed in tanta Scriptorum Provinciæ negligentia cum nihil de ejusmodi bello à *Rubeo*, aut *Carrario*, aut Chronico nostro scribatur, necessa-
E rium est id conjectura sumere à *Cæsenatibus* Ecclesiæ tum obsequentibus subsidium petiisse, & promptum habuisse, sed à *Malatestiis* quoque qui se Ecclesiasticos profitebantur missas copias, & subministratam pecuniam, ad id enim contra apertam defectionem pro Principe obligati essent; etiam si *Ariminum* in nobile feudum fuisset à Pontifice ut postea, concessum, at minus juris tum obtinebant, ideoque multo magis tenebantur. *Polentanos* etiam, qui se inter fautores Pontificis cum verbis reponebant, tum factis cum *Malatestiis* asseruerant: utrique enim cum selectis copiis ad recuperandam pro Pontifice *Ferrariam* iverant, & egregiam operam præ-
F stiterant. Causa ejusmodi defectio fuit quam ob rem Pontifex in Provinciam hanc imperium ad tempus *Roberto Neapolitano* Regi tradidit. Fuit is exinde Provinciæ Comes, quam per Vicarios postea administravit. Ut novo ritu *Flaminia* tum regi cœperit: hanc causam, quam ob rem *Roberto Flaminiam* Pontifex tradidit, Chronicon nostrum his verbis exponit. *Summus Pontifex Clemens Quintus superbiam Romandiolorum domare concertans Provinciam Romandiolæ Regi Illustri Roberto ad certum tempus tradidit gubernandam.*

FINIS LIBRI UNDECIMI,

LI-

467 # LIBER DUODECIMUS.

Anno 1310. AROLO Secundo Regi *Neapolitano*, qui *Claudus* ex vitio cruris vocabatur, successit *Robertus* filius, Regiis vere artibus excultus. Hic cum *Avenione* esset, a Pontifice *Clemente* Regali Corona fuit ornatus, & cum sub id temporis *Faventiæ* defectio, & *Ordelaforum* contigisset, Pontifex protervìæ eorum infensus, qui etiam optime noverat præter *Cæsenam* reliquas Civitates, quæ se pro Ecclesiasticis venditabant potius *Polentanorum*, & *Malatestiorum* tyrannidi subjectas non secus atque *Ordelaforum Forolivium*, statuit loco Comitum, qui pro Pontifice in *Flaminiam* mittebantur universam eam Provinciam Regi *Roberto* regendam demandare cum plenissima ad tempus tamen, potestate. Rex itaque in *Italiam* reversus *Florentiam* pridie Kal. Octobris venit maximo cum splendore, 468 & cultu ab ea Republica susceptus, quo in Civitate ad 9. Kal. Novembris moratus est, ut inter se divisos conciliaret, sed irrita prope opera. Inde pro imposito à Pontifice onere hujus Provinciæ regendæ misit eodem Octobris mense huc *Nicolaum Caracciolum Neapolitanum* Nobilem, ac strenuum magnæque prudentiæ virum, qui *Cæsenam* primum venit ut fidam scilicet Ecclesiastico imperio Civitatem dicto mense per portam *Ravignanam* tum, nunc *Trovæ* dictam, est eam ingressus, ut oportuerit eum *Sapim* per pontem *Marturani* jam diu solutum transiisse, perque viam amplam illam, & magnificam accessisse. *Cæsenates* frequentes, splendidoque cum occursu eum acceperunt, & lauto hospitio usi, atque spissa deductione, & reductione impense coluere. *Cæsena* ad *Aureolum* sedem ut diximus Comitum profectus est. Cum selecta cohorte venerat, & Regia auctoritas potentiaque quam is repræsentabat *Flaminios* terruerat, & Rex ipse per literas ad Civitates directas singulas officii sui monebat, erant admonitiones, sed armatæ; erant cum lenitate, sed lenitatem claudebat necessitas tuendi, & pænis, & armis adversus contumaces majestatem suam, & Pontificiam. præmisit tamen perpetratorum delictorum etiam rebellionis veniam eam poscentibus, & obedientiam in posterum pollicentibus. Quo tempore moratus est *Cæsenæ* tum Provinciæ universæ, & singularum Civitatum statum, & factiones, & dissensiones inquisivit, judicavitque prudenter ad promptam obedientiam conducere si factionis prævalentis in quaque Civitate minuatur auctoritas: id autem futurum si extorres partes in Civitates pace prius facta reducantur: contrariis siquidem ejusmodi momentis contra nitentibus non facile conventuros adversum Principem Cives, & eo præsertim, quod pars reducta beneficio Principis, & Patriam, & bona recuperaverit. *Faventinis* ergo, & *Forolivienfibus*, quorum recens erat crimen, & factionis studium magis effervescebat, interminatus est consilium pacis, nisi Pontificias, & Regias adversus se vires experiri velint, cum vero Internuntii propensionem singulorum ad pacem retulere, tum *Aureolum* petit die 9. Novembris atque illuc 469 evocatos *Faventinos* exules, qui fuerunt Comes *Rugerius*, *Guido Raulis*, *Guido*, e *Glavicano*, & *Franciscus Manfredus*, & ex altera parte *Scarpettam Ordelafum*, & *Acarisios* pace junxit die decimo, & sequenti mox cum omnibus eis *Faventiam* intravit ingenti cum populi lætitia, qui ob veniam maximis belli periculis defunctus erat, & reditu Clarissimorum Civium magno auctam splendore Civitatem videbat. tantum ex hoc facto prioribus momentis auctoritatis accessit Rectori, ut tota Provincia ad omnimodam obedientiam prona fuerit, nec

A minus benevolentiæ peperit libera defectionis remissio. *Forolivienses* itaque ipsum adeuntem pariter obvio, & læto occursu excepere, qui *Calbulenses*, & reliquos *Guelfos* ejectos conciliavit cum *Ordelafis*, & *Ghibellinis* restituta Patria, & bonis. *Cæsenam* quoque revocavit *Ghirardum Mazolinum*, & *Joannem Azardum* cum eorum amicis ex patria depulsis prius tamen cum adversariis constituta sincera pace: erat tum Præfectus Civitatis *Bernardinus Polentanus Ferraria*, scilicet post expletum magistratum reversus, qui carus fuit Regi *Roberto* à quo etiam Regius Consultor tum fuit declaratus diplomate misso, hinc factum credo cur *Caracciolus* exules *Ravennates* non legitur restituisse; *Polentani* vero in obsequii repræsentationem curarunt ipsum *Ravennæ* Prætorem eligendum. At *Ariminum* B *Parcitatos* jam diu à *Malatesta* dejectos reduxit. Ea demum fuit hujus Rectoris auctoritas, ut Regia manu dissensiones omnes composuerit: difficultatesque & controversias expediverit. Provincia itaque aurea quiete sub eo fruebatur, sed à Rege, qui ejus consilio, & opera plurimum utebatur tranquillitate Provinciæ audita fuit brevi post tempore revocatus. Mense tamen saltem Febr. anni sequentis millesimi trecentesimi decimi primi perseveravit ex literis *Roberti* Regis die 23. Februarii anni 1311. ad eum datis his cum titulis. *Robertus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ; Ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Provinciæ, & Forqualiberi, ac Pedemontis Comes Provinciæ Romandiolæ, & Comitatus Britonorii rector per S. R. Ecclesiam consti-* C *tutus Nicolao Carrazzolo de Capua militi Præsenti in eisdem Provincia, & Comitatu Vicario, & familiari.* 470 Penes Rubeum. Successit *Nicolao Gilbertus Santillus* ex *Hispania* citeriore *Catalanus* ita *Rubeus*, & *Carrarius* licet Chronicon nostrum secundum Vicarium *Didacum de Larat*, & hunc *Gilbertum Tertium* memoret, at *Cerviensis* eventus, quem proxime referemus *Rubei* ordinem confirmat. Rigidior fuit *Gilberti* administratio cujus mutationis quam arbitror occasionem, re aliquanto altius repetita exponam. *Rudolphus* Imperator Primus *Austriacæ* familiæ Pontifici *Flaminiæ* Provinciam renunciaverat penitus, seu restituerat, & ultra Montes occupatus *Italiæ* omnem curam abjecerat, in qua à rebus *Italicis* alienatione *Adulfus*, *Rodulfi*, & *Adulfi Albertus* successores permansere; interempto *Alberto Henricus Septimus* electus fuit, & à Pontifice ea conditione confir- D matus ut Imperialem Coronam *Romæ* acciperet, qua occasione, & *Italicum* iter adornavit, & ad recuperandam antiquam in *Italia* Imperatorum ditionem animum adjecit. Sperabat Pontifex *Italas* dissensiones metu Imperatoris armati quieturas, at amplius exarsere; nam *Ghibellini* erexerunt animum, & *Guelfi* contraxere metu: verum ut metus cautos reddit se se impensius armis, & fæderibus munivere. *Robertus* Rex in *Italia*; *Florentini* in *Tuscia*; *Turriani* in *Lombardia* Principem inter *Guelfos* locum obtinebant. Cum *Florentinis Bononienses*, & *Senenses*, & *Lucenses* sentiebant, & fædere jungebantur: ditio Ecclesiastica si publicam rationem spectes fere tum extra aleam factionum erat, nihil enim ab Imperatore sibi timebat. At si priva- E tas affectiones, quæque Civitas pro antiquis studiis dividebatur; *Romæ* præsertim *Columnenses* pro Imperatore; *Ursini* adversi fuerunt. Imperator ingressus est magno cum exercitu *Italiam* anno eodem 1310. mense Octobris, cujus mensis 10. die *Astam* venit. *Astenses* vero magno cum honore tanquam Dominum recepere inde post duos menses *Mediolanum* accessit, quam Civitatem pridie Natalitiæ Christi festivitatis ingressus est diu tenuit *Guido*

do Turrianus tum *Mediolani* Præfectus nomine, at re
tyrannus; sed suasu suorum, qui nullum in Impera-
471 toris susceptione ad coronam recipiendam pericu-
lum agnoscebant, cessit imprudenti consilio illiben-
ter, at eo imprudentius, quo illibentius se id facere o-
stendit; imperator enim ut *Mediolani* cum exercitu
fuit prætulit *Mattæum* Vicecomitem ab exilio re-
stitutum *Guidoni Mattæo* inimico, à quo is ex pulsus
fuerat, ut sibi parum fido, unde *Guido* impatiens de-
pressionis tentavit populum ad arma concitare, sed
irrito conatu nam providus imperator suggerente
Vicecomite, & initia compescuit, & *Turrianam* fa-
ctionem cum factionis, & familiæ Principe *Guido-
ne* ex urbe ejecit, quæ expulsio commovit *Guelfos
Florentinos*, *Bononienses*, *Lucenses*, *Fanenses*, & alios
quibus cum fædus *Guido*, & *Turriani* icerant. Cre-
vit autem eorum perturbatio cum *Cremonam*, &
Brixiam ubi pars *Guelfa Ghibellinis* ejectis ab Impe-
ratore defecerat post longam oppugnationem præ-
cipue *Brixiam* cepit, in cujus defectione princeps
forte fuerat *Tedaldus Brusatus* in ea Civitate pri-
mariæ nobilitatis, & autoritatis, quem antea pro
Pontifice *Flaminiæ* Comitem fuisse memoravimus.
Hunc inter obsidendum captum Imperator sæva
morte peremit alligatis ad duas arbores vi inclina-
tas viri cruribus, quæ liberæ deinde relictæ ipsum
misere disciderunt. Prius *Patavii* Civitatem cum
Vicentia ceperat. Erat vero illa quæ tum *Vicentiæ*
dominabatur cum *Guelfis Etruriæ* Civitatibus colli-
gata. *Ghibellinæ Genuæ*, *Pisæ*, *Aretium* ob Impe-
ratoris victoriam erectæ ipsum evocabant ad se, ut
ejus ope *Guelfas*, ac præpollentes *Florentiam*, *Lu-
cam*, *Senam* infringerent. Imo etiam ad *Robertum*
Regem debellandum *Guelforum* fautorem, & *Gho-
ragum* invitabant. Hæc cum *Guelfi* nossent, & Rex
ipse tum ex aliorum nuntiis, tum ex se ipso pro sua
prudentia intelligeret diffidens, & merito *Flami-
niæ Ghibellinis*, & *Florentinis* ob factionem *Ghibel-
linam*, & *Blancam* exulibus, qui in *Flaminia* recepti
fuerant, misit in hanc Provinciam cum nova equi-
tum ala, numerosa peditum cohorte. Erant *Ca-
talani* equites. *Gilbertum Santillum* ex citeriore *Hi-
spania*, qui *Blancos* exteros omnes ex Provincia ex-
472 pelleret: Proceres vero *Flaminiæ Ghibellinos* in car-
ceres conjiceret, ne sub Imperatoris adventu re-
bellarent. Inter captos, & vinctos fuere *Scarpetta*,
& *Petrus Ordelafi*, & *Nerus Arguliosus*. Addit *Car-
rarius Fulcerium*, & *Nicolutium Calbulenses*, verum
repugnat hoc iis, quæ subjungit *Guelfos* liberos re-
lictos, erant autem *Fulcerius*, & *Calbulenses Guelfi*.
Sunt, qui scribant à *Gilberto* Proceres *Ghibellinos
Forolivii*, *Faventiæ*, & *Imolæ* in carcerem conje-
ctos, & *Forolivii* fossas æquatas. *Cerviæ* eodem
anno magnus tumultus adversus *Bernardinum Po-
lentanum* ejusdem Civitatis Dominum, tum vero
Cæsenæ, cujus Civitatis Præfecturam gerebat,
commorantem excitatus est à *Ricolis*, *Zuccaris*,
& *Maltalentis Cerviensibus* Civibus, qui domina-
tum ejus ægre ferebant; erantque in ea Civitate
præsertim *Ricoli* primores: armati in forum pro-
currunt, populum ad libertatem vocant, quibus
vocibus incitatus Populus in Prætorium irrum-
pit; arma quæcunque ibi reperit, induit; sup-
pellectilia omnia diripuit; familiares *Polentani* qui-
cunque aderant contumeliis affectos ejecit ex Ci-
vitate; *Hostasium Bernardini* filium, & *Magda-
lenam* uxorem in custodia retinuit. *Bernardinus*,
qui se Regis observantissimum profitebatur, irro-
gatam sibi injuriam Vicario *Sintillo* defert. Is
Cerviam vadit in judicium vocat authores tumul-
tus, & quicunque non aufugerant, graviter pu-
nit; absentes proscribit, demumque seditiosos
graviter ulciscitur. *Cerviensis* autem populus, ut
populares animi instar marinæ procellæ brevi
flaccescunt, & facinus suum, & impulsores *Ri-*

A *colos*, quibus prius ut Liberatoribus elata voce
vitam, & felicitatem inclamaverat detestatus est,
& gravius imperium deinceps toleravit. Eo vero
acerbius punierat *Polentani* injurias *Sintillus*, quod
Regius Consiliator erat, & inter aulicos suos Rex
eum susceperit. Duplici ergo nomine in Regem
injuria refundebatur. *Cæsena* quievit hoc tempo-
re, cujus Prætor anno eodem 1311. fuit *Tomasu-
tius* filius *Ugutionis* è *Campo Rotundo*, & ejus ju-
dex, & Vicarius fuit *Bartolomæus Ottonellus Par-
mensis*, & *Bernardinus* Præfectus. Fuit vero
Legatus in his partibus *Gentilis* Presbyter Cardi-
nalis S. *Martini* in *Monte*. Hoc Anno post longam 473
B inquisitionem ordo Templariorum militum fuit à
Pontifice *Clemente* sublatus Rege *Galliæ* instigante.
Quæ militibus ascripta fuere crimina falso adscripta
fuisse, inter alios D. *Antoninus* asserit, immobilia, ac
stabilia eorum bona multa militibus hospitalariis
tributa, mobilia Regi *Galliæ* assignata. Sed ad no-
stra redeundo. Jussu Regis judicium mense De-
cembris *Faventiæ* institutum adversus eos, qui Ju-
nio ejusdem anni elapso in *Catelanos*, & alios mini-
stros Pontificios deliquerunt. *Rubeus* hoc anno
millesimo trecentesimo decimo primo descivisse à
Pontifice *Bononienses*, quod neque ullus Scriptor
dicit, quem viderim: immo Divus *Antoninus* dicit,
C cum *Florentinis*, & Rege *Roberto* fæderatos fuisse,
atque milites à *Florentinis* adversus Imperatorem
habuisse. Imperator interim post *Lombardiam* fer-
me domitam *Genuam* se transtulit die vigesima pri-
ma Octobris in qua ut Imperialis partis instar Prin-
cipis supremi, absolutique receptus fuit, & magna
pecuniæ vi donatus in ea moratus usque ad diem
decimam septimam Februarii, qua classem triginta
triremium cum suis conscendit *Pisas* profecturus,
at reflantibus ventis, ac procellam excitantibus il-
luc solum die sexta Martii pervenit, ibique summo
studio à devota *Cæsareo* nomini Civitate cultus us-
que ad decimam tertiam diem mansit. Statim at-
D que Imperator *Apenninum* transivit *Florentini* mili-
tes, qui *Bononiam* ad ejus defensionem à Republi-
ca missi fuerunt, sunt *Florentiam* reversi, Rex quo-
que *Robertus* die 15. Decembris ducentos equites
Catalanos, quos in *Flaminia* habebat revocavit, at-
que *Florentiam* misit. At vero tum Regis *Roberti*
tum *Florentinorum*, & reliquorum *Guelforum* is fuit
conatus, illud consilium, ne Imperator *Romæ* im-
perialia insignia consequeretur. *Ursini* pro factione
erant Regis *Roberti* asseclæ, at *Columnii* contra Im-
peratori, ac *Ghibellini* favebant. *Ursini* partem, ubi
Vaticana Basilica erigitur usque ad Capitolium in-
sidebant, ut viæ inimicis inviæ essent perviæ suis
E cum *Ursinis*, ac sequacibus jungebantur copiæ il-
luc à Rege *Roberto* missæ, & ejus suasu nedum à *Flo-* 474
rentinis, *Lucensibus*, & *Senensibus*, sed etiam ex *Fla-
minia*, quod ex literis constat *Roberti* Regis huc
missis ex quibus elicitur, Provinciam decrevisse suo
sumptu quadringentos pedites, & quinquaginta e-
quites mittere, quibus *Lambertus Polentanus* alios
centum pedites & quinquaginta equites jussu Regis
adjunxit, quibus tamen stipendium ex Regio æra-
rio solveretur. *Lamberto* Duce totam eam manum
Romam adversus Imperatorem profectam indicant
Regiæ eædem literæ, ut *Carrarius* testatur. *Cæ-
senates* verum inter eos milites fuisse non paucos
F suadet, quod ipsi per se *Guelfam* factionem seque-
bantur, ditioni Ecclesiasticæ, quæ à *Roberto* exer-
cebatur, suberant; prætereaque *Polentanum* tum
præfectum habebant. Pugnæ inter viarum an-
fractus, & septa plures, & usque ad exactum
Julium mensem ab Aprili duravere. Tum statuit
Henricus pro D. *Petri* Basilica, in qua consueve-
rant Imperatores Corona insigniri, in *Lateranensi*
Ecclesia à Legatis, quos ad id miserat Pontifex
eam accipere. Accepit autem die prima Augusti
anno

anno eodem 1312. mox ea redimitus in *Etruriam* concessit, & *Florentinos* primum ad *Ancisam* perculsos, deinceps obsidione cinxit, in periculumque eam Civitatem adduxit, & fatetur *Villanius* si recta ad Civitatem ab *Ancisa* ivisset, portas patentes, & Civitatem perviam reperturum fuisse: at Imperatoris mora, & copiarum suarum licet devictarum reversio animavit ad defensionem Civitatem, cui in subsidium, & *Robertus* Rex, & singulæ Civitates *Tusciæ Guelfæ* selectas copias misere, & ex *Flaminia Guelfæ* Civitates *Ariminum*, *Ravenna*, *Faventia*, *Cæsena* misere trecentos equites, & pedites mille quingentos. Ita *Villanius*. Cum fuisset ergo Imperator in ea obsidione frustra à die 19. Septembris ad postremam Octobris, nocte antecedente festum omnium Sanctorum obsidionem solvit, licet non longe recesserit, sed in finitimis locis consistens, inde multa damna intulit, multa loca cepit, quousque pestis exorta, ac grassans exercitum ejus diminuit, à quo etiam recessit *Robertus Belgii* Co-

Jo. Villanius lib. IX. cap. 46.

475 mes. Ut coactus fuerit *Pisas* redire, ubi reparatis deinceps copiis, & viribus cum prius sententiis pro Imperiali auctoritate editis, & Regem *Robertum* Regno exauthoraverit, & *Florentinos* omni jurisdictione, & libertate privaverit. Tum demum aggressus est pænas pronunciatas armis asserere. Primum adversus *Robertum*, ut caput rerum bellum inferre decrevit, certus eo debellato facilem aliorum victoriam futuram esse. At mors ejus inopinata Anno 1310. die 24. Augusti à maximo periculo Regem *Robertum*, & asseclas subtraxit. Sed ad nostros redeamus soluta obsidione, & inclinante tum Imperatoris ob pestem exortam ut dixi fortuna, amica subsidia *Florentini* remiserunt, ut ipsi parcerent sumptibus, & amicos militari onere levarent. Nostri ergo, qui impositum à suis rebus publicis onus defendendi amicam Civitatem expleverunt, & læti revertere, & à suis hilaribus cum acclamationibus recepti, ac laudibus fuere. Quo vero tempore adhuc *Pisis* morabatur Imperator *Romam* iturus mense Martii anni ejusdem 1312. Provincia ferme universa in *Soliani* Castrum insurrexit, illud circumvallavit, & demum deditum destruxit. Jussit expeditionem Vicarius Regius *Sintillus* instigante scilicet *Malatestino Malatestio Arimini* Domino Chronicum nostrum his verbis, quæ placet exscribere, excidium narrat. *Malatestinus de Malatestiis, qui uno solo videns oculo longius aliis intuebatur destructionem Castri Soliani, quod odio habebat, sagaciter ordinavit: nam ejus instigatione Dominus Gilbertus de Sintillis Rector Provinciæ Romandiolæ pro D. Rege Roberto mandavit omnibus Romandiolis, ut circa Solianum deberent ad exercitum convenire, sicque de Mense Martii 1312. Dominus Malatestinus cum Ariminensibus; Dominus Bernardinus de Polenta cum Cæsenatibus, & Cerviensibus dictum Castrum subito circundarunt, & omnes alii Romandioli sequuti sunt, & quælibet Civitas ibi suum Manganum apparavit, sicque de apparatis, & fabricatis ibidem* II. *manganis fuit trabucatum, & usque ad diem penultimam Junii se intrinseci viriliter defendentes, tandem ipsa die, scilicet festivitatis Apostolorum Petri, & Pauli Castrum reddiderunt, & cum personis, & rebus, quas*
476 *portare potuerunt, abierunt illæsi; Castrum vero, quod insigne erat, & magnis Palatiis, & turribus permunitum, & ducentorum fumantium capax fuit funditus dissipatum. Ipso anno carestia magna erat, & indicto exercitu fuit abundantia omnium victualium, omnibus accedentibus copiosa, quod quidem accidit propter multitudinem frumenti, quod ipse Malatestinus de Apulia fecit asportari.* Carrarius huic narrationi subscribit, & *Rubeus* prior sub eodem

A hoc anno 1312. causa cur *Malatestinus* instigaverit *Santillum*, fuit antiquum diffidium, cujus ante memini inter *Malatestios* posteros *Malatestæ* è *Veruculo*, & *Joannis Soliani* Domini ob factiones, scilicet *Ghibellinam* cujus hi, & *Guelfam* cujus illi studiosi fuerunt. Præsertim vero *Malatestinus*, qui *Ghibellinorum* odio furebat, hic igitur homo mire sagax cum metu Imperatoris *Robertum* Regem pessime in *Ghibellinos* animatum animadverteret, optimeque nosset mandata *Sintilli* ad *Ghibellinos* deprimendos, suggessit illi *Soliani* Oppidum esse paratum *Ghibellinis* perfugium pro studio Dominorum loci erga *Cæsareas* partes, pro
B *Feretranorum* Comitum ejusdem factionis propinquitate., esseque ab opere, & situ munitum, quodque plurimi intererat apertum esse aditum turmis ex *Etruria* in *Flaminiam* pro Imperatore transeuntibus, ideoque omnino esse occupandum, aut excindendum. Anno 1613. prioreque ejus Anno 1313.
semestri vivente adhuc *Henrico* Imperatore, & minis, atque armis terrente Regem *Robertum*, & *Guelfas* Civitates *Tusciæ* suspensi fuerunt *Italorum* animi, in *Flaminia* autem quo major erat Imperatoris timor, eo amplius à Vicario depressi *Ghibellini*: unde *Scarpetta*, & *Pinus* ejus frater in compedibus custodiebantur, & muri *Forolivii* e-
C versi, & fossa complanata. *Guelfi* ergo securi à *Ghibellinis* vivebant sub imperio tamen Vicarii Regii potius intento, quam remisso. Hoc anno, *Cæsenæ* mortuo Episcopo *Leonardo*, successor est suffectus *Joannes*. *Leonardum* mortuum fuisse oportet anno usque 1311. XVII. Kal. Julii, nam in Concilio tum celebrato nulla ejus mentio, neque procuratoris alicujus pro eo impedito; immo anno eodem die 23. Februarii literæ *Roberti* Regis quibus respondet supplici libello Archiepisco- 477
pi cum omnibus Episcopis subjunctis nulla *Cæsenæ* Episcopi mentio: diu itaque vacua sedes Clero scilicet in neminem conveniente, unde coa-
D ctus fuit eligere quibus eam electionem committeret, elegit autem *Rubeo* testante VII. Kal. Aprilis anno millesimo trecentesimo decimo tertio *Gulielmum*, & *Bulgarum* Canonicos *Cæsenates*, & *Christophorum* Abbatem Cænobii Divi *Laurentii Cæsenatis* in quos jus eligendi Episcopi transfudit ii vero *Joannem* Præpositum *Ariminensem*, *Cæsenatem* Canonicum in locum *Leonardi* prædicti Episcopi elegerunt. Eodemque die mane in Episcopali Sede magno cum omnium plausu collocarunt. Fuit *Joannes* nobili genere ortus *Ariminensium Ricciardelliorum*, qui aliter vulgo Dalle caminate dicuntur. Mense vero antecedente sci-

Rubeus sub eodem Anno 1313.

E licet die duodecima Februarii *Raimundus Ispellensis*, qui Comes fuerat *Flaminiæ* pro Pontifice postremus eorum, qui *Roberti* Regis in hac Provincia regimen præcessere. Ipse inquam, cum ad Pontificem iret, ad eumque ducenta millia, & amplius aureorum florenorum ejusdem jussu portaret in agro *Mutinensi*, & ipse occisus, & pecunia cum reliquis rebus omnibus direpta. Cum eo præterea quadraginta ejus familiaribus occisis. Facinoris perpetratores Comes *Panici*, & milites *Passarini Bonacossii Mutinæ* Rectoris. *Clemens* Ghirardat.
Pontifex iratus duram in eam Civitatem sententiam, & execrationem jecit. *Bononienses* cum
F flagitium perpetratum intellexere *Raimundi* cadaver *Bononiam* asportandum curarunt, illudque purpura indutum solemni ritu, & pompa in Divi *Dominici* mandarunt, recens ad id condito, ac sumptuoso sepulchro. Regi post hæc *Roberto* magna accessit potentia, cujus cognitio pertinet ad dignoscendum, vel conjectandum statum nostrum, dum ex incremento Regis elatiores animos Vicarii Regis sumebant securi populorum servitii, vel repugnantium excidii. *Roberto* er-

go *Florentini* se Civitatemque suam libere in quinquennium permiserunt, posteaque triennium addidere, sequuti sunt exemplum *Lucenses*, *Pratenses*, at *Pistorienses*. Eas Civitates per semestres Vi-
478 carios Rex gubernabat, sed ex alia etiam parte auctum est Regis imperium: *Ferrariam* enim etiam ejus administrationi Pontifex subjecit, causam deinde subjiciam: interim vero *Cæsenæ* Prætor ele-
Carrarius. ctus fuit *Ubertus* idem *Polentanus* qui Præfectus fuerat anno elapso. At hoc 1313. Præfectus fuit *Ostasius* ibidem *Polentanus*, quo tempore die 19. Junii *Musettus* ab *Entrolo* nobilis Civis *Parmensis* per *Joannem Bartilonium* Procuratorem petiit, & exegit ab *Ostasio*, & *Bernardino Polentanis*, & ab octo defensoribus, atque à Republica *Cæsenate* quinquaginta libras Imperiales (erant monetæ genus) quam pecuniam solverat *Musettus* Centurioni peditum ab eadem Republica, & *Polentanis* in subsidium *Gilberti Corigiensis* illuc missorum, & à *Lamberto* quoque *Polentano Ravennæ* Prætore, & ab eadem Civitate aliam pecuniæ summam eadem de causa à se solutam repetebat per eundem Procuratorem *Musettus*, ut hinc constet *Polentanos*, & *Polentanorum* suasu has duas Civitates auxiliares copias pro *Gilberto* misisse, vel saltem tot militum stipendia spopondisse. Quam ob rem tam remotæ Civitati hæ nostræ subsidia miserint, ea videtur causa, quod *Gilbertus* in magno tum periculo ab adversariis *Ghibellinis* positus erat, unde à *Bononiensibus* enixe ut sibi opem ferrent petiit, quod Civitas illa *Guelfa* tulit, quæ misit trecentos quinquaginta balistarios, & quinquaginta equites. Eadem fiducia ab his Civitatibus ut *Guelfis* auxilium petiit. (Ghirardat. sub eodem A. 1313.) Mortuus est ut dixi hoc anno mense Augusti die 24. *Henricus* Imperator, ut multa jam tranquillitate Rex *Robertus*, & *Guelfæ Hetruriæ* Civitates potirentur. Regiæ copiæ, quæ ad tutelam *Florentiæ* à *Flaminia* asportatæ fuerant in Provinciam rediere. Interim *Ferrariæ Didacus Dalmasius* Præfectus præsidii videns *Franciscum Estensem* Populo *Ferrariensi* carum, metuit imperio in eam Civitatem Pontificio ab eo periculum; unde per fratrem suum palam in foro occidendum curavit: prætendit vero occisor ultionem injuriæ olim ab *Estensi* susceptæ. Commotus homicidio *Clemens* Pontifex removit *Dalmasium*, & *Didacum* de *Larat* suffecit. Forte Pontificem quærelæ *Fer-
479 rariensium* perturbarunt, unde ne odium Præfecti ad deficiendum à principe induceret, *Didacum* ab eorum aspectu, atque regimine subtraxit. Verum cum amori Populi non esset Præfecti mutatione satisfactum antiquum ipse Dominium *Estensium* desiderabat. Quocirca cum ex adventu novi Præfecti se spe sua delusum animadverteret, tumultu facto palam *Estenses* pro Principibus flagitarunt, at Præfectus, qui magnis copiis instructus metu seditionis venerat accersito etiam Castri *Tedaldi* præsidio Populum invasit, & multis occisis, aliis captis furentem compescuit, ad eosque amplius deterrendos tres, & viginti Cives impendio necavit, ab aliis autem vim ingentem argenti pro seditionis pœna extorsit. Quibus Pontifex auditis tutius arbitratus est Regi *Roberto* eam quoque Civitatem regendam tradere sub Rectore scilicet majoris dignitatis, & potentiæ facile Cives quieturos cum præsertim viribus subjectæ *Flaminiæ* eos Rex attingeret. In tanta Regis *Roberti* potentia, & *Ghibellinorum* depressione, *Pisani* tamen non despondeRunt animum, sed mortuo Imperatore aliquos ejus milites *Germanos* retinuere, & *Ugutionem Fagiolanum* olim à *Cæsenatibus* ejectum in Rectorem Civitatis, ac Dominum elegere, qui *Lucenses* multis primo incursionibus afflixit, deinceps contra potentiam *Florentinorum*, & *Petri* Regis *Roberti* fratris, qui pro Rege *Florentiæ* præsidebat,

A eam occupavit. At *Cæsenæ* anno sequenti 1314. A. 1314.
Prætor fuit *Banninus Polentanus* primis sex mensibus, & *Hostasius* ejus ex Fratre Nepos Præfectus. Hoc anno moritur *Clemens* Pontifex die 20. Aprilis, duosque Annos Pontificia sedes absque Pontifice fuit Cardinalibus non convenientibus. In Cæsaris etiam electione diuturna Principum *Germanorum* dissensio. Ex ejusmodi interregnis præsertim Pontificio in nostram Provinciam, & Civitatem redundavit perturbatio, quam mox subjiciam, mortuus est etiam *Philippus* Rex *Galliæ*, cujus jussu dicitur *Nogarectius* cum *Sarra Columnio* Pontificem *Bonifacium* cepisse. Præcessit horum
B mortem Cometes prope asterismum Virginis. Hujus Regis tres nurus in adulterio ipso vivente deprehensæ; vulgo peccato Regis in Pontificem, 480
(Villanius L. 9. c. 64.) & in templarios tribuebantur. At *Cæsenates* Kal. Junii Portum condere, & aperire aggressi sunt. vidimus antea ab ipsis constructum fuisse, sed demolitum, & clausum à *Bernardino Polentano*, tum inimico, deinde in confecta pace cautum, ut de eo reædificando judicio Rectoris Provinciæ obtemperaretur. Quid de lite factum sit nihil scriptum legimus, at regentibus *Polentanis*, & præsidentibus olim adversariis Civitas tandem manum admovit, eaque fuit Populi diligentia, ut spatio
C duorum ferme Mensium Portum ipsum, & aditum Navibus aperiret, prid. scilicet Id. Augusti, At Chronicon nostrum die decima Augusti dicit: placet verba ejus exscribere. *Anno Domini* 1314. *indictione* 13. *Ecclesia Romana vacante Kal. Junii Cæsenates Sanctorum Joannis Baptistæ, Severi, & Mauri præcibus meritisque confisi laborerium Portus Cæsenatici sub regimine Dominorum Ostasii Capitanei Bannini Potestatis, cum gaudio concorditer inceperunt.* Post pauca autem subjungit. 1314. *die Sabbati* 10. *Augusti de sero sbotatus est Portus Cæsenaticus prædictus in Mare per ipsos Cæsenates tempore regiminis prædicti Domini Ostasii Capitanei, &
D Domini Guidonis Novelli de Polenta Potestatis Cæsenæ die* 2. *post ejus adventum.* Arbitror tamen veriorem esse lecturam prid. idus scilicet die 14. Augusti Portum apertum fuisse, nam interponit Chronicon inter primam, & secundam narrationem aggressionis scilicet, & confectionis, ac reserationis Portus incendium *Cæsenæ* grassatum, quod post posuisset. Incendium autem exortum est die 12. Aug. in hospitio *Venturæ Salarii* nescio utrum hoc fuerit cognomen, an potius ut vere arbitror Salis propola, & venditor is fuerit, alii legunt Sellarii, quæ vox penes nos artificem significat strati equini: combustæ ex eo incendio cum ea do-
E mo sex aliæ contiguæ. Qua die mors etiam hora cænæ contigit *Ubertini* de *Articlinis* in ea primaria Familia, atque in factione *Ghibellina* Principem locum obtinentis: at extra Civitatem tum quiescentem magna in Provincia commutatio. Origo autem duplici ex capite videtur profecta. Ex morte Pontificis, quam ut dicebam consequutum est diuturnum inter Pontificium. Populi enim Ec- 481
clesiæ subjecti olim vacante Sede solebant per factiones in se ipsos sævire, & adversus Ministros minore obsequio uti, at aliud seditionum caput bellum in *Hetruria Ugutionis* adversus *Florentinos*, & *Guelfam* Factionem prævalentis, quam ob rem
F *Sintillus* cum Regiis copiis provinciam hanc custodientibus fuit in *Hetruriam* evocatus præsertim cum Rex eodem tempore *Siculo* bello adversus *Fridericum* Regem distineretur. occasione ea sunt usi Proceres *Flaminii* olim imperare assueti, vel qui spe dominationem præsumpserunt, fuerunt præsertim *Manfredi*, qui cum depressis à Vicario Regio *Ghibellinis* ipsi primas obtinerent, attamen *Catelanorum* imperium solito rigidius non tolerabant, in eorum itaque expulsionem cum asseclis con-

conspiravere, nedumque *Faventiam*, sed etiam *Imolam* ab Ecclesiasticis, & Regiis ministris alienavere, popularibus enim minus factionum studio infectis imperium *Catelanorum*, quos pro barbaris habebant, minus probabatur ut facile fuerit eos incitare, & ad seditionem impellere. Firmo adeo consensu freti impulsores *Santillum*, & *Simonem Bedocum* Præfectum armorum ab *Hetruria* redeuntes defectione audita ab ingressu *Faventiæ* prohibuere. Illi ergo *Castrocarium* recessere præsidio munitum copias ibi suas collegere animis agitantes quid in tanta perturbatione esset faciendum, quid *Polentani* Regi multis favoribus obligati molirentur. At ecce *Lambertus Ravennæ* Princeps conjunxit cum *Manfredis*, & *Calbulensibus* copias ad *Forolivium* capiendum, & à Regiis abstrahendum. Cum exercitu ergo quingentorum equitum, & decem millium peditum *Lambertus*, & *Banninus Polentani* Fratres, & *Franciscus Manfredus* author defectionis, *Forolivium* ingressi sunt ubi *Calbulenses* cum suis se illis adjunxere ad occupandam Civitatem. *Arguliosi* soli olim *Ghibellini*, at tum pariter *Calbulensibus* infensi repugnarunt, & parva manu Prætorium defendentes tandiu sustinuerunt pugnam, ut *Santillus*, & *Bedocus*, qui *Castrocarii* erant de invasione *Forolivii* ab *Arguliosis* ipsis moniti accurrere potuerint & ab *Arguliosis* excepti repellere
482 aversarios, & *Vivianum Calbulensem* sæva morte peremere. Ita ergo *Forolivium* in parte Regia tum permansit, ad defensionem *Forolivii*, & expulsionem *Manfredorum*, & *Polentanorum* operam *Santillo*, & *Bedoco Agnella Articlinus* navavit. Erat is *Calesidiis* adversarius, quos *Polentani* magno amore prosequebantur. Quocirca *Agnella* cum suis *Polentanos* oderat, quorum administratio, & magistratus ob diuturnitatem non sine aliquo libertatis vel damno, vel periculo erat; unde Civibus etiam libertatis zelo affectis jam suspecta erat familiæ ejusdem continuatio, quam suspectionem alebat usurpata ab illis *Ravennæ*, & *Cerviæ* dominatio. Cum non lateret ejusmodi Civium sensus *Agnellam*, aggressus Vicarium, & Præfectum Regis eis repræsentavit *Polentanorum* tot Regiis favoribus obstrictorum infidos animos, qui tentaverint occupare *Forolivium* cum Rebellibus conjuncti, contra quos pro Rege suo, cujus consultores, cujus aulici, ac domestici erant, debebant protinus arma capere. Quid credendum de *Cæsena* molituros cujus tandiu, vel Prætores, vel Præfecti fuerant, vel utrunque Magistratum junctim rexerant? cum præterea *Calesidiorum* Factio tota sit omnino obnoxia illis, & dedita. Necesse est *Polentanis* expulsis eam Civitatem integræ suæ libertati restituere, ipsa enim per se in Ecclesiasticum, adeoque Regium obsequium prona cum sit ipsa se in Pontificis, & Regis devotione, ac ditione conservabit. si id jubeant clandestinis nuntiis suos excitaturum ,quibus cum integri quique Cives erunt, sed suorum tantum operam, & conspirationem satis fore ut ipsi cum exercitu *Cæsenam* ingrediantur cætera dexteræ, & justitia expedient. cum Populus agnoscet hæc pro ejus libertate fieri non defendet tyrannidem imminentem. Probarunt Regii *Agnellæ* sententiam nec executionem distulere. Præmissis ergo ab *Agnella*, qui clam initam deliberationem fusco *Ubertini Articlini*, & amicis proceribus prænunciarent, tum cum *Santillo*, & *Simone Bedocco* & ducentis eorum *Catalanis* equitibus cumque *Vidone* è *Valbona Cæsenam* accesserunt, & partem eam quæ ultra pontem D. *Martini* est in qua erant *Fuscus Ubertini Articlini*,
483 & sequaces Civitatem ingressi sunt, quam usque ad communis campum pervasere Populi scilicet libertatem, & tyrannorum excidium acclamantes. At *Guido Novellus* tum Prætor cum nonnul-

A lis Civibus *Calesidiis* scilicet, & amicis sumptis armis occurrerunt invasoribus, eosque ultra Pontem repulere non sine tamen mutuis damnis. *Ostasius* tamen Præfectus cum Populo citra Pontem constitit ne forte interim ex ea parte factiosi aliqui Cives novas turbas excitarent, in ea itaque suspensione Civitatis utraque pars pontem, qua ad se spectabat vallo munierunt aditus præterea alios septis occludendo. Verum cum *Polentani*, & Cives sequaces cognoscerent populi majorem partem sibi infensam nocte proxima clam abiere. Annales hæc dicunt exscribo verba. *Et tunc pars utriusque in suo latere pontis, & aliis locis necessa-*
B *riis seralios fecerunt plurimos, & traxatas. Nocte vero sequente dicti Potestas, & Capitaneus de Calesidio, & Arinulfus Domini Mattæi latenter abierunt.* Hæc ibi: subjungitur autem profectis etiam *Polentanis* adhuc *Zenonum* de *Azardis*, *Franciscum Pocaterram*, & *Friscum Guidaldi Cæsenates* Proceres convocato Populo partem citra pontem defendisse, & cum se sine Rectore viderent *Malatestinum* vocasse ad Civitatis regimen, qui confestim venit, tumque cum *Catelanis* decentibus conditionibus convenere, ut *Forolivium* reverterint. Est autem admodum jejuna narratio. Contenderunt, ut par est Cives citra pontem cum *Articlinis*, &
C turmis Regiis mane, nescientes adhuc quid sibi illi, qui cum impetu Civitatem ingressi erant, vellent: at re inter pugnandum intellecta, postquam scilicet invasores recessisse *Polentanos* intellexere, tum petito colloquio nihil aliud se moliri indicaverunt, quam *Polentanorum* expulsionem ad libertatem patriæ firmandam, & ab omni tyrannidis periculo liberandam. Cum itaque id consequuti essent abitu inveteratorum Rectorum, arma deponere; cumque reliquis Civibus ad statum Reipublicæ constituendum futuros. Præfectos autem Regios ad idem suis copiis opem tulisse, quorum intererat Civitatem studiosam Ecclesiasticarum partium, &
D Regiarum liberam, ac arbitrii sui esse. Tum ergo depositis utrunque armis & Ministris Regiis, reve- 484
renter exceptis de stabilienda Republica, & novis eligendis Rectoribus inita deliberatio. Placuit *Malatestinus Ariminensis* Ministris quidem Regiis, & populo frequentiori ob factionem: erat enim *Guelfæ* factionis: at *Ghibellinis* etiam probabatur, quoniam *Ghibellinum* Rectorem eligere non nisi cum magna perturbatione fuisset, & interim cum *Polentanis* abiisse *Calesidios*, qui acriores erant *Guelforum*; & jam Præfecti Regii agnoverant ex facto *Manfredorum*, & *Polentanorum* non conducere Regi, ac Pontifici *Guelfos* prorsus præstare, sed
E multo utilius esse si contrario *Ghibellinorum* (non prævalentium tamen) momento vires quo quo pacto liberarentur. Re itaque composita recesserunt Regii cum *Catelanis* suis, neque enim Civitati præsidium placebat, neque *Santillus*, & *Bedocus* judicavere suspicionem præ se ferre fidæ Civitatis. Sæpe siquidem jus fallendi suspicio fecit. Hæc sunt condecentia pacta, quæ Chronicon scribit. Paulo post *Malatestinus* Prætor quoque *Forolivii* creatus est quippe qui *Santillo* gratus erat: & cujus etiam fidem confirmare novo beneficio ille studebat, in tanta reliquorum Procerum Provinciæ alienatione. Hoc eodem anno Synodus provincia-
F lis habita est *Argentæ* à *Rainaldo* Archiepiscopo 6. Rub. & Carrar.
Id. Octobris in Ecclesia D. *Nicolai* interfuit *Joannes Cæsenæ* Episcopus cum aliis Provinciæ Episcopis, vel eorum, qui abessent Procuratoribus *Bononiensis* scil. *Hadrianensis*, & *Regiani*, *Mutinæ* tum Ecclesia vacabat: in quo Concilio factis, & jam promulgandis legibus restitere *Bononiensis* Episcopi Procuratores, ut quæ derogarent Episcopi sui juribus, & dignitati. Eodem anno in Imperatoris electione schisma fuit: duo enim electi *Lu-*

dovicus Bavarus, & *Federicus Austriacus*, quorum tamen *Bavarus* prævaluit: ejus vero cum Pontifice *Joanne* XXII. qui successit diuturna contentio, in perturbationem etiam Provinciæ hujus redundavit, ut suo deinde loco narrabimus. *Polentani* nihil tentarunt adversus Civitatem sperantes forte mutationem animorum instareque *Malatestini* tædium, ut sunt mutabiles populares animi; interim, ut specimen con-
485 stantis amicitiæ exhiberent curarunt *Theodericum Calesidium* Prætorem eo anno *Ravennæ* eligendum, eamque Præturam inoffense exercuit, & ad exitum perdu-
Anno 1315. xit. Anno sequenti 1315. *Cæsena* quievit sub *Malatestino* Prætore, & Præfecto, vel ut tum vocabant Capitaneo obsequens tamen Regiis, adeoque Pontificiis Ministris scilicet Vicario, & Præfecto, vel ut ipsi vocabant Mariscialo Regis. *Forolivium* quoque sub *Malatestino* Prætore, atque iisdem Regiis ministris ad Septembrem usque imperturbatum extitit, at deinceps turbæ, quarum præsertim ab *Hetruria* causæ. *Ugutio Fagiolanus* premebat bello *Guelfos* jam capta *Luca*, & *Lucensium* Castris: equitatu pollebat *Germanico* exercitus *Henrici Septimi* reliquia, adeoque exercito, & veterano milite, unde plerumque levibus præliis hostes fugarat. Erat Dux *Florentinorum Petrus* minor fratrum *Roberti* Regis, sed amissa sub ejus auspiciis *Luca* pro Duce, ac Imperatore à Rege ipso petierunt *Philippum* alium ejus Fratrem *Taranti* Principem, qui
Jo. Villanius. cum *Carolo* filio, multisque copiis venit. Obsidebat *Montecatinum* Oppidum *Ugutio* adversus quem *Philippus* cum *Petro* Fratre, *Carolo* Filio, magnoque exercitu tum *Florentinorum*, tum *Tuscorum Guelforum*, tum *Bononiensium*, tum *Flaminiorum* ex *Guelfis* Civitatibus, inter quas sane tum *Cæsena* erat. Solvit obsidionem sub tanti exercitus adventu *Fagiolanus*, sed tanta cum peritia militari, ut insequentes hostes copiis ipse instructis summa acie exceperit, atque post longam, & asperam pugnam fregerit, & fugaverit occisis, & captis primariis multis inimici exercitus ductoribus. Mortuus est *Petrus* Regius Frater cujus nunquam cadaver inventum; occisus pariter *Carolus Philippi* Filius, quem *Petrus* de *Aquatola Partiarius* Chronici nostri Scriptor, eorum temporum, & factorum *Cæsenæ Carlottum* Principem appellat. Fuit funesta clades; licet *Florentini* animum non despondeerint, sed exercitum reparaverunt alio Duce, & aliis copiis à Rege *Roberto*, (ut *Florentini* postulaverant) missis, verum tantam ob victoriam cum debilitatas in Provincia nostra regias vires interpretarentur, qui *Catelanorum* imperio erant infensi, collegere animos,
486 & multi conspiravere ad *Forolivii* occupationem: quæ sola post *Cæsenam* Civitas Regiis patebat cæterum vero *Britonorium*, *Castrocarium*que & *Meldulam* præsidiis munitas tuebantur, & in Arce *Castrocarii* in vinculis adhuc custodiebantur *Scarpetta*, & *Petrus Ordelafi* Fratres. Clades *Florentinorum* fuit die 29. Augusti, ac mense sequenti Septembris *Ubertus Glazoli* Comes rursus aliis *Malatestiis* infensus cum *Rainerio Calbulensi*, atque *Cicco*, & *Sinibaldo Ordelafis*, *Guillel-*
Chronicon, P. de Aqu. Carrarius, Rubeus. *mo de Soliano*, *Cicco de Petragudola*; *Ceccus*que *Zapitini*, & Filius Comitis *Guillelmi*, *Riccardus de Landitario* manu cum magna militum *Forolivium* ex improviso aggressi sunt. Regebat *Forolivium* tum pro *Malatestino Ferrantinus*, item *Malatestius*, & *Arguliosi* erant primi civium: parebat vero adhuc Regi, & Pontifici ea Civitas, nam & illuc redierunt post constitutam *Cæsenatem* Rempublicam *Santillus*, & *Bedocus*, & *Catelanorum* equitum ala, neque inde expulsos interim usque legimus; vel ergo erat tum quoque *Forolivii* aliqua *Catelanorum* manus, vel nulla, quod in præsidiis *Castrocarii*, & *Britonorii* solerent detineri, unde possent in subsidium ire: vel, quod verisimilius est fervente jam bello *Hetrusco*, & impendente pugnæ collatis signis alea, illuc ubi tres Regii Principes erant, ipsi etiam contendere præsidiis solum *Castrocarii*, & *Britonorii* relictis: at improvisa fuit omnino aggressio, & velox victoria Licet enim fortiter *Arguliosi* cum *Malatestini* militibus adversus conspiratores pugnaverint, tamen a majore numero victi fuere: *Arguliosus* enim de *Arguliosis* occisus, & multi alii sequaces vulnerati, & omnes demum ex Civitate expulsi cum externo *Malatestini*, seu *Ferrantini* tum præsentis milite, adeoque tum *Calbulenses Arguliosorum* locum occupaverunt. Comes vero *Glazoli* Prætor, & Præfectus fuit. Qui interpretantur ob factionis *Guelfæ* studium hoc factum considerent cum *Uberto Glazoli* Comite tum a suis, & eorum factione alieno fuisse *Ordelafos* impense *Ghibellinos*. Fuit inimicitiæ peculiaris adversus *Arguliosos* stimulus: at odium *Catelanorum*, eorumque imperii impulsor. *Cal-*
487 *bulenses* certe *Guelfi*, at dum illis se junxerunt *Ordelafi* omnes factionum suppressam oportet fuisse men-

A tionem. Non eradicatam tamen ex animis factionem, quæ paulo post emicuit, die enim martis occupaverant simul *Forolivium*, & die sequenti lunæ *Ordelafi* incautos *Calbulenses* adjuti etiam à Comite *Glazoli* ex Civitate ejecere, ipsique Principem sibi in Civitate locum vindicavere, tumque vere ad *Ghibellinos Forolivii* Regimen rediit. Comes autem *Glazoli* Prætor perstitit: perstitit & Præfectus Civitatis, quem Magistratum etiam sequenti anno gessit. Anno 1316.
Anno sequente millesimo trecentesimo decimo sexto Vicarius Regis *Roberti* in *Romania* nostra fuit *Didacus* de *Larat*, sive ut *Rubeus* vocat *Diegus Rattus*, non obtinebant autem Regii, nisi *Castrocarium*, *Britonorium*, & *Meldulam* præsidiis, & libero imperio *Cæsena* obsequium præstabat, sed ferme ut libera Civitas. *Malatestinus Ariminenses*que potius ut amici, &
B sequaces, quam ut subjecti. Victoria *Ugutionis* extulerant *Ghibellini* animos præsertim *Ordelafi*, qui etiam aliquot turmas *Germanorum*, qui in *Hetruria* militabant victoriæque *Ugutionis* maxima pars fuere accersierunt. Expectabatur enim novus Vicarius Regius, qui & *Ferrariæ* præsidebat præterquam quod *Cæsenam* parum æquis oculis liberam, & Regis, ac Pontifici obsequentem videbant, armaque ideo inferre decreverant: coactis ergo copiis in quibus *Germani* ex *Etruria* accersiti erant. *Rontam Cæsenatis* agri Castrum, nunc vero villam dispersis casis habitatam aggressi magna, & feroci pugna oppugnantes, licet fortiter defensam tandem expugnaverunt Erat loci custos, ut- Annales nostri.
que dicebant Capitaneus *Fasolinus Tassius* vir nobilis, qui cum cæteris captus, usque ad centum numero *Forolivium* ducti fuere, ibique in carcerem conjecti.
C *Cæsenates* ergo Regium Vicarium *Didacum Britonorii*, tum residentem missis oratoribus ad se vocaverunt, veniret ut cultum devotæ Civitatis experiretur utereturque ejus copiis, & armis adversus communes, hostes. Venit itaque *Cæsenam* cum uxore, & filiabus hospitium autem fuit Episcopium. Gens vero ejus tota in *Castro*, & *Garampa*. Erat *Cæsenæ* Prætor *Malatestinus*, pro quo ut Vicarius ejus magistratum gerebat 488
Ferrantinus ejus filius. Ibi *Didacus* ægre ferens *Forolivium* sublatum, & Regis imperium in Provincia diminutum ad ejus Civitatis recuperationem aspirabat, eoque confidentius, quod videret promptas ad id habere *Cæsenatum*, & *Malatestiorum* copias præter militem suum. Interim exploratores retulerunt *Foroli-* Annales nostri.
vienses ad *Beccanum* esse cum *Germanorum* ala. Tum ergo illuc cum suis, & *Cæsenatum* militibus ivit, inimicosque aggressus partim occidit, partim fere scili-
D cet omnes alios cæpit. Accidit hoc die 12. Junii, unde animatus *Didacus* obsidionem *Forolivii* adornavit, utque propius esset (ut ego interpretor) *Britonorium* die 21. ejusdem mensis revertit, & inde cum *Cæsenate* militia, & *Malatestiorum*, quorum *Ferrantinus Cæsenatum* ductor, & suorum aderat; *Didacus* vero cum *Britonoriensibus*, & suis supremus exercitus Imperator in *Forolivienses* movit die 28. itidem Junii, & Urbem obsidione cinxit. Non arbitror tamen absque aliqua saltem velitatione Populum ferocem se circumvallari passum esse præsertim cum aliquis adhuc *Germanorum* equitatus superesset, attamen victos demum hosti cessisse. Quæ in ea obsidione facta sint, quæ obsidentium oppugnatio, quæ obsessorum eruptiones non video a quopiam scriptum, neque idcirco vaticinari licet. Solum durasse obsidium, usque
E ad Septembrem, interim Julii die sexta, quæ est *Cæsenæ* festa, & sacra D. *Severo* Episcopo, & Patrono Civitatis, *Cæsenates* pro militari jactantia, tum præsertim consueta, (ut in *Florentinis* Historiis sæpe legimus bravium exposuere, excursioni, quam prope eam Civitatem toto inspectante exercitu, & forte inimicis exercuere. Placet verba Chronici exscribere. *Et die Martis 6. Julii fecerunt currere Stanfortem Blancum apud Bagnulum de Languedutio ibi in exercitu existendo in festivitate B. Severi Episcopi Cæsenatis.* Tandem cum *Didacus* Civitatis expugnationem, aut deditionem desperaret inclinavit ad pacem petentibus *Forolivi-*
F *ensibus* concedendam, qui scilicet in Civitate inclusi messis ab hoste direptionem, & agri incensionem, & vindemiæ instantis damna passi erant, & majora expectabant, pacem narrat Chronicon, & ipsum sequuti *Rubeus*, & *Carrarius*, at conditiones non exprimun- 489
tur verba sunt Chronici. *Sub dicto millesimo, & indictione die Dominico 12. Septembris facta est, & proclamata pax inter Dominum Diegum Comitem Romandiolæ, & Cæsenates ex parte una, & Forolivienses ex altera.* Hoc eodem anno post diuturnum interregnum fuit Pontifex electus, & inauguratus *Joannes Vigesimus Secundus* die 5. Septembris cujus natales obscuri, at magni in jurisprudentia nominis, & animus ad regendum multo natalibus major. At ad pacem redeun-

deundo, quas in conditiones confecta sit non exprimitur. Arbitror ego eas fuisse ut *Forolivienses* fidem obstringerent fidelitatis Pontifici, & obedientiæ Regi *Roberto*, ut Pontificio Provinciæ Comiti, ac ejus ministris: militem, & vectigal ex formula darent, at vero suis ipsi Magistratibus uterentur, ac privilegiis. Confecta pace *Didacus Ferrariam* abiit ut ei Civitati nomine Regis præsideret, cui in Provincia nostra Regius Vicarius successit *Ansusus*, quem nominat, ut videre mihi videor Chronicum nostrum & sequutus illud *Carrarius*, *Simonem Senzapaura* partim scilicet latine partim *Italice*, hoc est *Simonem* sine timore, hic statim, atque in Provinciam venit, cognovit antiquam rationem deprimendorum *Ghibellinorum* non esse amplius retinendam, nam *Guelfi* ipsi a Rege Pontificeque defecerant; unde imperio Pontificio, & Regio potius conducere, si *Ghibellini* viribus resumptis contrario veluti momento contrariæ factionis vires refrangant: in ejusmodi enim æquilibrio imperia Regis majus pondus penes inter se diffidentes habitura. Ea igitur de causa Provinciam ingressus statim e carcere dimisit *Scarpettam*, & *Pinum Ordelafos* fratres cum nepote, qui in *Castrocarii* Arce compediti jam diu ab initio *Santilli* servabantur. Forte etiam illuc consilium *Ansusi* tendebat, ut simultas inter *Ordelafos* ipsos ob regnandi cupiditatem facile oritura eorundem debilitaret vires, quocirca sibi obsequentiores redderet. *Polentani* præcedente anno aucti sunt restituto sibi ob factionem *Cerviensi* dominatu. Diu *Bernardinus Polentanus* Civitatis ejusdem ditione potitus fuerat. Cum *Ricoli* cæterique sequaces ab eo deficientes secum
490 Populum in rebellionem adduxerunt, at *Bernardinus* opem *Santilli* Regii Vicarii Civitatem recuperavit, & rebelles ultus est. Hæc antea scripsi: at oportet cum *Polentani* à Rege desciverunt *Forolivium* tentantes ope
Chronicon Regiorum militum *Ricolos* Patriam reversos eam rursus in libertatem revocavisse. Verum dicto anno 1316. die 6. Aprilis *Avensor*, & *Guido Leonis Cervienses* adversæ factionis dum *Guilelmus* de *Ricolis* cum amicis in Concilio sederent Civitatem invaserunt adjuti etiam à *Polentanis* milite, quorum ipsi (ut exitus ostendit) studiosi erant, & *Guilelmum*, & cæteros occurrentes ac repugnantes vicerunt, & expulerunt postque triduum *Ustasio*, & *Bannino Polentanis* in decennium Civitatis liberam administrationem tradidere. Verum ad annum 1317. redeundo *Cæsenates* quievere retinente Præturam, & præfecturam Civitatis *Malatestino*, & pro eo *Ferrantino* filio: tumque ab Archiepiscopo *Ravennate Rainaldo* celebrata fuit *Bononiæ* Synodus in qua cum *Uberto* Episcopo *Bononiensi*, *Petro* Episcopo *Cimacliensi*, *Petro* Episcopo *Popiliensi*, *Guidone* Episcopo *Parmensi*, aliisque nonnullis itidem Episcopis interfuit *Joannes Cæsenæ* Episcopus. Extant adhuc constitutiones Synodi, quæ die 27. Octobris publicatæ fuerunt. At maxima hoc eodem anno fuit *Ferrariæ* perturbatio, quæ eatenus ad res nostras pertinere videtur, quatenus novum in Provincia regimen inductum est, ut deinde intelligemus. *Ferrarienses* ergo *Catelano* præsidio pro Pontifice, & Rege infensi, & principum *Estensium* studiosi, populari tumultu excitato in *Catelanos* insurrexere, qui post anceps certamen in *Tedaldi* Castrum se se universi reduxere, unde Rectores Pontificii *Bononiam* miserunt, qui subsidium peterent. qua re intellecta Marchiones *Estenses* à *Ferrariensibus* evocati *Bononiam* profecti sunt, atque precibus, & rationibus ne subsidium decerneretur obtinuere. Marchionum rationes ejusmodi fuere non esse fovendam Barbarorum militum sævitiem adversus finitimam, & amicam Civitatem: verum præterea considerandum esse, quod modo adversus *Ferrariam* Pontificii Ministri faciant,
491 id etiam confirmato in ea Imperio adversus alias ditionis Ecclesiasticæ Urbes, & loca molituros. Hanc esse Pontificiorum Ministrorum mentem, ut subjectas Provincias absoluto, & irrefracto imperio omnibus sublatis privilegiis, & libertatis vestigiis regant; immò potius pessundent. Hoc idem periculum si prævaleant; *Bononiæ* imminere, & demum decere ne magnanimitatem *Bononiensem* in id suas conferre vires, ut Civitates *Italæ* barbaro præsidio premantur, & quæ libertati Ecclesiasticæ assuetæ erant, nunc ministrorum tyrannidi subjiciantur? Denegavit ergo auxilium Pontificiis Rectoribus Senatus, indeque ut arbitror, fides Civitatis reddita suspecta Pontifici, unde paulo post *Bertrandus* Cardinalis Legatus *Bononiam* occupavit, & omnibus privilegiis, ac administrationis popularis juribus spoliavit: at hæc anno postea 1319. Interim denegato à *Bononiensibus* auxilio obsessi *Catelani* ultro Castrum reddidere *Ferrariensibus* spe scilicet placandi *Ferrarienses* libera redditione, at imprudenti consilio: nam Populus jam exasperatus ferme omnes trucidavit, bonis omnibus direptis Civitatisque dominium *Estensibus* tradidere. Anno sequenti 1318. Anno 1318.
Vicarius Regius Provinciæ fuit *Rainerius Urbevetanus*. Civitatis autem adhuc *Ferrantinus* pro *Malatestino* Patre Præturam, & Præfecturam gerebat. Exulabant jam quattuor annos *Theodoricus Calesidius* cum Filio *Ghello*, cum nonnullis ut studiosi, scilicet *Polentanorum*, adeoque novo regimini suspecti. Ope ergo novi Vicarii, nec ut dicam renuente *Malatestino*, & propensa etiam in Civem suum primariæ nobilitatis, ac ejusdem cum publica factionis restituti fuere Civitati, sed ut arbitror suspecta esse tum cæperat, & saltem invidiosa *Articlinorum* potentia. Eodem Anno 1318. die 3. Aprilis opera *Agnellæ* de *Articlinis Rubeus* quondam *Anastasii* de *Subrivolo* occupavit illud Castrum, atque cepit *Fantinum Mediolanensem* Rectorem pro Archiepiscopo Socio ejus; ut ditio occupata à familiari, & amico suo cesserit in potentiam *Agnellæ*: at majus adhuc incrementum fuit *Soliani* adeptio quod Castrum etiam post restitutionem, nobile fuit *Fusco Ubertini Articlino* à *Guelfis Soliani* traditum, ea conditione, ut ex- 492
pelleret *Ghibellinos*, quod præstitit *Fuscus Ghibellinis* ad *Deolaguardam* traductis. Cur *Guelfi* Proceres *Ghibellino* se commiserint causa forte fuit *Malatestini* odium, quo auctore Castrum illud sexennio prius eversum fuerat. At à *Malatestino* aversum *Articlinum* agnoverant. Is autem ob jurisdictionis ampliationem suæ factionis homines posthabuit, cum ergo tantum brevi ejus familiæ potentia per se validæ creverit, facile fuit suadere Civitati *Calesidiorum* restitutionem, cui nedum *Ferrantinus* impedimento non fuit, ut prius dicebam; sed quod verisimile est dictas ob causas favit. Restituti cum *Theoderico*, & filio fuerunt *Fuscus Paulutius*, *Franciscbinus Blancus* filius *Bonaventuræ*, & nepos *Petri Blanchi*, *Vendiminus Vendemiatoris*. Ita eos Chronicum nostrum nominat. Horum restitutionem consequuta est *Articlinorum* exclusio, statimne an anno post ambiguum est: at certum anno 1320. fuisse Civitatis perduelles, aut verius jussu Cardinalis *Bertrandi* Legati, & *Americi* Comitis, ut Duces *Ghibellinæ* Factionis illis invisæ, ut inferius enarrabimus: augebatur suspicio ex incremento *Ghibellinorum* potentiæ, nam *Rainaldus* è *Baldis*, ipse quoque *Ghibellinus* Castrum *Casalechi*, *Montis Aucuti* ceperat: expulerant ergo ob hæc Rectores *Fuscum Ubertini*, & *Claudellum* ambos *Articlinos*: mortuus autem interim erat *Agnella Claudelli* Pater. Causa proscriptionis eorum non satis patet, nisi forte amicitia cum *Uberto Ghizoli* Comite, & cum *Ordelafis* suspectos reddiderint Civitati adeoque straverint viam inimicis, & *Ferrantino* proponendi eorum in consilio expulsionem, & obtinen- Anno 1318.
di. Nunc vero ad annum 1318. redeundo, in eoque consistendo. Hoc anno cessavit Regis *Roberti* in Provinciam nostram jurisdictio. *Clemens* nempe *Quintus* regimen hoc Regi ad tempus tradiderat, videtur tempus octennium fuisse, quo finito alium Provinciæ Comitem destinavit *Americum* è *Castro Lucii* de quo mox dicemus. Hic ipse per se Provinciam rexit, at Rex per Vicarios eam absens semper administravit. Vicarii sex fuere, quorum aliquos, nonnulli Comites injuria vo- 493
cant: solus enim Comes erat Rex *Robertus*; fuere ergo Vicarii *Nicolaus Caracciolus*, *Gilbertus Santillus*, *Simon Bedoccus*, qui cum *Santillo* venit sub *Manfredorum* defectionem, ut militum Præfectus, verum post *Santilli* recessum ipse permansit, sub eoque proscriptus fuit *Manfredus* Comes, quem ego interpretor *Franciscum* rebellionis authorem, licet distinguat *Zuccolus*, sed non video cur distinguat, nam & *Franciscus* erat Comes, & primus familiæ, & dignus, qui ob facinus proscriberetur. Proscripsit ergo Rex, & ejus bona addixit *Simoni* Vicario, quem Cancellarium suum vocat: addicta fuere bona omnia, & jura dicti Comitis in Castris *Terdotii*, & *Mutilianæ*, & in pagis *Lauteclavi*, & *Asoretis*, cum omnibus eorum accessibus quorum reditus ad summam centum unciarum auri pertingebant. Quæ scilicet nunc mille uncias superarent. Eodem tempore proscripti fuere Comites *Tancredus Tigrinus*, & fratres, & Comes *Guido* novellus, ut perduelles Curiæ Regiæ, ob scilicet defectionem, & conspirationem adversus Regem in Provincia, at proscriptiones bonorum inefficaces, & irritæ fuerunt. Restiterunt enim Regiis Ministris proscripti, & sua retinuere sicut *Franciscus Manfredus Faventiam*, & *Imolam* retinuit. *Simoni Bedoco* successit *Didacus Rattus*, vocat Chronicon *Diegum* de *Larat*, quintus fuit *Ansusus*, quem *Simonem* sine timore vocat Chronicon; postremus fuit *Rainerius Urbevetanus* Domini

mini *Zachariæ* (ut dicit Chronicon) filius, qui anno 1318. Provinciæ præfuit, at præter *Cæsenam*, *Bertinorium*, *Meldulam*, & *Castrocarium* precarium imperium exercuit. verbis se reliqui profitebantur Ecclesiæ, & Regi subjectos, at re ipsa nullius jurisdictionis exercitationem permittebant *Manfredi*, *Ordelafi*, *Polentani*, *Malatestii Arimini*. *Cæsenæ* vero major erat erga Vicarium respectus, unde veluti diximus potuit *Calesidios* restituere. Expleto itaque tempore demandatæ Regi jurisdictionis *Joannes* XXII. Pontifex appetens ditionis absolutæ in subjectas Ecclesiæ Provincias misit *Bertrandum Pogettum* S. *Marcelli* Cardinalem, qui postea fuit *Hostien.* & *Veltrensis* Episcopus. Hujus adventum describit Chronicon nostrum; atque ea, quæ facturus erat brevi sermone perstringit hunc in modum. *Sub Anno Domini*
494 1319. *missus à Domino Joanne XXII. Papa Dominus Bertrandus de Pucetto tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis, qui postea fuit Hostiensis, & Veletransis Episcopus pro legato ad partes Lombardiæ, Romandiolæ, Marchiæ, Tusciæ, & Marchiæ Anconitanæ, transivit montes, & venit in Lombardiam Placentiæ diu moratus, deinde venit Parmam, Regium, Mutinam, & postea Bononiam, quam suo Dominio subjugavit cassis eorum antiquis statutis, & Officialibus, quibus à populo primitus regebatur. Mirabile quidem Castrum ibi juxta campum Mercati construxit, & interim Romandiolam acquisivit, & intravit, & multa in ea exercuit, ut inferius describetur sapientissimus, & magnanimus homo fuit.* Hæc ibi quorum veritas ex dicendis dijudicabitur. Sat est infelicem exitum ejus demum facta sortita esse quindecim annos est is in *Italia* moratus, anno enim demum 1334. ex *Italia* discessit, sed omnia nunc, ut ad nos quoque pertinent, describamus. Anno ergo eodem 1319. ultra Legati imperium in tot Provincias Generale misit Pontifex Provinciæ nostræ Comitem loco Regis *Roberti Aimericum* è *Castro Lucii* Archidiaconum *Transigenensem* in Ecclesia *Turonensi*, qui *Ferrariæ* pro Pontifice negotiis nonnullis administrationis publicæ præerat. Vir erat utriusque juris egregie consultus. Is tamen non nisi anno 1320. *Cæsenam* venit, & interim statum, & animos Civitatis exploravit, ipse vero exequutus adversus *Estenses* Marchiones, & *Ludovicum Bavarum*, quæ per literas Pontifex injunxerat. Adversus quidem Marchiones fuit execratio Pontificia, ejus scilicet comminatio nisi infra tres menses *Ferrariæ* dominatum relinquerent. Post id tempus lata: cum nequaquam Marchiones paruissent; involvit autem excommunicatio *Ferrarienses* etiam, & Rectores (erat tum Prætor *Jacobinus Rangonus*) & quicunque Marchionibus adhærerent. Adversus vero *Ludovicum Bavarum*, qui electus à parte electorum invito Pontifice se se pro Imperatore gerebat, erat inquisitioni juncta sententia, qua Pontifex hominem omni honore, & principatu spoliabat subjectosque à fidelitatis juramento absolve-
495 bat. *Imolæ* per tubicinem diras in Marchiones *Estenses*, & Populum *Ferrariensem* publicandas curavit. Quo tempore præfuit negotiis *Ferrariensibus Aimericus* duos alios collegas habebat, *Bernardum Attrebatensem*, & *Ubertum Bononiensem* Episcopos. Jusserat iis tribus Pontifex ab Archiepiscopo, & ejus suffraganeis Episcopis, atque à cleris eorundem pensionem solvi taxatam; cujus summa pro Julii mense fuit aureorum centum sexaginta quinque: *Rubeus* ita scribit, eamque pecuniam *Bononiam* ab Archiepiscopo missam nomine suo Episcoporumque *Hadriæ*, *Cymacli*, *Cerviæ*, *Forolivii*, *Cæsenæ*, *Foropompilii*, *Sarsinæ*, *Faventiæ*, *Foro Cornelii*, *Arimini*, *Montis Feltrii*, & *Urbini*, eorumque Sacratorum virorum, & diœcesium, pro anno autem sequenti iisdem, eodemque nomine ab Archiepiscopo pro se, & reliquis jam dictis misit pro portione quadrimestri, scilicet à Kal. Januarii ad Kalendas Maji aureos ducentos nonaginta duos. At juxta priorem æstimationem debuisset esse aureorum 649. Hoc anno, & duobus præteritis pestis sæviit, quam Chronicon nostrum his verbis describit. *Anno Domini* 1319. *Cum duobus præteritis mirandum quid accidit stupenda mortalitas, tam immensa per totum fere mundum, sed in Provincia Romandiolæ acerbior, quod multi terra gentibus pauperata caruerint Ecclesiastica sepultura.* In tanta vi morbi, bella tamen, & pugnæ non cessavere non secus, atque in *Athica* peste sævissima, perduravit tamen *Peloponnesiacum* bellum. In hunc eundem annum ego rejicio occupationem *Formignani* die 14. Octobris per *Sachettum* de *Brandis*, & *Fuscum Ubertini*, & *Claudellum* de *Articlinis*, *Claudellus* vero erat filius olim *Agnellæ*, ut dicunt annales nostri. Erat autem *Agnella* mortuus, ut supra quoque diximus: hi igitur cum exules extorresque à Patria juncti essent amicitia cum *Cicco*, ut vocabant *Ordelafo*, & cum *Uberto Malatestio Glazoli* Comite, qui jamdiu rursus à suis alienatus *Ghibellinam* Factionem profitebatur. Horum duorum

Sub Anno 1318.

A dynastarum ope dicti exules *Formignanum* improvisa, ac nocturna insultatione ceperunt, Præturam adhuc, & Præfecturam *Cæsenæ Ferrantino Malatestio* gerente. Eodem autem anno die 7. Septembris *Cæsenam* prima 496
vice venit *Armericus* de *Castro Lucii* Comes Provinciæ universæ multo scilicet cum honore, à Civitate exceptus deinde vero *Britonorii* resedit, ubi Arcem munitissimam excitavit, ex eo loco Provinciam regebat, sed precario potius imperio. Tributum imposuit in singulas familias ad alendum Militem, in Provinciæ custodiam, atque tutelam, sed non satis prompte solvit Provincia eo obtentu quod singulæ Civitates se ipsas tuerentur. Magna tamen cum lenitate agens auctoritatem tantam penes *Flaminios* obtinuit, ut multas dissensiones compescere potuerit secus in internecinum bellum erupturas; non tantæ tamen auctoritatis erat,
B ut minores motus posset prohibere, quocirca die 21. Januarii anno sequenti 1320. *Sachettus* de *Brandis*, *Fuscus*, & *Claudellus Articlini* è Castro *Formignani* magna cum armatorum manu excursione facta Castellum *Trezarottam* vulgo vocatum expugnaverunt incolis omnibus captivis factis, secumque ductis. At sub eodem tempore major in Provincia commotio ex invasione *Friderici Montefeltrii* Comitis magna inter ipsum, & *Malatestinum*, *Arimini* dynastam, cæterosque ejus gentiles hæreditario ceu jure inimicitia vigebat: Factionum præterea dissidium odia augebat. Factionis siquidem *Guelfæ* videbatur *Malatestinus* columen, unde facile *Friderico* fuit adversum eum excitare Civitates *Ghibellinas* tum *Hetruscas*, *Pisas*, *Lucam*, *Aretium*: tum *Piceni Osimum*, ejusque Civitatis primorem *Andream*: accessit *Lupatius*, & *Paulutius Fagiolanus*, *Ubertus*
C Comes *Glazoli* licet ejusdem familiæ. ex his omnibus magno comparato exercitu octingentorum equitum, & peditatus plurimi *Fridericus* adversus *Malatestinum*, ac *Ariminum* movit die 1. Martii aliqui ductorem, & instigatorem Episcopum *Aretinum* è *Tarlatis* cum *Petro Sacconis* ejus Fratre faciunt, at Chronicon magis mihi probatur, fuisse scilicet authorem belli, qui magis erat infensus *Malatestiis*, & propinquus, ac finitimus agrum ditionemque *Ariminensem* hostilibus prorsus animis, & factis populati sunt, incendiisque vastaverunt; occisionibus, & captivitate hominum omnia fœdantes, Castra etiam occupaverunt vi, & armis subacta. *Ceresoli*, *Montis Scutoli*, & *Montis Gelfi*: Pontifex *Joannes* excidio audito 497
Comiti, ac Rectori Provinciæ nostræ *Aimerico* scripsit inquisitionem tanti facinoris absque figura, & strepi-
D tu judicii faceret, cogeretque direptores, & asseclas illata damna sarcire universa, captivosque libere dimittere tum Ecclesiasticis pænis, tum sæculari brachio in renitentes invocato. Cum vero adversus monitiones *Aimerici* contumaces fuerint præsertimque *Fridericus Montefeltrius* ipsum, & *Urbinates* excommunicationis fulmini, & interdicto subjecit. Ratio, & causa damnationis fuit in Ecclesiasticam ditionem irrupisse, ejusque bona diripuisse, & homines alios cepisse, alios occidisse. Videtur autem, quæ successit divina ultio diris Pontificiis suffragata esse. *Rubeus* excommunicationis hujus ab *Aimerico* latæ non meminit, licet *Friderici* in *Ariminenses* insultationem, & irruptionem cum fœderatis jam memoratis referat. At narrat fuse eam, quam jussu Pontificis *Rainaldus* Archiepiscopus
E *Ravennas* in eundem *Fridericum Montefeltrium*; & *Guidonem*, ac *Sperantiam* filios tulit, quam damnationis sententiam mandavit *Rainaldus* a suffraganeis Episcopis, in Ecclesiis suis promulgari, quod idcirco factum *Cæsenæ* fuit ab eoque Populo libenti animo audita acerrimi hostis damnatio. Ex literis Pontificiis quæ excipit, & refert *Rubeus* ostendunt quam ob rem *Fridericus* tandiu à vexanda *Flaminia*, & nostra Civitate abstinuerit: idcirco non erit alienum ab historia *Cæsenæ* inimici hominis facta breviter recensere. Invehitur ergo in illis literis. *Pontifex Joannes Vigesimus secundus in Fridericum, & Guidonem, ac Sperantiam Urbini Comites, quos vocat filios pestilentes, & ex venenata radice natos, iisque & Urbinatibus sacris interdicit, eo quod cædibus indignissimis, & maximis factis Urbinum, & pleraque alia Romanæ Ecclesiæ subjecta*
F *Oppida occupassent. Ad hæc Fridericus Auximatem, Ricinensem ad hæc exulum Esinorum, aliorumque Picentum Præfecturam sibi assumpsisset, ipsumque Oppidum diuturna obsidione prius circumvallatum cepisset, ac nefarie diripuisset. Guido in Oppidum S. Donati idem perpetrasset, Ameliique Belmontis Præpositi, qui* 498
Picentibus pro Pontifice præerat Legatum cum literis comprehendi juxta Urbini portas, & tradi in custodiam jussisset, unde nisi aufugisset Legatus ingenti Dei beneficio capite dedisset pænas. *Fridericus* ergo in *Picentes* imperium prolatando avertit diu à *Flaminia* arma, & conatus suos. Sed ad nostra redeundo

Chronicon, & Carrar. sed hic Annum mutat ad 1321. transferens, & sub anno 1320. ponit quæ sub Rege Ruberto antea facta fuere Annis 1315 & 1316.

Carrarius

deundo in *Polenta* Oppido *Cæsenæ* propinquo, &
quod interdum *Cæsenati* Reipublicæ paruit non
indignum memoria factum accidit. *Polentanorum*
genus, cujus primordium locus fuisse dicitur *Ra-*
vennam jamdiu obtinens illud etiam Castrum obti-
nebat, in eoque residebat *Almericus Polentanus* &
ipse *Guidonis Ricii* filius, qui suspectus, vel invi-
sus cum esset suis, & etiam *Malatestiis* oppressus
ab utriusque familiæ conspiratione fuit. *Joannes*
enim *Polentanus Guidone Novello*, & cæteris *Polen-*
tanis Ravennæ degentibus, & *Malatestiis* assentien-
tibus quoque irrupit in Oppidum ante lucem die 8.
Martii *Albericum* cepit, & vinctum *Ravennam*
duxit ex qua captura graves fructus ortos *Rubeus*
idem asserit: causa suspicionis, vel odii non ex-
primitur forte amicitia cum *Ordelafis*, & Comite
Glazoli, qui erant occulte saltem, & *Malatestino-*
rum, & *Polentanorum* hoste causa fuit. Sequenti
vero mense *Fuscus Ubertini Articlinis* sæva morte
obiit desiderio is Patriæ recuperandæ tacitam ne-
gotiationem per internuncios cum *Ferrantino* Præ-
tore, & Præfecto *Cæsenæ*, atque cum Magistra-
tu Civitatis instituit restituendi *Formignani* Civi-
tati, cujus vere erat ea scilicet conditione, ut ipse
ab exilio revocaretur: at innotuit *Uberto Glazoli*
Comiti negotiatio, quocirca in vincula *Fuscum*
conjecit, convictumque conventionis penes Ca-
strum *Glazoli* suspendio necari voluit, atque turpi
morte, civis liberæ Civitatis, ac primariæ in ea
nobilitatis periit, magna scilicet injuria: quod enim
jus Comes *Glazoli* in Civem, ac Procerem *Cæsena-*
tem habebat? & *Formignanum* cujus restitutionem
moliebatur, erat vere *Cæsenæ* non *Uberti*, at in fa-
ctionum Ducibus non est quærenda justitia. Fue-
rat autem conscius, & particeps tractationis filius
Bartolini e *Formignano* hic etiam suspendio pænes
Formignanum necatus. *Cæsenates* surreptionem *For-*
499 *mignani* per *Fuscum*, & asseclas rebelles ægre fere-
bant, at cum occupatores ab *Uberto* nedum, sed
etiam ab *Ordelafo* fotos intelligerent, decreverunt
prius tentare num spe revocationis ab exilio ad sa-
nam mentem rebellem civem adducere possent,
& una Castrum absque armis recuperare: sed cum
audirent mortem *Fusci*, & Castri ab *Uberto* occupa-
tionem, tum impatientes injuriæ parabant arma:
at Comes Provinciæ *Aimericus* bellum imminere
persentiens se pacificatorem interposuit, primoque
suspensionem armorum à *Ferrantino*, & Civitate
Cæsenæ impetravit, deinceps de restitutione cum
Uberto egit. Castrum illud injuste ab ipso retineri,
neque vires ejus *Cæsenatibus* longo intervallo esse
pares, quod si fœderati *Ordelafi* opem ferant bel-
lum jam magnum institui ob quod cum pro *For-*
mignani recuperatione sit facile ob vicinitatem lo-
ca *Uberti* primum exceptura belli damna direptio-
nem, & incendia. Se autem pro jure officii non
posse non favere justæ causæ proque ea ferre judi-
cium, & contra contumaces pænis ad minimum
Ecclesiasticis incedere, sed etiam armis, & ubi
diuturnum, & pertinax bellum foret, indeque na-
sceretur enormis pacis violatio, incitare crucibus
distributis, & *Flaminios*, & alios contra juris, & pa-
cis in Ecclesiastica ditione perturbatores. Agnovit
Ubertus vera esse, quæ cum placida gravitate mo-
nebat Comes, restitutionemque est pollicitus, sed
sumptus factos in munitionum augmento, & mi-
litibus pro custodia sustinendis causabatur, & re-
fectionem expensarum à Civitate patebat cum bona
Fusci nulla essent, vel omnia in Civitatis ipsius
manu verum Comes author fuit Civitati non promp-
ptæ quicquam solvere pro rei suæ recuperatione
auctoritate sua, & prudentibus rationibus, ut mil-
le trecentas bononinorum libras darent, eoque mo-
do re composita, & *Formignanum*, & cætera *Cæse-*
nates absque armis recuperaverunt, die vigesima

A mensis Junii quæ fuit septima feria. Ego ex nostro
Chronico hæc anno 1320. facta scribo, & eodem
anno mortuum esse *Rainaldum Concoregiam* Archi-
episcopum *Ravennæ* Chronicum idem scribit, *Ru-*
beus, & *Carrarius* in anno 1321. reponunt. In quo- 500
dam monumento nostro legimus fuisse anno hoc
1320. Sævum latronem, qui specie devoti Ana-
choretæ in vineto *Cæsenæ* amplissimo, vallis nun-
cupato prope D. *Mauri* habitabat. At latrociniis
ipse occultus grassabatur. Scribunt (ad *Rubeum*, &
Carrarium redeundo) anno 1321. mortuum esse
Rainaldum illustrem miraculis, & ante mortem &
post: unde cum magna sanctitatis opinione decessit.
B Huic vero suffectus est à Pontifice *Aimericus*, e
Castro Lucii Provinciæ nostræ Comes, & Rector,
qui proinde fuit tum Archiepiscopus, tum Comes
Provinciæ ac Rector aliquot annis. anno 1321. *Ce-*
senellus, qui factionis *Ghibellinæ* caput *Fani* Patriæ
suæ tyrannidem occupaverat, *Malatestiorum* sug-
gestione *Guelfis* excitatis, & eorundem astu etiam
populo captus fuit, & à *Guelfis* jam prævalentibus
traditus una cum Civitate *Pandulfo Malatestio*. Ita L. 9. c. 139.
nostri Annales, sed *Joannes Villanius* dicit traditam
quidem *Pandulfo*, sed ab ipso Marchioni pro Pon-
tifice *Piceni* datam. Tum autem prætextus turba-
rum fuisset redire in gratiam Pontificis. Hæc scripsi
C ad *Malatestios* pertinentia, eo quod inde orta sit
occasio absentiæ *Ferrantini* à Civitate *Cæsenæ*. Imo
Rubeus bellum *Fanestre* totum à *Ferrantino* admi-
nistratum asserit. *Joannes Villan. Fani* hunc tumul- Pag. 539.
tum anno 1322. factum asserit: at nostri Annales
anno 1321. *Pandulfus* autem traditum sibi *Ce-*
senellum capite multavit *Carrar.* etiam in anno 1321.
cum annalibus nostris convenit, qui eodem anno
ponit mortem *Friderici Montefeltrii* Comitis *Urbi-*
ni. Dicit ergo die 22. Junii populum *Urbinatem*
seditione facta in *Fridericum* insurrexisse, ac *Guido-*
nem ejus filium tum Civitatis Prætorem, eosque in
media platea misere occidisse. *Villanius* rem minu- L. 9. c. 140.
D tius tradit, at in posteriore anno scilicet 1322. col-
locat. Dicit ergo ad bellum adversus Pontificium
Piceni Rectorem gerendum novum *Urbinatibus* ve-
ctigal illudque grave imposuisse, quod ipsi ægre
ferentes cum jam inviti quoque Pontificiis censuris
subessent tumultu concitato universi ipsum pala-
tio clausum armati obsederunt, is vero fuit turbæ
furor: is ad expugnationem palatii apparatus ut
diffisus defensionis Comes supplex exivit alligato
etiam cervici capistro deprecans eos ut contenti 501
essent eum cervicis amputatione occidere. At po-
pulus sæviens ipsum cum duobus filiis misere pe-
remerunt corpusque *Friderici* spoliatum per Ur-
E bem raptatum tandem in equi mortui cadavere ex-
tra Civitatem sepelierunt, ut imprecationibus,
& diris Pontificiis devotum: non multo post tem-
pore se Civitas Pontificio *Piceni* Rectori dedidit.
Sperantia tamen alter filius aufugit in Castrum *S.*
Marini: hæc *Villanius*, qui ejusmodi familiæ *Fe-*
retranæ calamitatem impietati adversus Pontifi-
ces, ac Pontificiam ditionem tribuit, & certe
in ea Pontificiæ execrationes proximum effe-
ctum obtinuere. Hæc de amici prius postea ho-
stis Civitatis nostræ eventu ad Historiam nostram
pertinebant. At vero eodem mense Aprilis *Cæ-*
senæ die 25. cum *Ferrantinus* Prætor, & Præfe-
F ctus ob enarratas *Piceni* res abesset *Ghellus* olim
Theodorici de *Calisidio*, & *Rainaldus* de *Cintiis*
primarii Cives, & *Guelfæ* ambo factionis ob si-
multatem in familiam Palatiorum insurrexerunt,
ejeceruntque ex Civitate *Joannem*, & *Rainu-*
tium fratres, ac filios *Drudonis* olim de Palatio,
eorumque domos diruerunt. Utrum autem ipsi
privata hostilitate rem confecerint, an per suffra-
gia populi apud quem gratiosi erant eos damnari
evicerint: non exprimitur, at nullum institutum
tantæ

tantæ seditionis judicium suadet publicam auctoritatem intercessisse aut saltem *Ferrantini*, & supremi Magistratus conniventiam ob factionis scilicet diversitatem, & tum omnino depressa erat *Ghibellina* factio. Exulabant enim *Articlini*, *Pocaterra* de *Montiliano*, *Brandi Mazolini Donoli* ut sub anno sequenti intelligemus, & alii, & nil mirum est in tam diuturna *Ferrantini*, & *Malatestiorum Ariminensium* dominatione, qui *Guelfæ* partis erant præcipui assertores. hoc eodem anno mortuus est *Ravennæ Dantes Aligherius Florentinus* Poeta insignis exul *Florentinus* ab ea Civitate cum *Blanca* factione expulsus: frustra restitutionem tentavit, unde ea tandem desperata cum diu vagasset, & *Parisium* usque scientiarum gratia ivisset, aliquandiu etiam in ea Academia moratus, postea in *Italiam* reversus liberale hospitium anno millesimo trecentesimo decimo tertio apud *Guidonem*
502 *Novellum Polentanum Ravennæ* Dominum ab eo invitatus invenit, ibique à magnanimo viro, & literatorum Mæcenate honorifice, & laute habitus est. Sæpe etiam eo ad Principes Oratore usus est, postrema legatio fuit ad *Venetos* unde *Ravennam* regressus in morbum incidit, per quem e vivis sublatus est postquam Christiana Sacramenta rite omnia magna cum pietate doctissimus idem, ac apprime Catholicus homo suscepit, quinquagesimo ætatis anno obiit, at in hominum memoria ob operum editorum gloriam nunquam moriturus. Decebat hanc Historiam tanti viri commemoratio, cujus monumentum est peculiare *Ravennæ*,
27. Cant. Inf. at commune totius *Flaminiæ* ornamentum. testatur præ cæteris Provinciæ Civitatibus libertatem à nostra Civitate servatam, interdum licet obnubilatam non tamen demersam cum scilicet diuturnæ prætura, & Præfectura *Feretranorum*, aut *Polentanorum*, aut *Malatestiorum* refractiorem reddiderunt libertatem non tamen abstulerunt. Hoc anno
Ghirardat. sub anno 1320. ejectus fuit *Bononia Romæus Pepulus* Civis primarius, tantæque potentiæ, ut se suspectum libertati reddiderit. *Joannes Villanius* dicit hunc fuisse quasi *Bononiæ* Dominum, atque in universa *Italia* neminem fuisse Civem divitiis illi parem ad vicena millia florenorum in anno vectigalia ejus ascendisse præter pretiosa suppellectilia. Is ergo ut libertati gravis populari impetu, ac seditione fuit *Bononia* expulsus, populus autem fuit a nobilibus quibusdam *Beccadelibus* scilicet, ac aliis homini inimicis incitatus, ejus vero expulsionem cum damno *Guelfæ* partis fuisse idem Historicus asserit.
Anno 1321. Exclusus ergo *Romæus Cæsenam* venit: in Civitate enim *Guelfa* tutus erat, & ob distantiam Populi *Bononiensis* suspicionem de se sedabat. Eodem anno *Hostasius Bernardini* Filius *Ravenna* expulit *Guidonem Novellum* indignum eo infortunio Principem: at Regni infida societas impulit ad tantum facinus *Hostasium*; quem sequentia facta improbum hominem, & omnium jurium ob dominium contemptorem ostendunt. *Guido* Præfecturam *Bononiæ*, quam obtinebat, etiam exul retinuit. Cum *Guidone* etiam *Rainaldus* itidem *Polentanus* expulsus
503 fuit: at brevi rediit ad sævitiem *Ostasii* altius ex-
A. 1322. periendam. Anno sequenti *Pepulus* desiderio Patriæ recuperandæ clam exercitum comparavit, & *Cæsenæ* ubi morabatur, & ex *Ferrariensibus*; erat enim Marchionibus *Estensibus* affinis, cumque ejusmodi copiis repente *Bononiam* anno 1322. die 9. Maji invasit, suburbiaque ingressus occupavit, usque ad secundam Civitatis portam, verum a Populo fortiter resistente rejectus cum multorum occisione fuit. Par ferme *Cæsenæ* pertrubatio ex *Claudelli Articlini* insultatione. Exulabat is à Civitate cum multis aliis *Ghibellinis* desiderio Patriæ, & odio inimicorum eam cum *Ferrantino*, obtinentium conspiravit cum cæteris exulibus inter quos

A etiam primarii erant *Pocaterra* e *Montiliano*, & *Filiutius* de *Mazolinis* nitebatur vero præsertim conspiratio protectione *Uberti* Comitis *Glazoli* cui Prætura, & Præfectura Civitatis destinabatur; nec ab eo consilio averterat *Claudellum* turpis, & injusta mors *Fusci* gentilis sui. Compescebat scilicet omne odium patriæ desiderium, & Factionis amor, & adversus inimicos inveterata iracundia. Mense ergo Julii nocte quæ sequebatur diem Chronicon. Mercurii, & antecedebat diem Jovis, quæ 15. dies mensis *Claudellus* dictus cum *Stephano* de *Donolis*, & aliis pluribus Civitatem aggressus est cu-
B jus adhuc *Ferrantinus* Rector erat, at cum *Ghibellini* intus existentes viribus suis diffisi nihil movere auderent, & populus strenue repugnaret cessit in irritum invasorum conatus. *Carrarius* interpretatur *Claudellum* ab exilio jam revocatum cum *Cæsenæ* degeret eam voluisse *Uberto Glazoli* Comiti, & *Pocaterræ* de *Montiliano*, & *Filiutio* de *Mazolinis* cæterisque *Patriæ* perduellibus tradere studio scilicet *Ghibellinæ* factionis, at verba annalium nostrorum quos semper ferme suscipit *Carrarius* non facile expositionem admittunt, nusquam enim legimus ante hoc temporis *Claudellum* restitutum immo cum anno 1320. *Tregiamruptam*
C *Cæsenæ* Castrum occupaverit proscriptionis potius causam intendit, quam restitutionem meruerit. At turpius inter *Polentanos Ravennæ* facinus. *Hostasius*, qui *Guidonem Novellum Ravenna* expulerat impatiens consortis Regni oderat *Rainaldum Polentanum* Patruelem suum *Ravennatem* Archidiaconum & Archiepiscopum ejus Civitatis a 504 Clero electum, cujus electionis expectabatur à Pontifice confirmatio. *Rainaldus* florebat gratia populari, & in administratione Civitatis Principatus primas obtinebat vir sane bonus, & candidus, & expositus insidiis, ut qui alienus ab insidiando. Hunc mollibus verbis aggressus *Hosta-*
D *sius*, simulavit se crastina die summo mane *Cerviam* iturum, inter eundum autem venari interdum decrevisse, sibi opus ejus equis futurum, quos prolixe, & quæcunque alia voluisset promisit *Rainaldus*; mane igitur crepera adhuc luce ad *Rainaldum* pro clavibus Portarum misit, quibus receptis portas reclusit, *Ugolinum*que *Bernardini Cunii* Comitis Filium cum magna militum manu introduxit, statimque cum toto Comitatu ad *Rainaldi* ædes profectus specie agendi de rebus gravissimis, nec dilationem ferentibus admissus, Patruelem fidentem, & innocentem impie trucidavit. Quid non potest regnandi væsana cupido? pa-
E rum obfuit, quin *Ravennates* re cognita jugum excuterent; sed leniti ab amicis Tyranni, & deterriti *Hostasii* militibus, & opibus *Malatestiorum* in procinctu existentibus collum subdidere. Scribit *Joannes Villanius Hostasium* perniciem *Rainaldo* struxisse, quem Archipresbyterum, non Archidiaconum vocat, suasu *Malatestiorum*, atque consilio, sed facile etiam a *Ferrantino* ob propinquitatem majorem auxilia submissa, eaque prodiisse dum tumultuabat Populus. Obiit hoc eodem anno ferme in fine *Joannes Cæsenæ* Episcopus cujus electionem antea sub anno 1313. scripsimus, anno ipse 1321. die 10. Au-
F gusti testamentum *Cæsenæ* manu *Petri* ab *Aquarola* Notarii tum Episcopalis confecit, in quo hæredem *Ricciardellum* Fratrem omnium bonorum instituit excepta quarta parte prædii *Ariminensis*, quam *Rainaldo* itidem Gentili suo ex *Ricciardellorum* scilicet familia legavit: Codicillum deinde addidit itidem *Cæsenæ* anno 1322. die decima Septembris præsente Fratre, & *Salimbutio Rigotii* à *Valle Nucis* oriundi, & tum *Cæsenatis*. Eodem demum anno Episcopatus sui nono expiravit. His annis digladiati sunt *Fo-*

505 *Forolivienses*, & *Ravennates* hoc est *Ordelafi Ciccus*; & *Polentani Guido*, & *Hostasius* de finibus, (Rub. pag. 540. 8.) tandem hoc anno 1322. convenere procurantibus concordiam *Henrico Mauroceno*, & *Marco Cornario* a Senatu *Veneto* ad id legatis. Positi ergo sunt limites consentientibus partibus iisdem in locis, in quibus ante bellum cujus occasione moti fuerant, reperiebantur. *Veneti* se jam continentis rebus immiscentes sternebant sibi ad illud imperium viam, quod adhuc satis amplum in *Italia* obtinent, majus aliquanto tamen obtinuere, at multo majus obtinuissent, nisi maximi Reges essent *Italiæ* insigni parte potiti. ab *Ordelafis* in bello *Ravennate* occupatis nihil adversus *Cæsenam* motum, at paulo post per *Ghibellinos* exules moverunt, ut intelligemus. Certe post pacem (Anno.1323.) initio anni 1323. cum *Guidone Novello*, *Ciccus* cum magna manu adversus *Ravennam* fuit. *Guido* Principatum *Ravennæ*, quo fuerat injuste a Patruele *Hostasio* spoliatus adjutus *Bononiensi* militia, & *Foroliviensi*, junctis præterea multis exulibus *Ravennam*, Suburbiumque *Hadrianæ* Portæ noctu invasit confidens excitatum iri a Civibus tumultum, quibus gratius erat *Guidonis*, quam *Hostasii* Imperium. At cum *Ostasius* Tyrannus vigil consilium *Guidonis* explorasset ea se, & Civitatem custodia sepserat, accitis etiam *Malatestiorum* (ita credere oportet) auxiliis, ut nullus intus motus fuerit: aggredientium vero vires impares erant munitæ Urbis expugnationi, neque *Guido* erat adeo a pecunia paratus ut diuturni belli impensas sustineret: recessit ergo, & *Bononiæ* exul obiit Princeps eo exitu indignus. Arbitror *Hostasium* adversus *Guidonem* se milite a *Ferrantino* etiam transmisso, adeoque *Cæsenatum* manu muniisse sicut idem *Ferrantinus* in custodia *Castri Cavallini* intelligemus *Cæsenates* posuisse. Eodem hoc anno 1323. Mense Aprilis *Urbinum*, quod se anno Ecclesiæ Ministris subjecerat post *Friderici* Comitis mortem ob impotentiam Ministrorum (Joannes Vil. l. 9. c. 196.) Pontificiorum in vectigalibus gravioribus imponendis, & exigendis obque in reliquo regimine superbiam Mense Aprilis a Marchione pro
506 Pontifice *Piceni* Rectore defecit. Pontifices tum ut Rectorem *Flaminiæ* Comitem, ita Rectorem *Piceni* Marchionem appellabant. Hoc pariter anno *Ravenna*, & *Cæsena* novos Antistites prædecessoribus mortuis obtinuere. *Ravennæ Rainaldo Concoregiæ* Archiepiscopo, & *Rainaldo Polentano* electo mortuis suffecit Pontifex *Aimericum e Castro Lucii Flaminiæ* Comitem, ac Rectorem, ac *Cæsenæ* mortuo *Joanni* Episcopo successit *Gerardus* de quo hæc in Chronico nostro habemus a *Petro* scilicet de *Aquatola* tum temporis Episcopali Notario dictata. *Sub Anno* 1323. *Indict.* 6. *die* 16. *Augusti Venerabilis Pater Dominus Geraldus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cæsenæ intravit Episcopatum ejus præsentialem tenutam accipiendo, & omnium, singulorumque ejusdem jurium.* Hæc ille. Cætera hujus facta & Patria, & familia me hucusque latent. Literæ Pontificiæ sub eodem tempore ad *Aimericum* Comitem aliæ ad universitates, Regulosque Provinciæ pervenerunt. Quæ ad *Aimericum* jubebant ut omnem operam navaret *Bertrando* Cardinali Legato adversus Marchiones *Estenses*, qui *Ferrariam* occupaverant, curaretque custodibus ubique dispositis ne quicquam ad victum, & usum humanum pertinentium *Ferrariam* ex Provincia feratur, sique in *Flaminiam* Marchiones, aut asseclæ penetrarent, ut in vincula conjicerentur. At vero Provinciæ Comitibus Proceribus nobilibus universitatibus duas scripsit alteris imperabat omnibus ut invigilarent, & si in *Flaminiam* pervenirent *Lipaccius*, & *Andreas* olim *Gazolini*

A *Auximatis*, *Jacobus*, & *Bernardinus* e *Porcivallia*, *Agiolettus Crucius*, *Carolus*, *Corradus*, *Percevallinus*, *Gabrielis Recinetensis*, & *Tarabottus Rinaldutii*, *Tarabotii Anconitani*, qui authores fuerunt defectionis *Piceni* magna ex parte, eosque capiendos curent, & Comiti *Aimerico* in custodiam tradant. Alteris vero literis jubet ut vectigal solvant pro stipendio trecentorum equitum, & trecentorum peditum custodiæ Comitis, & Recto- (Anno.1324.) ris Provinciæ destinatorum ad ejus tutelam, & Sedis Apostolicæ dignitatem, & securiorem justitiæ administrationem, atque impiorum terrorem. Annus 1324. sequutus est in his partibus
B turbarum plenus *Ubertus Glazoli* Comes suis *Malatestiis* infensus cum *Ramberto Malatestino* filio 507
Joannis Claudi amicitiam junxerat. En ut cæca sunt hominum judicia. *Ubertus* ideo ab aliis *Malatestiis* secesserat, quod filius *Pauli* esset, quem in adulterio cum *Francisca* Uxore *Joannes* transfixerat, & tamen ea confidentia cum *Ramberto Joannis* filio egit, ut de proditione suorum tentaret, & partiaria secum *Arimini* occupatione. Convenit cum eo *Rambertus* simulata scilicet conventione, interim certus prodendi non *Ariminum*, sed *Ubertum*. Die igitur 12. Januarii *Ubertus* persoluturus forte pœnas mortis *Fusci Articlini* una cum *Ramberto* magnisque ejusdem *Ramberti*
C copiis in viam se versus *Ariminum* dedit, at ad Castrum *Ceolæ* eadem nocte circumventus a militibus, quibus ipse fidebat obtruncatus fuit, atque ad *Forum Brandorum* portatus, ac relictus fuit. Verum ibi a suis postea repertus ad *Glazolum* latus, atque honorifice sepultus fuit. Reliquit hic Filium, *Rambertum* ipsum quoque vocatum, quem deinceps *Glazoli Conticinum* vulgo dixere, scilicet Comitem parvum, & in sequenti nostra Historia non raro occurret. Interim extinctus est statui *Cæsenæ* tum vigenti *Guelforum*, & Ecclesiæ magnus adversarius: tragico
D huic, & funesto eventui, festus successit triumphus *Arimini*: magna enim cum solemnitate, ac pompa die Pentecostes *Pandulfus Malatesta*, & *Galeottus* ejus filii; *Ferrantinusque* & *Malatestinus* ejus filius. *Rambertus* quondam *Joannis Claudi*, *Joannes* olim *Cini* ejus Nepos omnes *Malatestii*, *Oddo Bernardini Urbinatis*; *Mazolus Dotoli Ariminensis*, *Ghellus* e *Calisidio*, & *Rainaldus Cincius Cæsenates*, *Jacobus* e *Castro* S. *Petri*; *Guidoque* e *Carignano*, *Fanestris*, militare cingulum omnes sumpsere. Interfuit *Aimericus* Provinciæ Comes; concursus fuit Nobilium, & Procerum nedum ex *Flaminia*, sed ex *Piceno*, & *Tuscia* ma-
E gnus; immo ex *Lombardia* quoque honorisque ergo missa dona, & missi, qui hastiludium exercerent plures. Histriones præterea circiter quingenti supra mille, ut Chronicum nostrum dicit adfuere; splendore cum maximo, atque lætitia celebrata solemnitas: at festo diei succedit profestus, id *Malatestiis* contigisse mox intelligemus. Mense siquidem sequenti Julio, *Urbinates*, qui 508
anno elapso a Pontifice defecerant suggerentibus *Montefeltrorum* Comitum fautoribus, & frustra repugnantibus adversariis *Sperantiam* Comitem ab exilio revocaverunt una cum filiis *Friderici* superstitibus. Authores autem seditionis adversus eos
F ultro a Civitate secessere, seque *Malatestiis* adjunxere, qui *Monte Cavallino* Castrum in *Monte Fabrorum* excitarant, ac munierant adversus *Urbinates* præsidioque firmaverant, ægre id ferebant *Urbinates* unde *Sperantia*, ut gratiam civibus pro restitutione Patriæ, & honorum referret, adversusque *Malatestios* fautores, & receptores rebellum iram exsaturaret Mense Augusti die Jovis, (Chronicon P. de Aqu. & Cairar.) quæ fuit 9. hora tertia noctis sequentis una cum *Nolfo Friderici* filio cum *Urbinate* militia, & lo-

corum subjectorum cum turmis una *Aretinorum* (erat vero exercitus octingentorum equitum, & quattuor millium peditum) invasit Castrum occidendo, & capiendo, quot quot extra reperiere; deinceps obsidere Castrum. Reperiebatur ibi tum *Ferrantinus* cum multa militum manu, qui ab incursione hostium improvisa cum aliquibus suis interceptus vix se virtute dexteræ ab eo periculo exemit, & suis se restituit. Confidebat Exercitus *Ariminensium* intra vallum si forte ex ea propinquitate majore animo obsessi se defenderent, sed *Urbinates* cum nihil moverint *Ariminenses* in eorum conspectu post biduum Castra expugnaverunt multis occisis usque ad numerum 100. & 600. captis in quorum numero fuere 130. Equites, eorumque primores *Oddo Bernardinus Urbinas* rebellis, *Rainucius Ariminensis* Centurio, cum sua centuria, & *Thomasinus* pariter Centurio cum sua, & vir nobilis (ut eum Chronicum vocat) *Franciscus*, e *Pavirano Cæsenas*. Qui vero ex captivis authores fuerunt seditionis adversos Comitem *Fridericum*, quique præsertim hostili animo in eum sævierant, ii tum fuerunt omnes trucidati. Exercitus *Ariminensium* se hosti subduxit dum prædæ erat intentus. Dum autem *Urbinate* bello implicatus *Ferrantinus* distinebatur *Claudellus Articlinus* exul, & Perduellis *Cæsenæ* tentavit Patriæ recuperationem, & ab ejus regi-
509 mine expulsionem *Ferrantini*, pro quo tum *Cæsenæ* præsidebat *Malatestinus Ferrantini* Filius. Ad *Ceccum* ergo *Ordelafum Ghibelline* Factionis in *Flaminia Choragum*, & *Malatestiis* infensum confugit opportunitatem indicans *Cæsenæ* subtrahendæ de Familiæ invisæ manu cujus nimia potentia plurimum ita debilitaretur, & dum ditio *Cæsenatum* amica sit apertum esse aditum, quo copiæ *Forolivienses*, & *Feretranæ* adversus communem hostem jungantur. nihil magis cupiebat *Ordelafus*, quam *Cæsenam* sibi adhærere, vel saltem non pendere a *Malatestiis*, quas ergo *Claudellus* petiit copias, tradidit omnem interim fidentioribus amicis rem indicaverat *Claudellus*. Convenerant ergo ut per *Lucentis* domum ingrederetur, quæ ad mœnia fenestris pertingebat, ut aliquibus in locis nunc quoque die ergo decima octava ejusdem Mensis D. *Demetrio* Martyri Sacra ingressus est per *Lucentis* domum Civitatem cum copiis *Ordelafi*, & suis sperans *Ghibellinos* & ipsos insurrecturos, nam & Palatii, & alii pariter exules *Cæsenates* cum *Claudello* arma junxerant, immo etiam aliqui ex *Fere-*
Jo. Villan. l. 9. cap. 267. *trano* exercitu, qui ad *Cavallinum Malatestios* fregerant, Civitatem introivere. Ad plateam usque pervenerunt, at excitata Civitas urgente *Malatestino*, & parte adversa, ac tum prævalente acri certamine exulibus restitit, tantusque fuit ardor, & vigor Populi resistentis, ut *Ghibellini* non sint ausi juvare extorres, sed ab impetu populi sunt ipsi quoque rapti. *Claudellus* ergo fortiter pugnans occisus cum multis aliis fuit; nonnulli etiam capti, & captus etiam *Lucens*, qui tortus cum fateretur Perduellibus ad occupandam Civitatem præbuisse aditum fuit in curru positus, forcipibusque ignitis dilaniatus misere obiit, inque campum bovum projectus Ecclesiastica sepultura caruit. Solus *Philippinus Palatius* ex invasoribus propter ejus probitatem, ac sapientiam mitiori morte cervicis scilicet amputatione sublatus est e vivis: in eo enim viro cætera probo ingressum Civitatis non impietati in Patriam tribuerunt, sed privatæ ultionis humano desiderio. Ex hoc facto suspiciones, & injuriæ inter *Ordelafum*, & *Malatestios*, ac *Cæsenates* tum prævalen-
510 tes auctæ, & facile odia erupissent in bellum nisi auctoritas *Aimerici* Comitis; & dexteritas lenivisset, ac cohibuisset iras. Mense deinde Octo-

A bris venit *Cæsenam* die sexta Frater *Hondideus* Procurator Reverendi Domini *Thomæ* de *Murro* Episcopi *Cæsenæ* cujus ipse nomine possessionem Episcopatus sumpsit, ita Chronicon. *Sub anno* (inquit) 1324. *die Sabbati 6. Octobris Frater Hondideus Procurator Domini Thomæ de Murro Episcopi Cæsenæ accepit tenutam Episcopatus pro eo.* Utrum vero morte *Gherardi* prædecessoris sit mutatio facta, an ejus translatione ad opimiorem Episcopatum, quod consueverat *Joannes* XXII. non constat, neque etiam utrum *Thomas* ipse huc unquam venerit. Comiti interim nostro *Aimerico* eodem anno mense Novemb. eidemque Archie-
B piscopo subtractum fuit *Argentæ* Castrum a Marchionibus *Estensibus*; quibus tamen Oppidani sponte se dediderunt. *Joannes* tamen *Villanius* proditionem implicat, & facile est aliquos astu Marchionum seductos: ita ut contumaciam adversus communem, & universalem Ecclesiam, hoc adversus particularem facto auxerint, magisque Pontificem irritaverint. *Rainaldus Cincius* Eques, ac primarius *Cæsenæ* Civis fuit eodem anno Prætor *Patavii*, quo tempore *Canis Veronæ* Dominus in *Patavinos* movit ut sibi eos subjiceret. Diffisi suis illi viribus se *Carinthiæ* Duci dedidere, venit is plurimo cum exercitu, & repulit
C obsidentes, sed ejus copiarum barbaries, & insolentia tum amicorum tum inimicorum agros consumpsit. *Canis* semper se in locis munitis continuit, quousque Barbari omnibus cibariis, & *Patavinorum*, & hostium, & finitimorum consumptis; eorumque Ducibus pecunia a *Cane* corruptis domum revertere nulla susceptæ defensionis habita ratione. Sub Prætura itaque *Rainaldi Cincii* magnam ab hostibus, & non minorem ab amicis afflictionem passa est ea Civitas prope jam imminentem brevi tyrannidem. Hæc occasione nostri Civis de *Padua* diximus. At *Cerviæ*, quod contigit ob vicinitatem ad nos pertinet. Suberat ea Ci-
D vitas *Polentano Bannino*, qui sub nomine tum Prætoris Principatum exercebat, & obtinebat: at *Hostasius Polentanus* ultra omne fas imperii cupidus incitavit *Bartolinum Vacarium* Civem *Cerviensem* a *Bannino* expulsum ex ea Civitate, & proscriptum tradita eidem magna militum manu, qui improvisus *Cerviam* introivit, ibique repetitis vocibus vitam *Hostasio*, vitam *Hostasio Polentano* inclamare cœpit: ad quas voces eum tumultum popularem excitatum videret *Banninus Vacario* secundum, sibi adversum cum Filio perniciter aufugit *Ravennam*, forte exoraturus ab *Hostasio*, vel defensionem, vel honestam cessio-
E nis conditionem. Verum cum prope portam *Ravennæ* pervenisset *Hostasius* re cognita Filium crudeli jussione occidi mandavit. Ad quam sævitiem attonitus *Banninus* fugam arripuit per deviaque ac diverticula mortem vitans, non potuit tamen insequentium superare celeritatem, qui illum ad Tumbam taurorum assequuti misere peremerunt. Attamen in tantis, & adeo scelestis motibus dissimulabat Comes *Aimericus*. Tantum sibi sumpserant *Polentani*, & reliqui in *Flaminia* Tyranni. Solum vectigal quoddam pendebant pro Militibus Comitis, & etiam pro militibus *Bertrandi* Legati sed precario potius, quam pro
F imperio exactum. *Cæsenates* interea Rempublicam suam libere administrantes, & multa prosperitate florentes nundinas in Castro Portus sui per quatriduum celebrari voluerunt Mense Julii die Festivitatis D. *Jacobi*, & D. *Mariæ Valverdis*, quo nomine ibi est Ecclesia satis pro loco insignis constructa D. *Jacobus* Divus tutelaris est Castri; Ecclesia ibi ejus est sedes Archipresbyteri dieque Sancto Apostolo Sacra Civitas nostra solemne celebrat Festum Magistratu illuc eunte, &

Marginal notes: L. 9. c. 276. — Rainaldus Cincius. — Chronicon & Ioannes Villan. Lib. 9. cap. 225. — 511

bravia Luctatoribus, saltatricibus, equorum cursui, & Naviculatoribus ponunt; alligantur etiam anseres in mali cacumine in præmium cessuri illuc ascendenti, eosque avehenti; nundinæ vero jandiu obsoluere. *Cæsena* inquam hoc anno a duobus suis Civibus *Ghello Calesidio*, & *Rainaldo Cincio* equestri ambobus dignitate insignitis regebatur. Tantum sibi authoritatis, ut factionis *Guelfæ* Principes sumpserant, quæ factio in Civitate prorsus præstabat. *Malatestii* secesserant. Nam *Malatestinus* eo tempore exercitus *Bononiensis* adversus *Passarinum*
512 *Bonacossium Mantuæ*, & *Mutinæ* Dominum Imperator erat. *Ferrantinus* autem *Arimini* curam gerebat mortuo *Pandulfo*, & *Malatesta Pandulfi* Filio *Pisauri*, & in *Piceno* occupato *Ghelli*, & *Rainaldi* in *Cæsenam* Dominium, testantur Annales nostri his verbis. *Quod sub Anno* 1326. *die Sabbati* 20. *Junii dominantibus Ghello de Calesidio*, *& Rainaldo de Cinciis militibus Civitati Cæsenæ nullo penitus resistente.* Et Rubeus sub Anno eodem hæc habet. *Id Cæsenæ accidit*, *cui cum Ghellus e Calesidio*, *& Rainaldus Cincius Equites Cæsenates dominarentur.* Sed de horum dominio rursus: interim bellum inter *Bononienses*, & *Passerinum*, & *Malatestini* imperatorium munus hunc exitum habuit, collatis signis acerrime pugnarunt, at victi tandem, & fugati *Bononienses*, & *Malatestinus* fortiter pugnans captus fuit: *Fulcerius Calbulus* ignaviæ fugæ ab Annalibus nostris, & a *Carrario* damnatur. Anno sequenti demum pax inter *Bononienses*, & *Passarinum* confecta, &
ANNO. 1325. captivi liberati. At *Flaminia* cæpit Anno 1325. novis inquies esse supicionibus. Considebat adhuc in *Lombardia Parmæ* postquam diu *Placentiæ* permanserat *Bertrandus* Cardinalis Legatus, & Vicecomites, & *Canis*, & *Passarinus*, & Marchiones *Estenses* a Pontifice jam damnati fædus inter se confecerant. Horum *Estenses* alienare Pontificiis a partibus tentabant eos *Romandiolos*, qui pro factione adhærebant. Comites *Cunii* ex iis erant ut *Guelfi*: cujusmodi erant etiam *Manfredi*, sed hi ob *Faventiæ*, & *Imolæ* usurpationem Ecclesiasticis diffidentes. Pontifex *Avenoni* usque tentamenta intellexit, & *Americo* Comiti Provinciæ, & ipse significavit, jussitque ut navaret operam ne *Bernardinus Cunii* Comes seduceretur, & si subornationi succubuisset, ne saltem ex ejus alienatione quicquam detrimenti Provincia acciperet, literæ Pontificis datæ fuerunt VII. kal. Februarii Anni 1325. annus sequens fæcundus revolutionum in *Flaminia*, & præsertim *Arimini*, & *Cæsenæ* fuit, quas omnes ordine temporum recensebo. *Faventiæ* ergo dominabantur *Manfredi* eorumque *Franciscus*, erant extorres ab ea Civitate *Raules*, qui erant ejusdem cum *Man-*
513 *fredis* Factionis unde paucis antea Annis utraque familia ex altera parte, cum *Ordelafis* ex altera pacem inierunt jubente, & cogente *Caracciolo* Regis *Roberti* Vicario: at qui se pares amabant, odisse in dispari fortuna cæperunt; neque enim *Raules* tolerabant *Manfredos* nuper Cives, Dominos, neque *Manfredi* confidebant sibi fidos dominantibus; qui proxime fuerant æquales, has itaque ob causas a Civitate *Raules* aberant, & in Castro *Casalechi* suo satis munito se se continebant, at gliscentibus suspicionibus, odiisque *Franciscus Manfredus* cum *Faventina* militia est Castrum aggressus, quod tamen egregie Filii *Guidonis* olim *Raulis* tum Domini defenderunt: desperata itaque expugnatione *Manfredus* excitavit adversus Castrum munimentum, ac propugnaculum, tum vulgo batifollem vocatum a quo in angustias cogebantur Oppidani post etiam recessum *Faventini* Exercitus. Expeditio hæc *Manfredorum* fuit anno dicto 1326. die 13. Martii.

Chronicon nostrum, & Zuccolæ annales.

A At Mense Maji die 20. turbæ magnæ in Oppido S. *Archangeli* cum *Pandulfus Malatesta* moribundus *Arimini* jaceret, opportunitate capta *Tavellii* ibi Oppidani Castrum ceperunt. *Balaccutius*, & *Federicus Ballacchii Arimini* degentes clam noctu discedentes improvisi adivere, ingressique S. *Archangelum* ibi *Tavellios* cepere, quos vinctos ad *Ferrantinum Arimini* Prætorem & Præfectum misere, alios præterea multos occidere (jam obierat *Pandulfus*) Castrumque occupavere, ac retinebant pretextusque retinendi erat, quod a duobus Episcopis *Arimini Balacchiis* fuerit familiæ suæ concessum. At cum *Malatestii* jam locum
B possiderent non satisfecit *Ferrantino Tavelliorum* transmissio, sed Castrum poscens illuc cum exercitu ivit ducta *Ariminensium* militia, & cum nihil profecisset, obtinuit a *Ghello Calesidio*, & a *Rainaldo Cincio* tum *Cæsenæ* arbitris opem qui duas *Cæsenæ* Tribus misere, verum se strenue defendentibus *Balacchiis* appareretque duraturam obsidionem universus exercitus recessit, ita nostri annales necquicquam addunt. At *Clementinus* scribit rursus oppugnatum Castrum, & obtentum. Verum *Cæsenæ* perturbatio magna, & infidæ societatis Regni nobile specimen. Adeo in- 514
valuerat potentia *Ghelli Calisidii*, & *Rainaldi Cincii*,
C ut duumviratu constituto Civitatem ipsi regerent; *Malatestiis* seclusis, attamen amicis. *Rainaldus* autem consortis impatiens occupare fidentem *Ghellum* statuit. clam cum *Ramberto Malatestio Joannis* olim *Claudi* filio convenit consilio suo ei communicato, ut tacite, clamque trecentos sibi equites, & centum pedites mitteret. Submisit proditori suppetias libenter *Rambertus*, qui majorem adhuc proditionem erga suos animo volvebat, adeoque poterat a *Rainaldo* postea certum subsidium sperare si opus esset. Suscepto ergo milite, quem *Rainaldus* miro artificio una cum consilio suo celavit, incautum & nihil tale ti-
D mentem *Ghellum* cepit die 20. Junii, & vinctum in domo sua servavit; verum tanti viri captio non potuit occuli adeoque ejus filii præcavere idem infortunium, atque aufugere potuerunt. Facti turpitudo, & affectatæ a *Rainaldo* Tyrannidis aperta repræsentatio, nedum amicos *Ghelli*, sed universum populum commovit, inde sibi is timens ex *Tarquinii* monitu excelsiores spicas demetere est aggressus, utque verbis Annalium utar. *Etiam omnibus Magnatibus de Cæsena expulsis.* Intelligamus nos expulsos, qui restabant non expulsi a *Ferrantino*, cujus Regimen tyrannicum Annales iidem vocant. *Rainaldus* occupata ty-
E rannide *Ghellum* in carcerem montis *Vecli* occulte, adeo transmisit, ut ab omnibus pro mortuo haberetur, & nobilitatem opprimere, & omnia suspecta habere, & demum sæviter, ac violenter omnino procedere cæpit. Non poterat in tanta sævitia non timere Populi tumultum, aut exulum impetum, neque etiam fidere quibat *Urbano* militi. Unde inquies animus, perturbato consilio usus decrevit custodiam petere ab *Americo* Comite, & Rectore Provinciæ, qui *Bertinorii* residebat. Milites pro custodia Rectori assignatos regebat *Amergonus* Præfectus, tum vero Marescialius Provinciæ dictus. Erat is Comitis Ne-
F pos, erat præterea ejusdem Comitis alter Nepos *Amblandus* vocatus Vicecomes Castrorum Ecclesiæ *Ravennatis*, qui Magistratus ab antiquis temporibus solebat *Cæsenæ* jus dicere, ut nunc etiam, suntque ædes in Civitate pro ejus sede, ac Prætorio. Evocatus ergo *Amergonus* una cum *Am-* 515
blando cumque quinquaginta equitibus accessere runt ad *Burghettum* nunc villam, tunc Castrum *Articlinorum*, abest a Civitate vix quattuor stadiis; ibi residens Præfectus significavit *Rainaldo* ad-

adventum, & quid faciendum moneret, at *Rai-
naldum* sententiæ suæ pœnituerat. Verebatur
forte ne Populus (ut est suspicax Tyrannus) re-
gimini suo valde intenso infensus conspecto milite
Rectoris tumultum concitet, seque Rectori det.
Ejectorum agnatos, affines, amicos id deſidera-
turos Populum etiam *Cæsenatem* rigidæ guberna-
tionis impatientem. Respondit itaque claves
Portarum Civitatis ad compescendam Populi su-
spicionem in tanta rerum perturbatione a se Ma-
gistratibus assignatas a quibus eas petere necquam
tutum videri; ad eam responsionem *Amblandus*
ut Civitatis incola cum exigua equitatus parte
ad Civitatem accessit, & per Ostiolum, a custo-
dibus a *Rainaldo* impositis admissus cum suis fuit.
Cum *Rainaldo* ibi congressus, multis hinc inde
dictis persuasit *Amblandus Rainaldo*, ut Præfecto
impedimenta eadem coram exponeret, eo saltem
obsequio *Armerigono* satisfacturum secus pro con-
temptu habiturum exclusionem: non conducere
vero ipsi in tot Civium alienatione Præfecti ini-
micitiam. Profectus itaque ad *Burghettum* cum
Amblando Rainaldus ibi post multum colloquium
cum renueret prorsus, & denegaret illis tum in-
gressum, & *Armerigonus* esse contra dignitatem
excludi a Civitate ulla Provinciæ præsertim acci-
tum altercantem contra *Rainaldum*, nec bene a
milite munitum comprehendi jussit Præfectus;
Eumque vinctum ad Comitem *Americum Brito-
norium* duxit, at *Amblandus Cæsenam* cum parte
equitatus ivit. Cum vero vir sagax invisum
Rainaldum Populo explorasset aperuit Civibus,
quo contemptu eludere Præfectum Provinciæ,
& Rectorem ipsum tentasset a quibus primum cu-
stodiam petierat, eamque ut nunc patet inscio
Senatu, & populo, ut pateret tyrannidem exer-
citurum improbum Civem, nisi Deus eum excœ-
casset, immo nisi a peccato, & scelere excæcatum
516 in manus justissimi Rectoris Provinciæ dedisset.
Constituerent ergo ipsi Rempublicam ab injustis-
simi Civis improbis factis quassatam, & a beni-
gnissimo Rectore, & consilium, & opem ad
eam restituendam, & felicem reddendam expe-
ctarent. Populus cum id ipsum judicaret se a
Tyranno, ac tyrannide liberatum Populum, &
Popularem statum inclamare universus cæpit.
Innotuit *Rainaldi Cincii* casus & Civitatis pertur-
batio exulibus, quorum *Ghibellini*, qui plurimi
Forolivii sub *Cicchi Ordelafi* patrocinio degebant,
arbitrati se facile Patriam recuperaturos in tanta
Civium perturbatione confractas enim esse etiam
ob primorum exilium *Guelforum* vires, & Popu-
lum quoque tot nobilium Civium jamdiu absen-
tium desiderio teneri. Petitis ergo copiis ab
Ordelafo, qui ultro eas concessit, *Cæsenam* secun-
da die a *Rainaldi* captione profecti sunt, & ad
Chronicon pontem D. *Martini* pervenerant, cum sumptis
armis Populus Duce *Amblando* non *Armerigono*
occurrerunt invasoribus, & acerrimo utrinque
prælio commisso, exules tandem, & *Forolivien-
ses* repulsi fuere, & mortui, inter quos notiores
fuerunt *Vitalinus Palatius Cæsenas*, & *Fuscus
Bonatus Foroliviensis*. *Henricus Palatius* in valle
S. *Victoris* absque vulnere mortuus inventus est.
Mainardinus Articlinus primus exulum incolu-
mis evasit. Repulsis ejusmodi copiis adhuc per-
severabat tumultus populi, & clamor in quadam
ceu anarchia fluctuans, qua agitatione cum fessus
propinquusque civili seditioni cuidam esset, op-
portune omnino advenit Comes, & Rector *Ame-
ricus:* summo enim cum gaudio est ab universa
Civitate susceptus, atque Comitiis habitis libere
ei totam jurisdictionem Civitatis, ac administra-
tionem tradidit. Comes Civitatis liberalitati
respondit zelo, & procuratione communis quie-

A tis, ac publicæ tranquillitatis: nam exules, &
proscriptos utriusque factionis multos restituit.
Erant etiam aliqui Magnates in carceribus con-
clusi, quos liberavit, at confecta prius cum ini-
micis pace, adeoque Civitatem Civium suorum,
ac Nobilium frequentia, ac pace beavit; persua-
sit præterea Civibus non posse Civium, & par-
tium furorem interdum cohiberi, nisi adsit cu-
stodia valida, quæ possit principia, & Princi- 517
pes seditionum comprimere, at non posse haberi
militem nisi pro ejus securitate, & pro Civium
quiete in loco is munito, & separato continea-
tur: munito, ut securus miles degat: separato: Annales.
B ut rixarum inter ipsum, & populares occasio tol-
latur. Acquievit suasioni Populus, Rectorque
ipse suo sumptu Castrum novum a fundamentis
excitavit. Erat enim post expulsionem *Federici*
Comitis *Feretrani*, & *Zapitini Ubertini* dirutum
a populo, quod *Federicus Secundus* Imperator po-
suerat. Usus est pro Architecto *Americus Salim-
butio* olim Santis Notarii *Cæsenatis*. Erat hæc
Arx illa vetus a nobis dicta cujus ruinas paucis
ante annis vidimus, at nunc Turris solum restat
(quæ pars est ædium modo Fratrum D. *Fran-
cisci e Paula*) & propugnaculum antiquo more
rotundum, cætera eversa jussu Senatus fuere ad
C commodiorem aditum Capucinis aperiendum.
Arcem deinde sequentibus annis incoluit Comes
idem. Post captum autem *Rainaldum* constitit
vivere *Ghellum Calisidium* in Monte *Veclo* vin-
ctum: unde eductus, & Patriæ restitutus fuit, Chronicon
ex carcere autem liberatus fuit a *Rainerio Brandio
Montis Vecli* Domino, qui extruso *Rainaldo*, &
revocatis exulibus ab *Americo* Comite ipse ad sua
rediit e *Longiano*, quo fuerat relegatus. Erat
autem is *Ghelli* cognatus, ut Chronicon dicit for-
te significans *Italico* more levirum, ut autem hic
absolvam, quæ de *Rainaldo* dicenda restant, licet
anno sequenti 1327. ea acciderint. Is post diutur-
D nam Custodiam *Britonorii* cum multa, magna-
que crimina confessus fuerit, jussu Comitis capite
amputato die 2. Martii sequentis meritas pœnas
luit. At ad annum 1326. redeundo die 9. Julii
triduo scilicet antequam *Rainaldus Cæsenæ* sit captus
Rambertus Malatestius olim *Jo. Claudi*, qui prius
simulate de proditione suorum *Ariminum* possi-
dentium cum *Uberto Glazoli* Comite egerat, tum
serio, & re ipsa ad exitum pro se proditionem
perduxit: mortuus erat *Pandulfus*, *Malatesta*que
ejus filius *Piceni* rebus distinebatur; *Arimini* erant
Ferrantinus tum Civitatis Prætor & Præfectus,
& *Malatestinus* ejus filius, qui e *Passarini* capti-
E vitate liberatus domum redierat: erat etiam *Ga-
leottus Pandul.* alter filius, & *Guido Puellus*. *Ram-* 518
bertus Ferrantinum, & *Malatestinum* nec non *Ga-
leottum* ad convivium invitavit, quo luculento
eos cum multa alia *Ariminensi* nobilitate excepit,
at inter hilaritatem convivii omnes cepit, & in
arctam custodiam conjecit, tum Civitatem ex-
cursione facta magna ex parte occupavit reputans
eo ipso facto totam occupasse: tamen partem
eam aliam *Faitani* retinebant non animadvertente
Ramberto. Interim enim *Polentesia Malatestini* u-
xor, filia *Guidonis Novelli Polentani* facinus nobi-
litate sua dignum magnanima Mulier edidit. Tu-
F multu enim Civitatis, & suorum infortunio au-
dito extulit vexillum Soceri, & mariti ensequc
districto in forum perrexit magna voce, & Soce-
ri, & Mariti nomen proclamans. Multæ nobi-
les fœminæ se illi adjunxerunt, at superveniente
Ramberto, & existimantibus omnibus jam *Fer-
rantinum*, & *Malatestinum* mortuos, ideoque
nullo pro ea concursu populi facto coacta fuit
Polentesia pedem referre. *Rambertus* re melius se-
cum reputata dimisit *Galeottum* cujus Frater *Ma-
la-*

latesta in *Piceno* cum copiis erat bellum gerens, & *Pisaurum* possidens, ne scilicet armatum hominem amplius exasperaret. Sed inter præcipitia medium ruinosum. *Galeottus* ipse *Faitanis* junctus accedente *Malatesta* fratre, qui proditione intellecta statim advolavit, & per Portam S. *Andreæ* nocte secunda ingressus est multo cum milite, cui se amici alii adjunxere, invasit *Rambertum*, & *Joannem* ejus Nepotem, victosque ex Urbe expulit. At *Guido* Archipresbyter *Ramberti* Frater, qui novem annis exul ex Patria fuerat pridieque tantum redierat, *Ferrantinum*, *Malatestinum*que vinctos secum ad S. *Archangeli* Oppidum abduxit. In tanta perturbatione, & victores, & victi ad concordiam inclinaverunt: illi ut suos; hi ut sua recuperarent, sequestres ergo pacis hunc in modum rem composuere. Ut liberarentur capti: bona restituerentur cuncta *Ramberto: Guidoni* Archipresbytero patria, *Rambertus* solum ad tempus in agrum *Arimini* relegaretur, ne recens coalita pax ex aspectu mutuo nondum obducta cicatrice injuriæ, dehisceret. Jam *Cæsena* sub libero *Americi* imperio in summa pace quiescebat: *Americus*
519 ipse Prætorem gerebat, Præfecturam sustinebat; Civitatis consilia autem, & Magistratum defensorum sane reliquerat, sicuti nunc quoque in absoluto dominio Pontificis in his ipsis Civitatibus Magistratus tamen, & consilia publica retinentur. At major jam rerum ordo nascitur in *Flaminia* nostra, sed altius ducens originem. Mortuo *Henrico* Imperatore Principes *Germani* inter se discordes duos imparibus tamen votis elegere, *Ludovicum Bavarum*, & *Fridericum Austriacum:* at victus bello demum *Fridericus Ludovico* Imperium cessit, sed Pontifex *Joannes* a *Ludovico* omnino aversus nunquam electionem ejus probavit. Quin cum is munia Imperii exerceret, ac nomen retineret fuit a Pontifice excommunicatione perculsus, & edita sententia omni jure, & omni dignitate expoliatus exsolutis ab omni præstito fidelitatis juramento subjectis. Literas ejusmodi damnationis *Americo* Rectori Provinciæ, & Archiepiscopo commisit, ut in universa *Flaminia* publicandas curaret, quod & perfecit. At *Ludovicus* non deterritus ea sententia, sed irritatus quæcunque potuit adversus Pontificem in *Italia* molitus, & in hac quoque Provincia, in qua Comitem, & ipse Provinciæ constituit, quæ omnia suis locis, ut ad rem nostram faciunt intelligemus. Interim hoc perturbationum seminarium indicare anticipavi, at propior causa in Provincia motus fuit Legatus Cardinalis *Bertrandus* a Pontifice missus ad Pontificium imperium in Ecclesiastica ditione asserendum, quod specie quadam retinebatur, at re ipsa a Tyrannis, vel a Populis tenebatur. Cardinalis is Tit. S. *Marcelli* venit juxta nostrum Chronicon anno 1319. at secundum *Vizanum* anno solum 1327. sed si hoc sibi vult *Vizanus* sane errat, nam etiam *Joannes Villanius* illis temporibus coævus anno saltem 1320. cum *Philippo Valesio Galli* Regis Fratre in *Italiam* profectum asserit; adversus is Vicecomites *Galeatium*, & *Marcum* diu bella gessit Duce primum *Philippo* ut dicebam *Vallesio*, deinde Duce *Raimundo Cardona Hispano* mox *Castronio* Nepote suo: at sub adventu *Ludovici Bavari* a *Ghibellinis* evocati ipse spectator fuit depressionis Vi-
520 cecomitum per *Bavarum* ipsum, quem scilicet infelici sibi exitu illi acciverant. Quando idem *Bavarus* a *Lombardia* in *Etruriam* transivit profecturus *Romam*, Cardinalis etiam si pluribus instructus copiis, non tamen provocavit hominem, nec a destinato itinere avertit. Sed post ejus discessionem ab *Insubribus*, quos jam suis præsidiis firmaverat *Bavarus*, in *Passarinum*, in *Estenses*, at etiam potius in *Bononienses*, & *Romaniam* movit arma ad imperium absolutum in eos Populos pro Pontifice acquirendum. *Passarinus Mutinam* armis, & astu occupaverat invita magna Civium parte, & eo magis, quod Legatus, & *Passarinum* communione Fidelium privaverat, & Civitates adhærentes interdicto subjecerat. *Mutinenses* ergo accedenti Legato, qui cum eis clam per internuncios prius egerat, atque suaserat, *Ghibellina* tamen factione in suo robore relicta se dedidere; quibus auctus viribus Legatus paulo prius autem ad *Burgumfortem* Castrum ripæ *Padi* insidens copiæ *Passarini* ab exercitu Legati cujus ductor *Verzutus* victæ fuerant, & debellatæ. (Joan. Villan. lib. 10. c. 23.) Posthæc Legatus cui *Parmenses* liberum sui dominium tradiderant ejusmodi auctus viribus iter *Bononiam* adornavit, eo consilio, ut *Bononienses* eodem modo, quo *Parmenses* Pontifici subjiceret. *Vizanus* Historicus scribit hoc *Bertrandi* consilium prius quam advenerit *Bononiensibus* innotuisse; & ultro se illi subjecisse. Opportune sane tentavit mutationem Cardinalis, nam fessa erat ea Civitas, & ferme delumbis. Clades quam a *Passarino* susceperat, grauis fuit, graviaque damna tulit; continuata pariter bella exhaustos pecunia reddiderant, & quod nervos præsertim concidebat Civitatis olim robustæ, erat seditio. Exulabat cum multis *Romæus Pepulus* Civis locupletissimus, & plurimis clientelis in Civitate ipsa nixus, præter eos qui fuerant cum eo expulsi. Diffidentiæ ergo, & suspicionis plenam animos prope despondisse necessum erat. Facile ergo fuit Legato paternam curam non intentum imperium pollicenti assentire; sperareque ex Sacri Antistitis regimine publicam quietem, & tranquillitatem, & privatorum certam securitatem: quocirca adventanti cum Carrocio atque Magistratibus omnibus obviam iverunt, 521
cumque omnium ordinum, & frequentia, & plausu exceperunt: postea Comitiis Populi coactis decretum communi voto fuit liberam universæ Civitatis jurisdictionem Cardinali pro Pontifice tradere, qui eam Pontificis nomine accepit, Patremque non Dominum se futurum prolixa promissione recepit. Prætorem, & nomen Prætoris amovit, ejusque loco Rectorem imposuit: Vexilliferum (Villanius.) etiam justitiæ sustulit; Antianis vexillum justitiæ assignavit, quos duodecim esse voluit, cum prius octo solum essent. Hæc *Bononiæ* commutatio *Anno* 1327. contigit. Ex ea au- 1326.
tem *Romandiolæ* alteratio pependit, quæ partim anno eodem, partim sequenti est consequuta. Hæc ceu seminarium futurorum præmisi, nunc ad seriem temporum revertor. Anno ergo 1326. orta jam contentione inter Pontificem, & *Ludovicum Bavarum* Imperatorem, & fædere inter *Principes Lombardos*, Marchionemque *Estensem* adversus Pontificios inito, *Ghibellini*, & *Tusciæ*, & Provinciæ nostræ immo, & *Piceni* erexere caput, atque inter se per internuncios ad mutuam defensionem convenere: opera igitur *Estensium* Factio *Ghibellina* Lugum expulsis *Guelfis* occupavit. *Faventini*, eorumque Dominus *Franciscus Manfredus* ad quem pertinebat Oppidum, instructo exercitu sunt illud aggressi: at ex conventione facta *Franciscus Ordelafus Forolivii* Princeps cum ejus Civitatis copiis adversus *Faventiam* movit, acreque inde inter eas Civitates *Bellum* ortum. Ejus exitum Annales *Faventini* his enarrant verbis. *Anno* 1326. *magnum inter Faventiam, & Forolivium ortum est bellum inter quas Civitates pugnæ plures extitere, & multum sanguinis effusum, tandem fessi Forolivienses Francisco se Manfredo dedere.* Quæ narratio neque originem belli aperit, neque rebus consonat, nam

Ordelafi illo anno, & sequentibus imperium *Forolivii* obtinuere, neque *Manfredus* anno proximo dum *Bononiæ* Legato *Faventiam* restituit, *Forolivium* etiam cessit: & tamen cedere oportuisse cum ad ejus demerendam gratiam cessione occupatarum ditionum Pontificis ivisset. Verisimi-
522 lior est, & plenior narratio, quæ ex *Joanne Villanio* elicitur, qui hæc scribit. *In dicto Anno* 1326. *Mense Aprilis in Romania bellum inter Faventiam, Foroliviumque cæpit per Ghibellinos autem Lugi Castrum rebellavit. Faventini, & Guelfi illud obsiderunt, & Ghibellini tum e Romania, tum e Lombardia magnis viribus ad illud sumendum, tuendumque accurrere. Florentia autem, & ab Etruria ad opitulandum Guelfæ copiæ profectæ sunt. Tandem conventione facta Lugienses se Dominis Faventiæ dedidere.* Ex quibus *Villanii* dictis patet non *Forolivium*, sed *Lugum* deditum. Ejusque rebellionem ob factiones factam causam fuisse belli inter *Faventiam*, tum *Guelfam*, & *Forolivium Ghibellinorum* ferme sedem. Conjicimus etiam dum ab *Etruria* usque *Guelfi* opem tulerunt *Faventinis*, multo magis *Cæsenates*, & *Guelfos*, & subjectos *Americo* Comiti Provinciæ Ecclesiasticarum partium duci milite eos ivisse, & sanguinolenti belli (ut *Zuccolus* vocat) partem fuisse. Intelligemusque penes *Faventinos*, & *Guelfos* fuisse victoriam, postquam ad eorum manum rediit *Lugum* belli causa, & origo.

ANNO 1327.

Anno postea 1327. ut dixi *Bertrandus* Cardinalis Legatus *Bononiæ* libere dominabatur, & *Parmæ*, *Mutina* quoque illi parebat magnisque copiis instructus erat; tanta itaque potentia territus *Franciscus Manfredus* annosus, ut ita dicam *Faventiæ*, & *Imolæ* usurpator judicavit, cum esset adeo viribus impar obsequio forsan impetraturum, ut ea beneficiario jure obtineret, quæ tum violenter possidebat, profectus itaque *Bononiam* se libere Legato, *Faventiam*que & ut arbitror jus qualecumque in *Imola* retinebat tradidit; gavisus est traditione Cardinalis, hominemque amplexus, & in gratiam Pontificis omni ablata censura restituit; adivit Legatum *Americus*, statumque Provinciæ universæ ipsum docuit. Fidam esse, & subditam *Cæsenam*, cum *Britonorio*, *Meldula*, & *Castrocario*, reliquas Civitates simulate subjectas, at revera usurpatas. *Cæsenates* Oratores, quos devota Civitas, obsequii ergo una cum Comite misit, benigne excepit, deque eorum fide erga Sanctam Sedem laudavit, eoque nomine Summo Pontifici commendatos asseruit. Circumspectanti ergo Cardinali Provinciæ statum,
523 atque animato eam universam subjicere *Malatestii Arimini* Domini eam Civitatem obtulere. Restabant *Ravenna*, & *Cervia*, a *Polentano Hostasio* detentæ & *Forolivium* a *Francisco Ordelafo*. *Hostasius* imperii admodum tenax submissionem *Franscisci Manfredi* mirum in modum oderat. Expediebat illi pro propugnaculo *Imolam*, & *Faventiam* habere, quibus stantibus poterat ipse simulando Pontifici obsequium Cardinalem ducere, & dominium retinere. Interim expectabatur *Bavarus* Pontifici summopere iratus, totiusque Pontificiæ ditionis cupidine incensus. Aggressus ergo est *Alberghettum*, vel *Alberghettinum*, utroque enim modo dicitur *Francisci* Filium; huic suasit inertiam esse Patris facile adeo Principatu cedere, antiquumque adagium revocabat: Non nisi tractum, & raptum fortem hominem de Principatu recedere. Non eas esse vires Legati quæ Civitatem munitam *Faventiam*, immo munitas *Imolam*, & *Faventiam* possint illico capere, interim fœderatos adversus aviditatem Pontificis non passuros impotentem amplius Cardinalem crescere Vicecomites, *Canem Passarinum*, & Marchionem *Estensem* incendio propio-

[A] rem si adeo intendantur Legati vires, nec *Ghibellinos Flaminiæ* otiaturos. Eidem subesse periculo *Ordelafos*, qui omni simultate factionum omissa principatus rationem omni alii curæ præferent. Interim ex *Germania* esse Imperatorem venturum, cujus conatui non resistent Pontificiorum vires, quas solæ confœderatorum in *Lombardia* copiæ sustinent, & plerunque suderunt. Pollicebatur præterea ipse suas omnes opes, & spondebat se a *Malatestiis* idem impetraturum, dum viderent propinquos impetui non despondere animum, sed constanti proposito repugnaturos. Moverunt hæ, ejusmodique aliæ [B] rationes cupidum imperandi potius, quam obtemperandi filium; cujus rebellionis consilium juvit *Cecchinus*, item *Manfredus*: noctu ergo Civitatem excursione facta cum militibus etiam ab *Hostasio* subministratis die 8. Julii occupavit, ex qua *Fulcerium Calbulum* Præfectum cum Satellitio omni, & familia ejecit, nec non omnes Patris domesticos, ac familiares in exilium impulit. (Joan. Vill. L. 10. c.)
Nec satis habuit prodere Patrem, nam etiam *Ci-* 524
chinum sceleris socium pariter cum tota ejus familia fraude ejecit: misit enim ad *Hostasium Polentanum* ad D. *Mariæ* e *Fossa* existentem eo obtentu, ut cum eo simulata quædam negotia tractaret, [C] & statim ex Civitate emissum, cum universa familia ejecta exilio multavit. (Joa. Villan.) *Imolæ* erat Præfectus *Ricciardus Manfredus Francisci* filius, & ipse; quæ Civitas olim anno 1314. a *Francisco* occupata adhuc remissiore tamen imperio regebatur. *Ricciardus* jussu parentis debebat Civitatem Legato tradere, qui illuc idcirco quingentos equites miserat. Dum restitutionem molitur Populus *Imolensis* astu, & subornatione *Alberghettini* & *Hostasii* Comitis arma adversus *Ricciardum*, & Pontificios milites sumpsit, pugnaque in foro inita diuturna fuit, at urgentibus Pontificiis cum *Ricciardo*, ejusque amicis, inter quos *Alidosii* [D] fuerunt, victus, & fusus populus quadringentis, & amplius popularibus occisis, & direptionem bonorum passus collum subdidit imperio ejus culpa duriori. distulit autem *Bertrandus* in annum sequentem: *Faventiæ* aggressionem ab *Alberghettino* invito etiam patre subtractæ. Interim eo anno *Bavarus* prius sollicitatus ab Oratoribus Principum, & Rerumpublicarum *Ghibellinarum*, & aliorum quibus Pontificiorum potentia invisa erat *Tridentum* venit, quo prius convenerant ex Principibus *Azo*, & *Marcus* Vicecomites *Canis*, *Passarinus*, alter Marchio *Estensis*, & Oratores Civitatum *Forolivii* (arbitror) etiam, & *Ordelafi*, [E] nec non *Polentani Hostasii*, cum quibus ipse *Italiam* parum licet a pecunia, & milite munitus intravit, Coronam ferream *Mediolani* sumpsit ex cujus Civitatis Principatu Vicecomites, qui eum e *Germania* vocaverant expulit, in *Etruriam* transiit, a *Castruccio* acceptus, adjutusque *Pisas* primo repugnantes cepit, *Romam* inde ivit, Coronamque Augustam sumpsit ab Antipontifice *Petro Corbarea* a se facto, & *Nicolai* V. nomine appellato, atque *Joanni* vero Pontifici opposito cum Populi *Romani* applausu in *Etruria* postea diu mansit, ubi *Castrutii* tum mortui filios ex *Lu-*
cæ, & *Pisarum* ditione parum memor beneficio- 525
[F] rum a Patre susceptorum expulit: in *Lombardiam* deinceps transiit ab ejus Provinciæ regulis male acceptus *Papiam*, & *Cremonam* assequutus vexavit, reliquos, & multa potissimum adversus Legatum *Bertrandum* molitus, proditiones quoque Civitatum per *Ghibellinos* tentavit, præsertim *Bononiæ*, de qua postea. Tandem anno 1329. ex *Italia* abiit, neque amplius reversus est. At quæ ejus occasione in Provincia nostra turbæ natæ sunt cum aliis eventibus, nunc ordinatim asseremus.

mus. Anno ergo eodem 1327. Provinciæ Clerus cum Archiepiscopo, & Episcopis subjunctis omnibus pro stipendio solverunt *Bertrando* Legato Florenorum quattuor millia supra nongentos
Rubeus sub hoc anno 1327. triginta unum, *Cæsenati* Clero centum, & tres obtigere. *Cæsenam* autem *Auneslos* Familiam Nobilissimam *Ravennatem* concessisse videtur, nam *Joannes* Dux de *Aunestis* civis *Cæsenas* trigesima die Decembris *Guillelmo Polentano* Præfecto *Portuensi* jus suffragii suum in Rectore Templi D. *Mamæ Ravennatis* designando, tunc tantum dedit. *Aunesti* autem addicti fuerant *Traversariis*, & eorum fortunam sequuti, ac infensi *Polentanis*. In calce ejusdem anni *Bertrandus* Cardinalis prius Presbyter Tit. S. *Marcelli* fuit Episcopus *Ostiensis*, & *Velitrensis* declaratus, adeoque inter Cardinales Episcopos (sunt illi sex) locatus.
Anno.1328. Vil. lib. 10. cap. 142. sub anno 1328. Anno autem sequenti 1328. recuperavit *Faventiam* ab *Alberghettino* Legatus. Narrant eodem ferme modo *Villanius*, & *Rubeus*, anno solum differunt sub vigesimo nono reponit *Villanius*, at verius sub vigesimo octavo *Rubeus*, & cum eo *Vizanus*. Die ergo 6. Julii validum exercitum *Faventiam* Legatus duxit, erantque cum exercitu *Franciscus* Pater, & *Ricciardus* Frater *Alberghettini*, qui magno animo ad defensionem se accinxit auxiliis etiam *Polentanorum* fultus, at hostis vastato primo agro pontem etiam D. *Proculi* occupavit tandem astricta admodum Civitate, & forte populo ægreferente impietatem filii erga Patrem, qui suadebat & filio, & populo deditionem post 25. obsidionis diem honestissimis cum conditionibus Civitatem tradidit magnis præterea pollicitationibus à Legato lactatus; unde *Bono-*
526 *niam* reddita Civitate ivit a Cardinale magna cum amoris significatione exceptus, inter familiares suos positus, ac pretiosis muneribus donatus fuit. Victor interim exercitus post recuperatam *Faventiam* excursiones in *Ravennatem* agrum, & *Forolivienſem* fecit, atque *Popilienſem* multis illatis damnis ad compellendas ad deditionem Civitates. At sensere ductores majoris id esse molis quam ut sola agri populatione obtineretur. Ad *Cerviam* tamen accesserunt traditionem ejus, a quibusdam, vel *Civibus*, vel militibus corruptis sperantes: at conspiratio detecta ante adventum exercitus compressa fuit. Re itaque infecta exer-
Rubeus sub anno 1328. citus *Bononiam* revertit. Attamen terrore exercitus, & exemplo deditarum *Imolæ*, & *Faventiæ* *Nerius* Rigo *Malatesta* quondam filii *Manfredi* a *Valbona* jam diu Ecclesiæ Perduelles præstito prius obsequio Marescialllo Provinciæ, se demum *Aimerico* Comiti subjecere, in ejusque leges jurarunt. Permanebant ab imperio Pontificio aversi *Ravennates*, & *Polentani*, *Forolivienses*, & *Ordelafi*, cum *Popilienſibus*, & *Cervienſibus*, iique fædus inter se ad *Ghibellinam* Factionem sustinen-
Rubeus sub eodem Anno. dam renovarunt. Ita tum *Polentani*, qui alias literis ad Pontificem scriptis se adversarios *Ghibellinis* sunt professi ad robur autem fæderis suggesserant *Bavaro*, ut Comitem ipse *Flaminiæ* pro Imperatore mitteret, qui jus redderet, milites cogeret ut olim Imperatores ante *Rodulfum Austriacum* solebant. Æstuabat desiderio harum ditionum Imperator, ut ejusmodi suasiones fuerint calcaria, equo de se currenti. Huc ergo pro Comite *Flaminiæ* misit Comitem *Claramontium Siculum* primariæ in ea Insula nobilitatis hominem. Hic studio partium *Bavaro* addictus copiarum ejus in *Piceno* Imperator fuit, *Æsium*que expugnavit, & *Tamum* Civitatis *Tyrannum* cepit, capiteque multavit. Hunc itaque *Bavarus* Comitem Provinciæ hujus, & *Bononiæ* constituit, qui
Joan. Villan. lib. 10. cap. 124. cum aliquibus copiis venit a *Polentano*, & *Ordelafo* libentissime susceptus. Prima ejus expeditio

A fuit adversus *Cæsenæ* Portum; ad cujus defensionem *Cæsenates* Castrum erexerant, muris, & propugnaculis munitum, & præsidio imposito tueri solebant. Tum autem defensionem loci *Aimerico* Prætori, & Præfecto, vel petenti, vel ipsi 527 Rubeus sub anno 1328.
ultro commendaverant, qui tamen parvo præsidio munierat decem, vel militum, vel famulorum; si *Rubeo* credamus, immo Annalibus nostris; fisus (credo) vicinitati; sat enim erat si custodes, vel igne noctu, vel fumo interdiu hostium invasionem indicassent, statim enim Civitas parata semper auxilia misisset, at corruptos custodes Annales nostri indicant. *Et per prodigionem*, (in-
B quiunt) *& etiam quia non erant in ipso Castro ad Custodiam, nisi decem famuli, Castrum ipsum occupavit.* Invasores autem iidem Annales his verbis memorant. *Ciccus de Ordelafis Capitaneus Forlivii, cum Domino Ostasio de Polenta, cum Comite de Claramonte se dicente Comitem dictæ Provinciæ pro Bavaro una cum octingentis militibus, & octo miliariis peditum.* Exercitus ejusmodi improvisa invasione Castrum adortus cepit. Mox occupato loco Turrim, quæ erat maximum ejus structuræ propugnaculum continenti opere everterunt ripasque canalis portus palis fistucatis constantes combussere, canalemque ipsum replevere; reces-
C sereque vastato loco hostes, ut non nisi peractæ vastitatis nuntius ad Civitatem venerit: Re intellecta maxima cum animi perturbatione *Aimericus*, & Civitas *Bertrando* Legato significarunt, qui in contemptum suum, & Pontificis facinus interpretatus, vehementer excanduit, jussitque reædificari Castrum, & pecuniam in suppetias misit. *Aimericus* quoque liberali manu juvit, Populusque opere, & manufabricam ursit, canalemque excavavit, & restituit, ac majore præsidio locum firmavit. Quid postea Comes *Claramontius* fecerit vix legimus, solus *Clementinus* ex *Ubaldo Branchio* scribit eodem anno 1328. junxis-
D se arma cum *Parcitatino Parcitati* filio, post quam *Parcitatinus* ipse Suburbium *S. Genesii Arimini* incenderit, & agrum ejusdem Civitatis multa ex parte diripuerit, nec minora damna in *Meldulensi* territorio fecerit. Oportet ergo dictum Comitem pro viribus, & prout se obtulerit occasio *Ghibellinis* toto eo tempore opem tulisse, usque quo Legatus *Bertrandus* universam Provinciam non occupavit. At ea integre Cardinale occupata in *Germaniam* ad *Bavarum* abiit, unde rursus in *Italiam* profectus sub *Mastino* meruit si tamen 528
idem sit Comes *Claramontius*, & is cujus meminit *lib.* x. *cap.* 124. & is cujus meminit *lib.* xi.
E *cap.* 29. Joannes Villanius licet ambo a Rege *Siculo* desciverint, non satis gratam, & amicam Regi *Siculo* eam familiam, indicant quæ scribit Mattæus Villanius *lib.* iv. *cap.* 3. Cum ejus opera partem *Siciliæ* in manus Regis *Neapolitani* pervenisse scribit, placet verba exscribere. *In questo stante il Conte Simone di Chiaramonte capo della setta delli Italiani, il quale haveva in sua forza molte Città, e Castelli dell' Isola havendo anche lungamente tenuto trattato col Rè Luigi . . . . pervenne à suo trattato con l'opere.* Traditione scilicet multæ partis Insulæ. Sed ad nostra redeamus. Tulit hoc tempore biforme monstrum *Cæsena Fr.*
F *Michelinum* Ordinis Minorum ex rustico genere *Fuscorum* natum in villa *Ficli* agri *Cæsenatis* non procul ab Urbe. Fuit is monstrum ingenii, & scientiæ in qua vix parem habere credebatur, multa scripsit quæ cum commendatione refert Abbas *Tertemius*, unde universi Minorum ordinis præfectura summo illi consensu tradita omnium fuit, sed ejusmodi scientiæ monstrum elatum animo, ac tumens evasit monstrum impietatis, exorsus enim a controversia, quæ nasciur ex *Clement.* cxivi, &

& exiit, licet inter Catholicos agitata ab ipso tamen acrius, quam modestum Catholicum deceat tractata, præceps in hæreticum dogma cecidit non posse Pontificem, nec Ecclesiasticos Antistites quicquam proprii habere. sectator inde *Bavari*, ac ejus Pseudopontificis in *Joannem* XXII. verum Pontificem est coram eo Imperatore *Pisis* debacchatus tanquam in hæreticum, ut ansamImperatori præberet declarandi *Joannem* illegitimum Pontificem, suumque *Nicolaum V.* Pontificem verum, scripsit tum *Pisis*
VitaMichelini ad calcem libri XV. idem *Michelinus* Epistolam ad Ordinis sui universitatem kal. Julii Anno eod. 1328. At a Pontifice Anathemati subjectus, & omni honore spoliatus in *Germaniam* cum *Bavaro* profugus discessit, ibique obiit, cum Patriæ dedecore, cui magno esse poterat ornamento. Sequenti anno *Bavarus* ex *Tuscia Lombardiam* ivit, *Mediola-*
529 *ni* nequaquam a Vicecomite *Azone* receptus, sed neque *Estenses* obsequium præstitere, nequaquam illi fidentes Principi parum fido, qui *Galeatium* Vicecomitem *Mediolanensi*, & *Sylvestrum Gattium Viterbiensi*, & Filios *Castruccii Lucensi*, & *Pisano* dominatu exautoraverat homines de illo optime meritos, unde ab eo aversi, qui prius studiosi ob factionem erant in Pontificiam devotionem propendebant: cumque Legato de reconciliatione negotiationem instituerant, & *Estenses* convenere beneficiario jure *Ferrariam* a Pontifice recipientes ea conditione, ut singulis annis decem millia florenorum solverent. Hanc ob causam arbitror *Polentanos* contumaciam adversus Legatum deposuisse, quid enim facerent omni auxilio destituti & finitimorum Marchionum *Estensium* ac nulla in *Bavaro* benevolentiæ, & potentiæ fiducia, qui omnibus ferme clientelis destituebatur. *Romani* excluserant contumeliis insuper impetitum; *Pisæ*, & *Lucca* rebellaverant: Vicecomites hostes palam facti; *Aimericus* etiam Archiepiscopus non potuit non & illis saniora consilia suadere, & civibus etiam proceribus insusurrare, quanti periculi esset in diuturnis adeo censuris commorari, & vel carere omni Ecclesiæ ritu, vel non nisi majore cum piaculo retinere. At præterea in enormi virium imparitate quid aliud tandem imminere, quam expugnationem Civitatis, & rerum omnium excidium? Cum ergo *Polentani* Pontifici, & Legato & Comiti se obtemperaturos declarassent, Comes ipse penes Legatum sequester pacis, & fide ab eo impetrata *Bononiam* duxit ubi tabulæ publicæ de concordia confectæ rem totam *Rubei* ver-
sub Anno 1329. bis describo. *Eodem Anno 1329. 11. kal. Septembris Bertrandus Cardinalis Legatus, & Aimericus Archiepiscopus, & Rector Flaminiæ Tabulis publicis Bononiæ in Episcopii viridario coram Hostasio Polentano, quem appellant Militem, aliisque testibus confectis Poano Balbo, Nicolao Carnevali, Philippo Benincasa, Jacobi filio, Rainerio Pochæpennæ jurisconsultis, Guidoni Rainaldi Scribæ, Guidoni Genario civibus Ravennatibus, Avensori quoque fanti Cerviensi condonarunt, quæ commissa fuerant maleficia cædem præsertim, qua Banninus Po-*
530 *lentanus, & Guido ejus filius fuerunt occisi; impetum insidiasque contra Guidonem Polentanum equitem, ac socios in Britonoriano locatas; edictaque in eos omnia, ac quæstione judiciaque capitis deleverunt; cum enim ut ibi scribitur Provincia Flaminiæ esset opera potius aliquorum potentum, quam communi Populorum culpa plena defectionum; Ravennasque & Cerviensis Respublicæ earumque Rectores, ac Cives Ecclesiæ Romanæ minime paruissent, atque inde in omnem Provinciam manassent cædesque & domorum eversiones, ac ruinæ, tunc vero ad obsequium rediissent Bertrandus Legatus, Armericus*

A *Rector, & Franciscus Palliayolus Provinciæ quæstor, ita rem transegere, ut Ravennates, Cervienscsque dependerent libras quingentas: ipsi judicia, quæstiones, sententias in eas universitates jam latas delerent, essentque ipsæ, & earum homines honori, ac famæ restituti.* Hæc ibi, ubi etiam subjungitur misisse *Bertrandum Ravennam*, qui eam nomine Ecclesiæ regeret. Fuisse autem *Lancem Scalam Florentinum* scribit idem *Rubeus*; restabat *Forolivium* unum contumax, quod *Cicco Ordelafo* adhuc parebat. Persistebat adhuc in *Italia Bavarus* intentus in *Parmæ*, & Regii, ac *Mutinæ* a Legato defectionem, sed brevi Legatus pa-
B ctus in posterum mitius imperium, & Civibus majorem, ad regendum auctoritatem eas recuperavit. Non destitit tamen interea aliquid moliri *Bavarus* siquidem *Bononiam* rigidiore imperio premere cæperat Legatus elatus victoriis secundisque eventibus, contemptumque *Bononiensium* etiam nobilium præferebat non modicum. Duæ erant in ea Civitate factiones *Scachesia*, & *Maltraversa* vocatæ. Illius erant *Pepuli* principes, quorum *Romeus* exul cum *Gozadinis*, & multis amicis, & asseclis fuit cum omnibus aliis a Cardinali patriæ restitutus, adeoque eo beneficio devinctus, ob id *Maltraversii*, quorum opera eje-
C cti fuerant, oderant Cardinalem restitutorem, premebat præterea ejus grave supercilium, & memores auctoritatis, quam in statu populi post ejectos *Scachesios* obtinuerant ad expulsionem Legati conspiravere. Adfuere etiam pollicitationes *Bavari*, qui vel ab illis sollicitatus, vel ipse sollicitans opem suam prolixe offerebat. Erat in conspi-
ratione etiam *Alberghettinus Manfredus*, quem 531
pungebat recens memoria amissæ *Faventiæ* subindeque semper magis experiebatur non parem fuisse commutationem dominationis illius cum præsenti famulitio in speciem claro; at re ipsa evanido, & forsan infido. At conjuratio innotuit, ut plerun-
D que solent conjurationes in quibus multi nectantur; captis ergo multis alii fugerunt, capti morte multati, inter quos *Alberghettinus* in medio foro secta cervice pænas impietatis in paren-
tem, haud seras dedit. Anno 1330. principium Anno 1330.
fere dedit funestum *Malatestiorum* factum. Diximus a *Ramberto Joannis Claudi* filio captos *Ferrantinum* patrem, & *Malatestinum* filium, sed deinde liberatos facta pace, & injuriis dimissis verum *Malatestinus* servata potius injuriæ, quam
pacis memoria incautum *Rambertum*, & nihil ta- Chronicon & Rub.
le timentem a *Malatestino*, qui pristinam benevolentiam simulabat, & officiis etiam affinis re-
E præsentabat, occidendum a suis in insidia collocatis curavit. Locus autem occisionis fuit prope *Berni Podium*; ejusmodi mortem consequuta est *Ceulæ*, & *Castillionis* Castrorum eversio. Hoc anno post *Bavari* ab *Italia* recessum ejus, ac sequacium res dilapsæ sunt. Pseudoque Pontifex a *Pisanis* captus, & *Avenionem* ad Pontificem transmissus in carcere detentus, sed benigno triennio quousque vixit. Perseverabat *Forolivium* in pristina adversus Ecclesiasticum Imperium contumacia etiam si *Bavarus* jam ex *Italia* abiisset, & in *Etruria* mortuo *Castruccio Ghibellinorum* vires debiliores redditæ essent. *Forolivienses* ex-
F pectabant sane a Legato, & a Comite bellum, unde oportet pro virili se se opere, & milite muniisse, forte Comitem *Claramontium* cum suis post *Polentanorum* deditionem Legato recepere. Eo tamen anno nihil adversus movit Legatus, causaque fuit adventus in *Lombardiam Joannis Boemiæ* Regis, & *Henrici* olim *Septimi* Imperatoris Filii, qui hoc anno 1330. a *Brixiensibus* vocatus in *Italiam* venit. Occasio autem fuit, quod *Brixienses* valde premebantur ab *Azone* Viceco-
mi-

mite *Mediolani* Principe, & a *Mastino Scaligero Veronæ* Domino. Sub eo vero tempore *Joannes*
532 *Boemiæ* Rex Ducem *Carinthiæ* affinem suum quædam ob negotia convenerat, quod cum intellexissent *Brixienses* Oratoribus missis obtulerunt Civitatis dominium dum ad eos defendendos veniret: arripuit occasionem *Boemus*, cumque ea militum manu, quam tum secum duxerat, *Brixiam* venit, ejusque dominium cepit, & hostium molestias abegit: obtinuit proxime *Bergomates*, qui inter se divisi a *Colleonorum* parte prævalente ad ejus regimen traducti sunt: afflante eadem prosperitatis aura quasi e vestigio *Parmam*, *Regium*, *Mutinam*, quæ a Legato rursus desciverant, deinde etiam *Lucam* est consequutus. Occasio defectionis *Parmæ* a Legato fuit id, quod pro remedio ne deficeret ipse quæsiverat. Verebatur ne *Orlandus Rubeus* valde *Parmensibus* carus eam Civitatem ab Ecclesiastica ditione averteret, unde sub publica fide eum ad se *Bononiam* vocavit, ibique in carcerem conjecit. Infidum factum, adeo displicuit, & commiseratio adeo commovit *Parmenses*, ut a Legato deficerent. Sequutæ sunt *Regium*, & *Mutina* exemplum alienatæ jam animis ab elatione, & superbia ejus in quam a pristina humanitate secundæ eum res extulerant. Obsederat jam eas Cardinalis cum Rex *Boemus* advenit, illique ad solvendam obsidionem se dedidere Civitates, & Cardinalis ab obsidione recessit: prius ergo Civitatum rebellio, deinde Regis adventus Cardinalem a *Foroliviana* expeditione hoc anno distinuit: credebatur & Cardinalem, & Pontificem futuros Regi ob occupatas Civitates infensos, at exitus ostendit pro simultate magnam inter Legatum, & Regem consensionem intercedere: nam sequente anno cum multa amoris significatione convenere, diuturnum inter se colloquium habuere. Principes ergo *Lombardi Azo* Vicecomes, *Mastinus Scaliger*, *Gonzaghius Mantuæ* Dominus, Marchiones *Estenses*, quodque mirandum fuit *Robertus* Rex, & *Florentini Guelforum*, *Columna*, cum iisdem *Ghibellinis* Principibus adversus Regem *Boemiæ*, & Legatum fœdus contraxere: omnes enim sibi a Legato metuebant, cujus fidem fluxam agnoverant, *Guelfi* autem *Robertus* Rex, & *Florentini* ob paternam inimicitiam Regem suspectum habebant, & oderant. Marchiones
533 præsertim *Estenses* a nonnullis *Bononiensibus* admoniti fuere, ut sibi caverent: Cardinalem enim insidiari libero *Ferrariæ* dominio. Hæc scribo, quoniam hinc *Flaminiæ*, & *Cæsenæ* revolutio maxima pependit, ut non multo post intelligemus. Interim anno eodem 1331. magni terræmotus fuere mense Martii die 13. ita ut intra diem naturalem duodeviginti extiterint, postea vero usque ad exactum mensem duraverint. Legatus, qui ad totius *Flaminiæ* liberum pro Pontifice imperium aspirabat *Arimini*, & *Forolivii* occupationi inhiabat, *Ferrantinus* quidem, & *Malatestinus* dominium obtulerant, at non vere detulerant simulata scilicet deditione eum demerere conati, at non facile perspicacissimo Cardinali dare verba: astu ergo eos aggressus est dum ob dictas causas in *Lombardia* ejus copiæ distinerentur *Malatesta Pandulfi* filius in *Piceno* pro Ecclesia adversus *Ghibellinos* arma tractabat: hunc Legatus ductorem suum declaravit, eumque ut copias compararet, quasi *Bononiam* ducturus juvit; at clam convenerat, ut iis in perniciem, & expulsionem *Ferrantini*, & *Malatestini* uteretur, quod celeriter est is exequutus in fugam enim *Ferrantinum*, filium, & nepotes omnes ejecit, nec contentus *Arimino* deturbasse, obsedit Castra *Mundaini*, & *S. Joannis* in *Galilea*, & *Roncofri-*

A *gidi*, & tanta cum sævitia suos insectatus est, ut Italice *Guastafamilia*, scilicet *Perdifamiliam* vocaverint tumque Malatestam ad se vocatum Ducisque honore detentum Cardinalis specie dignitatis obsidem habuit. Interimque *Ariminum* absoluto imperio rexit, imposito præsidio, & Rectore. expulsio *Ferrantini* fuit die 3. Maji. Restabat *Forolivium* aperte contumax. dominabatur Civitati *Franciscus Ordelafus*, qui successerat *Cicco* fratri ob lapsum ex equo postquam diu in lecto jacuisset, vita functo; *Forumpompilii* etiam imperio ejus subjiciebatur, & Castrum ad *Ronchi* olim *Bedesi* pontem constru-
B ctum, & nunc absque vestigiis dirutum. Jussit *Bertrandus* obsideri *Forolivium* (postquam cum Rege *Boemo* convenerat) a *Flaminiis*, & *Bononiensibus*. Parebant tum Legato omnes aliæ Civitates Provinciæ præter obsessam. *Aimericus* vero Comes erat peculiari munere *Cæsenatis* militiæ Præfectus, ut ea cinctus ex aliis etiam Civitatibus *Ravenna*, 534
Arimino, *Faventia*, *Imola* valida manu educta *Livienses* ex altera parte, & ex altera *Bononienses* circumvallaverint die 7. Augusti. Quid in obsidione factum, quandiu illa duraverit cum silentio Anno. 1332.
involvatur; solum conjectura assequi possumus, durasse scilicet obsidionem magna saltem ex par-
C te usque ad diem 26. Mensis Martii anni sequentis, quo die *Franciscus* libere Civitatem Legato *Faventiæ*, tum commoranti reddidit tanquam impos amplius resistendi; premebatur ergo adhuc. Conjicere etiam licet in obsidione primum captum *Forum Pompilii* & expugnatum *Castrum Ronchi* cum enim reddito *Forolivio* Legatus *Francisco Forum Pompilii* assignaverit, verisimile est in manu tum dantis fuisse. Anno autem 1331. nunquam deditionem factam conspicuum est: cum solum anno sequente Martii Mense sit, ut diximus, Civitas restituta. Quo anno nonnulla in Provincia, & Civitate nostra acciderunt digna memo-
D ratu. Primum autem *Cardinalis Bertrandus Faventiam* venit ubi Concilium Provinciæ indixit universæ jam pacatæ, *Forolivio* excepto, cujus tamen deditio (ad eas erant obsessi difficultates redacti) imminebat sequutaque est. In eo conventu leges servandas ab omnibus proposuit, ac scivit: vectigalia solvenda pro militum stipendio, & pro Rectoris, & Ministrorum decenti sumptu imposuit, quod tributum præcedentibus etiam annis pro bellis gestis ad Provinciam pacandam exegerat per ministros suos magna cum severitate: rem ita narrat Rubeus. *Omnes hæ Flaminiæ Civitates, Ravenna Præsertim pro stipendio certis militibus per-*
E *solvendo Bertrandi Legati jussu tributum conferebant*, *ipseque Hostasius Polentanus certam ab Senatu Ravennate habebat pensionem in singulos Menses*, *neque vero hoc bello solum*, *sed etiam eo*, *quod initio superioris anni pro recuperandis*, *pacandisque Flaminiæ Civitatibus*, *atque ad Ravennæ quoque præsidium habendum certus militum numerus mercede conductus est*, *non sine ingenti Civium jactura*, *qui cum tardius aliquanto*, *quam jussum fuisset ob egestatem pecuniæ imperatam expedirent*, *solutionemque differrent*, *& ob id Petrus Gallutius Bononiensis*, *qui Bertrandi Legati*, *& Romanæ Ecclesiæ* 535
nomine Ravennam Rector administrabat, *eis mina-*
F *retur*, *Ravennates habito Senatu de suo quisque tantum pecuniarum in ærarium publicum mutuo datum intulerunt quantum solvendæ pensioni satis esset.* Ex his patet, & tributum Provinciæ impositum, & rigide exactum. In eo conventu *Bertrando* residente impetrata venia, affuit die 26. ejusdem mensis *Franciscus Ordelafus* impar ulteriori oppugnationi Civitatemque *Forolivii* ei libere tradidit: *Joannes Villanius* dicit sub certis conditionibus traditam, quæ observatæ ab Ecclesiasticis non fuere; at errat in tempore, dicit enim traditam an-

anno 1331. Mense Decembris, unde facile est etiam erraffe in modo, & conditionibus restitutionis, quarum nulla a nostro Chronologo, & coævo, & vicino fit mentio, a quo subjungitur concessum, esse *Ordelaso Forumpompilii* ne familia illa assueta dominio præclaræ Civitatis sine ulla jurisdictione restaret. Sequente vero Mense Aprilis die 3. *Guillelmus Trivellius* Legati Quæstor exules omnes *Cæsenates* secum in Patriam reduxit: fuere autem *Ghellus* e *Calisidio*, cum Fratre, Filiis, & Nepotibus: *Filiutius Raulis* Militis: *Manfredinus Articlinius*, *Joannes Palatius*, cum omnibus aliis ejusdem Familiæ: *Saccus Brandius*: *Falcinii* præterea, seu qui e *Falcino* dicebantur nobiles omnes, ac Civitatis Proceres, cum quibus plures alios sive *Guelfos*, sive *Ghibellinos*, quacunque de causa exclusos reduxit, cum Civium omnium consensu, & lætitia. Ita ut *Armericus* multos quidem exules ut diximus restituerit, sed Primates, & Factionum Duces tutum non duxerit, in recens coalita concordia revocare, & prudentia *Armerici* ex restitutione eminuit. Nam non diu post inveterata odia virus effudere suum. *Forolivii* quoque exautoratis *Ordelafis* Cives aliqui susceptas olim forte injurias e-

Chronicon, Rubeus, & Carrarius.

A mentito vestitu, & larvati ulti sunt occisione *Pauli Ordelafi*, *Francisci* Fratris, & *Andreæ Puntiroli* in foro ipso. Indiciis, & conjecturis incedens Civitatis pro Ecclesia Rector cepit *Petrum Capiferrum*, & ejus Patruelem *Baptistam*, qui (ut 536 par est credere) crimen confessi capite multati sunt, & omnis ex ea cæde Civitatis perturbatio quievit. Eodem anno ex *Flaminia* vere recessit, & ab ejus regimine simulque a *Ravennate* Archiepiscopatu *Aimericus* ex Castro *Lucii* transivit enim ad *Carnotensem* Ecclesiam a *Joanne* Pontifice illi loco *Ravennatis* assignatam, qui postea ipsum Cardinalem Titulo S. *Martini* in Monte creavit, B successit autem *Flaminiæ* universæ Comes, & Rector Comes *Armignacca*, & in Archiepiscopatu *Guido Baysius Regiensis* Episcopus *Tripolitanus* vir etiam nobilitate, & doctrina clarissimus. Potiebatur tota *Flaminia* ut dixi Legatus, eamque ministris a se impositis regebat. Præsidiis insuper suis omnes Civitates, & loca munitiora servabat, unde expositam suis imperiis reddiderat. Eo itaque elatior animo ad *Ferrariæ* dominatum aspirabat, quem tandiu Pontifex, & Pontificii Ministri desiderabant.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

LIBER DECIMUS TERTIUS.



537 MPERIO ergo Pontificio universa cum *Bononia Flaminia* re non inani specie parebat, & quod Populis etiam plurimum expediebat magna cum tranquillitate, sed quod interdum accidit, secunda nimis aura in malacia procellam excitavit, elatus enim ob tot victorias animo Cardinalis non contentus acquisita ditione, ad *Ferrariæ* plenum imperium aspiravit, nec satis illi erat beneficiario jure a Marchionibus detineri, & Pontifici ab eis ut supremo Principi obedientiam præstari, & vectigal impositum subinde solvi. Jam ergo ejusmodi se cupiditati permittens eam præ se tulit, vel ex occultantis animo erupit adeo, ut Marchiones intelligerent strui sibi a Legato insidias, cumque Rege *Joanne* ad sui depressionem conspirasse. Cardinalis ergo satagens propositi sui impulit *Argentanos*, ut
538 ipsi specie ulciscendi injurias primi arma moverent. Non recusarunt illi ultro facere id, quod vel inviti facere cogerentur facta ergo excursione in *Estensium* fines *Bastiam* locum ad *Consandolum* vallo, & aggere cinctum capiunt: accurrit *Nicolaus Rainaldi Estensis* Frater cum Classicula ibique conserta cum Ecclesiasticis manu captus est. Ita *Rubeus* sed alii, & verisimilius copias *Legati* ad *Argentam* non *Argentanos* dissimulante Legato bellum intulisse, & ad *Consandolum* gentem Marchionum, ibi existentem fudisse, & *Nicolaum* cum multis aliis cepisse. Utcunque res se habuerit, victoria animos *Estensium* fregit, & Legati erexit: unde inclinationem rerum sequens *Ferrariam* est cum exercitu aggressus, statimque Suburbium D. *Georgii* occupavit, utque victoriam jam spe præsumptam, certiorem faceret victori exercitui adjungit multam militiæ *Bononiensis* partem, & ex *Flaminia* plures sub exautoratis olim *Arimini*, *Ravennæ*, *Forolivii*, *Faventiæque* Principibus (sive ut *Blondus* vocat) tyrannis copiæ, atque Regis *Joannis* non paucæ accesse-

C re, a tanto exercitu obsidio *Ferrariæ* in angustiam res, ac spes Civitatis adduxerat. Et certe de Marchionum dominio actum esset nisi fæderati opem tulissent *Florentini* magno circuitu, Vicecomites, *Gonsaga*, *Scaligeri* copias validas misere, quæ multa cum celeritate *Ferrariam* se contulere adventu ferme Ecclesiasticis Ducibus improviso, & vix exigua quiete fotæ, ut prævenirent novas Regis *Boemi* copias adventantes, exercitum obsidentem invasere. Pugna acerrima fuit, & diuturna: at vicere tandem *Ferrarienses*, & Ecclesiastici victi, ac fusi, eorumque mille D mortui, & plurimi præsertim nobiliores capti Comes *Armignacca Flaminiæ* Rector, & Proceres multi *Galliæ Narbonensis*; *Bononienses* equites ferme omnes, & *Romandioli*, inter eosque *Ricardus*, & *Cichinus Manfredi*, *Franciscus Ordelafus*, *Hostasius Polentanus*, *Malatesta*, ac *Galeottus Malatestii* Fratres, olim *Pandulfi* Filii soli *Galeottus* de *Balneo*, & *Rambertus Glazoli* Comes, cum tum in ripa citeriore *Padi* spatiarentur tuta se fuga subtraxere: fuit clades die 3. Aprilis 1333. clades ejusmodi fregit vires Cardinalis, causaque fuit cur imperium tanta gloria comparatum momen- 539 to fere temporis amiserit. Vere, qui in vertice E stat propior est lapsui. *Bononienses* Cardinalis mores admodum mutatos perosi rebellassent, nisi in tempore advenisset a Legato vocatus cum duobus millibus equitum Rex *Boemus*. At quod ad Provinciæ nostræ seditionem, & commutationem facit Marchiones, ut sibi devincirent *Flaminiæ* olim Principes eos primum in mollissima custodia habitos, postea etiam liberali manu omnes dimisere, sed antea astute admodum omnes concordes inter se reddidere, *Malatestios*que ipsos *Malatestam* scilicet, & *Ferrantinum*, ac *Malatestinum*: deinde suasere, ut antiqua dominia repeterent Populis siquidem invisum esse Legati imF perium grave, & impotens. Odio præsertim esse, & Præsidia, ut plurimum *Transalpinorum*, & mores scilicet diversos, ac barbaros longe dissen-

dissentire ab *Italis*, & esse præterea præsidiorum numerum, & stipendia gravi Provinciæ oneri. Opportunum esse nunc tentamentum accisis Cardinalis viribus, & æstuantibus odio Populis: verum cur non etiam justum (dicebat *Rainaldus*) vocabimus? debemus nos, & volumus subesse Pontifici & Pontificiis Ministris, sed sub antiqua libertate Ecclesiastica, non nova tyrannide, pollicitusque suo tempore opem milite, & pecunia præstiturum, & præstitit. Fuerunt admonitiones patulis auribus ab omnibus susceptæ antiquarum ditionum cupidis, & ob earum detractionem valde dolentibus: at oportebat consilium esse omnino occultum Legato homini suspicaci, & perspicaci. Pretium itaque eorum redemptionis grave fuit, sed simulate a Marchione taxatum. Captivi a Cardinale pretium cum ejus causa militantes capti fuerint flagitarunt, at rejecit is preces. Quocirca sub fictis fidejussionibus domum, ut pecuniam coacturi abiere: ad minuendam tamen suspicionem non omnes, sed *Hostasius* ad Cardinalem revertit, ibique interim mansit. *Cæsenæ* tum erat Rector pro Legato *Bertrando Rodulfus Grassonus Mutinensis*, eratque maleficiorum in Provincia Judex *Marinus Eugubinus*, apud hunc *Petrus Ausendus* Archiepiscopi *Ravennatis*, & Ca-
540 strorum obsequentium Procurator detulit *Cæsenates* adversusque eos judicium intentavit, quod tributum imposuissent incolis *Riversani*, *Castellioni*, *Castri Montis Cavalli*, *Lestagnani*, *Castri Borii Ronchi*, eosque edictis acrioribus premerent: asserebatur id contra jus, falsque a *Cæsenatibus* fieri, eo quod illa Oppida ad *Ravennatem* Archiepiscopum spectarent, quocirca petebat edicta abrogari alioquin ad Pontificem se appellare. quid sit de petitione *Ausendi* statutum a judice non adhuc vidi, sed perseverasse in Castrorum dominatu *Cæsenates* ea, quæ sequuntur demonstrant. *Malatestii* fuerunt qui aperte a Legato, & Pontifice desciscerent, *Malatesta* quidem, & *Galeottus* reversi, & *Ferrantinus*, ac *Malatestinus* juncti primum agri *Ariminensis* Oppida omnia biduo recepere sponte se dedentia, *Mondainum* solum restitit paucis diebus, at deinde cessit præsidiumque Legati captum, & dimissum incolumibus personis, at rebus direptis. Inde ad *Arimini* obsidionem perrexere. Obsederunt autem exercitu ex suis, ex *Picentibus*, ex *Aretinis*, & ex *Ferrariensibus* coacto: arcta fuit obsidio, quæ omnem in-
Anno 1333. gressum, & egressum prohibebat, & a die 17. Augusti ad 22. Septembris perduravit, quo die demum sunt cum militibus Civitatem ingressi. noctu *Ferrantinus* per fenestras domus *Faitanorum* ad mænia pertingentes cum paucis Militibus (jam scilicet cum *Faitanis* clam convenerat) ingressus vicinam S. *Andreæ* Portam reseravit, & aditum cæteris aperuit militibus. Occurrit tamen præsidium Legati ad Civitatis custodiam positum, & diuturna fuit pugna, acerrime enim pugnavit externus miles: at milites *Ariminenses* immo, & *Flaminii* ad eandem custodiam rescripti cum *Malatestiis* se conjunxere, quocirca victi, & fugati præsidiarii fuere multique capti; qui omnes dimissi, sed rebus ablatis: captivi tamen retenti sunt, *Ramorettus Ansoccus* e *Villa Bononiæ* Archidiaconus, & Archipresbyter S. *Joannis* in *Persiceto*, cum nonnullis aliis Proceribus circiter duodecim. Eodem ferme tempore *Franciscus Ordelafus* die duodecima Mensis Septembris cum noctu introivisset *Forolivium* convenissetque amicos, quibus maxime fidebat, elata voce orto
541 Sole hora circiter tertia tumultum cum suis excitavit, qui vivant, vivant *Ordelafi* proclamabant. Populus jam *Cadurcis*, & *Narbonensibus* infestus clamorem libenti animo sequutus arma sumpsit,

A & Milites, ac Ministros Cardinalis ejecit, solum *Guillelmum Truellum* Provinciæ Quæstorem detinuit, cæteri *Faventiam* se contulere ex fuga, eodemque momento edicta & leges, & instituta judicia omnia lacerata sunt. Consequuta est una *Popilii* recuperatio hoc *Francisci Ordelafi* factum. Chronicon nostrum sub anno 1334. die eodem 12. Septembris reponit, sed errore (ut ego interpretor) Librarii, quem errorem sequutus est *Carrarius*, nam Cardinalis Septembri anno 1334. recesserat ex *Italia*, at *Cæsena* ab eo defecit adhuc in *Italia* persistente, & præcesserat rebellionem *Cæsenæ*, occupatio *Forolivii*; cum *Ordela-*
B *fum Forolivii* jam Dominum elegerint *Cæsenates* Civitatis Præfectum. Omnia sane hæc anno 1333. acciderunt, quo pariter *Cæsena* defecit, licet ejus cervici Arx munitissima immineret, & gens suopte nutu partium Ecclesiasticarum studiosa esset. Origo, & progressus est latius aliquanto exponendus. *Ghellus Calisidius*, qui cum *Rainaldo Cinthio Cæsenæ* præfuerat post reditum in Patriam suam reversis etiam *Ghibellinis*, *Articlinis*, *Mazolinis*, *Otardis Augusellis*, & aliis nonnullis, neque is tolerare alios pares, neque hi tolerare ipsum priorem volebant: refricatisque ex mutuo aspectu eoque contracto pristinis odiis, neque auden-
C tes aperta vi se ob magnam Pontificiorum Ministrorum, & præsertim Legati potestatem insectari, delationibus ad Legatum mutuis uti cæpere. At patentiores nacti Cardinalis aures *Ghellus*, & *Guelfi*: nocebat enim adversariis *Ghibellinorum* nomen, tunc præsertim, cum ex *Longobardo* fædere magnum ea factio invisa Pontificiis sumpserit incrementum. quocirca Primores *Ghibellinos Bononiam* vocavit, eosque ibi, ut relegatos sistitit: videtur etiam Cardinalis inter familiares, ac custodes suos habuisse Sabbatitii *Calesidii* filium, quem intelligemus pro Cardinale adversus *Cæsenam* brevi tulisse arma. *Ghellus* ergo æmulis a-
D mandatis cum audisset ab *Ordelafo Ghibellinorum* coripheo antiquam ditionem, & finitimam recu- 542
peratam; statuit ipse excursione facta occupare Civitatem. verisimile autem mihi videtur Ministros Pontificios post *Ordelafi* factum *Ghibellinis* diffidentes favisse potius motioni, quam repugnasse; idque suadet, quod cum *Calesidii* victi fuerunt ipsi omnes reliquerunt Civitatem in Castroque se inclusere. Sed placet antiquum factum illudque magni momenti verbis antiqui Chronici rudibus licet enarrare. habet rubrica narratioque

De Rebellione Cæsenæ.

Doleat Cæsena infelix tantorum damnorum his
E *perplexa diebus dum suorum Civium nullo exule, vel extrinseco præsentia fruebatur Agnos, & Lupos quemlibet pro jure depascens regente Domino Bertrando Cardinali Legato nata est discordia inter eos, qui pro ipso terram gerebant eandem perinde fit quod D. Legatus Filiutium de Mazolinis, Manardinum de Articlinis, Bastardinum de Augusellis, & Muzolum Lisardi quorundam instigatione commotus secum Bononiæ relegatos tenebat. Tunc Dominus Ghellus de Calesidio cum Filiis suis, amicisque de Talamello, & Strata die 21. Mensis Septembris (jam Franciscus Ordelafus Forolivium occupaverat, at Arimino Malatestii imminebant) facto jam sero levato rumo-*
F *re viva viva la Glesia totam quasi terram cucurrit nullum obstaculum putans habere dum præfati Relegati Bononiæ tenebantur, sed Joannes quondam Masii de Augusellis, Marcolinus de Ottardis cum omnibus de Ecclesia nova, sed ultra pontem Joannes Bastardus dicti Filiutii, Palmerinus filius dicti Muzoli, cum eorum multis amicis se opponentes ut etiam viva la Glesia clamantes ipsos extra Civitatem expulerunt. Die namque sequenti Dominus Rodulfus Grassonus de Mutina, qui pro ipso Domino Legato* loco

loco Potestatis sedebat, recessit; Marescalcus, & Dominus Petrus de Condia, & alii Officiales dicti Domini Legati volontarie, ac sine alicujus impulsu Palatium, & Episcopatum dimiserunt, & die proxima sequenti se recluserunt in castro mirabili, & turribus ac muris fortissimo, quod Castrum fecerat Dominus Aimericus.

Huc usque *Cæsenates* in Principem non peccaverant, sed in ipsos; ut esset illud crimen factio-
543 sum, non rebellionis, at sequùta sunt rebellionis facta, quæ idem Chronologus sic describit. *Cæsenates sine Rectoribus se videntes Rambertum de Malatestis Comitem de Glazolo in Potestatem, & Franciscum de Ordelaphis in Capitaneum induxerunt, & tunc Castra Roversani præter Rochettam, Salianum, Soriuclæ, Deolaguardiæ, & Rudegliani Communi Cæsenæ obedierunt, & cum eo sunt unius volontatis effecta. Porro Cæsenates iidem de dicto Castro Cæsenæ timentes in quo reducti erant* 180. *personæ, & ultra illud cum tribus manganis, cum gattis, & Castris ligneis, & miraculosis cavis artificiose factis nixi sunt expugnare.* Defectio jam plena, & absoluta fuit, patet vero ex his *Ghibellinos* habenas sibi vindicasse Civitatis, nam utrumque Rectorem *Ghibellinum* elegerunt *Ubertus* siquidem *Ramberti* Pater ad extremum *Ghibellinus* fuit; *Ordelafi* vero eam Factionem impressam animis ab alvo materna ferebant. Et in quodam alio manuscripto legimus *Guelfos* tum *Faventiam* fugisse, nec sine probabilitate: nam *Faventia* erat adhuc Legato devota, & *Manfredi* qui in ea tum Principes, licet non Dominos gerebant *Guelfi* erant, conjicere etiam licet securitatem vincendi obfuisse *Ghello*, & asseclis; minore enim apparatu rem est aggressus, quam oportebat, ut inopina resistentia perculsus facile cesserit. Legatus defectione Civitatis Ecclesiasticarum partium jamdiu tenacis vehementer indoluit, decrevitque auxilium mittere in Castro obsessis, qui illud petebant, & commeatus angustiam significabant ut nisi annona submitteretur non possent diu obsidionem ferre, quod si quæ ad victum spectant inferantur frustra Cives pro Castri firmitate in ejus obsidione moraturos. Cardinalis ergo exercitum misit duorum millium equitum, & sex millium peditum tanti faciebat *Cæsenæ* amissionem, qui neque *Arimino*, neque *Forolivio* suppetias ullas miserat ne caperentur. Dux generalis copiarum fuit *Gherardus* a *Castro* novo *Tolosanus* cum eoque fuit *Franciscus Calbulus Sassinas* Episcopus, & cæteri *Calbuli*. Comes præterea *Galeottus* de *Balneo*, Filii *Sabbatitii Calesidii* (de quibus dixi:) Dux ergo cum prima ejus cura esset in Arcem obsessam, & militem in supplementum, & com-
544 meatum mittere nisi ipse per Arcem posset Civitatem invadere, & debellare. Quid horum facere posset exploravit, at Cives vallo, & fossa tum extra sepserant tum a Civitate sejunxerant, ut vel Dux ex inspectione penetrare in arcem, aut quicquam in eam importare desperaret; cum etiam tentavit manu, & armis admotis vallo copiis; tamen licet fortiter pugnans a fortius repugnantibus fuerit repulsus, decrevit vastare agrum, & agri Castra occupare, & evertere si forte Cives damnis commoti pacem quærant defectionis venia impetrata; aut irritati damnis populationis, & devastationis in campos egressi pugnæ libere copiam faciant. *Formignanum*, & *Polentam* aggressi expugnarunt, quocirca territa Castra *Tiselli*, *Lugarariæ*, *Reblancanæ*, *Laugenæ*, *Borii*, *Montis Vecli*, *Scanelii*, *Diolaguardæ*, & *Casalecchi* sponte se dedere, inde hostes universum agrum præsertim vallem S. *Victoris* generosi vini feracem diripuere: nedum, sed excidere. Omnia tamen damna toleravere Cives potius, quam pugnæ aleam subire: consilio autem *Francisci Ordelafi* præfecti id ita factum esse oportet, ejus enim officii erat præsertim cura armorum, & consultatio. Præstabat sane potius agrum vexari, quæ reparari poterant, quam Civitatem exponere iræ Legati, & excidio præsertim *Ghibellinorum*, qui tum dominabantur si pugnæ exitus sinister fuisset: at utile prorsus erat *Ordelafo* damnis *Cæsenatium* redimere *Forolivium*, & loca subjecta demumque imperium suum ab omni periculo. Dum enim Civitas *Cæsenæ* rebellis persistebat Legatus ea dimissa *Forolivium* non tentasset. *Gherardus* ergo cum neque restaret, quod vastaret amplius; neque spes ulla subesset, aut obsessis auxilium, aut commeatum præstare, & hyems ingrueret postquam triginta dies, & amplius in iis Castris, & territorio commoratus fuit, tandem re infecta *Bononiam* reversus est: post cujus discessum destituti obsessi omni alimento die tandem quarta Januarii anni sequentis 1334. Castrum *Cæsenatibus* Carrar.
sub quibusdam conventionibus reddidere, quæ fuerint pacta non video perscripta. Certe incolumitatem personarum, & asportationem rerum suarum passos esse credere oportet. Fortes enim 545
viros fuisse acerrimosque defensores Chronicon fatetur cujus verba refero. *Præfati reclusi cibo, & potu carentes die* 4. *Januarii subsequentis Castrum Communi, & Populo Cæsenæ sub certis pactionibus reddiderunt usque ad dictam diem valenter, & sagaciter se tuentes, & cum duobus Manganis, quæ intus habebant, & fundibiliter domos multas à Palatio supra, & Garampam contratas Castri, & Pedrioli derochantes, & damna plurima facientes.* Hæc ibi. Cum ergo *Bertrandus* videret *Ariminum*, *Cæsenam*, *Forum Pompilii*, ac *Forolivium* defecisse judicavit opera *Hostasii*, & *Ramberti Polentanorum*, quos fidos arbitrabatur, secumque adhuc habebat, posse, & *Ravennam*, ac *Cerviam* a simili defectione tueri, & adversus rebelles debellare: primo itaque eos inter se conciliavit, nam *Rambertus* erat *Guidonis Novelli* filius, quem *Ravennate* dominatu extruserat *Hostasius*. Eos itaque pacificatos dimisit *Ravennam*, ut ibi, & auctoritate, & clientelis suis usi, & copiis Pontificiis imperantes adversus rebelles pugnarent, eam dicens esse ipsorum fidem, & virtutem, ut in iis sita esset spes sua & Pontificis ulciscendi impietatem, & infidelitatem pestiferorum perduellium. At jaciebat verba ad surdas aures: eandem ipsi rebellionem excubabant, præsertim *Hostasius*, animo; prolixa tamen promissione confirmato Legato profectionem suam ab eo, nedum animati, sed ut credere par est adjuti adornaverunt. At *Ravennam*, & *Cerviam* profecti statim ut eas attigere, clientelis ad pristinam dominationem recuperandam usi Ministros Pontificios, ac Legati omnes expulere, Civesque potius libentes, quam coactos ad antiquam subjectionem revocavere, & quoniam *Ricoli Cervienses* olim *Polentanis*, & tum repugnaverant, eos ex ea Civitate ejecere. Repugnarunt inquam *Ricoli*, & aliquandiu ipsi, & asseclæ Turrim, ac Arcem defenderunt, quam demum reddidere pacti incolumitatem, qua concessa exulatum abiere. Recuperata antiqua ditione a *Polentanis*, statim Legatus eos Ecclesiasticis censuris subjecit Civitatem utramque interdicto: *Rambertus* ergo vel deterritus anathemate, vel timens si ab infido Patruo ipso non petita venia recessit, nec iteratis licet oratoribus, ac precibus, & pollicitationibus ingentibus rediit, & 546
sane *Hostasii* mores justam dedit juveni suspicionis causam. *Britonorium* restabat in fide, quod tamen casu potius ex privatis simultatibus, quam publica electione descivit: inter se enim digladiari cœperunt, tanta ferocitate partes, ut Ministri,

stri, ac Familiares Legati quicunque in Oppido erant territi in arcem munitissimam confugerint, in eaque se ad defensionem paravere. Destitutus Rectore populus *Hostasium Polentanum* in Prætorem, & Dominum ad tempus scilicet elegere. præsto fuit vocantibus *Hostasius*, & statim cum populo aggressus est obsidere, & oppugnare arcem; admovit autem machinas tum Cattos vocatas, castella lignea, & alia instrumenta, quæ ad expugnationem munitorum locorum tunc temporis adhibebantur, sed adeo erat id castrum, & situ, & opere munitum, & firmum ut omnis conatus frustra cesserit, & oppugnatio in irritum diu cessisset, nisi obsessi inter se discordes facti illud tradidissent *Bartolatio Mainardo*, & *Andreæ Bulgario*, a quibus postea repetebat eandem *Hostasius Arcem*, eamque occupare tentavit: at restiterunt *Bartolatius*, & *Andreas*, & factis, & verbis, verba contumeliosa reddiderunt, ut enim Chronicon dicit plura inter eos contumeliosa verba fuere. Facile autem *Andreas*, & *Bartolatius* conatum *Hostasii* tyrannicum appellabant, non enim Prætoris erat custodire, & detinere arcem, sed populus imponebat custodem, aut Senatus liberis suffragiis. Indignatus autem *Hostasius*, nec arctata jurisdictione contentus decessit, adeo ut *Britonorii* regimen *Andreæ*, & *Bartolatio* remanserit. Sed ad *Cæsenatia* facta redeo, dum obsidebant *Cæsenates* Castrum *Cæsenæ* die 22. Decembris antequam scil. dederetur per *Rambertinum*, e *Subrivolo*, & homines *Deolaguardiæ*, & *Rudiliani* cum manu etiam suorum expugnarunt *Casalechum* Castrum, tum rebelle civitati illudque postquam deprædati sunt, combussere. Mense postea Januarii indictus fuit conventus *Piscariæ*, territorii *Brixiensis Oppidi* omnium confœderato-
547 rum adversus *Bertrandum* Legatum. convenere autem ut confœderati *Azo* Vicecomes *Mediolani* Dominus, *Albertus*, & *Mastinus Scaligeri* Domini *Veronæ*, *Vincentiæ*, *Paduæ*, & *Mantuæ*, *Rainaldus* Marchio *Estensis*, *Malatesta Malestius* nomine totius Familiæ, & præterea Civitatum *Arimini Pisaurique Bitinius* de *Petra Mala* nomine *Aretii*, & *Burgi S. Sepulchri*, & *Cortonæ Rambertus* Comes *Glazoli Cæsenæ* Prætor, *Franciscus Ordelaphus Cæsenæ*, *Foropompilii*, & *Forolivii* Præfectus; Oratores item *Florentini*, & Oratores *Guidonis* e *Carignano* nomine *Fanestrium*. At aderat etiam Nuntius Pontificius Archiepiscopus *Eburonensis*, ut investigaret, quamobrem dissiderent confæderati à Cardinale Legato, referretque deinde Pontifici dissidii causas, is autem postea tum a conventu petiit, ut fædus dissolverent, *Argentæ* obsidionem relinquerent, & Comitem *Armignaccam*, cum cæteris captivis gratis liberarent. Responsum fuit Fæderatorum, si *Parma* ab Ecclesiasticis libera relinqueretur, si *Ferraria* Marchionibus relinqueretur, cum solito vectigali, & *Argenta* cum parvo se postea cum Legato conventuros. Archiepiscopus tempus ad respondendum sumpsit, & *Bononiam* ad Cardinalem *Bertrandum* abiit. Continuatio belli suadet nullum pacificum responsum emanatum. Interim ergo Concilii summa fuit Fæderatos sibi mutuam opem ferre, & militum, & pecuniæ pro taxata proportione virium. Tum autem auxilium ferendum *Estensibus* ad expugnandam *Argentam* cujus jam obsidio instituta erat, & admodum adstricta. *Cæsenates* non defuere obligationi suæ unde Prætor *Rambertus*, & Præfectus *Ordelafus* a conventu rectà ad obsidionem ivere cum portione militum *Cæsenæ* obtingente, quorum Primores fuerunt *Bisutius* de *Pavirano*, *Georgius Tibertus*, *Mainardinus Articlinus*, *Pirinus* de *Pocaterris*, *Palmerinus Lisardus*; ubi dum in exercitu manebant *Cæsenæ*

Joan. Villan. lib. 11. c. 6.

A fama increbuit forte astu *Ordelaphi* excitata etiam si absentis *Rambertum* prætorem, & *Mainardinum Articlinum* convenisse cum Cardinale Legato se *Cæsenam* illi tradituros, unde a Senatu disquisitione arctiori congregationi, & selectæ de- 548
mandata ibi die decima Februarii fuit *Ramberto* Prætura abrogata, & omnis ejus Familia amandata ex Civitate soli *Ninus* de *Perteseda* socius Prætoris, & *Christophorus* S. *Laurentii* Monachus retenti sunt, in carcereque positi in quo diu mansere. Nunciis ad exercitum circa *Argentam* perlatis, & *Rambertus*, & *Ordelaphus*, una cum quattuor dictis *Cæsenatibus* recessere versus *Cæsenam*
B profecti, a *Forolivio Rambertus* ad sua Castra abiit, in qua Civitate *Mainardinus* permansit, ab eadem congregatione illuc relegatus, at *Franciscus* Præfectus *Cæsenam*. *Triumphando* (utor verbis Chronici) *rediit altera namque die scilicet* 18. *Februarii fuit in Potestatem, & Capitaneum Cæsenæ pro uno Anno electus, & eadem die sequente officia suscepit.* Hæc ibi, unde conjicimus conspirasse ad disseminandam famam *Ramberto* adversam *Ordelafum*, qui sibi jam proposuerat eam animo tyrannidem, quam postea est assequutus opportunitatem vero cognovit vir sagax, cum tunc omnino præpolleret *Ghibellina* pars, quæ diu sub *Ferrantino*, & sub duumviratu
C *Ghelli*, & *Rainaldi* agitata, & sub *Bertrando* Legato suspecta contendebat suum fulcire statum, & constitutione Reipublicæ, & electione in Prætorem, ac Præfectum certi factionis fautoris. Ejusmodi erat *Ordelaphus*; non eadem autem fides *Ramberto*, qui pro Familia *Guelfus* erat, & Pater etiam nutaverat mutando Partes. Erant interea duæ Civitatis Portæ eversæ altera *Leonis*, altera Porta Franca vocata, & cum jure sibi a Legato timerent Civitas, & *Ordelaphus* eas Portas primo loco instauraverunt, in obsidione scilicet diutina Castri ab obsessis (arbitror) inter alias ruinas machinis factas, veluti diximus illas etiam dirutas,
D nec inconsulto ut copiis adjutricibus planior redderetur aditus ad invadendam Civitatem: die decima octava ejusdem Mensis Februarii Portarum instauratio cæpta fuit. Cum vero adhuc Legati Milites Arcem *Reversani* obtinerent, Castrum vero a *Cæsenatibus* occuparetur, judicavit Civitas non sine aliquo periculo adeo vicinum præsidium inimicum tolerari, unde tentavit per *Guillelmum Episcopellum* militum, & armorum ibi pro Civi- 549
tate Rectorem, & corrupit pecunia data defensores aliquos Arcis, qui eam tradidere kal. Martii. Nonis vero ejusdem Mensis *Argentæ* Oppidum dedidit se pacta incolumitate personarum, & re-
E rum Marchionibus *Estensibus Rainaldo*, & *Nicolao*. Obsidio duravit Mensibus sex, cum dimidio. Exercitus vero Marchionum nedum ex *Ferrariensibus* erat, sed ex copiis, & auxiliis præterea Vicecomitum *Mediolani*, *Scaligerorum Veronæ*, *Ravennatum*, *Forolivienfium*, *Britonoriensium*, *Cæsenatium*, *Cerviensium*, *Ariminensium*, *Aretinorum*, & omnium fæderatorum ita ut constet dum *Cæsena* Castrum obsidebat, ac Castella Territorii recuperabat, Exercituique Legati resistebat, semper ex formula fæderis milites in obsidione *Argentæ* habuisse. Ea vero fuit exercitus, & valli firmitas, ut frustra Legatus commeatum, & mi-
F litem in subsidium in *Argentam* mittere tentaverit, quocirca defensores omni annona destituti se dedidere. Nostri ergo Milites, ut victoriæ participes revertere in Civitatem, in quam etiam *Mainardinus* fuit ab exilio revocatus die decima quarta Mensis Martii. Credo autem navasse revocationi operam *Ordelaphum*, cur enim non faverit primario *Ghibellino*, quem eo beneficio sib peculiari nomine devinciebat? argumentumque conjecturæ præbet id quod in Chronico legimus

Chronicon, Rubeus, & Carrarius.

V 3 refero

refero verba. *Sub dicto millesimo die decima quarta Mensis Martii de Forolivio à relegatione rediit Mainardinus, & tunc Franciscus de Ordelaphis secum duxit Dominamciam filiam Vanni de Susinana suam Uxorem, quam fecit in Castro deinceps habitare metens ubi parentes ejus minime seminaverunt.* Hæc Chronologus coævus in cujus verbis particula, ex tunc, monstrat ex reditu ipso *Mainardini* sumptam vel occasionem, vel fiduciam a *Francisco* Uxorem in Arce collocandi, quasi scilicet devincto sibi cum aliis *Ghibellinis* eo primario *Ghibellino* auferit illud tyrannidis primordium occupare, nam ut jam monui custodia Arcis erat cura Senatus, & Comitiorum non Prætoris, neque Præfecti. Verisimile tamen est assensisse Factionis Proceres, adeoque & Civitatis, quibus
550 facile suasit ad partis securitatem id omnino expedire si firmissimum illud Castrum custodiæ fidi, & fortis amici non vero instabilis Populi commendetur. Esse in *Italia* Legatum *Faventiam* adhuc, & *Imolam* cum subjectis Castris, iisque multis retinere; recuperatæ libertati, atque suorum expulsioni immo expulsoribus infensum; inexhaustas esse Ecclesiæ vires, ut facile sit exercitus semper magnos reparare, ut necesse sit iteratos ejus conatus timere, & præcavere; multos esse exules ex hac Civitate Proceres; in Civitate multos restare eorum asseclas licet tacitos, neque enim posse universam unquam Factionem ex Civitate expelli, ut si fortuna paululum Legato, quæ est incertitudo bellorum arriserit, facile populum nullo fræno coërcitum mutare posse sententiam, at dum Arcis occupatæ ceu fræno cohibeatur tota præterea *Ghibellina* factione reluctante, in præsenti statu sensuque permanebit: sive ergo suaserit ejusmodi rationibus primariis tum Civibus, ac Magistratibus, qui in Procerum *Ghibellinorum* manu erant; Sive auctoritate sua mussantium consensum expresserit, Arcem munitissimam occupavit, illique fidos omnino, & sibi obnoxios custodes imposuit, & uxorem fortem, & magnanimam supra muliebrem conditionem fæminam, & potius Heroinam Rectricem, & Dominam collocavit. Interea Legati prior potentia, & existimatio tota evanuit: post cladem ejus, & *Argentæ* amissionem, qui eum timebant, spernere cæperunt. *Bononienses* præsertim, qui eum jam impense oderant, quem Civitatis sensum cum ex amicis intellexerit *Rainaldus Estensis* dedita opera in agrum *Bononiensem* irrupit; si forte Legatus ad repellendam populationem milites suos miserit, tumque occasionem præstiterit Populo defectionis, quod si indefensum reliquisset agrum, facile tum erat Populum ob damna exarsurum, & adversus Cardinalem ex repræsentatione, tam aperta timoris contemptionem conceptorum. Accidit, quod conjecerat *Rainaldus*: emisit enim militem suum ad reprimendam, & ulciscendam direptionem. *Bertrandus*, ut ipse sine custodia permanserit, jusserat autem duas Civitatis tribus armari, &
551 ipsas quoque contra hostem incedere, quæ cum gravate irent, & tamen armatæ essent, tum *Bradolisius Gozadinus*, & *Colatius Beccadellus*, evaginatis ensibus inclamando libertatem Populo, & mortem Cardinali, ac ejus genti incitarunt Populum per se pronum contra familiares Legati, & Legatum ipsum, qui jandiu Castrum munitissimum, ad *Galeriæ* Portam cui vix in *Italia* par, ædificaverat. Locus adeo munitus defendit a Populari furore Cardinalis vitam. Fuit autem seditio die 17. Martii. Obsidione Legati vulgata *Ricciardus Manfredus* eousque Legato obsequens Civitatis Arces, & munimenta omnia *Faventiæ*, & *Imolæ* sumpsit absque ulla vi, ulliusve offen-

Joan. Villan. lib. 11. c. 6.

A sione, & tanta cum lenitate, & adversus Ministros Legati modestia, ut Cardinalis factum *Ricciardi* non ægre tulerit, prætendebat enim *Manfredus* id a se factum ne forte contemptis ministris Populus, vel a *Polentanis*, vel ab *Ordelafis* seductus per occultos internuntios in seditionem erumperet, & *Ghibellinis* revocatis tota Civitas ab Ecclesiasticis partibus alienaretur: sub suo autem regimine semper Legato, & Pontifici obsequuturam, quam etiam pollicitationem bona ex parte opere ipso præstitit. Obsessio Cardinalis a Populo dies tresdecim perstitit, 5. enim kal. Aprilis demum discessit, renunciata Populo Arce, &
B Civitatis administratione. Comitati sunt discedentem equites 250. *Florentini* ductu *Tomasii Corsini* ab ipsomet Cardinali ad sui discessus securitatem acciti, *Ricciardus* etiam *Manfredus* cum pauculis equitibus se comitatui adjunxit: prosequutus est quoque honoris gratia Legatum *Joannes Andreas* celeberrimus Jurisconsultus. Exivit non per Civitatem, sed ex ostiolo Castri extra Civitatem tendentis, vix vero cinctus ala *Florentinorum* equitum vim evasit Populi ipsum contumeliis, & minis insectantis. *Florentiam* tamen incolumis evasit, & inde *Avenionem* recessit. Reliquit vero Vicarium suum totius Pro-
C vinciæ, Episcopum *Imolensem*, & *Joannem Tavellium* Quæstorem. Sedes autem generalis Curiæ fuit *Faventiæ*, licet enim *Ricciardus* re ipsa Dominus esset; attamen à Vicario, & Quæstore causæ communes Provinciæ expediebantur eas 552
scilicet implorantium, & contra contumaces, & delinquentes instituebantur judicia, & pro delicto damnabantur, licet non esset facultas puniendi damnatos: interdum vero excommunicationibus subjiciebant, & Civitates, ac universitates interdicto; neque Civitates rebelles denegabant honorem Rectori, & obedientiam verbis, & inanibus demonstrationibus, at exercitationem ju-
D risdictionis re ipsa non permittebant, nisi in levioribus, & in illis, quæ Reipublicæ statum non attingebant. Post *Albericum* Provinciæ Comitem factus fuit, ejusdem Comes *Armericus* vulgo *Armignacca* Rector, quo capto ab *Estensibus* Legatus *Bertrandus* ipsemet eam regebat per communem Quæstorem, & per peculiares singularum Civitatum Rectores usque ad ejus ex Provincia, & *Italia* discessionem. Audita depressione Legati *Franciscus Calbolus* Episcopus *Sassinas*, qui pro eo adversus *Cæsenam* militaverat, una cum *Gherardo Tolosano* Imperatore exercitus, cum Castra plura *Cæsenatis* ditionis fuerant occupata, ju-
E dicavit prudenterque recuperandam esse Civitatis, & *Francisci* Præfecti amicitiam, vel conficiendam pacem restitutione occupatorum Castrorum, quæ ille Cardinalis nomine obtinebat. pronum igitur hominem ad obtinendam pacem facile adduxit ad omnia restituenda *Gelinus* de *Laugena* forte arte quadam ab Episcopo dissimulando excitatus, ut honestius traditæ fidei suæ administrationi renunciaret. Restituit ergo Civitati *Borium*, *Reblancam*, *Montem Cavallum*, *Lugarariam*, *Tesellum*, & *Montem Saracenum*: redintegrataque inter Episcopum, & Civitatem pristina amicitia, & pax, & restitutio die 29. Martii facta est;
F præcesserat ejusmodi Castrorum à *Cæsenatibus* recuperationem; eodem tamen mense die 21. occupatio *Forisempronii* a *Malatestiis*, *Malatesta* scilicet, & *Galeotto Pandulfi*, & *Ferrantino*, ab Ecclesiæ dominio subtrahentes, & a Rectore *Piceni* pro Pontifice, qui Marchio vocabatur, ut Rector *Flaminiæ* Comes. Nec minor fuit adversus Pontificem *Francisci Ordelafi* audacia. Erat *Castrocarium* adhuc sub Ecclesiæ imperio, cui pro Pontifice *Fulcerius Calbulus* præerat adortus est 553
cum

Chronicon.

Joan. Villan. loco citato.

Chronicon.

cum *Forolivienſibus*, & *Caſtrocarii* exulibus *Fran-*
ciſcus, at infelici exitu, nam triginta capti exu-
lum fuere, & triginta in pugna cecidere, qui
mortui, & forte inhumati in campo remanſere
die 21. Martii aggreſſio, & repulſio *Ordelafi* fuit;
Cæſenæ inter Cives locum etiam obtinebant Co-
mites *Petracutulæ*; quorum *Scaruglinus* primum
carus, poſtea ſuſpectus uxori *Ordelafi Ciæ* dictæ:
fuit ab ea *Cæſenæ* capite multatus, hic cum *Ric-*
Chronicon. Gui. de Mol. *ciardo* e *Balneo* Comite adverſus *Leucinum Valbo-*
nenſem, multorum Caſtrorum ditione pollentem
arma moverunt, *Leucinus* olim *Scaruglini* Patrem
occiderat ad cujus mortem ulciſcendam is evoca-
tis præterea amicis *Forolivienſibus*, & *Cæſenati-*
bus multis Caſtra plura *Leucini* occupavit, ſcili-
cet *Montis Ricoli*, *Ruciſalti*, *Rivipetroſi*, *Caſtrum Poc-*
ci, *Laſtræ*, & *Rondenariæ*, in quo Caſtro etiam *Leu-*
cinum cepit, eumque capite amputato in ultionem
Patris occidit: poſt recuperatas ditiones priſti-
nas *Flaminiæ* reguli tantos ſpiritus ſumpſerant,
ut delictum priorum uſurpationum, novis uſur-
pationibus, vel conatibus cumularent. Vidimus
Fori Sempronii per *Malateſtios* occupationem, vi-
dimus conatum *Franciſci Ordelafi* adverſus *Caſtro-*
carium, ſed *Polentani* non continentiores fuerunt.
Lugum enim Archiepiſcopatus Oppidum *Hoſta-*
ſius Polentanus die 21. Aprilis cepit. Duobus au-
tem antea diebus *Luna* defecit cum mora duarum
horarum miteſcentibus autem tenebris ſanguinei
coloris evaſit, præceſſit eclipſis mediam noctem.
Malateſta Pandulfi filius tertium excitavit *Malate-*
ſtiorum inter ſe diſſidium, homo enim impatiens in
imperio conſortis *Ferrantinum* rurſus extrudere
ſtatuit, vel etiam cum Fratre, & Filii, ac Ne-
potibus occidere. *Hoſtaſio Polentano* conſilium
communicavit, cujus etiam voluit eſſe exequu-
tionis particeps, accitus ergo *Ariminum* clam in-
greſſus eſt, ex qua Civitate ſeceſſerat, ſed non
procul *Malateſta* die tertia Junii, at quouſque
& quo obtentu non legi, inde tamen ubicunque
is fuerit evocavit *Malateſtinum* primo deinde *Fer-*
rantinum, tertio *Guidonem Ferrantini* Fratrem
ſpecie arbitror gravis alicujus negotii, at inter
554 evocationes id fuit intervallum, ut ſinguli capi
potuerint abſque eo quod ſequentes præceden-
tium capturam intelligerent, immo juſſerat in
itinere occidi, quod tamen diſpoſiti ad id Satel-
lites non ſunt, vel ob reverentiam, vel ob timo-
rem auſi; at captos *Malateſta* triduo poſt vinctos
in Caſtrum *Gradariæ* miſit, ibique arcte cuſtodiri
juſſit. Erat alter *Ferrantinus*, *Ferrantini* tum car-
cerati ex *Pandulfino* filio mortuo Nepos in exer-
citu quem ad *Padernum Bobienſis* Comitatus *Ma-*
lateſtii habebant. demandaverat Sicariis ſuis ejus
mortem *Malateſta*, ſed prænovit *Ferrantinus* in-
ſidias, unde ad *Nolfi Feretrani* opem confugit,
ejuſque auxilio *Mondainum*, S. *Laudetium*, S. *Joan-*
nem in *Galilea*, *Roncum Frigidum*, ac *Monleonem*
Caſtra egregie munivit. *Clementinus* dicit *Ma-*
lateſtam ideo in *Ferrantinum*, & ejus ſobolem in-
ſurrexiſſe, quod agnoverit ſibi a *Ferrantino* ſtru-
ctas inſidias. Favent *Ariminenſes Malateſtæ*, &
Galeotto in quorum poſteris imperium perſevera-
vit. Annales noſtri potius *Ferrantino*, ſub cujus
regimine diu *Cæſena* fuit. Sed cum *Ferrantinus*
ſuſceptus fuerit; *Ferrantinus* inquam, vel *Ferran-*
tini capti, & in vinculis poſiti ex Filio Nepos,
ut jam diximus, vel alterius *Ferrantini* Nepos ut
Clementinus aſſerit. At uter fuerit, quem *Perre-*
tranus Nolfus recepit: *Malateſta* ea de cauſa
Nolfo infenſus, ac Fratribus conatus eſt ſuadere
Sperantiæ eorum Patrueli, ut eos expelleret, im-
mo occideret, *Urbini*que ditionem tum partia-
riam, ſibi uni totam vindicaret. Aſſenſit cohor-
tationi *Sperantia*, & jam inſidias adornabat, at

A caſu literæ, ea de re inter *Malateſtam*, & *Spe-*
rantiam in manus *Ferrantini* inciderunt, adverſus
quem æque, ac contra *Nolfum* erat *Nolfi* depreſ-
ſio; ex qua *Urbinates* opes tum *Ferrantino* propi-
tiæ eidem contrariæ evadebant. Admonuit ergo
amicum, & benefactorem tranſmiſſis literis, quas
interceperat proditionis imminentis. Quocirca
Nolfus cum ſuis, & *Ferrantini* copiis, ac perſo-
na, inopinantem Comitem *Sperantiam* aperta vi
aggreſſus eſt ipſumque & manum magnam mili-
tum in ejus domibus latentem vicit, ac multis
interfectis ex Civitate, & adminiſtratione *Urbini* 555
ejecit. Juſtum hoc Dei judicium innocentes
B protegentis Auguſti Menſe promanavit. Hoc
eodem anno vivente adhuc *Ludovico Bavaro*, ſe-
que pro Imperatore gerente, Pontifex *Joannes*
XXII. Imperatorem deſignavit *Henricum* ejuſdem
Bavari Nepotem. Favere electioni Rex *Galliæ*
Philippus, & Rex *Boemiæ Joannes*, & alii plures
Principes: at acerrime, ſed incaſſum *Rubertus*
Rex *Neapolitanus* per Oratores ſuos repugnavit;
non video tamen in albo Imperatorum repoſi-
tum. At ad *Cæſenatia* facta revertendo *Paulutius*
Calbulus Franciſci Saſſinatenſis Epiſcopi Frater
non obſtante pace inter Epiſcopum illum, &
Cæſenates facta, at potius ex inimicitia inter
C ipſum, & *Ordelafum* Civitatis Præfectum motus
Caſtrum *Montis Cavalli Cæſenatis* ditionis ſeductis
aliquibus cuſtodibus, qui illud tradiderunt die
12. Novembris ejuſdem anni cepit. Non ſtatim
Cæſenates ad recuperandum perrexere; eam ob
cauſam arbitror, quoniam *Franciſcus* Præfectus
adverſus *Caſtrocarium* tum diſtinebatur, verum
pace contentionem diremerunt. Forte Mater
Franciſci Auneſtina, quæ *Fulcerii Calbuli Caſtroca-*
rium pro Eccleſia obtinentis erat Soror, Filium
pacavit. Pax autem die 26. Decembris anno 1334.
confecta, & publicata apud *Caſtrocarium* fuit,
cujus Menſis die 2. obierat *Joan.* XXII. Pontifex.
D Illi eodem Menſe die 20. ſuffectus fuit *Benedictus*
XII. qui ſtatim atque Pontifex factus eſt diras à
Prædeceſſore in *Bavarum* jactas, in eundem ipſe
contorſit. Iratus itaque *Bavarus* conceſſit, dein-
ceps, ſed aliquot poſt annis Civitates *Flaminiæ*
Manfredis Faventiam, *Forolivium*, *Forum Popi-*
lii, *Britonorium*, *Cæſenam Franciſco Ordelafo*: ſed
ſeriem annorum ſequendo anno 1334. Prætor Ci- Prætor Cæſenæ anno 1334.
vitatis *Cæſenæ Cinus Martinellius* e *Burgo* S. *Se-*
pulchri fuerat, *Franciſcus* enim *Ordelafus* Præfe-
cturam ſibi ſervabat, cujus erat armorum cura,
& belli, & pacis poteſtas. Succeſſit vero *Cino*
in Prætura *Joannes Ordelafus Franciſci* filius, qui
E die 2. Januarii anni 1335. Magiſtratum iniit. An- Prætor anni 1335.
no eodem 1334. kal. Maji *Cæſenam* venit *Joan-*
nes Acciaiolus Florentinus Civitatis Epiſcopus,
rexerat vero eam Eccleſiam abſens per Vicarium,
& Procuratorem annum, & ultra. Placet ingreſ- 556
ſum verbis Annalium exprimere, aliqua enim
ejus antiquitatis elucebunt digna ſcitu. Sunt Hæc
verba. 1334. *die Dominica*, *quæ fuit kal. Maji*
perſonaliter acceſſit ritu ſolito, *qui eſt talis. Nam*
die Sabbati in ſero venit ad Montem S. Mariæ, *&*
ibi hoſpitatus fuit eadem nocte, *& non plus tenetur*
eum recipere Abbas Monaſterii antedicti. In mane
vero tempeſtive ivit ad locum S. Petri in ſtrata, *&*
F *ibi ſe Pontificalia induit*, *& equum albis cooperturis*
aſcendit, *& præcedentibus omnibus Clericis Civita-*
tis, *Fratribus cujuſlibet Ordinis juxta morem ſuum*,
& ultimo Præpoſito cum duobus canonicis paratus
venit uſque ad Eccleſiam domus Dei, *ſive Portam*
de ſtrata, *quæ olim dicebatur Porta de Sapignis*,
& antiquitus Porta Batticalcagni, *ibique occurrit*
ei Vicarius, *Poteſtas*, *& Capitaneus cum toto Con-*
ſilio, *& magna multitudine Populi*, *& vexillum*
communis, *quod tum Gulielmutius de Epiſcopellis*
porta-

portavit, ipsi D. Episcopo obtulit, & eum tanquam Patrem Spiritualem recepit; ipse autem Episcopus in filios spirituales recepit eosdem, & deinde venit ad Episcopatum relicto equo, & parva prædicatione facta abierunt, & ultra quam fieri consueverit, fuit 15. vel 16. assessoribus honoratus expensis communis. Prope id tempus in Oppido *Britonorii* magnæ turbæ. dominabantur Oppido *Andreas Bulgarus* & *Bartolatius Mainardus*, ejus Avunculus eousque inter se concordes. At *Petratius* quidam ipse quoque *Britonoriensis* virus discordiæ instillavit, suadens *Andreæ* ut excluso Avunculo integram sibi ditionem vindicaret. Non esse fidam Regni societatem, nec posse diuturnam esse. Nisi ipse *Bartolatium* præveniret, fore ut ab ipso præveniatur, feroque tarditatem suam incuset. Cessit consilio *Andreas*, jamque meditabatur, & struebat insidias, at non adeo occulte ut non præsenserit *Bartolatius*, qui id circo *Forolivio*, ubi tum erat, advolans inexpectatus, & improvisus potuit non expectantes, neque satis adhuc paratos opprimere: utrunque enim in carcerem conjecit, & cum quæstionis vi confessionem expresserit, utrumque capite multavit 4. *Petratium*
Anno 1535. non. Februarii anno. 1335. *Andream* biduo post, Nepotem, forte vel matris, si superstes erat,
557 lachrimæ, vel affinium preces, vel pristinus amor retardabant: sed tandem ratio dominandi omnia vincula discidit. *Malatestiorum* pariter hostiles animi hostilia inter se facta pariebant. *Ferrantinus* itaque die 6. Maji cum *Nolfo*, & *Antoniatio* de *Tumba* adversus *Malatestam* cui arma junxerat *Guido* e *Carignano* apud *Tumbam* agri *Fanestris* Castrum summis ferme copiis certavere, atque hostem debellavere multis occisis, & multis captis, *Franciscus* vero *Ordelafus* prius, Idib. scil. Martii cum *Cæsenatibus*, & *Foroliviensibus* militibus adortus fuit Castrum *Montis Abbatis Popiliensis* Diœcesis, atque *Ravennati* Ecclesiæ subjectum, occupavitque tradentibus præ metu Incolis. Videtur hoc præter dominii sitim in odium factum *Francisci Calbulensis*, Episcopi *Saffinensis*, qui multa ejusmodi Castra obtinebat de jure etiam Archiepiscopatus, veluti mox de *Bagnolo* intelligemus. Post occupatum Castrum *Montis Cavalli* a *Paulutio* Episcopi Fratre, quam antea occupationem significavimus videntur odia recruduisse. Renovati sane odii certum fuit argumentum Castri *Linarii* 5. kal. Aprilis a nostris occupatio. Illud tum possidebat etiamsi agri *Cæsenatis*, seu territorii esset, *Saffinas* Episcopus. Ita forte in restitutione tot aliorum Castrorum convenerat, cum eo Civitas. At orto rursus dissidio illud repetiit; erat tum *Galastronus Linariensis* Castri, ejusque Arcis custos, ac Præfectus. Is Civitati devotus conspirantibus etiam Oppidanis illud sponte *Cæsenatibus* reddidit. At pungebat occupatio *Montis* Cavalli, quod Castrum situ ipso, opere etiam, & forti præsidio *Paulutius* munierat, qui & suis, & Episcopi viribus fretus, illud tueri statuerat. *Franciscus Ordelafus* contra, & Civitas ad recuperationem toto animo aspirabant: præter ergo copias diligenter instructas armis, & commeatu, machinas etiam, quæ tum erant in usu ad mænia quatienda, ad defensores ex mœnibus depellendos manganos, & id genus alias construendas curavit, nec non auxilia etiam aliunde vel petiit, vel oblata suscepit: erat Archidiaconus *Saffinas Franciscus Consolini* filius, e *Monte Abbatis*, qui cum *Francisco Calbulo* ejus-
558 dem Civitatis Episcopo longas inimicitias exercebat, contenderat de Castro *Montis Petræ* ab Episcopo occupato, cum esset Canonicorum, Capituli scilicet, ut vocant *Saffinatis*, illudque Episcopo armis eripuerat, tunc ergo cum *Cæsenatibus*

A ad *Motem Cavallum* recuperandum ivit, ut ferme constet, etiam Episcopum in usurpatione Castri illius cum Fratre *Paulutio* conspirasse, immo, & ex Chronici verbis clare elicitur, quæ idcirco exscribo. *In manu Forti commune Cæsenæ contra Rebelles assurgens Francisco de Ordelafis tunc Capitaneo existente circa Castrum Montis Cavalli, castrametati sunt, & stantes ibi per dies octo, ac incipientes machina trabucare die 17. Maji dicti Anni illud vi occuparunt intrinsecis omnibus, qui fuerunt viginti tres in Communis Cæsenæ carceribus captivatis, ad quod Franciscus de Monte Abbatis Archidiaconus Saffinatensis in odium D. Francisci de Calbulo*
B *Episcopi Saffinatensis, qui tenebat illud personaliter cum magna gente sua auxilia præstitit, & favorem.* Intelligimus ergo Castrum fuisse ab Episcopo detentum, id ita asserente Chronico: quocirca in odium ejusdem Episcopi prosequuti *Cæsenates* cum *Ordelafo* adversus illud bellum. Distat a *Monte Cavallo* mille circiter passus *Theodorani* Castrum, prope quod est *Bagnoli* Castrum, quæ ambo ad *Ravennatem* Ecclesiam spectant, at ab Episcopo *Saffinate* tum detinebantur, de *Bagnolo* apertum est, de *Theodorano* conjectura magna est. In *Theodoranum* ergo die 21. Mensis ejusdem Maji impetum *Cæsenates* incursione perma-
C gna ad portas usque fecere, agro direpto, & pluribus interfectis. Inter cætera vero in eorum opprobrium Cerrum insignem prope portam inciderunt, quod Oppidani maximæ ignominiæ loco accepturos noverant, expugnationem Castri non tentaverunt, quod firmum, ac munitum valde esset, at ad *Bagnolum* deflexere, illudque facile ceperunt, ubi præda magna, & multi captivi. Erat in exercitu *Ordelafi Germanorum* non exigua manus. Jam enim exordiebantur illæ militum præsertim *Germanorum* catervæ immo exercitus, quæ magnæ societatis nomen ab *Italis* accepere, illis ut plurimum fuit *Ordelafus* carus,
D ipseque pro viribus, & stipendio, & prædarum occasione homines demeruit: aliquam ejusmodi 559
ergo *Germanorum* manum in exercitu *Franciscus* habebat, qui captivos aliquos *Bagnolensium* fecerant redemit omnes ejusmodi captivos ab eorum manibus soluto pretio *Ordelafus* liberosque dimisit, sicut quos ceperant *Cæsenates*, & *Forolivienses* milites gratis dimitti jussit, idque ab eo factum solita pietate Chronicon dicit (quæ pars tamen est *Foroliviensis* Scriptoris) reliqui sane Scriptores potius ferum, & impium quam pium vocant. Non contentus *Ordelafus*, & *Cæsenates* ultione facta adversus *Meldulam* majore apparatu intulere
E arma. Erat *Meldulæ* pro Ecclesia *Romana Paulutius* Rector, in hunc igitur ut authorem manifestum injuriæ intenderunt vires; & quoniam Oppidum, & opere, & præsidio munitum admodum erat non solis suis militibus *Forolivii*, & *Cæsenæ* oppugnandum judicavit, sed à fæderatis *Malatesta* scilicet *Hostasio Polentano*, Marchionibus *Estensibus* auxilia accivit, quibus etiam amici plures se adjunxerant, fuitque exercitus Imperator declaratus *Joannes* e *Susinana*. Erat Oppidum valido præsidio munitum, & machinis multis instructum; *Paulutius*que ipse præsidebat, sed Comes etiam Provinciæ locum illum ut certam Im-
F perii Ecclesiastici sedem nulli alteri, vel beneficiario jure obnoxium, retinebat unde par est omnia pro viribus quæcumque ad defensionem exigebantur, subministrasse, quod etiam mox apparebit, sed obsidionem etiam Pontifici significavit, qui ea *Florentinis* scripsit, quæ intelligemus. *Ordelafus* ad Oppidum accedens aliquas velitationes cum occurrente hoste, & accessum remorante fecit. Propugnacula deinde adversus Castrum excitavit, machinasque imposuit (dicebant

bant tum Manganos) quibus magna saxa in domorum ruinam ejiciebantur. Cinxit arcte adeo ex omni parte locum, ut nullus egressus, nullusque ingressus daretur, strenue tamen se defendentibus obsessis obsidio a die 23. Maji ad diem 5. Octob. duravit, & facile cessisset oppugnantibus, nam neque commeatu neque recenti milite poterant recreari obsessi, tentavit sane *Guillelmus Tuellius* Provinciæ Quæstor aliquos milites sub *Ottolino Belga* immittere, sed is ab obsidentibus captus
560 cum suis manuum abscissione punitus fuit: quod facinus à Rectore Provinciæ in judicium, & disquisitionem adductum fuit sæva pronunciatione damnatum, at imbecillum imperium tum Pontificium in Provincia damnare poterat: punire non poterat. Pontifex ergo a Republica *Florentina* per litteras petiit, ut suppetias ferret, quæ magnis, multisque copiis opem tulit. Non judicavit *Ordelafus*, nec socii bellum cum Republica maximæ potentiæ, & finitima suscipiendum. Aditum ergo aperuere negotiationi de pace, brevique ea confecta. *Florentini* custodiam loci nomine tamen Pontificis ad firmiorem tutelam receperunt. Sæviebant eodem tempore internecina *Malatestiorum* odia. *Ferrantinus* proxime memoratus *Pandulfini* filius cum *Nolfo*, & *Ferretranis* Burgum S. *Sepulchri* obsidebant, quod & cepere: in qua invasione occisus fuit *Cinus Martinellius* ejus loci civis, proxime Prætor *Cæsenæ*. At *Malatesta* cum *Galeoto* Fratre, & *Joanne Tini Malatestii* Castra *Ferrantini* vexabat *Monleonem*, ac *Razzanum* destruxit. *Calbanam* & *Genestredum* accepit, & *Siclanum* expugnavit. Mense hæc Septembri anni ejusdem 1335. facta sunt. Licet *Clementinus* in sequente anno 1336. reponat. At Annalibus nostris coævi tum Scriptoris potius credendum arbitror. Dicunt hi anno 1335. die 12. Junii prope auroram ingressos esse Milites *Malatestiorum* furtim in Castrum *Monleonis* usque ad Vallum Arcem circundans, ac muniens præcedentibus *Pirrucino* de *Ceula*, *Ritio* ac *Martino Antonii*, at a *Rullo* qui cum paucis aliis restitit fortiterque repugnavit rejectos, & fugatos. *Franciscus Ordelafus* Mense Octobris ferociter, ne dicam impie egit. *Aureolum* Ecclesiæ *Ravennæ* Oppidum regebat pars Oppidanorum amica *Ordelafo* cum alterius partis depressione, & cum derogatione imperii Archiepiscopi. Is ergo cum in Provinciam, & *Ravennam* venisset tandemque ab aliquibus *Aureolanis* de statu Castri certior factus est, locum adivit die 12. Octobris, proque imperio regimen sibi adjudicavit dejectis, qui prius jurisdictionem exercebant. Qui ad patrocinium *Francisci Ordelafi* confugere: is vero
561 statim cum magna militiæ parte Castrum invasit, Archiepiscopumque cum universo ejus famulitio cepit, & vulneratum magno cum dedecore, ac opprobrio *Forolivium* duxit, ibique in custodia aliquot dies habuit. Improperia *Ordelaphorum* in Archiepiscopum literæ Pontificiæ ad Provinciæ Rectorem *Avenione* missæ narrant hunc in modum. *Ad capiendum eundem Archiepiscopum, ipsumque vulnerandum, & disrobandum tam in eum, quam in nonnullos Familiares extendit improbas manus suas, dictumque Archiepiscopum vulneratum, & spoliatum usque ad camisiam, seu Rocchettum absque debito tegumento super Ronceno vilissimo poni, & cum dictis Familiaribus ejus usque ad dictam Civitatem Forolivii duci fecit, ipsumque ibidem cum dictis familiaribus idem Franciscus, & dictus Sinibaldus Pater ipsius, qui ad hæc sacrilegia præstitit auxilium, favorem, non absque injectione manuum in personam dicti Archiepiscopi Dei timore post posito temere, violenter detinuere captivum.* Hæc sane furibundum hominem, & Religionis

A contemptorem significant. Confirmant eundem Ecclesiastici juris, ejusque immunitatis contemptum, quod Mense sequenti *Cæsenæ* jussit ac perfecit. Erat in Murata, quæ pars erat prope Castrum, & munitior reliquis Civitatis partibus Canonicorum communis habitatio, quæ Canonica dicitur. Is ergo diffidens ut est Tyrannis suspicax, ne aliqui eorum amore partium ejus dominationi insidiarentur, & cum exulibus *Calesidiis* scilicet, & primoribus *Guelfis* conspirarent, jussit omnes ab iis ædibus recedere, & in inferiorem Civitatis partem descendere. Die ergo 8. Novembris *Albertus* Præpositus, & Canonici
B omnes, & Capellani (utor vulgato nomine) discesserunt, solus Canonicus *Realis* mansit fretus auctoritate Civium regentium, scilicet *Ghibellinorum* Procerum, pluribus vero antea Mensibus duo Canonici *Franciscus*, & *Bucittus*, quod scilicet propter factiones suspectiores erant, recesserant. Eatenus ergo jam intendebatur *Francisci* Tyrannis, at factum probantibus Civibus potioribus, quibus etiam expediebat solertior quæque adversus contrariam partem cautio. Hic erat ergo status Provinciæ; imperium Ecclesiasticum erat ferme nudum nomen *Ordelafis*, *Malatesta*, & *Polentanus Cæsenæ*, *Forumpopilii*, *Forum Livii*, *Arimini*, & multorum Oppidorum, *Pisauri*, *Ravennæ*,
C & *Cerviæ*, erant aperte Domini, iique nulla habita factionum ratione inter se fœderati. *Manfredi* pariter *Faventiæ* Domini: at multa cum observantia apud se Rectorem, & Quæstorem totius Provinciæ, & curiam demum generalem retinebant. *Imola* sub *Lippo Alidosio* (si *Vizanum* recipiamus) erat: eum enim Prætorem statim post Legati expulsionem, *Bononiæ* factum dicit, quem etiam tum *Imolæ* Dominum fuisse asserit: at *Manfredi* non erant, vel saltem non aperte erant cum *Flaminiis* Perduellibus Ecclesiæ fœderati. Non spectabant tum Principes inter se factiones,
D sed convenientia, vel repugnantia in statu tuendo erat scopus fœderis, aut inimicitiæ *Flaminiorum* Tyrannorum, qui a Pontifice sibi timebant; erat is timor unionis causa cujuscunque esset factionis amor. *Tarlati Aretini*, cum ad ditionem ampliandam æque *Guelfos*, atque *Ghibellinos* (licet ipsi *Ghibellini* essent) opprimerent, ad sui eversionem *Guelfos* æque, atque *Ghibellinos* provocaverunt. Hinc inter *Perusinos*, & *Ferretranos* factione licet diffidentes facta colligatio: cum *Ferretranis* jungebatur *Ferrantinus Malatesta* cujus societatis merito unitis copiis *Perusini* cum *Ferretranis*, *Ferrantinum* sequuti agrum *Ariminensem* vastaverunt, die 18. Decembris ejusdem Anni ingressi,
E & ad 26. usque diem morati. Quo eodem Mense *Ugutio* Nepos ex filio *Nerio Ugutionis* olim *Faseolani* a *Cæsenatibus* ejecti anno 1330. ut superius dictum ingressus est Castrum S. *Agathæ*, tum a *Tarlatis* obtentum, a nostris olim finibus non procul, occupavitque, *Galassino*, & aliis undecim sæva morte peremptis: *Ugutioni* autem noctu aditum aperuere *Sinibaldi* Oppidani *Gallassino* inimici. Erat hoc anno Prioratu *Veneto* (est hæc dignitas, quam *Hierosolymitanorum* Equitum Ordo inter se distribuit) insignitus *Neapolio Tibertus Cæsenas*: quo
F tempore *Franciscus Michaelius* nobilis *Venetus* Archiepiscopus eidem Prioratui Ecclesiam S. *Georgii* in Porticibus adjunxit, ejusque reditibus locupletavit. *Franciscus Ordelafus* spiritu jam tyrannico turgens conventum subjectorum hominum *Forolivianæ* tantum ditioni convocavit, exitus autem Concilii fuit, quod aliqui Cives præsente, quis non credat consentiente ac jubente *Francisco*? ceperunt *Hieronymum Herculanum*, *Bonfilium Saxonium*, *Thomam* & *Joannem Sperantios*, *Borellum Palmiranum*, & *Valerianum Baldonum*,

Chronicon, Rubeus sub anno 1335. & Carrar.

Status Provinciæ anno 1335.

562

Joann. Vill. lib. 11.

Neapolio Tibertus.

563

num, quorum hic statim occisus, & e fenestris ejectus fuit in Forum: aliorum autem nocte sequente hi suspendio, hi cervicis abscissione necati. Anno sequente 1336. novus totius *Flaminiæ* Comes a *Benedicto* XII. Pontifice missus *Gullielmus* e *Quercu* in Provinciam venit, *Faventiam* scilicet primo accedens, ubi totius Provinciæ concilium indixit ad 8. kal. Martii. convenere vocati, at cum discordes inter se fuerint, alium conventum in 8. Idus Martii edixit, in quo potentiores stipendium tantummodo pro militibus ad custodiam Rectoris, & Provinciæ polliciti sunt; at alii in omnibus se parituros obtulere. apparet tamen non mutatam administrationis politicæ in Civitatibus formam. Eademque libertate Loca inter se bella gessere. Proindeque *Rambertus Glazoli* Comes, die 25. Januarii Castrum *Valdenucium* occupavit, *Londano* Castri novi Archipresbytero, & *Cicchino* ejus Fratre occisis: verum nona post die *Lucius*, & *Joannes Muzoli* Filii *Rambertum Perosi* (erant

Prætor Cæsenæ. ipsi *Valdenuciani*) *Francisco Ordelafo Forolivii*, & *Cæsenæ* Domino tradidere. Prætor hoc eodem anno *Cæsenæ* fuit *Ugolinus Tanus*, qui Magistratum die 27. Septembris iniit, & post sex Menses fuit rursus confirmatus. Floruit his temporibus *Joannes* de *Anguisella*, *Agusellius* scilicet *Cæsenas* decretorum Doctor, & Scriptor celebris; hujus meminit, ipsumque inter memorandos reponit *Joannes Andreas* in Apparatu *Clementinarum* In nomine (*Joannes*) cum enim Commentarios Canonistas numerat, *Joannem* de *Languisella Cæsenatensem* ponit. Interea *Benedictus* Summus

Joan. de Languisella Cæsenas. Pontifex cum intelligeret in sinistrum Ecclesiæ ditionem concedere, & usurpatores Civitatum, atque Oppidorum verbis se devotos Pontifici asserent & contraria inobedientiæ facta improbitati Ministrorum Pontificiorum adscriberent, misit credulus ob ejus bonitatem Pontifex, qui Mi-

564 nistrorum facta emendaret, adeoque ad pristinam subjectionem, & obedientiam subditos reduceret. Venit ergo ad id magna cum auctoritate *Bertrandus* Archiepiscopus, qui *Faventiam* ingressus conventum Provinciæ universæ denunciavit in diem 13. Mensis Novembris, indixit vero die circiter 20. Mensis Octobris, qua Civitatem intravit: at cum ægre ad Concilium *Flaminii* accesserint desperata confirmatione Provinciæ, ejusque ad integram subjectionem restitutione decessit. At *Guilelmus* e *Quercu* Comes generalem Curiam *Meldulam* transtulit, sedemque & ibi suam fixit, forte *Manfredis* ad se subinde magis munia trahentibus indecorum ea coram se fieri, est arbitratus. Præ his autem *Malatestæ* variis inter se eventibus certarunt; successus tamen non eodem modo Annales nostri, & *Ariminenses* enarrant, cum nostris cosentit *Carrarius*, & *Rubeus*. Invaserat & furtim ceperat *Malatesta* die 16. Septembris Turrim *Roncofrigidi* Albam vocatam, cum tandem in animum induxit e carcere liberare *Ferrantinum* Patruelem mortuo jam in eodem carcere *Malatestino Ferrantini* filio, ea tamen conditione dimisit, ut Dominio *Roncofrigidi* prorsus renunciaret illudque tradi *Malatestæ* juberet, quod præstitit *Ferrantinus* tabulis ea de re publicis *Arimini* in D. *Columbæ* Ecclesia confectis. Inde *Anconam* ivit, ubi dicitur priores tabulas, quasi metu, vique illis assenserit, revocasse rediit postea in Provinciam cumque *Ferrantino* Nepote *Mondaini* morabatur, quo ex loco per internuncios multa Castra, ut a *Malatesta*, & ab *Ariminensibus* deficerent; obtinuit præsertim *Montis Scudoli* Oppidum, quod *Malatesta* magnis copiis statim obsedit accitis ab *Hostasio Polentano* auxiliis, quodque ipsum valde juvit, *Florentini* in *Venetorum* subsidium adversus *Mastinum Scaligerum*

A septingentos equites mittebant, quod intelligens *Malatesta* eos *Faventiam* usque adivit, atque precibus, & pretio evicit ut secum ad *Montis Scudoli* obsidionem diverterent; at *Ferrantino* auxilium præstabant *Perusini*, & *Ferretrani*. Ea vero erant munimenta valli, quo Castrum circundabatur, ut obsidionis solutionem auxiliares *Fer-*
rantini copiæ desperarent, quocirca diversionem 565
tentantes agrum *Pisaurensem*, & *Ariminensem* fæde vastaverunt. Attamen *Malatestam* ab obsidione dimovere non potuerunt, quocirca obsessi auxilio destituti se iterum *Malatestæ* sub nonnullis conditionibus die penultima Julii dedidere. Post

B hæc (dimissis prius *Florentinis*) Castrum S. *Joannis* in *Galilea* tentavit, per occultosque internuncios Oppidanos nonnullos seduxit, qui partem, quæ Castrum Longum vocatur noctu prodidere. Custos erat Castri *Ronconus* vir fortis, is nequaquam territus reliquam partem tueri destinavit, & indigenis diffisus, uno eorum solum fido retento cæteros milites alienigenas habuit; verum neque hi fuere fidi; nonnulli enim *Cervienses* proditionem moliebantur, quibus is plurimum fidebat. Ejecit itaque eos at cum pauciores milites restarent, quam ad defensionem necessarii essent, pactus personarum, & rerum incolumitatem Ca-

C strum *Malatestæ* die 5. Septembris reliquit: quo eodem mense biduo post magno cum exercitu *Monleonem*, quem bis antea direptionibus, & oppugnatione afflixerat: tertio aggressus tantum timoris indidit, ut cum fractas jam vires suas impares diutinæ obsessioni intelligerent, ad conditiones devenerint, quas amplas a *Malatesta*, & pro Militibus, & pro Oppidanis obtinuerunt. Mense vero Novembris *Franciscus Ordelafus* Civitatis Præfectus adversus *Meldulam* Castrum novum excitavit, non veritus Rectorem Provinciæ, cujus ea erat sedes: tantus erat in homine fero Pontificii imperii contemptus. At videntur penes eum etiam tur-

D mæ equitum *Mastini* fuisse, quas ille ad numerum usque octingentesimum in *Aretinorum* subsi- L. 11. c. 41.
dium adversus *Florentinos* miserat. Eas enim *Forolivium* venisse *Villanius* scribit, at non transisse *Apenninum* prohibitas ab equitatu *Florentino*, qui junctus *Bononiensibus*, & *Flaminiis Guelfis* equitibus ad numerum 1200. ascendebant, & aditus omnes sepsere, ut irritus fuerit omnis turmarum *Mastini* ad transeundum conatus. Sed contentio hæc in *Flaminia* inter equitatus, ad quam *Flaminii* ipsi studio partium divisi concurrerunt rursus factiones in Provincia excitarunt, quæ mox divi-
sio enituit. Anno sequente scilicet 1337. nocte 566

E sequente diem 15. ac præcedente decimam sextam hora circiter septima, cum dimidio Mense Januarii ingens fuit Terræmotus, immensum vocant Annales nostri. Die vero ultima *Sinibaldus Ordelafus Francisci* Pater obiit longævus admodum, unde cum ob ætatem a gubernatione facesseret non ipsi, sed filiis primum *Cicco*, postea *Francisco* Scriptores *Forolivii* imperium tribuunt. Diuturna, & internecina *Malatestiorum* bella hoc anno finem invenerunt. *Hostasio* enim *Polentano* authore *Mercenarius Firmanus* novus *Hostasii* affinis se pacis sequestrem inter *Ferrantinum*, & *Malatestam* interposuit; demumque his eos conditio-

F nibus cum Fratribus, & Nepotibus conciliavit. Quod singuli quicquid tum habebant retinerent, & *Ferrantino* seniori insuper a Civitate *Arimini* floreni ducenti singulis mensibus solverentur præter omnium bonorum fructus, quos libere, & ab omni impedimento immunes haberet. Die octava Junii confecta est pax, & die undecima publicata *Arimini*: at testante *Clementino*, sunt qui dicant non pacem fuisse, sed decennes inducias factas, & solum post sexennium anno scil. 1343. non

non vero 1337. qui *Clementinus* pro certo scribit *Ferrantinum* Seniorem mortuo juniore *Pandulfini* scilicet filio *Ariminum* rediisse a *Malatesta*, & *Galeoto* Dominis humane receptum, ibique annum tantum vixisse, nonagenariumque obiisse. Hoc eodem anno *Scaligeris*, *Mastino*, & Fratribus magna ditione potientibus *Veronæ*, *Vicentiæ*, *Paduæ*, *Tarvisi*, Civitatis *Bellunensis*, *Brixiæ*, *Parmæ*, *Lucæ* maxima pars detracta est a *Florentinis*, & *Venetis* fædere conjunctis, quorum Dux fuit *Petrus Rubeus*, & *Marsilius* Frater post *Petri* mortem, nec bellum quievit nisi post valde accisam *Mastini* ditionem, cui tres solæ Civitates *Verona*, *Vicentia*, & *Luca* remansere: Narrat *Joannes Villanius* duos hoc anno fulsisse Cometas, alterum ineunte Junio sub Ursa minore, e regione Tauri, indeque ad Meridiem perrexisse, qua-
ib.11.c.67. drimestremque fuisse: alterum vero ante prioris finem eluxisse, & bimestrem vitam duxisse, priorem *Asconis* nomine, posteriorem Rosæ vocat,
567 ut a Philosophis vocatos asserit. *Bononiæ* interim administrationem, & dominium Populus ultro *Thadæo Pepulo* die 7. Julii tradidit. Pertinebit ad res *Cæsenates* hæc *Bononiæ* commutatio, ut non multo post intelligemus. Sed in *Flaminiam Joan-*
Joan. Vill. l.XI. c.69. *nes Ammabutii* Præfectus S. *Britii Varasensis* diœcesis Comes Provinciæ, & Comitatus *Britonorii*, & annexorum in prophanis, & in sacris pro S. *Romana* Ecclesia Rector die 14. Octobris venit. Is erat Diplomatis tenor, primum *Faventiam* adivit, ac ibi in diem 28. ejusdem Mensis conventum Provinciæ de more indixit. Quid in conventu statutum non legi, facile eædem promissiones non plene postea observatæ intercessere. Mansit deinde in eadem Civitate: Castrum forte novum ab *Ordelafo* excitatum minus tutam, & liberam *Meldulensem* stationem reddebat. *Forolivii* autem die D. *Luciæ* sacra sub Ecclesiæ ejusdem porticu *Petrus*, & *Baptista Capiferrei* occisi fuerunt. Erat tum ejus Civitatis Prætor *Nero Grassonus Mutinensis*. Tumque etiam florebat *Rainerus Attendus* ejus Civitatis Civis, ac magnum ornamentum; Jurisconsultus insignis siquidem fuit, & ejus facultatis interpres ad *Patavinam* Academiam honorario sexcentorum scutorum (ingenti tunc temporis stipendio) conductus fuit. Conduxit autem *Ubertinus Carrarius*, Civitatis ejus Princeps. Eam enim Civitatem *Mastino* subtractam *Ubertino Veneti* concesserant. Sed ad *Cæsenates* redeundo *Casalecchi* castrum eversum, & incolæ dispersi. Horum *Benullus* quondam *Peppi* a *Francisco Ordelafo Cæsenæ* Domino licen-
Anno 1338. tiam deprecatus obtinuit in Monte *Borio* locandi sedes suas, & cæterorum *Casalechiensium*, ibique Castrum condere, & munire spondentes omnes se in arbitrio ejus, & Civitatis futuros, obedientiæ fidelitatis juramento præstito: tanta erat *Ordelafi* potentia, & existimatio, ut multi ejus patrocinium, & gratiam quærerent. Equorum numero *Caccus*, & *Usellus* e *Rontagnano Taibi* Castrum furtim occupaverunt die Augusti prægredientibus *Cicco*, & *Blasio* exulibus per domum *Maffei*, qui proditor fuit. Erat Archiepiscopi Castrum, at usurpatores diffidentes illud posse
568 suis viribus tueri, vel ut gratiam *Ordelafi* inirent illi Castrum die duodecima Novembris tradidere; neque ipse ditiones Archiepiscopi accipere recusabat, neque Archiepiscopus audebat pristino infortunio territus hominis ferociam irritare. Hoc eodem anno 1338. *Carrarius* narrat *Jacobum Thadæi Pepuli* Filium cum magna militum manu adversus *Hostasium Polentanum* profectum incendiisque & populatione in *Ravennatem* agrum grassatum esse: videturque in gratiam *Calbulensium* factum, qui ejusdem factionis cum *Pepulis Guelfæ*

A scilicet studio tenerentur, *Polentani*sque & *Ordelafo* adversabantur a quibus vexabantur, unde *Carrarius* idem dicit post populationem ad *Calbulensium* auxilium se contulisse. At sub initio anni sequentis 1339. die scilicet 12. Januarii *Franciscus* idem *Ordelafus* auctus fuit Arce Civitatis *Montis Leonis*, quam ei cessit *Ninus Petrelanus*, qui una cum patre quadraginta annos eam obtinuerat; at cum *Nicolaus Friderici* olim *Urbini Comitis* illegitimus Filius nocte furtim Civitatem occupasset, arctaque obsidione premeret Arcem, & *Ninum* in ea inclusum, hic omni annona destitutus Arcem tradidit *Ordelafo*: is tamen *Nolfo*
B Comiti *Ferretrano* assignavit, vel ne se in longinquam custodiam implicaret, viresque suas spargeret, vel ut eo beneficio *Nolfum* ejusdem factionis devinciret. Facile enim providebat homo sagax protrito quasi imperio in Provincia Pontificio facile res ad pristina factionum dissidia redituras, ut etiam contigit: forte etiam prurientibus jam inter *Manfredos*, & *Ordelafum* odiis, & imminente bello, maluit captare beneficio *Feretranorum* animos, quam offensione alienare. Dissensionis autem inter *Manfredos*, & *Ordelafum* hæc fuit occasio. Præter enim vicinitatem, quæ plerumque ob fines est odii seminarium *Franciscus*
C *Calbulenses* oderat, insidiasque præsertim *Castrocario* struxerat cujus desiderio flagrabat. At *Fulcherius Calbulus* etiam si *Francisci* avunculus, & etiam si pax inter eos convenisset; tamen *Castrocarium* potius *Francisco Manfredo Faventiæ* Domino vendidit, quam Nepoti infensus ei (arbitror) tum ob præcedentem simultatem tum ob
factionem, tum quod hostilis animus in *Ordelafo* ad- 569
versus *Calbulorum* Familiam, ex iis, quæ adversus *Paulutium*, & adversus *Sassinatem* Episcopum ejus fratrem fecerat, elucebat. At *Castrocarii* venditio alii, quam sibi facta animum *Ordelafi* valde pupugit; unde homo acerbus facile in ultionem
D erupit: prævidit autem *Calbulus* futurum bellum, & *Manfredorum* præsidio se munivit, nec solo: sed Rector pro Ecclesia, qui *Faventiæ* morabatur, & opem tulit, & ejus opera *Bononienses* quorum Princeps *Tadæus* se devotum Pontifici profitebatur, auxilia misere, unaque cum illis *Imolenses*. *Ordelafus* jam *Calbuli* Oppidum obsidebat, cum copiis nedum *Foroliviensibus*, sed etiam *Cæsenatibus*, & auxiliis *Malatestæ*, & *Polentanorum*, ad quam obsidionem solvendam exercitus contrarius perrexit, ibique structis aciebus magna pugna, & acerrimum cer-
tamen: vicit tamen justitia causæ; expulsus ita- Joann. Vil. l.XI. c.102.
E que *Ordelafus*, & multi ejus Militum occisi, aliqui capti, inter quos *Parcitadinus Parcitatus* a *Clementino* recensetur, sed sub anno 1338. in vita *Malatestæ* Vasta familiam. At *Joannes Villanius* sub anno hoc 1333. refert, cujus hæc est narratio latina reddita. *Eodem anno mense Septembris, cum gens Præfecti Forolivii Calbulum obsideret; Præfectus Faventiæ cum Copiis Bononiensibus aliisque ejusdem partis ex obsidione victos, & fugatos expulit.* Subjungit postea pacem factam, ex qua amplius, qui bellaverunt conspicitur. *Posteaque Octobri procurantibus Florentinis de pace inter Regulos, & Respublicas Flaminiæ actum*
F *est, ex altera parte erant Forolivienses, Cæsenates,*
Malatesta Arimini, & Polentani Ravennæ inter Anno 1340.
se etiam si alii Guelfi, alii Ghibellini essent fæderati: ex altera parte Faventia, Imola, Comites Guidii, & alii eorum asseclæ perque Sindicos, & Oratores rem totam arbitrio Florentinorum subjecere. In Priorum ergo Palatio decretum pronunciatum, & se mutuo in ore osculati pacem fecere. Ut constet etiam *Imolenses* favisse *Calbulis*, & *Ariminenses*, *Ravennates*que cum *Cæsenatibus Ordelafo*. Anno se-

sequente 1340. *Ludovicus Bavarus*, in *Italiam* rediit, & licet non sit *Tridentum* transgressus magnæ tamen commutationis in *Italia*, & in *Fla-*
570 *minia* nostra originem præstitit. Cum enim adventus ejus *Italicis* innotuit, qui etiam in ulteriore *Italia* expectabatur multi Principes, & Oratores ad eum confluxere, adeo ut *Florentini* etiam ad ipsum Oratores miserint. Is ergo ut animos Principum etiam ditionis Ecclesiasticæ demereret Vicarios Imperiales, adeoque beneficiario jure dominos declaravit, earum Civitatum, quas jure injuria ve usurpaverant. *Malatestam*, & *Galeotum* fratres suadente *Mastino*, cum quo rursus convenerant *Arimini*, *Pisauri*, & *Fani*: *Urbini Antonium Ferretranum*, at *Nolfum*, & *Galassum* itidem *Feretranos Montefeltrii*, ac *Calliensis* Civitatis: *Camertium Gentilem Varanum*, *Ravennæ*, & *Cerviæ Polentanos*; *Faventiæ Joannem Manfredum*. Hoc Imperatoris facto commotus Pontifex decrevit ipse quoque usurpatoribus iisdem Civitatum, eas beneficiario jure tradere, ut beneficio suo eas possiderent agnoscerentque adeo supremum in Summo ipso Pontifice dominium, seque ejus ut dicunt Feudatarios esse. Hinc cum *Bononienses Tadæum Pepulum* Dominum creassent, eaque de causa *Tadæum* anathemati; *Bononiam* interdicto subjecisset; hoc tandem anno mitiore consilio usus *Beltraminum Paravicinum Mediolanensem Novocomi* Episcopum, cum pleno mandato misit, qui reverenter a *Tadæo*, & Civitate susceptus cum repetiisset a *Tadæo* Civitatis dominium nomine Pontificis illudque ultro obtinuisset postquam 8. dies illud ipse retinuit, exercuitque *Tadæo* restituit, Vicariumque Pontificium constituit. Eodem jure, ac nomine *Ferraria Estensibus* concessa annuo censu decem millium aureorum præscripto. Adventus *Bavari* antiquam Factionum rabiem excitavit. Hinc fædus inter Vicecomites *Mediolani* Principes *Philippinum*, & *Guidonem Gonsaghios Mantuæ*, *Ubertinum Carrarium Paduæ*, *Franciscum Ordelafum Forolivii*, & *Cæsenæ*, & *Pisanos*, qui scilicet omnes *Ghibellini* erant. At contra Fæderati fuere *Mastinus Scaliger*, Marchiones *Estenses*, *Tadæus Pepulus*, *Polentani*, & *Malatestii Ariminenses*, *Lippus Alidosius Imolæ*, & *Franciscus Manfredus Faventiæ*, nec non *Florentini*. Priores sibi junxerant *Ger-*
571 *manos* milites sub duce *Gernerio*, quorum multitudo militiam ad rapinas, & quæstum excercens nomine magnæ societatis vocabatur. contrariorum ejusmodi fæderum contraria facta non multo post erupere. exules *Bononienses*, quorum caput *Brandolisius Gozadinus Ghibellinorum* fædere fretus in *Bononiam* movit, at irrito conatu: si
Chronicon. *Joannem Villanium* sequamur, posterius ferme biennio fuit fædus contractum. *Franciscus* interim *Ordelafus* in eum Pontificis contemptum devenit, ut non contentus usurpatione *Forolivii*, & *Cæsenæ*, & aliorum locorum censum etiam annuum denegaverit, propterea Pontifex excommunicationis *Franciscum*, & *Forolivium* interdicti censura perculit. *Cæsenæ* nulla ibi mentio, ipsa scilicet solvit, nec forte tantum sibi sumebat in ea *Ordelafus*, ut impediret, aut potius cum hanc Civitatem regeret *Cia* (ut eam vocabant) *Francisci* Uxor mulier pia permisit inconsulto etiam Marito solutionem ne tanto magis exasperatus Pontifex ipsam, & Civitatem ecclesiasticis pœnis innodaret. Anno eodem erat Provinciæ Rector Episcopus *Imolæ*, qui anno sequenti obiit, in ejusque locum suffectus *Petrucinus* fuit *Vercellensis* Episcopus. Cum jam ebullirent partes *Tadæus Pepulus* anno 1341. magno comparato exercitu *Francisco Ordelafo* arma intulit: in pace per *Florentinos* non fuere comprehensi; cum tamen ve-

Comes Provinciæ Episc. Imolensis. Comes Provinciæ Episc. Vercellensis.

A risimile sit eorum copias majores in comparato exercitu fuisse, majusque damnum ab illis *Ordelafi* copiis irrogatum, quocirca ne pace quidem injuria restincta erat. *Ordelafus* itaque injuriæ impatiens multa iracundiæ suæ argumenta edidit, & dictis, & factis, quibus commotus *Tadæus* ejus conatus prævenit: rem totam verbis antiqui ejusdem Chronici enarrare placet. *Anno Domini* 1341. *indict.* 9. *tempore D. Benedicti* 12. *Papæ die* 13. *Julii Gens magna equitum, & Peditum D. Thadæi de Pepulis de Bononia, & D. Albertini* (an potius Ubertini?) *de Carraria, ac etiam Marchionum de Ferraria venit in comitatum Forolivii, ac ibi stetit*
B *per tres dies, die vero* 15. *dicti Mensis tota illa gens venit Cæsenam, & violenter Burgum Trohæ foris acceperunt, postque immediate per palatam Trohæ intus introiverunt domos Sampiroli Furnarii, & aliorum vi-* 572
cinorum, & ibi per magnam horam cum Cæsenatibus præliati fuere, tandem de Civitate expulsi fuerunt, equis, & hominibus ipsorum interfectis, & captis remanentibus ibidem. Exercitum autem recessisse post populatos agros restat, ut nos ipsi interpretemur, nostri scilicet, & *Foroliviensis* impares se crediderunt, qui aperto Marte cum eo exercitu confligerent. At ex nostratibus quibusdam monimentis penitior causa elicitur *Thadæi Pepuli* in Civitatem *Cæ-*
C *senæ* satis remotam motus. *Acciaiolus* Episcopus tyrannidem *Ordelafi* in sibi commissum Populum ægre ferens tentavit depulso homine Pontificio imperio, & Ecclesiasticæ parti Civitatem rursus aggregare; tectis opus erat consiliis adversus tyrannum ferocem, & perspicacem, rem ergo summo astu tractans per fidos internuncios tentavit *Ghellum Calesidium* tum exulem, quem cum prorsus animatum repererit, & multis clientelis subnixum Comiti, pro Pontifice Provinciæ rem indicavit, nec esse alias vires tanto negotio pares, quam *Thadæi Pepuli*, & Marchionis *Estensis* qui & stu-
D dio partium, & recenti beneficio Pontifici obstricti erant, qui sollicitati a Pontificiis, & forte a Pontifice ipso coëgere exercitum, accersitis etiam *Albertini Carrarii* pro fædere, & factione copiis, qui exercitus dissimulato consilio in *Forolivium*, ejusque agrum fecit impetum, at ibi conjunctis *Calesidio*, & asseclis, sperandoque ab occultis *Guelfis* præsente exercitu, tumultum excitatum iri improvisus noctu in Suburbium, deinde in Civitatem penetravit, at repulsus, aliquibus occisis, aliquibus captis fuit: inter captos fuit *Ghellus*, qui in foro publice capite multatus fuit. Episcopus autem conspiratione detecta ab *Ordelafo* de Sede ac Civitate deturbatus est. Hæc
E ita deducta sint. At certum est magnam post hæc societatem *Romaniam*, *Flaminiam*ve nostram vexasse, anno enim millesimo trecentesimo quadragesimo secundo huc concessit: ejus principium, ac iter ita *Joannes Villanius* enarrat. Postquam inter *Gualterium Athenarum* Ducem, & *Florentiæ* Tyrannum, & *Pisanos* pax facta est, *Germani* milites a *Pisanis* dimissi inter se convenere, & sub Duce *Gernerio* in justum exercitum
congregati versus *Flaminiam*, ut *Malatestam* ul- 573
ciscerentur, qui contra illos pro *Florentinis* pugnaverat viam iniere multis etiam aliis militibus in itinere aucti. Hæc *Villanius*, sed his adjun-
F gamus; quæ *Vizanus* scribit, cum *Ordelafo*, & Vicecomitibus, & *Carrario*, & *Gonsaghio* conjunctos fædere *Pisanos*, atque a fœderatis magnæ societatis Ducem in *Romandiola* declaratum *Ordelafum*. Propius ad veritatem accedemus si dixerimus *Pisanos* ipsos suasisse *Gernerio*, & germanis in *Romaniam* venire contra *Malatestam*, & alios *Guelfos* pro *Ghibellinis* fæderatis militando, a quibus stipendio alentur unaque populatione, & direptione inimicorum, & abundanter vivent, & insu-

insuper præda ditescent; nec *Ordelafus* (arbitror)
cessavit addere hortamenta, & illicias, quousque ad
Malatestæ damna induxit. Jam ergo studio partium
Ordelafus, & *Malatesta* facti inimici, & cum *Mala-*
testa Polentani sentiebant, & *Estenses*, & *Tadæus Pe-*
pulus: Societas ergo magna in *Ariminensem* agrum
die septima Mensis Octobris 1342. venit, primaque
nocte ad D. *Justinæ* consedit diripiendo scilicet
omnia, & vastando, inde *Gatteum* adivit, demum
territorium *Arimini* diebus viginti novem oppressit,
longe lateque vastitatem inferendo. Huc usque
de magnæ Societatis factis consentiunt Scriptores
Cæsenates, *Ariminenses*, & *Ravennates*, at in se-
quentibus magna dissensio. Nostri dicunt *Cæse-*
nam venisse die septima Novembris, & ad diem
usque nonam Mensis Decembris in Suburbiis
stratæ foris S. *Zenonis*, & *Casæ Rosatæ* moratam,
indeque die nona Decembris iterum in territo-
rium *Arimini* profectam: octo tamen equitum
eorum alas *Cæsenæ* ad ejus stipendia remansisse;
id *Ordelafo* a *Gernerio* poscente: ut hinc conjecte-
mus eandem Societatem, ut amicam *Cæsenæ* re-
sedisse. At *Ariminenses* rursus, ut adhuc inimi-
cos vexasse. verum hæc ita conjectamus, sed
quæ dicunt Chronica nostra sunt. Venisse po-
stea die septima Mensis Februarii *Cæsenam* apud-
que *Rontæ* Castrum una tantum nocte mansisse,
& statim recessisse, sed quo iverit nihil dicit, ne-
que amplius de ea quicquam loquitur, at *Ari-*
minenses scribunt post mansionem dierum 29. in
574 *Ariminensi* ditione non amplius illuc rediisse, in-
deque recessisse, quod intellexerint sub *Joannis*
Pepuli, & *Giberti Foliani* ductu magnas adversus
se copias ad *Malatestam* tuendum venire: adver-
sus itaque eos, qui prope *Forolivium* erant, con-
tendere: attamen cum audirent hostes audaciter
accedere, solo quasi timore fugatos *Cæsenam* re-
versos esse, ibique per mensem moratos esse, ex
quo loco cum discessere in *Apennini* transitum
Joa. Villan. l. 12. c. 8. magnum a *Florentinis* damnum accepisse, & tan-
dem in *Mutinensem* ditionem concessisse. At *Flo-*
rentinus Historicus, qui divisos dicit a Regulis
Flaminiæ nostræ, & universitatibus diversis con-
ductos, nullam cladem a *Florentinis* accepisse me-
Carrarius. morat. At *Ravennates* volunt sexta die Decem-
bris magnam societatem a *Ghibellinis* ad fædera-
tos *Guelfos* spe majoris emolumentis traductam,
locatamque idcirco a *Polentanis*, & *Malatesta*
Cerviæ, ibique manu *Malatestæ* cum receperit
sexaginta millia librarum *Bononiam* ivisse, inde-
que *Mutinam*, & *Coregium*, eoque & finitimis
locis direptis locuples factus *Gernerius* in *Germa-*
niam abiit societasque Duce destituta dispersa eva-
nuit: at *Vizanus* non secus, atque *Carrarius* ab-
ductum a *Ghibellinis* ad *Guelfos Gernerium* cum
societate ejus asserit, at licet amicus factus tamen
principio anni 1340. *Bononiæ* agrum illac trans-
iens fæde diripuisse, at cum per Civitatem *Fer-*
rariæ transiret, ibi a Marchione captum, ad
Mastinum Scaligerum missum fuisse a quo aliquan-
diu post carcere liberatum: at interim societa-
tem *Acephalam* factam solutam esse. Ego in tan-
ta varietate Chronologi nostri coævi narratio-
nem suscipio. Postquam iterum in *Ariminensi*
agro per mensem morata fuit ad Castrum *Ron-*
tam venisse, ibi unica nocte moratam. Facile
autem credo ejus ab *Ariminensi* agro discessum
pecunia a *Malatesta* redemptum immo, & cæ-
teros fæderatos contribuisse stipendium ne suas
ditiones vexaret, quam tamen pactionem barba-
ries testante *Vizano* non servavit, in *Lombardia*,
etiam vastitatem intulisse, quam memorat *Car-*
rarius, at non captum ab *Estensibus*, sed auro
onustum valedixisse *Italiæ* insalutatoque exerci-
tu domum rediisse. Exercitum vero absque Duce

A relictum in partes multas divisum, alios bello 575
fessos penates repetiisse, alios variorum Princi-
pum, aut Civitatum stipendiis se se accommo-
dasse. Certum est societatis ejusmodi non am-
plius mentionem factam. Exemplo tamen fuit
illis, quæ sequentibus annis plures extitere. At Clemens 6. Pontifex.
ad annum 1342. redeundo. Obiit eo anno *Benedi-*
ctus Pontifex permagnæ integritatis die 7. Men-
sis Aprilis, cui successit *Clemens Sextus* die septi- Rubeus sub anno 1344.
ma Mensis Maji ejusdem anni, quo fuit Provin-
ciæ hujus Comes, & Rector *Aimericus*, alii *Ai-*
mericonem, alii *Aimengonem* dicunt, cum quo fæ-
dus percussere *Malatesta*, *Hostasius Polentanus*,
B *Joannes Manfredus Faventiæ* Dominus, *Ricciar-*
dus Alidosius Imolæ Regulus, *Bertolatius Mainar-*
dus Britonorii, Marchiones *Estenses*, *Tadæus Pepu-*
lus, & *Mastinus Scaligerus* adversus Vicecomi-
tem, cum quo *Franciscus Ordelafus* junctus erat:
cum itaque unus a cæteris Provinciæ dynastis, &
a Comite ipso dissideret contumaci, & irrefracto
in Pontificium Imperium animo erat, & Comiti
invisus, & cæteris infensus, jamque in Pontificia
excommunicatione magno spretu perseverabat,
unde *Aimerico*, vel *Aimingo* ex auxiliis *Estensium*,
Pepuli, *Imolensium*, *Faventinorum*que & *Polenta-*
norum validum exercitum contraxit in *Cæsenates*-
C que movit; forte *Guelfi* exules spem aliquam se-
ditionis appropinquantibus magnis copiis dede-
rant Comiti, vel in ultionem rebellionis ipse ten-
debat. Præterea capta *Cæsena* ex ea parte obno-
xius armis *Malatestiorum* fuisset, & solum reli-
ctum *Forolivium* (*Forum Popilii* spernebatur) Fa-
cile ut olim tempore Cardinalis *Bertrandi* oppri-
mi posse credebatur. Primus ergo insultus o-
misso *Forolivio* in *Cæsenam* fuit anno 1344. die Anno 1344. Chronic. & Rubeus.
28. Octobris DD. *Simoni*, & *Judæ* Sacra hora
tertia. cum Suburbium *Articliorum* invasit exer-
citus: at non territi tanto exercitu Cives occur-
rere forti animo, atque fortibus factis, adeo ut
D aggressores multis suorum interfectis prope fugati
Taipanum Territorii *Cæsenatis* villam petierint,
ibique dies decem mansere, facile ut vulnerati
curarentur. ob numerum Copiarum Comitis in-
ter munimenta permansere *Cæsenates* comprimen-
tibus, qui pro *Ordelafo* regebant: avidum facile 576
prosequendi victoriam Populum noluerunt aperti
belli cum tanto exercitu subire aleam. Velita-
tionibus aliquibus, & coërcitum a fusa popula-
tionem hostem, & populari ardori satisfactum,
exercitus inde Pontificius est *Foroliviensem* agrum,
revertens *Faventiam*, hostilem in modum late po-
pulatus verum *Forolivienses* ab ipso *Ordelafo* ducti
E fusos ad diripiendum milites non levi damno af-
fecere. Brevi sermone rem enarrat Rubeus.
Sed Armingo (inquit) *copias interea dum nihil agi-* Sub anno 1344.
tur pro Estensibus Cæsenam admovit, *inde mense*
Novembri traduxit Forlivium vastato agro, *verum*
antequam Faventiam pervenirent a Foroliviensibus
funduntur, *quod & a Cæsenatibus etiam illis conti-*
gerat. Certe Populi suapte natura bellaces sub
Principe belligero, & undique hostibus cincto
non nisi arma tractabant. Depulso Episcopo *Ac-*
ciaiolo, vel mortuo, vel ad aliam Ecclesiam tra-
ducto successit *Bernardinus Martellinus Florenti-*
nus Augustinianæ familiæ Alumnus, ac Sacerdos,
F Theologusque de cujus vita, atque in Episcopa-
tu functionibus nihil legi. Mortem autem ejus
fuisse anno 1348. die 28. Julii ex inscriptione in
ejus monumento non subterraneo, sed suspenso
posita intelligimus. Erat monumentum in Ec-
clesia D. *Augustini* marmoreum, cum hoc adscri-
pto epitaphio (nunc amplius non adest) in muro
prope Turrim molarem hujus tenoris. CIↃ. CCC.
XLVIII. *die vigesima octava Julii obiit venerabilis*
in Christo Dominus Frater Bernardinus de Martel-

linis de Florentia Divina miseratione Cæsenatensis Episcopus Ordinis Fratrum Eeremitarum Divi Augustini est hic intro tumulatus, Spiritus autem, &c. At ad seriem annorum revertendo. Quievit deinceps Comes Provinciæ, nec *Ordelafum* amplius armis vexavit: is vero censuris spretis in sua contumacia adversus Ecclesiam permansit, unde pro Hæretico, postea habitum, & declaratum intelligemus. *Malatestii*, & *Polentani* inter se fœderati Marchionibus *Estensibus*, & *Pepulo* amici pariter *Manfredi*, & *Alidosii*, & *Bertolatius*, *Mainardus Britonorii* Dominus, hi omnes cum *Armingone Mutinæ* convenere, ubi scilicet professi omnes
577 partes Ecclesiasticas; jamque Pontifex plenam potestatem *Americo* Cardinali S. *Martini* in *Monte* concesserat, qui eandem *Aimingoni* Comiti, & Rectori Provinciæ subdelegarat, exsolvendi è
Carrarius. censuris *Polentanum*, & Civitates indictis pro defectione a Pontifice quocirca exinde, ut Pontificiarium partium habiti, & adversus *Ghibellinos* fædus inivere. Erant autem *Ghibellini*, tum præsertim *Luchinus* Vicecomes *Mediolani* Princeps; *Aloysius Gonsaghius Mantuæ* Dominus. Marchio *Estensis*, scilicet *Opizo* suis copiis, & fæderatorum auxiliis fultus *Parmam* adivit, quam ab *Azone Corrigiensi* emerat, quod cum summopere *Luchino* Vicecomiti displicuisset per *Aloisium Gonsaghium* transmissis ipse tacite copiis insidias redeuntibus *Parma Ferrariam* struxit, primamque aciem, quæ longissime aliam, & numerosiorem præcedebat, oppressit, multis occisis, plurimis captis, & reliquis fugatis, quorum cum aliqui ad sequentem aciem aufugerint, acceptumque damnum, & insidias paratas indicaverint tota ea pars pedem cito retulit, & *Opizo* cum *Hostasio Polentano*, & *Malatesta Parmam* repetiit. Clades hæc die 24. Decembris ejusdem anni 1345. accidit: petiere postea *Ferrariam*, & inde domum rediere. Sequenti rursus anno iidem fæderati convenere copiisque coactis *Reginensem* agrum adversus *Gonsaghium*, & Vicecomitem vexavere, tamen quievere arma, & cum *Tadæus Pepulus* magnum adversus se bellum timeret, timor inanis evasit. Ita res hoc anno se habuit, *Guelfi* fæderati in *Lombardiam* adversus *Ghibellinos* contendere, at sequenti cuncta amica, nam *Opizo*, & *Hostasius* ad tollendos e Sacro fonte gemellos *Lu-*
Anno 1345. *chini* filios invitati sunt, qui comiter nedum sed splendide accepti munus illud Regia munificentia expedierunt, ad integrandam autem amicitiam *Opizo Luchino Parmam* dono dedit, quod egregium munus munere ipse sexaginta millium aureorum rependit: in regressu *Hostasius* ex carbonum accensorum vapore prope extinctus est: ignis enim in cubiculo ejus ad temperandum hiems rigorem accensus est, & licet vires postea resumpserit, tamen contracta noxa non funditus extirpata est unde *Ravennam* demum reversus die
578 14. Novembris anno eodem obiit. Hæc ideo scripsi ut causa quietis *Ordelafi*, & nostræ ab armis constet, neque Comes *Armerigo* semel fractus ausus est inferre arma, neque finitimi principes aliorsum versi aliquid moverunt. At anno sequenti domesticum dissidium, ac internecinum bellum inter se *Polentanorum* multo magis a lacessendo *Ordelafum* averterunt: *Hostasius* reliquit tres filios *Bernardinum*, *Pandulfum*, *Lambertum*, quorum *Bernardinus* ætate major *Ravennæ* dominus fuit renunciatus, *Pandulfus Cerviæ*, at *Lambertus* natu minimus, absque ulla ditione remansit. Erant *Cerviæ* simul *Pandulfus*, & *Lambertus*, qui convenerunt *Bernardinum* occidere, atque tum *Pandulfum* in *Ravennate* imperium transire,
Anno.1347. & *Cerviense Lamberto* relinquere. Erat jam annus 1347. cum simulato casu *Lamberti* ex equo
A ipsumque jam jacere moribundum exciverunt *Ravenna Bernardinum*: accurrit credulus Frater, at captus est & in arcta custodia positus. Tum *Ravennam* repente *Pandulfus* profectus, & nova fraude ingressus publicata morte ipsius *Bernardini* dominatum cepit. Re intellecta *Malatesta* advolavit, ejus enim intererat unitam perseverare eam ditionem, quæ ipsi amica erat. Conciliavit tandem Fratres, ut omnes pariter regerent, & imperarent, sed brevis concordia fuit, nam *Bernardinus* simulando sibi a Fratribus insidias utrumque capi jussit, atque in Arcem *Cerviæ* custodiendos amandavit, ubi etiam brevi tempore
B mortui sunt, adeoque *Bernardinus* solus universæ ditionis Paternæ Dominus extitit, quibus turbis effectum est, ut quies *Ordelasi*, & nostra imperturbata perseveraverit. At *Faventiæ* non levis seditio. Hæc vero fuit origo. *Clemens Sextus* cum intelligeret ditionem Pontificiam in *Romandiola* nostra immo, & *Bononiæ* specie potius quadam, quam re retineri, opusque ideo esse ad Provinciam recuperandam milite, & armis. Amoto *Armingone* misit *Astorgium Durafortium*, cui Pontifex Nepotem, aliqui dicunt Filiam in matrimonium junxerat. Cupidusque ideo extollendi divitiis, & honoribus hominem Provinciam *Fla-*
C *miniam* regendam tradidit, sed quod uxoratus esset profanis tantum illum negotiis: Sacris vero *Stephanum Faventinum* Episcopum præfecit. Ita 579
ergo jurisdictione divisa *Astorgius* cum in mandatis haberet, (ut conjicere licet) a Pontifice integrum Pontifici in Provinciam imperium asserere, venit etiam paratior ab armis: sedes erat pontificiæ curiæ generalis in Provincia *Faventina*, quo etiam recta ivit, & humaniter acceptus fuit, sed cum statim totam sibi jurisdictionem sumeret, *Joannes Manfredus*, eousque Dominus primo repugnare, deinde cedere coactus *Faventia* abire maluit, cumque in eum propensi essent, qui *Ba-*
D *gnacaballum* custodiebant illuc profectus Oppidum occupavit, ac munire aggressus est: verum *Astorgius* primum *Guillelmum Joannis* Fatrem cepit interminatusque *Joanni*, nisi Castrum redderet pacateque *Faventiam* reverteretur capite multaturum *Guillelmum*. Jam interminationis executionem mandaverat, cum *Joannes* non paruisset, sed *Faventinorum* preces, & juvenis innocentia dimovit a Proposito Comitem, qui eum etiam liberavit, verum ad obsidendum *Bagnacaballum* confestim profectus magnis copiis Castrum cinxit, cum itaque *Joannes*, neque opere, neque præsidio, neque commeatu satis locum munitum
E ad diuturnam tolerandam obsidionem nosset instituta negotiatione convenit tandem cum Comite, ut Castrum redderet, ipse vero cum suis in gratiam reciperetur, & cum decore nisi cum imperio posset *Faventiæ* manere, quæ omnia facta sunt. Eodem anno per *Flaminiam Romandiolam*que magna cum militum manu incessit *Ludovicus Ungariæ* Rex pergens in *Neapolitanum* Regnum, ut mortem Regis *Andreæ* Fratris suspendio, dolo, ut dicitur, Uxoris necati ulcisceretur; multoque cum honore exceptus fuit primum ab *Opizone Estensi Mutinæ*, deinde *Bononiæ* a *Tadæo Pepulo* in singulis locis cum splendido occursu. *Fran-*
F *ciscus Ordelafus* ad *Faventiæ* confinia cum militari comitatu trecentorum equitum, quingentorum peditum occurrit, *Foroliviumque* deductum magnifice hospitatus est prid. Id. Decembris, Rex autem honoris ergo *Franciscum* ipsum, & *Joannem*, ac *Ludovicum Ordelafos* ejus Filios equestri dignitate ornavit; prosequutus est Regem *Ordelafus Cæsenam*, ubi per noctem in Castro lauto epulo acceptus, est commoratus. Inde in *Apu-* 580
liam perrexit. Fuit hoc eodem anno annonæ omnis

omnis magna caritas, quæ plerunque est pestis prodromus: tum certe fuit illius, quæ sequenti anno universam ferme *Italiam* vastavit: legimus in aliquo nostrate manuscripto magna cura ejusmodi indigentiæ fuisse a Civitate nostra provisum. Hoc anno *Nicolaus Canalis* Archiepiscopatum *Ravennatem* ad *Patrensem* Ecclesiam promotus reliquit, ad quem Pontifex extulit *Fortanerium Vaselli* prius Serafici Ordinis Generalem Ministrum. Anno hoc millesimo trecentesimo quadragesimo septimo obiit demum *Ludovicus Bavarus* Imperator a Pontificibus refutatus: anno autem præcedenti in schismate electus fuerat *Carolus Quartus*, cujus electio probata est Pontifici, & anno post octavo insignia Augusta ab *Innocentio Sexto* per Cardinales *Ostiensem*, & Sancti *Clementis* ut Legatos *Romæ* in Divi *Petri* suscepit. *Franciscus* deinceps *Ordelafus Ludovicum* Regem non multos post dies scilicet quinta Februarii est prosequutus, integrumque mensem in ejus militia fuit: at *Astorgius*, qui ipsum præsertim adversus Pontificias partes contumacem esse noverat capta absentiæ ejus occasione infenso Exercitu agrum *Foroliviensem* vastavit usque ad Civitatis portas excurrens. Damna statim fuere per sollicitos Tabellarios *Francisco* significata, qui *Neapoli* erat felicis Regis victoriæ socius: ostensis is Regi literis redeundi veniam petiit, & obtinuit: die itaque vigesima quarta Martii *Cæsenam* rediit, inde *Forolivium* arma in *Astorgium* parans abiit; verum cum *Astorgius* forte contentum se solutione census, eousque denegati ostenderet, *Francisc*usque illum solverit redimens ita se a bello, quod incerti exitus futurum erat, & certe multo majoris impendii, pax confestim facta est, *Astorgius* enim res majores animo volvens pacem iniit. Mortuus erat anno præcedente *Thadæus Pepulus Bononiæ* Pontificius Vicarius, hoc est beneficiarius Princeps. Senatus autem, & Populare comitium paternum Imperium *Joanni*, & *Jacobo Thadæi*. Filiis tradidere. *Astorgius* ad eam occupandam aspirabat eo forte obtentu, quod Patri, non Filiis tradita fuerit administratio, & jurisdictio, vel quod non prius petita fuerit a Pontifice confirmatio. At sævissima pestis, quæ eo anno *Italiam* invasit, & misere vexavit suspendit arma. Fuit hæc illa lues, quæ in initio Decameronis a *Boccatio* describitur, an pingitur? Describit eandem *Mattæus Villanius* in principio. *Historiæ suæ Florentinæ*; eandem describit, & medicoteros *Guido Cauliacus* in *Chirurgico* opere. Maxima omnium quotcunque ab Orbe condito fuerunt, habetur: universam enim Terram, saltem tum cognitam subinde peragravit ab Eois Regionibus initio facto: orta est anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto in illis Orientis partibus, & inde in totam *Asiam* se fudit. Anno sequenti *Asia* relicta in *Aphricam* transivit, atque usque ad Occidentalem ejus partem percurrit Insulas etiam interjecti inter *Aphricam*, & *Europam* Maris funestas reddendo. *Europam* deinde occupavit in eam anno 1348. transmittens. *Avenione*, & in finitima Regione Mense Januarii incepit, septemque menses perseveravit in *Italiam* aliquanto levior eodem tamen anno pervenit in infectis partibus quinos menses ducendo, si *Mattæo Villanio* credamus, qui dicit *Florentiæ* ortam initio Aprilis, & usque ad principium Septembris perdurasse, at in *Flaminia* ex Chronici nostri assertione Junii Mense orta est, & usque ad Sanctissimum Christi Natalem, quasi permansit, ut amplius quam quinque menses virus suum hic effuderit: non etiam Borealioribus populis pepercit. Anno enim 1349. *Britannos Hiberniam* Septentrionaleque littus *Galliæ* infecit, & sequente anno

Archiepiscopus Ravennæ.

Chronicon.

581

Vizanus.

Tract. 2. Doct. 2. cap. 5.

Guido Cauliacus.

Clementinus idem.

A millesimo trecentesimo quinquagesimo *Germanos*, *Pannonios*, *Danos*, *Gothos* & reliquum tractum Aquilonarem oppressit, aliquanto tamen lenius, quam Australem vexaverat. Sæviente ergo in *Flaminia* peste *Astorgius* vel ad morbum horribilem declinandum, vel ad statum ditionis in *Italia* Pontificiæ clarius Pontifici repræsentandum *Avenionem* concessit, interim relicto, qui vices 582
suas sustineret, homine tanto honori non apto, nec pari, cum præsertim reliquisset ipse *Faventiam* perturbatam, cujus is perturbationis imprudenti consilio occasionem dederat. nemo distinctius rem totam *Mattæo Villanio* describit, cum
B itaque ipse sequar. *Astorgius* ergo ad Paschatis solemnitatem hilariter celebrandam *Joannem Manfredum*, cum multa *Faventiæ* nobilitate lauto convivio excepit, ibi inter pateras convivis calescentibus *Joannes Manfredus* indicavit Episcopum Civitatis esse Familiæ suæ jure quodam patronatus obligatum singulis annis in die Paschatis gallinam cum duodecim pullis mittere, & nisi miserit, licere sibi, & suis ex Episcopi coquina dapes, quotcunque ibi essent vi etiam armata, & effractis illuc portis irrumpendo tollere, ac exportare, si sibi Comes id ipse permittat jus mox suum exerciturum: imprudenti petitioni (nam
C Episcopus obligationi suæ satisfecerat) imprudentior assensus Comitis accessit. Misit ergo *Joannes* qui suis secures sumere juberet, & secum in Episcopium ad depopulandam culinam duceret. At nuncius cum solum secures sumere juberet, elataque id voce multi cum securibus, alia arma ceperunt ignari quid faciendum esset: ex copia vero familiarium *Manfredorum*, quæ magna erat armis sumptis magnus tumultus excitatus, ex quo commoti milites Comitis, quibus ob antiquam potentiam suspectus jure poterat esse *Manfredus* impetum in turbam eam armatam fecerunt, strepitu certantium audito Comes *Franciscum* a
D *Valle* Familiarem admodum *Manfredi*, qui ei occurrit ad suos misit, quibus juberet nomine suo una, & indigenis, ne amplius pugnarent. Is inermis illuc profectus etiam si jussa Comitis testaretur suspicionem *Gallorum* militum auxit, qui noverant ejus intimam cum *Manfredo* familiaritatem, unde in eum conversi ipsum cum tribus aliis *Joannis* amicis occiderunt: ægre admodum tulit carorum mortem *Manfredus* interpretatus id in magnum sui contemptum accidisse, qui inde etiam cognovit, qui essent militum adversus se animi, unde cum pristino amissæ dominationis dolori novus is injuriæ sensus accesserit tentare 583
E decrevit Comitis ab ea Civitate expulsionem, & pristini Principatus recuperationem. At egregie vultu dolorem, & odium texit, ac dissimulavit. Aditum demum præbuit *Manfredo* aggrediendi, & assequendi, quod animo proposuerat *Astorgii Avenionem* recessus, majore siquidem animo inceptum adortus primum incautum Procomitem sibi omnino devinxit, deinceps clam cæpit pedites *Faventiam* ducere, quos in certorum amicorum domibus occulte servandos seponebat: fuerunt, qui id præsentirent, & Procomiti indicarent, sed ob magnam habitam in *Manfredo* fidem indicia despexit, at cum demum inquisitio-
F nem adornare instituit, tum palam armis sumptis defectionem suam manifestavit *Joannes*. Non cessavit Procomes illi cum suis occurrere, & certamen in diem usque sequentem protractum, nec nocte diremptum, *Manfredus* vero cum parte suorum fossam Civitatis insedit, ut obvius esset ingressus auxiliis, quæ ab incolis *Vallis Anemonis*, & a *Polentano Ravennæ* Domino expectabat, atque advenere. Tum Procomes é Provincia *Gallus* cum tandiu certamen duraret impatientia gen-

gentis delassatus despondit animum, & Civitatem reliquit, etiam si superior viribus esset; munita loca omnia præsidiis ipsius firmata essent; major Populi pars pro eo esset; magna præterea suorum manu fulciretur. Tamen Civitatem reliquit, præsidia deduxit, omnia sua asportavit, & *Imolam* ivit, quam unam ex *Flaminiæ* Civitatibus retinebat. *Manfredus* tum fædus cum *Ordelafo* antea hoste contraxit, postquam defectio a Pontifice ambos conjungebat, & cum *Polentano*, & cum *Pepulis Bononiæ* Dominis, qui omnes sibi a Pontifice timebant, expediebatque adeo illis plures in eadem esse contumaciæ navi. Aliqui dicunt

Carrarius. *Ordelafum* nedum post occupatam *Faventiam* fœderatum, sed ad occupandam quoque auxiliatum esse. *Faventiæ* defectio accidit anno 1350. die 16. Februarii. Nondum autem redierat *Avenione* *Astorgius* ex *Mattæi Villanii* narratione, sed sub id temporis venit, atque accersitis undique auxiliis ab Archiepiscopo *Mediolani*, & ab *Estensibus*,

584 a *Mastino Scaligero*, & a *Bononiensibus*: hi enim etiam si occulte faverent *Manfredo*, & *Ordelafo*, ac Rebellibus *Flaminiis*, tamen palam officia subjectorum Pontifici, proque eo Comiti præstabant, timebant sibi a Pontifice cujus mens elucebat Imperium Ecclesiasticum liberum obtinendi. Versus ergo *Faventiam* ducto exercitu primum Castrum Pontis D. *Proculi*, post multam resistentiam vi cepit, & pro *Faventia*, quam si recta adivisset, facile obtinuisset, Castrum *Solaroli* aggressus est, & cepisset, nisi subdito, & effuso imbre impeditus fuisset. Interim tamen circumsedebat cum magno exercitu parvum locum astu sane, qui ex contemptu sui sperabat minus solertes ad custodiendam *Bononiam Pepulos* se redditurum, interimque seduxerat *Bononiæ* nonnullos, qui occiderent *Pepulos*, & *Bononiam* ipsi traderent: at conspiratione detecta palam occisi conspiratores. Mire tamen simulavit astutus Comes se ab ejusmodi proditione alienum pristinæ benevolentiæ signa retinendo: imo ad eam usque fiduciæ simulationem devenit, ut eorum consilio opus sibi esse significaret, multis enim undique difficultatibus circundatum esse, a quibus se prudenti eorum consilio extricaturum speraret, proindeque rogabat indicare ubi commodius illis esset, illuc se cum paucis venturum: victi malacia repræsentatæ benevolentiæ *Pepuli*, vel saltem non credentes erupturum in apertam fraudem Comitem in ea temporum, & rerum perturbatione; illum conveniendum statuerunt. Ivit ergo cum nobili comitatu ad illum *Joannes*, *Jacobo Bononiæ* remanente, qui primum ab *Astorgio* festivo vultu acceptus, eadem postea die in custodiam admodum arctam, cum Sociis in *Imolæ* arcem transmissus fuit. Statim autem *Astorgius* cum exercitu *Solarolo* relicto quod obtentu potius obsidebat ad Castrum D. *Petri* transiit, quod & obtinuit, cum *Dutia Varignano*, & omnibus aliis cis *Idicem* Castris, sed *Lugum* quoque & *Fagninum*, & *Piancaldolum* est brevi manu assequutus, verum *Bononiam* quoque facile obtinuisset, si stipendia militibus debita solvere potuisset, quæ cum

Mattæus Villanius. largius, quam pro meritis pollicitus esset, multo minus quam pro obligatione pendere valebat.

585 Milites ergo seditione facta non se ituros inclamavere nisi solutis antea debitis stipendiis. Is vero fuit tumultus, ut Comes loco eos ducendi adversus *Bononiam* sat habuerit quietos reddere. Pro debita interim pecunia assignando illis *Joannem Pepulum*, & *Opizonem* ejus, ex fratre *Jacobo* Nepotem, una cum S. *Petri Castro*. Fraude sua Comes fidem apud *Italos* amisit *Bononiam*que non recepit, immo ut in potentioris hostis manus deve-

A niret, causa fuit; Remora sane militum *Bononiam*, ne in *Astorgii* manus caderet, servavit; at captura *Joannis*, & *Opizonis Pepulorum* in eas angustias *Jacobum* adduxit ut *Bononiam Joanni* Vicecomiti *Mediolani* Archiepiscopo vendiderit, pars pretii fuit id quod militibus pro liberandis Fratre, & Filio *Jacobus* persolvit, & quo Castrum D. *Petri* ab iisdem Archiepiscopus emit. venditio *Bononiæ* anno 1350. in fine Octobris peracta est. *Astorgius* vero fide, & reliquæ *Flaminiæ* dominatu exutus solam *Imolam* retinuit. Sed ad *Ordelafum* redeundo, hæc ab eo facta fuere, & a *Cæsena*, locisque subjectis statim, atque *Faventia* ab Im-

B perio Pontificio descivit, cumque *Ordelafo* conjuncta tutiorem hujus statum reddidit usus opportunitate *Franciscus* loca eousque Pontificii Rectori obtemperantia usurpare adortus est. *Ludovicus* ergo ejus filius cum exercitu *Britonorium* invasit die 20. Frebruarii quatriduo scilicet post *Faventiæ* rebellionem. Erat *Ludovicus* Prætor tum *Cæsenæ*, vel sponte a Civibus, vel jussu Parentis electus: hic cum suis (utor Chronici verbis) benevolis *Cæsenatibus*, & amicis Castrum *Britonorii* viriliter intravit statim scilicet, atque exercitum in Oppidi obsidione collocavit, oppugnatione inchoata expugnavit duas portas, & eam Oppidi

C partem, quæ ad Prætorium usque pertingebat, inde & reliquam sensim partem cepit, demum machinis admotis vineis, & tectis cuniculis excavatis trimestri ferme oppugnatione Arcis Custodes ad deditionem compulit; die enim 10. Maji eam reddidere. At *Franciscus* Pater ipse die 13. Julii *Castrocarium* est aggressus exercituque cinxit, & frequente oppugnatione defatigatos Oppidanos, & præsidiarios milites ad 586

reddendum Castrum, & Arcem adduxit. Ea jam erat *Ordelafi* penes *Flaminios* existimatio, ut omnia ejus armis aperta viderentur, qua opinione ipse inflatus cæteris autem deterritis *Meldulam*

D invasit, in eamque irrupit prima die Augusti, & die Martis universum Castrum, & Arcem expugnavit, quem locum antea multo majore exercitu, ac apparatu frustra quadrimestri tempore obsederat, ea est vicissitudo rerum, tantaque vis est auctæ in hoste existimationis. Eodem, quo Pater *Meldulam* cepit tempore, *Ludovicus* filius *Cæsenæ* Prætor Castrum novum expugnavit; Mense postea Octobri die 4. ex *Apulia* rediens Rex *Pannoniæ Ludovicus* victor, ultus mortem *Andreæ* fratris, fuit *Cæsenæ* regali convivio exceptus, ibique per noctem mansit, inde *Forolivium* profectus pari honore, & luxu diem, ac

E noctem sequentem traduxit. Hæc ferme fuere anno 1350. in his partibus prophana facta. Par est modo Sacra referre. Eodem ergo anno Jubilæum celebratum est, quod sæculare, & centesimo quoquo anno *Bonifacius Octavus* statuerat, at ad quinquagesimum *Clemens Sextus* contraxit. Contractionis causæ fuere ætatis humanæ brevitas; pestis proxime elapsæ, quæ in borealioribus Regionibus durabat, terror, & antiqui penes *Hebræos* Jubilæi, quod in quinquagenos annos cadebat quædam quoad tempus imitatio. *Romæ* fuit indictum, ubi Basilicæ D. *Petri* D. *Pauli*,

F & *Lateranensis* tricies adeundæ erant, singulis diebus semel *Romanis*, quindecies reliquis *Italis*, at *Transalpinis* decies, & quibusdam etiam eorum tantummodo quinquies. Episcopus tum noster erat *Guillelmus Mirolius Cæsena* ortus; *Bononia* autem oriundus; successit hic *Martellino*, qui anno 1347. obiit: successit autem *Guillelmus* anno 1348. ut ex literis plumbeis constat *Clementis Sexti* ad eundem *Guillelmum* scriptis. Principium literarum est. *Dum ad universas.* Datæque sunt *Avenione* 5. Non. Octobris: repositæ sunt in Ana- Episcopus Cæsenæ.

na-

nalibus Minorum Authore *Valdingo* sub anno 1348. continent in summa literæ ob mortem *Bernardini Martellini* proximiore anno e vivis sublati, eam ipsi Ecclesiam traditam. Fuit autem *Guillelmus*
587 Minoritanæ Sodalitatis Sacerdos, & Monasterii *Bononiensis* Alumnus, cumque fuit ad *Cæsenatem* Ecclesiam assumptus Marchiæ (ut vocant) *Tarvisanæ* Inquisitorem agebat Judex scilicet delegatus causarum fidei erat in ea Provincia: suggessit hæc mihi cum his, quæ de *Vitali Guillelmi* successore postea dicemus *Bernardinus Manzonius* Minoritanæ, & ipse Familiæ Sacerdos Magisterioque in eo ornatus nunc *Pisarum* Generalis Inquisitor Nobili *Cæsenæ* genere ortus. Constat hinc *Guillelmum Cæsenatem* fuisse, *Bernardino* successisse, annoque Jubilæi Ecclesiæ præfuisse, verum parum accommodati erant *Cæsenates* ad fructum indicti Jubilæi, veniamque peccatorum obtinendam, qui sub injusto Ductore adversus Ecclesiasticam ditionem arma quotidie tractabant, injustis factis, & Pontificiis censuris involuti. Anno
Anno 1351. sequenti 1351. *Ordelafus* eadem afflante aura secunda ditionem suam extendit universa Comitis *Glazoli* loca occupando: primo autem die 27. Aprilis *Ludovicus* filius ejus jussu cum *Cæsenate*, & *Forolivii* Populo *Fontanam Frigidam* dicti Co-
Chronicon. mitis Castrum cepit die vero quarta Maji *Cuserculum* recepit, demum septima ejusdem mensis die *Glazolum* aggressus: adeo terruit felicitate cursus sui *Franciscum* Comitis *Glazoli* Filium, ut cum *Glazolo* Castra alia omnia sua dederit. Erat cum *Ordelafo* Abbas *Galeatensis* cum aliquot Castra beneficiario jure *Glazoli* Comes obtineret illi debitum vectigal sive censum non solvebat. At die 10. Junii idem *Ludovicus* cum *Cæsenate*, & *Foroliviense* militia adortus est *Dovadulam* Oppidum obsidione dierum 16. scilicet die 26. ejusdem Mensis Maji obtinuit. *Mediolanensis* interea Princeps, & Archiepiscopus *Joannes* Vicecomes post *Bononiam* occupatam Pontificis indignationem, & *Guelforum* commotionem providens fædus per internuntios cum omnibus Principibus, & Dynastis, ac Rebuspublicis *Ghibellinis* negotiatus est; præter *Picenos* alii omnes convenere, inter quos præsertim *Franciscus Ordelafus* fuit, adhæsit
Rubeus. etiam *Manfredus*, quamvis Factione *Guelfus* ob eandem rerum conditionem. sibi enim a Pontifice,
588 & ministris jure timebat iisdem de causis *Bernardinus Polentanus Ravennæ* Dominus se illis junxit: cum ergo exercitus Vicecomitis ad excludendum ab universa *Flaminia Astorgium* Comitem *Imolam*,
Chronicon. quæ sola Pontifici restabat, obsideret, subsidio ivere cum cohortibus suis ferme universis *Franciscus Ordelafus*, & *Manfredus* diuque in obsidione permansere, at magna fide, & virtute *Robertus Alidosius*, qui a Pontifice stabat, Civitatem defendit, qua in re *Blondus*, qui eam captam dicit, fallitur. Cæteri enim omnes repugnant, sicut contra non recipio Chronicon in eo quod
Rubeus, & Chronicon. in annum 1351. *Bononiæ* traditionem Vicecomiti, a *Pepulis* factam rejicit, nam obsidio *Imolæ* occupationem *Bononiæ* subsequuta est; non præcessit. His ergo annis *Ghibellina* factio in *Italia* eminebat ob Archiepiscopi *Mediolanensis* potentiam, qui flatui secundo vela permittens ad *Italiæ* imperium adspirare cæpit, unde *Apenninum* exercitibus suis transgressus *Burgum S. Sepulchri* cepit, *Pistorium* (licet frustra) tentavit, *Florentinos* vexavit. At anno 1352. Chronicon idem hæc de Sacra B. *Gregorii Magni* manu, quæ summo Dei beneficio ad nos pervenit, narrat, quæ omnino sunt notanda exscriptis ejusdem verbis. 1352. *In-*
Anno 1352. *dict.* 5. *die* 8. *Aprilis Venerandus Pater*, & *Dominus Guglielmus Episcopus Cæsenæ Sanctissimamque venerandamque manum S. Gregorii in suis manibus*
A *sociatus a toto Clero*, & *Populo Cæsenæ a loco S. Gregorii ad majorem Ecclesiam Cæsenæ reverenter portavit, atque translatavit*, & *in ipsa majore Ecclesia dimisit eandem, ut ibi perpetuo debito honore servetur.* Aliud tamen manuscriptum in annum multo posteriorem sub *Lucio* Episcopo rejicit: quam narrationem infra nos suo loco afferemus, & discutiemus. Hoc interim anno in his partibus nulla notanda commotio. At *Avenione* obiit die 6. Decembris *Clemens Sextus* in cujus locum eo- Mattæus Villanius.
dem Mense die 18. *Innocentius* itidem *Sextus* assumptus vir sane integer vitæ, doctrina tamen non insigni, at Pontificii juris plurimum reti-
B nens, unde destinavit in *Italiam* qui ditionis Pontificiæ loca a Tyrannis usurpata Sanctæ Sedi restitueret. Misit autem *Ægidium Carillam Albernotium* Cardinalem plena cum auctoritate belli, 589
pacisque Legatum. Is ante Religionis statum præclaris factis se militem strenuum, & Ducem Anno 1353.
peritum ostenderat. Ob idque Pontifex difficile adeo munus ipsi Cardinali jam a *Clemente Sexto* facto demandavit. Anno autem 1353. *Rubertus Tarenti*, *Aloysius Dyracchii* Principes *Tarvisio* redeuntes *Forolivium*, deinde *Cæsenam* venere utrobique splendide ab *Ordelafo* accepti. Fuerant hi capti a *Ludovico Ungariæ* Rege in cujus gratiam,
C ac favorem cum aliqua renunciare, aliqua polliceri convenissent, ut validæ obligationes essent, carcere dimissi (obsidibus tamen præstitis fratribus) *Tarvisium* ivere ibique ut in loco libero Tabulæ publicæ juxta conventa confectæ fuerunt. Erant hi Principes Regii Stemmatis *Neapolitanorum* Regum; & obsidum alter fuit *Filippus Ruberti Tarenti* Principis, alter *Rubertus Aloysii Dyracchii* Principis Frater. Non videtur tamen in anno consentire *Mattæus Villanius*, neque in captione *Aloysii*, qua in re ipse quoque libenter pro *Aloysio Philippum* captum substituerem. Sed ad nostram hanc Historiam *Neapolita-*
D *ni* eventus non valde pertinent, allego ergo Lectorem ad *Matthæum Villanium lib. tertio cap. 9.* ad nostra redeo. Hoc eodem anno 1353. quietæ fuere admodum res, at non animi in Provincia. Inter *Venetos*, & *Genuenses* fuerunt aperta bella, & ad id *Genuenses* redacti, ut desiderio ultionis, quam suis solis viribus non sperabant libertatem suam, ac Rempublicam Vicecomiti *Mediolani* Principi, & Archiepiscopo subjecerint. Quid non potest sæva ultionis libido? Inceperat eodem tempore Societas nova militaris (nisi latronum dicatur) quæ huc illuc vagans, vel direptione, & populatione pascebatur & ditesce-
E bat, vel a Principibus, & Rebuspublicis pro evitanda vastitate magnam vim pecuniarum exigebat, quæ sub ductu *Gernerii* fuerat, extinctam diximus: alia tamen sub eodem ductore, qui rursus *Italiam* repetiit, instaurata: sed hæc quæ magna dicta est sub *Monreali Hierosolymitano* Equite, & natione e Provincia *Galliæ* coadunata ex omnibus fere alis, & turmis quæ stipendio hujus, vel illius Principis, ac Reipublicæ victitare solebant. Mirus erat in animis adeo inordinatis 590
ordo, miraque in tanta gentium diversitate concordia, in tanta iniquitate fides inter se, & justitia, prædarum enim justa distributio. *Monreali*
F nobilissimi homines, qui sub eo militabant promptissime ut Imperatori parebant. Sub eo autem erant *Corradus Lupus*, *Fentius Baro* magnus, Comes *Brocardus*, *Americus Cavallettius*, qui postea societatum ejusdem generis fuere Duces. Erat *Monrealis Malatestæ* infensus, quoniam *Malatesta* a *Neapolitano* Rege *Aloysio* accersitus latrocinia ejusmodi militaria inhibuerat, & *Monrealem* tum minoris aciei ductorem in Arce *Aversæ* obsederat, & ceperat, & male parto thesauro spolia-

liaverat. Fuit hæc magna odii materia, at non defuere folles, qui ignem flatibus incenderent *Franciscus Ordelafus* a *Malatesta* Factione dissonus tum præsertim ejus incrementum immodicum invido, & suspicioso animo spectabat. Exiguo enim tempore ab anno scilicet 1348. *Anconam*, *Asculum*, *Esium*, *Auximum*, *Orcianum*, & totum fere *Picenum* acceperat; tantam finitimi Principis & dissentientis potentiam ægre ferebat *Franciscus*. Tum vero magis cum obsideret *Firmum Malatesta* in eoque *Gentilem Molianum* ejus Civitatis Principem, & *Ludovici Ordelafi* levirum: hunc *Malatesta* bis acie fregerat, & multis locis spoliaverat, & tunc arcta obsidione, & valida oppugnatione premebat, ut certe nequaquam diu duratura esset defensio. Junctis ergo
Matt. Vill. lib. 3. c. 88. Officiis, & Gentilis, & qui invigilabat progressibus *Malatestæ Franciscus Ordelafus Monrealem*, & societatem ejus sollicitavere adversus *Malatestam* incendereque tum memoria antiquæ inimicitiæ, tum oblatione pecuniæ (triginta autem millium aureorum fuit oblatio) quam promissionem obsidibus traditis firmavere. Adventu Societatis *Malatesta*, qui cum erat Filius *Malatesta Ungarus* vocatus, solvit obsidionem; inter obsides fuisse eundem *Ludovicum Ordelafum Francisci* filium scribitur. Chronicon nostrum narrat ad societatem illam accessisse *Ludovicum*, sed non dicit ivisse ut obsidem licet neque neget: verba sunt. 1353. *in ditione sexta die 15. Novembris Magnificus, & potens vir Dominus Ludovicus de Ordelafis in Marchiam ad magnam compagniam accessit, & in ipsa*
591 *compagnia stetit usque ad ultimum diem Maji anni sequentis, in quo die venit Cæsenam.* Facile ergo est ibi mansisse quousque pars pecuniæ a Parente debita soluta fuerit, expediebat præterea conciliasse sibi per Filii consuetudinem *Monrealem*, & cæteros ductores *Ordelafo* in tanto excessu virium tum *Malatestiorum* finitimorum Principum, tum Pontificis legitimi usurpatæ ditionis Domini. *Malatestii* sane eo tempore florebant, & late, longeque effusa ditione, & Imperatoriæ peritiæ laudibus. Ductores enim excellentissimi habebantur, tum *Malatesta* Senior, tum *Galeotus* Frater, tum *Malatesta Ungarus* Filius a *Florentinis* a Rege *Neapolitano*, ut Exercitibus suis præessent non semel accersiti. Habebat itaque unde suspicaretur *Franciscus Ordelafus* homo alioquin ferox, & cum *Bernardino Polentano* eadem timente animis, & amore conjungeretur: sed &
Rubeus sub anno 1354. causa conjungebantur etenim a Pontifice utrique dies dicta quo coram *Avenioni* se sisterent. Amicitiæ inter eos argumenta venditio jurium omnium, quæ tum ipse, tum *Ludovicus* Filius, & Nepotes ex Fratre haberent in *Cannutio*, & D. *Zachariæ* agri *Ravennatis* parte, & quæ in Plebatu *Romæ* utrinque a Flumine *Sapi*, & quæ præterea jura in bonis *Bernardini* Comitis *Cunii* iidem *Ludovicus* Filius, & Frater, & Nepotes acquisierant, vel via publica limite, vel *Sapi*, vel confiniis *Cæsenæ* terminatis. *Manfredus* quoque *Joannes* cum his ut contumacia adversus Pontificem, ita fædere nectebatur. Sola *Imola* in Pontificia ditione perseverabat. *Bononia* a Vicecomite primum usurpata, deinde voluntate Pontificis beneficiario jure possidebatur sub obligatione solvendi in singulos annos in subjectionis signum florenorum duodecim millia, cum vero maxima *Mediolanensis* Archiepiscopi potentia cæteris *Italicis* Principibus terrori esset, nec ipse cessaret modo *Florentinos* vexare, modo *Venetos* urgere, causam præbuit, quam ob rem adversus ipsum fædus *Veneti Scaligeri Veronæ* Domini, Marchiones *Estenses*, ac *Gonsaghii Mantuæ* Principes inierint, qui magnam etiam societatem sua

A ad stipendia conduxere. Societas itaque transmisso *Apennino* in *Lombardiam* profectura die 10. 592
Augusti in agrum *Arimini* venit, dieque sequenti *Budrium*, *Gatteum*, & *Bulgariam* concessit, ubi biduo morata die 13. per Suburbium *Trovæ Cæsena* transivit, at *Franciscus* majorem ejus partem *Forolivii* admisit, ejus scilicet captans amicitiam, & benevolentiam, inde *Faventiam* eadem die pervenit extra tamen Civitatem hospitium invenit. Nusquam credo innoxias servasse manus: attamen minus fuisse in ditione *Ordelafi* gravem. *Mattæus Villanius* morem eum in ejusmodi Societate describit non consuesse in agris, quos
B a se servatum iri pollicebantur, excursionem, aut populationem committere, attamen, quæ obvia illis erant pro usu equorum, & suo sumebant. Verum in *Bononiensem* agrum cum pervenerunt, illum passim, ut Vicecomiti subjectum diripuere. *Mutinensem* pariter fæde vastaverunt, in *Bononiensi* autem Territorio incenderunt *Budrii* Castrum, & *Ricciardinam* præter alia damna. Prius autem mutuos sumpsere a quæstore *Bernardini Polentani* quingentos aureos justi ponderis. Jam Cardinalis *Egidius* missus a Pontifice Legatus maxima cum potestate in omnem citra *Neapolitanum* Regnum *Italiam*, in eam venerat anno
C præcedente 1353. cumque per *Insubriam* transisset magno cum honore eum *Mediolanensis* Archiepiscopus suscepit per totamque ejus ditionem publice, & laute cum toto famulitio ali cumque decoro obsequio, & recipi, & deduci jussit. Solum a *Bononiæ* ingressu prohibuit, unde flexo itinere *Florentiam* die secunda Octobris pervenit, ubi & obsequio & muneribus cultus auctus etiam equitibus centum quinquaginta in custodiam datis recessit; *Romani* cum eum *Falisci* esse noverunt civilibus inter se dissidiis fracti ejus imperium sub certis quibusdam conditionibus postulavere; quorum voluntati se se accommodavit, ex qua
D conventione *Romanorum* vires suis copiis adjunxit, cum autem hyeme ab armis quievisset solum judicio, & censuris in Præfectum Vici Tyrannum eo tempore Urbis Veteris, & *Viterbi* quem primum de tyrannide deturbare statuerat processit. Novo autem tempore eum armis aggressus primum *Tuscanella* vulgo vocata, po- 593
stea *Viterbo*, & *Urbevetere*, & reliqua ditione spoliavit. *Ugubium* deinde accepit, & postea *Firmum* a *Gentile Moliano* deditum, & *Gentilem* in fidem recepit: concessitque ut Arcem adhuc retineret quousque nummos mitteret, qui ad solvenda militibus *Gentilis* debita stipendia satis es-
E sent: dum autem paucis diebus Legatus supersedit *Franciscus Ordelafus*, & *Malatesta* agnoverunt si *Firmum* etiam in manus Legati deveniat, non posse se ejus potentiæ, & fortunæ resistere, cui jam *Umbria* cesserat, jamque *Piceno*, & deinde *Romandiolæ* imminebat: utrique eorum diem dixerat Cardinalis, qui se coram eo sisterent & cum non paruissent excecrationibus Ecclesiasticis subjecerat, atque omni ditione, dignitate, & honore sententia lata privaverat. *Franciscus* ergo *Ordelafus* ejusmodi consideratione commotus nulla ratione præcedentis offensionis habita *Ariminum*, & *Malatestam* adivit, qui fiducia ejus commotus
F honorifice hominem, amiceque excepit, & cum eadem ipse non semel considerasset, qui propior erat periculo, decreverunt suadere *Gentili* ne Arcem redderet spondente *Malatesta* Portus *Firmani* a se olim occupati restitutionem, & fædus, & amicitiam, cumque ea conditio, & consilium *Gentili* probaretur, *Ludovicum Ordelafum* ejus levirum cum ducentis equitibus misere, qui clam civibus Arcem ingrederetur, indeque cum *Gentilis* milite, & amicis Civitatem excurrerent, & studiosos Im-

Imperii Pontificii excluderent, vel saltem deterrerent. Omnia ad exitum deducta, & fœdus inter eos stabilitum. *Carolus* interea Imperator electus ad Coronas accipiendas, & ferream *Mediolani*, & auream *Romæ* approbante, vel etiam suadente Pontifice venerat; qui prius in *Lombardia* diu moratus pacem inter Vicecomites ex altera parte & ex altera fœderatos Principes jam commemoratos conciliavit, inde Vicecomites *Galeatius*, & *Barnabas* fratres, & *Joannis* Archiepiscopi recens mortui Nepotes milites multos dimisere, quorum mille, & quingentos equites *Franciscus*, & *Malatesta* ad sua stipendia rescripsere. Imperator postquam
594 *Mediolani* Coronam suscepit *Pisas* profectus; in quam devotam imperio Civitatem ad Imperatorem obsequii ergo profecti sunt ambo *Franciscus*, & *Malatesta*: sic Chronicon nostrum. 1355. *indictio octava Mensis Maji Magnifici, & potentes viri Domini Malatesta de Malatestis, & Franciscus de Ordelafis ad Civitatem Pisarum ad Dominum Impe-*
lib. 4. c. 43. *ratorem accesserunt.* Qui fuerit aditionis exitus nihil addit, at *Mattæus Villanius* exprimit, dum honorem exhibitum *Ordelafo* a *Florentinis* Imperatorem cum multo armatorum Comitatu adeunti detestatur, ut exhibitum homini *Ghibellinorum* Duci *Florentinis* inimico, & execrationibus Pontificiis non semel devoto. Subjungit etiam inhibitum fuisse ne ingrederetur in Civitatem *Pisarum*, eo quod ab Ecclesia damnatus, ejusque hostis esset. idem facile *Malatestæ* accidit, sed ejus non meminit *Villanius* illud unum tum digressionis cujusdam loco intendens invehere in *Ordelafum*, & in eos Cives, qui tunc *Florentiam* regebant, eosque impertiti indecenter honoris damnare. Credere autem par est *Malatestæ*, & *Ordelafi* consilium fuisse, post præstitum obsequium se pro Imperialibus Vicariis Civitatum subjectarum venditare, suadereque ne quod Imperii antiquitus erat, ipse permitteret a Pontifice usurpari: at Imperator, qui nullas turbas in ditione Ecclesiastica excitare volebat, ac pollicitus erat, nec audivit preces, nec auditas exaudisset.
Matt. Vill. Lib. 4. Cap. 25. in fine. Destituti hac spe fœderati tres tyranni, non tamen disponderunt animum, copias ad Legato resistendum parant. Cardinalis quoque audita *Gentilis* defectione *Flaminiorum*que cum ipso fœdere nequaquam territus ingenti animo ad eorum oppressionem intendit. Ducem summum sui exercitus *Rodulfum Varanum Camertium* Principem, sed Ecclesiæ tunc dedititium, cui exercitui quingenti Equites ab Imperatore missi accesserant, creat. Occupavit munire *Camers* provido consilio *Recinetum* Urbem, ut esset *Malatestæ*, & fœderatis obex, qui eam Civitatem destinaverant ad incolendum *Germanis* mille quingentis a se ut proxime dixi conductis, at cum ad eam profecti sunt adeo munitam reperere ut frustra tentata, & oppugnata parum decore recesserint. (idem Vill. lib. 4. c. 57. & 62.)
595 Cæpto jam bello *Franciscus Ordelafus* ipse quoque in *Picenum* profectus est, ut cominus bello interesset, ducenti equites, sed selecti cum eo erant. Innotuit *Rodulfo* per exploratores iter, & numerus Comitum hostis duplo ergo plures in insidiis, qua transiturus erat *Ordelafus*, collocavit: verum cum, & caute hic procederet, & pro studio partium utrinque clandestini nuntii commearent, insidiæ paratæ tanto prius innotuere *Francisco*, ut potuerit se in tutum recipere, at vir ferox veterani etiam militis sui virtute fretus consulto ad periculum accessit. In duas vero turmas alam equitum diviserat, prima, & anterior invadere debebat inimicos, in secunda,
Matt. Vill. lib. 5. cap. 6. quæ sequebatur Dux ipse erat. Magna virtute ergo prima perculit hostes, & terruit adeo ut cum eminus aciem sequentem viderint, in fugam se dederint, at ducentos, & amplius victores eos consequuti ceperunt. Erat fœderatorum Dux generalis *Galeotus Malatesta*, qui rursus bis, vel cum hac victoria, vel ultra illam Legati Milites vicit, unde jam inimicos prorsus spernebant, qui spretus causa fuit, quam ob rem *Malatesta* Frater ad colloquium, cum Legato coram Imperatore *Carolo* non convenerit, quod ipsemet antea opera *Neapolitani* Regis quæsierat, & obtinuerat, nec qui excusaret misit, unde iratus Legatus illum horrenda execratione percussit, & qui illum sequerentur, armaque majore apparatu intulit. Visa est Divina ultio Ecclesiasticis imprecationibus adstitisse, nam cum *Galeotus* exercitu suo Oppidum agri *Recinetensis* circumvallasset, castris muro usque munitis illum spernentem, & non præcaventem *Rodulfus* Pontificiorum ductor invasit, & post acrem pugnam copias omnes *Galeoti*, etiam ipso vulnerato, & capto debellavit, quem ad Cardinalem *Ugubii* degentem duxit, ibi in diligenti custodia habitus est. Fregit clades *Malatestæ* animum, qui ideo imploravit Imperatoris auctoritatem ad conciliandam inter ipsum, & Legatum pacem, nec renuit pacificus Imperator paci operam dare: frontem tamen ditionis suæ inimico oppositam reparato exercitu munierat *Malatesta*, & Cardinalis excellentis etiam in armis consilii non remittens victoriæ cursum, occupavit Castra aliquot *Malatestæ* in 596
Piceno subjecta, & in *Flaminiam* ad ejus distrahendas vires alias copias submisit. *Rhambertus Malatesta Glazoli* Comes, sed ab *Ordelafo* universa ditione exclusus, erat tum *Ordelafo* ob tantam injuriam tum *Malatestiis Ariminensibus* ob occisionem Avi, & Patris inimicus. Confugit is ad Cardinalem *Egidium*, ut ei operam navaret ad recuperanda ea, quæ Ecclesiæ erant sibique ad ulciscendos inimicos, & ad sua recipienda deserviret. Amplexus est hominem Cardinalis, tumque traditis quingentis equitibus, & quingentis Villan. Lib. 5. cap. 24.
peditibus in *Flaminiam* amandavit ad rebellium Principum ditiones vexandas, & si contigerit occupandas. *Rhambertus* ardens animi tanta cum diligentia profectus est ut improvisus *Arimino* adfuerit, adeoque imparatam invenit Civitatem, ut fere eam occupaverit, attamen defendentibus se Civibus, atque in tempore Portis clausis ea spe decidens *Sancti Archangeli*, *Veruculi*, *Saviniani* Oppida cepit. Chronicum tamen nostrum, quod insultus in *Ariminum* non meminit, *Balachios S. Archangeli* Dominos desciviſſe ab *Ariminensibus*, & Ecclesiæ gentem advocasse asserit. Verum exercitum Ecclesiæ, cui Oppidum reddidere fuisse a *Carolo* Comite *Dovadulæ* ductum numeroque octingentorum equitum, & quingentorum peditum extitisse; priusque apud *Rontam* agri *Cæsenatis* fuisse, deinde sequenti die 12. Maji ad D. *Archangeli* profectum esse, atque possessionem, & S. *Archangeli*, & *Saviniani* accepisse. Quæ non prorsus inter se cohærent. Forte hæc ita componi possunt, postquam ab oppugnando *Arimino Rhambertus* decessit, tum *Glazolum* adivisse prius, illudque a Præfecto Castri pro *Ordelafo* simulatis ejusdem literis obtinuisse, consequuta etiam aliquorum aliorum minus munitorum occupatione. Tum ergo junctis etiam suis, & Comitis *Dovadulæ Caroli* militibus cum interim *Balachi* a *Malatestiis* desciverint, audito *Galeoti* infortunio ad D. *Archangeli* profectum esse, & una cum ipso *Veruculum*, *Sabinianum* pro Ecclesia cepisse, ex quibus locis, ceu propugnaculis ad id excitis *Ariminensium* & *Cæsenatum* agros subinde populabantur, licet recuperationem hanc *Glazoli* a *Rhamberto* ponat sub anno 1356. Matt. Vill. *Lib. 6. cap. 22.* quem sequitur *Clementinus*, at certum (Clementinus in vita hujus Ramberti anno 1356.) 597

Galeotum captum, & cum custodia detentum, ac etiam liberatum anno 1355. quo tempore ex
lib. 5. c. 34. *Clementini* etiam narratione *Rhambertus Ariminum* aggressus est, & prior *Mattæus Villanius* dixerat. At Mense eodem Maji compositio tandem Imperatoris opera inter Legatum, & *Malatestam* facta. Restituit hic omnes *Piceni* Civitates ultra *Metaurum*. Solum quattuor Civitates relictæ beneficiario jure in duodecimum annum *Ariminum*, *Pisaurum*, *Forum Sempronii*, *Fanum*, cum interpositis oppositisque Oppidis. Cardinalis liberavit nedum *Galeotum* cum reliquis captivis, sed in gratiam recepit, atque ductui ejus exercitum adversus *Ordelafum* commendavit, quodque ejusmodi dignitatis signum est vexillum in quo est Ecclesiæ insigne (colligatæ scilicet aurea, & argentea Claves) tradidit. Jam exsolvit *Malatestiorum*, & *Ordelafi* fœdus. *Gentilis* quoque & *Ordelafi* mox evanuit. Mense enim sequenti Junii *Firmani* se se Legato una, & *Gentilem* in Arce obsessum tradiderunt. Legatus vero confestim Arce capta *Gentilem* in custodia vinctum habuit. Restabat *Ordelafus* adversus Ecclesiam pertinax, cui tamen adjungebatur *Joannes Manfredus Faventiæ* usurpator, cujus in fœdere *Ordelafi Malatestæ*, & *Gentilis* nulla mentio a *Villanio*, atque a reliquis Scriptoribus, ego quoque non annumeravi, sed verisimile omnino est, qui eadem a Legato expectabat cum aliis conjunxisse ad resistendum vota, & vires. *Florentini* se se immiscuere imminenti jam bello, ut pacis sequestres inter Cardinalem, & *Ordelafum*, at ab hoc ferox responsum retulere, se cum Cardinale non conventurum, nisi ditionis præsentis extremam usque glebam retineat, at si omnia, quæ habet concedantur, beneficiario jure accepturum, & censum omnium soluturum; ex quo responso reliquerunt *Florentini* desparatæ pacis negotiationem. Cum vero ex fœderatis jam inimici rursus *Malatestii*, &
Chronic. Forolivii. *Ordelafi* evasissent. *Ludovicus Ordelafus Cæsenæ* Prætor copias adversus *Montilianum* tunc *Malatestæ*, & *Galeoti* Oppidum duxit, & populatus
598 est, die Julii 26. At mense Aug. 17. die in agro *Cæsenate* pugna, non tamen summis copiis inter
Lib. 5. c. 77. *Ordelafi* milites, & Pontificios fuit, quam hunc in modum *Villanius* refert. *Carolus Dovadulæ* Comes Pontificius Miles, una cum *Francisco*, & *Nicolao Ramberti* Comitis *Glazoli* Filiis ducens equites centum præter pedites multos agrum *Cæsenatem* deprædando prope *Cæsenæ* mænia usque excurrerunt, cumque id *Ciæ* uxori *Francisci*, & Civitatis custodi renunciatum esset, conscendit armata equum, & militibus excitatis, suoque exemplo animatis est in prædatores profecta, ac consequuta tanta virtute eos perculit, ut tandem vicerit vulnerato *Carolo*, & captis ambobus *Glazoli* Comitis filiis cum aliis multis. *Carolus* autem ex pugna excessit, ac eodem die ex vulneribus obiit. *Forolivii* Chronicon in omnibus convenit, at *Ciæ* non meminit, dicit autem fuisse milites *Ludovici*, qui pugnarunt, & ejecerunt *Ludovicum* autem *Cæsenæ* permansisse ad quem captivi ducti fuerunt, inter quos memorat *Nerium Isii Arguliosi* Fratrem; *Franciscus* autem cum videret jam se premi primordiis belli decrevit loca munita demoliri ne ipsi ad eorum defensionem distrahendum esset vires, & capta ab inimicis pro propugnaculis adversus Civitatem essent. Mense ergo Novembris, ac Decembris Castra *Montis Boræ*, *Saliani*, ac *Formignani* cæteris scilicet firmiora opere, & situ demolitus est. Cardinalis interim hyberno eo tempore *Francisco Ordelafo*, & *Joanne Manfredo* perduellionis, & hæresis pu-
Villanius l. 6. cap. 14. blico judicio damnatis Concionatores dimisit, qui Crucibus distributis Populos adversus eos summo-

A verent ad arma capienda, vel pecuniam pro stipendio militum erogandam veniam ob id ac expiationem delictorum a pænis, quæ remissa etiam culpa post mortem manent, pollicendo: magna vis pecuniæ ita quæsita. Bellum autem in Maji Mensem anni sequentis 1356. indicebatur. In principio ipso anno 1356. obiit *Ludovicus Ordelafus*, mortem hunc in modum refert *Forolivienſe* Chronicum. 1356. *indictione nona die primo Januarii Magnificus, & potens Vir Dominus Ludovicus de Ordelafis Cæsenæ de præsenti vita migravit, eademque die Forolivium portatus fuit honorifice tumulatus.* Verum Auctor vitæ *Nicolai Rentii* hoc 599
B modo mortem describit, *Ludovicum* scilicet adiisse patrem, cumque suppliciter orasse, ne adversus Ecclesiam adeoque adversus Deum pugnaret proponendo Legati humanitatem in *Malatestios*, eandem ipsum etiam sperare posse. At Patrem exasperatum respondisse Filio: Tu spurius es, atque ad Baptismatis Fontem pro meo suppositus. Furorem tum Patris verens *Ludovicus* abiit, at Parens ira incensus pugionem in aversum jecit, vulneravitque ad renes, ut sequenti nocte obierit. Si vera hæc sunt, Pater tum *Cæsenæ* erat, ubi facile adhuc morabatur occasione eversionis Castrorum, cujus nuper meminimus. At die deinceps 10. Mensis Martii aggres-
C sus est munitionem ad Civitatis defensionem admodum utilem. Vallis, quam *Cæsis*, seu *Cæsaula* vulgo dicta findit inter duos Montium tractus (Collium aptius dixerim) jacet: alterius Collis extremum, seu promontorium *Garampa* dicitur, alterius *Mons Sacri*, & *Mons Mauri*, alias *Saltus Spatiani* vocabatur. In illo Murata olim dicta, & arx sita est tum vetus cujus solum ruinæ aliquæ supersunt; tum nova ducentis circiter ab hinc annis constructa. In hoc est Templum D. *Mariæ* Sacrum in præsentia satis amplum, & magnificum cum nobili cænobio, olim minoris multo molis, & tempore imminentis belli humi-
D le, & partim ruinosum. Collis est extra mænia Civitatis, at illi imminet; unde collocatarum ibi machinarum jactui patebat pars multa Civitatis. Ejusmodi ergo locum reparavit *Franciscus*, & muris, ac propugnaculis muniit; præterea vero, & fossa profunda cinxit. *Forolivienſe* Chronicum rem ita enarrat. *Eodem millesimo, & indictione die decima Mensis Martii Dominus Capitaneus Forolivii, & Cæsenæ locum Ecclesiam, & Montem S. Mariæ in Monte de prope Cæsenam reponi fecit, ipsumque locum Ecclesiam, & Montem ut Castrum cum magnis fossatis, & palatis in fortilitiam deduci fecit.* Cum autem locum muniret *Franciscus*
E jam in agrum *Cæsenatem* Legati exercitus ingressus erat, & remotiores ejus partes saltem extra duo millia passuum depopulabatur, Mense enim Februarii exercitum Cardinalis in Territorium *Cæsenate* venisse *Villanius* scribit, postque Civita- 600
tem obsedisse in eaque obsidione mansisse usquequo magna societas Comitis *Landi* in *Romaniam* venit, tum autem obsidionem *Cæsenæ* jussu Cardinalis solutam. Idem Villanius *lib. 6. cap. 7.* ubi dicit, cum Societas Comitis *Landi* ex *Apulia* in *Romandiolam* venisset Legatum declinato prudenter cum militia congressu solvisse *Cæsenæ* obsidionem, & ab incepto bello cum *Ordelafo* ma-
F num abstulisse. *Ordelafus* autem mercatum rerum venalium instruebat militibus unde emere possent quibuscunque egerent, at Centurionibus, & ductoribus majoribus munera multa donabat, quibus eorum benevolentiam captabat; milites etiam ut minori illi oneri essent in *Ravennate* agro populando morabantur indeque victitabant. At *Forolivienſe* Chronicum non ponit astrictam obsidione *Cæsenam* anno 1356. sed ab exercitu Legati vagante per agrum, & diu hic, illicve morante mes-

messe, & reditibus exutam, quo facto fami mancipabatur, proindeque non accommodata reddebatur obsidioni diutinæ tolerandæ. Hæc est hujus narratio. *Eodem Millesimo die 2. Maji Rubertus de Imola* (erat hic Alidosius) *cum gente Ecclesiæ venit in exercitum apud Rontam comitatus Cæsenæ, & die 3. D. Galeotus, & D. Malatesta Ungarus venerunt cum magna gente apud Portum Cæsenæ, & comburi fecere totam palatam dicti Portus, & die 5. dicti mensis Maji venerunt apud Rontam ad alium exercitum Ecclesiæ ibidem existentem, & die 9. dicti Mensis Maji recessit dictus exercitus a dicto loco, & ivit apud Limatam, & ibi stetit usque ad 14. diem dicti mensis, ipsaque die de mane recesserunt, & iverunt in exercitum apud Pontem Ronchi Comitatus Forolivii, & in dicto comitatu Forolivii steterunt usque ad diem ultimam Mensis, ipsaque die redierunt in exercitum apud Turrim D. Episcopi prope flumen Sapis die vero prima Junii recesserunt omnes cum dicto exercitu, & iverunt apud Malatardum, & ibi steterunt usque ad diem Sabbati XI. dicti mensis. & eadem die iverunt, & posuerunt se in exercitu apud Bulgariam, & die 13. ejusdem Mensis recesserunt.* In hac narrationum diversitate illud est constans Societatem in *Romandiolam* initio
601 Augusti pervenisse, commorata vero est in Provincia usque ad diem Septembris Vigesimum, inde in territorium *Bononiensem* ivit: in *Romania* vero dum venit *Arimino* declinato *Cæsenam* accessit die decima Augusti, ejusque univer-
Chronicon Forl. sub anno 1356. & Matt Vill. l. 7. cap. 33. sæ hospitium fuit in Suburbiis *Trovæ* foris, & S. *Zenonis*; die sequenti in territorium *Forolivii*, & *Ravennæ* abiit, diesque quadraginta unumque morata est, deinde abiit: post cujus recessum Cardinalis bellum resumpsit: verum id providens sagax vir *Ordelafus*, ut damna populationum sarciret, atque commeatum pro sublato, & consumpto reficeret, cum universo prope equitatu, & peditatu *Cæsenæ*, & *Forolivii* ad Suburbium D. *Juliani Arimini* se transtulit die 17. Mensis Octobris improvisus: ibi insignem prædam cepit; multas domos combussit, multos captivos abduxit: Legatus tamen in victoriam toto animo intentus primum *Manfredum* aggressus est, ut eo expugnato tanto facilius ferum *Ordelafi* animum undique ceu cassibus cinctum domaret. Mense ergo Novembris exercitum adversus *Joannem Manfredum*, & *Faventiam* misit, quæ cum arcta obsidione premeretur *Joannes* rem secum melius deputans novit se imparem defensioni longe esse (ea erat Cardinalis *Egidii* potentia, & virtus) unde ad conventionem, & pacta descendens his conditionibus Civitatem reddidit die 10. Decembris. Conditiones fuere. ut ipse Oppidum *Bagnacavalli* ab Ecclesia, & Cardinali ejus nomine beneficiario jure haberet, patrimonium, & cætera omnia bona sua retineret omnesque reditus inviolatos: tum ergo impletis conditionibus Cardinalis *Faventiam* intravit, & in primis ab omni censura, & Pontificia execratione, ac pæna absolvit. Fuit cum festivo occursu a Populo exceptus cum præsertim in fine tyrannidis *Joannes* multos Cives,
Zuccoli Chronicon. quibus parum fiderat, occidisset. Cardinalis *Faventiæ* multa amoris signa exhibuit .foro enim murum circunduxit, & ex scriptorum temporis illius testimonio primam ipse petram in fundamentis Ecclesiæ D. *Petri* (est ea Ecclesia major) posuit, licet alii *Manfredis* ædificationem tribuant. Tum Cardinalis ob hyemis sævitiem in hyberna exercitum remisit. Jam etiam *Ravennates* cum *Bernardino Polentano* in gratiam cum
602 Cardinali redierant juramento novo fidem, & obedientiam Pontifici Summo, ac successoribus, ac ejus ministris spondentes indeque ab omnibus in quas ex superiore contumacia inciderant, pænis Ecclesiasticis, & prophanis exempti, & absoluti fuerunt. Solus ergo *Franciscus Ordelafus*, cum universa ejus ditione in contumacia perseverabat, a qua nec virium disparitas, neque Ecclesiæ reverentia ferox animus dimovebatur. Quinimo convocatis *Foroliviensium* Comitiis quid sibi faciendum esset, eos consuluit. Responsum fuit, Villanius l. 7. cap. 28.
notam esse Populi universi erga *Ordelaforum* familiam devotionem, & fidem, nedum eos in secunda fortuna coluisse, sed in adversa, & bonis, & personis juvisse, & ad imperium Civitatis reduxisse, crederet idem semper pro occasione facturos; interim tamen cum tanta sit Legati potentia ipse vero contra ab omnibus olim fæderatis desertus judicare omnes cum Legato conveniendum sub quamoptimis liceat conditionibus, ita servando sua, & Civium suorum bona, ut integræ sint vires, quæ pro occasione sint ipsum ditioni suæ restituturæ. Audito consilio Civium ipse hæc contra pronunciavit. Hoc a se animo statutum esse nunquam cum Cardinale convenire, nisi universam sibi ditionem relinquat: secus autem se primo defensurum *Cæsenam*, & *Forumpompilii*, & cætera Oppida, deinde *Forolivii* mænia, postea illis captis vias, & fora, & demum palatium suum, & ad extremum ejus novissimam Turrim. Hoc fuit consilium, cujus ipsos gnaros esse volebat: inde vero universos est mixtis minis deprecatus, ut solitam, & antiquam fidem sibi præstarent. Ex altera parte *Avenione* venerat novus Legatus ad recuperationem locorum, quæ restabant prosequendam Abbas *Cluniensis* revocante Cardinalem *Egidium* Pontifice. quæ causa revocationis non satis constat: Aliqui scribunt a Cardinale ipso procuratam: alii & verisimilius, magnam societatem militum in *Gallia*, & Provincia sub ductu Comitis *Allobrogi* coactam terrorem incussisse Pontifici, atque Pontificiæ aulæ. Cardinalis ergo adornabat profectionem, sed primum indicto *Fani* conventu ad se primores recuperatarum Regionum, & Oratores Civitatum ac Oppidorum evocavit, ibique laudata omnium erga 603
S. Sedem propensione, ac fide, omnes hortatus est ad novi Legati cultum, ac obedientiam eandem, quam sibi præstandam; cujus Legati virtutem, & merita extulit, verum Concilium non probavit ejus tum discessum, immo omnes rogarunt priorque rogavit novus Legatus, ut reliquias belli jam adversum *Ordelafum* instantis ipse prosequeretur. Omnem mutationem posse incepto esse exitiosam. Cessit tandem Cardinalis, & ad bellum prosequendum se accinxit. Conventus au- Anno 1357.
tem habitus est die 17. Aprilis die vero 24. ejusdem Mensis collectis undique copiis jussit in *Ordelafi* ditionem arma moveri in *Foroliviensem* ergo agrum pervenere, omnia populando, at *Franciscus* mænibus se continuit. *Cæsenatem* etiam vexavere, & Castrum *Montis Vecli* cepere, licet Chronicum *Foroliviense* in præcedentem annum Matt. Vill. lib. 7. c. 58.
referat, ultroque a custode redditum, sicut etiam Castrum *Scanelli* die 18. Julii. *Cæsena* duas tum partes habebat, interiorem alteram, & eminentiorem Muratam nomine; undique scil. muro circundatam, & in ea adhuc castrum erat longe munitum opere, & situ, olim ab *Aimerico* e Castro *Lucii* exædificatum: pars autem exterior fossa tota circundata erat, at muro partim, partim autem adhuc vallo. Custodiam Urbis, ut jam diximus uxor *Francisci* obtinebat nullo fortissimo viro minor. Accedente vero exercitu, & obsi- c. 58. l. eod.
dione imminente, ut *Villanius* narrat, cum Cives impares se nimium viribus Legati viderent certumque excidium resistendo expectarent, decreverunt Cardinalis copias admittere, adeoque Consilio indicato Cardinalis ipse statim illuc quin-

gentos equites miſit, qui a Civibus inſcia *Cia* ſu-
ſcepti, ipſam cum præſidiariis ejus in Muratam,
annitentibus etiam Civibus repulerunt. *Cia* ergo
cum omnibus, & equitibus, & peditibus in Mu-
ratam repulſa tres Cives deditionis conſcios, &
authores in Mænibus ipſis obtruncari fecit; cada-
veraque ad rebelles Cives projecta deorſum. An-
nales noſtri diſtinctius narrant. Verba ſunt. pla-
cet exſcribere, & ad unguem referre. 1357. *in-
dictione decima die Sabbati* 29. *Menſis Aprilis poſt
nonam in qua die fuit Feſtum S. Petri Martiris No-
biles viri Marcus, & Poltronus Fratres nati quon-
604 dam nobilis viri Philippini Marchi de Ottardis de
Cæſena Joannes, qui dicitur Savanella Fratris Ma-
ſii de Auguſellis, & Ubertinutius Fuſci de Articli-
nis inceperunt rumorem in Civitate Cæſenæ excla-
mantes vivat Populus, cum omnibus aliis Cæſenati-
bus continue exclamantibus vivat Populus, & Sancta
Eccleſia violenter Dominam Ciam uxorem Franciſci
de Ordelafis, tum dictæ Civitati dominantem, Si-
nibaldum eorum filium, Joannem, & Thebaldum
filios quondam Domini Ludovici de Ordelafis, cum
omnibus ſtipendiariis equitibus, & peditibus ſuis,
ac etiam Adulfis, & aliis ſuis ſequacibus intra Mu-
ratam viriliter retruſerunt comburentibus, & igne
cremantibus diabolico ſpiritu inſtigatis omnes Do-
mos, & Stationes circa plateam inferiorem exiſten-
tes, & Beccariam novam, & Stationes quondam
Cecchi Lapi, & Domum Poltroni Philippini, & ge-
neraliter omnes alias Domos, & Stationes uſque ad
Portam Leonis, & Pontem novum, & ab alio la-
tere uſque ad Beccariam veterem, & eadem die ea-
dem Domina Cia prædicta capi fecit Georgium de
Tibertis, cum multis aliis, & in Caſtro illico car-
cerari.*

Subjungit poſtea.

Eodem milleſimo, & indictione die Sabbati 13. *Maji
Domina Zia de Ordelafis prædicta fecit decapitari
Scaruglinum de Petragudola & Georgium de Ti-
bertis.*

Thomas autem *Fortifioca* ſcriptor vitæ *Nicolai
Rentii*, vel ut ipſe vocat *Colæ Rientii*, quædam
addit, quæ ad ulteriorem cognitionem lumen
præbent. Dicit ergo præ aliis, *Ciam* a marito
literis monitam, ut capite multaret quattuor Ci-
ves quorum nomina cum poſterioribus Chronici
convenerunt, duo alia *Jacobi Baſtardi*, & *Pala-
cini* non conveniunt; *Rubeus* quinque memorat
addens quattuor Chronici *Jacobum Baſtardi Au-
guſelli*, quem ſcilicet memorat *Fortifioca*, qui
præterea ſubjungit *Ciam* literas mariti oſtendiſſe
Scaruglino, & *Georgio Tiberto* marito amiciſſimis,
quos, & illi pro conſultoribus aſſignaverat. Eos
autem diſſuaſiſſe executionem quod viri illi probi
eſſent, & *Ghibellinæ* partis ſtudioſi, poſſe tamen
(quam ipſi diligentiam pollicebantur) diligentius
eorum facta attendi, & occulta etiam, ſi quæ
605 condant animo conſilia explorari, licet ex reliqua
vita nullus etiam ejuſmodi ſuſpicioni ſit locus.
Mulier ergo conſilio acquieſcens nihil adverſus
eos Cives ſtatuit, at cum ipſi tumultum excita-
verint, & re ipſa *Franciſcum* vera providiſſe con-
ſtitit, tum damnata fide *Scaruglino*, & *Georgio* a
ſe habita ambos captos in carcerem detruſit &
obtruncato capite ambos peremit: decimo quar-
to poſt die ſi Chronicon ſpectemus, citius multo
ſi *Fortifiocam*, & *Villanium* attendamus, quorum
ille mortem eorum non probatam marito ſcribit.
Non eſt vero ipſi fides adhibenda, dum dicit
quatuor eos Cives, quos occidi juſſerat *Ordelaſus
Guelfos* fuiſſe, erant ſane *Ghibellini* ut de *Articli-
nis*, & reliquis etiam conſtat, & antea vidimus.
At defectionis eorum, & Populi ab *Ordelafo* cauſa
fuit, quod mite ab initio, & populare regimen
tempore in tyrannidem eamque intentam evaſe-

A rat: conſilii, & Magiſtratus nulla amplius liber-
tas: omnia ab unius nutu pendebant, ut ſi *Guelfi*
a Civitate ejecti erant; *Ghibellini* ab adminiſtra-
tione ſaltem excluderentur. Priorem ergo ipſi
quoque libertatem popularis ſtatus, quam ſub
Eccleſia ſperabant augurabantur. Hæc intima
rebellionis cauſa. Adventu ergo exercitus Legati
animati, & Populum, & Eccleſiam inclamavere,
& ſtipendiarios *Ordelafi* milites, cum uxore, &
Nepotibus in muratam rejecere, ſtatimque Car-
dinali innotuit per diligentes Civium nuntios *Cæ-
ſenam* ab *Ordelafo* deſciviſſe, & imperium Eccle-
ſiaſticum ultro quærere. *Matthæus Villanius* dicit l. 7. cap. 59.
B tum jam in Civitatem admiſſos mille quingentos
Ungaros Cardinalis milites. At *Fortificca* nequa-
quam ingreſſos *Ungaros* Civitatem dicit, ſed circa
eam obequitaſſe, ut *Cæſenates* in propoſito confir-
marent. Legatus exercitum univerſum ad obſi-
dendam partem nondum redditam miſit, & ipſe
quoque cum exercitu acceſſit. Erant copiæ cen-
tum octoginta circiter vexilla. *Malateſtii* erant
Ductores, & *Rubertus* etiam *Alidoſius Imolæ* pro
Pontifice Rector, quem tum *Malateſta* cingulo
militari ornavit. Legatus autem obſidioni cura
diligenti incumbens *Muratam* ex parte exteriori,
& foſſa, & aggere, ac vallo undique cinxit, ne
C auxilium ullum intromitti poſſet. Narrat *Villa-* 606
nius captum a Pontificiis cænobium in colle ſi-
tum æqualis, ac Caſtrum altitudinis; quod nul-
lum aliud eſſe potuit, quam quod in *Monte Sacro*,
ſeu *Mauri* reſtitutum ab *Ordelafo*, & in Caſtri
modum munitum proxime diximus. Ex parte
etiam Civitatis adverſus Præſidii eruptiones ſe ſe
munivit, frequenter autem obſeſſores oppugna-
bant, & repugnabant obſeſſi. Scribit *Villanius*
Pontificios milites direptione vexaſſe Cives, qui
idcirco turbati, & mutati propemodum volunta-
te Cardinalem coëgerunt diligentiore, & vali-
diore cuſtodia uti: nil tale meminit Chronicon,
D immo *Cæſenates* omnes ad oppugnandum pari
cum militibus ardore conveniſſe. attamen copias
numeroſas aliqua in Civitate receptas, aliqua ra-
pina, aliqua vi uti, quam diſſimulent interdum
etiam ſi bene animati Duces in Militia longe ab
antiqua *Romana* diſciplina aberrante, quis non
credat? expediebat Civibus tamen citæ expugna-
tioni reliquæ partis navare operam, ut exercitus
inde recederet. Erant in *Muratæ* mænibus binæ
Turres, altera ad Plateam ſuperiorem, altera ad
Portam per quam erat in *Muratam* ingreſſus,
utranque aggreſſus eſt Cardinalis cuniculis, ſcili-
cet infra fundamenta penetrando, ut ſubjectis
E fulcimentis tota demum innixa, ex eorum com-
buſtione evertantur, & ruant. Everſa primo eſt
Turris ad *Plateam*; non ex ejus ruina fuit aper-
tus ad ingreſſum aditus. Erat quæ ad Portam
tota fulcris ſubnixa. Cum non potuiſſet excava-
tionem *Cia* impedire, Cives plures ſuſpectos in
Turri incluſit. In *Murata* enim, & domus, &
viæ erant, atque habitationes, permiſitque ut
uxores, matreſve, aut filiæ, aut ſorores inclu-
ſorum Civium exirent è *Murata*, & Cardinalem
illac tranſeuntem ad operas viſendas adirent; ante
eum ergo proſtratæ miſericordiam iteratis voci-
bus poſtulabant, & Cardinali petenti quid ſibi
F vellent: ne Turrim tum everteret ſupplices pe-
tierunt. Suos enim homines innoxios, & Pon-
tifici devotos morituros. Erat ea mora ex uſu
obſeſſorum attamen Legatus viam invenit inclu-
ſos recipiendi, deindeque igne injecto Turris 607
cecidit, & aditus ad *Muratam* apertus. verum
Cia interim ſeptum paraverat aggere, & vallo,
& foſſa ingreſſum impediens die tamen 17. Maji
univerſus exercitus jubente, & aſſiſtente Cardi-
nale expugnationem tentavit maxima virtute pu-
gna-

gnaverunt Pontificii: attamen ea fuit resistentia præsidii, ut post longum certamen Pontificii re infecta recesserint, multos tamen defensores occisos, ac vulneratos oportet fuisse: nam cum nova obsessores diligentia aditus ampliores, & faciliores complanaverint desperata defensione Milites *Ordelafi* omnes relicta *Murata* in Castrum se die 27. ejusdem Mensis retraxere. Supra conditionem nedum fæminæ, sed fortis viri in defensione *Muratæ* prudentis Ducis, & fortissimi militis munia *Cia* implevit: exsurgit in *Murata* collis biceps, in altero ejus vertice Arx vetus insidebat, quam scilicet postremo *Americus* è *Castro Lucii* excitarat, in altero Ecclesia major D. *Joanni Baptistæ* dicata, & Episcopi Ædes. Tempore D. *Severi* Ecclesia major erat Divi *Joannis* Evangelistæ in *Murata* nunc etiam existens: hæc postea in sublimiore loco ædificata fuit sub D. *Joannis Baptistæ* titulo; postea vero cum eodem in loco Arx nova excitata fuerit, in planitiem translata servato titulo D. *Joannis* Baptistæ in Parœciam Crucis Marmoris, & Episcopium adjunctum, ut modo visuntur. Tum autem cum præ altitudine, præsertim Sacræ Turris Arci officeret; *Cia* desperata defensione *Muratæ*, & ad Arcis defensionem se restrictura Turrim eam everti jussit, & re ipsa eversa fuit consilio militari, ni pio. Est hoc illud Templum D. *Joannis* Baptistæ cujus sub anno 1182. cum *Leonardus* Episcopus sedem obtinebat, memini, sed redeo. Restabat ergo Castrum solum mulieri magnopere tum situ, tum opere tum milite munitum: verum Cardinalis urgens opus nullum otium militibus, neque operis permittebat; illud est in omnibus verum at in bello præsertim; semper nocuit deferre paratis; at id præterea Cardinalem festinantem reddebat, quod magna Societas sub *Corradi Landi* 608 ductu in *Bononiensi* agro morabatur absque omni injuria; suspicabatur itaque Legatus ne in subsidium *Ordelafi* ad solvendam *Cæsenæ* obsidionem venire intenderet, & vere *Franciscus* auxilium a *Barnaba* expectabat, in quo uno ejus spes collocabatur, & enixe auxilium flagitarat, & suppeditare *Barnabas* non minus cupiebat, verum id aperte facere, & inimicum se Pontifici, & Legato palam ostendere non expediebat. Cum societate ergo clam convenit pecunia missa ut *Ordelafo* suppetias ferret, quocirca Cardinalis quotidiana fere militum oppugnatione defensores fatigabat, & aditum tentabat, & cuniculis ad evertenda mænia, & Turres grassabatur; machinis quoque in Arcem saxa maxima projiciebat quibus tecta frangebantur, & homines, si forte in eos inciderent, conterrebantur; at invicta Dux, neque diu, neque noctu cessabat, & consilio, & manu occurrere hosti; frequentibus eruptionibus retardabat opera, & dirutis muris aggeres, & vallum apponebat. At multitudo operarum, & militum qua abundabat Cardinalis, & summa ejusdem diligentia, & vigilantia superabat defensorum providentiam, & fortitudinem. Eo res jam redacta erat, ut maxima Turris Arcis ipsius meditullium, & robur tota ferme palis ab hoste suppositis sustineretur: erat prope in manu obsidentium igne injecto fulcra comburere, quibus

A combustis turris everteretur. Commotus periculo imminenti filiæ *Vannes Ubaldinus Susinanæ* Comes *Ciæ* Pater, qui pro Cardinale militabat, petita ab eo licentia in Arcem ad Filiam vadit, & post paternum amplexum ejus constantiam, ac fortitudinem, & providentiam ubique militarem summopere laudavit, tantaque & tali Filia se merito gloriari dixit, cujus virtutem admirationi esse hostibus, restitisseque diutius dicebat maximo exercitui, ac fortissimo post defectionem etiam Civitatis quam quivis alius veteranus miles duxque restitisset: nunc ad eum statum Arcem obsessam redactam, ut nihil aliud possint defensores B expectare, quam cadentibus undique ruinis degenere morte opprimi; postquam ergo existimationi suæ, sed etiam fortissimi cujusque Ducis supra omnem fidem satisfecit ulterius perseverare potius desperati animi quam fortis haberetur, cedat fortunæ, & verius Divino impulsui cui amplissima Regna, & Imperia cedunt. Consideret 609 consilium esse Patris, qui ultra paterni amoris instinctum, est ejus gloriæ, & esset dedecoris particeps: at brevibus respondit Filia. *Cum tu Pater me Marito, ac Domino meo tradidisti, monuisti etiam ut in omnibus ei obsequerer, & obtemperarem; id huc usque præstiti, & præstabo posthac usquequo* C *vivam. Ipse jussit, ut non nisi missa tessera de qua convenit, Civitatem hanc redderem, ab ejus præcepto, ne certa quidem mori recedam.* Pater admiratus constantiam Filiæ, & imminenti periculo ingemiscens recessit. Verum militum præsidii Centuriones, ac Duces cum jam desperatam ulteriorem defensionem, & certam mortem eamque indecoram viderent, mulierem compellavere: Præstantissima, & fortissima mulier, quos labores, quæ pericula, quæ vulnera pro te passi sumus, ea nostram fidem testantur, ut eam repræsentare verbis; putidum sit. quousque militaris fortitudo locum habuit mortem contempsi- D mus, at nunc non nisi patientia indecoræ mortis superest, quam nemo egregius miles sustinere debet sed potius desperata mancipia. Statuimus ergo, nos omnino è periculo eximere Arcem cedendo. hoc præmonuimus ut sit tibi locus conveniendi, & quam optimas conditiones ab hoste querendi: tum Mulier fracto nequaquam animo, cum etiam milites vera dicere intelligeret, respondit, postquam is esset eorum unanimis consensus permitterent sibi deditionis conditiones cum Legato negociari: acquieverunt milites, qui virtutem ejus admirabantur, adeoque etiam magnanimitati ipsius fiderent; ipsa ergo cum Cardinali E egit, ut milites, quorum opera usa erat in Civitatis, & Arcis defensione incolumes essent, suaque asportare possent, ipsa vero cum *Sinibaldo* Filio, & Filia cumque duobus ex Filio *Ludovico* nepotibus, & duabus ex filia *Gentilis Moliani* Uxore Nepotibus captiva remaneret. Adeo maluit magnanima mulier ostendere se gratam militum fidei, quam sui, ac suorum pignorum libertatem quærere: *Fortifioca* id interpretatur à muliere ob timorem mariti, ejusque feritatis factum. At de tanta Heroina nil nisi magnanimum credi ac existimari debet. Facta est deditio anno dicto die 21. Junii.

FINIS LIBRI TERTIIDECIMI.



LIBER

610 # LIBER DECIMUS QUARTUS.

Anno. 1357.



UID adeptus Civitatem ad ejus constitutionem Cardinalis fecerit ut *Guelfos* tandiu exules reduxerit, ac profugos, desideratamque Patriam, ac bona illis restituerit, scilicet *Azardis Calesidiis*, aliisque præclaris Civibus interpretari potius licet quam legere nulla enim pars majore cum ariditate scripta. Curasse vero ut dejectæ in bello, & combustæ ædes restaurarentur, illud suadet amplissimum Prætorium quod in Murata suis expensis pro Rectorum sede exædificavit, cujus adhuc reliquiæ supersunt, & testimonium in *Blondo* habemus in *secunda Decade lib. decimo*, cujus infra verba exscribemus. Hæc vero nunc dicta sunt ut conjiciamus quanto magis jusserit deformatæ Urbis, ac juverit reparationem. Quod ad regimen vero Civitatis virisimile est electionem Prætoris, Præfectique sive alio nomine Rectoris Civitatis sibi reservasse, ac Provinciæ Comiti, cæterum Ma-
611 gistratus antiquos, & consilia tum Senatum scilicet, tum Comitia reliquisse: atque eo modo Civitatem ex omnibus suis Civibus (exulibus restitutis) constitutam sub Ecclesiastica libertate tranquille degisse. *Britonorienses* etiam (quod ad tranquilliorem Civitatis viciniam pertinuit) Legati jussa fecere. De modo tamen non conveniunt Scriptores. Quoddam nostrum monimentum dicit se sponte dedisse Oppidanos die 28. Junii. At *Matthæus Villanius* sub die ultima Junii ponit, neque ab Oppidanis deditam, sed oppugnatam a militibus Legati, eorumque duce *Galeoto* cumque *Britonorienses* cum præsidiario milite erupissent, certamenque cum obsidentibus iniissent; actos in fugam tandem cum inimicis mixtos in Oppidum rediisse, ibique redintegrata pugna, & ipsos victos, & oppidum captum arce adhuc in *Ordelafi* manu permanente; in quam milites, & populares ex fuga se recepere, reliquo Oppido ad diripiendum Pontificiis relicto. Expedita direptione arctam arcis obsidionem instruxit Dux, nec cessavit Cardinalis machinas illuc mittere, & alias instituendas curare, quibus præsidium vexaretur, cuniculis pariter operæ ad muros, & Turres evertendas excavandis perpetuo labore incumbebant. Erat in conspectu obsessi loci, & obsidentium ad *Bedesi* pontem magna societas Comitis *Landi* ab *Ordelafo* conducta, sed suasione, & pecuniæ *Barnabæ* Vicecomitis inducta verum tectis omnino operibus, & consiliis ne Pontificem, & Legatum inimicos faceret. At ea erat firmitas valli, quo Castra, & Castrum *Galeotus* sepserat ut omnis aditus fuerit occlusus ad auxilium obsessis subministrandum, & deficiebat commeatus ob multitudinem gentis, quæ in arcem post Pontificiorum victoriam confugerat. Pacti itaque sunt milites longiore defensione desparata se reddituros die 21. Julii arcem nisi intra id temporis suppetiæ aliquæ immittantur, & nulla præstita ope die 24. dedidere arcem in conspectu magnæ societatis cum ingenti ejus dedecore, insignique Cardinalis gloria. Commorante autem eodem in loco cum exercitu Comite *Lando* continuit Cardinalis *Britonorii*, & *Cæsenæ* copias, noluitque unius pugnæ aleæ vir prudens
612 tot victorias, & victoriarum fructus committere, neque poterat diu alicubi ea colluvies consistere, quæ rapinis vivebat, at quivis locus brevi exhauriebatur, ipsam autem stipendio more militari

A sustentare vix erat aliquis opulentissimus Princeps, qui diutius posset: nec destiterat Legatus horrendis execrationibus universam eam societatem damnare, & dimissis quocunque concionatoribus excitare populos ad capienda arma, vel ad stipendia contribuenda, adversus latrones detestandos, Matt. Vill. l.7. cap. 84. & Fortifioca.
collecta inde magna, & hominum, & pecuniæ subsidia. *Florentini* soli miserunt publico nomine septingentos cataphractos equites, cum sagittariis octingentis sub *Apardi Donati* ductu, at privato nomine, & sumptu ducenti alii equites, bis mille pedites ex eadem Civitate, territorioque accesserunt.
B Attamen tot licet auctus copiis noluit se incertitudini pugnæ committere Legatus, sed potius cum *Lando* convenit ne toto triennio vexaret (quinquaginta florenorum millibus acceptis) ditionem Pontificiam *Florentinam*, *Pisanam*, *Senensem*, ac *Perusinam* subscripsere conventioni *Florentini*, & cæteri; gravate tamen *Florentini* ut *Villanius* asserit, qui factum Cardinalis, ut degener amarulente damnat, tot enim a *Florentinis* submissa auxilia, ut cum societate illa confligeret, non componeret. priusquam *Bertinorium* Pontificii Castrum novum *Cæsenæ* occupaverant. Erat id Castrum, quod ad occupandam *Meldu-*
C *lam* excitasse, & munivisse *Ordelafum* antea diximus. tot victoriis auctus Cardinalis *Egidius* molliter tamen cum *Francisco Ordelafo* agere statuit, misit ergo (si *Fortifiocæ* credamus) qui moneret restituere, quod retinere jus vetabat, & præsentes vires spem retinendi auferebant, pollicereturque uxoris, & filiorum, ac nepotum liberam restitutionem, sed exasperatus non territus infortuniis *Ordelafus* ferociter respondit. Cardinalem antea sibi visum hominem catum, at tunc belluam fatuam videri; si in sua manu Cardinalis fuisset, ut in ejus potestate sunt sui jam triduo suspendio vitam finivisset. Sed *Fortifioca* multa
D scelesta *Francisco* dicta, factaque tribuit, a nullo alio scripta, ut occisionem *Ludovici* Filii antea descriptam, & filiæ ejusdem, dynastæ cuidam 613
Picenti nuptæ sæviorem adhuc mortem, quam hunc in modum contigisse narrat. Cum Filia matris captivitatem audivit, adivit patrem, ad ejusque pedes provoluta supplex petiit, ne parentem suam tantæ virtutis mulierem in carcere detineri pateretur: ideoque quod unum remedium apparebat, cum Ecclesia conveniret. Nullum responsum sævus pater reddidit, sed arreptis comis ense caput abscidit. Horum sit penes dicentem fides. Cum *Egidius* pertinaciam hominis
E agnosceret amota jam Societate magna, una cum *Arduino* novo Legato magno instructo exercitu est *Forolivium* aggressus: duo millia equitum, Vill. Lib. 7. cap. 49.
multa millia peditum coactæ copiæ erant. Vastaverunt agrum longe lateque, verum neque vastitate commota, neque oppugnatione Civitas, ut diuturna obsidione opus esse ad eam obtinendam, constaret. Cardinalis ergo novis literis a Pontifice (ut credere par est) evocatus relicto *Arduino* *Avenionem* abiit, ut quæ *Ordelafo* restabant *Forolivium*, *Meldulam*, & si quæ alia, vel ad deditionem compelleret, vel expugnaret. Sunt qui dicant ante *Egidii* decessum, *Forolivium*
F etiam obtentum, qui coævi fuerunt bello Scriptores *Fortifioca*, & *Mattæus Villanius* ante captam eam Civitatem discessisse *Carillam*, & non nisi post ejus reditum in *Italiam* ab ipso victum, ac debellatum *Ordelafum* unanimes scribunt. In hac diversitate præstat veritatem gravibus testimoniis

moniis fulcire. Graviora, & certiora testimonia eorum, qui tum vivebant. *Fortifioca* refert post Cardinalis admonitionem, quam proxime retulimus, ut restitueret, post *Cæsenam* amissam, & *Britonorium*, alia quæ retinebat *Forolivium* scilicet, & reliqua, & post duram *Ordelafi* responsionem subjungit statim Cardinalem *Avenionem* abiisse. Refero verba ipsa *Fortifiochæ* antiqua lingua vulgi *Romani*.

Admonitio Legati.

Pò la presa di Cesena lo Legato mannao allo Capitanio dicenno cosinto. Capitanio renni quello, che tio non ene (cioè rendi quello, che tuo nonè) *Io ti renno tia Donna, Filiato, e Nepotiti.* (cioè ti rendo tua Donna, tuoi Figli, e tuoi Nipoti. Responsio *Ordelafi*.

614 *A queste paravole lo capitanio deo quessa respuosta. Dicete allo Legato ch'io credeva cha fosse savio huomo, horamai lo tiengo per una bestia pazza, diceteli, che s'io haves si havuto in presone esso, tre dii passati sono, ch'io lo haberia appeso per la canna, come esso have havute le cose mie.* Sequitur statim discessus Egidii.

Innurato (cioè indurato) *l'animo di si perverzo patharino heretico, Don Gilio lo Legato antico se partì, e gione in Provenza.* (cioè giunse in Provenza.

Constat hinc ergo cum *Carilla Avenionem* regressus est, nondum fuisse *Forolivium* captum. Idem præterea testatur, quæ tum sequuntur ejusdem Authoris verba. Repeto postrema jam memorata, ut conspicua sit conjactio.

Don Gilio lo Legato antico se parti, e gione in Provenza, come la Compagnia sentio approssimare D. Gilio alle finaite cosi se deslequao come faco la poca neve à fervente Sole, remase lo Legato novello lo Abbate di Borgogna. Questo Abbate fece l'hoste pentoloso sopra de Forlì.

Patet hinc ergo, & confirmatur nondum pacatum *Forolivium Mattæus* pariter *Villanius* id lucidissime tradit, nam describens recessum Cardinalis *Egidii* ex hac Provincia *Avenionem* anno eodem 1357. mense Septembris. Hæc scribit, verba ejus Italica repono.

Lib. 7. c. 10. *Il Cardinale di Spagna M. Egidio Legato havendo lasciato successore l'Abbate di Clugni, e assediata la Città di Forlì adi 14. di Settembre anno detto, furicevuto in Firenze à gran solennità.*

Et post pauca de eodem Cardinali agens scribit.

Eod. l. & c. *Questo Legato per suo senno, & grande, & sollecita provisione di Guerra racquistò à Santa Chiesa il Patrimonio, & terra di Roma, e redusse il prefetto occupatore alla sua misericordia; vinse per forza, & per ingegno tutte le terre della Marca di Ancona abbatendo la Signoria di M. Malatesta da Rimino, & di Gentile da Mogliano, e'l novo Tiranno d'Agobbio, & per forza vinse in Romagna Cesena, e Bertinoro, e racquistò Faenza, e lascio Forliasse diato; e Malatesti tutti reconciliati alla obedienza di S. Chiesa.*

615 Aperte ergo hic dicit ab *Egidio Forolivium* obsessum non occupatum relictum. Præterea vero *Lib.* VIII. *cap.* 49. dicit ab Abbate *Cluniensi* Legato rursus anno 1358. mense Aprilis obsidione *Forolivium* cinctum. At *cap.* 103. refert eundem Cardinalem *Egidium* rursus Legatum in *Italiam* missum ad debellandum *Ordelafum*, quem *Arduinus* vincere, & subjicere non potuerat, qui cum *Florentia* transierit ibi summo cum honore acceptus ab ea Civitate die 16. Decembris *Flaminiam* versus recessit. At *Lib.* deinde IX. *cap.* 36. anno autem 1359. die 4. Julii. *Forolivium* a dedente se *Ordelafo* recepit, ut suo quæque distincta loco intelligemus. Tantum ergo abest ut in primo ex *Italia* recessu Cardinalis *Forolivium* occupaverit.

Hæc anticipavi; singula modo juxta temporum ordinem exponamus. Prosequutus est novus Legatus *Arduinus* profecto *Carilla Forolivii* obsidionem, quam egregie tolerabat *Ordelafus*, nec se intra mænia continebat, sed paucis militibus contentus, & Civibus suis fisus cum *Foroliviensi* pube tanto ordine, ac peritia exibat adversus hostes, ut ex velitationibus frequentibus neminem amitteret, & omnes incolumes reduceret. Reversus autem omnes ad se convocabat, & singulorum fortia facta laudabat, & qui cæteris præstiterant eis denarii trientem, vel quippiam tale donabat, animos ita Civium demerens, eosque ad pugnam, & ad fortitudinem inflammans: ac Pontificius Legatus, & Dux *Galeotus* interim omnia quæcumque extra mænia erant, vastabant usque ad extremum Decembrem. tum ob intensum frigus, & inopiam ad alendos equos omnino straminis, & palearum exercitus in hyberna concessit. *Galeotus* cum Legato, & magna gentis parte *Cæsenæ* constitere. Post receptam *Cæsenam* anno 1357. & sequente anno *Biordus Ubertinus* Prætor, Rectorve *Cæsenæ*, ut monimenta Civitatis plura conveniunt, fuit, Vir Nobilis, & politica prudentia, ac virtute militari præclarus. Erat tamen *Ubertinorum* genus tum à *Florentinis* perduellionis damnatum, ut his in partibus specimen virtutis suæ exhibere sub Legato quæsierit, at obtinuerit: ejus vero regimen gratum adeo Civitati fuit, ut audita ejus postea morte publicis exequiis Civitas; lachrymis multi parentaverint. Obiit autem *Florentiæ* anno 1359. die decima septima Augusti post fugatam magnam societatem à *Florentinis*, quibus ipse ultro in ea expeditione deservierat, proinde à Republica in gratiam receptus. 616
Ejus funus idcirco fuit à Republica multo cum splendore procuratum. Rem totam enarrat Mattæus Villanius *Lib.* IX. *cap.* 43. ut qui dicant mortuum *Cæsenæ* errent, & qui anno 1360. præfuisse *Cæsenæ* pariter fallantur: cum antea mortuus esset. *Florentiæ* mortuum; *Cæsenæ* tamen justa magnifice facta non repugnant. Anno postea sequente 1358. die ultima Aprilis Legatus rursus, & *Galeottus* sunt *Forolivium* aggressi, & cum diuturnam obsidionem providerent ad *Bedesi*, nunc *Ronchi* Pontem ex vallo, & aggere Castellum excitavere; aliudque inter *Forolivium*, & *Faventiam*, quibus valido imposito præsidio impedirent quo minus subsidium gentis, & commeatus *Forolivium* accederet, reliquus autem exercitus ad Urbem castrametabatur. Non torpebat tamen *Ordelafus*, sed frequenter erumpens in hostem invehebatur, & fere inoffensus redibat. Annales nostri dicunt in Castello ad Pontem *Bedesi* perpetuo commoratum Legatum, illudque *Sanctæ Crucis* nuncupatum, quod ea die constructum fuerit. Frequens erat oppugnatio: at incredibilis defensorum virtus, invictusque *Ordelafi* animus. Tentavit ergo Legatus occultis internunciis, & spe ingentis pecuniæ aliquos defensorum corrumpere, & quosdam corrupit, adeo ut die decima septima Junii noctu aditum Pontificiis in Urbem præbuerint. Miserat Legatus sexcentos circiter milites inter quos etiam viri nobiles fuerunt, qui Civitatem ingressi eam prope occupaverunt, & si major manus fuisset, occupavissent: at ex strepitu ingredientium exciti Cives, & *Ordelafus* armis sumptis occurrentes, fortiter adeo repugnaverunt, ut invasores ejicerent aliquibus occisis, & aliquibus captis inter quos *Biordus Ubertinus*, de quo proxime diximus, addo nunc dictis filium fuisse Comitis *Montis Granelli*. At compensavere damna Pontificii proxima *Meldulæ* acquisitione, quæ hoc modo successit. Quidam *Meldulensis* inter primores Oppidi *Ordelafo* 617

A. 1358. Villan. L. 8. cap. 52.

suspectus *Forolivii* detinebatur ne Oppidum Pontificiis redderet. Hic vero cum suis arrepta occasione ex mænibus furtim descendit, & ad Legatum confugit, reque cum eo constituta acceptis copiis tanquam *Meldulam* oppugnaturus accessit, at inter primos, & inermis, ut à suis agnosceretur prodiit, indeque est Oppidanos alloquutus. Ne pro Tyranno Ecclesiæ, & Deo inviso, & tunc adeo constricto, ut desperata salus ejus esset, pugnare vellent, quod si se dedant humanissime à Legato suscipientur, incolumesque sub libertate Ecclesiæ in posterum agent. *Meldulensibus* facile vera oratio suasit, Oppidumque reddidere. Arx restabat præsidio *Ordelasi* munita, quam *Galeotus* arcta obsidione premens, & frequente oppugnatione vexans paucos post dies eodem Mense obtinuit dedentibus se defensoribus, qui solam personarum incolumitatem pepigere. Ursit oppugnationem *Galeotus* ob adventum Magnæ Societatis in Provinciam, cujus itineris hic fuit progressus. Tentaverat Societas ejusmodi sub Comite *Lando* nuper ex *Germania* reverso transitum in *Tusciam* per *Anemonis* vallem populando in transitu incolas. Irritati ergo damnis suis *Monticolæ* duri homines convenere occupatisque rupibus, ac Montium superciliis volutando saxa, quibus immanibus loca scatent milites, qui profundam per viam gradiebantur multos occiderunt immo contriverunt, inter quos fuit Comes *Brocardus*. *Landum* vulneratum cepere; coactus enim fuit se dedere rusticanis hominibus vulneratus insuper cum diuturno vitæ periculo. Ipso capto universa gens abjectis etiam armis fugere conati sunt, multi tamen ex fuga retracti, & capti, vel occisi. Solum prior acies incolumis transiit nondum enim erant monticolæ coacti. Ductor ejus erat *Americus Cavallettius*, qui cum suis ex *Decomano* ubi nocte quievere maxima celeritate usi *Apennino* transmisso in Territorium *Imolæ* eadem die pervenere, nimirum pedibus timor addidit alas: statimque atque Societas in *Imolensi* agro constitit mirum in modum aucta est tum concursu commilitonum, qui ex *Al-*
618 *pina* clade evaserunt, tum etiam ex novorum militum adventu: multi siquidem tum ea militiæ, vel latrocinii libertate gaudebant. Sub ultimo tempore obsidionis Arcis *Meldulæ* hæc fuere ideoque tardius instaurata fuit Societas, quam ut potuerit subsidium obsessis in ea Arce ferre. *Meldula* tamen omissa sollicitati ab *Ordelafo* fuere, ut ad opem sibi ferendam accederent, & excursione facta in *Ravennate*, & *Cerviense* Territorium quicquid prædarentur *Forolivium* pro commeatu adducerent. Cives enim ita alimentum, & milites pretium recepturos. *Americus* prompte *Ordelafo* satisfecit suis, & suorum una indulgens utilitatibus. Multum frumenti pecudum vim magnam, & salis præterea saccos plurimos ex *Salinis Cerviensibus* asportavere. Sacci adeo parati suspicionem indidere *Flaminiis* cum voluntate *Bernardini Polentani* totum id factum ad *Ordelafum* adjuvandum, cui bene cupiebat non ejus, sed sua causa: timebat enim ne *Ordelafo* victo in se arma Legati verterentur. Quicquid sit recreati sunt commeatu invecto *Foroliviensesʼ*, at brevem lætitiam consequuta est tristitia non brevis: nam *Ordelafus* suarum non esse virium cernens incessanti Legati bello resistere, consideravit nullam spem aliam, quam in societate sibi superesse: cæterum neque se posse videbat tantam multitudinem alere, nec tam avidam auri, pecunia explere. Desperata ergo omni alia defensione, & firmato proposito retinendæ usque ad mortem ditionis, decrevit cum enormi Civium damno Societatem in Civitatem inducere, inque domibus Civium missos

Villan. lib. eod. cap. 83.

A cum mulieribus milites, an Latrones? collocare. Eam gratiam ingratus Princeps fidei devoti Populi retulit. Honestiores Cives, ut fœminarum suarum decus, & honestatem tuerentur domibus relictis in angustas habitationes se cum familiis suis contraxere, tacitis intra se gemitibus quærentes num id esset meritum fidei, & diuturnæ pro eo malorum tolerantiæ. Adjunxit se postea Societati *Forolivii* receptæ alia sub *Anichino Bongardio*, & Comite *Lusso*, quæ ex *Etruria* profecta circiter Augusti finem *Forolivium* accessit, extra tamen Civitatem mansit, longe lateque ex hostico prædas agebat; vina usque ex immaturis uvis expressa in Civitatem inferebat, ut annona ipsa cum 619
B inclusis in Civitate abundaret. Ob adventum numerosæ militiæ Pontificius exercitus obsidionem dimisit: Castella tamen excitata validis præsidiis firmavit, ipseque *Cæsenam*, *Britonorium*, *Medulam* quoque se recepit, sed Castra etiam finitima milite muniit. Inter Pontificios tamen, & hostem pleræque velitationes, & non summis copiis certamina intercessere. At præcipuum illud fuit Societatis adversus *Faventiam* tentamentum. Ipsa enim Civitatem adorta & Suburbium ingressa in magnum, ac præsens periculum eam adduxit. Præsidium Civitatis non erat centum equitum tumque præfectus una cum ala extra locum erat, quo
C cum redire vellet ipse ex equo ab hostibus deturbatus, suorumque multi male habiti, sed forte fortuna eo ipso tempore illac transibant trecenti equites *Florentini*, sub strenuo Duce *Florentino*, & ipso, qui improvisum insultum perspiciens in subsidium amicæ Civitatis, ac ejusdem partis expedivit arma, & Præfectum *Præsidii* ab hostium manibus eripuit, eosque extra Suburbium repulit. Quo facto Ecclesiæ Civitatem, ac honorem servavit. Sub hæc Comes *Landus* sanus jam factus ad societatem *Forolivii* existentem revertit. *Ordelafus* debebat ex conventione quindecim millia
D florenorum societati, quot cum solvere non posset, duo millia à Civibus corrasit, & pro decem millibus tres captivos assignavit, erant duo filii *Glazoli* Comitis, & filius Comitis *Granelli* quorum redemptionis ipsi pretium exigerent: reliquorum trium millium obligationem novis tabulis confirmavit. Comes *Landus* perspiciens *Ordelasi* attritas vires, at animum liberalem, ac promptum acquievit datis, & obsidione *Forolivii* jamdiu soluta, inde recessit cum exercitu, atque vallem *Limodigii Faventiæ*, ac *Imolæ* agrum interjacentem, sed omni bono refertam expugnavere ibique toto ferme Octobre morati sunt, inde
E *Massam Imolensis* Diœcesis occuparunt annonamque in aliquot dies comparavere uberiora tamen alimenta *Aulegius Bononiæ* Tyrannus subministrabat. Cum enim jam de reditu Cardinalis *Egidii* in *Italiam* rumor increbuisset incertus is erat, num Cardinalis esset *Bononiam* armis pro Pontifice re- 620
petiturus, interim Pontificius exercitus *Cæsenæ* ubi Legatus, & *Galeotus* erant *Britonorii*que & *Meldulæ* considebat. Præsentia exercitus tum, & antea propinquitas continebat animos, & odia partium, ne tumultum excitarent, licet non se æquis oculis aspicerent, *Guelfi* diuturno exilio exasperati, & *Ghibellini*, qui jam dominabantur,
F tum depressi majore saltem ex parte, qui scilicet *Ordelafo* faverant. Pontifex interim cum vidisset nondum ab *Arduino* Legato *Ordelafum* pacatum, & à Populis etiam subjectis potius parvi fieri decrevit, una cum Purpuratorum Senatu Cardinalis *Egidii* in *Italiam* reditum ad belli reliquias conficiendas, & ad recuperatas Civitates in officio continendas. Anno ergo eodem 1358. Cardinalis reversus cum primum honorificentissime fuerit à *Florentinis* exceptus, die postea 17. Decembris

Matt. Vill. lib. 8. c. 15.

Vill. lib. 8. cap. 16.

Vill. lib. 8. c. 99.

cembris ad *S. Petri* Castrum in *Bononiensi* agro pervenit, ubi splendido eum hospitio *Aulegius Bononiæ* Tyrannus recepit. Adfuere cum *Aulegio* Oratores Marchionis *Estensis*, & Magnæ Societatis, & nonnulli alii, actumque est de concordia cum *Ordelafo*, & Magna Societate Cardinalis, sed irrita negotiatione. Desperata itaque pace Cardinalis ad Exercitum venit. Magna pariter Societas *Forolivium Ordelafo* auxiliatura accessit, quæ Civitas nulla interim obsidione premebatur, & ob hyemis sævitiem, ob niviumque miram eo anno altitudinem, & ob Societatis timorem, quæ *Forolivio* transmisso, & *Cæsena* declinata *Savinianum* pervenit, ibique quicquid alimentorum corradere potuit, consumpsit. In *Ariminensem* itaque agrum profecta licet providentia *Malatestæ* multa in loca munita translata fuissent; non potuerunt tamen non aliqua excidere, quibus ea colluvies rabidam famem solata est; at omnibus voratis *Solianum* (ubi multam esse cibariorum copiam intellexere) contenderunt, & Castro cum occisione centum viginti trium Oppidanorum brevi expugnato, aliisque Castris captis frumento, & aliis, quæ ad usum humanum pertinent, refertis aliquot se ibi diebus recreavere. At multitudo magna nedum militum, sed calonum, lixarum, &
621 scortorum quantumvis uberem annonam brevi tempore universam exhauriebat. Coacti ergo fuere *Forolivium* confugere, ubi à Civibus Tyranni jussu recepti cibo, potuque recreati sunt. At ne diuturna mora omnia consumerent, quæ ad Cives, & reliquos milites alendos necessaria erant, abiere in *Picenum* usque ad *Feretranam* regionem agmine dilatato, & etiam si *Feretrani* forum venale aperuissent, id tamen præ multitudine non sufficiebat; & à frigoris sævitie tum personæ, tum equi valde lædebantur; gravia igitur multa usque ad Martium toleravere. Interim Cardinalis *Egidius*, qui jam obfirmaverat animo nolle cum venali ea militia certare ferro, sed auro. Convenit tandem se daturum sexaginta millia aureorum sub ea conditione, ne intra quadriennium locum ullum Ecclesiasticæ ditionis tangerent. Prohibebantur ita, quominus *Ordelafo* amplius subsidio essent: immo neque *Aulegio* si forte ad *Bononiæ* recuperationem Cardinalis aspirasset. Idem erat si *Ravennam* tentasset ex eadem enim conventione non potuissent *Polentanis* opem ferre, & quoniam pecuniæ solutio præcedere debebat Societatis ex Pontificia ditione recessum, Legatus eam solvit. Ver jam appetebat, & Societatis milites recreati tepore aeris, & Pontificia pecunia foti animum extulerant. Soli *Florentini* nihil illis contribuere ad redimendam vexationem dignati, magnanimo proposito indignum ejusmodi tributum a colluvie illa hominum impositum renuere. Adversus ergo *Florentiam* ad ulciscendum tantum sui contemptum Societas universa fremebat, fremensque in *Etruriam* plena irarum transivit, vagata per *Etruriam* post multa loca expilata ad *Pontemeræ* Oppidum *Pisanorum* ditionis devenere: accesserant etiam *Florentinæ* Copiæ, quarum Imperator *Pandulfus Malatestius Pisauri* Dominus. Erant in *Florentinorum* exercitu bis mille, & quingenti equites cataphracti, & equitum Sagittariorum duo millia; supervenerunt à *Barnaba* Vicecomite *Florentinis* tunc amico, & Societati inimico mille alii equites; à *Francisco Carrario Patavino* Principe ducenti; à Marchione *Estensi* totidem: à
622 Rege *Neapolitano* trecenti, & Legato *Carilla* totidem omnibus enim principibus, & Rebuspublicis odio erat ejusmodi prædatorum cænum. Cum nondum innotuerint tantæ *Florentinorum* vires, Comes *Landus* adhærens magno sui exercitus pugnandi ardori *Florentinos* ad pugnam solen-

Matt. Vill. lib. 9. c. 29. 30. 31.

A ni invitamento Chirotheca sanguine oblita de more missa provocavit. At cum non minore, sed solidiore ferocia paratos se pugnare provocati responderunt, propiusque ob id accesserunt. Tum latronum audacia in timorem conversa pugnandi aleam recusavere, & turpi recessu, an fuga? die 23. Julii ex conspectu *Florentini* exercitus se subduxere; indeque ex *Etruria* recesserunt, qui timor plurimum imminuit pristinam fortitudinis, & vigoris Societatis existimationem. Interim postquam Societas ex *Flaminia* recesserat Legatus *Carilla* sub initio Junii exercitu rursus coacto ad *Forolivii* obsidionem Duce eodem *Galeoto* se astrinxit.
B *Ordelafus* autem solis suis viribus relictus, Civibusque suis invisus ob introductæ Societatis injuriam *Joannis Aulegii* opera, qui ad deditionem ferocem animum inclinavit, & à Cardinali mitiorum conditionum promissionem obtinuit, Urbem die quarta Julii anno eodem scilicet 1359. libere reddidit. Eadem die Cardinalis, cum prius loca munita Civitatis præsidiis suis firmaverit magna cum exultatione tum militum, tum Civium ingressus est. In Palatii autem introitu *Albertatium Recasolum Florentinum* belli consultorem militari cingulo decoravit. Scribunt *Ariminenses* statim Cardinalis jussu captos *Jaco-*
C *bum Blancum*, & duodecim presbyteros; ille palam in Pontificem, Cardinales, & reliquos Ecclesiasticos Proceres peroraverat ad confirmandos in devotione *Francisci*, & Civitatis defensione Cives. Hi tempore interdicti rem Sacram palam fecerant, & Divinam Psalmodiam exercuerant, omnes eadem catena collum constricti in carcerem ducti condignas pœnas luere. Conditiones autem quas a Cardinali *Aulegius* pro *Ordelafo* impetravit, fuerunt, absolutio ab omni Pontificia, & Ecclesiastica execratione, redditio libera uxoris, filiorum, & nepotum, cæterorumque captivorum; concessio *Castrocarii*, & *Foropom-* 623
D *pilii* in decennium, arcium tamen præsidium in communium amicorum manu esse debebat. Absolutio eodem ritu facta, quo Hæreticorum, aut suspectorum hæresis. *Faventiæ* coram Cardinali in publico consessu *Ordelafus* omnia confessus est, quæ adversus Pontificem Ecclesiamque perpetraverat supplexque veniam petiit. Cardinalis diserta oratione in ejus hæretica facta invectus est, meritasque ab eo pœnas exaggerando omni eum dignitate etiam equestri exutum pronunciavit, utque pro piaculo quasdam *Faventiæ* Ecclesias præstitutis precationibus inviseret, imposuit: at *Imolæ*, quo etiam *Aulegius* profectus est, *Ordelafum*
E Ecclesiæ conciliavit, pristinæ dignitati, & honoribus omnibus restituit, & *Forum Pompilii*, atque *Castrocarium* in ditionem beneficiario tamen jure, & in decennium assignavit, ubi cum suis tuto, atque cum dignitate viveret. Aliqui aliter narrant, sed minore fide, *Franciscum* scilicet nulla jurisdictione obtenta, & omnibus bonis exutum *Venetias* ivisse, ibique brevi obiisse, at *Carrarius Clodiæ* inter eundum *Venetias* mortuum esse. Omnes, qui *Venetiis* mortuum dicunt, ipsum inopem, & infelicem obiisse asserunt, verum longe aliter *Mattæus Villanius*, & pariter *Ariminenses* dicunt vixisse scilicet diu post,
F & adversum eundem Legatum pro *Barnaba* pugnasse, & *Foroliviensem*, *Ariminensem*que agrum vexasse veluti postea ego narrabo hujusmodi sententiæ, ut veræ adhærendo. Restat de *Forpompilii* excidio ambiguitas. Nihil de antiquæ Civitatis gravi adeo casu *Villanius* scribit, cujus tempore accidit, quique ejusdem temporis eventa Provinciæ describit. *Ariminenses* quoque nihil dicunt: *Leander Albertus* dicit excisum à Cardinali *Egidio*, & *Salesatum*, sede Episcopali *Brito-*

Vill. lib. 9. cap. 36.

Clementin. in vita Galeoti.

norium translata anno 1370. At nisi subsit Typographi error aberrat *Leander* in anno; cum enim *Carilla* obierit anno 1366. non potuit evertere eam Civitatem anno 1370, *Rubeus*, & *Carrarius* idem ferme dicunt, at in anno differunt præsertim *Carrarius*, qui *Forumpompilii* eversum ponit ante *Forolivii* occupationem. Verba *Rubei* sunt
624 sub anno 1358. *Cum Foropompiliani ab Ordelafo adversus Legatum perpetua pertinacia stetissent Urbem Carilla solo exæquavit, & sale sparsam Sede Britonorium translata in perpetuum Episcopatus dignitate nudavit.* Quo in loco *Rubeus* non consentit cum proximioribus ibidem dictis. Sunt autem dicta: ab *Arduino* Legato captum *Foropompilium*, & postea dicit à *Carilla* eversum locum. *Carrarius* expugnatum, ac excisum *Foropompilium* ante redditionem *Forolivii* dicit. Adducit tamen *Volaterranum*, qui in anno 1360. reponit. Esset eo modo triennio posterior *Popiliensium* ruina *Liviensium* occupatione apud *Carrarium*, qui *Forolivium* anno 1358. captum dicit. Proindeque id ipse *Volaterrano* tribuit, ut biennio post illam Civitatem eversam dicat, qui nonnisi anno 1360. excisam asseverat. Rejiciendi igitur merito de anno *Albertus*, & *Rubeus Carrarius*que, *Volaterrani* vero sententia omnino probanda, vel probabilis saltem ex his ostenditur modo dicendis. *Forumpompilium* non fuit ante deditionem *Forolivii* destructum, nam *Ordelafo* post deditionem fuit concessum à Cardinali; ergo nondum excisum; at est præterea hæc alia ratio contraria assertioni *Rubei* de pertinacia *Pompiliensium*. Parvam enim resistentiam, si ulla fuit, indicat silentium Scriptorum, cum *Cæsenæ*, *Britonorii Meldulæ* memorent; indicat etiam Castrum ad Pontem *Bedesi* inter *Forolivium*, & *Foropompilium* in quo Legatus *Arduinus* residebat, at militaris ratio non patiebatur post tergum Civitatem pertinacem relinquere, consistebat ex his post *Ordelafi* deditionem adhuc *Foropompilium*, & nulla adhuc erat causa, quamobrem in antiquam Civitatem adeo sæviret sedatus alioquin, & mitis Cardinalis. Qui factum postea sit ut tantum animis *Carilla* in eam exarserit, hinc ego conjicio; anticipo autem, quæ deinceps latius aliquanto suo loco exponam. Cardinalis *Bononiam* præripuit anno 1360. sub initio Aprilis *Barnabæ*, qui suapte natura ferus tanta jactura efferatus omnia deinceps ad recuperandam *Bononiam*, ad vexandam Pontificiam ditionem molitus est, unde per *Franciscum Ordelafum*, & per *Manfredum* ex ditio-
625 nibus suis expulsos vexare *Flaminiam* traditis copiis tentavit, & per alios *Picenum*. *Ordelafus* tentavit antiquos amicos, & subjectos, diu etiam in territoriis earum Civitatum *Forolivii* præsertim moratus. Facile est tum *Popilienses* se valde in eum propensos ostendisse: quippe qui recens eum ut Dominum coluerant, eamque fuisse devotionis repræsentationem, quam ad reliquorum locorum exemplum graviter puniendam *Carilla* statuerit. Hoc ipsum confirmant, quæ tum in *Piceno* eidem Legato evenere: artibus enim *Barnabæ* à Legato descivere tria Castra *Boscheretum*, *Corinaltum*, & *Montinorium*, quæ recuperata à Legato fuerunt ejus jussu omnia excisa. *Mattæus Villanius lib.* IX. De *Corinalto* quidem *cap.* 106. de reliquis duobus *cap.* 111. Ad deterrendos ergo alios sævit *Carilla*, qui desciverant Oppidorum eversione punire, & descivisse ergo erat demolitionis causa eo tempore, ad alios deterrendum apud *Carillam*, & descivisse *Popilienses* post novam *Ordelafi* rebellionem in excursione ad eas partes est admodum verissimile. Hæc vero anno 1360. contigere ex *Villanii* narratione. Quod vero *Rubeus* dicit dignitate Episcopatus in perpetuum

A *Popilienses* nudatos. Refellunt ipsi, utque audio, Historiam condunt mox in lucem prodituram, quæ præsertim contendit nullum ejusmodi decretum interpositum. Meum non interpono judicium, at nimium certe sævisset Cardinalis, si non contentus præsente eversione voluisset miserandam Civitatem dedecoroso in æternum decreto sugillare. Amovere potuit Sedem, & potest sublatum, ac erasum Episcopium, & nunquam restitutum. At ad annum 1359. redeundo. Die 13. Martii *Ravennæ* obiit *Bernardinus Polentanus* diutino morbo confectus. Fuit is opulentus Prin-
B ceps auro, frumento, pecore, & sale locuples: verum animo si *Mattæo Villanio* credamus pravo, suspicioso, ac sævo. Aversabatur itaque Cives opibus, aut virtute eminentes, & varias nectens technas honestiores quosque Cives, & nobiles familias perdidit, aut expulit. Testamentum condidit, in quo hæredem Dominii, & bonorum *Guidonem* filium reliquit. Mortuo patre populus 626
juxta testamenti tabulas *Guidonem* in Principem elegit. Confirmataque à Legato juxta *Guidonis* preces, popularis electio. Filii regimen fuit paterno penitus contrarium. Sub patre in nobilissima Urbe plebeji solum, & viles incolæ perspi-
C ciebantur. At filius statim Nobiles ejectos omnes revocavit bonis, ac Domibus restitutis: pravos insuper patris ministros omnes ejecit. Ut suis ipse factis bonum Principem, comparatione patris, quam optimum repræsentaverit. Cardinalis autem *Egidius* recuperatis his *Flaminiæ* Civitatibus dicitur valde *Forolivio* delectatus, ibique moratus, & pecuniam locasse, attamen certum est ædes pro Prætorio magnificas *Cæsenæ* in Murata ædificasse, ubi *Malatestii* Vicarii facti Civitatis residere, & Cardinalem ibi quoque commoratum testatur *Blondus Foroliviensis*. Sunt autem *lib.* x. *secundæ Decadis* verba hæc. *Egidius Legatus in*
D *Italiam reversus cum Bononiæ, post Ravennæ, deinde Ferrariæ fuisset, accessit Cæsenam, in qua Urbe Palatio prima legatione, & Arce insigni à se ornatæ plurimum diversatus est. Ad finem vero quarti suæ Legationis Mensis Francorum, Angliæ, & Cypri Regum Oratores cum agentem Cæsenæ Egidium adiissent.* Hæc ille, licet in temporis supputatione decipi videatur. At hæc scripsi nunc, ut ostendam Cardinalem etiam post *Forolivii* recuperationem *Cæsenæ* non parum commoratum. *Clementinus* scribit eodem anno *Brancam Brancaleonum* prius à *Nolfo Feretrano* Comite discordem, cum eo convenisse, insuperque affinitatem contraxisse, ad-
E versus scilicet Cardinalis potentiam se se tacite communiebant. Non placuisse autem unionem Legato proinde ad se *Brancam* avocasse, qui tamen profectione dilata interim copias Legati furtim occupare *S. Angelum* in vado tentantes fregit. At cum demum se coram Cardinali sisteret ab eo sub custodia retentum coactum fuisse ditionem universam suam *S. Angeli* in vado, & adjacentium locorum Legato concedere, qui ipsum cum *Petro Francisco* filio *Bononiam* relegavit, sicut *Gentilem Molianum* olim *Firmi* Tyrannum *Veronam*. Alicubi legi hunc tandem *Ostiatim* ad confusionem Tyrannicæ superbiæ vixisse, in quandam *Dionysii* similitudinem. Scribit præterea idem Hi- 627
F storicus Legatum memoratis *Brancæ*, & aliorum locis nam contentum Comitis *Nolfi Feretrani* ditionem universam occupavisse, & speciatim *Urbinum*, ubi arcem ædificavit. At neque nostri Annales, neque *Florentini* Scriptores quicquam ejusmodi dicunt. Degebat ergo Provincia, & præsertim *Cæsena* magna in pace, ac tranquillitate. Factiones ambæ auctoritate Legati compescebantur ab omni, vel repræsentatione odii. Coloni etiam ab omni incursione securi agrum colebant,

&

& exornabant: at unde visa foret quietem tutiorem habitura, inde perturbationem suscepit, ex *Bononiæ* scilicet pro Ecclesia recuperatione. Res autem hunc in modum se habuit. *Joannes Aulegius* pro Rectore *Bononiæ* nomine *Galeatii*, & *Barnabæ* Vicecomitum *Mediolani* Principum se ejus Tyrannum fecerat. *Barnabas* injuriæ intolerans postquam negotiationes, & minæ nihil profecerunt apud *Joannem* ut Civitatem redderet, maximo exercitu est eam aggressus, & res eo perducta est, ut *Aulegius* ulteriorem defensionem desperaret. Tentavit ergo *Egidium* Legatum, num pro *Bononia* aliam ditionem ipsi traderet à *Barnaba* remotam, cum aliqua ulterius pecuniæ, quantitate. *Egidius* prius Pontificem consuluit, num id juberet cum nondum expirasset tempus concessionis ejusdem Civitatis in duodecim annos Vicecomitibus factæ. Rescripsit Pontifex transigendum esse cum *Aulegio*. Decidisse enim ex omni jure Vicecomites cum conditiones, & pacta concessionis non servassent. Statim ergo conclusit cum *Aulegio* Cardinalis cui *Firmum* quousque viveret pleno cum Dominio tradidit, & quinquaginta simul millia florenorum. *Aulegius* contra *Bononiam* tradidit Cardinali, qui per *Blancum Fernandum* nepotem suum magnis cum militum copiis illuc missum Urbis possessionem pro Ecclesia recepit. Adhuc autem obsidebatur à *Barnaba*, qui nonnisi post adventum Pontificii Præfecti, & præsidii permutationem novit. Tum primum questus Oratoribus ad Legatum missis de injustitia occupationis cum duraret adhuc ejus
628 à Pontifice concessa jurisdictio. At cum Oratores nihil retulissent, armis jus suum sibi asserrere statuit, & obsidionem prius institutam amplius urgens in maximum periculum Civitatem adduxit: & cum Legatus post nepotem ipse quoque *Bononiam* venisset, ibique tum reperiretur cujus præsentia Cives mire recreabantur, & ad omnem aleam sustinendam animabantur, molitus est *Barnabas* eum inde deducere, quod & consequutus est. Erat jam annus 1360. cum indictum Pontificiis bellum hoc modo est *Barnabas* prosequutus. *Joannem Manfredum Faventino* Principatu, & *Franciscum Ordelafum Forolivio*, & *Cæsena* ac *Foropompilio* spoliatos ad repetendas dimissas ditiones hortatus est ubere auxilio promisso; verum ipsi reliquias antiquorum amicorum occulte sollicitarent, ut accedentibus postea copiis aliquid magnum innovare auderent. Facile fuit adducere in eam sententiam homines ademptum Principatum summo cum dolore, atque iracundia perpetuo recolentes. Uterque igitur per occultos internuncios fidos olim homines, vel quos fidos rebantur alter *Forolivii*, alter *Faventiæ* commovere conatus est. Possidebat *Barnabas* in *Romandiola Lugum* Oppidum, in quo magnam militum manum perpetuo tenebat: at tum auxit. Iis militibus fisi *Ordelafus*, & *Manfredus* ad res novas amicorum suorum reliquias clandestinis officiis concitaverunt, at utrobique conspirationes detectæ. Unde *Faventiæ* septem Religiosi (ex qua familia non legi) & quadraginta Cives damnati. *Forolivii* pariter conjuravere aliqui Cives, & cum *Ordelafo* convenere nocte quadam assignata ipsum cum exercitu in Civitate suscipere, at detecta conventione viginti quinque Cives capti fuere, quorum duo *Capiferrei* & alii præterea duo conspirationis convicti capite publice multati sunt: at asseclæ duodecim in exilium pulsi. *Manfredi* autem ædes erant *D. Petro* propinquæ in rebellionis pænam dirutæ jussu Dominici *Cavalcantis* tum Provinciæ Rectoris fuerunt, & Castra ejusdem omnia pro Ecclesia occupata. Non territus, sed irritatus *Manfredus* multo cum

Anno 1360.

Vill. lib. x. cap. 29.

Annales Faventini & Zucoli.

Vill. lib. x. cap. 42.

A equitatu ad Portum *Cæsenaticum* profectus est, eumque cepit, atque diripuit magna præda, & rerum, & hominum abducta. Erant tum eo
629 in loco multorum mercatorum merces; nam *Florentinis*, quæ tum direptæ sunt, duodecim millium florenorum pretium excesserunt. Deinceps *Ordelafus*, & *Manfredus* junctis copiis inter *Imolam*, & *Faventiam* considere; subornarunt autem quemdam *Rhamberti Alidosii*, Rectoris *Imolæ* famulum, ut Dominum occideret; sponderat is pretio corruptus, at proditoris pactio innotuit, qui ideo captus, & è mænium pinnis suspensus proditionem detectam inimicis indicavit. Tum
B *Ordelafus*, & *Manfredus* à fraude ad apertam vim se transtulerunt. In *Foroliviensem* ergo agrum impetum fecere, ita scilicet ut aliquos non omnes læderent interimque populationis obtentu foverent occultos amicos, si juxta conventiones præcedentes commotionem adversus Legatum excitarent: at diligentia *Malatestæ Vastafamiliam* dicti, tum Civitatem custodientis tanta fuit, ut nemo hiscere auserit. Cum ergo hostes frustra se tempus terere intelligerent irritati successu in agrum *Cæsenatem*, & *Ariminensem* in huncque præcipue iras effuderunt. In ejusmodi *Ordelafi* excursionibus facile id de *Foropompilio* accidit,
C quod antea innuimus; vel *Ordelafum* recepere, vel adjuvere publico Consilio, vel eousque operibus processere, ut Civitatem Legatus perduellionis damnaverit, ut proxime diximus, conjectavimusque ex trium Castrorum *Piceni* successu, quæ eodem tempore, eadem de causa excisa fuerunt. In hoc autem Legati adversus *Barnabam* bello *Ungaris* præsertim *Carilla* usus est. Hos cum modo *Lugi*, modo *Bononiensi* in agro, & *Bononiæ* etiam collocasset *Cæsenæ* etiam locavit, & aluit anno 1360. ubi cum militari licentia gens barbara abuteretur, populum tumultuosum facile ad arma concitavit: in tumultuaria rixa dicun-
D tur quinquaginta *Ungari* occisi, tum universi coacti acie instructa (erant vero septem millia) Civitati excidium minitabantur. Cardinalis, qui tum aderat, sedavit eorum furorem Cives authores tumultus puniendo, domosque eorum evertendo, ut ejusmodi piaculo Civitatem à periculo redimeret, vel si Cives vicissent, ne occidione militum ejusmodi Pontificiorum in circumcursatione *Ordelafi* nova consilia caperent. 630
Compositis itaque rebus *Ungaros Bononiam* amandavit. Hoc eodem anno impium factum *Glazoli* accidit. Insurrexerunt enim in *Rhambertum Malatestam* Loci Comitem duo filii, quos ipse ex captivitate
E Magnæ Societatis redemerat, humanissimeque tractabat, in vinculaque conjectum in carcerem detrusere. Obsidio autem *Bononiæ* à *Barnaba* quotidie magis urgebatur; adeo ut Cardinalis de ejus defensione ferme diffideret: à Rege ergo *Pannoniæ*, sive *Ungariæ* auxilium petiit literis primum, deinde coram: illuc enim ipsemet ivit, sed irrito conatu: nam alio Rex arma verterat. *Bononia* ergo destituta sperato auxilio, & Cardinalis præsentia in præsenti periculo versabatur. Legatus discedens commendaverat *Galeoto Malatestio* defensionem Civitatis, quam ejusdem Legati Patruique nomine *Gometius* gubernabat. In
F tanta rerum angustia *Galeotus* adivit *Malatestam* fratrem in *Forolivii* defensione, & custodia positum, ut prudentissimum Ducem, ac fratrem quid agendum consuleret. Angebantur tum ii fratres quia *Ordelafus*, & *Manfredus* agrum *Ariminensem* fœde vastabant, & is fuit obtentus *Galeoto Bononia* discedendi ad succurrendum suis. Decreverunt tamen potius *Bononiam* tueri, & obsidionem solvere quam agri damna avertere. Si copiæ ibi *Barnabæ* debellentur, vires ejus, quibus

Matt. Vill. lib. eod. cap. 52.

Vill. lib. vi. io. 11. & alibi.

bus tum nituntur *Ordelafus*, & *Manfredus* una collapsuras. Cæterum si *Bononia* vincatur totum belli pondus in *Romaniam*, atque in se ipsos versurum. Copias ergo collegere tanquam in *Ordelafum* profecturi. At summa velocitate præmissis tesseris clam hoste, & omnibus, solum *Gometio* re indicata noctu *Bononiam* adivere, & cum *Gometio* novis copiis animato statuerunt tentandam esse aciei aleam. Ita enim afflante numine obsidionem solvi, & Civitatem servari. Contra vero si cessent, fame tandem coactos deditionem facturos. Deliberatione facta Rector populum convocare, & ad prælium animare satius duxit. Summa alloquutionis fuit. Commemoratio malorum, quæ sub Vicecomitibus passi erant à qui-
631 bus beneficio Cardinalis liberati in libertate Ecclesiastica degebant. Conferrent in animis suis utranque conditionem. At addant præterea si nulla occasione provocati sævo adeo imperio pressere Civitatem innocentem, quid tum facturos postquam ab iis defecerint, & diuturna resistentia superbiam eorum exasperaverint. Populus, qui præsentem statum amabat, & præteritum horrebat, facile dictis impulsus se enixe pugnaturum ostendit, fidemque factis præstitit ductus enim cum milite adversus *Barnabæ* copias ad *D. Raffaelis* collocatas instructis utrinque aciebus tanta virtute pugnavit, ut ipse præsertim fuerit author, & assertor victoriæ, in qua primarii ho-
Vizanus hist. Bonon. stium Duces capti sunt *Franciscus* Marchio *Estensis*, & *Joannes Bizaulus*, cumque illis nongenti quadraginta, occisi octingenti, vulnerati mille, ac ducenti. Cum *Galeoto* in pugna fuisse *Malatestam* fratrem, & *Malatestam Ungarum* nepotem scribunt *Ariminenses*; at Juxta *Mattæum*
Lib. x. c. 59. *Villanium Malatesta* frater erat potius cum Legato tum *Anconæ*, ejusque stratagema astutissimum enarrat, quo simulans se Legato occulte inimicum subdolo deinde consilio effecit, ut Imperator hostis *Barnabæ* partem copiarum ad *Ordelafum* transmiserit, unde diminutis copiis facilius à *Galeoti* exercitu opprimi potuit. Sed multo ve-
Ghirardat. risimilior præcedens narratio. Pugna hæc, & victoria in diem vigesimam Junii 1361. incidit, licet *Villanius* in die vigesima Julii statuat; at præstat credere Historico *Bononiensi*, cum præsertim nunc usque eadem die memoria tantæ victoriæ celebretur. Post cladem soluta est *Bononiæ* obsidio. Re autem, & successu auditis, *Ordelafus*, qui *Picenum* vexabat contento cursui in *Romaniam* rediit. Legatus *Carilla* prudenti consilio timens adhuc vires Vicecomitum potes novos reparare exercitus, & infractam *Barnabæ* ferociam, exorsus est conciliare inter *Lombardos* Principes adversus suspectam omnibus eandem Vicecomitum potentiam fædus, & conciliavit. Fœderati fuere *Scaligeri*, *Estenses*, *Carrarii*, *Gonzaghii*, & Ecclesia, ac Legatus, qui fuit unionis author. His fisus Cardinalis, & victoriæ scilicet, & fæderi multos milites dimisit, & du-
632 ctores exauctoravit, ut sumptibus in futuros usus parceret. Ea occasione *Galeotus* à *Florentinis* Imperator copiarum adversus *Pisanos* electus dignitatem benevolente Legato suscepit, & magnam victoriam in eos consequutus Rempublicam *Florentinam* demeruit, & gloriam suam, ac familiæ cumulavit. *Cæsenates* tamen ab armis in multa quiete degebant. Exteri enim hostes longe aberant factiones Civium, & odia metu tanti Cardinalis compescebantur. At vero pestis hoc anno quæ sæviit adeo anno 1348. iterum cum *Mediolano*, *Venetiis Romaniam* nostram valde oppressit
Villan. lib. x. cap. 47. in omnibus ejus locis dispari licet gradu. Quies Factionum, & bellorum *Cæsenæ* usque ad annum 1363. duravit, cum *Carillæ* successit *Arduinus*

A (olim Abbas, tum Cardinalis) *Flaminiæ*, ac *Bononiæ* Legatus. Causa mutationis, & series eorum, quæ inter præsentem 1361. annum, & millesimum trecentesimum sexagesimum tertium evenere, & ad nos pertinent breviter explicanda est. anno ergo 1362. *Carilla Cæsenæ* tum existens Provinciæ Rectorem constituit Comitem *Ugolinum Ætrutii* filium. Eodemque anno die 21. Septembris *Innocentius Sextus* obiit; ad successoris electionem evocatus fuit ipsemet quoque *Egidius*. *Carrarius* ivisse scribit, at *Vizanus* accitum quidem, sed non profectum, quod provideret facile dilapsura, quæ tanto cum labore ditio-
B ni Pontificiæ restituerat. Eodem mense Septembris die 27. fuit in locum *Innocentii Urbanus V.* electus *Gallus*, & ipse, à quo statim, vel remissus, vel confirmatus Legatus *Egidius* fuit: tumque fædus adversus *Barnabam* Principum *Lombardorum* una, & Legati magnum pro fæderatis effectum exhibuit: in agro enim *Mutinensi* cum exercitus contrarii eorum essent in certamen summis copiis devenerunt, postque ferocem pugnam Vicecomitum copiæ profligatæ, & Ductores præcipui quique ferme capti, *Ambrosius Barnabæ* illegitimus licet filius, *Andreas Pepulus*, *Guido Folianus*, *Martelius Pius*, *Gibertus Corrigius*,
C *Bertrandus Rubeus*, *Sinibaldus Ordelafus*, & alii multi. Horum *Ambrosius* Cardinalis jussu in Castrum *Cæsenæ* ad custodiendum missus. Tum demum fractus animo *Barnabas* pacem serio à Pon- 633
tifice quæsivit, intercessioneque Regum *Galliæ*, *Angliæ*, & *Cypri* usus est, quorum Oratores Cardinalem *Cæsenæ* convenerunt. Est hic conventus cujus antea ex *Blondo* meminimus *Cæsenæ* habiti in Prætorio ibi magnifice à Cardinali constructo, pax tandem convenit. Conditiones fuere ut *Barnabas* omnia Castra *Bononiensis* ditionis occupata una cum *Lugo* Pontifici restitueret: contra Pontifex *Barnabæ* quingenta millia aureorum
D penderet, & Loca pariter occupata *Parmensis* agri, & reliquæ Vicecomitum ditionis redderet, & captivi omnes libere dimitterentur. Obtinuit præterea *Barnabas* à Pontifice, ut Legatus *Carilla* ab administratione *Bononiæ*, & *Flaminiæ* semoveretur. Dum is in propinqua adeo statione moretur novis suspicionibus locum futurum, & inquietis animis intutam futuram pacem. Pontifex à Cardinali *Egidio* facile obtinuit, ut pro bono pacis eam sibi Legationis partem detrahi pateretur. Tum ergo missus est rursus Legatus *Arduinus* Cardinalis jam factus, ante cujus adventum præceperat *Egidius* Nepoti *Gometio*, ut
E relicta *Bononia* ad se *Anconam* veniret. Civitatis autem administratio jam spectabat ad *Danielem Carectum* Equitem *Hierosolymitanum* è *Carecti* Marchionibus: verum antequam discederet *Gometius Imolam* ob factum *Alidosiorum* fratrum eam Rubeus sub anno 1364.
regentium Pontificiæ ditioni immediatæ subjecit; occasio vero fuit dissidium inter se fratrum. *Beltramus*, & *Azo* divisi enim, & discordes, multis quisque coactis militibus contendere armis, multi utrinque vulnerati, non pauci occisi præter multas direptiones quibus se fratres vexarunt. Ex Urbe ergo *Bononia* illuc *Gometius* accurrit, cum magna militum manu, atque Civitatem pro
F Ecclesia cepit, & præsidio firmavit, ibique Præfectum *Antonium Bentivolum* statuit. *Azonem*que ne novas turbas excitaret secum *Bononiam* duxit. *Arduinus* Legatus demum *Bononiæ*, & *Flaminiæ* venit & *Daniel Carectus* Rector. *Arduinus* homo bonus, & mitis potius, quam regendis Populis aptus multas *Cæsenæ* ædes in tumultu adversus *Ordelafum* (cum *Cia* in Muratam, cum factiosis compulsa) combustæ instaurandas cura- 634
vit, at cum leniore imperio, & minore auctori-

tate

tate cum civibus ageret, quam ut exulcerati diutinis odiis factiosorum animi in officio continerentur; virus tandem suum evomuere. Post *Ordelafi* depulsionem, & Ecclesiasticum imperium assertum præpollebat *Guelfa* Factio, quam diuturni sub *Ordelafo* exilii memoria exasperabat saltem primores Factionis, quos & exilio, & aliis multis ærumnis Tyrannus is affecerat: interpretabantur autem ex instigatione *Ghibellinorum* sævitiem Tyranni incensam: ut in futurum itaque caverent, & perpessa mala ulciscerentur, vel extinguere, vel enervare contrariam Factionem decrevere, nec difficile iis fuit qui viribus longe prævalebant. Tumultu ergo excitato alios occiderunt, alios expulere. Inter expulsos memorantur *Julius Ottardus*, *Benvenutus Joannis Bravi*, *Jacobus Toraldus*; *Ubertus è Ceola*, *Georgius Gurbinus*, *Bastardinus Augusellius*, *Christophorus Bandinus*, *Octavius Palmerinus*, *Borellus Borellius*, *Antonius Pacius*, *Martinus Aglanus*, *Ludovicus Lapus*, *Angelus Articlinus*, *Benedictus è Farina*, *Marcolinus Filippinus*. Dicitur quidam *Antonius Gallutius Bononiensis* odia partium per se prona perversis utrobique & fictis officiis, ac relationibus malevolentissimus homo incendisse; Cacodæmonis vere, qui sator est discordiarum, alumnus dicendus, qui id fecerit. Ejectos *Ghibellinos* confirmat eorum facta jussu Pontificis anno 1365. restitutio quam suo infra loco. At qui dicunt aggregasse se *Guelfis Rhambertum Conticinum Glazoli*, non sunt audiendi, is enim vel tum mortuus erat carceris squallore, vel maceratus diuturnis vinculis & compeditus vivebat: hunc enim diximus ex *Mattæo Villanio* à filiis *Barnabæ* anno 1360. in vincula conjectum, neque verisimile est animo solvendi; in dominio saltem reponendi: quod alii dicunt, *Ghibellinos* anno 1363. à Cardinali *Egidio* expulsos, quod favere *Ordelafo* intelligeret, non satis verisimile est quod scil. sub tanto Cardinali tamque amato, ut publicis lachrymis sit illi parentatum voluerint & speraverint Tyranno ditionem Patriæ restituere, quæ à *Ghibellinis*
635 primoribus fuit ad libertatem excitata tum præsertim cum post *Barnabæ* pacem erat omni auxi-
Anno 1364. lio destitutus. Succedit annus 1364. quo *Guelfi* jam soli, sub Legato licet, erant arbitri rerum. Eodem anno obiit diem extremum *Malatesta Vastafamiliam* nuncupatus, inter *Malatestios* Principes bellica virtute, & politica peritia maximus, quæ tamen adversus *Ferrantinum* Patruelem, & totam *Malatestini* Patrui sobolem egit nota crudelitatis inficiunt, quam tamen notam æquitas, qua cum *Galeoto* fratre, ac ejus filiis usus est quoquo pacto mitigant; huic monimenta nostra dicunt positam esse in Populi Palatio marmoream statuam. Forte id studium *Guelfæ* factionis obtinuit cæterum *Ferrantinus* diu Præturam, & Præfecturam *Cæsenatem* non *Malatesta* ejus eversor obtinuit. At cum nullum superfit antiqui Palatii vestigium non potest utrum verum sit dictum deprehendi. Eodem anno compositis rebus *Imolensibus* Principatus, una cum arce fuit *Bertrando* & *Azoni Alidosiis* restitutus. *Urbanus* siquidem Pontifex post pacem cum Vicecomitibus confectam mandavit, ut res omnes *Flaminiæ* componerentur, & novis defectionibus non obstantibus, qui veniam peterent ad eum statum, in quo Cardinalis *Egidius* eos collocaverat, resti-
Anno 1365. tuerentur. Cum ergo *Alidosii* sub eo Legato *Imolam* obtinuissent, fuerunt ex Pontificis jussu in eodem dominio reponendi, & re ipsa repositi. At anno sequenti 1365. literæ aliæ Pontificiæ supervenerunt, quæ clarius, & distinctius idem præciperent. Erat summa. Quod omnes, qui a Vicecomitibus contra Pontificem steterant,

A adeoque perduellionis damnati fuerant, Patriæ, & honoribus pristinis restituerentur redditis etiam omnibus bonis & fortunis idque speciatim de *Francisco Ordelafo*, & asseclis præcipiebatur absque judicii ullo strepitu, & apparatu peragendum. Atque præsertim mandabat caveri omni cura, ne novarum turbarum occasio ulla præberetur. *Carrarius* idem de hujusmodi tunc *Ordelafi* restitutione scribit, licet antea mortuum anno 1359. asseruisset. Fuere itaque *Ordelafis Castrocarium*, & *Foropompilium* restituta, sed hoc erasum: area tamen cum territorio reddita unde 636
B potuit illud tanquam in suo solo viginti post annos *Sinibaldus Francisci* filius reædificare, sed in Castri formam contractum, & absque Episcopio; Territorium, etiam multo priore angustius assignatum, forte *Sinibaldus* ad *Foroliviense* aggregavit. Ex eadem Pontificis jussione processit *Ghibellinorum* anno 1363. *Cæsena* ejectorum restitutio. Conveniunt monimenta nostra Pontificis jussu fuisse omnes restitutos; mandatam autem *Galeoto Malatestio* exulum reductionem, unaque curam conciliandæ inter Factiones pacis, quæ à *Guelfis* impetrari non potuit. *Ghibellini* tamen restituti; periculosa sane Civitatis constitutione discordes adeo animos intra se includere cum præ-
C sertim restitutus, & propinquus *Ordelafus* poterat antiquas clientelas excitare, & studia suæ innovare factionis. Scribitur *Galeotum* ea occasione dominium tentasse Civitatis, sed repulsum. Carrarius.
Ego tamen non crederem id ab ipso armis, & aperta vi procuratum, adeoque Pontifice invito, cujus nimia tum erat in his partibus potentia, sed si quid conatus est id à Pontifice quæsivisse: at rejectas preces. Eodem anno *Rainaldus Bulgarellus Imolensis* ex ejus Civitatis dominatu conatus est *Alidosios* fratres *Bertrandum*, & *Azonem* ejicere, & populi parte Comitatus ædes *Alidosio-*
D *rum* invasit, hi fugati, & ædes combustæ, sed nocte sequente tertia circiter hora *Todeschinus* ejectorum Principum frater multis cum peditibus Urbem ingressus tum præcinente tubicine, & pulsato tympano palam est *Rainaldum*, & socios aggressus, ac vicit trucidato *Rainaldo*, fratribusque Dominatum restituit. Accidit hæc *Imolæ* perturbatio prope initium ejusdem anni 1365. Anno 1365.
die scilicet vigesima quinta Januarii. Interim *Cæsenæ* quies ab armis, licet non ab odiis: forte Partes exilium ambæ expertæ ejusque incommoda, & mala; tumque bona Ecclesiasticæ libertatis gustantes (eratque propinqua comparatio sæ-
E vitiæ Tyranni) emoliri cæperunt, & minus aversæ à consilio pacis esse; minus saltem pronæ ad arma, & cædes. Erat novus Provinciæ Rector (vo- Rubeus.
cabatur Vicarius) *Petrocinus Ferrariensis Ravennæ* Archiepiscopus. Cum tamen adhuc *Daniel Carrectus* Rector *Bononiæ*, & *Flaminiæ* perseveraret, 637
oportet eo quod hic *Bononiæ* resideret, *Petrocinum* electum, qui ejus vices in *Flaminia* gereret, proindeque Vicarium vocatum. Is autem sub Rubeus, & Carrarius.
initio Martii totius Provinciæ conventum *Forolivii*, in diem nonam ejusdem mensis indixit, in quo *Guido Novellus Ravennæ*, & *Cerviæ* pro *Romana* Ecclesia Vicarius per Procuratorem suum
F *Franciscum Porcellinium Ravennatem* exhibuit se pariturum omnibus, quæ in Conventu eo decreta fuerint pro utilitate, ac dignitate Ecclesiæ *Romanæ*, perque eundem solitum fidelitatis juramentum præstitit reservata tamen incolumitate, & integritate Privilegiorum, & indultorum sibi, ac prædecessoribus suis à Summis Pontificibus, aut ab Imperatoris concessorum. Ita etiam reliqui Provinciæ Dynastæ, ut Comites *Cunii*, aliique; sed qui ob pacem inter Pontificem, & *Barnabam* fuerunt ut *Ordelafus* restituti in pace, conditio-

ditiones etiam ejusdem pacis reservarunt in jusju-
rando. Rectores autem Provinciæ, qui idcirco
jusjurandum pro Pontifice suscepere fuerunt ne-
dum *Petrocinus*, sed *Daniel* etiam *Carrectus*; at
qua communicatione jurisdictionis, neque à *Ru-
beo*, neque à *Carrario*, aut alio, quem viderim
scribitur. Civitates etiam nullo interposito Vi-
cario subjectæ Oratores miserunt, qui fidelitatis
juramentum exhiberent: nomina eorum silentio
involvuntur. Ipsi quoque pro Civitatibus suis ju-
ramentum subjectionis præstitere, at reservatis
privilegiis, juribusque antiquis. Multa siquidem
tum Civitates per suos Magistratus gerebant, in-
star ferme antiqui juris *Italici*, quod antea ex-
pressimus, & ex quo liberæ Civitates non servi-
tute affectæ vocabantur: multo tamen plura Mi-
nistri Pontificii in his *Cæsenæ*, *Forolivii*, *Faven-
tiæ* Civitatibus, ac *Bertinorio* administrabant,
A. 1366. quam in cæteris sub Vicariis degentibus. Se-
quenti anno Cardinalis *Egidius* obiit cum prius Le-
gationem Pontifici ipsi *Urbano* in *Italiam* profe-
cto renunciavit. Pontifex *Urbanus*, sub anno
1366. in *Italiam* venit animo commorandi cui ob-
viam *Cornetum* ivit, cumque illi rationem gesto-
rum suorum reddiderit, atque quis esset Provin-
ciarum status & Principum *Italorum*, ac Rerum-
publicarum sensus plene pro prudentia sua expli-
638 caverit se Legationis onere, & dignitate abdica-
vit causans declivem jam ætatem, & honestæ
quietis post immensos labores exantlatos deside-
rium. *Viterbum* itaque concessit, ibique tribus
elapsis mensibus mortuus est; Gloria tamen diu
victurus. *Cæsenæ* autem magna cum mæstitia
mors audita fuit publicoque sumptu splendide illi
parentatum, quo facto Civitas indicavit sensum
erga tantum hominem candide suum. Honor e-
nim qui mortuo ultro defertur sincerus est cum
sit tum ab invidia, tum à gratiæ captatione omni-
no semotus. Pontifex multa molitus est ad con-
ciliandos inter se *Italos* Principes; totumque qua-
driennium, quo in *Italia* moratus est, in eo po-
suit, at frustra: unde pertæsus *Italicas* discordias
in *Galliam* abiit animo tamen revertendi in *Ita-
liam*, atque *Romam*, sed vix *Avenionem* petierat,
cum ibi obiit, licet aliqui mortuum *Massiliæ* in-
ter redeundum dicant. Sed ad res nostras, ac
seriem temporum redeundo *Cæsena* statim atque
Pontifex *Romam* pervenit duos ad eum primarios
Cives Oratores destinavit, *Joannem Pallacinium*,
Manuscr. & *Marcum Ottardum*, qui debitum fidelitatis obse-
Ramp. quium exhiberent, deinceps quæ e Republica essent
juxta mandata supplices peterent; inter cætera au-
tem *Antonii* Abbatis S. *Victoris* amotionem à Civi-
tatis gubernaculis, quam tum prave administrabat.
Pontifex benigne devotæ Civitatis Oratores acce-
pit, & petita concessit, ac Gubernatorem removit
jam enim sibi Pontificii Ministri vindicaverant Re-
ctoris Civitatis electionem, id vero Rector, quod
olim Prætor, & Præfectus, poterat: utrunque
Magistratum ipsi in unicum Rectoris, Guber-
natorisve nomen, quod nunc quoque durat, con-
traxerant. Hæc conditio eligendi à Principe su-
premo Rectoris, qui Civitati assisteret, eamque
præsens regeret: antiquitus Civitatem servitute
affectam reddebat, ut antea diximus, attamen
Populi libertatem Ecclesiasticam hanc ipsam vo-
cabant multa enim, ac magna retinebant quibus
se non immiscebat Rector, & ea erat Civium in-
ter se partium studio divisio, ut ejusmodi Recto-
re egerent, qui repræsentatione Principis in vim-
que auctoritatis ab eo concessæ posset cohibere,
639 seditiones Civiles, & sanguinarias manus à cædi-
bus continere. Non tanti erat Civilis potestas,
ut id præstare posset, propterea cum sui prorsus
compos esset, Prætorem tamen exterum quære-

A bat, & Præfectum: *Florentina* ipsa Respublica
interdum alieno Magistratui, & Principi se com-
misit maximo cum libertatis periculo, ut Ducis
Athenarum factum demonstravit. Sola *Veneta*
Respublica nunquam degenere ejusmodi remedio
eguit; ipsa sibi optima sua constitutione, & præ-
clarissimis legibus sufficit. Pontifex vero cætera
privilegia, & indulta, ut de more Oratores præ-
sertim petierunt, confirmavit. Ex electione Ju-
lii *Palacini*, & *Marci Ottardi* in Oratores ad Pon-
tificem videntur jam refracta studia Factionum in
Senatu, Comitiisque ut prævalente factione *Guel-
fa* duobus tamen primariis *Ghibellinis* Legatio ad
B Summum Pontificem, qui honos semper maxi-
mus in hac Civitate habitus est, demandaretur.
Pontifex quadriennium in *Italia* mansit, tumque
omnem lapidem movit, omnem curam posuit;
ut Principes inter se *Italos* conciliaret, neque est
assequutus. Tantum odia, & suspiciones invete-
ratæ induraverant corda, ac Sanctissimis vere
Sancti Pontificis, suasionibusque occluserant.
Anno 1367. Legatum *Bononiæ*, *Flaminiæ*, *Pice-* Anno 1367.
ni, ac *Galliæ Cisalpinæ* destinavit Cardinalem *An-
glicum* Fratrem suum, qui *Gallicis* negotiis Præ-
peditus nonnisi anno sequente (1368) venit; *Bo-
noniam*que magna Principum *Italorum* corona sti-
C patus, qui illi occurrerunt: *Malatestiorum Ari-
mini*, *Polentanorum Ravennæ*, *Estensium Ferrariæ*,
Carrariorum Paduæ, *Gonzaghiorum Mantuæ*, in-
gressus est, omni cultu, atque honore exceptus.
Inde *Venetos* adivit, postque longam cum illis ne-
gotiationem *Bononiam* rediit, ejusque gubernationi
intentus ibi sedem fixerat, inde tamen in univer-
sam sibi commendatam ditionem prospiciebat.
Sub hæc tempora refert *Carrarius*, Civis *Cæsena-
tis* grave responsum. Erat is vir Nobilis, cujus
Familiæ non meminit, qui ut filii scelerosi aspe-
ctum vitaret, *Ravennam* secesserat. Moritur
interim filius, eamque mortem homini sibi re-
D nuncianti respondit pater. Jam diu mortuum
esse sceleribus suis obrutum filium, proinde nun- 640
tium mortis nihil sibi novi attulisse. Attulisset
autem novi aliquid si sepultum nunciasset. Pru-
dentis sane viri, & vitia abhorrentis responsum.
At gloriæ plenum, & in omne ævum memoran-
dum *Alberici Barbiani* e Comitibus *Cunii* factum,
quod nedum illi, sed universæ *Flaminiæ* maximo
fuit, & est ornamento. Principes *Itali*, ac Res-
publicæ equitatu solum (qui tum erat exercitus
robur) externo *Germano*, *Gallo*, & etiam *Anglo*
utebantur. Illi soli fidebant; Legati præsertim
Gallicis, & *Anglis* equitibus, ac turmis septi huc
E veniebant: hinc nascebatur *Italorum* contemptus
inermium nedum, sed armatorum, despiciebant
scilicet eos exteri milites, ut militiæ ineptos,
barbara ejusmodi superbia reddebat plerumque
Ecclesiasticum Imperium Populis invisum. *Al-
bericus* ergo pertæsus *Italæ* militiæ depressionem,
& exteræ fastum, magnanimo proposito consti-
tuit antiquum militiæ *Italicæ* decus restituere, &
Barbaros ex *Italia* pellere. Primo autem armatu-
ram ferream invenit, quæ coriacea esse solebat,
deinde multos *Italos*, nullo admisso extero sub
D. *Georgii* Societatis nomine coegit. Jurabant
omnes (aliter non recipiebantur) se militibus ex-
F teris inimicos perpetuo futuros. Sub excellentis
Ducis disciplina tantum ipsi brevi profecerunt,
ut barbaram militiam, & factis, & existimatio-
ne adeo vicerint, ut solo milite *Italo* usi dein-
ceps sint Principes *Itali*. Immo etiam ab ex-
teris expetito, & accersito. Ex *Alberici* enim
hoc instituto profluxere *Sforzia*, & *Bracius*, eo-
rumque militiæ discordes animis, at non institu-
tis, neque gloria admodum dispares. Monimen-
ta nostra scribunt primum novæ *Alberici* militiæ
Vexil-

Vexilliferum *Polidorum Tibertum* fuisse Nobilem A
A. 1369. *Cæsenatem.* Anno 1369. *Petrocinus Ravennæ* Archiepiscopus, & *Flaminiæ* Vicarius in politico
regimine mortuus est, cui in *Ravennate* Ecclesia
successit *Pileus Prata Concordiæ Aquilejensis* Diœcesis secundum nonnullos natus. Et adhuc in *Italia* perseverabat Pontifex *Urbanus* quietis *Italiæ* impense Zelator, proindeque humanissime etiam cum
subjectis Civitatibus, & Principibus Ecclesiasti-
641 cæ Ditioni agebat, hinc *Guidonem Novellum Polentanum*, quem ob non solutum canonem multa
millia florenorum debentem, à communione fidelium arcuerant Pontifices, veniam poscentem
parte debiti remissa absolvit, & ad Ecclesiam rur- B
sus aggregavit. Tandem cum frustra Principum,
& Rerumpublicarum in *Italia* animos conciliare
omni studio, & pietate contendisset, in *Galliam*
anno 1370. animo tamen in *Italiam* cum universa aula, & Curia quam primum redeundi remeavit: at importuna mors *Italiæ*, opportuna Pontifici ad celerem coronæ gloriam (cum Sanctitatis enim, & miraculorum patratorum opinione
decessit) vitam, cum Pontificatu reliquit. Suc-
Anno 1370. cessit *Urbano Gregorius Undecimus* anno eodem
1370. die trigesima Decembris, cujus Pontificis
tempore multa memoranda acciderunt. Reversio
Pontificis, & Aulæ, ac Curiæ Pontificiæ ex *Gal-* C
lia Romam maximo scilicet cum totius *Italiæ* beneficio, ac ornamento. Rebellio universæ ferme ditionis Pontificiæ, quæ forte ad *Romam* repetendam *Gregorium* adduxit; & miserarum *Faventiæ*, & *Cæsenæ*, quæ solæ in fide in *Æmilia*
permanserant, in præmium eximiæ fidelitatis direptio, clades, & excidium. Novus Pontifex
Gregorius Legatum *Bononiam*, & in reliquam *Italiam Petrum* Cardinalem *Bituricensem* misit titulo
S. *Mariæ* in *Transtiberi.* Hic suasu *Galeoti Malatestii*, qui erat Pontificiarum ex *Italico* milite copiarum generalis Ductor ad stipendia sua *Jo. Aucutum Anglum* cum *Anglis* suis conduxit. *Joannes*
jam antea in *Italiam* advenerat, & Dux *Pisano-* D
rum adversus *Florentinam* Rempublicam, non semel *Florentinos* vicerat. At *Galeoto Malatestio* à
Florentinis in Ducem, ac Imperatorem electo in
contrarium res cecidit; nam notabili clade *Angli*
victi, & *Aucutus* ipse captus fuit. In recessu tamen ex *Italia Urbani* Pontificis, & libertatem,
& Præfecturam Pontificiarum copiarum ex Pontificis indulgentia, ac voluntate est assequutus.
Brevi post tempore *Pratenses* in *Tuscia* à *Florentinis* desciverunt, qui ut se à *Florentinorum* furore
defenderent auxilium à *Barnaba* Vicecomite deprecati sunt. Qui ad id *Aucutum* misit, ac ejus E
copias à Pontificis ad sua stipendia accersit; sed (si
642 *Poggio* credamus) occulte permittente Legato, qui
clam (eodem *Poggio* asserente) *Pratensibus* favebat.
Hæc scripsi ad anticipandam originem *Cæsenatis*
calamitatis. Suspicio enim ejusmodi altas adeo radices in *Florentini* populi animis egit, ut eam defectionem à Pontifice Ecclesiasticæ ditionis operatus sit ob quam hæ duæ Civitates, quæ in fide
A. 1371. permanserunt alieni peccati pœnam misere luerunt. Sed rem distinctius enarremus. *Florentini*
quamvis suspectam haberent Legati fidem in fœdere, tamen cum illo adversus *Barnabam* perman-
A. 1372. serunt, tumque rursus ad Pontificium stipendium F
Aucutum revocarunt, ita *Galeoto* suadente, à cujus copiis, cum *Anglicanis Aucuti* junctis exercitus
Barnabæ fuit insigni clade debellatus anno sequente millesimo scilicet trecentesimo septuagesimo
A. 1373. secundo, quo adhuc Legatus erat Cardinalis *Bituricensis.* At sequente 1373. pro *Bituricensi* fuit
Cardinalis *Anglicus* Legatus remissus, sub hujus
auspiciis copiæ *Barnabæ* magna sunt strage attritæ, unde territus is supplex à Pontifice pacem,

& veniam est deprecatus, & in *Italia* multis officiis, & magna pecuniæ vi inducias à Legato obtinuit, quæ sunt victoriæ cursum remoratæ, &
post diuturnam negociationem, pacem etiam à
Pontifice impetravit, paratus eam conditionibus,
vel iniquis accipere. Quies inde ab armis usque
ad annum 1375. in ditione Pontificia fuit; populorum tamen animi à Ministris, & a præsidiario milite alieni. *Bituricensis* Legatus jussu Pontificis *Gregorii*, qui minus confidisse subjectorum
fidei, quam Decessor *Urbanus* videtur, Castra
anno 1372. in pluribus Civitatibus exædificavit,
ac munivit; in *Flaminia* quidem *Bononiæ*, *Imolæ*, *Faventiæ*, *Forolivii Cæsenæ* vero, & *Britonorii* munitissima jam erant ab *Aimerico* è Castro
Lucii excitata, ut antea diximus. quibus Arcibus sisi Rectores, & impositi milites superbiore
adhuc contemptu cum Populis agere cæperunt,
procaces antea ipsi per se ingenio, & supra quam
par sit pecuniæ avidi; & Veneris præterea petulantia effrenes. In hac animorum alienatione evenerunt magnæ à *Florentinis* anno 1365. turbæ.
Premebantur ipsi magna annonæ penuria, cum
contra subjectæ Pontifici Provinciæ luculentam 643
obtinerent; *Bononia* præsertim, & *Flaminia.* Ab
Anglo Legato *Florentini* enixe petierunt, ut emptionem frumenti, ac extractionem concederet
fœderatæ Civitati, & S. Sedi perpetuo devotæ,
ac ejus partes adversus Imperatores sequutæ: benigne pollicebatur Legatus, at promissa nunquam præstabat, immo invigilabat ne subjecti
homines quicquam communicarent. *Florentini*
suapte natura suspicaces, cum præcedenti suspicioni ejusmodi parum amica facta adjungerentur
interpretati sunt adspirare Legatum, immo, &
Pontificem ad Opprimendam *Florentiæ* libertatem. Suspicio deinde in judicium certum pertransivit, cum facta inter Pontificem, & *Barnabam* pace dimissi, ac exauctorati à Legato milites in ditionem *Florentinam* profecti sunt. Erat
messis proxima, cujus spes sustentabat afflictam
famæ populosam Civitatem. Excidebat spes, si
milites ut ostentabant populationem inivissent,
nec erant in promptu arma, quibus imminentem
ruinam depellerent, unde prudenter admodum,
quam non potuissent ferro, auro repulere. Ductores, & milites triginta supra centum aureorum
millibus sibi conciliarunt, & ab omni direptione
arcuerunt. Cumulavit demum iram, quod re- A. 1375.
pererunt à Legato clam promissa *Pratensibus* ad
rebellandum auxilia. Tum ergo totius Populi
voto, eoque constante bellum Pontificiis indictum, & octo Cives electi, qui ei curæ libera
auctoritate præessent, possent scilicet exercitus
cogere, & omnia, quæ ad bellum exigebantur
parare. Ecclesiasticam ditionem vi, vel dolo
invadere, ut universa si posset Pontifici detraheretur. Erat in eorum quoque arbitrio cum
Barnaba antiquo hoste ferire fœdus, is enim jam
potentiam Ecclesiasticorum formidabat. Octoque illi Cives præfecti bello, cum aversionem
intelligerent Populorum Ecclesiæ à Rectoribus,
& militibus *Gallis* per occultos internuncios tentaverunt animos, eosque ad libertatem pristinam
repetendam animaverunt, auxilia prompta promittendo, ac ostentando. Submiserunt etiam
vexilla in quibus majusculis, & aureis literis *Libertas*
scripta erat, quibus scilicet sublatis Popularem 644
tumultum concitarent. Primi *Tiphernates* desciverunt, quod ubi *Perusii* Legatus intellexit, arce præsidio firmata, cum reliquis copiis ad Civitatem rebellem accurrit, verum ex ejus discessu
animati *Perusini* in libertatem se vindicaverunt,
cinxeruntque obsidione arcem tum popularibus
copiis, tum *Florentinis*, quæ præsto fuere auxi-

liis, & brevi receperunt. Hæque aliæ Civitates *Viterbium* in *Etruria*; *Eugubium* in *Umbria*; *Ascolum* in *Piceno*; *Forolivium* in *Flaminia* sunt exemplum sequutæ. *Forolivii* autem ante *Florentinorum* impulsum tumultus præcesserat. *Paulus* enim *Aspinus*, & alii nonnulli Cives adversus Rectorem conjuraverunt, sed detecti, & capti in vincula conjecti sunt. At in mox dicta rebellione *Sinibaldum Ordelafum* Civitas evocavit, inque Dominio collocavit. Mortuus erat *Franciscus* ejus Pater *Venetiis* valde inops ex venenato vaporario afferente *Nicolao* in opere suo medico, & refert *Rubeus*, sed aliquot annis prius. Forte fuerat à *Bituriensi* Legato ut suspectus una cum filio rursus ejectus. At Filium non ipsum ad gubernacula esse accitum indicat ejus mortem præcessisse. *Bononiam* præsentia Legati *Aucuti* solertia, ac copiæ in officio continuerant, licet in defectionem jam ut res indicavit, pronam. *Faventia*, & *Cæsena* solæ in fide permanserant constantia, sed infelici. *Astorgius Manfredus Joannis* filius olim cum patre, è *Faventiæ* Civitate exul, & proscriptus, à *Florentinis* animatus, & eorum auxiliis fultus *Granarolum* improvisa aggressione cepit, qua occupatione audita *Aucutus Bononia*, ubi residebat, cum *Anglis* suis ad locum recuperandum advolavit: At jam turgebant *Bononiensium* animi à Barbarorum insolentia, & aviditate irritati, unde statim, atque *Anglorum* copias abiisse viderunt, quam coquebant animis rebellionem, factis edidere. *Aucutus* præter spem suam à *Granarolo* valide resistente exclusus una *Bononiam* defecisse audivit, implicatus ergo animo *Bagnacaballum* petiit, ibique morabatur, cum recuperare *Bononiam* præsentibus viribus prorsus diffideret.

Carrarius.

Francisci Ordelafi mors.

645 Interim Episcopus *Hostiensis* dicit *Rubeus*, at *Taraconensis* (& melius) alii Provinciæ Rector *Faventiam*, ubi degebat, verens ne ipsa quoque deficeret, eum accersivit. At potius ex viri meticulositate, quam ex Civitatis facto suspicionem natam id indicat, quod *Faventini* libentes, & ultro *Aucutum* cum *Anglis* recepere; at recepti fiduciæ Civium barbara crudelitate responderunt, nam ut in Civitatem bello captam Ethnicam non Christianam, inimicam Pontifici non subjectam, direptione rerum, occisione hominum, stupris fœminarum selectarum sævierunt. Cives, qui aufugerunt ii soli amissis fortunis vitam, & honorem retinuere, ac honestatem mulierum suarum. Tam immanis Pontificiorum militum in subjectam, & fidam Civitatem crudelitas rebelles Civitates in proposito suo confirmavit, alias ad deficiendum permovit. Sola *Cæsena* in *Flaminia* in fide permansit. *Polentanus* usque *Guido Novellus Ravennæ*, & *Cerviæ* Vicarius à Pontifice à quo eas Civitates beneficiario jure obtinuerat, descivit. Sola ergo Civitatum *Cæsena*, & Principum *Malatestii Galeotus*, & *Pandulfus* in pristina obedientia permanserunt. Non defuere tamen ad *Cæsenatum* fidem evertendam *Florentinorum* artes, & hortamenta, nec dubitari potest quin *Faventiæ* casus ad sibi à *Gallo* milite cavendum induxerit; At licet præsidium arci impositum superstaret non tanti tamen erat ut unitam Civitatem cogere posset; unde ea supererat Civitati cura ne præsidium valde augeretur. Interim se Pontifici fidem inviolatam servare statuebat memor calamitatis sub *Ordelafi* tyrannide toleratæ, in quam ob defectionem à Cardinali *Bertrando*, & tum à Pontifice inciderat. Erat rigidum regimen: at memoria Cardinalis *Egidii* spem indebat sub novo Legato mitioris Gubernationis. Hæc itaque demum fuit Civitatis deliberatio, quam *Galeoto Malatestio* indicavit per *Joannem Palacinum* Civem primarium. De hujus missione, & *Ariminensium*, & nostra monimenta conveniunt, in reliquis dissentiunt. Dicunt *Ariminenses*, cum Civitas in rebellionem propenderet, accurrisse *Galeotum*, atque in fide retinuisse: at fatentur iidem *Galeotum* exclusum ab Urbe, & extra mansisse, cum suis, ut idcirco fuerit in Civium manu accersere *Florentina* auxilia semper prompta tumque præsertim *Forolivii* existentia ad servandam eam Civitatem, & ad sollicitandam ad rebellionem *Cæsenam*. Sunt hæc *Clementini* verba. *Nell' Anno, che successe à questo accortosi Galeotto, che Cesena con l'altre Città di Romagna stava per ribellarsi passò colà con quattro milla, e trecento Cavalli delle sue cerne sotto pretesto di soccorrere la Città di Forlì, benche l'intentione sua fosse di pigliar questa per la Chiesa; giunto alle porte i Cæsenati gliele chiusero in faccia, ne vollero accettar'esso, ne meno la sua gente, ma si compiacquero, ch'entrassero alcuni de suoi senz'arme à pigliar il vitto, e l'altre cose necessarie. La Domenica poi, che fù alli* XXX. *di Decembre nacque tra Cesenati dissensione chiamando alcuni di essi la Chiesa per lo quale romore, e tumulto Galeotto si rinchiuse nell'albergo, ch'havea fuori della Città, e perche vi stette, con qualche sospetto, fece armar i Soldati; chetatosi poi il tutto il giorno seguente tornò à Rimini, & Cesena restò nella stessa dispositione del Popolo, senza far altra mutatione, con tuttoche la gente de Fiorentini, & di Bernabò Visconte, e della Lega fosse giunta à Forlì.* Juxta ergo narrationem *Ariminensem* non est à *Galeoto* coercita Civitas, sed ipse coercitus, & Populus in libera sua dispositione permansit, & prompta erant auxilia fœderatorum si rebellare voluisset. Falsum itaque est ipsam voluisse ab Ecclesia deficere, ut neque sibi Historici dicta cohæreant. Non est etiam in tempore verus die nempe trigesima Decembris 1376. *Cæsenam* venisse *Galeotum*, illumque ibi excitatum tumultum: nam à die vigesima quarta Novembris jam Cardinalis *Genebensis* eo anno 1376. erat cum *Britonibus Cæsenæ*, quam subtracto priore præsidio reliquerat Cardinali, & ejus copiis *Galeotus* ex alterius *Ariminensis* Chronico diligente, sed rudi, cujus verba. *Et à di* XXIV. *de Novembre al ditto millesimo se parì Miser Galeotto da Cesena, & lassò libera Cesena in mano del ditto Cardinale, & della Chiesa.* At multo minus vera, quæ idem Clementinus subjungit. *Nell' Anno seguente alli 4. Genaro Giovanni Palazzino da Cæsena à nome de' Cittadini comparue in Rimino, e ricercò Galeotto à transferirsi in quella Città, la quale se gli voleva dare offerendosi egli con gli amici à darli tutti gl' aiuti possibili onde Galeotto v'andò con due milla fanti, e giunto alla Porta gli fù negata l'entrata, egli che l'antecedente notte haveva mandata di nascosto gente nella Murata vi entrò con la metà della gente lasciando fuori il restante imperoche la Rocca si teneva per la Chiesa, e nell' entrar vidde Giovanni Palazzino non solo non pronto all'effettuatione della promessa: ma come nemico. La Domenica notte, che fù alli 6. il Popolo levatosi à romore tentò di rompere il muro della Murata per cacciarne Galeotto, che non li riusci, mà bene riusci à Galeotto li* XII. *di pigliar il sudetto Giovanni, e Buono d'Amadore, che furono posti in Rocca, e la Città fù riacquistata, à nome della Chiesa, onde quietato, ch'hebbe il romore partì Galeotto lasciandovi in guardia ottocento Riminesi sotto il commando di Briscolo. Briscoli anch'ei Riminese, benche in alcuni manuscritti Cesenati dica da Reggio.* Hæc inquam prorsus falsa anno 1377. die quarta Januarii jam tanto prius Cardinalis Legatus cum exercitu erat *Cæsenæ*, & nulla potestas (etiam si voluntas fuisset) amplius esset *Cæsenatum* de se deliberandi, & quomodo potuisset præsente Legato *Galeotus* inducere in *Muratam* mili-

Rubeus sub eod. Anno.

Clementia.

646 Anno 1376.

1377.

647

milites, & in vincula conjicere Cives? Sed nimis multa de falsitate conspicua. At voluisse Cives tradere se *Galeoto*, semper libertatis avidos, tumque proposita libertate à *Florentinis*, & fœderatis in præmium defectionis, dum à Pontifice desciscerent, ab omni est verisimilitudine alienum. Aspirasse autem *Galeotum* ad Civitatis dominatum bene monimenta nostra dicunt, & D. *Antoninus* gravis adeo Scriptor probat, at quod dicit restitutam Ecclesiæ Civitatem secum pugnat, qui proxime dixerat nullam à Populo mutationem factam. Sunt qui idem factum *Galeoti* à *Clementino* narratum in annum præcedentem 1376. rejiciunt sub iisdem diebus quarto, & septimo Januarii, qui in tempore non æque falluntur, at in reliquis eisdem reprehensionibus subsunt. Multo ergo verisimilior narratio est. *Cæsenam* ut dixi decrevisse adversus rebellionem aliorum, in Pon-
648 tificis devotione, & obedientia perseverantiam, eamque indicasse *Galeoto* ut paratus esset si *Florentini*, & fœderati tentassent eam armis cogere, auxilium præberet: at *Galeotus*, vel in tanta rerum concussione, ut suam Civitatem faceret, vel popularem inconstantiam timens cum iis copiis Civitatem statim, (etiam si ad eam non invitatus) accessit, quæ in eodem proposito, vel invitam permanere coegerent, indignata Civitas, & multo magis *Palacinus* adventum de quo nihil pepigerat, insidiosumque libertati facile suspicans portis clausis exclusit ipsum, & milites. Quod autem clam nocte in *Muratam* miserit manum non exiguam, non est quoque verisimile in tanta, & tam vicina perturbatione Provinciæ non custodisse *Cæsenates* eam munitiorem partem Civitatis, quæ incolebatur à Civibus, & servabatur: sola enim arx à præsidio tenebatur, in quam etiam ne plures Milites introducerentur, monita à *Faventino* casu, oportet invigilasse: ut quod de conatu irruptionis in Muratam sit merum somnium cum in ea multi Cives, & nobiliores habitarent: Totaque adeo præter arcem in Civium manu esset. Id verisimile convenisse Cives, ut pro extero præsidio, ac barbaro *Galeotus Italum* imponeret, ejusque quantitatem ad octingenariam taxasse, tumque à Civitate discessisse, & in eo statu perseverasse præsidium, & Civitatem usque ad Cardinalis Legati, & *Britonum* adventum: tum enim amandatum *Italicum* præsidium, & suo se milite Cardinalem sepsisse, & muniisse arcem. At ad ordinem temporis, & rerum redeamus. Jam universa ferme ditio Ecclesiastica desciverat subornantibus populos fœderatis, qui erant *Florentini*, *Barnabas* Vicecomes; *Polentanus*, & *Romani* usque Proceres, *Columnii*, *Ursini*, & alii multi, adeo impotentia militum, & Rectorum *Gallorum Italiam* commoverat. cum ejus nuncius ad Pontificem pervenit; audita ipse tot Civitatum, ac oppidorum defectione, eamque opera præsertim *Florentinorum* accidisse, eos gravi anathemate perculit, & eorum personas, at bona invadentibus, & occupantibus adjudicavit, quæ adjudicatio ingenti damno fuit genti, quæ in omnes locos di-
649 spersa mercaturam exercebat, opulentasque merces expositas aliorum cupiditati habebat. Magnumque exercitum ex *Britannis* (habitant ii *Anmoricas* olim dictas Civitates) coegit. *Britones* fuerunt ab *Italis* dicti, & nos nomen vulgatum retinebimus. *Britonum* exercitus sex millium Equitum, & quatuor millium Sagittariorum fuisse ab aliquibus dicitur. Sunt qui viginti millium hominum afferant, *Britonum*, *Anglorum*, *Genuensium* Sagittariorum, aliorumque multorum, sed etiam si intra priorem numerum persistamus; Tantus exercitus cum Cardinali *Genebensi* Legato in *Italiam* anno 1376. profectus *Bononiam* deci-
A ma quinta Julii accessit. Dux autem erat *Joannes Malastrettius* ad recuperandam ditionem Pontificiam universam, & ad ulciscendos Ecclesiæ hostes, & Legatus, & copiæ destinatæ. Primum autem *Bononiam* aggressæ sunt: *Bononienses* suo milite, tum *Florentinorum*, & fœderatorum auxiliis muniebantur. Erat universarum Copiarum eorum Imperator *Rodulfus Varanus Camertium* Princeps Vir militari peritia insignis. Cardinalis lenissimis primo officiis *Bononiensium* animos mulcere, atque ad Pontificiam gratiam revocare conatus est, adeo ut milites ab omni populatione, & direptione agri in diuturna obsidio-
B ne continuerit, & cum omnia ejusmodi tentamenta frustra cedere intellexisset, morabatur tamen, eademque cum lenitate, quod intus essent, qui Civitatem prodere molirentur: at detectis fraudibus, & captis, qui conspiraverant, palamque Carnificis manu peremptis Cardinalis demum vulpem exuit, & longe, lateque omnia fœde vastavit, ut sequenti anno obsidio populosæ Civitatis annona privatæ, fameque maceratæ feliciorem exitum inveniret. Hyeme tandem ingruente obsidionem solvit, ac *Britonorium*, inde *Cæsenam* cum exercitu die ut dixi 24. Novembris venit, solæ hæ Civitates fidæ Ecclesiæ, & integræ
C erant: nam *Faventia* ab *Anglis* misere direpta, atque vexata erat: *Cæsena* fidei suæ erga Sanctam Sedem conscia, & quæ sub *Egidio* nedum inviolata, sed tranquilla, & florida fuerit, sub *Arduino*, & reliquis semper tuta, ultro Cardinalem,
& milites recepit, milites tamen extra mænia lo- 650
cati, qui casis, & mappaliis excitatis aëris injuriam vitarent. Bini autem, ad summam deni ad emenda necessaria poterant ex conventione ingredi: est præterea in *Garampæ* colle tumulus brevi vallicula ab arcis tumlo distractus; junguntur tamen jugo. Vocant vulgo ejusmodi tumulum *Beccavento*, quasi græca anemophagen, qui scilicet vescatur vento. In ejus latere quod arci
D obvertitur cavatum est antrum, in multam longitudinem porrectum, quod hinc inde in cellulas spargitur, temperare hyemis rigorem ceu loca subterranea, natas. Nunc quoque *Britonum* Cavea dicitur. vulgo *Tana de Britoni*. Ibi homines, vel equi, vel ambo quotquot condi poterant, se se à fri-
gore defendebant. Legimus tamen in quibusdam Anno 1377.
monimentis postquam advenere *Cæsenam*, & *Britonorium Britones*, eorum partes in *Feretranum*, in *Picenum* vagatas quousque non strinxit prorsus inclementia hyemis, ad commeatum quærendum novum (ut parato interim parcerent) & ad ten-
E tandos scilicet animos, & locos. At demum se ad hyberna *Cæsenatia* restrinxere, ubi tandem cæperunt à conventionibus, & à jure in fraudes, & rapinas declinare, primo leviores, & quasi dissimulando, deinde in graviores jam, & apertas, & primo in rusticos injuriosi, & graves, & illis ferme consumptis in cives impotentius se habere cæperunt. Primum privati, deinde Magistratus Legato injurias detulere, remediumque & ultionem petiere. Legatus ab initio in occultis adhuc furtis negare ea à militibus commissa, deinde cum authores jam constarent, polliceri ultionem, at ducere cives. Ejus enim intererat
F militem quocunque modo ali cum stipendia non adeo prompta essent, neque enim ab *Italis* ob defectionem tot Civitatum, & locorum poterat multum pecuniæ exigi, neque à *Gallia* sufficiens prompteque mittebatur. Tolerabat ergo ipse rapinas militum, & desiderasset tolerari à Civibus; neque facile credebat, cives ausuros contra tantas copias insurgere, quæ opinio contemptum Populi in animis Legati, & militum gignebat, & contemptus in factis, & verbis horum, & illius emi-

651 nere tandem cœperat. Impatientes ergo injuriæ cives, cum amplius contineri non possent in concionem de more convocati sunt. Ibi Magistratus supremus, quid fecerit cum Duce *Britonum Malastrectio*, quot officiis quæsierit, ut milites in officio contineret, enarrat, deinde ut frequenter Legatum adierit, injurias exposuerit, remedium flagitaverit: sed omnia in irritum cessisse. Statuerent ipsi quid agendum; se voluntati eorum dictis, & factis etiam cum discrimine vitæ obsequuturum. Ibi variæ sententiæ dictæ, agnoscebant omnes quanto cum periculo cum tanto exercitu pugnaretur, qui *Bononienses* magnis copiis fultos terruerat, & si mænibus exclusus: at nunc esse intra viscera Civitatis, tanto *Bononia* minoris. Attamen fortior sententia evicit, armis resistendum, & sua cum Civitatis dignitate esse cum quantovis periculo retinenda. Ferociores sententiam hanc rationibus ejusmodi suasere. Jam *Britones* descendere ad vim nedum in res, sed etiam in personas: jam enim ausos stuprum irrogare pudicis Mulieribus etiam si adhuc humilibus: at dum patientiam Populi videant idem in honestiores ausuros præter quam quod num humiliores cives sunt libidini barbaræ gentis relinquendi? Demum si patientia nostra ejus cupiditas, & intolerantia alatur, ab impio milite omnia dedecora, & damna sub aspectu ipso, & coram expectanda esse, quæ si pugnemus, & victi etiam simus (absit omen) vel fortiter cadentes, ea non sentiemus, vel ejecti à Civitate, saltem non videbimus: oculi autem nimium dolorem augent. At si vicerimus æternam in universa *Italia* gloriam consequuti, nostra incolumia, & pudorem mulierum inviolatum servabimus. Spem victoriæ causæ justitia facit; ecquæ enim major justitia, quam Populum erga Principem suum constantis inter cæterorum rebelliones fidei ab injuriis, & ab impietate Ministrorum, & Militum ejusdem Principis tueri sua? Constituerunt ergo armatam manere civitatem, & missis publico nomine Oratoribus à Legato petere, ut alibi milites collocet, solum sibi arcis præsidio ad congruam custodiam reservato. Convenere Legatum Oratores, ipsumque repererunt cinctum
652 militibus ob arma à Populo capta. Admissi tamen sunt, semoto interim milite, primusque Oratorum est eum simili oratione alloquutus. *Nil putidius est Reverendissime Cardinalis, quam testimonia fidei nostræ erga Sanctam Sedem nunc adducere. Nos cum nostri arbitrii fuimus, & non ab alicujus potestate coacti, jugi semper devotione Pontificibus, & Pontificiis Ministris addicti fuimus. Hoc præsertim in præsentia eminet cum in defectione universæ ferme ditionis Ecclesiasticæ soli fidem necquaquam titubantem, servavimus; nec defuerunt iidem, qui cæteras Civitates ad defectionem concitarunt, easdem nobis insinuare suasiones, & offerre auxilia: At devotæ Sanctæ Sedi mentes omnia repulere lenocinia; quinimo Cardinali* Angelo *Legato deteximus insidias, & constantiam nostram testatam fecimus. Eadem nostra devotio, & fides, quæ in Ecclesiasticis Rectoribus respondentem charitatem experta perpetuo est, fecit, at horribilem cæteris* Britonum *militiam, nos ut Principis nostri militiam, ut sub Cardinali Legato accedentem ultro recepimus. Cardinalem* Egidium *maximo cum exercitu diu hic moratum meminimus, at cum summa nedum incolumitate, sed etiam tranquillitate Civitatis, cur vero non eandem sub te securitatem expectaremus?* Hispanus *ille; tu* Gallus *cujus gentis æquissimum imperium sub* Carolo Magno, Pipino, *& sequentibus Regibus adhuc in memoria resident: Ille nobilis, Tu nobilissimus, qui Regium usque sanguinem attingis; Ille Civitatem sub aliena tyrannide ab initio repu-*

A *gnantem reperit: Tu contra alienam nequitiam tibi obnoxiam Sanctæ Sedi datam invenisti: at ecquod infelix fatum tuo sub imperio nos adeo affligit, & vexat? Ager jam consumptus, Rustici attriti, Cives subinde spoliantur, mulieres jam jam stuprantur, ecquid aliud mali in rebelle Civitate expugnataque potest expectari? num nos forte miseræ* Faventiæ *manet infortunium: at certe id inter utriusque casum intererit, quod illa non providit; nos mala nostra experimur: non potuit illa quicquam de se deliberare; nos decrevimus, idque animo constituimus, dum facinora non cessent, vel impiam hanc gentem vincere, vel nos victos cum dignitate cadere. At prius pro* 653
B *devoto Populi obsequio ad pedes tuos procidimus; remedium à tua auctoritate imploramus, idem quod nobis ad salutem, tibi, & S. Sedi ad recuperandam pristinam ditionem proderit, continere milites in officio, & deditas tibi Civitates incolumes, & beatas servare, non depressas reddere, & infelices. Considera pro tua prudentia quantum infelicis* Faventiæ *calamitas confirmaverit in defectione sua rebelles Civitates. Quam ansam ex illa sumpserint* Florentini *facinus suum in Pontificiis Civitatibus ad libertatem excitandis celebrandi. Hæc cum tibi ignota esse nequeant, & non molesta; interpretamur, tamen magnam militum multitudinem difficile compesci posse,*
C *& hinc non coercita mala, & non exauditas preces nostras esse. Supplices ergo petimus, ut in finitimas Regiones partem copiarum amandes: præstat ex hostico prædas agere, quam subjectos diripere.* Cardinalem valde pupugerat popularis in armis sumendis contumacia, & libera Oratorum alloquutio, usque ad interminationem belli. Anceps tamen animi est ancipiti responsione usus. *Cæsenates* quidem fide sua Pontificem, & Legatum demeruisse, ut idcirco ipse paterno eos amore complectatur, proindeque summopere desideret, ne priora benefacta nunc malefactis corrumpant: impense itaque dolere concitato tumultu, & armis
D se inscio captis, quod cum repugnet Pontificiis scitis, etiam obedientiæ à subjectis debitæ adversatur, multo autem pejus est interminari bellum Pontificiæ militiæ, vel præscribere Legato ubi milites collocet; quot secum retineat. Resipiscerent ergo, & sedatis animis considerent, quo illos importuna iracundia transversos egerit. Interminatos esse bellum *Britonibus*, contra honestatem: sunt enim principes sui milites, at contra etiam sui ipsorum utilitatem, & salutem; adversus se scilicet provocare exercitum numero, & virtute *Italiæ* toti tremendum, qui in Civitate ipsa jam sit, & munita loca occupet. Monere
E itaque pro charitate sua eos, ut arma deponant; veniam tumultus se ultro concessurum. Interim sibi curæ esse coercitionem militum: at non ean- 654
dem expectandam in armato milite, & in pacato Cive modestiam; a laribus suis abesse multis egere, ut pro fide sua erga Pontificem grave esse non debeat *Cæsenatibus* impertire eis annonam, & alimenta, vel dissimulare si aliqua carpant: sævire tunc hyemem mitescente Cælo amandare partem copiarum pollicebatur, immo potius universas migraturas: expectari interim stipendia à Pontifice, quibus persolutis facile militem quieturum. His, & aliis tentabat Cardinalis partim terrere,
F partim lenire animos. Turbidi recesserunt Oratores: unde conjectans Cardinalis, quæ consequutura erant omnia *Malastrectio*, & reliquis Ducibus indicavit: facile autem ea sententia *Cornelii Taciti* versutum Cardinalem subiit, turbam terrere, ni terreatur; unde ex ejus forte nutu fremere milites, plures solito urbem ingredi; voces contemptus, & minarum jacere; nec cessare à pristinis injuriis, immo potius augere. Tum exasperatus populus non temere, sed ordinate prima

ma die Februarii in *Britones* insurrexit anno 1377.
quos in Civitate dispersos invenit, occidit, &
alios turmatim instructos acri pugna fugavit, sunt
ea die e *Britonibus* centum perempti, vulnerati
multi, at pigebat, pudebatque copias militares,
& exercitas à populo ferme inexercito victas esse,
unde postera die ordinatis agminibus ingressi Ci-
vitatem adversus cives arma intulere. Contra
cives minime exterriti egregie armati occurrerunt
hosti, nec fæminæ, & imbellis ætas cessavere ex
tectis saxis cominus, & eminus jactis turbare ho-
stem. Erat civilis exercitus magno agricolarum,
qui in Urbem confugerant numero auctus, is igi-
tur collato pede pro filiis, pro uxoribus, pro focis,
& laribus, pro Patria ipsa ferocissime pugnavit.
ut post diuturnam pugnam in qua aliqui etiam
Cæsenates periere, fugaverit hostem, & ex Civi-
tate expulerit, septingentis aliis eorum occisis.
Perculsus Legatus inexpectato successu in arcem
se recepit, non satis fidens reverentiæ dignitatis.
Credebat is sane populum devictum iri, tumque
in pœnam delicti direptum tradita militibus Ci-
vitate eo modo se satisfacturum militibus, quibus
655 stipendia debebantur, & interim Exercitum ali-
mentis abundaturum; at fugato milite, ab unius
Civitatis, vel mediocris populo, adeoque existi-
matione ferme militaris virtutis exuto absque sti-
pendiis, & commeatu, quid ageret? Si præser-
tim propinqua *Florentinorum*, & fæderatorum
auxilia e *Forolivio* vocarent? His agitatus curis
mirus tamen simulandi artifex ad Magistratum,
ac populum adhuc coactum, & armatum misit,
qui suo nomine de victoria congratularentur: se
pro amore in Civitatum suo, valde timuisse à
tanto exercitu Civibus, quorum nunc admiratur
virtutem, unaque lætatur successu: nam victi
milites modestiores post hac erunt mutato in ti-
morem pristino contemptu, unde facilius eos ipse
compescet, intraque justitiæ terminos continere
poterit; his primum per Internuntios, deinde
evocatos ad se Magistratus iisdem ferme dictis est
per se ipsum affatus, ut mulceret animos, & ad
arma deponenda induceret, quod credulis Civi-
bus obstricta fide sua jure jurando suasit, dum
infidus homo eodem tempore accersierat ex affli-
cta *Faventia Joannem Aucutum* cum universis *An-
glorum* Copiis, qui sequenti nocte, quæ scilicet
præcedebat diem tertiam *D. Blasio* sacram, ad-
essent; adfuere autem sopitis Civibus, & Lega-
ti juramento fidentibus per arcem una cum *Brito-
nibus* ab ipso in Civitatem immissi; ex arce in
Muratam descenderunt, indeque in reliquam Ci-
vitatem fusi, ultionis avidi, & efferati *Britones*
crudelitatis suæ virus in miseros cives effuderunt,
nec ætati, nec sexui, nec ordini ulli parcentes.
Mitiores erant *Angli*, qui prædæ tantum intenti
(neque enim ut *Britones* à Civibus læsi fuerant)
Cæsenatibus ad fugam aditum potius, & consi-
lium præstabant. Dicuntur ad sex millia evasis-
se ita *Clementinus*; octo millia aufugisse alii asse-
rint, reliqui occisi, pars etiam per Vallum us-
que ad mille homines (nondum post *Ordela-
fum* tota muris cincta erat Civitas) cum evadere
niterentur in fossa aquis plena demersi periere.
Cæterum in Civitate omnia exempla barbaræ sæ-
vitiæ barbari milites ediderunt. Infantes usque
ex cunis, aliis ex sinu matrum arrepti, in oppositos
parietes illisi disperso cerebro mortui: inde matres
656 prope Filios jugulatæ; Patres, & filii simul tru-
cidati: stupratæ uxores coram maritis, filiæ co-
ram parentibus, deinde pollutæ feminæ perem-
ptæ: post fædum aspectum violatarum mulierum,
occisi homines, nec Sacris locis pepercerunt. Sa-
cræ Virgines violatæ, direpta postmodum omnia
Sacra, & prophana. Scribit *D. Antoninus* in al-

A tari occisos, ibi positos puellos, eoque sanguine
aspersam, & ense etiam percussam *D. Antonii* pi-
ctam imaginem impiumque *Britonem*, qui id pa-
travit Divino statim miraculo correptum igne
inextinguibili, etiam si miles in proximum se
fluentum demerserit, combustis usque ossibus
misere periisse. Retinuerunt formosas mulieres,
vel etiam fugientes retraxerunt ad fædos com-
plexus invisorum hostium, & carissimorum pi-
gnorum adhuc sanguine madentium. Id tamen
Cæsenæ etiam evenit, quod de *Trojanis* dicit Vir-
gilius.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.
B *Victoresque cadunt Danai.*

Aliqui *Cæsenates* strepitu exciti arma ceperunt,
& irruentibus hostibus occurrerunt generosam
mortem inerti præferentes, & fortiter pugnantes
non inulti ciciderunt. Inter cæteros celebran-
tur *Masinus Faber*, *Joannes Rusticius*, & *Joannes
Almericus*. Credendum est sua ipsos morte dum
pugnando ad se *Britones* trahebant aditum multis
infirmioribus ad fugiendum aperuisse. Hoc fi-
delis Civitas fidei suæ præmium ab impio Re-
ctore, & Antistite, est consequuta. Sed quid
mirum scelus ejusmodi in Civitatem Ecclesiæ
devotam ab eo promanasse, qui paulo post Ec-
C clesiam ipsam immani schismate in quinquage-
simum annum duraturo discidit? quem homi-
nem Deus forsan ad præcavendum claudicate,
& strabositate signaverat, ut distortam inten-
tionem, & obliquum in agendo progressum si-
gnificaret. Dicitur ab aliquibus vocatus cer-
tamine jam inchoato à *Cæsenatibus Galeotus*, at
vereor ne quam jam diximus habitam cum eo
anno elapso negotiationem, hic confundant:
nam correptis jam armis non erat *Galeotus* Dux
Pontificius adversus Legatum, & militem Pon-
tificium invocandus. Qui dicunt exhibitum il-
li Civitatis Principatum ab omni verisimilitudi-
D ne abest, nam cum id esset desciscere à Pontifice, 657
certe majus præmium, & *Cæsenatum* genio ma-
gis accomodatum erat libertas, quam *Florentini*,
& fæderati proponebant, quam alicujus se subji-
cere Tyrannidi, qua in re etiam sensum suum in-
dicaverat anno antecedente civitas, cum *Galeo-
tum* ipsum veluti jam dixi obtentu defendendi
eam, & in fide Pontificis retinendi cum copiis
accedentem clausis Portis exclusit, ut quæ fides
suæ nec sponsore, nec custode egeret, & contra
in eo parum fidam mentem suspicaretur. Forte
in eo temporis intervallo, quo remedium malo-
rum iteratis vicibus à Cardinali petiit *Galeoti* in-
E tercessionem postulavit; frustra tamen quod nol-
let obviam ire Legati sensibus, & quod si quid
adversi Civitati accideret, provideret in lucrum
suum facile cessurum, ut *D. Antoninus* etiam in-
terpretari videtur. *Cæsenates*, qui excidio, &
occidioni superfuere multi *Ariminum* concessere
ad octo usque millia in hos omnes humanum, &
misericordem se *Galeotus* præstitit, quibus officiis
miserorum captavit animos, eique ad domina-
tum præbuit aditum. Artifices suis se artibus a-
luerunt, ac imperiti artium Cives ægrius tolera-
vere vitam. *Ariminenses* tamen, matronæ præ-
sertim tulere benigne opem, & qui multi ostia-
F tim quæsiere panem, alimenta inde reperere. At
in alias etiam Civitates sunt dispersi; *Bononiam*
usque memini videre supplicem libellum cujus-
dam è *Pasculorum* familia, qui ab eo excidio se
Bononiam measse scribit, ibique plures annos ut
exutum suis opibus duram vitam duxisse; repeti-
turum Patriam si quid opis subministretur. Pe-
tebat autem à Civitate opem: parvulam tamen
sicuti etiam non magnas fuisse antea fortunas suas
eodem libello indicat. *Britones* post occidionem,

& expulsionem Civium divisa cum *Anglis* præda, qui *Faventiam* rediere ipsi soli Civitatem, & annonam omnem Civibus paratam pro commeatu obtinuere. Verum ante exactum Aprilem frumentum, vinum, & oleum, & reliqua alimenta largius ingurgitando consumpserant. Finitimi tum Alpicolæ portabant; qui ut manuscripta dicunt jumentum palea onustum ducentes, onustum
658 pannis, & vestimentis reducebant. Suppellectilibus sane omnibus alicujus saltem pretii spoliata remansit Civitas: partem asportavere *Angli*, & amandavere ad finitimas Civitates vili pretio vendendas: partem *Britones*. Usque ad decimam tertiam diem Augusti permansere cum Legato *Britones Cæsenæ*. Huc reparatio ditionis Pontificiæ, huc recuperatio *Bononiæ* cessit. Non minus justitiæ repugnavit dare fidam Civitatem direptum Militibus quam militari expeditioni direptum dare opulentam. Emolliti ea commoditate Milites, ad pugnas, & ad castrametationem non potuerunt inde divelli. Interim Pontifex his auditis Populorum suorum casibus: cum tanto militum apparatu nihil recuperasset; sed potius ob eorum feritatem Populi magis alienarentur, decrevit *Romam* cum universa Aula, & Curia revertere. Non communicato autem *Gallis* consilio, qui facile repugnassent, aliud simulans comparata classe *Italiam* petiit postque quadrimestris navigationis agitationem *Romam* pervenit, quæ increduli plausu, pompa, & exultatione Pastorem suum post diuturnam septuaginta duorum annorum absentiam demum recepit. *Platina* in annum 1375. reditum rejicit; *Rubeus* in anno 1376. reponit: at *Carrarius* in anno 1377. die 17. Januarii. Ego probabiliorem immo veram statuo *Leonardi Aretini* narrationem; qui Autumno anno 1377. *Avenione* discessisse, mense que Decembris *Romam* tandem advenisse scribit. Post scilicet *Cæsenæ* excidium undecimo circiter mense. Quod excidium videtur fuisse piaculare quoddam Sacrificium ad revocandam in *Italiam*, & *Romam* Summorum Pontificum præsentiam. Non est autem verisimile si Pontifex biennio ante in *Italia* fuisset devotæ Civitatis injuriam sequuturam, neque si Januarii ejusdem anni 1377. Mense venisset, oppressa adeo à Legato, & *Britonibus* fuisset, ut ad arma cogeretur: potius enim Pontifici ipsi querelas suas detulisset, & ab ejus pietate remedium quæsivisset, impetrassetque, ad minus non permisisset tandiu à Februario ad Augustum à *Britonibus* occupari, & miseros Cives extorres, & mendicos aberrare. Præstat itaque
659 cum *Aretino* dicere adventum Pontificis anno quidem 1377. fuisse, at Mense Decembris non Januarii; ut *Cæsenate* excidium consequutus sit, non antecesserit. Quædam manuscripta dicunt *Cæsena* transisse in adventu à *Gallia* Pontificem, ejusque ruinis ingemuisse, utque repararentur *Galeoto* in vicariatum traditam beneficiario scilicet jure concessam, at falso hæc omnia: nam Pontifex in reditu *Liburnum* cum classe applicuit, indeque per Castrum novum vulgo *Cornetum* terrestri itinere *Romam* profectus est. Quæ de *Cæsenæ* excidio ego latius disserui *D. Antonius* contractius, sed non discrepans hunc in modum enarrat. Placet gravissimi Scriptoris auctoritate firmare, quæ diximus de virtute insigni Populi *Cæsenatis*, qui potuit tantas copias, tam feras Civitati jam insidentes vincere, & multis occisis ex Civitate expellere. De fraude insigni Legati, qui nequitia *Herodem*, & *Neronem* superavit. De insigni calamitate Civitatis, quæ sola ferme devota, & fidelis Principi suo, loco præmii perduellis pœnas sustinuit. Hæc Sancti Viri verba. *Tandem abeuntes Bononia Cæ-*

A *senam petiere. Ducebant vero illos eorum Duces, & Gebenensis Legatus. Cæsenates in potestate Pontificis continuo manserant & venienti Gebenensi Britonibusque libere Portas aperuerant. Stantibus igitur in Urbe copiis maleficia per noctes patrari cæperunt, vexari etiam in die Cives, & injuriis affici. Quibus in rebus cum nil valerent quærelæ apud Legatum factæ, & quotidie magis delicta augerentur, tandem superante patientiam injuriarum magnitudine in furorem Cæsenates vertuntur captisque per iram armis Britones aggressi supra octingentos eorum interfecerunt, reliquos vero omnes extra Urbem pepulerunt. Arcem in ea munitissimam tenebat Gebenensis,*
B *qui veritus, ne Civitas ad hostes deficeret, indignationem dissimulabat, nihilque sinistrum de Cæsenatium facto loquebatur, sed eos multa perpessos indigne merito simul, necessarioque ajebat arma corripuisse. Verum ea deponere tandem, & ad sua redire suadebat. His verbis confisi Cæsenates arma deposuere. Accitas autem prope Anglorum copias, & cum Britonibus conjunctos per ipsam Arcem contra Populum inermem, deceptumque immisit. Britones* 660
vero irati cæde suorum ulcisci properantes, neque ætati, neque sexui pepercerunt miseram, & innocuam multitudinem trucidantes crudelissime. Angli autem cum eis magis insistebant rapinæ Civitatis,
C *unde Cæsenates ipsos admonebant ad fugiendum à Civitate. Vix enim aliqui alii evaserunt nisi à Civitate recedentes. Tanta fuit crudelitas, ut lactentes de cunis extraherent, capita eorum ad parietes collidentes; aliquos alios strangulantes, reliquos perforantes; ipsos occisos alligantes ad ostia domorum: stratæ plenæ erant cadaveribus, & sanguinibus; juxta Patres reperiebantur filii interrempti secus germanos fratres eorum, & cum uxoribus viri. Numerus occisorum fuisse dicitur tria millia; secundum aliquos quinque millia. Dominus autem Galeotus Dux Exercitus Ecclesiæ hæc fieri sinebat quasi non curans, quasi sperans Civitatem vacuam remanen-*
D *tem ad ejus dominium pervenire, sicut postmodum accidit. Et ubi Britones hoc fecerunt in vindictam, ut inde ab aliis Civitatibus timerentur, citiusque eis traderentur, ne paterentur talia: oppositum inde sequutum est: nam tanto horrori Italicis omnibus hoc fuit, ut magis animarentur ad repugnandum eis, ne aliquando devenirent ad manus tam immanium ferarum. Et si Legatus ad hoc illos induxit ut dicitur, cum tamen sub jurejurando promisisset Cæsenatibus securitatem, ut deponerent arma nedum Prælatum Ecclesiasticum vicos tenentem Vicarii Jesu Christi, sed Herodem, & Neronem dedecuisset tam scelestam, sævissimamque vindictam sua-*
E *dere. Sed inter hæc (ut habentur in Chron. Florent.) hoc accidit stupendum miraculum, quod cum quidam ex Britonibus ipsis in quadam Ecclesia super altare aliquos pueros trucidasset, furoreque ebrius gladio ipso cruentato percuteret imaginem D. Antonii in pariete depictam, mox ignis devorans carnes ejus corpus invasit: dumque sic immensis doloribus ureretur cucurrit ad Mare, & in aquam se projiciens ibi ab igne totus consumptus cum ossibus suis.* Hæc Scriptor Sanctus in quibus aliquis subrepit error, vel Amanuensis, vel Typographi, Mare ibi ponens pro Fluvio ac Torrente. Erat enim ejusmodi Ecclesia ex monimentis nostris in Cam-
F po Bovum ita tum vocato, quem *Cæsaula* Torrens alluit, nunc pars ejus ab ædificiis occupatur: quæ pars libera restat, Plateam conficit ad *D.* 661
Augustini, quæ vulgo *Piazzetta*, scilicet *Plateola* vocatur, Mare vero à Civitate decem fere milliariis abest. *Britones* permansere in occupata Civitate usque ad diem jam dictam decimam tertiam Augusti anni ejusdem 1377. obtentus permanendi erant stipendia non soluta. Cardinalis ut divelleret pecuniam à *Polentano*, & à *Galeoto* mu-

mutuam sumpsit, quibus Exercitui solutis, vix
tamen eduxit ex Urbe, in quam illi opulentia, &
amænitate capti forsan ut *Romana* olim Legio
Rhegium: *Mamertini Messanam* lares suos trans-
ferre satagebant. At dicuntur interminatione us-
que Pontificia deterriti: cum undique Populos
inimicos habituri essent si etiam stipendiis Ponti-
ficiis privarentur quid agerent? Hæc omnia re-
putantes tandem cum Duce *Malastrettio* abiere*.
Legatus pro pecunia à *Polentano* mutuata Por-
tum ei *Cæsenaticum* loco pignoris cesserat quous-
que pecunia restitueretur. Fuerat Portus is dono
datus à Pontifice *Gregorio Bonachino Ambronio Cæ-
senati*, Medico eminenti, qui ipsum arte illa non
semel juverat. Ob operam ergo medicam sibi ab
eo præstitam Loci ejus dominium usque quo vi-
veret Pontifex concessit. At abstulit Legatus quo
jure, quave injuria, & *Polentano* assignavit, sed
maxima cum *Galeoti Malatestii* indignatione. Ali-
qui tamen nostri Annales *Bonachinum* ab inimicis
Factionum studio prius occisum ponunt. Post
Britonum recessum Cardinalis etiam recedens ar-
cis præsidium *Italicum* reliquit sub *Stephano Mi-
ramontio* Duce; Præfectum autem Civitatis con-
stituit *Venturinum Benzonium Cremensem*, qui pa-
riter Ecclesiæ nomine præsideret: Prætorem pa-
riter imposuit *Antonium Arscendium Foroliviensem.*
Cæsenates audito hostium discessu turmatim ad sua,
vel suorum bonorum reliquias revertere, creden-
dum est opera Cardinalis, & Rectorum imposi-
torum vulgatum esse, ac significatum exercitus
recessum. Invitatosque cives ad redeundum: ho-
rum quidem, quorum intererat imperare homi-
nibus non muris, illius vero cui summo dedecori
fuisset si quam florentem invenerat nedum dire-
662 ptam, & cruentatam, sed etiam inhabitatam, &
vacuam relinqueret Civitatem. Die ergo decima
tertia Augusti revertere plurimi ad patrias sedes,
qui sex Mensibus, & tertia insuper parte extorres
abfuerant. Reversi *Cæsenates* in infelicem pa-
triam omnibus rebus spoliatam præterquam si quæ
emptorem non repererunt, & *Britonum* voragini
superfuere: quam vitam duxerint facile est con-
jicere, inopem scilicet, & miseram. Adhuc ta-
men eorum, ac Civitatis in universum status eli-
citur ex tabulis *Fusci* olim *Joannis Testii* Notarii
Cæsenatis, atque *Cæsenæ* à secretis Scribæ, qua-
rum summa habetur, & est. Anno eodem 1377.
die decima Octobris in Cænaculo Fratrum Mi-
norum coram *Stephano Miramontio* Custode arcis,
& *Venturino Benzonio Cremensi* Civitatis pro S.
Sede Præfecto coactum fuisse maximum consi-
lium, (scilicet ut ego interpretor Comitium non
Senatum) indictum autem fuisse jussu *Antonii Ar-
scendi Foroliviensis Cæsenæ* Prætoris, & *Antianis*
consentientibus. In eo Consilio tres Procurato-
res constituti fuere consentientibus duabus tertiis
suffragiorum partibus; ad omnes causas, & ne-
gotia, & præsertim ad litem instantem cum *Cor-
rado Philippini*; præterea ad emendum expectata
pecunia, vel mutuandum à Regina *Siciliæ*, à
Duce, & Republica *Veneta*, à Marchione *Estense
Nicolao*, à *Guidone Polentano*, à *Galeoto Malate-
stio*, à *Benedicto Batalio*, à *Marcone Torolino An-
conitano*, & ab aliis quibuscunque quicquid opus

* *Clementinus* scribit ad educendos ex Civitate *Britones* primum *Nicolaum* quendam *Neapolitanum*, postea *Petrum Merlos* (ipse D. *Pietro Merlos* vocat, & quædam nostra manuscripta attestantur) advenisse. *Joanna* Regina *Neapolis* Pontifici adversus *Florentinos*, & fæderatos adhæsit, & ad defendendam Arcem *Asculi*, & Pontificium ejus præsidium post defectionem Civitatis bis milites misit: id *Leonardus Aretinus* testatur, & qui ab eo sumit *D. Antoninus* dicit. *Et licet Joanna Regina Siciliæ rogatu Papæ jam bis misisset auxiliares copias, tamen gens à Florentinis missa cum aliis confederatis commisso prælio copias Reginæ profligavit.* Facile ergo est a Regina

3. parte tractat. 22. C. 1. §. 4.

A Civitati fuerit, plena cum auctoritate, ac pleno
mandato obligandi omnia Reipublicæ bona, ac
Civium. Si tabulæ pro extenso haberentur no-
mina Procuratorum haberemus, & numerum in
concionem coactorum. Constat tamen ex bre-
viario, qui fuerit Prætor, qui Præfectus, & qui
arcis Custos, & Consilio astitisse Præfectum,
cum Custode arcis, non autem Prætorem. Ma-
gistratum tum supremum fuisse *Antianos*, non
amplius defensores nunc *Guelfæ*, nunc *Ghibellinæ*
partis, quam appellationem ut seminarium factio-
num, & odiorum probabile est sublatam esse à
Cardinali *Ægidio*, vel jussu *Urbani Quinti* cum
B *Ghibellinos* exclusos reduci jussit ad Civitatis totius
pacem, & concordiam, licet hæc coalescere non 663
potuerit: cumque nonnisi expectata pecunia res
necessarias comparari posse declaraverint omni pe-
cunia destitutam, & publica, & privata Civita-
tem significant. Quod vero primo loco videan-
tur cives *Neapolitanæ* Reginæ confidisse ea ratio
(arbitror) fuit quoniam Pontifici adversus defe-
ctionem ditionis Ecclesiasticæ obsequuta est o-
pemque tulit. Afflicti autem *Cæsenates* Summo
Pontifici *Avenionem* usque calamitatem detulere
suam, & implorata ope literas à Pontifice commen-
datitias ad Reginam, & ad *Venetos*, ac *Malate-
C stam*, & *Polentanos* obtinuerant, ut se credita pe-
cunia (debitis cautionibus præstitis) juvarent.
Imminutum autem fuisse numerum post tantam
occisionem quis dubitat civium? Attamen etiam
si octo millia occisorum † ponamus in Civitate
populosa illis præsertim temporibus, & tum mul-
tis agricolis, qui in eam confugerant referta ne-
cesse fuit multa millia adhuc superfuisse, & ma-
gna etiam pars cædis fuit infirmi sexus, & infir-
mæ ætatis ut virilis, & robusta annitentibus præ-
sertim *Anglis* major pars evaserit, Familias etiam
Nobiles plures multo tribus superstites excidio
D fuisse, manifestum id, vel leviter consideranti-
bus, contra quam aliqui dixerunt solum *Calesi-
dios*, *Tibertos*, & *Augusellios* superfuisse, nam
Palacinos, & *Adulfos* postea à *Malatesta* ejectos,
& proscriptos certum est perstitisse. *Lapi*, qui
cum memorentur nedum tempestate *Ciæ* Uxoris
Ordelafi, sed multo prius tamen nonnisi nostro
tempore desierunt morte *Flaminii* Senatoris Civi-
tatis: *Almerici*, quorum *Joannes* cum *Britonibus*
pugnavit, & *Abbatii*, sive de *Abbatibus*, ut
vulgo dicimus, adhuc sunt, & Patriciorum ho-
nore, ac loco potiuntur; aliæ præterea memo-
rari possunt, sed brevitatis causa supersedeo. Mul-
E tas certe præstantissimas Familias postea advenis-
se post annum præsertim quadringentesimum in
Senatum deinceps cooptatas constat. Eodem
anno *Joannes Aucutus Faventiam*, quo post *Cæ-
senæ* direptionem reversus est, *Nicolao* Marchio-
ni *Ferrariæ* pretio viginti millium aureorum alii
quadraginta dicunt, vendidit, quot illi stipen-
diorum ratione ab Ecclesia debebantur, sed breve
fuit *Estensium* in eam Civitatem imperium, nam 664
Astorgius Manfredus, & studio civium, & ope
ipsius *Aucuti Barnabæ* Vicecomiti ea in re obse-
quentis expulsis Marchionis Ministris eam domi-
nationem surripuit. Quam ob rem inter Mar-
F chionem, & ipsum exercita aliquandiu arma.
Con-

missos, qui Pontificis jussa repræsentarent, & pecuniam etiam aliquam deferrent, aliam pollicerentur, idque Cardinalem ipsum á Regina petiisse, tum ut pecunia sublevaretur, tum aliunde etiam Pontificia jussa, ut militibus indicerentur majorque inde suis præceptis auctoritas accederet.

† Multitudo occisorum *Cæsenatum* à *Britonibus* à *Leonardo Aretino* trium millium dicitur. A nonnullis quinque millium, penes *D. Antoninum*. At *Clementinus* octo millia perempta asserit ex Theod. de *Schismate Urbani*, & ex *Annalibus Ariminensibus*. Annales sane nostri id ipsum asseverant.

A Convenere tandem, ut retineret *Astorgius* Urbem, sed tanquam beneficiario jure à Marchione concessam, cui in subjectionis signum *Astureonem* purpura stratum quotannis mitteret. Reliquæ Civitates *Forolivium* sub *Ordelafo*, *Ravenna*, & *Cervia* sub *Polentano*, *Imola* sub *Alidosiis*, *Ariminum* sub *Malatestiis* tutæ à *Britonibus*, & *Anglis* fuere. Horum *Malatestii*, ut partis Ecclesiasticæ assertores erant Pontifici grati, & *Galeotus* Dux erat *Italicarum* pro Pontifice copiarum. *Polentanus* in gratiam cum Pontifice redierat ab omnibus diris, quibus devotus fuerat, absolutus. Mense demum Decembris ejusdem anni *Romam* pervenit B *Gregorius Undecimus* Summus Pontifex in Sede vere sua moraturus exemploque suo Successores retenturos, ut cum *Romæ*, & *Italiæ* bono factum videmus. Venit ergo ad Ecclesiam suam summæ pietatis, ac Sanctitatis Pastor, quicquid *Poggius* blateret nimius ubique Patriæ suæ laudator, & adversariorum obtrectator. Misit *Cæsena* Oratores ad eum gratulaturos reditum felicem ipsi, & toti *Italiæ* salutarem: at exposituros calamitatem summam suam, & remedium, ac opem fidissimæ Civitati deprecaturos. Hic fuit perpetuus Civitatis mos ad hæc usque tempora servatus ad novum Pontificem Oratores destinandi, sed etiam C ad advenientem. Quanto ergo magis tum in tandiu expectato ad *Italiam* adventu, adeoque afflictæ *Cæsenæ* opportuno? Cum *Clemens Octavus* ad obtentam *Ferrariam* se contulit, in adventu cum per *Cæsenaticum* Civitatis Portum locumque transierit, obviam missi ad territorii fines (ulterius enim ipse inhibuerat) *Franciscus Claramontius*, & *Tutius Corneus*, & in reditu à *Ferraria Romam* (cum per Civitatem venit) nomine item publico, & à Senatu pariter destinati occurrerunt *Nicolaus Masinus*, & *Scipio Claramontius*. Non dubitandum ergo quin missi; licet, qui missi non constent. Ad pedes ergo Pontificis, ac 665 D Patris stragem suam deflerunt. Ingemuit is subjecti Populi immo Ecclesiæ ipsius damnis, & pollicitus opem; interim Comitem Provinciæ destinavit, qui præ cæteris curis invigilaret Civitatis, & civium restitutioni, opemque omnem pro viribus ferret, & ab omnibus interim oneribus, & pensionibus olim suetis eximeret. Interim *Italiæ* divisæ pacem negociari cæpit, dumque eam urgeret, & jam ferme ad exitum perduxisset, importuna mors eum sustulit, prohibuitque ne conventio, & pacta firmarentur. Moritur *Gregorius* anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, die vigesima octava Martii, & die decima E nona proxime sequentis Aprilis suffectus ei fuit in *Petri* Solio *Urbanus Sextus* Archiepiscopus antea *Barensis*, natione *Italus Neapoli* ortus, *Pisis* oriundus, *Bartholomeus* antea dictus. Hujus Pontificis electio ansam Cardinalibus *Gallis* præbuit illius excitandi schismatis, quod omnia schismata in Ecclesia Dei diuturnitate superavit. Coacti erant ad electionem Pontificis Cardinales, cum in eum locum invecti *Romani* (Conclave vocant) magnis vocibus Pontificem *Romanum*, *Italum* saltem flagitarunt. Verebantur enim ne *Gallum* crearent, qui rursus *Avenionem* cum Aula, & Curia contenderet. Cardinales decem, & sep- F tem ibi erant quatuor *Itali*, reliqui *Galli*, qui inter se discordes, cum *Lemonicenses* ex suo numero Pontificem vellent, reliqui ex alia *Gallorum* gente poscerent. Discordia fecit, ut furenti Populo satisfacerent *Italum* Pontificem eligendo, ipsum etiam post electionem ut verum Pontificem adoraverunt, atque coronarunt. Postea tamen ob austeritatem ejus (rigidus enim homo fuisse dicitur) & ob pravos mores Cardinalium *Gallorum*, quorum emendationi imminebat, ipsi *Roma* aufugientes, electionemque *Urbani* nullius vigoris jactantes ob metum à populo *Romano* in electione incussum, Pseudopontificem *Clementem Septimum* dictum creavere. Fuit autem is Cardinalis *Genebensis*. Idem distraxit Ecclesiam, qui destruxit *Cæsenam*. Huic adhæsit Regina *Neapolis Joanna*, & *Britones* milites, quos ipse Lega- 666
tus in *Italiam* duxerat eidem sacramentum dixere. Divisæ Christianæ nationes aliæ enim vero, aliæ Pseudopontifici adhæserunt, omnes tamen verum eum Pontificem credentes esse, cui se submiserant. In *Italia Florentini* sunt *Urbanum* sequuti, qui ideo abolitis omnibus Pontificiis execrationibus, quibus *Gregorius* irretierat, Ecclesiæ, & Fidelium communioni restituit. In *Flaminia Polentanus Clementi*, à quo portum *Cæsenaticum* obtinuerat, adhæsit. *Galeotus*, & reliqua Provincia *Urbano*, qui cura spiritualis authoritatis ob schisma retinendæ multo minus fuit temporali intentus: cum ergo remissiore imperio in subjectos populos contentum se præberet, statim fideles Civitates omnes Ecclesiasticæ ditionis habuit, quæ non ab Ecclesia, sed ab intento nimis Ministrorum imperio desciverant. Pax ergo cum Ecclesiasticis populis, ac subjectis Principibus, & cum *Florentinis*, aliisque eorum fæderatis absque pace coaluit. Pseudopontifex reversus est *Avenionem* ubi resedit antequam tamen ex *Italia* recederet adversus *Urbanum Britonum* Copias immisit, ut eo victo, & dejecto ipse universum Pontificatum absque competitore regeret. At manebat diram gentem justa ultio, quam innocentium *Cæsenatum* effusus sanguis Divino Numine efflagitabat. Nam *Albericus Cunii* Comes *Italicæ* militiæ instaurator, quem etiam *Albericum Barbianum* passim appellant acie summa cum illis ad *Marinum* confligens occidione occidit, ut non remanserit, qui suis in *Britania* comilitonum mortem nunciaret. Justum fuit Civitatis *Flaminiæ* excidium à *Flaminio* Duce puniri hostium excidio. *Cæsena* interim sub præsidio *Italorum* à *Gebenensi* relicto manebat, creditores scilicet stipendiorum milites, neque ab impotente Civitate accipere poterant, quæ sane si potis fuisset, solvisset ad amovendum præsidium etiam si mite, ac modestum (præsidium tamen) neque à Pontifice majoribus curis implicato subministrabantur. Cum ergo premeretur hac cura Civitas, & spoliata esset Portu, quem *Polentanus* possidebat, præter miseriam recentis Cladis, cui modicam admodum 667
anni millesimi trecentesimi septuagesimi octavi tum currentis reditus opem tulere, fatigabant precibus per Oratores Pontificem. Si Pontifex Portum soluta *Polentano* pecunia olim mutuum data redemisset, Civitatique restituisset, & ab alieni præsidii onere liberasset *Cæsenates* toto animo, omnibusque votis imperium Pontificium expetiissent, cum jam non à Barbaris premendi exercitibus, neque à Transalpinis Rectoribus lingua, & sensu discordibus regendi essent. Et cum laxius jam Pontificiorum Ministrorum imperium esset, antiqua se libertate Ecclesiastica, potituros animis concipiebant. Pontifex contra Civitatem tot malis pressam non posse tempore Ecclesiæ tam iniquo aliter ad pristinum decorem restitui arbitrabatur, quam si opulento Vicario traderetur, ac potenti, qui & Militibus debitam pecuniam solveret, & ditionem integram Civitatis vel auro, vel ferro recuperaret. Erat ejusmodi *Galeotus Malatestius* partium præterea Ecclesiæ assertor præcipuus, qui & alios, & hunc præsertim Pontificem multis officiis, & donis demeruerat. Multa etiam illi stipendia ut *Italicarum* copiarum pro Sancta Sede duci ab Ecclesia debebantur; pro his meritis cum gratia apud Pon-

Pontificem polleret *Cæsenam* beneficiario jure ab ipso petiit. Offerens omnem operam, & curam ad eam sarciendam, & pristino decori restituendam, cessuram ejusmodi donationem in locum etiam debitæ pecuniæ. Nihil vero ex traditione deperiturum Ecclesiæ nedum pensionis, quam quotannis ipse quoque solveret, sed neque militum: quinimo eorum major semper copia parata, quo robustior facta plures exhibere poterit. Propendebat in *Galeotum* Pontifex adeo ut ejus intercessione *Sinibaldo Ordelafo Forolivium* in duodecimum annum uti Vicario concesserit, hunc licet studio Factionum *Malatestiis* olim repugnantem, tamen affinitate antea junctum (erat ejus Uxor, vel Sponsa *Paula Blanca Pandulfi Pisauri* Domini Filia) voluit beneficio amplius nectere, nec frustra ut paulo post videbimus. Pontifex itaque ut *Cæsenæ* consuleret, & de *Galeoti* pe-
668 titione deliberaret *Flaminiæ* Comitem misit *Forojuliensem Pileum Ravennæ* Archiepiscopum Cardinalem à se factum Titulo *S. Praxedis*, qui inter cæteras Provinciæ curas præsertim *Cæsenam* inviseret, ejusque statum adamussim scrutaretur, atque Populi propensionem, votaque ad sui regimen investigaret. Indicavit autem Pontifex si Vicario tradenda Civitas foret, se eam *Galeoto* destinaturum. Cum his mandatis venit *Pileus*, atque eam Civitatis ruinam inspexit, atque publicarum, & privatarum fortunarum miseriam, ut non nisi à præsente, & juvante Principe reparari posset, unde opulento, & humano Vicario tradendam judicavit. Eaque de re sententiam suam Pontifici perscripsit. Interim ut animos Civium exploraret, illis convocatis significavit se à Summo Pontifice missum, ut præsertim restitutioni ejus Civitatis, ac saluti, & reparationi invigilaret. Ingemiscere pientissimum Principem pernicie fidelissimi Populi, cui impius Rector pro præmio celebrandæ in omne ævum fidei excidium rependit: at quid aliud faceret fidissimæ Ecclesiæ Civitati homo scelestus, qui Ecclesiæ ipsi immani schismate perniciem pro virili struit? reliquum esse ut susceptis damnis resarciendis omni studio opera navetur. Eam Pontifex pollicetur: ad id se missum: dolere autem summopere Sanctissimum Patrem accisis nunc Ecclesiæ viribus in tanta ejus distractione; thesauris etiam Ecclesiæ subtractis à Cardinalibus aliquibus *Gallis*, qui ne rationem eorum reddere, ac restituere cogerentur sus deque omnia volvere, voluerunt. Si in Pontificis manu ii essent benigna, ac larga manu tantam pecuniæ copiam Civitati largiretur, quanta exigeretur ad instaurandam; adeoque ad instauratam reddendam fidelissimis subjectis Patriam, & S. Sedi Civitatem suam, nunc accommodanda sunt viribus, & facultati consilia, & quoniam in re sua quisque consultissimus est, consultent ipsi de statu suo. Impense adeo in eorum commoda incumbere Pontificem ut si etiam judicarent expedire sibi præsentem Principem, qui Summum ipsum Pontificem repræsentaret, interimque Civitatem, ut suam sarcire,
669 & exornare opibus ipse suis posset, & vellet; eum esse Pontificis in *Cæsenates* amorem, ut pateretur remissionem imperii sui pro promptiore eorum, expeditioreque utilitate. Hæc in longum jaciebat Comes, ac Cardinalis, ut liberum Populi sensum eliceret. Dicuntur Cives bis in Comitiis de hac re deliberasse utrum in Pontificis ditione absque Vicarii interpositu permanerent, an Vicarium poscerent, & semper Pontificium imperium absque Vicario prætulisse. *Pileus* laudata devotione Populi insinuavit tamen prudentioribus Civibus periculum ex schismate belli; Comitem *Genebensem* Fratrem esse *Clementis* Pseudopontificis,

A attingereque cognatione sanguinem Regium, quod si adversus *Urbanum* in *Italiam* exercitum ducant, quanto patebit periculo afflicta, & inermis Civitas cui fato quodam *Genebensis* familia adversa videatur. Non erat levis hæc consideratio, Civibus recens mala captæ Civitatis passis quique dum Pontifex in alienationem Civitatis propendebat, agnoscere poterant magnitudinem periculi ex quo is motus contra antiquum stilum repetendi non tradendi Ecclesiasticas ditiones, dare nunc *Cæsenam* vellet, antiquam, & tenacem factionis Ecclesiasticæ in Provincia Sedem. Dum pendebant animi, & jam negociatio, &
B consultatio extra eluceret non cessabant *Galeotus*, & *Polentanus* novis artibus captare Cives: at *Astorgius Manfredus* vi non astu, copiis non internuntiis *Cæsenam* occupare tentavit, & parum abfuit, quin occupaverit. Etenim bis mille peditum selectorum, & alas equitum validas secum ducens ad Civitatem imparatam inexpectatus properabat, & cepisset facile eam inermem, & infirmam: at cum accedentis exercitus nuntius ad *Sinibaldum Ordelafum Forolivii* Vicarium pervenisset, isque esset *Galeoto* affinitate, & beneficio obstrictus, adversus quem pergere *Astorgium* facile conjici poterat, cum milite, armatoque Po-
C pulo illi occurrit quibus cum impares numero essent *Astorgii* copiæ, ipse pedem retulit; forte etiam *Astorgii* consilium ignotum *Sinibaldo* erat, attamen armatam grandem manum per suam ditionem non petita venia incedere, cogebat hominem ad transitum prohibendum, quid moverit *Astorgium* ad disjunctam Civitatem occupan- 670
dam adversus *Galeotum* Civitati finitimum, & potentem Principem manuscriptum nostrate exprimit, ne scilicet eam *Galeotus* obtineret: incrementum potentiæ semper est æqualibus; multo magis minoribus suspectum. At requirebatur insuper fiduciæ resistendi fundamentum, quod esse potuit *Barnabæ* Vicecomitis potentia, immo &
D consilium. Erat *Astorgius* beneficio *Barnabæ Faventiæ*, ut vidimus Princeps; erant *Imola*, & *Forolivium* sub *Ghibellinorum* imperio; restabat *Cæsena* exposita invadenti, quæ si à cliente ejus aliquo occuparetur ad *Barnabæ* censum quattuor illæ Civitates pertinerent, quæ junctæ olim ex æquo cum *Bononiensibus* pugnaverunt: esto hæc conjectura. At cognito à *Cæsenatibus*, & à Cardinali Rectore periculo omnem moram hic Vicarii constituendi rupit. Illi suam in Vicarium *Galeotum* recipiendi: in *Cæsenatum* enim exilio eos humanitate, & auxilio demeruit. *Polentanus* etiam Cives aliquos captaverat, occasione ar-
E bitror præsertim Portus, qui Civitati ita restitueretur. At major pars pro *Galeoto* erat, cujus etiam militaris virtus tum insignis, & potentia major tutiorem ab alienis incursibus Civitatem reddebat. Re itaque indicata *Galeoto*, is cum quadringentis equitibus, & quatuor millibus peditibus advenit à Civibus omnibus hilariter exceptus immo ad *Savinianum* usque multi primores occurrerunt. Cardinalisque illi in vim facultatis à Pontifice traditæ Civitatem cum universo Territorio, & ditione beneficiario jure assignavit, ut in concessione, quam investituram dicunt, *Cæsenaticus* etiam Portus
F includeretur. Quod fuit Civitati solatio non enim dubitabat quin esset *Galeotus* jus suum repetiturus, & obtenturus. Restabat præsidium, & *Benzonius*, qui ut armorum Præfectus munitiora loca occupabat quomodo vero hic cesserit, & milites arxque & cætera loca munita restituta fuerint; discrepant Scriptores. Manuscriptum quoddam nostrum dicit solutis stipendiis milites ultro abiisse, at *Ariminenses* diuturnam obsi-

671 obsidionem, & acrem oppugnationem intercessisse; tumque machinas adhibitas, tum Cuniculis muros suffossos ut tandem labore, & vulneribus fracti milites arcem dederint, & ab universa Civitate recesserint. Addunt aliqui *Venturinum Benzonium* etiam ad Civitatis Dominium adspirasse. Quæ si sint, proxima mea conjectura recurret, clandestinis *Barnabæ* pollicitationibus, cui ipse, ut *Cremensis* suberat, adductum fuisse. *Galeotus* ergo *Malatestius* anno millesimo trecentesimo septuagesimo nono sub initio pacatum *Cæsenæ* Dominium obtinuit die decima octava Januarii manuscriptum quoddam nostrum; verum obsedisse *Cæsenæ* Castrum die octava Decem-

A bris millesimo trecentesimo septuagesimo octavo; qua ratione ab eo usque tempore Vicarius jam declaratus fuisset, at non nisi die decima octava Januarii integram, quietamque possessionem obtinuisset: à qua die nos novæ subjectionis, & amissæ libertatis tempore metiamur, ac numeremus. Benigne tamen se cum Civibus gessit. omnia onera in quinquennium remisit frumenti copiam (egebant eo enim) induxit. consulatus est Cives, ac spe pristini splendoris recuperandi implevit, ad idque omnem operam, ac opes pollicitus est. Et certe si fuit importuna necessitas subjacendi, fuit tamen opportuna subjectio ob Principis humanitatem, ac virtutem.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI.

673 LIBER DECIMUS QUINTUS.

Anno 1379.



G*Aleotus* recepta *Cæsena*, ut obsequentiorem eam redderet, Consilium, Senatumve minorem numero reddidit: ad duos enim, & septuaginta, qui nonaginta sex erant retraxit: plures enim, ac numerosi liberius peccant; pauciores se respiciunt, nemoque vult esse author, ac primus. Oportuit vero Comitia Popularia, ac concionem sustulisse, cui numerosior Senatus suspectus fuit. Permisit electionem Prætoris; at ejus sibi confirmationem reservavit. Indulsit scilicet inani nomine studio Civitatis. Ecquid enim aliud esse tum poterat præsertim à Principe confirmatus, quam Minister nedum jussuum, sed nutuum ejus? Alium tamen ipse Ministrum adjunxit, quem Vicarium vocavit, qui omnibus civium conventibus tum Senatui, tum Antianorum congregationi adsisteret. Liberum etiam erat Prætori iisdem assidere, at necessarium (ut videtur) Vicario. His firmamentis sustulit in
674 legitimis conventibus conspirandi adversus se periculum; cæteræ omnes Congregationes pænis gravibus prohibitæ. Consolabatur tamen in eo statu Civitatem pax, atque securitas, nam *Britonorium* eidem se *Galeoto* ut Comiti saltem Provinciæ (Comitem enim tum eum universæ Provinciæ Pontifex declaraverat) subjecerat: antequam etiam *Cæsenam* is consequeretur. A *Forolivio* nulla molestia impendebat; cum *Sinibaldus*, Civitatis Dominus esset affinitate, & beneficio *Galeoto* obstrictus. Cum *Guidone Polentano Ravennæ*, & *Cerviæ* Principe contentio imminebat; at quæ desiderabatur à Civibus: Erat enim Portus *Cæsenaticus* recuperandus, quod absque certamine non sperabatur. At ea erat *Galeoti* militaris virtus, & potentia, ut de victoria non dubitaretur. Repetiit prius *Galeotus* à *Polentano* Portum missis Oratoribus, ut in Pontificia concessione Civitatis, & universæ ditionis nedum generatim, sed nominatim etiam comprehensum. Recusavit eo obtentu *Polentanus* quasi venditione persoluto pretio esset à *Genebensi* Legato consequutus: ut illud beneficiarium loci jus, quod ipsi Ecclesia traderat, non posset alii tradi. A lite ad arma ventum est, quibus utrinque paratis, & exercitis in *Galeoti* favorem belli alea cedebat. Tum Marchio *Estensis* provido consilio, ut proximum incendium extingueret, sequestrem se concordiæ interposuit. Utraque pars arbitrio ejus contentionis compositionem permisit. *Polentano* bellum infaustum finire expediebat. *Galeotus* sciebat non

B venditum *Polentano* à Legato *Genebensi* Portum, sed loco pignoris usque ad mutuatæ pecuniæ restitutionem datum, unde non nisi restitutionis sex millium aureorum posse damnari, ad quam ipse restitutionem paratus erat. Ea autem fuit Marchionis arbitri sententia, ut totidem solutis *Galeotus* Portum reciperet; paruere ambo judicio; hic solvendo pecuniam, ille omni juri, quod in Portu obtineret, renunciando. Portum itaque *Galeotus*, & Civitas *Cæsenæ* recuperavere maxima scilicet cum universi Populi lætitia, & utilitate. *Rubeus* rem hoc modo enarrat. *Guido Polentanus Galeoto Malatestæ Arimininensi: Cæsenæ speciatim; Flaminiæ generatim Rectori sex Florenorum* 675
C *millia per Joannem Rosellum Aretinum Nicolao, & Joanni Ugodonitio Forocorneliano Procuratoribus suis Ferrariæ in Ædibus Nicolai, & Alberti Estensium Principum in cubiculo amoris coram Dondasio è Fontana Milite Placentino, & Francisco Areosto Bononiense tum incolente Ferrariam, numeranti Portum Cæsenaticum cum Arcibus, & Turri tradidit, à se ad eam diem possessum, quod quinto ab hinc Anno Robertus Basilicæ duodecim Apostolorum Cardinalis Pontificis, & Ecclesiæ nomine pro totidem florenorum millibus eum Portum, easque Arces illi ut supra memoravimus oppignorasset.* Hæc ille, qui in anno hoc 1382. reponit, sed tardius quam oportuerit, ut ego arbitror. Nam anno 1382.
D *Ludovicus Andegavius* in *Italiam* pro Regina *Joanna*, & pro *Clemente* Pseudopontifice adversus *Urbanum* verum Pontificem venit, cui *Polentanus Clementis* fautor adhæsit, seque illi in tota *Romania* conjunxit, ut non sit verisimile adversus *Guidonem* tanta eo anno potentia fultum arma à *Galeoto* mota. Neque verisimile est *Galeotum* tandiu distulisse, & preces *Cæsenatum*, quibus portus is ab alieno Principe possessus maximo erat damno; & integram jurium suorum recuperationem. Hæc potius facta anno 1380. arbitror, & favet *Clementinus*, qui anno 1380. pacem inter *Guidonem*, & *Galeotum* initam asserit.. Præcesserat ergo contentio, at nulla alia inter eos Prin-
E cipes præcesserat, quam pro *Cæsenatico* Portu: nam quæ adversus *Cerviam*, & *Ravennam* extitit, non nisi postea anno 1384. fuit. Quod vero dicat *Clementinus* opera *Simonis* universæ congregationis *Vallis Umbrosæ* Præfecti pacem initam, forte eo ipso internuntio est Marchio *Estensis* usus. Et quoniam *Clementinus* idem tabulas pacis hujus confectas sub anno 1382. adducit. Possunt hæc inter se repugnantia hoc modo componi. Prius quidem victorem bello recuperasse *Galeotum* Portum,

tum, ac ejus usum, at durante aliqua reliquia belli, & saltem simultate, factam tandem pacem & confectas tabulas anno 1382. soluta à *Galeoto* pecunia, & à *Polentano* omnibus juribus suis in
676 eum per legitimos tramites transfusis. Anno eodem 1380. *Sinibaldus* legitimus jam ditionis suæ ob concessionem *Urbani* Pontificis Princeps *Forum Pompilii* ab *Egidio* Cardinali eversum restituit, sed sub Castri forma, non autem in antiquum Civitatis ejus splendorem; tanto facilior est eversio, quam restitutio. Et sub eadem adhuc angusta forma perseverat. Anno postea 1382. *Ludovicus Andegavensis* Dux Regis *Galliæ* frater adversus *Carolum Pacium*, qui invaserat Regnum *Neapolitanum*, & adversus *Urbanum* Pontificem venit. Erat autem à Regina *Joanna*, quæ ab omni sobole ob sterilitatem destituebatur, in filium, ac Regni hæredem adversus *Carolum* adoptatus. *Urbanus* Pontifex Reginæ *Joannæ* infensus, quod *Clementi* Antipapæ faveret ex *Ungaria* evocaverat *Carolum Ruberti* Regis posterum, & ipsum, qui opibus *Ludovici* Fratris *Ungariæ*que Regis magno exercitu *Ungarorum* bellacis gentis septus in *Apuliam* profectus, facili, & felici cursu universum Regnum occupavit, & Reginam cepit, eamque in ultionem *Andreæ* primi ejus Mariti, ac suspendio fraude, ut dicitur uxoris necati suffocatam peremit, dum bello Regina urgeretur sollicitaverat *Ludovicum* adoptivum filium ad opem ferendam, qui tamen nonnisi mortua Regina in *Italiam* venit. Adventus autem sui nuntios versus finem anni 1381. præmiserat, & quoniam totius Regni viribus cinctum se venturum prædicabat: tanti apparatus rumor Principes *Italos* omnes vehementer commovit. Sat sit commotionem *Florentinorum* ab *Aretino* descriptam adducere, ut minus validarum ditionum perturbationem conjiciamus. verba sunt Aretini. *Alla fine di quello Anno* 1381. *vennero lettere di Francia, le quali significavano, come Ludovico Duca d'Angiò doveva passar in Italia, con grande Essercito, e come era stato eletto dalla Reina Giovanna figlivolo adotivo, e successor del Regno; perche haveva deliberato passar in Italia per liberar la Reina, e trar dalle mani del Rè Carlo il Reame. Queste novelle venendo a vn'tempo di più luoghi messero la Città in gran sospetto, e pensiero temendo della riuscita, e fine della Guerra; perche non con piciolo nu-*
677 *mero di gente, ma quasi con tutte le forze de Francesi si metteva à passar in Italia, e temevasi per sin'all'hora, dove una tanta cosa havesse a terminare.* Cum tantum ergo *Florentina* præpollens Respublica commoveretur, facile est conjicere, qui timor minorum Principum, & præsertim *Galeoti Urbano* Pontifici, adversus quem *Ludovicus* inter cætera veniebat, addicti. Accedebat *Guidonis Polentani* odium pace recenti potius compressum, quam eradicatum. *Guido* autem *Clementis* fautor, erat *Ludovico* adhæsurus, adeoque facile ejus vires adversus inimicum suum, & *Clementi* adversarium incitaturus. Civitas autem *Cæsenæ* cujus recentes plagæ adhuc tumebant, non poterat non horrere *Gallicum* furorem, à quo inflictæ fuerant, & inter ductores Comitem *Genebensem*, quasi fatalem inimicum expavescere. Quocirca fervente studio Civitatis munitioni, & *Galeotus* sumptu, & cives sumptu, & opere incubuerant. Venit tandem anno 1382. mense Augusti in *Flaminiam Ludovicus* cum quinquaginta millibus armatorum dicit *Rubeus*; cum quinquaginta quinque mill bus equitum dicit D. *Antoninus*; at *Leonardus Aretinus* triginta millia equitum assignat. Statim atque Provinciam exercitus attigit, obviam ivit *Guido Polentanus* ut devotus *Clementi*, & commeatu, & opibus pro virili juvit, fuitque

A perpetuus in *Flaminia* ei Comes. Forte etiam irritasset in *Ordelafi* excidium, & *Galeoti*, qui portis clausis, & denegato commeatu se adversarios repræsentabant, at præter agrorum populationem & debilium locorum expugnationem non sunt ad Civitates expugnandas commorati, ad Regni *Neapolitani* occupationem festinantes. *Ordelafus* vero, & *Galeotus* suo nedum milite se munierant, sed *Albericum Cunii* Comitem cum militia ejus S. *Georgii* dicta accersierant, Pontifice scil. cui militabat jubente. *Albericus* autem ipse se *Forolivii* incluserat: reliquam partem hanc *Cæsenæ*, hanc *Arimino* à *Galeoto* impositam. Huic
B autem parti militum imperabat *Renerius Senius* inter Ductores ejusdem militiæ S *Georgii* vir conspicuus. Cum itaque *Galli Forolivium* viderent portis clausis, & denegata annona sibi adversari ad *Sclavoniæ* portam castrametati tentarunt oppugnatione Civitatem, sed expugnationem, vel 678
desperatam, vel multorum dierum agnoscentes ad agri populationem conversi (instigante *Polentano*, ut *Rubeus* asserit) *Roncum*, *Carpenam*, *Bagnolum* villas cremavere, inde ad *Galeoti* ditionem Clementinus.
transeuntes *Bellarium Ariminensis* agri Castrum, & *Malatestiorum* delitias ceperunt, direptumque & vastatum combussere. *Ariminum* ne tentatum
C quidem *Clementinus* scribit, sed exercitum per *Spadarolum*, *Vergianum*, & *D. Laurentium* in Monte transisse, *Tumbam*que *Joannis Mengardoni* cepisse, atque cum vicinis ædificiis, locisque combussisse. Quæ per *Cæsenatem* agrum permeantes fecerint, nemo scribit, ut toto eo tractu nihil vexasse videantur *Galli*. Forte recentis à *Britonibus* cladis ea adhuc vestigia permanebant, quæ militibus inutilem populationem persuaderent. His eisdem annis Provincia peste laboravit. Vexatæ fuerunt *Ravenna*, *Forolivium*, *Faventia*, *Castrocarium*, *Bononia*que & *Ferraria*. *Forolivii* præsertim (asserente *Carrario*) singulis
D ferme diebus centum moriebantur. Non legimus *Cæsenam* quicquam tum passam Divina forte pietas toleratam excidii calamitatem pestis, & populationis remotione compensavit. *Ludovicus Andegavensis* Regnum *Neapolitanum* ingressus magnos ab initio progressus fecit, inque ingentes angustias *Carolum* Regem adduxit: attamen cum *Ca-* id. Clement.
rolus à Pontifice aperte, à *Florentinis* occulte adjutus fuerit, tepuerunt primo *Ludovici* progressus, & postea cum ejus morte evanuerunt. Obiit vero anno 1384. *Urbanus* Pontifex interim dum in Regno *Neapolitano* de Regno contendebatur adversus *Guidonem Polentanum* acerrimas literas
E scripsit, publicavitque quibus ut Pseudopontificis sequax hæresis notabatur, ejusque ditio, & persona occupantibus exponebatur. Literæ Pontificiæ ea occasione, & eo argumento scriptæ ad Episcopos *Arimini*, & *Britonorii* ex Civitate *Neapolis*, & aliæ ad Episcopum *Ariminensem* iterum; ad *Galeotum* bis referuntur, vel potius indicantur à *Clementino*: in primis literis præcipiebatur à Pontifice occupari ditionem *Polentani* pro Ecclesia, idque munus *Galeoto*, ut Provinciæ Comiti imponebatur, at in posterioribus occupatam ejus- 679
modi ditionem assignabat Pontifex beneficiario jure *Galeoto* instar *Cæsenæ*, ac *Arimini*. Capta
F occasione tam obvia juste prolatandi imperium pro indita hominum, Principum præsertim cupiditate comparato exercitu *Cerviam* adortus est; in quo exercitu fuisse etiam *Lucium* Comitis *Landi* olim filium, aliqua nostra manuscripta, & *Rubeus* dicunt. Eamque non difficile obtinuit, cepit quoque & forte prius ceperat *Polentam*, *Bastiliam*, & *Culianellum* Ditionis *Polentani* Castra. Tum demum *Ravennam* aggressus eam juxta *Corium* occupavit, ejusque dominium *Malatestii* diu re

retinuere: nam anno usque 1402. *Pandulfus Galeoti* filius, qui funeri *Joannis Galeatii* Vicecomitis immensa pompa celebrato interfuit, Princeps *Ravennæ* est appellatus, sed multo verius *Spretus*, *Carrarius*, & *Rubeus Ravennates* Historici, *Pigna Ferrariensis*, *Clementinus Ariminensis* oppugnatam à *Galeoto Ravennam* non expugnatam, & nostri Annales affirmant: neque Principis *Ravennæ* nomen *Pandulfo* tributum cogit credere, *Ravennam* à Patre expugnatam. Satis enim ad nomen dignitatis astruendum fuere Pontificis *Urbani* literæ, quæ Principatum à *Guidone* auferebant, & *Galeoto*, hæredibusque decernebant. Oppugnatam ergo dicamus, non expugnatam *Ravennam*, quæ vero causa expugnationem prohibuerit, non eandem, qui Civitatem conservatam asseverant, afferunt. *Rubeus* in Divos tutelares evidenti miraculo refert hæcque ejus est narratio. Renunciatum fuisse *Galeoto*, *Ravennam*, quæ peste laborabat, desertam ferme ab incolis esse, & *Guidonem* præsertim principem, & cæteros proceres ruri commorari ad liberiorem, ac salubriorem aërem carpendum, proindeque eam Civitatem perviam fore invadentibus. *Galeotum* itaque illuc cum Exercitu contendisse, at suboluisse antea consilium, vel periculum *Polentano*, qui idcirco *Ravennam* in tempore reversus, vigilias, & defensores in mænibus collocaverat, populo etiam ad defensionem parato. Invenerunt ergo instructa milite, mænia *Malatestiani*, proindeque repulsi,
680 sed non sine miraculo. Rubei verba exscribo. *Verum Guido re interea cognita ad Urbem accurrerat, dispositisque vigiliis cum Malatestiani intempesta nocte scalas ad muros admovissent non sine miraculo, atque ope Divorum Tutelarium, ut Spretus autor est., eos facile repulit, tresque ex iis, qui mænia conscenderant, captos in furca strangulavit.* At *Pigna* asserit in gratiam *Nicolai* Marchionis *Estensis*, cujus Orator in ipsa oppugnatione adfuit, & *Galeotum* Marchionis nomine rogavit, removisse *Galeotum* exercitum, qui scalas jam mænibus apposuerat, & multi milites nitebantur gradibus. Difficile tamen (arbitror) tantum potuisse solas Marchionis preces, nisi fuisset spes victoriæ anceps, vel blanditia precum interminatio belli condita esset, illud scilicet jaciendo non posse à Marchione Principem vicinum, & necessitudine vinctum indefensum relinqui, & mirum sane esset non fuisse tanto *Galeoti* incremento *Astorgium*, & *Estensem* occursuros, ni forte eos Pontificis furor deterruisset, qui odio in *Polentanum* implacabili ipsum, ejusque fautores, & sacris, & prophanis armis jam insequebatur, ampliusque se insequuturum minitabatur. Eousque efferbuit in *Polentanum* odium, ut *Pileum Ravennæ* Archiepiscopum implicuerit, dum scilicet Principem *Ravennæ* demerere conatus est, suspicacem Pontificis animum præstrinxit beneficio, cujus Cardinalis erat, adeoque irritavit, ut purpura eum exuerit, qui idcirco in *Galliam* ad Pseudopontificem aufugit. Aliqui succensuisse illi Pontificem scribunt, quod *Carolo* Regi adversus Pontificis sensum faverit. Rubeus ita rem enarrat. *Pileum Ravennatem Archiepiscopum una cum Petra mala Cardinale Genuam pervenisse salvum, indeque ex Urbani manibus elapsos ambos ad Joannem primo Galeatium Vicecomitem, mox Avenionem ad Clementem subdititium Pontificem inexorabilis, & præcipitis, nimiumque suspicacis hominis iram veritos aufugisse.* Et post multas lineas subjungit idem Historicus. *Interea Pileum Ravennatem Archiepiscopum Urbanus Pontifex, & Sacra Purpura privavit, & de Archiepiscopatu deiecit, Archiepiscopo Ravennatibus dato Cosmo meliorato Sulmonense.* At redeo ad rem. Dimisit *Galeotus*
681 *Ravennæ* obsidionem capta tamen *Cervia*, & Ca-

A stris jam dictis, atque retentis. Alii tamen videntur asserere post *Ravennæ* obsidionem memorata loca occupata, sed verisimilius mihi, quod scripsi videtur, obsidionem scilicet primariæ Civitatis postremam fuisse, & si suscipiamus officia a Marchione *Estensi* interposita, non conveniebat dimissa *Ravenna* adhuc tamen continuare bellum. At utcunque res se habuerit *Polentanus* ditionem suam in pœnam offensæ Religionis emunctam *Cervia*, & tribus Castris vix retinuit. *Cæsena* interim ex annuis reditibus publicis, & privatis vires, & decorem subinde reparabat victoriæ etiam *Galeoti* Principis ipsi erant ornamento;
B nec credendum est absque *Cæsenatum* manu exercitus coegisse suos. Cum pariter omne tributum ipsi remiserit, ac singula vectigalia ex publica ejusmodi pecunia publicæ ædes, & viæ, & mænia magna ex parte restituta fuere. *Galeotus* sæpe *Cæsenæ* moratus est, & alloquio etiam consolatus est populum, speque pristini splendoris implevit; Sanctissimi etiam Paschatis Festum ibidem celebravit. Anno itaque 1384. ejusmodi vi- Anno 1384.
ctoriis auctus *Galeotus* florebat, & accessit secundis ejus rebus mors *Ludovici Andegavensis*, ut jam dixi, qui solus poterat Ecclesiasticæ, ac *Urbani* studiosos partis vexare. Victus autem acie, &
C collatis signis ab *Alberico Cunii* Comite Pontificiarum copiarum Duce, ac Imperatore: insuper, & vulneratus postque paucos dies ex vulnere, an ex mærore? obiit, & exercitus inde ejus dissipatus. *Albericus* partes *Urbani* fovit, ejusque studiosos, unde *Forolivii*, *Cæsenæ*, & *Arimini* adversus *Andegavensem* etiam militia sua dispertita insedit: ut longe fallatur *Rubeus*, qui à *Malatestiis* denegatum *Alberico* transeunti commeatum dicit proindeque ab eo *Bellaeri* Castrum direptum, & exutum id scilicet, quod *Andegavensis* fecit, *Alberico* tribuendo. In secunda adeo A. 1385.
fortuna anno sequente 1385. die 21. Januarii *Ga-*
D *leotus* gravis annis at viridi senecta obiit, vir bello inclytus, at pacis etiam artibus clarus: mortuus autem est *Cæsenæ* in Palatio *Muratæ* à Cardinali *Egidio* magnifice constructo, quod postea fuit 682
Malatestiorum Principum Sedes, quousque sunt Civitatis imperio potiti. Residere postea quoque Pontificii Rectores usque quo à Præfecto arcis pro *Valentino*, fuit bombardarum jactibus maxima ex parte dirutum. Quatuor filios, totidemque filias ex justo matrimonio reliquit, *Carolum*, *Andream*, *Pandulfum*, & *Galeotum*, quem alii *Galeotum Belsflorum*, alii *Galeatium* vocavere, hi in ditionibus, bonisque Patri successere. Fæ-
E minæ autem fuere, *Gentilis*, quæ *Galeoto Manfredo*: *Margherita*, quæ *Ludovico Gonsaghio Mantuæ* Domino: *Rengarda*, quæ *Maso* à *Petra mala*: *Ricciarda*, quæ *Guidoni Antonio Urbini* Domino nupsere. Tres alios liberos, marem unum, fæminas duas est ex illegitimis amplexibus consequutus. Nostra manuscripta *Cæsenæ* sepultum tradunt ad D. *Francisci* sub crate ferrea, sub qua filius *Andreas*, & nepos *Dominicus* certo conditi sunt. *Ariminenses* cadaver *Ariminum* delatum contendunt, funebremque pompam adamussim describunt: sed certum est, sive *Arimini*, sive *Cæsenæ* tumulatus sit, nonnisi magna cum pompa tantum virum, & Prin-
F cipem condi potuisse. Mortem *Galeoti* consequuta est *Sinibaldi Ordelafi* à nepotibus ex fratre *Cicco*, & *Pino* captura, qui intempesta ipsum nocte captum in vincula conjecere, in quibus etiam brevi mortuus est. Hic cum *Galeoto* pacem, amicitiamque servavit, ac nepotes cum *Galeoti* filiis sæpe certaverunt. Sed de his postea. Mortuo *Galeoto* successere, ut dixi quatuor filii, sed Dominio indiviso. Licet *Clementinus* à Parente divisum filiis imperium dicat: at tabulæ per *Benedictum*

dictum Marcolani Notarium, anno eodem die undecima menſis Novembris confectæ, & in ſtatutum noſtrum regeſtæ viri dictum redarguunt in quibus quatuor ſimul fratres Domini *Cæſenæ* vocantur. At poſt ditionis diviſionem cum jam *Cæſena Andreæ* obtigerit; is ſolum Civitatis Dominus vocabatur, qui etiam non amplius *Andreas* ſed dimiſſo nomine ſemper poſtea *Malateſta* vocatus eſt, & plerunque *Malateſta Cæſenæ*. Tabulæ, quas nunc memoravi habentur *lib.* IV. *Statutorum pag.* 252. quarum pars, quæ ad nunc di-
683 cta ſpectat. Hæc habet. *Et præfati honorabiles Viri Franciſcus Salimbutii, Jacobus Ceccoli, Bertolinus de Rambertinis, Joannes Ser Upitini, Ser Petri Muzoli, Zanolus Berardi, Magiſter Franciſcus de Circlis, Joannes Rubei, Nannes Andreæ, & ego Joannes Baldutii Notarius infraſcriptus Antiani dictæ Civitatis, & Nobilis Vir Petrus quondam Rogerii de Capenſachis de Arimino honor. Poteſtas Civitatis Cæſenæ pro magnificis Dominis Carolo, Pandulfo, Malateſta Galeoto Fratribus, & Filiis honeſtæ memoriæ Magnifici Domini D. Galeoti de Malateſtis Rectoribus, & Gubernatoribus dictæ Civitatis pro Sancta Romana Eccleſia, & Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Urbano Papa Sexto, & egregius Legum Doctor Dominus Jacobus, quondam Mathæi de Brocardis de Imola Vicarius in dicta Civitate præfatorum Dominorum: omnes præfati Domini Antiani, Poteſtas, & Vicarius ſedentes pro tribunali, &c.* Hæc ſatis ſunt ad oſtendendum nondum ditionem patris inter filios fuiſſe diviſam, ſed pro indiviſa geſtam, nam poſt tributum ex partitione *Malateſtæ Cæſenæ* dominium ſolius *Malateſtæ* ut Domini mentio habetur. Sat ſit unicum hoc exemplum ex *lib. Reformationum anni* 1393. ubi recolitur juramentum *Joachimi* Prætoris in Præturæ ingreſſu. Sunt verba. *Nobilis Vir Joachimus de Pergula hon. Poteſtas Cæſenæ &c. pro Magnifico Domino noſtro Malateſta de Malateſtiis juravit ad Sancta Dei Evangelia manu tangens . . . . exercere officium. Juravit in manibus D. Jacobi Vicarii Domini &c. ſecundum dictum morem, & votum: ſimiliter juraverunt cæteri ſui officiales, & famuli. Cui Domino Poteſtati poſt dictum juramentum aſſignatæ fuerunt claves Portarum Civitatis Cæſenæ, & Statuta Communis per Nobilem Virum Albericum Della Bordella olim Poteſtatem Cæſenæ ſuum prædeceſſorem, præſente Domino Jacobo de Certalto Vicario.* Unus ergo *Malateſta* Dominus *Cæſenæ* tum dicebatur. Placuit vero morem ingreſſus Prætoris verbis antiqui Notarii exponere. Ex tabulis etiam *Marcolani* primo loco poſitis notare licet Antianos primo loco nominatos: Poteſtatem, & Vicarium poſterius. Nunc etiam poteſtas, vel latiniore voce Prætor
684 poſt conſervatores in publicis Scripturis ponitur, & in ſedendo, & incedendo poſt primum Conſervatorem ſedet, & incedit. Ad Principes autem *Galeoti* filios redeundo. Dicuntur in aliquibus manuſcriptis ſolum die tertia Maji Dominatum *Cæſenæ* iniviſſe, non quod ſcilicet tandiu intercalatus ſit Principatus, quem ſtatim per miniſtros ſuſceptum, & exercitum eſſe oportet: neque enim Civitas abſque regimine eſſe tribus potuit menſibus, neque liberæ adminiſtrationi Civium, in quibus libertatis ſtudium ſemper eminuerat, relinqui: ſed ſolemni ipſi ritu voluerunt crudi adhuc ſervitii ſenſum in Civium animis mulcere. Feſti enim ingreſſus, ac pompa populares animos captant. Omnes igitur fratres ſimul Civitatem adire, & populum alloqui, ipſumque ſpe benignæ adminiſtrationis complere, & conſolari voluere. Jam quinquennio elapſo, quo remiſerat *Galeotus* omnem penſionem, & vectigal Civitati, oportebat oneri tributorum licet (arbitror) non gravium Civita-

A tem ſuccubuiſſe. *Carolus* ſequenti anno uxorem A. 1386.
duxit *Eliſabetam Gonſaghiam Ludovici* Marchionis *Mantuæ* filiam lectiſſimam fœminam. Eodem anno *Balachii* Oppidum S. *Archangeli* à *Malateſtiorum* dominatu ſubtraxere eo obtentu, quod ipſi legitimi eſſent Domini Loci; duo enim *Arimini* Epiſcopi eorum *Gentiles* ipſi tradiderant. At *Carolus*, & *Pandulfus* Caſtrum, cum magna militum manu aggreſſi ſunt, ſtatimque Oppidani locum reddidere. *Malateſtii* autem nihil in eos ſævierunt contenti deditione *Gaſparis*, & *Laurentii Balachiorum*, & *Pauli* eorundem fratris fuga. Duos priores in carcerem *Arimi-*
B *ni* conjecti. *Carolus* ſequenti anno *Lucam* adi- A. 1387.
vit ad *Urbani* Pontificis Sanct. pedum oſculum. *Urbanus*, qui *Carolo* Regi faverat ad *Neapolitanum* Regnum adverſus *Joannam* Reginam, & poſtea adverſus Ducem *Andegavenſem*, poſt *Caroli* victoriam in ejus odium incidit, adeo ut Rex parum gratus, & parum pius Pontificem benefactorem *Nuceriæ* obſederit, ex qua obſidione etiam ſi arcta, opera, & auxilio *Thomæ Sanſeverinatis*, vel *Raimundi Urſini* (diſcrepant enim Scriptores) extractus, & ad mare deductus triremibus *Genuenſibus* conſcenſis ad eam ſe Civitatem tranſtulit, ibi- 685
que diu moratus eſt, inde *Lucam* adivit anno
C 1386. ibi diutius commoratum anno 1387. die ſexta Septembris *Carolus Malateſtius*, ut dicebam inviſit, & coluit, indeque eum *Peruſium* deduxit. Invitaverant miſis Oratoribus eum *Peruſini*, enixis precibus uſi, & magno cum honore receperunt attamen eam libertatem in Republica adminiſtranda uſurpaverant, & ea uſi ſint erga Pontificem contumacia, ut in eum quoniam cum *Florentinis* juxta ipſorum petitionem, & modum ab illis propoſitum non convenerit, impotentia iræ, & indignationis ſigna ediderint; *& talibus verbis* (utor dictis D. Antonini) *uſi ſunt, ut ipſe aliquando eos formidaret.* Adeo remiſſus erat vigor Imperii
D Pontificii ex Schiſmate ſcilicet enervati. Unde Civitates Pontifici abſque Vicariis ſubjectæ Eccleſiaſtica vere libertate fruebantur. Hæc conſideratio alienæ libertatis acuebat deſiderium in *Cæſenatibus* priſtini eorum ſtatus. Et hæc erant ſemina Turbarum, quæ paulo poſt pullulavere. Quo tempore aberat forte *Carolus*, ſed certe eodem anno, quo *Urbani* Pontificis pedes oſculatum ivit, in Provincia nedum, ſed in ditione *Cæſenate* fuit militum inſultus. *Joannes Galeatius Mediolani* Princeps *Veronam* ejecto *Antonio Scaligero* ejus Domino occupavit: inde Exercitum pro *Joanne Ordelafo*, qui pro eo militaverat adverſus *Forolivium* miſit, & adverſus *Ciccum*, & *Pinum Orde-*
E *lafos*, qui Civitatem uſurpaverant, ut eam *Joanni* acquirerent, qui injuſte à *Cicco*, & *Pino* detineri, & vere aſſerebat. At Exercitus ejuſmodi conatus in irritum ceſſit: ne ergo in caſſum prorſus eſſet expeditio milites ad caſtra Archiepiſcopi in agro *Cæſenate* poſita converſi ſunt. *Lugarariam*que cepere, & *Polentam*, *Caſalbonum*, & *Collianellum*, non ſine commotione Civitatis, & *Malateſtiorum*, ſed cum exercitus eſſet *Joannis Galeatii* tantæ potentiæ Principis diſſimulare oportuit. Monimenta noſtra hæc in anno ſequenti 1388. reponunt, quo *Bononienſes* Caſtrum A. 1388.
F *Bononienſe* conſtruxerunt inter *Faventiam*, & *Imolam* pari intervallo. Eodem anno *Antonius Scaliger Veronæ* Dominus ex eo Dominio pulſus *Terdocii* penes *Mutilianam* fraude famuli veneno epoto obiit. Is *Samaritanæ Polentanæ* 686
pulcherrimæ fœminæ maritus adeo ejus amori indulſit, ut cum reliqua minus quam oporteret curaret, amicos primum, deinde imperium, & opes, poſtremo vitam miſere amiſit. Anno mox ſequuto 1389. deceſſit *Urbanus Sextus*, qui toto A. 1389.

Pontificatus tempore graviter agitatus ob naturæ asperitatem neminis commiserationem est consequutus; successit illi *Bonifatius Nonus Neapolitanus* tricenario minor, qui tamen in florente ea ætate senilem castimoniam, & dignam sublimi eo gradus temperantiam servavit. Dicitur *Rubertus Bavariæ Cæsena* transisse, ibique à *Tibertis* magnifico hospitio exceptus ad opem ferendam obsesso *Urbano*: sed aliunde Pontifex est liberationem ab obsidione consequutus, veluti diximus, & *Rubertus* in *Italiam* à *Florentinis* accersitus venit aliquibus post annis sicut etiam *Joannem Andegavensem* anno 1386. ad occupandum Regnum *Neapolitanum* venisse, ac *Cæsenæ* ab *Andrea Malatesta* magnificentissime exceptum, & *Gotifredum Bullionum* ab *Andegavensi* splendida equitatus Præfectura exornatum. Qui hæc scribunt, anachronismo utuntur, nam & Familia *Isceorum* ex qua *Gotifredus* fuit, pluribus post annis *Cæsenam* venit, & *Joannes Renati* filius Regno *Neapolitano* posterius arma intulit. Anno 1390. *Andreas*, quem deinceps semper *Malatestam* dicemus uxorem duxit *Rengardam Bertrandi Alidosii Imolæ* Principis filiam. Retardavit autem Matrimonii confectionem arctitudo inter sponsos affinitatis, ob quam opus fuit Legibus id prohibentibus ipsos à Pontifice solvi. Soluti autem matrimonium *Imolæ* perfecere inde sponsa splendido cum Comitatu *Ariminum* ducta, ibique magnificentissimo apparatu suscepta est. Tum demum fratres universam inter se ditionem partiti sunt. Obtigitque *Malatestæ Cæsena* cum aliis Oppidis, quæ postea memorabimus. Inivit possessionem Civitatis si *Clementino* hæreamus anno eodem 1390. die prima Julii, at Annales nostri in sequentem 1391. rejiciunt. In anno autem 1390. conatum *Astorgii Manfredi* capiendæ *Cæsenæ* reponunt.

Clementinus.

687 Quæ expeditio quoniam fuit cum conspiratione aliquorum *Cæsenatum* est latius aliquanto explicanda. *Joannes Palacinus* primarius Civis in negotiatione cum *Galeoto*, quæ præcessit *Britonum* facinus, non bene cum illo convenit, ut *Ariminenses* etiam Scriptores asseverant. Is ergo post traditam à Pontifice *Galeoto Cæsenam* veritus ejus iram à Civitate secessit, & *Astorgio* adhæsit, ea præsertim ratione, quod *Astorgius* à *Galeoto* diffidebat. Mortuo *Galeoto* cum *Cæsena* post aliquot annorum fructus perceptos invalescere cæpisset, verisimile est (quod antea, etiam pro conjectura adduxi) præ libertate Civitatum soli Pontifici subjectarum servitutem suam ingemuisse, cumque præsertim fuisse Primariorum Civium sensum, quem intelligens, vel conjiciens *Palacinus Astorgio* occasionem indicavit, *Cæsenæ* liberandæ, deque *Malatestiorum* manu auferendæ, cujus Familiæ vires adeo crevisse, ut jure merito, & ipsi, & reliquis Principibus suspectæ esse deberent, ideoque pro virili imminuendæ; si Civitatem libertati assuetam, ejusque ex instinctu quodam peculiari avidam in libertate reponat, tanto eam beneficio obstrictam multo magis suam quam arce, & præsidio faciet; nihil est quod ab ea, & militum, & pecuniæ quotiescunque opus fuerit sibi promittere non posset. Non fuerunt hæc dicta Surdo. Invida erat *Astorgio*, adeoque invisa *Malatestiorum* potentia, & grata imperii accessio, & nisi imperii saltem, ut proponebatur, auctoritatis; verum dum eo obtentu Civitatem milite occupasset, reliquam Consilii partem erat ejus arbitrii expedire. Instituta est ergo negociatio, internuntiusque fuit *Nicolaus Leandri* vulgo dictus dalla *Toricella* incola tum *Cæsenæ*. Seduxit hic *Mengum* è *Malvasia* cum filiis, qui inter custodes scilicet portarum erant, ut cum ipsis munus custodiæ obvenisset Portam

A noctu reserarent. Inter portas Civitatis duæ sunt per quas *Cæsaula* torrens ingreditur, & egreditur. De superiore per quam fluentum ingreditur, ut minus impedita convenerunt. Nocte igitur, & hora constitutis adfuit cum selecta manu peditum, & equitum *Astorgius*, & portam 688 reperere patentem, ingressique sunt pedites, at Equites ob quædam ligna ab ingressu prohibiti interim in conatu strepitum edidere, à quo exciti incorrupti custodes inclamaverunt, arma, & hostes, unde populus accurrens invasores repulit. capti tres supra triginta milites *Astorgiani* fuerunt, qui in carceres conditi; quinque è muris

B dejecti, multi alii vulnerati. *Mengus* cum filiis, & *Nicolaus Leandri* tum quoque capti ad portæ ibi pinnas suspensi turpi morte infortunatum cæptum clausere. Annalium verba sunt. *Nel detto Anno* 1390. *il primo di Luglio Astorre de Manfredi venne per pigliar Cæsena, e li fù data la Porta della Cesola di sopra per tradimento di Mengo della Malvasia, e de suoi Figlivoli: menò il trattato Nicolò di Leandro dalla Turricella, habitante in Cesena, e Giovanni Palacino habitante all'hora in Faenza col detto Sig. Astorre. Entrorno dentro molti Fanti, mà non poterono far'nulla; poiche li loro Cavalli non poterono passar'per la detta Porta per*

C *cagione di certi legni. Furono per questo fatti prigioni trentatre d'essi e Mengo, & i Figlivoli e Nicolò sudetti appicati a merli della detta Porta, e cinque de nemici furono trabucati della detta Porta, e molti feriti.* Oportet autem alios fuisse conspiratores, at ex infelicitate ingressus territos quievisse. Argumentum præbent, & fidem plura faciunt; auctoritas *Palacini* antea in Civitate, in qua adhuc clientes habere oportebat; innatum desiderium libertatis, & crudum adhuc servitium. Sed conjecturam adhuc præstat proscriptio *Palacini* Palatii, ac bonorum ejus publicatio, ut perduellis *Cæsenæ*, ac *Malatestiorum*. Nulla au-

D tem apparet facile tum causa alia perduellionis, quam detecta demum ejusmodi conspiratio. In *Lib. actorum Antianorum*, & Senatus anni 1393. die 25. Aprilis hæc habentur. *Fù fatta relatione del possesso preso a nome del Sig. Malatesta di una possessione di terra arativa, vignata, e boschiva di* 250. *tornature nella Villa di Branchise vicino la Rgossa, e la via commune, ch'era del Palazzo ribelle del Commun di Cesena, e del Signor Malatesta.* Eodem anno 1390. *Ravennæ* turpe factum, & impium contigisse, Annales nostri, & *Rubeus* dicunt fratrum *Polentanorum Guidonis* filiorum in Parentem conspiratio, quem captum, & in car- 689

E cerem conjectum perpetuis tenebris usque ad mortem; quæ cita advenit, damnarunt. Fertur cum in naturam fæda libidine peccaret expertum esse filios à pietate naturali filiali aversos. Non tamen decebat filios esse paterni sceleris ultores. Invasio *Astorgii* forte monuit *Malatestios* oportere *Cæsenæ* assidere Principem, qui præsentia sua comprimeret, & cura latentes motus; hinc ad ditionis divisionem perrexere, & *Malatestæ Cæsena* obtigit, ad quam cum uxore transiit anno secundum monimenta nostra 1391. & certe ex actis Anno 1391. proxime relatis anno 1393. is jam solum *Cæsenæ* dominabatur. Anno eodem 1391. si *Rubeo* ste- A. 1392.

F mus: at anno 1392. juxta manuscripta aliqua nostratia bellum fuit cum *Antonio Ubaldino* multorum Castrorum *Ravennatis* Ecclesiæ Domino. At verius cum *Rubeo Clementinus* dicunt bellum fuisse cum *Antonio Urbini* Comite, & Castrorum multorum Ecclesiæ *Ravennatis* Procomite. Antiquæ inter *Feretranorum*, & *Malatestiorum* Familias simultati novos stimulos Procomitis ratio addidit: unde die decima octava Julii anni 1329. magna per *Cæsenate* territorium facta excursione, cum

cum septingentis scilicet usque equitibus homines multos captivos, multorum animalium prædam abduxit. Non destitere *Malatestii* par pari referre, nam cum primum ex dictis locis inter se convenere die tertia Septembris exercitu coacto *Antonii* Castra invasere, *Montem Borium* cepere, & in alia præterea Castra intulere arma. Verum statim inimicitiæ æstus etiam *Ordelafos*, & *Astorgium* nunquam amicum incendit. *Britonorium* solum Ecclesiæ absque Vicarii interpositu in *Flaminia* parebat; eratque pro Pontifice Civitatis Rector *Antonius Tomacellus*. Parum à *Forolivio* sicut à *Cæsena* distat locus, ut propinquitas, & oportunitas innataque cupiditas dominationis extendendæ *Ordelafum* ad ejus occupationem tentandam excitarit. Nihil tum ratio Pontificii imperii deterrebat. Tantum erat ex schismate diminuta erga Sanctam Sedem reverentia, & ejus abolitus timor. Cum ergo per exules quosdam *Britonorienses*, qui *Forolivii* degebant, aliquot eorum
690 amicos occulte corrupisset, qui scilicet *Britonorii* erant, misit nocte selectos milites, quibus juxta conventa corrupti Cives aditum recluserunt. Sed suboluerat Rectori *Tomacello* machinatio, qui idcirco prævalidas copias à *Malatestiis* petierat, & occulte obtinuerat. Earum virtute *Ordelafi* milites jam Civitatem ingressi pars capti, reliqui omnes in fugam acti fuere. Capti autem numero tresdecim suspendio omnes necati. Die hæc
A. 1393. nona Maji anni 1393. contigere. *Pinus* postquam tecta consilia nihil proderant, ad apertam vim conversus est, dieque duodecima ejusdem Mensis Castra ad portam *Britonorii Francam* nomine metatus est. Verum *Malatestii* in subsidium Rectoris, & loci magnam militum manum sub *Moscardo*, & *Ottobono* ductoribus misere, qui noctu, & insciis hostibus ingressi, ante lucem obsessores nihil tale timentes adorti sunt; eaque fuit invadentium impressio, ut *Forolivienses* cum *Pino* in fugam acti *Malatestianis* victoriam una cum impedimentis reliquerint. Victores itaque non modica præda ditati revertere. Victus *Ordelafus* ultionis cupidus, cum *Antonio Urbini* Comite, & cum *Astorgio Faventiæ* Domino percussit adversus *Malatestios* præsertim fædus. Coactisque die vigesima octava Junii fæderatorum copiis *Pinus* magna in *Cæsenatem* agrum incursione multos captivos fecit, multa animalia abegit, oportet autem alias vicissim excursiones extitisse: at illa memoranda, qua *Malatestii* juncti *Brando Brandolino*, & *Otto Meldulæ* Domino *Foroliviense* territorium usque ad Civitatis portas vastavere, cumque ferox populus, cum bellicoso Principe ad ulciscenda damna exierint, atrox ibi, & diuturna pugna; at stetit tandem à *Malatestiis* victoria. Octingenti *Forolivienses* capti, reliqui in Civitatem fugati: captivi *Cæsenam* ducti, & sub custodia detenti. *Bonifacius* Pontifex Summus turbis ejusmodi *Flaminiæ* commotus, quæ cum per se magnæ essent, majori adhuc incendio poterant præbere pabulum, Legatum ad componendas rixas *Pandulfum* Cardinalem *Barensem* misit, qui magna dexteritate usus pacem tandem inter omnes
691 conciliavit. Hinc amici facti *Malatestii* cum *Urbinate* Comite, cum *Ordelafo*, & cum *Manfredo*. Immo paulo post cum *Manfredo* juncta affinitas. At quoniam ex *lib. actuum Senatus*, & *Antianorum* (vocant nostri reformationum) multa de pertubatione eam ob rem Civitatis, deque provisione ejus ad præcavenda, quæ providebantur, mala habentur, par erit distinctius hæc describere. Erat Civitatis Prætor *Angelus* è *Monte S. Mariæ*; Vicarius vero Principis *Joannes Certaldensis*. Cumque jam belli suspicio esset, & imminentis incursionis in *Cæsenatem* agrum, ad evi-
A tanda direptionis damna edicto jusserunt omnes cum pecudibus, & rebus ad loca munita confugere sub pœnis arbitrariis. Die vigesima tertia Februarii Præco Cancellario à se edictum promulgatum retulit. Verba sunt. *Die Dominico 23. Februarii 1393. retulit mihi Nicolao de Meldula Cancellario Communis Cæsenæ Dominicus Tubator communis Cæsenæ se sic jussum per Dominos Potestatem, & Vicarium Cæsenæ ivisse per Plateam Trovæ, Burgos, & loca consueta Civitatis Cæsenæ, & ibi publica, & alta voce sono tubæ cridasse, & proclamasse parte dictorum Dominorum Potestatis,*
B *& Vicarii quod quilibet Civis, & districtualis dictæ Civitatis Cæsenæ deberet se ad fortalitia cum eorum personis, & bonis statim reduxisse pœna, &c.* Hæc ibi, quibus subjungitur relatio eidem Cancellario facta à tribus viatoribus eodem die, qui vicatim toti territorio, Castrisque ditionis idem edictum denuntiaverant. Die vero sexta Martii noctis tempore scripsit *Malatesta* Princeps Prætori, & Vicario Comitem *Corradum* ex hybernis copias eduxisse, jamque in *Urbini* territorium advenisse; unde quasi immineret incursio in *Cæsenatem* ditionem, & finitimam, ut Edicta renovarentur, & jussa rusticis confugiendi in loca munita cum
C rebus suis. verba sunt.

Die Sexta Martii de nocte.

Domini Potestas, & Vicarius receperunt literas à Magnifico Domino nostro Malatesta, quod Dominus Corradus exiverat ad campum in Villis Urbini, id eo facerent reducere Comitatinos ad fortalitia; & notificarent vicinis. Qui fuerit Comes is *Corradus* à quo timebatur incursio explicare non possum, utrum scilicet fuerit *Corradus Matelicanus*, 692
qui post pacem cum *Feretrano* Comite factam ipse etiam *Malatestiorum* amicus pars insignis hastiludii fuit, quod *Cæsenæ* superbo *Malatesta* fastu anno 1402. celebravit: an fuerit nepos Comitis *Lu-*
D *tii* Magnæ Societatis Ductoris quem olim debellato exercitu *Forolivienses* cæperunt, & forte loco pretii redemptionis ejus sibi operam, & copias obligaverunt. Uter vero fuerit is certe pro *Urbinate*, & pro *Ordelafo* adversus *Malatestios* erat, cum ejus arma, & copiæ metum afferrent. Adversus ergo excursionis pericula præter personarum, & rerum ad loca munita confugium hæc alia jusserunt. Septa, & rastra opportunis locis in viis territorii excitari; fossarum ripas, qua erat transitus attolli, ad equitatum impediendum, ac remorandum. Quod opus Civitatis, & Suburbiorum familiis injungebatur. Singulæ enim
E debebant diebus quibusque Festis hominem mittere ad eam operam præstandam accommodatum. Successit relatio nomine *Malatestiorum* Principum Vicarii in Senatu; opus esse ad tuendam eorum ditionem ducentis equitibus lanceatis, quorum tamen stipendium non à sola *Cæsena*, sed ab omnibus subjectis imperio ipsorum Civitatibus, ac Oppidis solvendum erat. Senatus consultum fuit tot milites Principes conducerent, quot pro eorum prudentia necessarios judicarent. Pecuniam pro sui portione in stipendia iri à Civitate subministratum, & cum immineret incursio Senatus rursus bis mille, & quadringentos ducatos, ut tum
F vocabantur à Civibus, & subjectis exigendos statuit. Antea edixerat Prætor alienigenis omnibus, ut se coram ipso sisterent, pœna suspendii in contumaces constituta. Commeantibus etiam per territorium ne extra vias publicas, ac Prætorias vagarentur secus capi possent, & si reluctarentur, impune occidi. Per Civitatem noctu absque concessione schedulaque Magistratus custodiæ incedentibus pænæ cum hac distinctione impositæ. Qui armatus, & absque lumine incederet; pœna suspendii, qui armatus, ac cum lumine librarum

rum vigintiquinque, qui sine armis, & sine lumine
decem librarum; at ei qui sine armis, & cum lumine
693 librarum quinque. Tempus autem noctis, quo
incessu per Urbem prohibebatur continebatur in-
ter companæ majoris à vespera, & ad crepuscu-
lum matutinum sonitus. Nostrates battocchio
vocant. Indicto jam ab hostibus bello publice
declarati hostes *Forolivii* Princeps, & *Urbini* Co-
mes, & alii scilicet *Astorgius Manfredus* arbitror,
& Comes *Conradus*, promanavitque jussio, ut
quicunque, vel ipse teneret, vel ab alio detineri
sciret declaratorum hostium bona, denunciaret
pœna non denunciantibus centum aureorum im-
posita. Loca vero quibus hæc ipsa denunciata
sunt, & imminentia pericula, & ad occurren-
dum periculis scita, ac jussa, fuere *Britonorium*,
Meldula, *Cervia*, *Montejanum*, *Roncofrigidum*,
Portus *Cæsenaticus* S. *Thomæ*, & *Carpineti* Castra.
Ita *Malatesta* jussit, & Prætor, ac Vicarius *Cæ-
senæ* exequutioni mandarunt. Ductores autem à
Malatestiis conducti fuerunt, *Moscardus*, *Otto-
bonus*, *Broia*, & *Brandolinus*, qui memorantur
in conventu Antianorum coram Prætore, & Vi-
cario die Junii vigesima secunda anni ejusdem
1393. Hæc, & alia id genus nonnulla ingruen-
te, & perseverante bello Civitas deliberavit, e-
gitque; verum consequuta, ut dicebam Cardina-
lis *Barensis* opera, pace omnia quieverunt. Inter
Principes ipsos *Malatestios Malatestam* scilicet, &
Pandulfum fratres de Civitate *Fori Sempronii* utri
deberetur lis fuit; tandem pro *Malatesta* cessit ju-
dicium, ipseque Dominium pacate inivit. Anno-
Anno 1394. que 1394. nova ditione est auctus: *Britonorium*
enim pretio duorum supra viginti millium aureo-
rum à Summo Pontifice emit, quibus alia quat-
tuor millia pro stipendiis militum, & aliis ejus-
modi causis accessere. Pontifex facile ad ejusmo-
di venditionem devenit, eo quod cum eam solam
Civitatem in *Flaminia* absque Vicarii interpositu
obtineret, & essent, qui insidiarentur, occupa-
tioque non difficilis, & si contingeret magno
cum S. Sedi dedecore futura esset, à periculo, &
sumptu omni se liberare maluit. Acciderat Civis
nobilis anno elapso factum, quod & ad historiam
pertinet, & morem illius antiquitatis declarat di-
gnum, qui intelligatur. *Riguccinus* Nobilis Ci-
694 vis forte antiquorum *Righitiorum* soboles in exe-
cutorem à *Florentina* Republica electus fuit, qui
Magistratus magnæ tum erat *Florentiæ* potestatis,
& exteri tum ea conditione à Principibus aut Re-
bus publicis ad ejusmodi regimina admittebantur
si Patria conducti, electique Senatus consulto,
Lib. Refor. 1393. c. 23. aut Plebiscito pro forma Reipublicæ se obstrin-
geret nunquam represalias adversus Cives, aut
subjectos Civitati, ac Principi conducenti decer-
nere pro damnatione Civis sui in sindicatu, ad
ejusque redimendam pœnam. Ita Senatus tum
petente *Riguccino* decrevit, si ipse expleto officio
esset in reddendis rationibus alicujus pecuniariæ
summæ, vel aliter damnatus is, vel ejus aliquis
Minister nunquam ea de causa alicui, aut *Floren-
tino* aut ditionis ejus Reipublicæ subjecto vexatio-
nem ullam intentaturum, aut intentari permissu-
Lib. Refor. anni 1398. Anno 1395. rum. Idem anno postea 1398. de *Francisco Ti-
berto* accidit, qui electus in Prætorem *Mantuæ* à
Francisco Mantuano Principe, idem senatusconsul-
tum petiit, & obtinuit Mense Octobris die deci-
ma quinta. At repetito temporum ordine. Anno
qui *Britonorium* emptionem sequutus millesimo
scilicet trecentesimo nonagesimo quinto *Bono-
nienses Malatestam Cæsenæ* Principem suarum co-
piarum Imperatorem elegerunt: ad quod munus
ineundum, ac gerendum cum ducentis cataphra-
ctis equitibus stipatus iverit fuit à præpotente Ci-
vitate honorifice susceptus. Sub idem tempus

A nuntium à domesticis accepit se filio ex *Ringar-
da* Uxore auctum, quem *Galeotum* dixere. Erat
affinitate cum *Gonsaghio Mantuæ* Principe *Caro-
lus Malatestius* junctus: adversus vero *Gonsaghium*
prolatandi imperii avidus *Joannes Galeatius* Dux
Mediolani arma tulit, cumque res *Mantuana* in
angustiam redacta esset, accurrit ad opem feren-
dam cum *Malatesta* fratre *Carolus*, & victo *Me-
diolanensium* Exercitu affinem Principem ab obsi-
dione, & periculo liberavere, nec sane invitis
Bononiensibus incremento immodico potentissimi
Principis *Joannis* scilicet *Galeatii* obsistebatur.
Duobus post annis à Summo Pontifice supremo
B ejus Principe fuit *Malatesta* adversus *Biordum Mi-
chelottum Perusiæ* arbitrum evocatus. Causa au-
tem evocationis fuit; quoniam *Perusii* inter se
Nobilibus, ac plebeis diffidentibus, ipsemet Pon- 695
tifex, ut seditionem sedaret, ad eam Civitatem
accessit. At insana Plebs coram ipso Pontifice
contra promissiones ipsimet Pontifici factas octo-
ginta nobiles trucidavit, & *Biordum Michelottum*
popularem gratiosum accersivit, eique sui, & Ci-
vitatis Principatum detulit. Iratus itaque Ponti-
fex adversus *Biordum*, ac ejus popularem factio-
nem *Malatestiorum* arma, ipsumque *Malatestam*
accivit, qui magna cum manu militum profectus
C Castra quædam *Perusii* cepit, ut ad Civitatem
faciliorem sibi aditum sterneret; at interea *Bior-
dus* fuit in Civitate ipsa à *Guidalotiis*, ac eorum
clientibus occisus; cujus mortem prævalida Plebs
acerrime ulta est. Pontifex itaque ad sanandam
Civitatem, & ad antiquum Dominium resumen-
dum arma undique coacta intulit; cumque oc-
cupandæ jam Civitati immineret, obsessi *Joannis
Galeatii* auxilia petiere, nec denegavit is *Italiæ*
totius imperii avidus, sed submisso auxilio Do-
minium Civitatis accepit, & Pontificem tantis
viribus imparem solo nomine ab obsidione repu-
lit adeo tum vires Pontificii imperii divisione
D conciderant, & obsoluerat politici imperii reve-
rentia. At ad Ecclesiasticam jurisdictionem per-
tinuit ejusdem Pontificis indultum transferendi
Moniales in Suburbio *Pidrioli* existentes, in Ci-
vitatem, ibique cum Monialibus S. Spiritus, quæ
vulgo *Santinæ* vocabantur, eas uniendi. Episco-
pus tum erat *Jacobus Boschettius Regiensis*, de quo
postea. Hujus sane cura credendum est ad tutio-
rem Sacrarum Virginum statum literas Pontifi-
cias procuratas, & obtentas, nunc etiam Eccle-
sia D. *Georgii*, quæ sola antiqui Monasterii re-
stat, ad Moniales easdem S. Spiritus spectat, ea-
rumque studio, & sumptu dies D. *Georgii* festus
E ea in Ecclesia celebratur. Anno hæc 1396. fa-
cta sunt, quo etiam *Astorgius Manfredus Arimi-
num* proficiscens *Cæsena* transiit, ivit autem ad
Gentilem Caroli, & *Malatestæ* Sororem *Joanni* fi-
lio suo nuptam deducendam, quæ fuit factæ prius
pacis nova per affinitatem confirmatio. Anno qui
sequutus est 1397. Prætor *Cæsenæ* fuit *Joachimus* Anno 1397.
Pergulensis, perseverabat autem adhuc Vicarius
ab anno usque 1395. *Jacobus* è *Certaldo*. Ritus 696
autem ineundi Magistratus, qui fuerit, placet
hujus exemplo declarare. *Jacobus* ergo Vicarius
Sacrum Evangeliorum Codicem tenebat, illum
manu tangens novus Prætor juravit recte, & se-
F cundum Leges se Præturam excitaturum, idem
Ministri ejus, ac Familiares jusjurandum conce-
pere, ac expressere verbis. Tum *Albericus* è *Bor-
della* ejus decessor *Portarum* claves, & Civitatis
statuta tradidit, eoque modo Magistratus posses-
sionem obtinuit. In primo autem conventu
ipsius, Antianorumque est Antianos hortatus, ut
munia officii sui recte, decenterque implerent,
ac tuerentur: postulavitque præterea, ut si quan-
do ipsum, ejusque Ministros viderent muneri de-
esse

esse suo, admonere eum vellent, cui id gratissimum erit, ut parato semper errata sua corrigere. Antiani de admonitione egere gratias, de correctionis petitione ingessere laudes, ecquid enim majus quam Rectorem dimisso fastu, admonentibus accommodare aures? Interim monuere inter præcipua Civitatis ornamenta Portum *Cæsenaticum* esse quocirca cum duæ perticæ muri canalem continentis ruinosæ essent, & muri inter Trovæ portam, ac Cerviensem pars collapsa esset, invisenda esse Prætori ipsi loca, una cum *Joanne* Reipublicæ Architecto & *Joanne Guiducioli* cæmentario, ut ex sui eorumque sententia quid faciendum sit decernat: idemque de muri ala ad portam interiorem *Cæsaulæ* excitanda, ne fossa cæno repleretur. Electi ibidem *Bettolus Borellius*, & *Romagnolus Jacobi*, qui rationes repeterent pecuniæ Portus reparationi destinatæ. In eodem conventu statuerunt insigne Civitatis, ac *Parmam Alberico* è *Bordella* Prætore proxime elapso in testimonium egregie gesti Magistratus dono dare: non nisi tamen permittente Uxore Principis absentis, & ejus Vicesgerente *Angelo* id licuit, adeo restricta erat Magistratuum, ac Reipublicæ potestas. Tum quoque *Pons Sapis* prope Civitatem renovandus erat, onus ejusmodi ita fuit inter Cives, & Rusticos de more divisum, ut ligna omnia, & eorum delatio ad Rusticos pertinerent (erat enim tum pons ligneus) at pecuniæ in ferrum, & in mercedem operarum omnium erogatio ad Ci-
697 ves spectaret, qui eam inter se, vel per æs, & libram, vel per Familias (dicebant ipsi per fumos) colligerent. Successit *Joachimo Pergulensi* in Prætura *Petrus* è *Gattaia Carpinei* Comes. Astitit hic Senatui die postrema Septembris anno 1398. & quoniam *Antianorum* Congregatio plerunque ante quam universus Senatus conveniat, cogitur, tum illis coactis præcepit, ut in posterum bis in quaque hebdomada coram se convenirent die lunæ, scilicet & die veneris, qua hora jus dicitur ad publica negotia expedienda. In Senatu deinceps eadem die de negotio rerum Emphiteuticarum cum variis Ecclesiis actum. Gravissimum est ejusmodi Civitati negotium ob bonorum hujus conditionis cum in Civitate ædificiorum, tum ruri prædiorum ingentem multitudinem: ut si omnia ad directos (ut vocant) Dominos devolverent, angusta Urbanorum ædificiorum, angusta agri pars Civibus, & prophano Populo restaret. Consuluere Summi Pontifices Populorum, & Civitatum conservationi, ubi præsertim major erat ejusmodi bonorum copia. *Cæsenæ* certe multa concessere, & *Clemens* præsertim Octavus, quæ Ecclesiasticorum potentia conculcaverat longo abusu, innovavit indulta; idque præterea adjecit, & jussit ne directi Domini sua ipsi auctoritate bonorum quæ devoluta præsumerent, possessionem caperent, quæ salutaris jussio frenum avaritiæ multorum zeli specie grassantium injecit. Nulla tamen adhuc frequentior litium materia. Preces autem Civitatis Summo Pontifici *Bonifacio Octavo* per Oratores porrigendæ hæ erant? Ut bona Emphiteutica possent instar liberorum cuivis pro testatoris arbitrio relinqui. Ut in iisdem bonis ab intestato non secus, atque in liberis succederetur ab iisdem qui reliquorum bonorum erant hæredes: id solum interesset, quod cum ad hæredes transirent in concessionis tabula (investitura dicitur) non comprehensos tum tenerentur solvere ad summum solidum pro quacunque æstimationis, ac valoris bonorum libra. Sique possessor à solvendo canone, pensione scilicet annua cessaret, non ob id bona caduca essent, neque is incideret in commissum: sed in pœnam duplam
698 solvere pensionem, teneretur: cæterum vendi, donari, transferri à possidente non secus, ac libera possent. Privilegia pro quibus nunc contendimus, & quæ ut salutaria totis viribus retinemus ab his longe recedunt, sed adjicio, quæ inter Antianos antequam in Senatu relatio fieret, convenerint. Postquam enim de referendis statuerunt, tum hæc sunt subnotata à Scriba verba: singula refero. *Et deliberantes ut pro parte communitatis Magnifico Domino Nostro Malatestæ Urbis Senatori super his scribatur, & suppliciter, ut in favorem communitatis intercedat à Romana Curia, informetur Orator, &c. Sindicus, qui nunc eligitur.* Hæc ideo ad verbum retuli, & scripsi ut constet, errare, qui *Malatestam* Senatorem *Romæ* his temporibus fuisse *Pisauri* Dominum non *Cæsenatem* Principem asserunt. verba relata sunt illius temporis, & non in adulationem conficta, sed ad negotiationem institutam tum, & gravem directa, & extra omnem contentionis aleam, ac pruritum prolata: verum præstat rem ad clariorem ejus expositionem altius aliquanto repetere. *Romani* omne sibi politicum *Romæ* imperium usurpaverant, illudque per vexilliferos (vocabant ipsi *Banderesi*) exercebant. *Bonifacius* cum jura sua usurpata videret, nec potis esset in tanta tum imbecillitate virium Pontificiarum *Romanos* cogere, potius ab Urbe aberat. Accedebat prope annus secularis 1400. Jubilæi, cum universus ferme Christianus Orbis erat *Romam* profecturus ad expiandas culpas & Sacra loca visenda, colendaque. *Romani* ergo Pontificem, qui magna tantæ solemnitatis pars erat enixe rogabant, ut *Romam* reverteretur, Sedemque ibi suam figeret. Ardebat reversionis cupiditate Pontifex, at omnem desiderii significationem comprimebat, & nunquam se rediturum asseverabat, nisi sublatis *Banderesiis*, restituta Pontifici Senatoris Urbis, etiam exteri (ut antea in more erat) electione. Consensere tandem *Romani*, & ipse *Romam* reversus *Malatestam Cæsenæ* Principem, cujus opera adversus *Biordum*, & *Perusiam* usus erat Senatorem Urbis constituit. Id jam constat ex actis Senatus nostri eo tempore confectis, & scriptis, ut necesse sit errare *Platinam*, & *Blondum* tanto iis 699
actis posteriores, qui *Malatestæ Pisaurensi* id tribuunt, & qui illis assentitur *Clementinus*, qui etiam argumentum ex ejus decreto desumptum declinare, sed nimis aperto subterfugio nititur. Cum enim se *Ariminensem Malatesta* in eo vocet, ubi scil. erat natus. *Pisaurensis* vero *Malatesta* erat *Pisauri* ortus, dicit *Pisaurensem Ariminensis* nomine appellatum, quod esset *Arimino* oriundus: sed vix exemplum erit in Principibus præsertim, se scil. denominare à Civitate in qua nihil possint loco Civitatis cujus imperio potiantur. Sed omnibus abjectis sat sunt ad idem probandum acta Senatus adducta. In eo autem Magistratu præclare se gessit *Malatesta*, nam *Columnios* Pontifici refractarios, ac in ejus imperium insurgentes vicit, ac depulit, ut in Chronologia *Foroliviensium Guidonis Peppi*, & *Pauli Guerini*, qui tamen *Malatestam Arimini* loco *Cæsenæ* dominum parum accurate vocant. *Anno* (inquiunt) 1398. *Columnienses insurgunt adversus Papam mox per Malatestam Arimini Dominum in fuga positi sunt.* Angusta fuit eo Anno veris tempore Annona *Cæsenæ*, ut necesse fuerit aliunde frumentum quærere ad idque *Paulus Casinus*, & *Bettolus Borellius* Electi, qui die decima tertia Aprilis in Senatu retulerunt, trecenta à se sestaria à *Malatesta Pisauri* Principe empta trium ducatorum in singula sestaria pretio. Ducati *Pisauri* triginta septem solidorum, seu bononinorum erat æstimatio, 'ut sestarium bononinos centum atque undecim vænierit, libræ scil. quinque, & solidi undecim, viginti enim solidi

libram conficiunt. Cum vero sestarium *Ariminense*, quo in emptione usi fuerant sit quarta parte *Cæsenati* majus, constiterat *Cæsenate* libris quatuor, solidis octo, ac duabus solidi tertiis partitibus, venditum tamen Populo quattuor libris tantum, ut pecunia extracta minor fuerit erogata libris centum sexaginta cum dimidia intercessit auctoritas *Ringardæ* Principis, curaque (aberat ergo maritus) scripserat enim ipsa *Malatestæ Pisaurensi*, à quo etiam emptum est frumentum. Pretium frumenti anno elapso fuerat solidorum, Bononienorumve duorum supra triginta *Cæsenæ*: tantum pretia eorum temporum à præsentibus di-
700 stant. Cujus differentiæ est etiam hoc aliud argumentum. Mense Decembris die vigesima octava in Senatu electus fuit publicus, & primus Ludi magister *Andreas Cesellius* Sacerdos in quinquennium annuo stipendio ducatorum sexaginta, decreto; librarum scilicet nonaginta sex. Hypodidascalo libræ nunc ducentæ in annos solvuntur. Sub hæc tempora maximus fuit *Castrocarii* inter factiones tumultus, qua re (arbitror) motus Summus Pontifex Castrum illud, quod solum S. Sedi libere subjiciebatur in hac Provincia *Florentinis* pretio undecim millium florenorum ven-
D. Antonin. didit. At Præfectus Castri noluit *Florentinis* illud ex contractu petentibus tradere. Quocirca Respublica exercitu misso ad jus suum sibi asserendum tetendit: at *Bononienses* cum *Foroliviensibus* resistere neutri tolerantes Reipublicæ illius in *Flaminiam* extendi vires, idque palam sunt *Bononienses* protestati. Duravit aliquot diebus bellum; at coacti tandem fuerunt *Florentini* recedere. Episcopus *Cæsenæ Jacobus* jam dictus videtur limina Sacra Apostolorum hoc eodem anno invisisse ex ejusmodi memoria, quam mihi misit Vir eruditus *Gabriël Naudeus Parisiensis Romæ* degens. Est autem, (exscribo enim ad verbum.) *Jacobus E-*
1398. *piscopus Cæsenas ex lib.* IV. *de diversf. form. Anno nono Bonifatii Noni fol.* 20. Vixit hic usque ad annum 1405. quo anno die Septima Septembris ejus decretum habetur: est autem occasio decre-
In Monim. Brixii. ti. *Bartolomæus* quidam *Bononiensis* legavit moriens Domum fabricæ *Cæsenati* in Cruce Marmoris majoris Ecclesiæ, quam Domum cum pro Hospitali S. *Bartolomæi* posceret *Cæsenas* quidam *Bartholomæus* vocatus, pretiumque offerret, quo majus in publica licitatione repertum non fuerit. Decrevit Episcopus vendi oblato pret. Hospitali dicto eam poscenti. Promanavit decretum die septima Septembris anno 1405.

At eodem anno 4. Non. Decembris electus fuit in Episcopum *Gregorius Cæsenas*. Hæc est memoria ab eodem *Naudeo* missa. *Gregorius de Cæsena Ordinis Fratrum Prædicatorum eligitur ab Innocent. Septimo in Episcopum Cæsenatensem per obitum Jacobi quarta Non. Decembris*
701 *Anno* 1405. *ex lib. De Regularibus, & provisf. Prælatorum Anni secundi Innocentii Septimi fol.* 204. Ut idcirco in eo temporis spatio inter septimam diem Septembris, & secundam Decembris *Jacobus* obierit. Ex actis autem Senatus videtur ad extremum anni 1398. *Cæsenam* reversus *Malatesta* ejus Princeps, & tum forte agnovit adulterium Uxoris suæ *Ringardæ*, quæ in ejus absentia cœlibatus impatiens duobus se Nobilibus Civibus (alter *Albericus Casinus* dicitur fuisse) admiscuit. Adulteros ut tacita morte necaret, in Turris fundum retrusos *Cæsenæ*, aut *Bertinorii*, (utrunque dicitur) fame peremit. Uxorem cum famula conscia, ac socia delicti *Imolam* ad *Bertrandum Alidosium* Patrem amandavit, qui re, & ipse cognita veneno utranque extinxit. *Clementinus* tamen post annum secularem, & agnitionem adulterii, & pœnam reponere videtur, nec absque

A multa probabilitate. Forte hoc tempore *Malatesta* cepit suspectos habere cives aliquos ne ad libertatem aspirarent, & forte *Palacini*, & *Adulfi* aliqua indicia aversæ ab eo statu voluntatis erumpere siverant, quæ postea anno 1400. prodiere. Adversus ejusmodi periculum illud sane Principem juvisset, quod in Senatu proposuit anno eodem 1398. die vigesima octava Decembris *Joannes Balducius*. Restringi scilicet Senatum à numero septuagesimo secundo, ad quadragesimum octavum: Antianosque ex duodenario numero ad octonarium. Tum enim minor numerus obsequentior Principi fuisset, tum coarctato numero
B suspectiores Principi cives leniter excidissent, viginti quattuor enim necesse fuisset removere, inter quos variis obtentibus fuissent minus Principi grati. At cives non sunt *Balducio*, scilicet Principi occulte indigetanti assensi. Favere solum undecim suffragia; triginta octo repugnavere. Anno mox 1399. nova belli materies in *Flaminia* Anno 1399.
emersit, *Bononiensis* Reipublicæ milites *Joannem* Comitem *Barbiani*, cum duobus filiis captivum fecere. Militabant illi adversus *Bononiam*, quæ statim captos capite multavit, ex qua morte iratus *Albericus Joannis* Patruelis, qui *Mediolani* Ducis copiarum Imperator erat, petita à Duce ve-
C nia adversus *Bononiam* injuriam ulturus venit, in- 702
deque multa est excitata perturbatio. Interim novus quidam pietatis fervor per *Italos* animos vagatus est. Immo in hybernia usque nonnulli ejus ponunt originem. Populi utriusque sexus candidis linteaminibus induti bini post elatum Crucifixum incedebant pias preces fundentes, interdum hymnos concinnentes. At decet rem insignis pietatis verbis Sanctissimi Viri Beati Antonini describere. Titulo 22. cap. 3. §. 1.
Per hæc ipsa (inquit) *tempora Anni* 1399. *mirabilis factus est Populorum motus. Omnis quippe multitudo vestes exteriores induit albas lineas tamen us-*
D *que ad pedes protentas, cum caputiis admodum capparum Religiosorum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis. Omnes Mares, & Fœminæ, Laici, & Clerici, Religiosi cujuscunque Ordinis; grandes, & parvuli similibus vestibus hujusmodi incedebant; Monialibus, & reclusis exceptis, quibus non licebat claustra exire. Incredibilique devotionis ardore longa horum dealbatorum agmina ad vicinas Urbes commeabant, processionaliter bini pergentes. Pacem, & misericordiam supplici clamore sæpe clamantia, ac Laudes, & Hymnos in vulgari, vel latino sermone decantantia: præcipue sequentiam illam, quam dicunt Gregorium edidisse.* Stabat Mater dolorosa, juxta Crucem
E lachrymosa, dum pendebat filius. *Cum versibus sequentibus. Prorsus miranda res, & quasi incredibile negotium, nisi oculis nostris vidissemus. Peregrinatio ista ordinaria erat novem, vel decem dierum jejunantibus, qui poterant illis diebus, & aliquibus in pane, & aqua. Accessus vero in aliena Oppida etiam parum antea pacatorum liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere temptavit nemo Advenarum oppressus. Tacitæ cum Hostibus induciæ fuere. Innumeræ paces ex mortiferis, & diuturnis inimicitiis in diversis locis confectæ sunt. Confessiones, & communiones frequentatæ, cumque proficiscerentur Populi in alienas Urbes, & alii in suas adven-*
F *tarent mira hospitalitas ubique & benigna susceptio. A Communitatibus providebatur de victu etiam millibus hominibus absque pretio. Duravit hic motus per duos, vel tres Menses ad plus. Unde autem hoc initium habuerit obscurum: Dei opus negari non potest, & alii quidem dixere ex Hispania hoc habuis-* 703
se exordium, alii in Scotia, alii in Anglia, nonnulli ex Francia. De modo etiam dicebatur apparuisse Beatam Mariam Virginem cuidam Rustico, & revelasse ei, Filium suum contra Mundum propter scelera

ra ejus valde turbatum: unde ad reconciliandum illum, & placandum illud observandum. Nihil tamen certi de hoc habitum est. Primi omnium Lucenses fuere viri, & mulieres induti hujusmodi albis numero circa tria millia, qui Florentiam advenerunt Nobiles, & ignobiles; viri præcedebant, postea sequebantur mulieres, ut dictum est faciebus velatis Domino decantantes, quibus de victu provisum est à Communitate, & ad Lucenses prius devenerant Januenses talibus induti, cum eisdem ceremoniis. His conspectis tantus devotionis ardor confestim consequutus est; ut etiam, qui ante rem auditam deriserant, primi omnium suorum Civium vestes similes sumerent, & quasi à Deo correpti motu simili vagabantur. Advenerunt postea ex Pistorio simili habitu induti quattuor millia, post hos ex Prato. Decretum fuit Florentiæ, ut diebus novem processionaliter pergerent per Civitatem, vel extra prope ad diversas Ecclesias laici ordinati per sua quarteria cum Signo suo, viri primo bini cum Clericis, & Religiosis albis lineis induti, quos sequebatur Episcopus Civitatis etiam linteis coopertus. Nec aliquis ex tali habitu erubescebat, sed Milites, Doctores, Mercatores, Sapientes, & insipientes; sequentibus etiam Mulieribus, Senibus, cum Junioribus, cum canticis, & laudibus. Circa finem Augusti hoc inchoatum est Florentiæ, & de mane quidem omnes simul, post prandium vero dividebantur in plures Societates, euntes extra Civitatem ad diversa loca devotionis, ut Fesulas, Miniatem, & hujusmodi. Deferebatur vero ab omnibus Societatibus imago Crucifixi sculpta, vel saltem picta in ante pro vexillo. Post dies novem convenerunt in simul plures Mares, & fœminæ, constituendo diversas Societates ad proficiscendum longius per diversa loca Territorii Florentini, aliquæ Aretium, aliæ ad S. Crucem Vallis Arni inferioris; aliæ alio. Quocunque autem perveniebant Albatorum agmina eorum Locorum Incolæ simili exemplo movebantur. Et ita ex Gallia in Etruriam, ex Etruria in Umbriam, ex Umbria in Sabinos, Picentes, & Marsos, cæterasque subinde gentes progressa commotio ad extremas Italiæ oras pervenit, nonnullos in Populos non pervagata. Ex his Divina clementia quandam præparationem hominibus procuravit ad mortem eis propinquam. Multi enim, & magni, & obdurati peccatores conversi sunt, tunc ad pœnitentiam, quos Deus ad se vocavit Anno sequenti peste crassante, &c. Hæc *D. Antoninus* in *Flaminiam* etiam hæc pia commotio pervasit. *Clementinus Ariminum* pervenisse scribit, eamque idcirco Civitatem excitatam multa pietatis opera, ac signa usurpatis iisdem albis vestibus edidisse: facile *Cæsenates* illuc prius iverunt, at *Cæsenam* prius ejusmodi albati homines facile è *Forolivio* venerunt. Id monimenta quædam nostra narrant dicendo multos peregre *Cæsenam* profectos lineis vestibus, albisque indutos pone Crucifixi imaginem cantantes. Non solebant enim facile ejusmodi linteatæ Sodalitates ultra proximas Civitates proficisci. *Cæsenates Ariminum* (arbitror) adeundo per *Saviniani*, & S. *Archangeli* Oppida transierunt, inde ex iis duobus Locis, & ex *Veruculo* quoque ad quinque usque Dealbatorum, ac Dealbatarum millia *Cæsenam* venere. At peracta prius vindemia ad diem decimam quartam Octobris. Accommodatissima hæc præparatio fuit ad Jubilæum anni secularis, cujus mox ingressus in pervigilio Sanctissimæ Christi Nativitatis anni ejusdem 1399. imminebat, celebrandum, ejusque ope omnimodæ expiationis beneficium accipiendum.

704 (in margin beside "Picentes")

Clementin. in vita Caroli. (margin note)

Anno 1400. (margin note)

Decimi quarti jam Seculi postremus advenit annus *Cæsenæ* pariter infaustus, ut à reliqua Seculi periodo clausula non dissenserit. Pestem, eamque ingentem experta est: Nobilissimarum Familiarum expulsionem vidit, & *Urbanorum* ædificiorum diffusam late eversionem toleravit. Anno igitur dicto millesimo quadringentesimo die decima Martii pestis *Cæsenæ* incepit. Utrum aliunde per contagium invecta, an Cæli inclementia, quæ magnas Regiones eodem morbo infecit, ibi nata; non scribitur. Pestis ea sane per universum diffusa est, & tertiam mortalium partem ab ea fuisse assumptam, sunt qui scribant. Nostra monimenta magnam fuisse, & cum Martio inceperit, æstate postea sævisse asserunt. 705
Fuisseque eam ingentem illud est argumento, quod nunc quoque cum ingentem pestem, vel ingens malum aliquod significare volumus Albatorum (vulgo *Blancorum*) pesti assimilamus. Tempestatem scilicet eam significando, qua populi albis vestibus induti processere, quæ cum succedente peste ferme connexa fuit. Afflictam mortibus, ac funestam gentem anni illius sanctitas; parata peccatorum nedum remissio; sed omnis reatus, adeoque pœnæ omnis sublatio bona spe implebat, non sine tamen sensuum pugna, qui præsentibus præsertim bonis, ac malis capiuntur. Suorum morbi, & mortes frequentes (morbi autem ejusmodi, ut neque alienis tribui, neque suis quicquam opis sperari posset) homines affligebat verum neque temporis illius pietas, neque funestæ luis terror, ac vastitas animos ab odiis vindicaverunt, & Civitatem à Civilibus turbis redemere. Erant inter primores Familias *Adulfi*, & *Palacini* iique *Ghibellinæ* factionis, vel ergo antiquæ libertatis avidi, vel factionis, depressæ studio aversabantur Principem gravem, & munia omnia ad se trahentem nec non contrariæ factionis assertorem: vel Princeps ipse, cui suspecti ob clientelas, & Imperialis olim partis professionem, apertumque studium erant, plus justo opprimebat, præcipue post *Joannis Palacini*, cum *Astorgio* tentamentum. Utra ergo fuerit causa, quæ ipsos commoverit Pontificem adiere, & multa *Malatestæ* objecerunt, ob quæ à beneficiario jure Civitatis ex capite delicti is exciderit. Ad Sanctissimos ergo pedes provoluti Pontificem humillime deprecati sunt, ut integrum imperium resumeret, Populumque sibi devotissimum à tyrannide gravi liberaret. At Pontifex, qui cura propinquarum ditionum *Romæ*, *Viterbi*, *Perusiæ*, & proximarum ejusmodi sollicitabatur, nec spes tum suas longe adeo extendebat, & (quod caput erat) *Malatestiorum* ope, & opere egebat, & utebatur, rejecit preces: quo facto Oratores, ac eorum bona iracundiæ accusati Principis, ceu victimas piaculares condonavit. Rejecti Oratores longum vale patriæ dixerunt, nec se potestati *Malatestæ* permisere. Is autem eorum dicta, & facta rebellionem interpretatus, ut perduelles proscripsit, bona cepit, & ædes evertit. *Adulforum* Domus erat, quæ in via *Cerviensi* adhuc 706
est in angulo qua ad D. *Zenonis* flectitur. Fuit olim *Montefeltriorum* postremusque eorum *Guido Antonius* Comes possedit, *Christophoro* deinceps *Manzonio* militi aurato vendidit, nunc *Ghiniorum* Familia obtinet, quorum *Joannes Ghinius* Cameræ *Romanæ* Commissarius *Cæsenæ* Civis, ac singulare ornamentum. *Palacinorum* autem ædes pars fuere ampli nunc ædificii, quod proximis annis splendide construxit *Scipio Nasica Fantaguzzius Falcini* Comes, interque primarios Cives merito collocandus. Sed neque hic constitit Domorum in Civitate demolitio. Erat Suburbium Civitati annexum ad D. *Petri*, quod *Florentiolam* dicebant, & populosum, hoc universum everti jussit *Malatesta*, eversumque est. Nunc quoque situs, *Florentiolæ* nomen retinet: cur autem jusserit tot ædium demolitionem in Urbe præ Populo angusta in nostrate manu scriptum incidi, quod id adscribit nimio incolarum erga

Ordelafos amori, sed forte dictum hoc insubidum, ad solidum hunc sensum duci potest. In factionis *Ghibellinæ* tumore potius, quam tumulto, ex quo *Palacinorum*, & *Adulforum* proscriptio processit Suburbani *Florentiolæ* præse tulere ejusdem factionis studium, quod non nisi cum propensione voluntatum in *Ordelafos* esse poterat *Ghibellinæ* partis in *Flaminia* choragos; quique forsan *Palacinos*, & *Adulfos* ad insurgendum occultis suasionibus inflammaverant; & opis oblatione animaverant. Unde pro dominatus zelotypia, quæ acerrima est *Malatesta* populares eos excisis habitationibus dispersit. Hic fuit labente seculo decimo quarto *Cæsenæ* status. *Malatesta* olim *Andreas* dictus, Princeps, validus manu, & consilio Pontificique acceptus, & eodem anno ditione auctus. Pestis enim *Galeotum* minorem fratrem in Castro *Montis Bodii* absumpserat, ex cujus morte *Malatestæ Cervia* accessit, cum *Veruculo*, aliisque Castris. Reliqua inter *Carolum*, & *Pandulfum* divisa. Reliqua *Flaminia* inter *Ordelafos*, *Manfredos*, *Alidosios*, *Polentanos* dispertita. *Ordelafo Cecco Forolivium*; *Astorgio Manfredo Fa-*
707 *ventia*; *Bertrando Alidosio Imola*; *Oppizoni*, & *Aldobrandino* fratribus *Polentanis Ravenna* parebant. *Bononia* à *Joanne Bentivolo* occupata timebat arma imminentis jam voto, & conatu *Joannis Galeatii Mediolanensis* Ducis, ac *Italiæ* Imperio aspirantis. Pontifex vero erat *Bonifacius Nonus*, is que erat Pontificatus ejus annus undecimus. Pseudopontifex *Avenione* residebat *Benedictus Clementi* à sequacibus Cardinalibus anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto subrogatus. Annus hic idem sæcularis duos Imperatores vidit *Vincislaum* prius usque ad diem Augusti vigesimum quo die exautoratus à Principibus, ut imperio ineptus est; die vero decima Septembris successorem *Rubertum Bavarum* iidem Principes constituere.

708 REMEMORATIO

QUORUNDAM OMISSORUM.

Aliqua seposui præsertim Sacra, quæ merito seorsum legi debebant. Translatio huc ab Urbe D. *Gregorii* Manus, quod admirandum Dei beneficium non sine miraculo successit. D. *Rocchi* in hac Civitate in qua aliquot diebus est commoratus, beneficia. Aliquorum etiam *Cæsenatum* qui præcessere insignium pietate hominum commemoratio hucusque dimissa, est reponenda. Quod etiam de F. *Michaeli* antea subjunctum iri proposui, est nunc subjungendum, & cætera. Jam sub Anno 1352. ex Chronico nostro dixi Manum Sacram D. *Gregorii* in Ecclesiam Majorem asportatam à *Guillelmo* Episcopo. At aliud est manuscriptum, quod *Lucio* Episcopo id tribuit, & rem totam quomodo Manus *Romæ* subtracta, quomodo huc delata, & quomodo hic reperta narrat. Erat vero monimentum ejusmodi apud *Petrum Antonium* quondam *Matthæi Bastardii* Notarii *Cæsenatis*. Repono cum Rubrica singula.

Qualiter Manus B. Gregorii Doctoris Ecclesiæ Cathoclicæ ad Urbem Cæsenæ pervenit sequitur feliciter.

In diebus illis dum ab ortu Christi Dei, & Domini Nostri mille trecentorum septuaginta quinque Annorum laberentur curricula, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Cathedram Urbanus *Papa Quintus digne teneret, ac regeret, Vir quidam devotus nomine* Amsilius *de partibus Occidentis de loco cui . . . . peregrinationis desiderio contigit Almam Urbem adire ad visitandum Summi Apostolorum Principis limina,*

A *& cætera præfatæ Almæ Urbis loca Sancta, & in hoc Sancto proposito tota observantia jejuniis perseverans, & orationibus visitando sepulturas Martyrum, & Sanctorum corpora sollicite perquirendo, modo ad unam, modo ad aliam pergebat Ecclesiam, indulgentiasque earum sollicite perquirendo. Factum est autem, ut die quadam perveniret ad Ecclesiam Monachorum, quam B.* Gregorius Magnus *Ecclesiæ Doctor maximus olim intra paternas Domos ad-* 709
huc vivens construxerat; & die eadem Stationis gratia, & B. Ejusdem Gregorii *Festivitatis Clerus, & Romanus Populus devotionis affectu ad ipsam eandem*
B *Ecclesiam solito uberius conflueret. Is autem vir Catholicus (ut ipse asserebat) fuit in eadem donec Divina complerentur, & multitudo Populi jam cessaverat. Ecclesia vero propter Festivitatem Sancti præter solitum ornata existebat, & super altare majus quoddam Tabernaculum de argento aureo velo coopertum habebatur, in quo Manus læva ejusdem B.* Gregorii *reverenter observabatur, & obsequebatur, quam infra Missarum solemnia quidam Episcopus in Pontificalibus celebrans universo Populo assistenti demonstravit: tanta vero hujus Viri devotionis immutatio, seu verius maligni spiritus tentatio mentem invasit, ut omnino ipsam Manum auferre, & furari, si posset, & ad propriam Patriam*
C *deferre deliberaret, & in semetipsum totum se recolligens in hoc malignitatis proposito firmiter obstinatus ruminare cæpit, & excogitare quomodo hoc facere posset, & expectans: tempore, quo omnes pariter tam Cleri, quam Populi completis Divinis repetunt propria, hic* Amsilius *in Ecclesia remansit solus, & in certo angulo fingens se orare latebat horam expectando, quæ sibi magis competens videretur. Tantum Sacrista loci incaute, dimisso Altari, super quo Tabernaculum argenteum, cum ipsa Manu erat, circa alia occupatus, tunc tenebatur, hic festino gressu ad altare accessit, & Manum ipsam clam rapuit, clamque & festinus abscessit. Sacrista vero modico*
D *facto intervallo ad altare rediens nihil motum fore comprehendit, Manum ipsam in suo loco esse credens Tabernaculum ipsum more solito absque ipsa Manu in Sacrarium Ecclesiæ reponere contigit. Vir autem ipse* Amsilius *cæpit cogitare quomodo hunc thesaurum ad propria deferre valeret; adeoque nemini alii nisi soli Deo, & sibi ipsi hoc notum fore posset, fieri jussit vasculum de ligno ex tribus fundis aptum ad bibendum; quod nostro more Butricus appellatur, quo communiter vinitores, & Agricolæ ad bibendum utuntur: itaque ex uno vinum bibere fingebat, ex altero latere Manus illa Beatissima sindone involuta conservabatur, & sic accinctus, & gaudens* Amsi-
E lius *ab Urbe terga divertit, & versus* Romandiolam *(ut ipse dicebat) iter arripuit; per quam iter* 710
faciens post dies Cæsenaticam *Civitatem tandem applicuit, ad quam priusquam deveniret febribus validis aggressus adeo ut vix applicuit Civitatem circa primam noctis horam, & juxta Portam Cerviensem appellatam, ubi tunc celebre Hospitale, cum exigua Ecclesia in honorem Beati ejusdem* Gregorii *ædificata habebatur, in quo Hospitali præfatus Vir* Amsilius *sic ægrotus fuit receptus, & per multos dies febribus quotidianis anxiatus tantum, quod nullo poterat Medicorum auxilio subveniri. Porro Prior Hospitalis vir bonus, & charitate plenus ministrari*
F *quæ opportuna, & necessaria indesinenter faciebat, & videns in dies, quod corporales medicinæ, & delicata cibaria minus ei proficerent sibi consuluit, ut confiteri, & Sacramenta Ecclesiæ assumere pro utriusque salute, & corporis, & animæ deliberaret: qui quidem annuit mente devotissima, & se facturum spopondit, & non multo facto intervallo idem Prior Religiosum Sacerdotem Dominum Dominicum Sanctæ Ecclesiæ Cæsenatis Canonicum, & almi Confessoris Geminiani Ecclesiæ tunc Rectorem ad eundem* Am-

Amsilium *ægrotum in sua sacra confessione audiendum solicite accersivit, & omnia, quæ superius de dicta venerabili Manu præmissa sunt, is* Amsilius *eidem suo Confessori revelavit, & cum lachrymis eandem Manum, adhuc in vasculo latentem sibi devote recommisit. Sed, & aliud stupore dignum, & mente labili non abolendum, hic* Amsilius *lachrymosis singultibus narravit, quod videlicet Beatus* Gregorius *non longe ab Urbe* Cæsenatica *sibi pontificali infula vestitus in somnis apparuit, & eidem minitatus est inquiens. Quoniam tantum facinus committere non horruisti, hac mea cum Manu foras* Italiam *non exibis, sed ubi te valetudo febris invadet, ibi tu cum illa remanebitis; & hæc cum dixisset, abiit. Confessor autem ob audita mente obstupuit; & quid ageret dubitabat : tamen quia vir prudentiæ erat Episcopum Civitatis sanctitatis virum, sacrique juris Pontificii Doctorem consuluit, ut quid opus esset facto, plenius erudiretur, qui his sermonibus auditis mirum in modum fuit mente suspensus, & absque prolixæ moræ intervallo facto ad ipsum ægrotum personaliter accessit; ægrotus autem præsentiam Pontificis adesse gaudebat, & reassumptis viribus men-*
711 *tis omnia, quæ dixerat prius, iterum ore proprio mente devota Episcopo recoluit, & revelavit, & manus Pontificis intra suas tenens osculabatur, & Indulgentiam commissorum, & misericordiam cum lachrymis postulabat. Episcopus autem multis sermonibus, ab eo cuncta requisivit; & blandis verbis, & amœnis exemplis est eum ad patientiam exhortatus, & Divinæ voluntatis obedientiam commotus ejus in omni precibus, & lachrymis manum super caput ejus imponens ab omnibus culpis commissis ipsum absolvit, & pro modo culpæ sibi pœnitentiam salutarem injunxit, & deinde omnia alia Sacramenta ipsi postulanti dari ordinavit: Manum vero illam Sacram adhuc in vasculo existentem portari fecit, & in Sacrario Majoris Ecclesiæ reponi, & diligenter custodiri præcepit, & hujus Sanctæ Manus devotione maxima affectus; Cophinum huic congruum ornatum auro, pictum, & suo caractere insignitum ob hujus reverentiam fieri præcepit, in quo ipsam Manum involutam velo aureo manere disposuit. Die vero tertia illucescente hora, cum transitus ipsius* Amsilii *appropinquabat, multitudine Sacerdotum, & Levitarum vallatus Sacraque unctione extrema perunctus animam suam Summo Creatori suo simul cum Clericis recommendans in dicto Hospitali diem clausit extremum. Præter hoc autem, & vix anni completo curriculo eundem* Lucium *Episcopum pro suæ Ecclesiæ opportunis, arduisque agendis* Romam *ire oportuit, & visitatis Maximo Pontifice, & sacro cœtu venerabilium Cardinalium, Sanctæque Sedis Apostolicæ Prælatis præsentibus, de quorum Collegio in præsulem Cæsenatis Ecclesiæ fuerat assumptus, completisque agendis more opportuno suæ Ecclesiæ, ut certa indagine experiretur, an verbis præfati* Amsilii *de Manu Sancti esset adhibenda fides, ad Monasterium B.* Gregorii *se transtulit, & ipsis loci vocatis patribus scilicet Reverendo Abbate, & venerabili Proposito, & Priore ejusdem; qui vocati statim venerunt, & videntes Episcopum eum mira charitate receperunt, & socialiter intrantes Ecclesiam, coram altari magno se orantes prostraverunt, completaque oratione in loco condecente pariter sederunt loquentes de Divinis Scripturis, & de Sacris Doctoribus, & maxime de B.* Gregorio *miræ Sanctitatis, & doctrinæ Viro, qui lumen fuit totius*
712 *Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, cujus inquam tempore sanctitas, & maxima devotione attraxit, & me huc charitas venire compulit, & nisi (inquit) vestra sanctitas me aliquibus suis sacris reliquiis vestris manibus benedixerit, contentus à vobis non recedam: qui Sancti viri respondentes dixerunt Episcopo. Miramur satis humilitatem tuæ prudentiæ, ut cum sit Prælatus Ecclesiæ, qui alios potes, & debes benedicere, petas à nobis benedici, qui inhabiles, & indigni sumus. De Reliquiis autem B.* Gregorii *non oportet instare, ut aliquas videas, cum aliquæ non sint à corpore ejus sequestratæ, nisi tantummodo Manus ipsius, quæ in hoc tabernaculo stare solebat, quam quidam malignus, & Dæmon infernalis latro anno de proxime completo abstulit. Dolemus autem nimium pro nobis orphanis, & pro tua charitate tuam petitionem adimplere non valentes. Episcopus autem his auditis sermonibus multas eis gratias retulit, pacisque dato sancto osculo ab eis in pace recessit. Hunc in modum Episcopus itaque bonus, & operosus Pastor sua prudentia, suoque sagaci ingenio satis fecit, nedum sibi; sed & omnibus aliis auferendo dubietatis, & incredulitatis vulnus de cordibus omnium, quæ gesta* Lucius *ipse Pontifex Cæsenatis Urbis ad perpetuam memoriam scribi, & in scrinio Episcopalis Curiæ reponi, & conservari jussit. Ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, qui omnia solus recte disponit, & gubernat in secula seculorum. Amen, & sic finit.*

Hæc narratio in aliquibus sane peccat, nam Pontifex *Urbanus Quintus* obiit anno 1370. ideoque anno 1375. non vixit, id tamen verum, fuisse ipsum *Romæ*, quo etiam rediturus, in *Galliam* abiit, licet morte præventus non redierit. Anno 1375. sedebat *Gregorius* XI. qui tamen nondum eo anno in *Italiam* venerat, & si tum *Lucius* Episcopus foret, utque aliqui dicunt ex nobilissimo *Sabelliorum* genere, fuissent duo *Lucii* Episcopi *Cæsenates* alter *Calliensis*, qui anno 1369. ex hac ad *Volateranam* Ecclesiam transiit, & *Lucius* postea *Sabellius*. Ego tamen potius adhærerem Chronici, sive Annalium nostrorum (utroque modo appellari à me jam dixi) narrationi anno scilicet 1352. Civitatem tanto thesauro ditatam. cæterum mutatis nominibus Pontificis, & Episcopi, & anno modo positam narrationem susciperem. 713

Ammira. in Historia.

De B. Rocco.

Beatum *Roccum* (erit hoc secundum omissorum) *Cæsenæ* fuisse plura nostra monimenta testantur, inter cætera vero est Icon ejus ad vivum in Ecclesia Monachorum Cælestinorum, cui hæc verba subscribuntur. *Imagine di S. Rocco Nobile Francese ritratta dal nature, mentre fu in Cæsena, e servì à gl'infermi nell' Hospital grande qui vicino, tenuta in molta veneratione, & honorata ogni Anno dal molto Illustre Magistrato nel giorno della sua Festa.* Aliud tamen monimentum aliquanto secius rem describit. Fuisse scilicet D. *Roccum Cæsenæ*, & Civitatem a magna peste solo Crucis signo liberasse: nisi forte concilientur post liberatam à peste Civitatem adhuc pro sua pietate *Cæsenæ* moratum esse, & reliquis in eo Nosocomio ægrotis inservisse. At tertius est narrationis modus, quem ad verbum exscribo. *L'Anno 1329. essendo grandissima pestilenza in Cesena, & havendo la Città fatte molte diligenze, e voti edificarono una Chiesa in honor di S. Rocco, & così (ò caso d'amiratione) cessò subito detto morbo.* Hæc narratio id veri continet, quod est Ecclesia in honorem D. *Rocchi* erecta in Civitatis suburbio, & satis pro loco magnifica. Erat etiam ex *Baronii* narratione mortuus tum *B. Rocchus*, ut Ecclesia à devoto populo extrui potuisset, eo scilicet fervore, quo non expectata Summi Pontificis declaratione multi erga hunc Beatum duci se permisere. Attamen verisimilius est Sanctum quidem hic fuisse, & aliqua in peste Civitati succurrisse, verum Ecclesiam occasione alterius, ac multo posterioris pestis decretam, & extructam fuisse post decretum Patrum Concilii *Constantiensis* anno 1414. qui Patres ex *Baronio* ad propulsandam sævientem pestem ejus imaginem solemni pompa omni comitante populo per urbem detulerunt, quo facto illa pestis mox eva-

Julianus Fangtaucius.

Baronius in Martyr. sub die 16. Augusti lit. 1.

evanuit. Inde vero exemplum dicit ſumptum eſſe, ut ubique locorum ejus Venerandæ Imagines, Altaria, Sacella, ac denique Templa erecta fuerint, neque ex publicis tabulis, neque ex Eccleſiæ, & Monaſterii monimentis tempus ædificationis conſtat hujus Eccleſiæ, quæ cum monaſterio Fratribus tertii Ordinis D. *Franciſci* tradi-
714 ta fuit, nuncque pariter ab iis retinetur.

B. Bartholomæus Cæsen. l. 7. c. 13.

Sub anno 1329. ad æternam vitam evolavit B. *Bartholomæus Cæſenas* Ordinis Servorum, de quo in Annalibus Ordinis Servorum F. Archangeli Gianii prima centuria hæc ſcribuntur ſub anno 1329. *Quemadmodum contigit B. Bartholomæo Cæſenati, qui mortalitatis onere nunc depoſito ad perennem, & tranquillam vitam evolavit: cujus profecto Sanctitatem enarrans M. Paulus Florentinus in Dialogo ita ſcribit. Hic Bartholomæus tot pro Chriſti amore labores perpeſſus eſt, ut non modo pelle, ſed nervis ſe ſe ſpoliaverit, qui ſane venit in hunc Mundum, ut ſuam Cæſenæ Patriam illuſtraret, & malorum impetus comprimeret, ut bonis ab immortali Deo merita exoraret. Hujus plerunque animum in pulpito erectum ab Angeliſque in ſinum authoris deportatum mirantur, & prædicant omnes. Hinc Sanctitatis fama orta eſt, & ad noſtræ Civitatis aures velociſſime pervenit; audit hoc Mulier ab atrociſſimo morbo cum filiis in extremo laborans ob idque cum maxima devotione Bartholomæum videre affectat, cui in ſomnis Bartholomæus in ſpiritu quodam prophetico hoc mulieris deſiderium agnoſcens apparuit; oſtende inquiens Soror propter quod tantopere doles, & ſuam illico ſibi ſanitatem reddidit.* Hæc ibi, cujus autem familiæ is fuerit non conſtat.

De B. Petro Martyre.

Præceſſerat hæc tempora integro prope ſeculo adventus *D. Petri* Martyris *Cæſenam*, qua in Civitate aliquandiu moratum eſſe teſtatur id quod pro miraculo aſſeritur paſſim, atque oſtenditur, petaſonis ſcilicet fruſtum in Eccleſia S. *Joannis* Evangeliſtæ in Murata appenſum: eſt autem communis fama, cum Monaſterium D. *Dominici* ædificaretur petaſonem eum in obſonium operarum ab homine pio datum, qui quantum detraheretur, tantundem ſubinde creſceret. Erat etiam uſque ad pueritiam meam doliolum, quod itidem repletum vino, & dono datum operis eiſdem perpetuo ſuffecit, epoto vino ſcilicet ſubinde regenerato, ejus opera, qui tantam multitudinem quinque panibus in deſerto pavit. Aſſiſtente ergo *D. Petro*, cum hæc fierent oportet *Cæſenæ* aliquantulum divertiſſe, ubi etiam magna cum animarum utilitate non ſemel concionatum legimus.

715 Ante Sanctorum *Dominici*, ac *Franciſci* adventum in *Italia*, Cacodæmon in Eccleſiæ campo inter Catholicorum frumentum hæreſium zizania ſparſerat, ac ſeverat in *Florentina* Hiſtoria *Joannes Villanius* teſtatur, *Cæſenæ* quoque aliqua ſe labes immiſcuerat potior ſane, ac maxima Civium pars ſanam fidem profitebatur Divumque *Petrum*, & venientem magno honore excipiebat, & honeſtiſſimo comitatu abeuntem inſequebatur, & conſciones ejus magno concurſu, & eximia pietate audiebat, non defuere tamen impii aliqui adoleſcentes, qui ſenſuum voluptatibus mancipati in intellectus etiam tenebras inciderunt. Hi Divinum Oratorem jactu lapillorum diſturbare ſuadente Satana auſi ſunt. In hos *Petrus* zelo *Heliſei* correptus imprecationis fulmen contorſit, & miſere cum Domo impietatis eorum ſede conciderunt.

De Petro Calice.

Poſt *Petrum* hunc Sanctum memoretur *Petrus Sacer*, ſcilicet *Petrus Calice*, ſeu *Calicius Cæſenas Raguſii* ſive *Epidauri* Dalmatarum Archiepiſcopus. Sedit ea in Urbe præclarus is vir, & Patriæ ſuæ memorandus Alumnus, ac Civis anno 1375. & ſequentibus; dicitur autem in eandem Civitatem tranſlata *Caliciorum* Familia, quæ certe hic defecit, ſive illuc profecta, ſive in proximo *Britonum* excidio ſublata.

Reſtat F. *Michaelis*, *Michelini*ve promiſſam olim vitam hic collocare: deteſtatus ſum antea hominis ſuperbiam, qualis ſcilicet in facie Eccleſiæ apparuit a qua idcirco turpi nota hæreſis damnatus fuit. Verum quoniam ejus pænitentia, qua poſtremo temeritatem, ac pertinaciam ſuam deflevit, a viris tamen piis, editis etiam operibus aſſeritur, ut in Annalibus Minorum a *Wadingo* ex quibus Magiſter *Bernardinus Manzonius* cujus alias memini *Michaelis* ſucceſſum deſcripſit. Ego libens totam viri narrationem appoſui, ut quibus ſcandalo eſt damnata ejus ſuperbia, iidem ex ejus pœnitentia ad venerationem ſcitorum Pontificiorum, ac obedientiam commoveantur.

Direct. Inquisit. p. 2. q. 9.

Quæ de Michaele Cæſenate 17. Franciſcani Ordinis 716
Miniſtro Generali ex Annalibus Minor. Luc. Wading. ex lib. Secr. Anni 3. Pont. Clem. Sex. Ep. 58. ex Act. Cap. Neapolitani celeb. Ann. 1316. ex Arch. Piſano: ex Regeſt. Vaticano in Secret. Ann. 11. & 12. Pont. Joann. 22. fol. 201. 237. & ſeqq. & ex Chron. Saxon. excepta ſunt à Bernardino Manzonio Cæſenate Inquiſitore Piſano.

Anno Domini 1316. Pontificatus *Joannis* XXII. Anno Religionis Minorum anno 109. pridie Kal. Junii in Sabbato Pentecoſtes Fratres Minores induxerunt Comitia generalia *Neapoli*. Plurimi defuerunt ex electoribus. Adfuerunt quinquaginta duo dumtaxat, ex quibus in primo ſcrutinio 28. ſuis ſuffragiis Fratrem *Michaelem* de *Cæſena* Provinciæ *Bononiæ* Alumnum Sac. Theologiæ Magiſtrum, licet abſentem elegerunt. Per literas electionis de ſe factæ admonitus venit *Aſſiſium*, ibi ſtatutum fuit, ut conſtitutiones Ordinis recognoſcerentur. Relicto *Aſſiſio* Generalis Miniſter abiit *Cæſenam*, deinde *Bononiam*, poſtmodum ex Monaſterio Confortini ſcripſit ad univerſos Fratres Epiſtolam, quæ incipit. *Gravi qua premor ſarcina officii mei*, &c. datum die 21. Auguſti, in qua jubet Ordinis abuſus abſcindi, & magno Regularis obſervantiæ zelo plurima præſcripſit.

Eligitur Generalis Michael Cæſenas.

Eminebat doctrina *Michael* ipſe *Cæſenas* Generalis Miniſter; fuitque Magiſter *Pariſienſis*, qui cum in Sacros Codices, tum in Magiſtrum Sententiarum plura ſcripſit.

Anno 1319. indixit Comitia Generalia *Maſſiliæ* celebranda, quo ipſe pervenit, licet gravi preſſus infirmitate, ſtatuit in his Comitiis ut Feſtum S. *Ludovici* Epiſcopi ſub ritu dup. celebraretur in toto Ordine. Elegit in Socium, & Aſſiſtentem ſuum Beatum *Matthæum* de *Faventia*.

Anno 1322. celebravit Capitulum generale *Peruſii*; ad ipſum *Michaelem* Generalem, & cæteros in Sac. Theologiæ Magiſtros, ſcribendum duxerunt aliqui Cardinales circa controverſiam illam de paupertate Chriſti anno ſuperiori inter Prædicatores, & Minores ortam, & ſuavi tempe- 717
ramento ſopitam, hoc vero anno iterum quorumdam ſuggeſtione excitatam, propoſuit itaque Pontifex diſcutiendam hanc propoſitionem, utrum ſcilicet pertinaciter affirmare Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua bona in ſpeciali, & in communi foret hæreticum. Jubetque Pontifex examinari ſenſum decretalis exiit, &c.

Controverſia de paupertate Xpi.

Michael Cæſenas, & conſcripti Patres Theologi Minorum receptis Cardinalium literis, quibus hortabantur, & inſtanter urgebant, ut *Nic.* III. declarationem, & verba defenderent, præmiſſa longa

longa disputatione per Epistolam, quæ incipit. *Universis Christi Fidelibus*, &c. *Frater Michael Cæsenas Ord. Min. Generalis Minister Gulielmus Angliæ Henricus Superioris Germaniæ, &c. apud Perusium congregati in Capitulo Generali salutem, & pacem in Domino sempiternam. Novericis, quid nos anno Domini* 1322. *id. quinta prid. Non. Junii audita, & intellecta quæstione.* Responderunt concludendo non esse hæreticum, sed sanum, & catholicum, & fidele dicere, & asserere D. Jesum Christum, & Apostolos, &c. ut sup. &c.

Statuitque Generalis ipse Minister, ut omni quo liceret modo sententia hæc ubique defenderetur, atque ut in Curia Pontificia etiamque coram responderet, & causas urgeret, peculiarem dedit F. *Bonagratiæ Bergomati* curam, ut totius Ordinis nomine procuratorio *Avinione* resideret, & objectis satisfaceret adversariorum, &c.

Ægre tulit hoc Pontifex, & quod multi ex Fratribus publice, & ex nostris sententiam suam nimis animose commendarent, & importune inculcarent. Edidit propterea constitutionem, quæ incipit. *Ad conditorem Canonum, &c.* In magnum Religionis *Franciscanæ* detrimentum. *Bonagratia* Procurator Ordinis appellat de Constit. Pont. ann. 1323. Moleste fert Pont. impugnari suas constitutiones, quas altera confirmat prolixiori.

Anno 1325. celebrat *Michael Cæsenas Lugduni* Comitia generalia. *Gerardus Oddonis* Pontificis familiaris volebat, quod abraderetur à Regula quam
718 ceptum de non recipienda pecunia per se, vel per interpositam personam, sed intactam, *Cæsenas* voluit normam vivendi à Serafico Institutore præscriptam.

Anno 1327. degebat *Michael Cæsenas* in *Italia* in partibus *Romandiolæ*, Pontifici delatum eumdem è querulo sub murmure, & aliquando apertius invectum contra decretalem: cum inter nonnullos, &c. & alias ab ipso Pontifice editas, nec non Imperatoriis in odium *Joannis* favisse; ideo vocatur *Avenionem* per literas, quæ incipiunt. *Michaeli Cæsenati Ministro Generali Ord. Minor. Cum pro certis, &c.*

Epistola hæc tradita fuit *Michaeli Tibure* ex infirmitate decumbenti, recuperata valetudine Kal. Decembris *Avenionem* pervenit. Pontificis osculatus pedes, die sequenti benigne, & curialiter exceptus est, sed detinetur in Curia.

Interim anno 1328. alterno scelere in Urbe se invicem coronant *Ludovicus Bavarus*, & Fr. *Petrus* de *Corbario* Minorita Antipapa. Hoc eodem anno Sabbato in Albis die 10. Aprilis *Joann.* Pontifex aspere increpat *Michaelem* Generalem præsentibus Cardinalibus, de *Turre*, & *Raimondo* de *Lados*, Procuratore Ordinis, & aliis ipsumque Capitosum dixit, temerarium, insanum, *Ludovici Bavari*, & hæreticorum fautorem, serpentem in sinu Ecclesiæ nutritum, & adhuc pertinacem in condemnata sententia de paupertate Christi, & jubet ne à Curia discedat sub pœna privationis officii, & excommunicationis, &c.

Michael inreverenter respondet Pontifici decisionem *Perusinam* asserit per omnia catholicam. Pontifex magis commotus magna repulit indignatione, plura objicientem, & singula audaciter refellentem, jubet examinari dicta, & facta *Michaelis* graviori volens judicio ipsum tamque hæreticum puniri.

Temere ipse *Michael Cæsenas* porrecto libello, qui incipiebat. *Ego Fr. Michael attendens, quod Sacri Evangelii, &c.* appellavit à sententia Pontificis. Gravius in se commovit Pontificem, un-
719 de non permittitur accedere ad Comitia generalia *Bononiæ* sed detinetur in Curia, sed Pontifex de-
A putavit Commissarium Capituli *Bertrandum* Cardinalem *Ostiensem* Legatum *Flaminiæ*, qui Cardinalis in Comitiis visus est voluisse ex Pontificis suggestione, ut *Michaele* e gradu deposito alius Generalis eligeretur, sed electores in officio confirmarunt *Michaelem Cæsenatem* in Generalem Ministrum die 22. Maji 1328. dicentes sibi nullam subesse causam legitimam, ut ipsum à Præfectura dejicerent.

Mox conscripsere Patres Capitulares eidem *Michaeli* Generali Ministro denuo electo; confirmationis, seu electionis decreta submiserunt, ejusque
B arbitrio commiserunt designandum locum, in quo celebrarent Capitulum Generale proximum 1331.

Sed antequam literæ pervenirent, *Michael Avenione* recessit die Jovis 25. Maji sub vespertinum crepusculum, fugitque à facie Pontificis simul cum *Gulielmo Ocham*, & *Bonagratia Bergomate.* Revocat Pontifex *Michaelem*, sed frustra jam obcœcatus in sua inobedientia solvit, & brevi *Pisas* ad Imperatorem accessit. Paulo post fugam pervenerunt Fratres *Avenionem*, qui decreta relectionis *Michaelis* factæ in Capitulo *Bononiens.* portabant, quod ut Pontifex intellexit vehementer ira-
C scens decreta conscidit, & *Michaelem* censuris innodatum 8. Idus Maji Generalatus dignitate privare voluit, & Generalem *Bertrandum* de *Turre* Episcopum Cardinalem Minoritam administratorem Ordinis Idib. Junii auctoritate Apostolica (privato *Michaele*) instituit.

Audiens autem *Cæsenas* hæc *Pisis* die 18. Julii appellavit solemniter à gravaminibus *Joannis* ad Ecclesiam Catholicam & futurum Concilium.

Hærebant *Michaeli*, & præsentes assistebant *Ochamus*, *Bergomensis*, & alii Patres insigniores Ordinis, & inter cæteros Magister *Beringarius Bochusis Pisanus*, quem postea in gratiam *Michae-*
D *lis* Pseudo Episcopum *Januensem* creavit *Corbarius* Antipapa; sequebatur etiam *Michaelem Henricus* de *Halem Marsilius Patavinus*, *Franciscus* de 720
Asculo, & *Joannes Jandunus.* Perstitit *Michael* in sua contumacia, & multa scripsit ad Fratres, ad Principes, & ad universos Fideles in suam defensionem. Bis appellavit *Avenione*, ter *Pisis*, quater Monachi à *Joannis* decretalibus, & gravaminibus.

Joannes vero Pontifex 4. Kal. Septembris 1329. Pontificatus 14. contra eum scripsit libellum incipientem. *Quia vir reprobus Michael de Cæsena, &c.* Et *Michael* alium scripsit ad universos
E Fideles, cujus initium est. *Ad perpetuam rei memoriam innotescat, quid Ego Fr. Michael de Cæsena, &c.* Ad singula *Joannis* objecta respondens, & multa audet in Religione statuere, & Officiales publicos deputare. Confirmat hoc anno 1329. in Vicarium Generalem Fratrem *Azolinum Cæsenatem* Magistrum in Theologiam suum ex Fratre Nepotem, quem antequam à præfectura Generalatus deponeretur anno elapso instituerat Vicarium Generalem in partibus *Lombardiæ*.

Mag. Azolinus, Mag. Amissinus Cæs. Min. de quib. Wading. T. 3. Annal. sub anno 1329.

Huic *Azolino* adhæserunt Magister Fr. *Amissinus* de *Cæsena*, & alii Fratres præcipue ex Provincia *Bononiæ*: & Fratres ejusdem Ordinis ne-
F sciebant cui potius obedire deberent, an *Bertrando* Cardinali, an *Michaeli Cæsenati.*

Erat compassione dignum videre homines tam doctos in hasce abiisse miserias. Non abierunt post suas concupiscentias, nec mundi, aut carnis agitabantur illecebris, sed nimio zelo sui instituti, & insipiente affectu paupertatis, quam profitebantur zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam. Suum judicium prætulerunt interpretationi, & diffinitioni Pontificis ad quem, uti spectat Canones condere, ita & interpretari.

Erat

Verlu Wading. ſub anno 1329. n. 21.

Erat autem *Michael Cæſenas* propter eminentem doctrinam, & vitam exemplarem notus, & dilectus optimis quibuſcunque & Regibus, ut enim audierunt ab officio Generalatus depoſitum, miſſis Nunciis, & literis ejus perſonam, Ordinemque univerſum commendarunt Pontifici. *Philippus* Rex, & *Joanna* Regina *Franciæ*; *Alphonſus* Rex *Aragonæ*, *Jacobus* Rex *Majoricæ*, *Rubertus* &
721 *Sancia* Reges *Siciliæ*, Rex, & Regina *Angliæ*, & alii plures ad quos data reſponſa leguntur in regiſtro Vaticano in Secret. anni 11. & 12. fol. 201. 237. & ſeq.

Tandem *Gerardo* Ordinis electo in Generalem Miniſtrum Ordinis terminatur controverſia de paupertate Chriſti, & fit in Ordine tranquillitas magna. *Michael* tamen *Cæſenas* per annos 27. continuos a die videlicet ſuæ electionis uſque ad mortem; nomen ſibi Miniſtri Generalis arrogavit, omnibus ſe oppoſuit, & Summo Pontifici ad mortem uſque reſtitit pertinaciter pro conſervanda in Ordine paupertate, quam indigne putabat offendi, & dignitates omnes, quas ſperare poterat contempſit, & quæ poſſederat amiſit, ut Regulæ dignitatem tueretur, & uſque ad ultimum audet, & in Ordine varia ſtatuere. Tandem *Monachii* in *Bavaria* gravi preſſus infirmitate explicatoque ſub mortem dolore, quod Pontificis decretis reſtiterit, quod *Clementi* non ſe ſubmiſerit, quod Generalis Miniſtri nomen, & auctoritatem tanto tempore ſibi uſurpaverit, quantumvis fuerit legitime ab officio depoſitus anno 1329. plenis Comitiis præcepit Magiſtro *Gulielmo Ochamo*, ut antiquum Ordinis Sigillum, quod

A penes ſe tanto tempore retinuerat, ad verum, & legitimum Generalem Miniſtrum remitteret: & ſic pœnitens ipſe Frater *Michael Cæſenas* poſt tot annorum pervicaciam obiit in vigilia S. *Andreæ* Apoſtoli Anno Domini M.CCCXXXXIII. ut habetur in *Chronica Saxon. citat.* à Wading. *Tom. 3. Annalium Minor. Filmiſi* 512. ſub Anno M. CCCXLIII. numero tertio decimo ſub his verbis:

Obiit hoc Anno Monachii in vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli Magiſter Michael de Cæſena poſt tot Annorum pervicaciam, tandem pænitens, & pertæſus, &c.

Et in margine notatur ſic.

Moritur Frater Michael Cæſenas pænitens.

B Mortuo *Michaele Cæſenate*, uti diximus anno 1343. explicatoque ſub mortem dolore ad ejus 722
exemplum reſipuit Fr. *Franciſcus Aſculanus*, cujus doctrina, & auctoritate fuerat ſeductus, venit *Avenionem*, & præmiſſa coram *Clemente Sexto* Pontifice retractatione benigne, & humaniter reſtitutus eſt in priſtinum gradum, & Pontifex exemplar miſit ad Generalem Miniſtrum, ut ſi qui alii *Cæſenatis* defuncti Sectatores ſupereſſent, & admitti vellent ad fidei profeſſionem coram ipſo, permitterentur, & abſoluti ad ſedem Apoſtolicam remitterentur. Hæc ex *Lib. Sec. An.* 3. *Epiſt.* 58.

Ochamus anno 1349. remiſit antiquum Ordinis Sigillum, quod penes *Cæſenatem* erat, ad *Gulielmum Farinerium* Generalem Miniſtrum, & ipſe ſui errati veniam petiit. Hæc ex Annalibus Lucæ Wading *Tom.* 111. *Annal. Minorum*; conſcripta ſunt anno 1639. per me.

Fr. Bernardinus Manzon. Inq. Piſ.

FINIS XV. LIBRI.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

723 Contractior erit ſequentium narratio: forſan materies id poſcit: at certe eſt meis impedimentis condonandum. Compenſabitur mea brevitas ab uberiore ſtylo viri ingenio, & tempore præ mea longævitate abundantis. *Malateſta Cæſenæ* Princeps Principatum cum vita ad annum milleſimum quadringenteſimum ſextum decimum perduxit. Interim hæc Domi, & foris geſſit. Domi quidem Plateæ majoris complanationem. Occaſio fuit ſecundum Matrimonium, quod cum *Lucretia Ordelafa Cecchi* filia contraxit. Ad Nuptiarum celebritatem ſimulachrum belli, quod *Tornæum* vocant indixit, magnaque pompa celebravit; ob idque tumulus plateæ complanatus, totaque æquata. Eccleſia Major D. *Joanni Baptiſtæ* in *Paræcia Crucis* Marmoris dicata, fuit hujus pecunia ſub *Gregorio Maleſardo* Epiſcopo, qui *Jacobo* ſucceſſit anno 1405.
724 ad faſtigium potius educta, quam ut nonnulli ſcribunt, inchoata; nam ſub Epiſcopo *Jacobo* exordium habuiſſe, vel etiam ante notavimus. Pons quoque *Sapis* lapideus (erat antea ligneus) *Malateſtæ* juſſu conſtrui cæpit; priorque Pila facta ex aſſignata operi hæreditate *Andreæ* è *Bagnara*. Exornandam præterea Civitatem curavit, ſed etiam excavatione *Rivorum* præſertim *Circlæ* agrum fæcundiorem reddidit. Foris multa præclara pariter egit. Anno 1402. obiit *Joannes Galeatius Mediolani* Dux, & magnam *Italiæ* partem imperio premens, cujus ditio à multis impetita multorum bellorum materiam præbuit. Princi-

C pes tamen multi magnificentiſſimum ejus funus, alii præſentia, alii miſſis Oratoribus ornarunt. *Malateſta Fredolum Fantinum* Senatorem, ac Juriſconſultum *Cæſenatem* Oratorem miſit. Pontifex mox *Bonifacius* ad ſua recuperanda animatus Cardinalem *Coſſam* ad *Bononiam*, & partem *Flaminiæ* recipiendam Legatum miſit, cui cum copiis *Malateſta* præſto fuit brevique *Bononia*, *Forolivium*, & *Faventia* recuperatæ, & hujus Princeps, palam ſecta cervice, *Aſtorgius* juſſu Legati miſerandum ſubjectis olim ſuis præbuit ſpectaculum. Poſt hæc cum *Lucretia Ordelafa* Uxor in primo puerperio interierit, aliquot poſt annis
D *Ladiſlai* Regis *Neapolitani* Sororem *Poliſenam* duxit, ad quam deducendam *Gregorium Maleſardum* Epiſcopum jam dictum ſibi cariſſimum miſit. Ob Regiam ejuſmodi affinitatem Regi deinceps *Ladiſlao* arma junxit, tum in occupanda *Roma*, tum adverſus deinceps *Bononiam*, ſed in pænam (arbitror) læſi adverſus Summum Pontificem cujus erat beneficiarius, officii, infelicem adverſus *Brachium Peruſinum* inimicitiam geſſit. Hic enim *Cæſenatem* agrum fœde vaſtavit, & *Cæſenaticum* Portum cepit, ac diripuit, cum *Malateſta* Cachexia laborans in hydropiſim tenderet, nec ideo potuerit ad *Peruſiam* liberandam evocatus illuc adverſus *Brachium* ire; *Carolus* Frater profectus
E fuit à *Bracchio* ſignis collatis magna clade victus, & captus; qui captivitatis fraternæ acerbus nuntius, cum ad *Malateſtam* morbo afflictum pervenit, victus is malis vita exceſſit anno 1416. die 725
vigeſima prima Septembris ætatis autem anno quadrageſimo tertio: quodque viri infortunium auxit

auxit *Galeotus* ejus filius biennio ante absque filiis perierat. Quattuor filiæ superstites *Malatestæ* fuere, quarum *Parisina* Marchioni *Estensi* nupta *Ugoni* privigno commista turpi nota, & morte fuit è vivis jussu mariti sublata. Ditio itaque *Cæsenæ*, & reliquorum locorum ad duos Fratres *Carolum*, & *Pandulfum* recidit, cumque *Pandulfus* in occupatis à se Civitatibus *Bergomo*, ac *Brixia* resideret, *Carolus* ex captivitate octoginta millibus aureis solutis reversus universam dominationem usque ad *Pandulfi* reditum administravit. Rediit *Pandulfus* anno 1321. quo à *Carmignola Philippi Mariæ* duce fuit ab usurpatis *Brixia* & *Bergomo* expulsus. Venit huc tribus filiis auctus, *Ruberto*, *Segimundo*, ac *Dominico* illegitimis omnibus: horum *Rubertus* natus est anno 1411. *Segismundus* 1417. *Dominicus* 1418. Occasione quoque ejus reversionis Familiæ *Brixiæ*, & finitimis in Locis conspicuæ huc Lares transtulerunt, *Isæi*, *Mori*, & *Lancettii*; primi ad *Olii* Lacum nunc *Isæi* ditionibus potiti sunt, unde cognomentum Familia duxit; *Mori* Familia *Brixiæ* clara, & *Lancettii* in tractu ad *Benacum* antiqui, & conspicui. Hi omnes inter patritias Familias *Cæsenæ* cooptati subinde semper destinatum suæ Familiæ inter Senatores locum retinuere, & retinent. Interim *Gregorio* Episcopo successerat Victor *Ariminensis* Ordinis S. *Augustini*. Hæc est nota ab erudito Naudeo missa. *Victor de Arimino Ordinis Eremitarum S. Augustini præficitur à Martino Quinto in Episcopum Cæsenatem per obitum Gregorii sub Dat. Florentiæ 3. Non. Julii Anno Secundo Martini Quinti. fol. 248.*

Episcopi Cæsenæ.

Gregorius vero inter cætera Moniales S. *Philippi*, aliter Dominæ *Cuschæ* vocatas universas dimisit, ad paternasque domos remisit. Missio causaria fuit. Erat autem Ecclesia, & Monasterium in Platea minore prope scilicet D. *Augustinum*, Ecclesia erat ubi nunc Officinæ duæ à duobus Fratribus *Strinatiis* honestis Civibus possessæ prope ædes *Masini* ex Patritia *Masiniorum*
726 Familia, quæ una cum contigua Domo olim *Maltusselliorum*, nunc *Christophori Bulighini* Monasterium constituebant. Pontifex *Alexander Quintus* anno 1411. *Cæsena* transit. Anno autem 1417. Pontifex erat *Martinus Quintus* Schismate abolito ideoque ab universo *Christiano* Orbe pro Pontifice agnitus, & habitus præter *Paniscolæ* Insulam, an Scopulum? ubi pertinax *Benedictus* Pseudopontifex, cum duobus Cardinalibus execratis persistebat, & perstitit usque ad annum, quo mortuus est millesimum quadragentesimum vigesimum quartum. Huic Schismatici illi Cardinales suffecerunt *Clementem* Pseudopontificem, qui annos quatuor in Schismate perseveravit; at tandem meliore consilio abrenunciato falso titulo se *Martino* subjecit, tumque demum Schisma quinquagesimo ferme anno antea ortum exoluit. *Carolus*, & *Pandulfus* fidelem operam *Martino* semper navarunt, unde meruit *Carolus*, ut Summus idem Pontifex tres illegitimos *Pandulfi* filios ad ditionis successionem sanata natalium labe habiles redderet. *Pandulfus* enim etiam si post reditum duas subinde Uxores duxerit, ex neutra filios suscepit. *Carolus* pariter absque sobole mansit, unde omnis cura, & successionis spes ad tres illos *Pandulfi* filios versa est. *Pandulfus* obiit anno 1427. quo eodem anno ipse ultimam Uxorem duxerat *Margaritam Annam* Comitis *Puppiensis* filiam. Mortuus autem est Fani, ibique splendide conditus. Scribunt *Ariminenses* Historici funeri Viros Nobiles atratos centum *Ariminenses*; centum quadraginta quinque *Cæsenates* interfuisse. *Carolus* biennio post anno scilicet 1429. *Longiani* ex quartana febri obiit postquam *Cæsenæ* magnificentissi-

Clementinus in ejus Vita.

A me exceperat Cardinalem *Lucium* è *Comitibus Romanum*, Legatum *Bononiæ*, atque ad locum Caput Collium vocatum deduxerat. Tum enim *Longianum* reversus febri suapte natura non letiferæ, at sexagenarius cessit. Princeps fuit pacis, & belli artibus clarus, at in bello sæpe infortunatus: multa nobilissima ædificia extruxit. In agro *Cæsenate* in loco potius sylvoso Castrum S. *Georgii* ad venatus solatium condidit. Ita *Ariminenses*; licet Annales nostri *Malatestæ Cæsenæ* Principi 727 principium saltem anno 1402. tribuant, at catenas ex *Mediolani* Portis in excursione avulsas *Pandulfus* appendit; immo alii scribunt à *Pandul-*
B *fo* post reditum in *Flaminiam* à fundamentis extructum. Anno autem 1426. *Victori* in *Cæsenate* sede suffectus est *Paulus Ferrantius Meldulensis* die 27. Februarii. Nota hæc ex libro obligat. Prælatorum sub Martino Quinto fol. 525. *Paulus Episcopus Cæsenatensis die 27. Mensis Februarii 1426. Anno nono Martini Quinti provisa Camera Apostolica prout.* Eodem anno eversum *Lauzenæ* Castrum *Cæsenatis* agri legimus, à quo vero, & quam ob rem non constat. Imperii administrationem *Carolus Ruberto* (qui assumpto avi nomine deinceps *Galeotus Rubertus* est dictus) reliquit: is enim annum decimum octavum natus pupillarem
C ætatem, intra quam Fratres erant quadriennio excesserat. Fratribus tutores reliquit; *Sigimundo*, qui deinceps *Sigimundus Pandulfus* dictus est, *Ugolinum*, & *Pandulfum Fanestres*. *Dominico* (qui *Malatestæ Novelli* priore rejecto nomen sumpsit) *Paulum* Episcopum, & *Franciscum Abbatium*, vel ex *Abbatibus*, & *Josephum Almericum Cæsenates* ambos. Maxima inter fratres morum dissimilitudo. Sanctus propemodum *Rubertus*: probus *Malatesta*: improbus *Segimundus*; sed qui vitia multa, & magna quarundam virtutem repræsentatione minus perspicacibus obtegebat: ferocia enim animi, & fusa largitio, aspectusque Prin-
D cipe dignus, & facundum eloquium Populari judicio imponebant. Imperium, quod adolescentis regimine, & puerorum spe nitebatur in perturbationes ab initio incidit. Pontifex *Martinus*, vel immemor concessionis à se factæ, vel ut conditio sub qua facta fuerat, impleretur, per Episcopum *Ariminensem*, cui id præceperat, & nuntium (per quem mandaverat) denunciavit *Ruberto*, & Fratribus, ipsos ab omni jure antiquæ *Malatestiorum* ditionis, ob natalium, scilicet vitium decidisse; præscripto viginti dierum tempore intra quod jura sua: (si quæ haberent) afferrent. *Rubertus* Princeps reverenter respondit ju-
E ra sua intra assignatum tempus repræsentaturos; quod præstitum est: & Pontifex vel quod recor- 728 datus sit concessionis jam factæ, vel quod impleverint *Malatestii* conditionem *Burgi* S. *Sepulchri* cedendi, ut *Carolus* olim pepigerat, Pontifex totius ditionis beneficiarium jus confirmavit. Alia eorundem Principum perturbatio ex populorum seditione orta est; *Arimini* primum, deinde *Cæsenæ* quoque & *Fani*. *Joannes Rhamberti Malatestius Arimini* ob multas clientelas, & propensionem in ipsum *Ariminensis* Populi erat suspectæ dominantibus potentiæ. Princeps tamen *Galeotus Rubertus*, qui Divinis inhians humana despi-
F ciebat, ex se alios metiens conspirationem, & fraudem in homine cognato non erat potis suspicari; at Marchio *Estensis* ejus Socer, agnovit, regnandi scilicet consultus, periculum genero imminere, à *Joanne*, & consultoribus, quos sibi duodecim elegerat, & qui nomine Principis Divinis non humanis vacantis, regebant, ac regnabant: præsertim vero *Joannes*, qui cæterorum primus, & ductor erat. Monuit ergo Socer generum, ut Consilium novum eligeret ne sibi continuatione

Episcopus Cæsenæ.

Lauzenæ eversio.

S. Claramontius. Dd Ma-

Magistratus, cui tantum deferebat ipsemet Princeps, nimium potestatis conciliaret, & forte Marchionis sagacitati dissimulata licet *Joannis* ambitio ad imperium aspirantis quoquo pacto sublucebat. Paruit Socero *Rubertus*, cum præsertim *Margherita* Uxor à Patre monita, & *Elisabeta* olim *Caroli* Uxor prudentissima fæmina idem sentirent. Exclusus *Joannes*, & cum ipso priores Consiliarii, querelis Civitatem, & Populum implevere; nec destitit *Joannes*, qui jam tyrannidem spe præsumpserat, vaframentis suis eo usque plebem impellere, ut armata in novos Consiliarios insurgeret; in publica loca discurreret; diriperetque quæcunque ibi custodiebantur. Tum incitatum Populum alloquutus: ut ipse Dominus compellaretur à nonnullis à parte scilicet corruptiore obtinuit. Tum invasit Civitatis Portarum claves, & Arcem ipsam occupavit, impositis custodibus tum *Galeoto Ruberto*, tum *Malatestæ Novello* Fratri, ac mulieribus Principibus. Nam *Segismundus* in tumultus initio aufugerat mutatis vestibus *Cæsenam*, graviores tamen *Arimini* Cives agnito infido *Jo-*
729 *annis Rhamberti* proposito adversus illum pro

Fantag. seditio Cæsenæ.

Principibus insurrexere, tum Principes illis stipati per Urbem excurrentes Populum universum in fide confirmarunt. *Joannes* itaque ad suas ditiones cum satellitibus suis aufugit. *Cæsenæ* quoque artibus ejusdem *Joannis Rhamberti* per clientes plebs infima tumultum magnum excitavit, *Judæorum* officinas diripuit libros Emphiteuticorum combussit, & tabulas *Drudonis* celebris tum Notarii universas. Interim supervenit *Segimundus* eaque fuit pueri, sed Principis authoritas, ut omnem seditionem statim compresserit, atque auxiliares copias à libente Senatu, & Civitate impetrarit ad obsessos fratres liberandos. Ad quatuor millia peditum, & trecentos equites nomen dedere, cum quibus *Segimundus* nulla interposita mora *Ariminum* contendit; at intellexit antequam Civitatem ingrederetur fratres ab obsidione liberatos, & Principatus potes, at *Carolum Malatestium Pisaurensem*, qui cum *Joanne Rhamberti* conspiraverat ad aliam Civitatis partem, cum militibus esse. Per Pomerium ergo extra in *Carolum* pugnaturus contendit: at *Carolus* re intellecta prævenerat fuga *Cæsenatis* manus adventum. Tumultum *Cæsenatem* aliter describit *Clementinus*, dicit autem. *In detto giorno si solevo il Popolo di Cesena, e cacciò del governo d'essa Giovanni da Soliano de Malatesti sotto pretesto di non voler ad altri vbedire, che a Signori di Rimini.* Ac cum idem dicat artibus *Joannis Rhamberti*, seditionem *Cæsenæ* excitatam; non erat pro eo sensus ejusmodi Civitatis sub imperio tantum trium fratrum degere velle. *Fanestres* etiam bis tumultuati sunt, primum tumultum *Malatesta Novellus* illuc à fratre missus leniter compescuit. Secunda perturbatio major, in qua *Segimundus* vulneratus fuit, & arx in quam confugerat, obsessa; sed ab exercitu, quem statim *Galeotus Rubertus*, & *Carolus Pisauri* Princeps, tum amicus misere, & soluta obsidio, & rebelles capti & pacata Civitas. Tumultuante *Fano*, *Cæsenæ* etiam turbæ præter enarratas fuerunt, quas *Clementinus* his verbis describit. *Nel tempo appunto, che restò ferito, e prigione nella sudetta Città di Fano tu-*
730 *multuando Cesena per la prigionia di Marco e di Gio. Francesco Agoselli levato a forza di Rocca da Marco de Lapi, e da altri Cittadi ni egli transferitovisi*

In vita Ruberti Galeoti.

Sedit. Fani.

Sedit. Cæsenæ in vita Malatestæ Novelli.

non ostante, che fosse d'Anni tredici, mesi trè, giorni vent'otio acquetò il tutto parte col castigo, parte con la clemenza. At in Annalibus nonnullis nostris idem factum aliqua cum differentia exponitur. verba sunt secundum rudem illam antiquitatem. *Nel ditto Anno il di di S. Antonio da Padova a di 13. Giugno Messer Marco degli Agoselli, & Joan Francesco suo Nipote in Cesena furon opresi, e cazzati in Rocca di Cesena, & in quello dì a bon'hora molti contadini introrno nella Città di Cæsena per le fosse, e le pallate (che li sopradetti Signori Malatesti non vol sero s'aprissero le Porte, che non si facesse scandalo) armati con molte Manare erano, & andorono alla Casa de Messer Carlo de Lapi il quale, con ditti Contadini, e Cittadini andorno in Piazza gridando vivali Malatesti, e morano li proditori, e traditori, e tornando à casa messono a saccho l'armaria di Mastro Andrea dall'arme, e poi so relassato ditto Messer Marco.* Juxta hanc narrationem erat *Cæsenæ Malatesta*, cum conjecti fuere in vincula *Augusellii* non supervenit, ut narratio importat *Clementini*. Inter has turbas florebat *Cæsenæ* ortus, patriæ ejusdem suæ ornamentum B. *Bartholomæus* Ordinis Eremitarum S. *Honofrii* dictorum, cujus institutor fuit B. *Petrus Gambacurta Pisanus*. Huic in Præfectura ejusdem Ordinis successit B. *Bartholomæus Cæsenas*. Vir hic Sanctitate, & Doctrina conspicuus obtinuit a *Galeoto Ruberto* anno 1432. Ecclesiam, ac Locum D. *Hieronymi Scolchæ* in *Ariminensi* agro, ut refert *Clementinus* in ejusdem *Galeoti Ruberti* vita. *E perche* (inquit) *nel Mese di Luglio l'Anno 1432. fù instantemente da F. Bartolomeo da Cesena hora connumerato trà Beati della sua Religione, e da Frate Gregorio di Giovanni da Patrasso Romiti, e compagni del B. Fra Pietro Gambacorta da Pisa Autore della Congregatione de Romiti Gierosolimitani ricercato dell'Oratorio, Chiesa, e luogo di S. Girolamo di Scolca.* Idem B. *Bartholomæus* à Sacro fonte sustulit duos *Segimundi* filios, *Rubertum Novellum* ex *Geneura Estensi*, & *Galeotum Novellum* ex *Polisena Sfortia* diverso tempore Uxoribus, *Clementinus* refert in *Sege-* 731
mundi vita. Extat de hoc Beato Viro inter memorias Religionis hoc monimentum. *Beatum Bartolomæum à Cæsena nunc fuisse inter Beatos adscriptum habemus ex præteritorum testimonio, ac ex ejus antiquis imaginibus multis in locis depictis, & præcipue Romæ, Venetiis, & Ferrariæ; floruit tempore Eugenii Quarti, ac post Beatum Petrum Gambacurtam à Pisis Fundatorem extitit primus Generalis.* At *Galeotus Rubertus*, ut ad Cælestia perpetuo aspirabat, meruit etiam cælestis coronam beatitudinis celeriter consequi; anno enim ætatis suæ vigesimo primo mense octavo exactis, & diebus insuper septem, qui fuit ab ortu Christi millesimus quadringentesimus trigesimus secundus, die decima Octobris in ipso solis exortu ad solem justitiæ Christum evolavit. Ita passim creditur, ipseque inter Beatos numeratur, dicitur etiam ejus Sanctitas miraculorum signis confirmata. Sunt, qui pientissimi viri morti impium Fratris *Segimundi* factum immisceant, venenum scilicet ab avido regnandi, ac latius regnandi exhibitum. Hæc suspicio facile adduxit Curatores duorum reliquorum Principum ad promovendam universæ jurisdictionis partitionem. * *Ariminum* autem cum locis ultra *Ariminum* fluvium ad ortum omnibus *Sigemundo* assignata fuere; quæ cis idem flumen ea omnia *Malatestæ*, qui deinde *Cæsenæ* re-

Penes Julianum Fantagutium.

B. Bartholomæus Cæsenas Ordinis Eremitarum.

Bartholomæos alios duos, Cives Cæsenates insignes, Zacharias Boverio Annalium Capucinorum Auctor sub anno 1592. vol. II pluribus celebrat.

Cæsenatia monumenta.

* *Ariminum autem cum Locis ultra Ariminum Fluvium ad Ortum omnibus Sigimundo assignata fuere; quæ cis idem Flumen ea omnia Malatestæ.*] Hæc ibi ex nostrate quodam manuscripto scripsi; at cum demum obtinuerim Tabulas divisionis a Francisco Abbatio, vel de Abbatibus confectas; reperi Sigimundo etiam citra Flumen ad Occasum S. Archangelum, cum ejus Vicariatu, ut ibi dicitur Scorticatam, Rectoratum S. Agathæ, cum omnibus ejus Castris, & annexis obtigisse.

resedit, Princeps literis ornatus, beneficus, pius, nec sine militaris virtutis laudibus, quibus præclaris qualitatibus *Cæsenates* sibi obsequentes reddidit, & devictos. Status vero Civitatis hic erat. Jam multum antiqui decoris post *Britonum* excidium ex longo temporis interjecti intervallo recuperaverat. Cives non sine divisione partium vivebant minus tamen illæ erumpebant, licet anno secundo hujus decimi quinti seculi ad sanguinem, & cædes procurrisse legamus, *Tibertorum*que Partem superiorem fuisse. Anno rursus 1431. cum inter *Petrum Joannem Tibertum*, & sequaces, ac *Marcum Augusellium*, & sequaces simultas, & odium intercederent. Pax tamen studio, & suasione fratris *Joannis Picentis* in foro ipso,
732 astante populo confecta fuit, ut constet Factionum semina etiam sub *Malatestiis* resedisse, licet minus in pugnas se effuderint. Duo hi Principes fratres *Segimundus*, & *Malatesta*, ut moribus semper dissimiles, ita Factionibus in *Italicis* bellis frequenter discrepuere. Successerat *Martino Quinto* Pontifici, *Eugenius Quartus Venetus* ex *Condulmeriorum* Populari tum non Patritio genere. Mira hujus Pontificis, ac Pontificiæ sub eo Ditionis perturbatio. Indicta erat *Martini* jussu *Basileæ* Synodus generalis. Hanc cum prius sed ægre confirmarit *Eugenius*, postea tamen *Ferrariensem*, indeque ob pestem, *Florentinam* ad uniendas *Latinam*, & *Græcam* Ecclesias indixit, ac coegit, ut illa exolesceret, at multa intercessit contentio. Ditio vero Ecclesiastica ubique usurpata. *Romani* usque adversus Pontificem insurrexere, ut is ementito vestitu instar Monachi amictus aufugerit, *Florentiam* profectus. *Nicolaus Fortebracchius*, & *Nicolaus Piccininus Philippi Marii Mediolani* Principis Ductores, hic *Flaminiæ* partem occupavit, ille *Forum Cassii* cepit, & *Romæ* agrum vexavit, atque *Romam* ipsam in periculum adduxit. In *Flaminiæ* perturbatione *Malatestii* fratres *Cerviam* olim suam recuperavere, eaque in ditionem *Malatestæ Novelli* cessit. At cum *Franciscus Sfortia* pro Pontifice ad recuperandam *Flaminiam*, ac *Bononiam* militavit, arma, & ipsi junxerunt, adeo ut in custodia *Bononiæ* recuperatæ copiæ *Malatestæ* pars præsidii fuerint, quæ quoque in proxime sequuta *Bononiæ* defectione opera *Canetulorum* direptæ, ac spoliatæ fuerunt. *Franciscus* deinde *Sfortia* mutato consilio adversus Pontificem illatis armis universum sibi *Picenum* vindicavit. Huic *Philippus Maria* in uxorem *Blancam* filiam, sed illegitimam collocaverat: attamen deinde iratus mandavit *Nicolao Piccinino*, ut *Piceno* illum exueret. Tum *Malatestii* fratres divisi, cum *Sfortia* fuit *Segimundus*, cum *Piccinino* pro Pontifice *Malatesta*. Obfirmato adeo animo, ut cum *Piccinino*, & *Sfortiam*, & fratrem *Segimundum Fani* inclusos obsederit. Sed hoc modo expeditius facta *Malatestæ Novelli* exponentur. Anno 1435. *Franciscus Sfor-*
733 *tia* ex *Piceno Cæsenam* venit contra *Nicolaum Piccininum*, quem prohibuit ne *Sapim* transiret. Cum *Sfortia* tum *Malatestii* erant. *Sfortia* deinde *Forolivium* expulso *Antonio Ordelafo* Ecclesiæ restituit, tum quoque *Malatestii* suppetias *Sfortiæ* tulerunt. *Bononia* quoque recuperata fuit, & præsidio pro Ecclesia firmata; at à *Canetulis* occupata Civitas, & præsidium anno 1438. ut proxime dixi ejectum. Perseverabat *Malatesta* Fæderatis adeoque Pontifici adversus *Mediolani* Ducem arma jungere. Erant Fæderati Pontifex, *Veneti*, & *Florentini*: horum Exercituum Ductor erat *Franciscus Sfortia*. Ducis vero *Mediolanensis Nicolaus Piccininus*, tum in *Lombardia* ad opem ferendam obsessæ *Brixiæ* pugnabatur à *Sfortia*; at ad obsidionem obfirmandam, & fame maceran-

A dos obsessos à *Piccinino*. Ibi inter velitationes *Malatesta Novellus* fortissime pugnans victus, & captus fuit. Permutatione tamen deinde ejus cum *Carolo Gonsaghio Venetorum* captivo facta libertate potitus est. Tres ferme menses in hostium custodia mansit: at ea videtur fuisse *Nicolai Piccinini* cum capto Principe humanitatis, & virtutis repræsentatio, ut exinde in ejus partium studio *Malatesta* ferme semper permanserit. Reversus est anno 1440. die 17. Martii *Cæsenam*, unde tandem *Urbinum* se contulit ad nuptias celebrandas, cum *Violante* Comitis *Guidonis Montefeltrii* filia, cum qua jamdiu matrimonium, vel forte spon-
B salia potius contracta fuerant ab anno usque 1434. non tamen opera *Gregorii Malesardi* Episcopi, ut *Clementinus* dicit, cum is anno 1419. mortuus jam esset. Sunt qui scribant Sponsorum unionem à proposito, & forte voto perpetui cælibatus anticipatum. Nulli filii prognati, & mores, *Violantis* præsertim Angelici, id facile suadent: quæ mortuo marito in arcto Monasterio Sanctarum Virginum ad perpetuam de hinc pudicitiam servandam se inclusit. Jam *Cæsena* transierat *Nicolaus Piccininus* ad recuperandum pro S. Sede è *Francisci Sfortiæ* manibus *Picenum*; ibat à *Mediolanensi* Duce missus, & à Pontifice Imperator
C suarum copiarum declaratus. *Cæsenæ* fuit à *Malatesta* opipare nedum, sed magnificentissime ex- 734
ceptus. Conjunxit suas postea copias, cum *Nicolao Piccinino* adversus *Sfortiam*, & adversus *Segimundum* fratrem, quos *Fani*, ut prius dixi, obsedere. Missa deinceps obsidione *Meletum* post aliquantam oppugnationem expugnavere. Cura vero, & authoritas *Malatestæ* pudicitiam mulierum inviolatam servavit. Bellum ejusmodi varium fuit: *Nicolaus* enim *Piccininus* mense Novembri victus; at vir adversus fortunæ injurias constans resumptis viribus ad extremum prope in *Piceno* ditionem adduxerat *Sfortiæ*, cum *Philip-*
D *pus Maria*, qui non sustinuit Generum suum prorsus perditum iri, *Nicolaum* revocavit. A *Sfortia Segimundus Malatesta* alienatus se postremo cum *Piccinino*, & *Malatesta* fratre conjunxerat, unde vires *Sfortiæ* diminutæ, & spes prope, ni *Nicolaus* recessisset, deplorata. Reliquit is sane *Franciscum* filium cum non spernenda militum manu. At brevi is à *Francisco Sfortia* victus, cum omnibus copiis fuit, & vix *Malatesta*, ac Legatus Pontificius evasere. *Segimundus* factus *Sfortiæ* inimicus fuit ab *Eugenio* Pontifice Imperator suarum adversus *Sfortiam* copiarum declaratus; tum uniti animis, & armis fratres *Malatestii*, & op-
E pugnavere *Sfortiam*, & ejus insultibus restitere; nam is Castra nonnulla *Malatestæ Novelli* invasit *Montironem*, & *Sanx.* ex *Brolio* ad quorum tamen defensionem hic se accinxit. In occupatione *Rocchæ* Contrariæ, in recuperatione demum universi *Piceni Malatestæ* virtus eminuit, sicut in expugnatione *Ripaltæ*. Unitus deinde *Segimundo* recepit intercepta à *Feretranis* Castra *Soliani*, & *Monticelli*, quæ se *Violanti Malatestæ* Uxori, seu *Malatestæ* ipsi nomine uxoris dedere. Recrudueré paulo post inter *Segimundum*, & *Malatestam* discordiæ, & odia. Occasio patens hæc fuit. *Malatesta Britonorium* secesserat, interim *Cæsenæ Joannem Laudensem* qui vices gereret,
F reliquerat. Erat hic *Segimundo* valde suspectus, & invisus. Captata itaque absentiæ Fratris occasione improvisus *Cæsenam* advenit, ibique *Laudensem* sub porticu *Mainardorum* repertum à suis capi, & involuto capite *Ariminum* duci secum jussit: ubi misera morte periit. Ad ejusmodi 735
contemptum exarsit *Malatesta*, sed penitior adhuc dissidii, & odii causa fuere insidiæ detectæ (si *Æneæ Sylvio* credamus) impii fratris, qui do-

Clementinus in vita sub anno 1445. & 1446.

lib. x. com. Clement. in Malatesti vita sub anno 1450.

minii avidus portioni *Malatestæ* inhiabat, qui cum filiis careret morte sua aditum liberum *Segimundi* votis aperiebat. eam ergo tectis modis procurabat *Segimundus*, nec minore diligentia sibi cavebat *Malatesta*. Erant hæc odia quæ inter eos sævire affirmat *Brolius* in Chronicis suis, & ob quæ, ut idem asserit, Comes *Jacobus Piccininus* destinaverat ditionem *Segimundi* occupare junctis *Malatestæ* Copiis id ipsum permittentis, & ob amorem quo *Jacobum* prosequebatur, & odium quo fratrem, instigantis. Verum ob Procerum Regni *Neapolitani*, ac Regulorum adversus Regem *Ferrandum* pro *Joanne* filio Regis *Rainerii* conspirationem, cujus pars *Jacobus* fuit, & cui ambo fratres *Malatestii* suffragati sunt; deliberatio evanuit, & perturbatio omnis ditionis *Segimundi* à *Piccinino*, & à *Malatesta* cessavit: immo capitula conspirationis adversus Regem *Cæsenæ* à *Gaspare* e *Rone* à secretis *Tarentini* Principis digesta fuere. At ad *Cæsenæ* Episcopos redeundo anno, ut diximus 1426. Episcopus factus est *Paulus Ferrantius Meldulensis* (aliqui a *Caminate* vocant) successerat is Victori. At quis ei successerit non vacat dubio. Utrum scilicet *Augustinus Romanus*, an *Petrus Vallius*, an *Antonius Forosemproniensis* e *Malatestiis*. *Antonium* fuisse Episcopum anno saltem 1436. constat ex his, quæ idem *Naudæus* transmisit, verbis ex *Lib. obligationum Prælatorum. Antonius electus Cæsenatensis die 6. Februarii 1436. Anno quinto Eugenii Quarti obtulit Cameræ lib. 5. prout in Libris obligationum Prælatorum sub Martino Quinto, & Eugenio Quarto fol. 212. Antonius* vero nedum superavit vita annum 1452. quo mortuum ipsum *Clementinus* facit, sed ad annum 1475. circiter pervenit: excessisse autem annum 1452. versus ostendunt in *Episcopii* muro descripti indicantes tempus, quo fuerit ab eodem *Antonio* constructus (ipse enim construxit) hic est inter cæteros versus.

Episcopi Cæsenæ.

736 *Sceptra novellus habet, Terno residente Calisto.*

Calistus vero anno 1455. assumptus est; sed ad annum 1475. pervenisse Chronologia *Juliani Fantagutii* eo tempore viventis indicat, qui *Joannem Venturellium* Episcopum (hic anno 1475. creatus fuit) successorem *Antonii* fuisse asserit. *Messer Giovani Venturelli di Amelia Vescovo di Cesena doppo la morte di Messer Antonio da Fossombruno Cieco. Joanni* autem statim subjicit *Petrum Vicentinum* in Episcopatu. Cum ergo *Augustinum Romanum* fuisse Episcopum nostrum *Pamphilus* dicat in annoque 1431. reponat, & *Petrum Vallium* nostra monimenta passim inter Episcopos nostros numerent seculi hujus decimi quinti, necesse est eos inter *Paulum Ferrantium*, & *Antonium Forosemproniensem* collocare. Ut *Augustinus* anno 1431. fuerit, sed ei adhuc viventi suffectus fuerit ante *Antonium Petrus Vallius*, seu a *Valle*, seu *Valla* ut se *Laurentius Valla* inscribit. Insero hic Episcopum non *Cæsenæ*, sed *Cæsenatem Britonorii* autem, *Venturam Abbatium*, vel de *Abbatibus*, sive *Abbate*, ut vulgo dicimus. Hunc prius *Canonicum Cæsenatem* ad Episcopatum *Britonoriensem* provexit *Martinus Quintus* anno 1428. Bulla, ut vocant de hoc ad Clerum *Britonoriensem* confecta fuit anno eod. Id. Aprilis, ubi testimonia attestatur fide digna. *De viri scientia literarum, munditia vitæ, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, & aliis multiplicium virtutum donis.* At ad Principem redeo. *Malatesta* ab anno 1448. cruris varice laborare cæpit, quam male curando Medicus quidam Græcus, qui se curaturum spoponderat impeditum deinceps eo crure, & claudicantem reddidit, in posterum itaque Domi re-

A sidens ornandæ Civitati incubuit. Bibliothecam insignem in D. *Francisci* extruxit Basilicæ instar duplici columnarum Corinthiarum ordine interseptam, quam probatissimorum Authorum libris manuscriptis, iisque prorsus fidis refersit. Nosocomium, sive Hospitale Infirmorum, quod Sanctissimi Crucifixi vulgo dicimus, vel Hospitale Magnum à fundamentis extruxit, magnificoque Porticu ex columnis marmoreis, & ipsum exornavit, in quod Hospi- 737
tale extra *Cerviensem* Portam *Gandulfini* olim dictum transtulit. Pontem *Sapis* totum ex ligneo lapideum, lateritiumve sicut olim inchoaverat *Malatesta* Patruus reddidit. Cœnobium S. *Fran-*
B *cisci* Fratribus, quos observantes, vel ex soccis nominamus extra Portam S. *Mariæ* dictam exædificavit. *Violantis* Uxoris erant ibi horti, & delitiæ; at potior fuit in Sancta muliere pietas. Hæc omnia per *Antianos* efficiebat Princeps. Legimus in congregatione ejusmodi Magistratus parvo temporis intervallo mortem ejus antecedente relationem duarum arcarum pretiosis libris refertarum ex *Constantinopolitana* Urbe in *Italiam* advectarum, quæ prope diem expectarentur; at neque advenere, neque in actis ejusmodi quicquam aliud amplius legimus. *Clementinus* dicit naufragio periisse. In Ecclesia etiam D. *Catha-*
C *rinæ* statuæ, & sculpturæ, quas videmus tum jussu Principis per *Antianos* confectæ fuerunt. Immo *Julianus Fantagutius* in Chronologia universam eam Ecclesiam à *Malatesta* ædificatam scribit. Idem Princeps perforato Monte incilia pro molis frumentariis excavanda curavit, magno Civitatis beneficio. Hujus Principis etiam tempore anno 1462. examina auri, uncia, & ejus partes, quæ nunc in usu *Cæsenæ* sunt, à *Luca* petita. Misit autem *Joannes Ludovicus Dandinus Cæsenæ* Civis, qui in ea Civitate Auditor Rotæ, tumque ut vocant Potestas erat. Familia hæc paulo prius ex Oppido S. *Archangeli*, quo ex *Se-*
D *na Etruriæ*, ut ejus monimenta gentilitia produnt, se receperat, venit. Posteri multi dignitatibus clari, & præsertim Cardinalis *Hieronymus Dandinus* magno fuere Patriæ huic ornamento. Tam bonus Princeps, tamen permittente ad majorem coronam Deo fuit multis vexationibus exercitus, nam præter ægritudinem diutinam facta improbi Fratris adversus Pontificem *Pium Secundum*, ipsum quoque Pontificiis armis, ac odio involverunt. Multa Castra adempta, Ager *Cæsenas* vastatus, & ex vastitate lues ingens sequuta, ipseque coactus tolerare se vivente jurare Cives post ejus mortem Ecclesiæ se se dedituros. Mor-
E tuus est absque filiis anno 1465. die vigesima No- 738
vembris, alii falso vigesima tertia dicunt. *Galeotus* Avus *Cæsenam* possidere incæpit, nepos finivit. *Robertus* tamen ex fratre nepos, qui tempore mortis Patrui se in Arcem insinuaverat, cum tectis Officiis sibi asseclas comparasset, præsertim vero Rusticos multos, Civitatem occupavit. Verum accedens statim *Antiochenus* Patriarcha, cum Exercitu, unaque cum Duce *Urbinate* Civitatem pro Ecclesia die nona Decembris recepit: reddidit vero *Robertus*, cui *Meldulam*, *Collianellum*, & *Polentam* concessere. Tum *Robertus* Arcem Pa-
F triarchæ assignavit, & claves Portarum tradidit, qui Patriarcha eadem die nona Novembris solemni ingressu, ac fausto omnium occursu pro S. Sede Civitatis possessionem inivit. Multa quidem Plebis pars, cum Rusticis *Roberto* faverat, at Nobilitas, & Senatus pro Ecclesia steterant. Plebs tamen pro mobilitate sua mutata summo studio Patriarcham novum, ac primum pro Ecclesia Rectorem suscepit. Scribunt tamen nonnulli aliquos *Roberti* fautores Rusticos, & Plebejos suspendio necatos; alios in exilium pulsos. Cum *Rubertus Cæsenæ* Do-

Robertii infultus.

Fantagutius Chronol.

Dominium tentavit, tum *Segimundus* aberat in *Peloponeso* pro *Venetis* adversus *Turcas* pugnans. Reversus deinceps in *Italiam* anno 1468. obiit. Post ejus mortem rursus anno 1469. in favorem *Ruberti* fuerunt, qui rebellionem *Cæsenæ* molirentur. Rustici præsertim multi seducti, at detecta conspiratione, multi Rustici capti, & laqueo palam extincti. Hoc monimentum habemus in manuscripto *Andreæ Allegrii* Jurisconsulti *Ariminensis*, at qui *Cæsenam* lares transtulerat. Placet verba exscribere. *MCCCCLX. 19. die Martis de nocte veniente die Mercurii* XXII. *Martii detecta fuit Rebellio, ut asserebatur in Civitate Cæsenæ, cum ejusdem Rustici eam tradere quærerent Magnifico Roberto filio quondam Domini Sigismundi, quare multi dictorum Rusticorum extra Cæsenam, & in Civitate aliqui Cives capti fuere, forte prudentia Reverendissimi Domini L. Archiepiscopi Spalat. supranominati, quorum omnium nocte sequenti ad propugnacula, sive merlos Turris novæ super Platea Cæsenæ fuerunt suspensi laqueo.*

739 *Mazzolus de Sancto Andrea.*	Comitatus *Cæsenæ.*
Bartolus Zangarus de Marturano.	
Rubeus de Ficho.	
Victor de Vinti.	
Cola de Taipano.	

Dicto Millesimo die Jovis XXIII. *dicti Mensis die Veneris dicto loco, & prædicta causa Marcus Zangarus Frater dicti Bartoli, & Marinus Aromatarius Cæsenæ habitator laqueo suspensi fuere.* Inter has turbas *Violantes* Princeps *Cæsenæ* antea, tum legibus connubialibus soluta totam Christo, cujus nuptiis jamdiu aspirabat se dicavit. *Ferrariam* inter Moniales Corporis Christi se se inclusit, ibique sancte vivens anno 1493. obiit, an ad æternitatem revixit? At ad Civitatem redeundo fida semper Sanctæ Sedi, multisque ab ea aucta privilegiis fuit*. Magistratus præterea Conservatorum institutus, supremus nempe civilium, cui tantum permisit Summus Pontifex, auctoritatis ut Gubernator Civitatis *Sixti Quarti* viventis nepos interdum dixerit plus à Pontifice Conservatoribus, quam sibi in Civitatem tributum. Parebat autem *Cæsenati* Gubernatori quicquid antea *Malatestæ Novello* subjiciebatur *Britonorium*, *Meldula*, *Polenta*, *Savinianum*, S. *Archangelum*, *Sestinum*, ejusque ditio, & cum *Cæsena* cætera omnia annexa †. *Cervia* sola sub *Venetis* permansit, quibus eam *Malatesta* anno 1460. vendiderat, sed frendente Pontifice, urserunt venditionem *Veneti*, ut eam cum *Ravenna* conjungerent, veluti tempore *Polentanorum* conjungebantur, quibus expulsis ipsi *Ravennam* ex Civium deditione anno 1441. receperant. Consuevere etiam Pontifices posterioribus annis Comitis *Flaminiæ* titulum *Malatestiis Galeoto*, deindeque duobus *Malatestiis* filio, & nepoti tribuere; nudo scilicet ferme nomine: cum tota Provincia Vicariis, pareret. Pariter ergo Gubernatori *Cæsenæ* eandem jurisdictionem applicavere, nam *Joanni Venturellio* Episcopo *Cæsenæ*, & Gubernatori *Sixtus* Pontifex regimen usque ad *Isaurum* concedit diplomate sequente:

Sixtus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Johanni Episcopo Cæsenat: Civitatis Nostræ Cæsenaten: aliarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum Provinciæ Nostræ Romandiolæ usque ad Flumen Foliæ ad Nos, & Romanam Ecclesiam spectantium pro nobis, & dicta Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus Generali Gubernatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Cunctorum Christi Fidelium præsertim Nobis, & Romanæ Ecclesiæ spiritualiter, & temporaliter, immediate, & mediate subjectorum prout nobis ex alto conceditur, curam solertem, & vigilem gerimus; sed in primis pro statu Civitatis Cæsenaten:, & aliarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum Provinciæ Romandiolæ, ac Populorum eorundem præstante Domino prospere dirigendo tanto major solicitudo Nos urget, quanto noviter Sedes Apostolica illas in suam immediatam protectionem, dominiumque suscepit, Nosque eas ardentiori studio prosequamur charitatis. Cupientes itaque intenso desiderio, ut ipsæ Civitates, Terræ, Castra, & Loca justi, & circunspecti, ac providi Gubernatoris potiantur regimine, ac de maturitate Consilii, morumque elegantia, ac fidelitate, & probitate tuis plenam in Domino fiduciam obtinentes, sperantesque quod in eisdem Civitatibus, Terris, Castris, & Locis sub tuo salubri regimine fluctuantes animorum turbines sedabuntur, coletur justitia, & boni mores instituentur, ac errantes, & rebelles ad viam veritatis redigentur, matura super hæc deliberatione præhabita, te in præfata nostra Cæsenaten: ac reliquis dictæ Provinciæ Civitatibus, Terris, Castris, & Locis ad Nos, & dictam Ecclesiam spectantibus usque

* *Fida semper Sanctæ Sedi, multisque ab ea aucta privilegiis fuit.*] Repono hic omissam à Sixto Quarto in Civitatem collatam insignem gratiam; innovavit autem, quam prius contulerat Innocentius Quartus traditione scilicet Castri Montis Jani, ejusque ditionis beneficiario jure Civitati Cæsenæ. Narrationem subnecto, quæ in publicis actis coram Illustrissim. & Reverendissim. Cardinali Benedicto Accolto Tit. S. Eusebii, & Archiepiscopo Ravennati. Est autem narratio. *Cum dudum fel. recor. Sixtus Quartus Pontifex Maximus certis rationibus, quibus in Bulla Innocentii Papæ Quarti animum suum moventibus Castrum Montiani Ariminensis Diœcesis, cum Domibus, vineis, Terris, & bonis aliis illius ad mensam Sanctæ Ravenn. Ecclesiæ tum pertinentis ab omni dominio, & ejusdem alia omni superioritate auctoritate Apostolica exemisset, & liberasset, & dismenbrasset, & Castrum ipsum sic liberatum, cum Domibus, vineis, terris, bonis, tenimento, finibus, & pertinentiis sine Communitati Cæsenæ in Comitatum concessisset, & incorporasset.* Quam Sixti concessionem, & traditionem confirmarunt postea Innocentius Octavus, & Alexander Sextus, & Julius Secundus, ut de his duobus testatur Pius Quintus in litteris anno millesimo quingentesimo septuagesimo. die quarta Decembris.

† *Parebat autem Cæsenati Gubernatori quicquid antea Malatestæ Novello subjiciebatur Britonorium, Meldula, Polenta, Savinianum, Sanctum Archangelum, Sestinum, ejusque Ditio, & cum Cæsena cætera omnia annexa.*] Hæc quoque emendare oportet, neque enim hæc omnia possidebat Malatesta, quia non Sanctum Archangelum, &c. sed plura his etiam Gubernatori Cæsenati suberant, nam subjiciebatur quoque Veruculum (de immediata scilicet subjectione loquor; nam mediata usque ad Isaurum, vulgo Foliam, ut vidimus pertingebat.) Edictum de Syndicatu Opizonis, & Cæsaris Alidosiorum Cæsenæ olim Gubernatorum, quæ loca immediate subjacerent planum facit. Exscribo illud iisdem prorsus verbis, eademque dispositione.

Matheus In. Episcop. Betlem, & Comes Cæsenæ, Britonoriique	*Gubernator Generalis.*

A vui infrascritti Officiali per la presente nostra volemo, e così vi commettemo, che incontinenti debiati publicar per Bando la notificatione, e citatione del sindicato del Sig. Opizo, & Sig. Cesare de li Alidosii, & soi Cancellieri, & Familiari, & Bariselli, si come si contiene nella stessa notification' in li lochi publici, & communi per li Trombetti, ouer Piazzari azò che fate notar a tergo della citation la relation del Trombetta, seu Piazzar, che la rà publicata in bona forma per mano di Notar publico, sotto pena dell' arbitrio nostro. Dat. Cæsenæ die nona Junii MDXI.

Vicario di Savignano.	*Potestas Bertinorii.*
Vicario di S. Archangelo.	*Vicario di Roversano.*
Vicario di Veruculo.	*De Monte Cogorucio.*
Vicario di Lonzano.	*Potestas Civitellæ.*
Vicario di Roncofredo.	*Vicario di Sestino.*
Vicario di Scorticata.	
Vicario di Borghi.	
Vicario di Gatteo.	

Ex qua subjectione factum est, ut ad excavandum Portum Cæsenaticum loca ejusmodi universa operas præstare tenerentur, & præstitere olim: postea autem tergiversando in litem revocavere, quæ adhuc pendet.

usque ad Flumen Foliæ nuncupatum, illorumque Comitatibus, Territoriis, & districtibus pro nobis, & eadem Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus generalem Gubernatorem, cum facultate, arbitrio, auctoritate, honoribus, oneribus, & emolumentis consuetis, usque ad Nostrum, & S. Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, quascunque alias commissiones super hujusmodi gubernatione in Civitatibus, Terris, Castris, & Locis superius expressis, quibusvis aliis factas harum serie penitus revocantes, ac Fraternitati tuæ Civitatem Cæsenaten: & alias Civitates, Terras, Castra, & Loca prædicta, nec non Cives, Habitatores, & Incolas eorundem Nostro, & præfatæ Ecclesiæ nomine reformandi, regendi, gubernandi, & administrandi, ac in eis jurisdictionem plenam, & omnimodam cum mero, & mixto imperio exercendi civiles, & criminales, ac mixtas, & alias quascunque causas per simplicem etiam querelam, vel appellationem coram te pro tempore introductas, etiam diebus feriatis, cum tibi videbitur, per te, vel alium, seu alios audiendi, discutiendi, & earum cognitionem, decisionem, discussionem, alii, vel aliis communiter, vel divisim, generaliter, vel specialiter, tam infra tuæ gubernationis terminos, qua extra illos, prout, & sicut justum tibi videbitur committendi, & demandandi, & ad te cum placuerit advocandi, decreta quælibet interponendi, & super Statutis, & Capitulis si opus fuerit dispensandi, nec non homagia, & juramenta fidelitatis recipiendi, culpabiles tam civiliter, quam criminaliter per te, vel alium, seu alios puniendi querelas contra ipsos per quoscunque propositas audiendi, emendas, & satisfactiones debitas fieri faciendi, & super quibuscunque delictis, & rebellionibus per quascunque universitates, vel singulares personas cujuscunque status, gradus, habitus, seu conditionis fuerint commissis, vel in posterum, tui tempore officii committendis generaliter, vel particulariter cognoscendi, ac ad Ecclesiæ Romanæ gratiam, & obedientiam reducendi, ac faciendi, & ordinandi, & statuendi, & realiter executioni demandandi. Contradictores quoslibet, & Rebelles, ac inobedientes pecuniariis, relegationis, proscriptionis perpetuæ, vel temporalis, & aliis de quibus tibi videbitur spiritualibus, & temporalibus pœnis, omni appellatione postposita compescendi, & in præmissis omnibus, & singulis summarie simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii sola facti veritate inspecta procedendi, & procedi mandandi, ac omnia alia, & singula, quæ ad hujusmodi Gubernationis officium quomodolibet pertinent de consuetudine, vel de jure tuique Prædecessores Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum prædictorum Gubernatores, qui pro tempore fuerunt facere soliti sunt, & quæ necessaria, & utilia fuerint quoquomodo in præmissis, & ea tangentibus ac quolibet eorundem, & quæ ad honorem, & commodum ejusdem Ecclesiæ, ac Nostri, utilitatemque & prosperum, ac tranquillum statum Civitatis Cæsenaten: & aliarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum prædictorum, ac Incolarum, & habitatorum eorundem cedere videris, & tibi videbitur expedire, etiam si illa, vel aliquod prædictorum mandatum exigerent magis speciale plenam, & liberam facultatem, auctoritate, & scientia supra dictis tenore præsentium concedentes. Nos enim processus sententias, & pœnas quos, & quas per te proferri, & infligi contigerit ratas habebimus, & faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Et insuper cupientes super custodia Arcis nostræ Portus Cæsenatici utiliter providere, quamcunque deputationem Castellani hactenus factam ibidem revocamus, ac tibi illius curam, & custodiam cum pagis, stipendio, salario, & emolumentis consuetis, ita ut illam durante Gubernio hujusmodi per quoscunque de quibus tibi videbitur fideliter custodiri facere possis, & debeas, eadem auctoritate committimus. Ut igitur præmissa omnia, & singula melius plenius, & utilius valeas inspirante Altissimo exercere dilectis Filiis universis, & singulis Civitatis Cæsenaten: ac aliarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum prædictorum Vicariis Potestatibus, Capitaneis, Officialibus, Castellanis, Maresciallis, Stipendiariis, tam Equestribus, quam Pedestribus ad Nostra, & præfatæ Ecclesiæ stipendia militantibus in partibus illis existentibus, & futuris, cæterisque Nostris, & Ecclesiæ prælibatæ subditis cujuscunque status, & dignitatis Ecclesiasticæ, vel mundanæ, aut Ordinis, vel conditionis existant, damus tenore præsentium districtius in mandatis, ut tibi, vel deputandis à te dicto durante beneplacito pareant efficaciter, & intendant. Volumus autem, quod infra quindecim dies ex quo Gubernium antedictum inieris, diem tui ingressus Venerabili Fratri Nostro Leonardo Grifo Episcopo Eugubiensi Secretario Nostro significes, ac quod antequam illud exercere incipias de eo juste, & fideliter exercendo in manibus Venerabilis Fratris Nostri Latini Episcopi Tusculani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Ursinis Camerarii Nostri debitum præstes in forma solita juramentum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Quarto Non. Novembris Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Grat: Deaman: D. Nostri Papæ.
Jo: de Burenbelliis.

Loco ✠ Sigilli plumbei appensi cum effigie Apostolorum Petri, & Pauli.

à tergo.

Anno domini MCCCCLXXV. die sexta Novembris Reverendus in Christo Pater Dominus Joannes Episcopus Cæsenaten: Gubernator ex his literis deputatus de ipso officio fideliter, &c. exercendo præstitit juramentum in forma, in manibus Reverendiss. in Christo Patris, & Domini D. L. Episcopi, Tusculanen: Cardinalis de Ursinis Domini Papæ Camerarii Romæ apud Montem Jordanum. Præsentibus venerabilibus Viris Domino Didaco Didaci Canonico Elboren: & Christophoro Filippi de Formello Testibus, &c.

Caspar Blondus.
D. Gallettus.

Quæstor etiam Pontificius, vel ut vulgo dicitur Thesaurarius *Cæsenæ* residebat. *Sixto Quarto* imperante fuit *Franciscus Albitius*, sive ex *Albicis* ex *Rainaldi Albitii* olim *Cosmi* Magni *Medicei*, de *Florentia* primatu competitoris propagine. Hic Pontificius Quæstor, qua occasione hic sedem fixit, & Familiam Senatoriam, & claram proseminavit, ex qua nunc *Franciscus* S. Officii Assessor, & utriusque signaturæ Referendarius *Romæ* floret magno cum Familiæ, & Patriæ gloriæ incremento. Quoniam nunc de *Cervia* diximus ex supplici libello *Malatestæ Novelli Nicolao Quinto* Pontifici Maximo porrecto in magnam calamitatem, & Civitas, & territorium inciderat, & habitatores ad tenuem prorsus numerum redacti erant, utque ei Civitati consuleretur proponebat utile omnino futurum si cum Territorio Civitas *Cæsenæ* aggregarentur, unirenturque annuit, atque jussit Pontifex. Est Bulla sub anno 1451. die prima Martii, ejus concessionis, & unionis inter publicas scripturas in Regularia à nobis dicta, ac transumptum omni solemnitate firmatum subscriptione intercedente quinque Notariorum, scilicet *Sr. Mathei Joannes de Talamello*, *Sr. Stepha-*

phani, *Sr. Masii*, *Sr. Antonii*, *Sr. Francisci de Zanolinis*, *Sr. Blasii* quandam *Jacobi Manganelli*, *Sr. Baldassaris Ugonis*, qui omnes erant publici Notarii *Cæsenates*. Summa concessionis, & constitutionis Pontificiæ ex Bulla hic apposita patet.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei; Ad futuram rei memoriam. Constituti in specula supremæ dignitatis ad universas Fidelium Regiones tanquam Pastor Dominici Gregis aciem considerationis extendentes ad earum profectum quantum nobis ex alto permittitur libenter intendimus, & ut inter omnes Christi Fideles pax, & concordia vigeant, ac justitia ministretur partes nostræ solicitudinis interponimus. Sane pro parte dilecti Filii Nobilis Viri Malatestæ Novelli de Malatestiis pro nobis, & Romana Ecclesia in Nostris Civitatibus Ariminen: Cæsenaten: & Cervien: in temporalibus Vicarii coram Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Civitas Cervien: pro majori parte funditus submersa jacet, adeo quod sexaginta familiæ, ibidem non commorantur, quam ob rem ipsius Civitatis, Territorii, & ditionis Incolæ, & Habitatores, qui Territorio Cæsenat: vicini sunt in multis occurrentibus casibus magna quandoque incommoda patiuntur. Verum si Civitas, & Territorium Cervien: hujusmodi, quo ad temporalia dumtaxat de Territorio Cæsenaten: fieret, & illi applicarentur Incolæ, & Habitatores præfati Territorii Cæsenaten: ad coltivandum, & laborandum terras in eodem Territorio Cervien: consistentes, quæ steriles, & incultæ permanent, & ad faciendum tracturos aquæ, argines, ac alias reparationes circa aquam Maris, quæ interdum per hujusmodi Territorium Cervien: dilabitur, & aquæ dulci commixta putredinem, & corruptionem efficit diligenter accederent, ex quibus utriusque Territorii hujusmodi Incolis, & Habitatoribus utilitas proveniret, & inter eos benevolentia magis solidaretur, & augeretur, ac etiam morti plurimorum, qui propter dictarum aquarum corruptionem prout hactenus evenit decedere possent occurretur, & ne dicta Civitas Cervien: ad totalem ruinam, & desertionem deveniat, debita foret cum honestate provisum. Quare pro parte dicti Malatestæ Novelli Nobilis fuit humiliter supplicatum, ut super his oppertune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Fidelium omnium salutem, & commoda procuramus, ac scandalis quantum cum Deo possumus obviamus hujusmodi supplicationibus inclinati, Civitatem, & Territorium Cervien: cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis præfatis Civitati, & Territorio Cæsenat: auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia perpetuo applicamus, & incorporamus, ac volumus, statuimus, & ordinamus ut quod ex nunc in antea dicta Civitas, & Territorium Cervien: sit de Territorio, & Comitatu Cæsenaten: & quod tam præfatus Malatesta Novellus, quam pro tempore Vicarius dictæ Civitatis Cæsenaten: in obedientia, & devotione nostra, ac præfatæ Ecclesiæ persistens plenam, & omnimodam, ac illam prorsus similem in temporalibus dumtaxat jurisdictionem, potestatem, superioritatem, & dominium in Civitatem, & Territorium, Incolas, & habitatores Cervien: habeat, & exerceat, ac habere, & exercere possit, & debeat pro ut habet, & exercet in Civitatem, & Territorium, Incolas, & habitatores Cæsenaten: Ita tamen quod propter unionem, & applicationem hujusmodi Civitas, & Territorium Cæsenat: à solutione census Cameræ Apostolicæ illorum annuorum debiti, nullatenus libera sint, sed tam Malatesta Novellus præfatus quam pro tempore existens Vicarius Cæsenat: solitum censum singulis Annis solvere debeat, & teneatur perinde in omnibus, & per omnia, ac si unio, & applicatio hujusmodi minime factæ fuissent, quodque per hoc Episcopo Cervien: nunc, & pro tempore existenti quominus in Civitate, Diœcesi, & Territorio Cervien: Episcopalem jurisdictionem possit exercere nullum præjudicium generetur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac legibus Imperialibus, & Statutis municipalibus cæterisque in contrarium quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum applicationis, unionis, incorporationis, voluntatis, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadrigentesimo quinquagesimo primo Kal. Martii Pontificatus nostri Anno quinto.

Pe: de Noxeto.

Registrata in Cam. Apost.

Usque ad annum 1464. unio perseveravit, quo anno *Malatesta Cerviam* Reipublicæ *Venetæ* vendidit, ex quo tempore gravis accola fuit Civitas: nam exules *Cæsenates* ad *Cannutium* agri *Cerviensis* partem præsertim confugiebant, ibique uniti ex- 741 currebant inde in agrum nostrum; ut necessario in vigilia quadam militari Civitatem, saltem proscriptorum inimicam Factionem manere oporteret. At ad indulta Pontificia redeamus. Inter cætera autem Civitati attributa ornamenta fuit Hastiludium cataphractarum scilicet equitum crassis admodum hastis se impetentium concursus; *Bravii* pretium ex Pontificis ærario sumitur. Anno autem 1469. institutum, ac primo exercitum certamen fuit, *Braviumque* obtinuit *Carolus Ingratus Bononiensis Pini Ordelasi* acierum structor. Tanti tum Pontifices faciebant Civitatem, ut de assumptione sua certiorem ipsam facerent. Sunt literæ plurium Summorum Pontificum, *Sixti*, *Innocentii*, *Alexandri Sexti*, &c. at satis sit *Sixti* literas hic referre.

A tergo. *Dilectis Filiis Conservatoribus, Consilio, & Communi Nostræ Civitatis Cæsenæ.*

Gaspar Blondus.

Loco ✠ Sigilli appensi, cum effigie Apostolorum Petri, & Pauli. Intus.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Conservatoribus consilio, & Communi Nostræ Civitatis Cæsenæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Creator noster, & Redemptor Dominus Jesus Christus cum Mundum ex nihilo condens cætera omnia miro quodam ordine incomprehensibilique ratione disposuerit, atque firmaverit Sanctam tamen Romanam Ecclesiam Corpus suum misticum figurantem, ea prosequutus est caritate ea pietate fundavit, & stabilivit, ut agitari quidem, & fluctibus, tempestatibusque quati posset; mergi autem, & omnino naufragium facere non posset; sed ut potius quo videretur aliquando extremæ sorti proximior eo in salutis, tranquillitatisque Portum per successionem Vicariorum ejus, vel aliam quamvis divinitus factam rerum commutationem reducta consolaretur: sicut nuper felicis recordationis Paulo Secundo Romano Pontifice Prædecessore Nostro de mortalibus hujus vitæ ærumnis ad Cælestem Patriam septimo Kal. Augusti, sicut Domino placuit evocato afflicta talis Pastoris amissione mœrebat Sancta Mater Ecclesia, cum Venerabiles Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales de quorum numero tunc eramus, ejus funere, & exequiis de more solemniter celebratis soliciti prout gravitas rei exigebat, de futuri Romani Pontificis electione modo, & tempore congruis in Palatio Apostolico apud Basilicam Principis Apostolorum de Urbe Conclave ingressi nobiscum in Domino convenien-

nientes, & super tanti negotii deliberatione aliquandiu consultantes tandem Spiritus Sancti à quo Ecclesia ipsa Christi Sponsa regitur infusione eorum animos sic afflante (licet in alios majorum longe meritorum consentire potuissent) tamen ad Personam Nostram vota sua unanimiter dirigentes quinto idus Augusti Nos tunc titulo S. Petri ad Vincula Presbyterum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem nescimus quo occulto, sed certe nobis tremendo Dei judicio in Apostolicæ celsitudinis fastigio concorditer collocaverunt. Super qua re licet ipsi de nostra imbecillitate conscii virium Nostrarum tenuitatem ad digne perferendi tantæ sarcinæ onus animo metuentes, aliquandiu quid nobis esset agendum dubii deliberavimus, tandem considerato quod ejusmodi electio non ab hominibus, sed ab inspiratione Divinitus facta, cui resistere non licet provenisset, cupientes bene agere, & prodesse potius quam præesse in spiritu humilitatis Apostolicæ servitutis jugo colla subjecimus; sperantes illum, qui ab ipsa suæ Ecclesiæ fundatione infima Mundi elegit, ut confunderet fortia, & qui electionis ipsius auctor fuit vires suas in tanta necessitate Nobis subministraturum. Quapropter devotiones vestras in Domino requirimus, & hortamur, ut tanquam Fideles, & obedientes Filii in Nostra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotione, ac solita subjectione fideliter, constanterque persistatis, & pium, misericordemque Deum Nostrum instanter oretis, ut operi manuum suarum dexteram ipsam auxiliarem porrigat ne tanti oneris mole opprimamur, sed in beneplacito Filii sui dirigantur actus Nostri, ut Ecclesiæ suæ sanctæ ad sui nominis laudem, & gloriam, & commissi Nobis Populi animarum salutem præsideamus, Nos enim vos tanquam speciales peculiaresque Nostros, & dictæ Ecclesiæ Filios fovere intendimus, & in cunctis vestris necessitatibus adjuvare. Dat. Laterani Anno Incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo primo: octavo Kal. Septembris Pontificatus Nostri Anno primo.

A. de Albizis.

Hoc honore nunc nec Provinciæ, nec Provinciarum Præsides dignantur, at quod majus est tolerabant Pontifices à Senatu Cives, qui in Civitatem peccarent perduellionis damnari, ut de *Montis Glutonis* occupatoribus contigit. Attamen abuti cæperunt libertate Cives: cum soluti debito timore in se ipsos factionum studio rursus sævire, ac tumultuare cæperunt. Interpono tamen adventum *Friderici Tertii* Imperatoris, qui anno 1468. *Cæsena* transiit *Romam* ad Augustalem Coronam suscipiendam proficiscens; petivit *Cæsenam* die decima quinta Decembris ningente cælo: obtulere Conservatores publico nomine munus. Fuit autem candidissimi *Damasceni* ulnæ plurimæ. *Ferrariæ* Marchionem *Estensem* titulo Ducis decoravit, cui Principi in Prætura *Ferrariensi Joannes Buccius Cæsenas* Jurisconsultus deserviebat. Prima seditio inter *Tibertos*, & *Martinellios*. Hi ex *Foro Sempronio* advenerant occasione *Guidonis Martinellii*, qui à *Galeoto* jam *Cæsenæ* Principe pro Vicario ductus fuit. Brevi ejus propago patritia facta, divitiis etiam aucta valde crevit, *Bonifacius* ex eo genere *Malatestæ Novelli* gratia, cum cæteris, & præsertim *Agamemnoni Tiberto* plurimùm antistaret, hic disparitatis intolerans voluntario exilio inter *Turcas* abiisse dici-
742 tur: hæc prima origo simultatis. Alia postea successere, quæ ejusmodi odiorum incendio pabulum præbuere. In mutuas ergo injurias ventum at prævaluere *Tiberti* quibus accesserat *Guidoguerra*, e Comitibus *Guidiis* e *Balneo Joannis Francisci* filius, qui prius ex Urbe *Mantua Cæsenam* lares, ut antea dixi, transtulerat, ex *Armellina* Uxore tres Filios suscepit *Guidoguerram*, *Nicolaum*, *Rogerium*, horum *Guidoguerra* corporis magnitudine, & robore; ferocia præterea animi, atque expedito consilio, manusque promptitudine eminebat, cum quibus bonis mala miscebat: haud pius in matrem, contumax adversus Principem, factionis studio se se impotenter permittens Patriam, omniaque perturbavit; *Guelfam* ipse partem professus *Tibertis* amicus, adversus *Martinellios* fuit. Tanto patrocinio *Tiberti* aucti *Cæsenam* magna cum Satellitum manu ingressi (exulabat enim *Polidorus Tibertus* familiæ suæ Princeps) multas *Ghibellinorum* Domus diripuere, inimicis etiam occisis, qui in eorum manus inciderunt: post quod facinus à Rectoribus Pontificiis proscripti invasores, Castri *Montis Glutonis* muri eversi, & ædes *Polidori* in Civitate excisæ. At mortuo *Innocentio* sub quo *Tiberti* deliquerant, Sede vacante reversi in Civitatem sunt, & multa direptionis, & homicidiorum mala perpetravere. At novo Pontifice creato *Alexandro Sexto* e Civitate abiere. Pontifex spe proposita veniæ dum pax inter partes conveniret fiduciam præbuit reis etiam *Romam* adeundi, ibique demum pax inter partes facta; damna etiam direptionis repensa, sed ære publico, à Civitate partim, & partim à Rusticis soluto. Turbidi tamen animi, & nequaquam pace pacati, etiam si ab armis quieti. At novam occasionem malorum, exacerbationis odiorum adventus *Caroli Octavi* in *Italia* adversus *Neapolitanum* Regem, attulit. In *Flaminiam* venere tum *Gallorum* Copiæ ulterius transituræ, tum *Aragoniæ*, ac *Neapolitanæ* transitum prohibituræ. Interea *Ferdinandus* Regis *Ferdinandi* ex filio *Alphonso* nepos *Neapolitani* exercitus Imperator Copias prope *Cæsenæ* mænia reduxerat, cumque fædere cum Pontifice Rex is junctus esset, à Ci-
vitate commeatum petebat ad id Comes *Pitiliani* 743
missus, cum Magistratu negotiabatur: at *Guidoguerra Gallorum* studio ductus. *Obeninio* Ductori conventione obstrictus *Cæsenam* stipatus suis, atque amica factione excitata ingressus est, Palatioque obsesso Comitem *Pitiliani* cepit, qui tamen suppetias ferentibus suis liberatus est, postquam diuturnam pugnam *Guidoguerra* destitutus auxilio (quod sperabat) *Gallorum* ex Civitate aliqua cum Equorum, & hominum sequacium jactura abiit. Erat pro Pontifice Gubernator *Nicolaus Cibo Genuensis* Episcopus *Arelatensis* vulgo *Arles* dictus. Hic *Martinelliis* amicus ac *Tibertis*, & *Guidoguerræ* infensus, vel pro superbia, & violentia gentis, vel suopte instinctu reluctantes virga ut dicitur ferrea comprimebat. Inter *Gallos* autem, & *Aragonios* ipse *Aragoniis* favit, & huc usque recte. Erant enim Summo Pontifici uniti, Fantagutius Chron.
at in eo non recte, quod inconsultius in Civitatem admisit, adeo ut exercitus ex tumultu *Guidoguerræ* irritatus, & fame oppressus Civium Domos occupaverit, atque annona eorum non pretio, ut initio poscebat, sed usurpatione se ferme per Mensem aluerit, & parum abfuit quin ante discessionem Civitatem diripuerit. Suasu autem creditur *Martinelliorum Arelatensis* prius titinnabulum majus, sive ut vulgo dicimus Campanam majorem, qua populus ad arma ciebatur, fregerat, quo signo destitutus populus non defendit ab ingressu Militum Civitatem, veluti forte (ut antea non semel fecerat) defendisset. Hæc *Cæsenati* populo, & *Martinellios*, & Gubernatorem invisos reddidere. Creditur damnum ab Exercitu illatum Civibus octoginta aureorum millia excessisse, at nonnulli ducentorum millium dicunt. Questa de damnis suis Civitas à Pontifice obtinuit, ut *Arelatensi* successor mitteretur. Fuit is *Nicolaus Fliscus Genuensis*, Episcopus autem *Forojuliensis*, quem virum valde monimenta nostra commen-

mendant. *Martinellii* interim, quorum aliqui
in *Romana* Aula gratiosi erant, cum *Arelatensis*
reditum ad Civitatis regimen supra modum opta-
rent, tanto studio iisque artibus eum procurave-
re, ut obtinuerint: jamque cum literis Pontifi-
744 ciis id decernentibus œconomus *Arelatensis Cæ-
senam* veniebat cum rem *Guidoguerra*, & *Tiberti*
rescisentes arcem veterem occupaverunt, in ea-
que se muniere, prætereaque latori literarum
Pontificiarum occurrentes, eum ceperunt, at-
que ante Portam Civitatis, vel ad *Botrium* ap-
pensis iisdem ad collum literis suspendio impie ne-
carunt. Audito *Arelatensis* reditu *Fliscus* relicto,
qui vices gereret, abierat. Tum ergo *Tiberti* in
excidium *Martinelliorum* conspiravere, & re com-
posita die decima quarta Julii, quæ D. *Bonaven-
turæ* sacra est (in diem Dominicam eo anno in-
ciderat) *Achilles Tibertus* ferox animi, & manu
promptus cum *Palmerio*, & *Hercule* pariter *Ti-
bertis*, cum tribus supra decem sicariis è *Monte
Glutone* inexpectatus venit, Templumque D. *Fran-
cisci*, cum vesperæ celebrarentur, ingressus *Mar-
tinellios* multos, cum pluribus sequacibus impara-
tos invenit, ibique evaginatis armis viginti se-
ptem adversæ Factionis occidit, quorum septem
Martinellii fuere, reliqui eorundem amici, ac
studiosi; excursione postea *Tiberti* uniti Civita-
tem peragrarunt; diripuere inimicorum domos;
Palatium *Ruberti Martinelli* demoliti sunt, multa-
que alia sæva perpetravere. His *Romæ* auditis
loco *Arelatensis Hieronymum Porcarium Romanum*
Gubernatorem Pontifex misit, ante tamen ad-
ventum *Guidoguerra*, qui in *Martinelliorum* occi-
dione in *Etruria*, cum Duce *Urbini* erat, re au-
dita *Cæsenam* regressus arcem veterem, cum *Ti-
bertis* occupavit, & muniit, novamque obsidio-
ne cinxit, magnamque & ipse prædam ex afflicta
Civitate, seu factione extorsit; occisis etiam *Troilo*,
& *Pirrho Malvetiis*, qui *Cæsenam* confugerant de
Patria à Tyranno *Bentivolo* expulsi, atque eorum
bonis direptis, & cum *Tiberti* in ejus acta non
prorsus consentirent, violentus ipse amicus *Po-
lidamantem* occidit; *Achillem* pariter ni se fuga
periculo eripuisset, interemisset: *Polydorum*que
cepit, & secum cum præda *Glazolum* duxit. At
brevi *Guidoguerra* injustitiæ suæ pœnas luit,
cum enim *Ravennatis* Archiepiscopi Castra non-
nulla cepisset, milite etiam *Pandulfi Ariminensis*
principis usus, *Veneti* qui tum *Ravennæ* Domini
745 omnia *Ravennatium* loca protegebant magna acri-
monia sunt de injuria cum *Pandulfo* quæsti, qui
ut omnem Reipublicæ ejus indignationem à se
averteret *Guidoguerram* ad se evocatum, carcere
inclusum ibidem gutture fracto interemit. Post
hæc *Tiberti*, & horum *Polydorus* in Civitate præ-
valebat, abalienatis à *Martinelliis* dictam olim ob
causam Popularium animis, unde cum *Martinellii*
tempore Gubernatoris *Porcarii* Muratam, cum
magna manu occupaverunt, & postea *Montem
Glutonem* ceperunt adversum semper populum
passi sunt, & in Murata aliqui capti, alii expulsi
fuerunt. In *Montis Glutonis* occupatione prius
perduellionis damnavit, postea armis captis illuc
accurrit; Castrum obsedit, & qui non aufugere
post obsidionem capti ad pinnas murorum eo in
Castro appensi misere sunt. Pontifex *Alexander*
etiam si suapte natura severus aliud tamen spectans
lenius facinora accepit, ut *Polydorus* ipse ad ejus
pedes accedere, & veniam delictorum suorum
petere auserit. Pontifex benigne indulsit: at ea
ratione, ut Civitati suaderet in Principem *Cæsa-
rem Borgiam* filium ejus petere, cui magnum jam
imperium designaverat. Rediit oneratus promis-
sis *Polydorus*, atque mandata Pontificis perficere
omni studio, & cura annisus est. Sed rem pro-

A positam adeo Senatus, populusque aversati sunt,
ut loco pristinæ benevolentiæ omnium animi sint
à *Polydoro* alienati. Is aversatione cognita ex Ci-
vitate abiit, & cum suis subjectis, & clientibus,
& Factionis studio addictis montanis, & campe-
stribus hominibus Milites, & Ductores *Cæsaris
Borgiæ* junxit. Accessere enim *Hercules Bentivo-
lus*, & *Barisellus Ravennas*, cum copiis, quibus
pro *Borgia* imperabant, Gubernator quoque Ci-
vitatis omni opera, & consilio ad id conspirabat.
Civitas interim, & adversa præsertim factio se
contra *Tibertorum* violentiam munierat. Accer-
serat enim *Nicolaum Guidium* è *Balneo Guidoguer-
B ræ* Fratrem, at Factione, & moribus diversum,
jurium enim optimum, & justitiæ cultorem in-
flexibilem, publicique Patriæ boni zelatorem e-
gregium. Is ergo, cum magna suorum manu
venit: at adversarii magnis copiis muniti, & à
conspirante Gubernatore adjuti, ac prompti, e- 746
jusque favore clam noctu Civitatem ingressi par-
tem meliorem vicerunt, domibus multis numero
viginti septem, & inter cæteras Comitis *Nicolai*
direptis, mane autem Civitatem excurrerunt: eo
devenit demum *Polydori* potentia, ut coegerit ad
suorum Satellitum stipendium, ac militum (ut
ii pro *Sicariis* vocabant.) *Achillis* erogare pecu-
C niam, & Senatus loca in occisorum Senatorum
vacantia ipsemet *Polydorus* vendiderit, & empto-
res in Senatum cooptaverit, pro arbitrio, vel ut
cooptarentur effecit. Tantum sibi auctoritatis
omnibus perculsis sumpserat: coegit itaque Sena-
tum, quatuor Oratores ad Summum Pontificem
eligere, qui ab eo in Principem *Cæsarem Bor-
giam* Fidelium ejus deprecarentur. Oratores fue-
re *Odo Antonius Dandinus*, Jurisconsultus, *Ni-
colaus Masinus* Medicus, *Dominicus Rubeus* Juris-
consultus, *Joannes Absalonius.* Facile exauditæ
à Pontifice preces, qui specie recusantis id fla-
grantissime cupiebat. Ornati etiam Oratores,
D quorum *Absalonius* Comes Palatinus constitutus
fuit. Ita demum vesana Factio dominum poten-
tem Patriæ imposuit, ut Poeta dicit eam in ty-
rannidem impellendo invitam, & renitentem. At
non diu dilata Divina ultio. Brevi *Polydorus*,
& *Achilles* occisi, reliqui *Tiberti* in Carcerem à
Duce ipso conjecti, aut exclusi: *Palmerius* per-
duellionis damnatus, & proscriptus. Non pote-
rat *Polydori* in Civitate Tyrannis, nisi a Tyranno
extingui, quem ipsemet adversus se imprudenti
consilio imposuit. At statum est summi Numi-
nis judicium inimicos suos, cum inimicis ulcisci.
Imperii in Civitatem *Cæsenæ Cæsaris Borgiæ* ini-
E tium fuit die secunda Augusti anno seculari 1500.
solemne admodum: finis die secunda Decembris
anni 1504. qua die Diploma *Julii Secundi* venit,
dominium ad se Civitatis revocantis, & uni-
versa Civitas summa cum lætitia imperium Pon-
tificium suscepit, ac subiit cum festis acclama-
tionibus, & aliis promptæ subjectionis signis.
Arx tamen pro *Borgia* ab ejus Præfecto fuit us-
que ad diem decimam tertiam Aprilis retenta. Tum
demum integrum dominium, & libera Civita-
tis administratio S. Sedi restituta. Dominatio 747
Borgiæ hoc *Cæsenæ* boni attulit, quod metu Fa-
ctiones compressit, ut Civitas à mutuis cædibus,
F & direptionibus secura vixerit, Cives autem ad
dignitates provexit, Præfecturis Civitatum usque
ornando: Ecclesiasticis etiam proventibus non-
nulli locupletati; publica Civitati ornamenta de-
stinaverat, cum eam sedem late propagati impe-
rii statuisset. In arce adhuc sedes, ac Tribunal
ejus pro illo tempore magnificum visitur. Con-
stituit pariter *Cæsenæ* Decuriam Judicum, pro su-
premo causarum civilium in universa ejus ditione
judicio (Rotam dicimus) selegit vero ex singu-

lis Civitatibus præter Præsidem singulos judices. Præses fuit ex *Monte Politiano*, reliqui ex *Urbino*, *Fano*, *Pisauro*, *Arimino*, *Cæsena*, *Forolivio*, *Faventia*, *Imola*; singulorum nomina ponit *Julianus Fantagutius* eorum temporum Scriptor, qui & solemnitatem præcedentem, & primam sessionem describit. Jam erat constitutum de judicio, ac Rota (ita appellare liceat;) memorat deinde sub die vigesima quarta Octobris 1502. Judices electos. verba sunt. *Gl'Auditori della Rota a Cæsena furono Monsig. Presidente Monsig. Antonio da Monte Pulciano, M. Odantonio Dandino per Cesena, e il Priore per Urbino M. Galeotto de Gualdii, per Arimino, & M. Gulielmo Lambertacci per Forli, M. Mateo per Pesaro, e M. P. Ludovico per Fano, M. Andrea de Negosanti per Faenza, e M. Aniballe per Imola.* At anno 1573. sub die vigesima quarta Junii solemnitatem Rotæ præcidaneam his enarrat. *Quest' Anno in Cæsena il di di S. Giovanni Battista in Piazza in presenza del Presidente, & di tutti li Dottori della Rota in su la sua Sedia altissima di più gradi, donata, pinta, e ornata, e tutto il Populo di Cesena. Furono fatte alla sua presenza molte rapresentationi à laude del Duca V. ciò fù di S. Francesco solitario, e contrafatti molti Martiri, e Giove su un'Toro, ò Europa, e un'Carro Trionphale di Cesare, e Cleopatra di fanciulli, e fanciulle molto bello, e recitorono tanto bene li loro versi, che pianse il presidente, e li circonstanti d'allegrezza.* Post autem non multas lineas in calce ejusdem paginæ primam sessionem Rotæ
748 describit, quæ fuit etiam postrema ob consequutam brevi mortem *Alexandri* Pontificis, & depressionem *Borgiæ* filii. verba sunt. *La Rota à Cesena quest' Anno cominciò à di 5. di Luglio: cantos si una Messa solenne dal Vescovo di Sarsina, con tutto il Popolo in S. Giovanni, e tutti i Dottori con li capuzzastri in testa foderati di taffetà rosso, e in Palazzo furono accompagnati dalli Notari di Cæsena con le Mazze in mano, e li si lesse la bolla con gran cerimonia, e trionfo di trombe, e bombarbe, e poi sedettero vna meza hora, e poi fecero vacatione per trè Mesi, in sempiterno.* Hæc ideo fusius aliquanto scripsi, quoniam *Clementinus* scribit Rotam à *Borgia Arimino* assignatam, amor scilicet Patriæ ab historica veritate abduxit hominem. Hæc, & alia ejusmodi commoda attulerat, ac destinaverat *Borgia* Dux, ac Princeps noster: at vero omnia Civium bona sua reputans pro Castris Militibus, ac exercitui suo Domos; pro commeatu annonam, & bona Civium assignabat. Usurpans ita dominia privata Civium, quæ Princeps tueri tenetur, secus Tyrannus pro Rege evadit, Turcicoque imperio in subjectos grassatur. Hi fuere *Borgiæ* in Civitatis imperio mores. Quod vero dixi ad dignitates evectos *Cæsenates* in aliquibus tamen videtur arte ea Politica factum, ut specie honoris potentes Cives amandaret. *Polydorum Tibertum* Senatorem *Romæ* factum à *Cæsena* removit. Marcum *Casinum Reatinum* Gubernatorem creatum illuc specioso titulo relegavit. *Achillem Tibertum* militaribus præfecturis illigatum, vel *Romæ* continuit ad custodiam Pontificis, vel secum in expeditionibus suis habuit, & demum in oppugnatione *Faventiæ* ferociter pugnans concidit. Sunt, qui scripserint à militibus ipsis *Borgiæ* ejus nutu dum propius hostes pugnaret, à pone jacientibus occisum. *Polydorum* non fraus Principis, sed ultio Numinis morte punivit, nam dum Senatorem Urbis ageret in solemni supplicatione incedentem *Petrus Martinellius* certæ morti præponens suorum ultionem invasit, & peremit. Captus autem lanienam corporis sui vivens adhuc, & deinde mortem, lætus inimici morte constanter tulit. Mortuo *Alexandro* Pontifice, & *Borgiæ* rebus titubantibus magna in perturbatione vi- 749
vebant *Cæsenates* ambigui cujus futuri essent, num *Borgiæ*, num S. Sedis, num alterius Vicarii, cui à futuro Pontifice exemplo præcedentis traderentur. Erant etiam externi Principes *Veneti*, & *Urbinatium* Dux, qui prætextu restituendi eam Ecclesiæ, & à Tyranno liberandi, eam adoriebantur. At Civitas, cui nihil horribilius erat quam seditio interna Civium, decreverat ante jussionem *Julii Secundi* ejus ad se dominium revocantis in *Borgiæ* dominatu perseverare; sub quo à seditionibus factionum quieta vixit. Mortuo *Alexandro* successit *Pius Tertius*, qui literis suis Civitatem in obedientia *Borgiæ* confirmavit, at intra vigesimam sextam Pontificatus diem mortuus successorem habuit *Julium Secundum*, qui primo suspensione quadam usus, deinceps Mense transacto à creatione sua literis *Cæsenam* missis ad S. Sedis imperium revocavit; verum durante adhuc interregno *Alexandri* Pontificis *Palmerio Tiberto* authore *Feretranæ* Copiæ *Cæsenam* accedebant eo obtentu, ut Ecclesiæ se daret: at Populus sumptis armis sono campanæ bellum indicente excitatus adversus hostes multa cum ferocia processit, & territos hostes in fugam conjecit, & multos eorum cepit, victoriaque lætus, ac triumphans *Cæsenam* rediit. At quinta post die Reipublicæ *Venetæ* exercitus, qui *Ravennæ* coactus erat, & occasionem dilatandi imperii observabat, quorundam proditione nixus (non constitere autem proditores) noctu ad mænia, ac Portas Civitatis venit, ut eam occuparet, at à vigilibus re intellecta, atque clamoribus indicata campana belli index insonuit, tum armatus Populus tanta virtute aggressores excepit, ut aliquibus occisis eos à muris repulerit, & fregerit. At postquam ad imperium S. Sedis jussu Pontificis rediit in novam perturbationem, eamque magnam incidit, nam Præfectus Arcis pro *Borgia* bombardarum jactibus, ut in rebelles, subjectas domos (eminet enim Arx) rupit multas, ut neque sub tectis, neque sub dio tuti essent, & magnificas præsertim ædes ab *Egidio* Cardinali olim constructas universas demolitus est, usque ad diem decimam tertiam Aprilis qua demum no- 750
vo Præfecto, ac pro Pontifice accipienti arcem tradidit. Fuit hic finis imperii *Cæsaris Borgiæ*, quem Ducem *Valentinum* dicebant. Etenim Pontifex cum Cardinalium assensu *Flaminiæ*, ac *Æmiliæ* Ducem constituerat ad majora tamen aspirabat: verum velocem ejus assensionem præceps descensus est consequutus. Civitas statimque atque Ecclesiæ restituta fuit, Summum ipsum Pontificem *Julium* deprecata est, ne futuris unquam temporibus alicui in Vicariatum, aut beneficiario jure tradatur, sed semper ipsimet S. Sedi immediate subsit. Pontifex autem ejus fidem, ac devotionem plurimum commendans Bullam, ut vocant Consistorialem, cui scilicet, & ipse, & Cardinales subscripsere id concessit, & in perpetuum observari jussit die vigesima quarta Junii anno eodem 1404. Bulla ipsa.

Guicciardinus Lib. 6.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Communitati Civitatis Nostræ Cæsenæ salutem, & Apostolicam Benedictionem. Inconcussæ fidei constantia, & sinceræ devotionis affectus quibus erga Nos, & Romanam Ecclesiam vos clarere manifestum est merito promeretur, ut vos speciali dilectionis favore, & protectionis munimine prosequamur. Attendentes itaque quod vos in tot perturbationibus, quæ proximis temporibus in Provincia Nostra Romandiolæ in illius Civitatibus, & Terris Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ subjectis evenerunt semper in fidei devotione, & constantia erga Nos, & eandem Romanam Ecclesiam perseverastis, & nulli

nulli alteri quam eidem Romanæ Ecclesiæ subjici voluistis, & à subjectione, qua felicis recordationis Alexander Papa Sextus, prædecessor Noster vos dilecto Filio Nobili viro Cæsari Duci Valentino contra voluntatem Nostram vos submiserat quantum potuistis reclamastis, & nunc eisdem vestris devotione, & fide coadjuvantibus ab hujusmodi subjectione præfati Ducis liberati in eadem Nostra, & Romanæ Ecclesiæ fide, & devotione, ac protectione, nec non immediata subjectione perseverare totis desideratis affectibus. Nos desiderium vestrum quantum cum Deo possumus coadjuvare etiam ex commisso Nobis Pastorali officio cupientes etiam felicis recordationis Pauli Papæ Secundi prædecessoris Nostri, qui vos sub immediato Imperio, Dominio, & ditione suis, ac d. Romanæ Ecclesiæ recepit vestigiis inhærentes de Fratrum Nostrorum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac vobis concedimus quod de cætero perpetuis futuris temporibus tanquam speciales devoti, & fideles ejusdem Romanæ Ecclesiæ Filii Nobis, & successoribus Nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac eidem Romanæ Ecclesiæ dumtaxat immediate subjecti existatis, ita ut alicui Vicario temporali, vel perpetuo Potentatui, & Comiti etiam Apostolica auctoritate in Civitate ista Cæsenaten: vel ejus Territorio, & Dominio, ex quavis causa deputando, ex quacunque causa, vel titulo subjici non possitis, necnon etiam prætextu quarumcunque censurarum Ecclesiasticarum, seu pœnarum, & mulctarum contra vos tam per Nos, quam Successores Nostros, aut Sedem Apostolicam per Literas Apostolicas desuper conficiendas, aut alias contra vos quomodolibet promulgandas ad receptionem alicujus in Dominium vestrum temporalem, seu Vicarium in temporalibus inviti cogi, aut compelli, nec etiam voluntarie illum recipere, vel admittere valeatis, decernentes hujusmodi censuras vos non ligare, nec vos pœnas, & mulctas quomodolibet incurrere, sed vos coram Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, seu Legatis, aut delegatis Sedis Apostolicæ, vel Gubernatoribus Provinciæ Romandiolæ particulariter, ac aliis Officialibus per Nos, vel Successores Nostros præsentes nunc, & pro tempore deputatis, & deputandis dumtaxat, & non coram aliis respondere debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quo quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, & si (quod absit) forsan contingeret Nos, vel Successores Nostros, vos alicui Domino, vel Vicario, aut Dominio temporali subjicere, Nos ex nunc prout ex tunc in vestra libertate ponimus, & constituimus, ita tamen, quod per hoc alicui Dominio temporali quacunque dignitate fulgenti, seu Communitati, vel universitati vos subjicere non possitis, & si secus feceritis præsentes Literæ vobis in aliis supra dictis nullatenus suffragentur, ac omnibus aliis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus vobis ab Apostolica Sede quomodolibet concessis absque alia declaratione privati sitis eo ipso non obstantibus prædictis, & quibuscunque aliis subjectionibus in Vicariatum de Civitate, Territorio, & Districtu prædicto, tam prædicto Cæsari, quam quibuscunque aliis personis cujuscunque conditionis existentibus tam per dictum Alexandrum, quam alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, seu ad hoc potestatem, & facultatem habentes factis, & concessis, quas & illarum tenores, & causas in illis expressas, ac si de verbo ad verbum insererentur, ac etiam si ullæ de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu emanasse dicerentur, aut emanaverint pro expressis habentes revocamus, & cassamus, ac annullamus, ac pro non concessis habere volumus, nec non juramentum fidelitatis, & homagii, seu subjectionis dicto Cæsari, aut cuicunque alteri sub quacunque forma per vos, aut alios vestro nomine præstitis, à quibus juramentis homagii, fidelitatis, & subjectionis præstatione, & obligatione vos, & singulares personas Civitatis, Territorii, & districtus prædictorum absolvimus, & liberamus, dictumque juramentum penitus, & omnino relaxamus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque volumus auctoritate, & de consilio, & assensu simili declaramus, quod hujusmodi Literæ Nostræ irrevocabiles sint, illisque sub nulla expressione, conceptione, aut forma verborum ullatenus etiam per Nos, vel Successores Nostros Romanos Pontifices valeat derogari, sed perpetuo in suo robore, & vigore remaneant Successores ipsos in Domino obtestantes, ut consideratis discriminibus, & periculis, quæ ex alienatione Civitatis Nostræ prædictæ emanavere, vos tanquam peculiares, & fidelissimos Filios sub immediata protectione Sedis Apostolicæ retineant, faveant, & protegant, nec ullo unquam tempore, cuique personæ Ecclesiasticæ, vel seculari quacunque dignitate fulgenti in Vicariatum, vel alias quomodolibet tradant. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, constitutionis, positionis, decreti revocationis, cassationis, annullationis, absolutionis, liberationis, relaxationis, voluntatis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quarto, octava Kal. Julii Pontificatus Nostri Anno primo,

✠ *Ego IVLIVS II. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

✠ Ego O. Episcopus Hostien. & Cardinalis Via. manu propria.
✠ Ego G. Episcopus Portuen: Cardinalis Portugal: manu prop.
✠ Ego Hier. Episc. Sabinen: Cardinalis Recanaten: manu prop.
✠ Ego A. Episcopus Preneſtin. S. R. E. Cardinalis Sanctæ Praxedis, manu propria.
✠ Ego Jo. Ant. Episcopus Tusculan: Cardinalis Alexan.
✠ Ego B. Tit. S. †. in Hierusalem Presbyter Cardinalis manu propria.
✠ Ego Jo. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Norigen: manu prop.
✠ Ego D. Tit. S. Marii Presb. Card. manu prop.
✠ Ego P. Tit. S. Ciriaci Presb. Card. Reginus, manu prop.
✠ Ego F. Tit. S. Ceciliæ Presb. Card. Cusentin: manu propria.
✠ Ego Joann. Tit. S. Balbinæ Presb. Card. Salernitan: manu propria.
✠ Ego L. Tit. S. Agathæ Presb. Card. Beneventan: manu prop.
✠ Ego Ant. Tit. S. Stephani Sabinen. Presb. Cardinalis.
✠ Ego Joste Tit. S. Vitalis Presbyter Cardinalis.
✠ Ego Jo. Tit. S. Navesti Presbyter Cardinalis.
✠ Ego F. Tit. S. Susannæ Presb. Card. Vult. manu prop.
✠ Ego N. Card. Ullis.
✠ Ego F. Tit. S. Sergii, & Bachi Presb. Card. Logienan.
✠ Ego Adrianus Tit. S. Grisogoni Presbyter Cardinalis.
✠ Ego Clem. Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Mimaten.
✠ Ego Galeotus Tit. S. Petri ad Vincula.
✠ Ego Jo. Diaconus Card. de Columna, manu prop.

✠ Ego F. S. Theodori Diaconus Cardinalis de S. Severino.
✠ Ego Julius S. Angeli Diac. Cardinalis Cæsarinus.
✠ Ego M. S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Cornelius.
✠ Ego F. S. Sabinæ Diaconus Cardinalis Elnen.
✠ Ego L. Sanc. M. in Cosmadia Diac. Card. de Aragonia.
✠ Ego A. S. Nicolai in carcere Julias Card. Diac. Dalbreto.

Sigismundus.

Loco ✠ *Signi, in cujus circumferentia legitur.* Dominus mihi adjutor non timebo quid faciat mihi homo.

Et in medio circuli. Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, Julius Papa Secundus.

A tergo. Registrata apud me Sigismundum.

Episcopo *Petro Mentio* Vicentino, quem diximus anno 1486. ab *Innocentio Octavo* electum, successit *Facius Santorius Vitterbiensis* anno 1404. creatus deinceps Cardinalis Titulo S. *Sabinæ*. *Petrus* decessor, qui Auditor Cameræ quoque fuit parum gratus *Alexandro* Pontifici multas est perturbationes passus, peste demum obiit *Romæ* ubi Sepulchrum ejus in D. *Mariæ* ara cæli magnificum visitur. De electione autem *Fatii* Episcopi hæc *Julianus Fantagutius*. *M. Fatio de Gatti da Viterbo fu fatto Vescovo di Cesena del Mese d'Agosto, e poscia Cardinale di Santa Sabina, e di Cesena richissimo de Santoriis.* Politicus vero Civitatis status, quoad ditionem multis Castris, cum portu etiam *Cæsenatico* à *Venetis* occupatis ipsa carebat. Qua ex re præsertim ex subtractione Portus magnam incommoditatem patiebatur. At anno 1505. *Veneti* ipsi Portum restituere. Civitas per Conservatores multa cum exultatione restitutam possessionem recepit. At vero intra mænia Factiones pullulabant Ecclesiastica ipsa libertate altæ; verum compressæ usque ad Junium anni ejusdem 1505. etenim cum bellum adversus *Forolivium* pro Ecclesia (desciverat enim ea civitas) Dux *Urbini* gereret, *Cæsenæ* ubi copiæ cogebantur, ceuque stativa habebant, præsidebat ut gestamen armorum
751 Civibus omnibus edicto ipse suo inhibuerit, sed pacato *Forolivio*, & exercitu dimisso ebulliere contenta, ac compressa odia. Primi fuere *Tiberti*, qui cum *Masiniis* uniti in contrariæ factionis homines impetum fecere, occidere qui non evaserunt, & Domos complures diripuere: at vix Mense elapso *Ghibellina* factio proxime ejecta ducentibus *Ludovico Ugolinio*, & *Baptista Martinellio* cum equitibus, ac peditibus multis noctu Civitatem ingressi rependerunt mala illata *Tibertis*, & *Masiniis*, & universæ eorum Factioni occiderunt, quot quot non aufugere, aut se occultaverunt, Domos inimicorum omnes populati sunt, & aliquot combussere, quid non mali irritati damnis acceptis tumque victores *Ghibellini* in victos inimicos intulerunt? Quæ sævitiæ exempla non ediderunt? Hoc sufficiat enarrare. *Darium Tibertum* octogenarium virum natalibus, rebus gestis, libris scriptis, & editis illustrem ex domo *Figuli* in quam confugerat, ibique se absconderat extractum feri ultores paulatim conciderunt, interim monentes, ut se Diabolo commendaret, sævi nempe homines cum occidione corporis perpetuæ animam morti mancipare studebant: sed octo vix dies abierunt cum *Tiberti*, & *Masinii* majore cum manu Equitum, & peditum furtim *Cæ-*

A *senam* intrantes inexpectati *Ghibellinos* oppressere tanto plura damna occupatis hostibus inferendo quanto recentiora erant, quæ ipsi perpessi fuerant; occisi quot quot fuga non se subtraxerunt, & prope ducentas Domus prædati sunt. Pontifex jure væsanæ Civitati, & in se ipsam ruenti iratus misit Episcopum *Tiburtinum* qui rigide tam sæva flagitia puniret. Prohibuit quominus ex eadem agnatione plures Senatores essent. Publicis reditibus *Cæsenatem* Rempublicam in pœnam perpetratorum à Factionibus scelerum, occisionum, populationum privavit. *Tiburtinus* Episcopus Factiosorum multos carcere condidit, severæ inquisitioni subjecit, demum multos punivit,
B omnes terruit. Suspendio necati fuere, undecim: in exilium pulsi quinque super septuaginta. At proscripti, ut perduelles octoginta factiosi omnes relegati aliqui, ut *Hieronymus*, & *Franciscus Bertutioli Fanum* relegati. Mitis autem re- 752
legatio, nam ibi Frater eorum Episcopus erat nomine *Joannes Baptista*. Cum tanta perturbatione Factionum, & judiciorum juncta fuit in Civitate pestis, quæ tamen non valuit pestem animorum, & virus Factionum excindere. Judiciorum tamen severitas direptiones, & populationes compescuit, at non induxit securitatem:
C quam ob rem jussu Pontificis multos Civitas suis stipendiis conduxit ad prohibendos Factionum insultus, Milites. Summus Pontifex *Julius* venit *Cæsenam* dum ad *Bononiam* recuperandam iret, cum duobus, & vinginti Cardinalibus, magnaque cum exercitus sui parte die prima Octobris, at extra Civitatem in Cœnobio *S. Crucis* Canonicorum *Lateranensium* mansit. Obviam tamen à Civitate itum, & ultra *Rubiconem* quadraginta Nobiles adolescentes vestitu ornato, ac consimili, ejusdemque coloris, quo famulitium Pontificium utebatur, induti occurrerunt, hastas manu gerebant ad semovendam Plebem insignibus Pontificiis pictas; mane diei sequentis per
D Portam Sapignam olim, nunc Sanctorum dictam intravit Civitatem ab ingressu ad Forum usque aulæis, & velis ornatam, & tectam. Pontificis hospitium arx fuit: moratus est *Cæsenæ* dies octo, nec eadem die a *Culicibus* exclusus discessit, quicquid Musa quædam parum Civitati amica occinerit. Certe Culices, qui *Cerviam*, *Ravennam*que infestant ad nos (nunc saltem) non pertingunt. Interim coram ipso lustratus per partes, & non eadem die exercitus, Pontificiaque benedictione subinde agmina munita. Ante discessum proposuerat Diplomate utriusque Factionis exulibus, & proscriptis omnium delictorum veniam,
E modo in Patriam redirent, mutuisque pacibus, & amplexibus conciliarentur, quæ paces etiam opulentis fidejussionibus firmarentur. Post ejus ergo discessum *Cæsenæ* remansere Cardinalis S. *Georgii*, & Cardinalis *Fatius* Civitatis Episcopus, una cum Cameræ Apostolicæ primoribus Ministris, ut Factiosorum paces curarent. Confectæ autem omnes, firmatæque fidejussione decem millium aureorum ab ea parte solvendorum, cujus aliquis pacem fregisset. Sacer autem Cardinalium Se- 753
natus utrique parti spopondit se pro ea futurum,
F si contraria pacem violaverit; adversus quam operam, & opem omnem positurum. Eadem die (fuit autem undecima Octobris) qua pax coaluit publicæ lætitiæ ignibus, & sonitu, bombardarum strepitu exhibita signa. Post pacem tamen aliqui Factiosiores, utriusque partis seni, fuerunt ad arbitrium Pontificis in *Umbriam*, alii in *Sabinam* relegati; brevi tamen Patriæ omnes restituti. Sicuti etiam Civitati redditi reditus ac vectigalia publica, quæ scilicet præsens denegaverat Conservatoribus petentibus; absens postea cum

Julianus Fantagutius.

cum quietos animos, & quieta saltem facta vidit, Magnanimus Princeps, ac *Pius* Pontifex devotæ, ac fidæ Civitati restituit. Felici is cursu *Bononiam* recepit, nam die decima nona Octobris *Imolam* petivit, & die secunda Novembris *Joannes Bentivolus Bononiæ* Principatum cessit, à Civitateque ea cum omni Familia recessit. Exemplum humanæ instabilitatis: qui vitam antea felicem vixerat, extremam infelix clausit. Reversus est Pontifex *Cæsenam* anno sequenti die vigesima septima Februarii. In Conservatorum Palatio resedit, indeque solum post prandium die prima Martii ad Portum *Cæsenaticum* profectus est, ibique noctu mansit; inde per S. *Archangelum*, *Veruculum*, *Urbinum*, *Romam* rediit. In eundo autem *Bononiam*, & redeundo semper Civitates *Flaminiæ* a *Venetis* occupatas, earumque Territoria vitavit; quod argumentum fuit iracundiæ in occupatores, & obfirmatæ voluntatis earum recuperandarum, quam brevi executioni mandavit. Fædus enim *Cameraci* cum Imperatore Rege *Galliæ*, Regeque *Hispaniæ* adversus *Venetos* inivit, quod eam Rempublicam omni ferme in *Italia* imperio spoliavit. Anno 1509. bellum Fæderatorum in *Venetos* erupit. Pontifex exercitum coegit duodecim millium militum armis & tormentis, ac commeatu redundantem; Mense Maji in *Flaminia* fuit. Præcesserant adventum excursiones *Cæsenatum* in *Cerviense*, ac *Ravennate* Territorium, & vicissim *Ravennatum*, & *Cerviensium* Copiarumque *Venetarum* ibi insidentium
754 in *Cæsenate*. Verum die decima quarta Maji Exercitus *Ludovici* Regis *Galliæ* ex selecta nobilitate Regni, & præsentia Regis animatus vicit, ac fudit Exercitum *Venetum*: quam cladem consequuta est Imperii *Veneti* in *Italia* eversio. Territi enim Populi se præcipites victori dedidere, nec *Veneti* repugnavere dedentibus, sed perculsi, & ipsi animo arbitrium Populis de se ipsis statuendi permiserunt. Hinc *Flaminiæ* Civitates, & loca omnia ab illis protecta, *Ravenna*, *Cervia*, *Faventia*, *Ariminum*, & minutiora reliqua Oppida S. Sedi restituta; aliqua etiam capta, ut *Brisighella* ante *Gallorum* victoriam. Jam universa *Flaminia* cum *Bononia* ab omnibus Vicariis liberatæ Pontifici parebant. In hoc temporis intervallo tumultuatum sæpe *Cæsenæ*, & arma à Populo sumpta metu partium, eorumque præsertim, qui extra Civitatem ab ea amandati erant, at vani semper timores. Verus tamen fuit Civitatis in eorum aliquos impetus, & expeditionis prosperus successus. *Mainardus* Civis *Cæsenas Britonorio* oriundus ex *Mainardorum* Familia, quæ Civitati illi aliquandiu dominata est, fuit Factionis *Guelfæ* magna pars. Homo ferox, & animus inquies ad *Canutium* agri *Cerviensis* partem magna collecta Sicariorum manu morabatur, indeque furtivis egressibus, & insultibus ad *Cæsenæ* usque mænia noctu provocabat contumeliis, ac minis Cives. *Opizo Alidosius Cæsenæ* pro Pontifice Rector statuit ulcisci, ac debellare hominem: prius autem *Petrum Arcanum Cæsenatem* Jurisconsultum, & Senatorem ad Prætorem pro *Veneta* Republica *Cerviæ* misit petitum, ut liceret intra fines *Cerviæ* aggredi perduellem Civem, & continuo Patriam perturbantem Prætor permisit. Permissione obtenta *Opizo* cum octoginta equitibus, septingentis peditibus improvisus *Canutio* adfuit, & *Mainardum* cum multis affeclis peremit, cæteros fudit, repugnavere tamen, & fortiter cecidere confossi. Aliqui scribunt initum inter *Mainardum*, & *Jacobum Masinium* certamen, & hujus manu *Mainardum* peremptum. Chronologia *Fantagutii*, qui occisorem *Mainardi* reticet *Masinium* tamen

A in ea pugna vulneratum in crure refert. *Jacobus* adversus reliquos gentiles Factionis *Ghibellinæ* assertor, & *Tibertis* quæcunque fuerit odii 755
causa inimicus evicit tandem, ut universa *Masiniorum* Familia contrariam *Tibertis* partem tuerentur, diuque postea inter has Familias, ut Factionum capita diffidium fuit. Attamen tum etiam Factiones alios Duces, ut eminentiores agnoscebant. *Carolus Malatestius Soliani* Dominus duos genuit filios *Rhambertum*, & *Malatestam*, ille *Soliani* mansit, hic *Cæsenam* venit ductaque in Uxorem *Francisci Ubaldini* Civis *Cæsenatis* filia
B sedem ibi locavit. Huic ut Factionis Principi *Guelfi* adhæsere, sicuti contraria Factio Comiti *Nicolao Guidio* jam adhærebat. Posteri *Malatestæ* fuere, *Leonida* filius, *Jacobus* Nepos, *Carolus* pronepos, *Leonida* abnepos, qui absque filiis masculis mortuus propagini huic *Cæsenati* finem nuper imposuit. At *Nicolai* filius *Joannes Franciscus*, nepos *Fabricius*, pronepotes *Joannes Franciscus*, & *Nicolaus*. *Leonida*, & *Jacobus* Factionibus indulsere, sicuti ex contraria parte *Joannes Franciscus*; at remissa deinceps odia *Fabritius* præsertim ex *Guidiis* mitis animo, & vitæ innocentis; Filii Patrem sequuti sunt, & longe nobi-
C lioribus curis occupati *Joannes Franciscus* sanctimonia ab initio vitæ repræsentavit Sacerdotalem, cui se jam destinaverat puritatem, ob quam post exercita gravissima pro Sancta Sede munia est in Cætu Purpuratorum Patrum merito collocatus. Frater post *Voltureniam* administratam *Ferrariæ* armis Pontificiis suprema ibi auctoritate præsidet. Remissa ergo admodum partium studia erant, cum postremo inter *Tibertos*, & *Venturellios* orta inimicitia aliquatenus repullulavere. *Venturelliis Ghibellini* se se aggregaverunt, pugnæ sequutæ, & mortes, at partiaria fuerunt, & non universarum Factionum certamina: nec post pu-
D gnam invadebant Domos adversariorum victores, at latitando, vel fugiendo judicia, & pœnas vitabant. Crevitque subin judiciorum timor, vetustate enim imperia intenduntur. Mitioribus tamen *Gregorii* XIII. temporibus sustulerant facinorosi animos: at severitas *Sixti V.* quieta omnia reddidit, & potentiores Cives, ac subjectos Sanctæ Sedi Regulos terruit, & ne ipsi, aut per clien- 756
tes peccarent justo timore compescuit. Ab illo tempore exulavere ferme in hac Civitate Factionum nomina. Si qua est inter Cives simultas ab omni alia causa, quam à Factionum memoria procedit. Experientia constat, nos hoc Regio,
E non Tyrannico timoris fræno ad publicam, privatamque securitatem egere. Post *Valentini* depressionem ad hæc tempora Pontificio imperio immediate subjecti fuimus, ac sumus. Solum post stragem exercitus *Julii Secundi* à *Gallis* prope *Ravennam*, ob quam capta, vexata, & direpta Civitas illa fuit, *Cæsena* etiam publico infortunio cessit, & Cardinali *Sanseverino* conciliabuli Legato paruit, Civitatisque ab eo Rectorem, & Castri Præfectum *Bernardinum Carratiolum* suscepit, sed brevi tempore; primaque fuit, quæ *Julium*, & Ecclesiam sumptis armis inclamavit, quæ nova devotionis, ac fidei repræsentatio Pontificem,
F qui antiquam fidelitatem agnoverat, amplius adhuc demeruit. Recuperata universa Provincia est illi toti Præses, vel Legatus præpositus, qui ut plurimum *Ravennæ*, ut mediæ inter extremas Civitates, & antiqui Exarchatus Sedis, residet. Reliquis Civitatibus singulis Rector assignatur, quem Gubernatorem dicimus. Domus tamen Quæstoria *Cæsenæ* est, in qua diu Quæstores universæ Provinciæ permansere, alia tamen exædificata *Ravennæ* in qua nunc ad faciliorem negociorum expeditionem uniti Præsidi, aut Legato degunt.

degunt. In tanta quiete, & securitate Civitatis Senatus antiquam Academiam, & publicam scientiarum integravit, ut possint Cives, & qui concurrunt exteri (finitimi autem concurrunt multi) integrum absolvere scientiarum, & jurisprudentiæ cursum, indeque laurea ornari. Antiquum hastiludium, quod descripsi, retinet. Cæterum ubertas agri, & Regionis felicitas, otio deditos (quod de *Capuanis* dixit *Cicero*) reddit, ut suis contentis, extera plurimi non quærant. Attamen armis operam multi dedere, & honestis ornati militaribus Præfecturis fuerunt *Avenionensi* usque, & *Ferrariensi*, quæ non nisi summis viris dantur. Aulæ etiam rari deserviunt, attamen
757 aliqui ad infulas usque Ecclesiasticas, & ad purpuram olim, & nunc pervenere. Rari quoque scriptis, ac editis operibus se, ac Patriam commendarunt. Posterioribus tamen his seculis frequentiores editis ad immortalitatem monimentis, eam illustrarunt. Viros & armis, & literis insignes sine debitis laudibus commemorare haud decet. Fusior autem ejusmodi commemoratio huic breviario non accommodatur. Commemorabit, qui contenta in hac epitome est latius, ut spero perscripturus, & prosequuturus. Ego interim subjicio, qui post *Fatium* Episcopum, & Cardinalem *Cæsenatis* Ecclesiæ sedem tenuere. *Fatio* ergo, qui anno millesimo quingentesimo decimo Mense Martii obiit *Christophorus Viterbiensis*, & ipse, & ex spiritibus successit, qui diutissime sedit. Sicut brevi admodum ejus successor *Joannes Baptista* ex eadem Familia, ac Patria: post quem electus *Adouardus Gualandus* nobilis *Pisanus* fuit. Huic viventi, & se ultro abdicanti suffectus est *Camillus Gualandus* ejus ex Fratre Nepos, qui mortuus est *Pisis* anno millesimo sexcentesimo nono, clauserat scilicet seculum decimum quintum, & decimum sextum inchoaverat. Post ejus fata collata Ecclesia in *Michaelem Tontum Ariminensem* Cardinalem fuit. Is defunctus vita, & dignitate Cardinalem *Franciscum* Sacratum nobilem *Ferrariensem*, & Comitem successorem habuit, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo hicque *Laurentium Campegium* Comitem ipsum quoque & Nobilem *Bononiensem*, quem consequutus est, qui nunc vivit, & sedet *Petrus Bonaventura* Nobilis *Urbinas*. His *Cæsenæ* Episcopis adjungo *Cæsenates*, qui intra eadem temporis claustra aliis Ecclesiis præfuere. Fuerunt autem *Joannes Baptista Bertucciolus Fani* Episcopus anno usque millesimo quingentesimo tertio. *Alexander Tibaldeus* Episcopus in *Scotia* à *Leone Decimo* constitutus. *Petrus Antonius Angelinus* Episcopus *Nepensis*. *Anastasius Ubertus Imolensis*. *Bargelinus Bargelinius Campaniæ*. *Franciscus* de *Albicis* electus *Ariminensis*. *Marcus Agrippa Dandinus Æsinus*. Cum Episcopis repono duos alios gravissimos in *Romana* curia Antistites, *Cæsenæ* quoque orna- 758
tissimos Cives *Anselmum Dandinum*, & *Marcum Aurelium Maraldum*, ille Prothonotarius Apostolicus gravissimis in Urbe muniis functus est, & exra Urbem Pontificius ad *Henricum Tertium Galliæ* Regem Internuntius, & Provinciarum *Umbriæ*, & *Bononiensis* pro Summo ipso Pontifice Rector. Fuit *Maraldus Pauli Quinti Datarius*, & nunc *Urbano Octavo* a Brevibus (ut vocant) quod propinquissima, & meritis, & destinatione purpura caruerit, externo quidem ejus fulgore privatur; at constantis animi in ferendo tranquille casum perpetua laude cumulatur.

Anselmus Protonotarius Apost. ex numero participantium, & Nuncius ad Regem Gallorum. Gregorii XIII.

FINIS LIBRI XVI. ET ULTIMI.

URBES ET OPPIDA ITALIÆ

EX ITINERARIO ANTONINI,

Impresso ad Libros Sigonii de Regno Italiæ, ex ejusdem castigatione.

Iter quod à Mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam, id est trajectum Siciliæ ducit m. passuum. m. DCCCLVI.

Laude Civitas.	m.p.m. 16
Placentia Civitas.	m.p.m. 24
Fidentiola Vicus.	m.p.m. 24
Parma Civitas.	m.p.m. 15
Regium Civitas.	m.p.m. 18
Mutina Civitas.	m.p.m. 17
Bononia Civitas.	m.p.m. 25
Forum Cornelii Civitas.	m.p.m. 24
Faventia Civitas.	m.p.m. 10
Cæsena Civitas.	m.p.m. 24
Ariminum Civitas.	m.p.m. 20
Pisaurum Civitas.	m.p.m. 24
Senogallia Civitas.	m.p.m. 23
Ulpia Ancona.	m.p.m. 26
Potentia Civitas.	m.p.m. 16
Castellum Firmanum.	m.p.m. 20
Truentum Civitas.	m.p.m. 26
Castrum novum Civitas.	m.p.m. 12
Aternum Civitas.	m.p.m. 24
Interbonium Vicus.	m.p.m. 26
Sulmone Civitas.	m.p.m. 28
Aufidena Civitas.	m.p.m. 24
Aesernia Civitas.	m.p.m. 28
Bovianum Civitas.	m.p.m. 18
Super Thamarium Fluvium.	m.p.m. 16
Ad Equumtuticum.	m.p.m. 22
Ad Matrem Magnam.	m.p.m. 16
In Honoratianum.	m.p.m. 20
Venusia Civitas.	m.p.m. 28
Opino.	m.p.m. 15
Ad Fluvium Bradam.	m.p.m. 10
Potentia.	m.p.m. 24
Acidios.	m.p.m. 24
Grumentum.	m.p.m. 29
Semunda.	m.p.m. 27
Nerulum.	m.p.m. 16
Summuranum.	m.p.m. 16
Capratis.	m.p.m. 21
Consentia.	m.p.m. 28

Ad Fluvium Sabbatum. m.p.m.18
Ad Turres. m.p.m.18
Ad Fluvium Angitulam. m.p.m.13
Nicotera. m.p.m.25
Ad Mallias. m.p.m.24
Ad Columnam. m.p.m.14

Iter Apppia ab Urbe recto itinere ad Columnam m. passuum m. CCCLV.

Aricia. m.p.m.16
Tribus Tabernis. m.p.m.17
Appii Forum. m.p.m.18
Tarracina. m.p.m.18
Fundis. m.p.m.16
Formiis. m.p.m.13
Minturnis. m.p.m.9
Capua. m.p.m.26
Nola. m.p.m.21
Nucera. m.p.m.16
In medio Salerno ad Sarnum Fluvium. m.p.m.25
Ad Calorem Fluvium. m.p.m 24
In Marcelliana. m.p.m.25
Cesariana. m.p.m.21
Nerulo. m.p.m.33
Summurano. m.p.m.16
Caprasis. m.p.m.21
Consentia. m.p.m.28
Ad Sabbatum Fluvium. m.p.m.18
Ad Turres. m.p.m.18
Vibone. m.p.m.21
Nicotera. m.p.m.25
Ad Mallias. m.p.m.24
Ad Columnam. m.p.m.14

Iter à Capua Beneventum m. passuum m. 33.

Iter à Capua Equotriticum ab Campania limitem habet m. p. m. LIIII. sic.

Caudio. m.p.m.21
Benevento. m.p.m.12
Equumtriticum. m.p.m.21

Iter ab Equotritico per Roscianum, Rhegium m. passuum m. CCCCLXXVIII. sic

Sentianum. m.p.m.33
Balejanum. m.p.m.24
Venusia. m.p.m.22
Ad Pinum. m.p.m.22
Opinum. m.p.m.32
Cælianum. m.p.m.40
Heraclia. m.p.m.28
Ad Vicesimum. m.p.m.24
Turios. m.p.m.20
Roscianum. m.p.m.12
Paternum. m.p.m.28
Meto. m.p.m.32
Tacina. m.p.m.24
Scylacio. m.p.m.22
Concyntho. m.p.m.22
Succejano. m.p.m.20
Subcisino. m.p.m.24
Altanum. m.p.m.20
Hypporum. m.p.m.24
Decastadium. m.p.m.12
Rhegium. m.p.m.20

Iter ab Equotritico Hydrontum ad Trajectum m. passuum CCXXXV. sic

Escas. m.p.m.18
Erdonias. m.p.m.19
Cannusio. m.p.m.26
Rubos. m.p.m.23
Bruduntus. m.p.m.11
Uria. m.p.m.12
Turribus. m.p.m.21
Egnatia. m.p.m.16
Speluncas. m.p.m.20
Brundusium. m.p.m.19
Lupias. m.p.m.21
Hydruntum. m.p.m.25

A *Iter à Brundusio Tarentum ad Latus m.p.m.* XLIII.

Iter à Benevento Hydruntum m. CLVII. sic

Æculano. m.p.m.15
Subromula. m.p.m.22
Ponte Aufidi. m.p.m.22
Venusia. m.p.m.19
Ad Silvianum. m.p.m.20
Sublapatia. m.p.m.21
Canales. m.p.m 13
Hydruntum. m.p.m.25

Iter à Benevento Tarentum m. p. m. CL.

Æculano. m.p.m.15
B Subromula. m.p.m.22
Ponte Aufidi. m.p.m.22
Venusia. m.p.m.19
Silvium. m.p.m.29
Plera. m.p m.13
Sublapatia. m.p.m.14
Canales. m.p.m.13
Tarentum. m.p.m 20

Iter à Taracina Beneventum m.p.m. CXIII. sic

Fundis. m.p.m.13
Formiis. m.p.m.13
Minturnis. m.p.m 9
Teano. m.p.m.18
C Allisis. m.p.m.17
Telesia. m.p.m.25
Beneventum. m.p.m.18

Iter à Taracina Neapolim m.p.m. LXXXVII. *sic*

Sinuessa. m.p.m.44
Linternum. m.p.m.24
Cumis. m.p.m. 6
Puteolis. m.p.m. 3
Neapolim. m.p.m.10

Iter a Neapoli Misenum m. p.m. LXXIX. *sic*

Nuceria Constantia. m.p.m.23
Linterno. m.p.m.31
Cumis. m.p.m. 6
Puteolis. m.p.m. 3
D Misenum. m.p.m. 3

Iter ab Urbe Mediolanum m. passuum m. CDXXVIII. sic

Rostrata Villa. m.p.m.24
Ocriculis Civitas. m.p.m.25
Narnia Civitas. m.p.m.12
Interamna Civitas. m.p.m. 8
Spoletium Civitas. m.p.m.18
Forum Flaminii Vicus. m. passuum m. 18
Helvillo Vicus. m.p.m.27
Calle Vicus. m.p.m.24
Forum Sempronii. m.p.m.18
Fanum Fortunæ. m.p.m.16
E Pisaurum. m.p.m. 8
Ariminum. m.p.m.24
Ab Arimino recto itinere Ravennam. m.p.m.33
Inde navigantur septem Maria Altinum usque. m.p.m.
Inde Concordiam. m.p.m.31
Aquileja. m.p.m.31
Item ab Arimino.
Cæsena Civitas. m.p.m.20
Faventia Civitas. m.p.m.24
Forum Cornelii Civitas. m.p.m.10
Bononia Civitas. m.p.m.24
Mutina Civitas. m.p.m.25
F Regium Civitas. m.p.m.18
Fidentiola Vicus. m.p.m.20
Placentia Civitas. m.p.m.24
Mediolanum Civitas. m.p.m.16

Iter à Mediolano Aquilejam m. pass. m. CCLXX.

Bergomum Civitas. m.p.m.34
Brixia Civitas. m.p.m.18
Sermione Mansio. m.p.m.22
Verona Civitas. m.p.m.28

Vi-

Vicentia Civitas. m.p.m. 34
Patavium Civitas. m.p.m. 27
Altinum Civitas. m.p.m. 33
Concordia Civitas. m.p.m. 31
Aquileja. m.p.m. 31

Iter ab Opitergio Tridentum m. passuum m. CX.

Ad Cepasias. m.p.m. 28
Feltria. m.p.m. 28
Ausugo. m.p.m. 30
Tridentum. m.p.m. 28

Iter ab Aquileja Bononiam m. passuum m. CCXVI.

Concordia. m.p.m. 31
Altinum. m.p.m. 31
Patavium. m.p.m. 32
Ateste. m.p.m. 25
Ancianum. m.p.m. 20
Vicus Varianus. m.p.m. 18
Vicus Serninus. m.p.m. 20
Mutina. m.p.m. 24
Bononia. m.p.m. 18

Iter à Verona Bononiam m.p.m. CV. sic

Hostilia. m.p.m. 30
Colicaria. m.p.m. 25
Mutina. m.p.m 25
Bononia. m.p.m. 25

Iter à Vercellis Laudem m.p.m. LXX. sic

Laumello. m.p.m. 25
Ticinum. m.p.m. 22
Laude. m.p.m. 13

Iter à Cremona Bononiam m. passuum m. CXII.

Brixillum. m.p.m. 30
Regium. m.p.m. 40
Mutina. m.p.m. 17
Bononia. m.p.m. 25

Iter à Faventia Lucam m. p. m. CXX. sic

In Castello. m.p.m. 25
Annejano. m.p.m. 25
Florentia. m.p.m. 20
Pistorium. m.p.m. 25
Lucam. m.p.m. 25

Iter à Parma Lucam via Clodia m.p.m. C.

Iter à Luca Romam per Clodiam m.p.m. CCXXXVIII.

Pistorium. m.p.m. 25
Florentia. m.p.m. 25
Ad fines, sive ad Casas Cæsarinas. m.p.m. 25
Aretium. m.p.m. 25
Clusium. m.p.m. 12
Vulsiniis. m.p.m. 30
Forum Castii. m.p.m. 28
Sutrium. m.p.m. 11
Baccanis. m.p.m. 12
Romam. m.p.m. 21

Iter à Roma Forum Clodi m.p.m. XXXII.

Iter ab Arimino Derthonam m.p.m. CCXXIX.

Curva Cæsena. m.p.m. 20
Forumlivii. m.p.m. 13
Faventia. m.p.m. 10
Forum Cornelii. m.p.m. 10
Claterna. m.p.m. 16
Bononia. m.p.m. 10
Mutina. m.p.m. 25
Regium. m.p.m. 18
Tanetum. m.p.m. 10
Parma. m.p.m. 8
Fidentia. m.p.m. 15
Florentia. m.p.m. 10
Placentia. m.p.m. 15
Camillomago. m.p.m. 25
Jera. m.p.m. 16
Derthona. m.p.m. 10

Iter à Luca Pisas m. p. m. XII.

Iter à Luca Lunam m.p.m. XXXIII.

A *Iter via Aurelia à Roma per Tusciam, & Alpes Maritimas Arelatum usque m. passuum m. DCCXCVI.*

Lorio. m.p.m. 12
Ad Turres. m.p.m. 10
Pirgis. m.p.m. 12
Castrum novum. m.p.m. 8
Centum Cellis. m.p.m. 5
Martha. m.p.m. 10
Forum Aurelii. m.p.m. 14
Cossa. m.p.m. 25
Ad Lacum Aprilem. m.p.m. 22
Saleprone. m.p.m. 12
B Maliana. m.p.m. 9
Populonium. m.p.m. 12
Vadis Volateranis. m.p.m. 25
Ad Herculem. m.p.m. 18
Pisis. m.p.m. 13
Papiriana. m.p.m. 11
Tune. m.p.m. 12
Boaceas. m.p.m. 12
Bodeceja. m.p.m. 28
Tecolata. m.p.m. 12
Delphinis. m.p.m. 21
Genua. m.p.m. 12
Liburna. m.p.m. 36
C Derthona. m.p.m. 35
Aquis. m.p.m. 38
Crixiam. m.p.m. 20
Canalico. m.p.m. 10
Vadis Fabbatis. m.p.m. 12
Pollupicem. m.p.m. 12
Albingaunum. m.p.m. 8
Larobormani. m.p.m. 15
Costaballene. m.p.m. 16
Albintimilio. m.p.m. 16
Lumone. m.p.m. 10
Alpe Summa. m.p.m. 6
Huc usque Italia, hinc Gallia.
D Cemolenum. m.p.m. 9
Varo Flumine. m.p.m. 6
Antipoli. m.p.m. 10
Ad Horrea. m.p.m. 12
Forum Julii. m.p.m. 18
Forum Voconii. m.p.m. 12
Mantavonium. m.p.m. 12
Ad Turrem. m.p.m. 14
Tecolata. m.p.m. 16
Aquis Sextis. m.p.m. 15
Massiliam. m.p.m. 18
Calcariam. m.p.m. 14
Fossis Marianis. m.p.m. 34
E Arelate. m.p.m. 33

Aliud Iter à Roma Cossam m. p. m. LXI. sic

Cære. m.p.m. 15
Aquis Apolinaris. m.p.m. 14
Tarquiniis. m.p.m. 12
Cossam. m.p.m. 15

Iter à Roma per Portum Centum Cellis m.p.m. LXIX. sic

In Portum. m.p.m. 19
Fregenis. m.p.m. 9
Alsio. m.p.m. 9
Ad Turres. m.p.m. 4
Pirgis. m.p.m. 12
F Castro Novo. m.p.m. 8
Centumcellis. m.p.m. 8

Iter ab Urbe Lavinium m.p.m. LXVIII.

Hostia. m.p.m. 16
Laurento. m.p.m. 16
Lavinio. m.p.m. 16

Iter Prænestina ab Urbe Beneventum usque m. p. m. CLXXXVI. sic

Gabis. m.p.m. 15
Præneste. m.p.m. 11

Anagnia.

Anagnia. m.p.m. 24
Ferentinum. m.p.m. 8
Frusinone. m.p.m. 7
Fregellis. m.p.m. 14
Fabrateriam. m.p.m. 3
Aquinum. m.p.m. 8
Casinum. m.p.m. 7
Venafrum. m.p.m. 16
Teanum. m.p.m. 18
Allisis. m.p.m. 16
Telesia. m.p.m. 26
Beneventum. m.p.m. 18

Iter Lavicana ab Urbe Beneventum usque m. p. m. CLXX. sic

Ad Quintanas. m.p.m. 15
Ad Pietas. m.p.m. 10
Compitum. m.p.m. 15
Ferentino. m.p.m. 8
Frusinone. m.p.m. 7
Fregellis. m.p.m. 14
Beneventum Mansionibus, quibus in Prænestina m.p.m. 101

Iter Latina ab Urbe ad Compitum m. p. m. XLV.

Ad Decimum. m.p.m 10
Roborariam. m.p.m. 3
Ad Pictas. m.p.m. 17
Compitum. m.p.m. 15

Iter Lavicana, & Salaria ab Urbe Hadriam usque m. p. m. CLVI.

Heretum. m.p.m. 1
Vicum novum. m.p.m. 14
Reati. m.p.m. 16
Contiliis. m.p.m. 18
Interocrea. m.p.m. 6
Falaurina. m.p.m. 16.
Vico Badies. m.p.m. 9
Ad Centesimum. m.p.m. 10
Asculo. m.p.m. 12
Castrum Truentinum. m.p.m. 20
Castrum Novum. m.p.m. 12
Hadriam. m.p.m. 15

Iter Taleria ab Urbe Hadriam usque m. p. m. CXLVIII.

Tibure. m.p.m. 20
Carseolis. m.p.m. 22
Alba Fucentia. m.p.m. 22
Cerfennia. m.p.m. 23
Corfinium. m.p.m. 28
Interbromium. m.p.m. 11
Teate Marucinorum. m.p.m. 17

A Hadriam. m.p.m. 14

Iter Flaminia ab Urbe per Picenum Brundusium usque m. p. m. DCXXVII.

Ocriculis. m.p.m. 47
Narnia. m.p.m. 12
Ad Martis. m.p.m. 18
Mevania. m.p.m. 16
Nuceria. m.p.m. 18
Dubios. m.p.m. 8
Prolaqui. m.p.m. 8
Septempeda. m.p.m. 11
Irea. m.p.m. 9
Auximum. m.p.m. 18
Ancona. m.p.m. 12
B Numana. m.p.m. 8
Potentia. m.p.m. 10
Castellum Firmanum. m.p.m. 24
Castrum Truentinum. m.p.m. 24
Castrum novum. m.p.m. 12
Hadria. m.p.m. 15
Octia Aterni. m.p.m. 16
Angulo. m.p.m. 10
Ortona. m.p.m. 11
Anxanum. m.p.m. 13
Hirtonium. m.p.m. 26
Uscosium. m.p.m. 15
Arenium. m.p.m. 14
Cornelii. m.p.m. 26
C Ponte Longo. m.p.m. 30
Sypontum. m.p.m. 30
Salinis. m.p.m. 15
Aufidena. m.p.m. 14
Respa. m.p.m. 13
Barium. m.p.m. 13
Apemeste. m.p.m. 22
Egnatia. m..p.m. 12
Speluncis. m.p.m. 21
Brundisium. m.p.m. 30

Iter ab Histonio Anconam m. passuum m. L. sic

Ad Callem. m.p.m. 14
Ad Pirum. m.p.m. 8
Senogallia. m.p.m. 18
D Ancona. m.p.m. 8

Iter à Septempeda Castrum Truentinum m. p. m. LXXIV.

Urbs Salvia. m.p.m. 12
Firmo. m.p.m. 18
Asculo. m.p.m. 24
Castrum Truentinum. m.p.m. 20

TYPOGRAPHUS LECTORI

PRO coronide Historiæ Typographo subjungere perlicuit Catalogum Senatorum modo viventium, quorum insignia gentilitia reperiuntur picta in Regularia Reipublicæ secundum tempus eorum admissionis in Consilio.

Prosper Romagnolus I. V. Doctor.
Virginius Salimbuccius.
Scipio Claramontius Doctor, & Eques.
Laurentius Lancettus.
Alexander Fatibonus.
Pasolinus Pasolinus.
Cæsar Palatius.
Franciscus Braschius I. V. Doctor.
Franciscus Dolcinus.
Tiberius Fantaguccius.
Flavius Augusellus.
Nicolaus è Guidiis à Balneo Marchio.
Massimilianus Genarius Eques Hierosolymitan:
Joannes Taurellus.
Marius Masinus Eques.
Andreas Carrarius.

E *Aurelius Roverellus* Comes.
Petrus Arcanus I. V. Doctor.
Bernardinus Albertinus Capitaneus.
Alexander Equitis *Bonifatii de Martinellis* I. V. D.
Franciscus Gualaghinus.
Octavius Eternus Capitaneus.
Stephanus Ubertus.
Julius Cæsar Verzalius I. V. Doctor.
Fabius Lucatellus.
Cæsar Beccarius I. V. Doctor.
Franciscus Rota Fisicus.
Hypolitus Vendeminus.
Hyacinthus Bertucciolus.
Jo: Baptista Ambronus Secretarius Communitatis.
Marius Marzolus.
Franciscus Morus.

S. Claramontius.

Silla Visdominus.
Sertorius Manzonius.
Jacobus de Fabris.
Alexander Merenda.
Hypolitus Ugolinus.
Claudius Fantagutius.
Joannes Baptista Gattius.
Joannes Guaccettius.
Bernardinus Rotulus.
Laurentius Tontius.
Thadeus Sclavina.
Dionysius Lancettius.
Joannes Baptista Buccius.
Joseph Funettus I. V. D. & Regulariæ Præfectus.
Simon Petrus Maraldus Eques.
Mutius Fatibonus Comes.
Armodius Venturellus.
Alexander Roverellus Comes.
Alexander Thomæ de *Martinellis* I. V. D.
Petrus Jacobus de *Betinis.*
Livius Almericus.
A *Franciscus Mambrinus.*
Hercules Dandinus.
Julius Cæsar Taxellanus.
Gregorius Spada Marchio.
Scipio Iseus Comes.
Joseph Galephus Eques.
Franciscus Maria Spranius.
Melchior Angelinus.
Joseph Tuschius.
Pasolinus Abbas I. V. D.
Cæsar Angelinus Fisicus.
Julius Cæsar ex Comitibus Massæ.

Locus autem Familiæ *Malatestarum* vacat ob mortem Marchionis *Leonidæ* ultimo loco defuncti: B quemadmodum, & *Tibertorum* ob obitum Comitis *Oddi Antonii:* & *Albizziorum*, ex quo Illustriss. *Franciscus* reperitur in Prælatura, pro ut supra fol. 428. prout etiam nonnullorum, quorum nomina non est Typographi recensere.

F I N I S.

INDEX NOTABILIUM.

Cæse-

Car-

Desi-

Fede-

Hosta-

Metau-

Pipi-

Romani

So-

FINIS.

JACOBI VILLANI
J. P. D.
ARIMINENSIS RUBICON
in
CÆSENAM
SCIPIONIS CLARAMONTII.

Ubi Auctor per Proſopopœiam Rubiconem Fluvium introducit aſſerentem, ſe eſſe Ariminii non Cæſenæ.

Editio Noviſſima, nitidius impreſſa, mendiſque abſterſa.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

Leges defendite, & defunctorum curam habete, ne eorum nomen, & familia pereat.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
PRÆFATIO.

NOn ſolum illi, qui patriam ſcriptis æternant, merentur laudem, ſed etiam ii, qui ſcripta talia in latebris occultantia & ergaſtulis quaſi incluſa iterum in publicam lucem producunt, partem ſibi attribuere poſſunt. Hoc animo verſans non dubitavi, quin tractatum hunc luto veluti & ſqualore obſitum, lectu tamen dignum de novo excudi curarem. Imprimis quoniam *Rubicon*, de quo hic agitur, in omnium ore eſt ob memorabile factum à *Cajo Julio Cæſare* ibi perpetratum. Vide Sueton: *in vita C. Julii Cæſaris Cap. XXXII.* Hinc enim regna tulit, & fundamentum imperii ſui jecit. Noſtrum autem non eſt hac de re pluribus agere, ſed breviter modo dicere, quid ſtudium noſtrum in recudendo hoc tractatu præſtitit. Primum cum Auctor Editionis a SYMBENIO DE SYMBENIIS *Arimini MDCXLI.* in quarto impreſſæ multoties non modo citat loca, ſed & verba ipſa ex *Claramontio*, cum quo rem habet, affert, ut eo candidius lectori oſtenderet, quam ſincere ſe rem tractare, non incongruum fore duxi, ſi juberem, verba iſta non ſolum paulo minuſculis literis imprimi, ſed & ab utroque latere commatibus inſigniri. Deinde numeros paginarum prædictæ Editionis in margine hujus novæ annotavi, an forte aliquando uſui eſſe poſſent. Demum nomina propria ac no-

notatu digna diversis à materia characteribus imprimi curavi. Tandem ac postremo errata ac vitia pro viribus plane sustuli, Indicemque sufficientem annexi. Hæc si tibi erunt accepta, sequetur hunc Tractatum alius, sed è diametro huic contrarius. Interim his utere & vale.



R U B I C O N.

1 *BONO tandem omine*, Cæsena, *in* CLARO MONTE *consedisti: haud ampliùs sub saxea mole, quæ in tui casum prona imminet, jacebis ingloria. Admirationes, acclamationes, quocunque provexisti gradum, tui* Scipionis *ductu, plenam tibi laudum segetem collegerunt. Siste jam gressum, teque ipsam disce jam pati: imò admotas depone grallas, cum periculo alioquin auctura staturam tuam: subito, & tumultuario elata quæstu ne divageris in aliena; & quod indonatum surripuisti, jube renunciari, plurimorum casibus edocta*, quàm miserum sit inter ambitiosa vota pendere. *Cæterùm ut ingenuum, sincerumque à fuco sustineas colorem, author tibi sum, & minium, ac cerussam, vel ejures, vel perdas, à vultu tuo. Id si effeceris,* Ariminenses *unà tibi mecum simul occurrent*

A *ad gloriam. Ego sanè quidem, ex quo me Deus genitalem insinuavit in alveum, & flumen* Rubiconis *conclamarunt gentes, in eam abivi mentem, non relinquendas dulcissimas*
sedes, nec aliò mihi aufugiendum, veluti per- 2
duellionis reo. Quamobrem quid de me, non sine mea, meorumque injuria, tibi vel inconstans adjecerit ætas, vel sui non patiens affinxerit libido gloriæ, effabor ingenuo, liberoque stylo: detracta persona histrioni huic, amovebo & siparium, ut vel sic scena tota
B *veniat in conspectum, palàmque fiat omnibus, quanto te jure repetundarum insimulem. Qua in re, nulla mihi ratione cunctandum duxi, ne otiosa dilatione viderer* Ariminensibus *damnare fidem meam. Proprium est libenter facientis, citò facere: diem de die trahere, nolentis est. Brevis itaque ut sim, pro* Ariminensibus *aquas, & verba sic effundo.*

SCientissimus *Scipio Claramontius* in Concivium honorem, ad gloriam tui, ô *Cæsena*, Patriam Historiam felici sanè sæculo, musaque & stylo ferventibus, (ut ipse dixit) industrio, pertinacique labore absolvit. Verùmenimverò ad apparatum tantæ molis, necessaria audacia quæsivit, locavitque duo non impropria fundamenta; quæ utrùm immota consistant, lectoris esto judicium.

3 Ille igitur antequàm opus ipsum propiùs aggrediatur, iter sibi facturus ad Historiam feliciori stamine contexendam, Apparatum præmittit; eumque satis amplè digestum, sano deinde consilio bipartitur, ità ut totus sit *Claramontius* in probando, tùm *Senam* eam, quæ inter *Umbros*, & ad superum mare à *Strabone*, *Plinio*, & *Livio* collocatur, non *Senogalliam* fuisse, sed *Cæsenam*; tùm fluvium
C eum, qui propè *Cæsenam* bis mille circiter passus ad Orientem reperitur, antiquum esse *Rubiconem*.

Quamvis autem (quod attinet ad primam ejus Apparatus partem) non sit quod de *Senæ*, vel *Cæsenæ* nomine curem, cùm, utrovis vocabulo vociteris, parùm id conferat ad dissidium inter nos dirimendum; mirari tamen satis æquè non possum quomodò *Claramontius* tuus subobscura quorundam authoritate veluti manuductus, *Senam* ad *Isapim* fluvium audacissimo conatu transtulerit, & de nomine *Senæ Cæsenam* singulari penè sententia esse voluerit; cum acritèr sese illi opponat *Cæsar Brisius*

sius Nobilis & ipse *Cæsenas*, qui *Senæ* vocabulum ad *Cæsenam* significandam, vel incautè vel ambitiosè deductum, tota spongia damnaturus, ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum hæc scribit.

4 *E posta la Città di Cesena nella nobilissima Regione d'Italia tra'l fiume Savio, & il nominato Rubicone, come descrive Strabone nella sua Cosmografia con parole, che suonano: Cesena vicino al fiume Savio, e Rubicone.* indè addidit: *E se in alcune tradottioni di Strabone si trova in vece di Cesena, Sina, nel medemo errore è caduto quel Ferrarese, che l'hà tradotto in Italiano, pensando, che quel* ϗ *fosse copula.*

[* *Cæsenæ* Civitas sita est in præclarissima totius Orbis regione *Italia* inter *Isapim*, celeberrimumque *Rubiconem*, ut ex *Strabonis* in Cosmographia hujusmodi verbis elicitur. *Cæsena Isapi*, & *Rubiconi* propinqua, &c. Ac si in nonnullis *Strabonis* versionibus pro *Cæsena Sina* reponitur, eodem lapsus est pede *Ferrariensis* ille, qui *Italico* illum donavit idiomati, particulam Καὶ copulam arbitratus. *]

Hæc, & cætera, cùm se se obtulerint *Italica* verba, in *Latina* convertam, non alia ratione, nisi quòd *Claramontius* ità fecit, in exemplumque transcripsit: forsan ut universi legant, & intelligant.

Procopius sanè, & *Agathias Gothic.* Histor. scripsere Καισῆνα & Καισῆνα *Ptolomæus.* Ut proinde
5 mirandum non sit, si *Aldus Manutius* Orthogr. lib. posteàquam cum *Antonio Cæsario*, Καισῆνα, unica dictione, legendum, idque de *Cæsena* intelligendum admonuit, sententiam suam in hæc verba referat: *Non immutarem (inquit) videreque mihi Cæsenæ ipsi injuriam facere, si conarer detrahere ei litteram, quam tribuunt antiqui lapides;* ex quibus hunc, quem subjicio, olim *Cæsenæ* extitisse commemorat:

A. LUCRETII HISTORICI, AC POETÆ
CONDITORIS VERISSIMI,
CVI OB EXCELLENTIAM INGENII
STATVA CONDONATA,
AC CIVITATI CÆSENÆ
ROMAN. COLONIÆ DEDVCTÆ
IN HOC SACRO MONTE DICATA.

Quamobrem vix locum ullum *Scipioni* facit excusatio, qui tot tricas apinasque ad unam tui, *ò Cæsena*, historiam congessit. Quædam summo, ut dicitur, pede tangam, non premam: indicabo, non explicabo.

Sena enim quæ *Senogallia* est, non mediterranea, sed in littore *Hadriatici* Maris, & ad Mare semper habetur, & describitur à *Polybio*, *Livio*, *Strabone*, cæterisque ex antiquorum, recentiorumque Scriptoribus. Hinc *Ptolomæus* in *Togata*
6 *Gallia*, quam *Pado*, & *Apennino* finit, Urbes recenset. *Placentiam*, *Brixellum*, *Parmam*, *Regium Lepidum*, *Nuceriam*, *Tanetum*, *Mutinam*, *Bononiam*, *Claternam*, *Forum Cornelii*, *Faventiam*, & *Cæsenam.* At in littore recensendo sic fatur: *Senonum*, *Æsis fluminis ostium*, *Sena Gallica*, *Fanum Fortunæ*, *Pisaurum*, *Ariminum*, *Bojorum Gallorum*, *Rubiconis amnis ostium*, *Ravenna*, *Padi fluminis ostium.*

Sena priùs à conditoribus *Gallis Senonibus* (ut ait Franciscus Schottus in *Itinerario Italiæ*) dein ad differentiam alterius ejusdem nominis, quæ *Thusciæ* applicatur, *Sena Galliæ* nuncupata.

Senones, & *Boji* non sunt iidem; namque *Senones* ultimi *Gallorum* advenarum in adventu, & primi *Bojorum* in discessu. hanc oram ab *Æsi* ad *Utentem* (ut explicat Sigonius in *lib. V. Livii*) occupavere, non ab *Ufente* ad *Athesim*; nam *Ufens* est in
A ora *Campaniæ* ad *Tarracinam* (ut ait *Plinius*) *Athesis* ad *Veronam*, quæ nihil ad *Senonum* fines attinent. *de finibus Senonum* Polybius *lib. II. Ultra Padum, quæ circa Apenninum sunt, loca, primi Ananes, dein Boji tenuerunt: post hos, ad Hadriaticum Mare versus Lingones; postremi omnium ad* 7
Mare Senones. de iisdem sic Livius lib. V. *Pennino deinde Boji, Lingonesque transgressi, quum jàm inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Padi ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen se se tenuere. Tùm Senones recentissimi advenarum ab Utente flumine, usque ad Æsim fineis habuere.*

B Hos igitur terminos habuere *Senones* inter Ortum, & Occasum, à Septentrione in Austrum; id est à Mari *Apenninum* versùs, quàm latè incoluerint, incertum est.

Cæsena nunquam in *Piceno*, sicuti aliquando *Ariminum*, ut ex Livii *Breviatore lib. XV.*

Picentibus victis pax data. Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio. Ptolomeus, qui & ipse vetustissima plerumque novissimis commiscet, sic *Picenum* describit. *Picentium Urbes sunt, Castrum, Cupra maritima, Truentini fluminis ostium, Potentia, Numana, Ancon, Senonum item, Æsis amnis ostium, Sena Gallica, Fanum fortunæ, Pisaurum, Ariminum.*

C Silius lib. XV. *de Hasdrubale.*

Pœnus inundavit campos: qua Sena relictum
Gallorum à populis traxit per sæcula nomen.

de *Senogallia* non de *Cæsena* universi interpretan- 8
tur, & legunt; item.

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

non *Senæ*, ut explicabitur.

An verò *Cæsena* sit in nostra planitie eo termino, quo vult *Claramontius*, ipsa Strabonis verba *lib. V.* ostendant.

Subjacet statim Alpibus planities insignis bis mille, ac centum stadiorum longitudine, ac latitudine ferè
D *aequali; cujus meridionale latus littore Venetorum, & Apennini jugis, ad Ariminum, & Anconem usque porrectis, includitur.* mox: *atque his finibus Gallia Cisalpina includitur.* Nescio heic quo pacto concilientur dimensiones *Strabonis*, & *Polybii*, dum *Scipio* vult *Cæsenam* esse terminum trianguli, eò quòd *Cæsena* sita sit in extrema planitie, cùm *Senogallia* propaginibus *Apenninorum* interrumpatur.

Insuper asserit *Scipio*, *Situm, quem Polybius Senæ tribuit, nullo modo quadrare Senogalliæ*: Ego verò dum sinus falcatus *Hadriatici* littoris, excursus. S. & recursus ab *Tergeste* ad *Cæsenam* in u-
E niversum consideratus, contemnitur, *Scipionis* doctrinam esse penitùs *Polybio* oppositam, existimo: tùm quia diametro hujus curvitatis, quæ à rectitudine excidit, occupat quasi sexcenta, & 9
quadraginta stadia; & iccirco linea recta ab *Cæsena* ad *Tergestem* vix longa esset mille, & quinquaginta stadiis; & tamen *Polybius* testatur magnitudinem Basis duorum millium, & quingentorum stadiorum spatio contineri, quæ, ut inveniatur, progrediendum erit à *Tergeste* per littoris curvitatem usque ad *Senogalliam*. Nec officit triangulo si una linea sit curva, constabit enim ex duobus angulis mixtis. Tùm denique quia *A-*
F *pennini* debent protendi ad tria millia, & sexaginta stadia, quorum protensioni deerunt quingenta, & sexaginta stadia si terminum constitueris *Cæsenam*, & non *Senogalliam*. ergo non est tàm liberè dicendum: *Situm, quem is Senæ tribuit nullo modo quadrare Senogalliæ, ad amussim verò Cæsenæ.*

At *Sena*, *Cæsena* est ex *Casauboni* explicatione, sicuti *Bononia Cæsena* est ex *Commentariis* Servii *apud Virg. Æneid. x.* quem locum si vidisset *Cla-*

ramontius, facilè altiori methodo *Bononiam* ad *Cæsenatium* jura redegiſſet. *Servii* verba ſunt. *Hunc Ocnum alii Auletis filium*, *alii fratrem*, *qui Peruſiam condidit referunt*, *&*, *ne cum fratre contenderet*, *in agro Gallico CELSENAM*, *quæ nunc*
10 *Bona dicitur*, *condidiſſe.*

At quid immoror in hujuſmodi *Senarum* multitudine damnanda? Cauſam inſpiciant alii, & hunc recentem *Andream Caſalem*, vel agnoſcant, vel condemnent. mihi ſatis, à meo latere procul hanc *Senæ* Chimæram abegiſſe. Illud unum hìc non omittam tacitus, *Italis* ſemper vitio datum, amplificare propria ſuprà cæterorum fortunam, & famam; adeò ut Joannes Barclajus *in lib. qui Icon animorum* inſcribitur, *cap.* 6. vocem hanc veram, & tanto Viro dignam non ſine ſtomacho effuderit:

Ipſa nomina Urbium, *locorumque tot Hiſtoriis*, *fabuliſque vulgata*, *ad ſtuporem imperitorum valent*, *ſemperque aliis ſincerius*, *quàm ſibi credentium.*

11 VEnio nunc ad alteram Apparatus partem; in qua, omiſſis jam velitationibus, quæ me hactenus, vel nolentem detinuere propemodum in caſtris, collato pede ſum tibi propior affuturus. Verùm nè Andabatarum more inſtituamus hanc pugnam, placet verba *Scipionis* ipſius apponere, ut palàm fiat, quibus ille me telis petat; cùm præſertim ea multum habeant ponderis apud *Cæſenates.*

„Demonſtrare nunc ſupereſt, Fluvium, qui propè *Cæſenam* bis mille circiter paſſus ad Orientem reperitur, antiquum eſſe *Rubiconem.*„

Id ſi demonſtraverit *Scipio* tuus, ô *Cæſena*, gratiam habebunt, fateor, illi grandem *Ariminenſes* mei, quòd vigili in beneficium cura, non modò abraſerit feliciſſima demonſtratione à nonnullorum mentibus ſcrupulos quoſdam, qui eos in hanc diem adeò vellicarunt, ut incerti utram ſe darent in partem, hæſerint ſemper in ancipiti; ſed etiam radicitùs excuſſerit validiſſima ea argumenta, quæ viris quam plurimis ſuprà vulgus edoctis facilè ſuaſerunt, me *Ariminenſibus* eſſe adjudicandum: videlicèt:

„Fluvium, qui propè *Cæſenam* bis mille circitèr paſſus
12 „ad Orientem reperitur antiquum eſſe *Rubiconem.* non ità „pridem exorſi ſunt in dubium revocare *Ariminenſes.*„

Non modò in dubium id revocant *Ariminenſes* mei, ſed tanquam fictitium expungunt, & damnant; ne ſecura mendacia occupent locum veritatis. Ego ſanè, qualiſcunque tandem fortuna meos conatus excipiet, digeram fideli enumeratione graviora rationum momenta, quibus adducti me ſibi vindicant *Ariminenſes:* deinde neceſſaria diſcuſſione ibo per ſingula argumenta, quibus me, ceu patriis è laribus profugum, & poſtliminiò reducem, tuæ reddere ditioni ſatagit ingenioſè *Claramontius* tuus. Id antequam aggrediar, monet me ſuſcepti conſilii injecta neceſſitas, ut duo præmittam, quæ primæ rationis meæ vim feliciter ſuſtinebunt: Primum eſt, fluviorum genera diverſa ſolere communitèr deprehendi; nam quædam perennia, quædam torrentia: flumina item publica, & privata: ſed illa, quæ flumina nuncupantur, perennia ſunt. *l. nemo.* §. *fi. ff. de re. di.* & dicuntur perennia, ut dignoſcantur alia eſſe ab iis fluminibus, quæ ad tempus fluunt, ut *Rapo*, *Meloncellon*, & *Piſciatellus*, de quo agimus, quæ ſunt privata. Quod vero addit *Gloſſ.*
13 & eſt in §. *flumina*, *inſt. de re. di.* qui dicit, flumina omnia publica eſſe, debet intelligi (ſecundùm gloſ. ibi.) de fluminibus perpetuis, ut ſunt *Padus*, *Rhenus*, & *Luſus*, qui ſemper perennis; & licèt modicas, ſequaces tamen ſemper trahit undas: privata verò flumina ſunt, quæ manu extracta ſunt. *l.* 1. §. *ſi foſſa ff. de flu. & no. gl. in d. l. nemo* §. *flumina*, quæ exemplificant de foſſatis in agris poſitis, quæ creſcunt, & decreſcunt. Alterum eſt, flumina conſtare ex aqua, & alveo, *l. pe. & ibi gloſſ. ff. de flu.*

His præmiſſis, venio ad validiſſimum argumentum, quo *Piſſatellum* tuum minimè fluvium eſſe, cùm quia non perennis, tùm quia ſine alveo, atque adeò fluminis cognomine indignum eſſe, oſtendo. Et primò quod ſpectat ad alveum, *Cæſenatum* tuorum ſtatutis cautum fuit pag. 293. *quod lectum Piſſadelli cavetur*, *& reaptetur à Bagnarola uſque ad Mare*, *& abinde ſupra*, *ſi opus fuerit*, *& ſi ſupraſtantes dixerint expedire*, *& ab utraque parte dicti Piſſadelli fiant*, *& fieri debeant argines magni*, *& alti per loca prædicta à latere verſus Meſulam*, *& alias*, *ut ſupraſtantibus pro utiliori hominum Cæſenæ convenire videbitur*, *& ſint dicti argines ampli in fundo octo pedes ad pedem perticæ.* Quod verò attinet ad aquæ perennitatem, ſtatutis eorundem edicitur pagina 103. *Quòd* 14
Dominus Vicarius, *& Anciani*, *qui pro tempore fuerint*, *teneantur*, *& debeant mittere*, *ſeù mitti facere flumen Sapis*, *ſeù partem dicti fluminis in Piſſadellum per eum locum*, *qui magis videbitur eſſe conveniens magiſtris*, *& aliis*, *qui tunc temporis fuerint electi ad dictum opus faciendum.* pag. verò 292. *Statuimus*, *& ordinamus*, *quòd ad evitandum damna*, *& gravia*, *quæ per aquam foſſæ Lupariæ*, *ſeù Regoſſæ continuè inferuntur*, *quòd per Dominum Vicarium per ſe*, *& qui pro tempore fuerit*, *& Dominos Ancianos eligantur boni*, *& idonei Officiales*, *qui videant prædicta*, *poſſit conduci in lecto*, *ſivè loco*, *unde decurrit modo à Piſſadello incipiendo à Trivio de Farnis*, *& ducendo per viam de Mala nocte*, *uſque in lectum Piſſadelli prædicti.* ead. pag. *ſtat. & ordin. quòd mittatur Rivus Matalardi*, *ita quòd fluat*, *& labatur aqua in Piſſadellum.* pag. 292. cap. ſupracit. *Illud etiam ſtatuendo declaramus*, *quòd Clavicæ de petra fiant rivis*, *& tracturis viarum*, *quæ congruè decurrere poſſunt in ipſum Piſſadellum per comitatum Cæſenæ.* nec non pag. 294. *Stat. & ordin. quòd mittatur*, *& fodiatur*, *ac reparetur*, *ubi neceſſe fuerit*, *& utile Rivus Manzanibii per homines habentes poſſeſ-* 15
ſiones ſupradictum rivum capiendo de Lavezolo lectum ejus, *& curſum conſuetum*, *& trahendo uſque in viam Caſtri Piſſadelli*, *& ducendo uſque ad Montale*, *deinde derivando in Piſſadellum.* Quid autem eſſe cauſæ dixerimus, cur tam multiplici cautione *Cæſenates* hanc *Piſſatelli* foſſam perpetuis quidem, ſed invitis aquis refertam velint, niſi ut ea ad levandam pecudum ſitim ſufficiat? En rurſùs provoco ad ipſa ſtatuta *Cæſenatium*, in quibus pag. 296. *Sancitur*, *quod manuteneantur duo vadi*, *qui intrent Piſſadellum ab utroque latere*, *unum ad Sanctum Pelegrinum*, *& aliud ſuper Carraria de vignolo*, *ubi utiliores fuerint*, *ita quod beſtiæ vadant ad bibendum in Piſſadello.*

Dignum ſanè *Piſſatello* inſtitutum, ut ſcilicet emendicatis, imò undique corraſis aquis non fluat niſi ad pecudum ſitim? Quàm igitur felici erumpat omine in meæ cauſæ beneficium concluſio ultrò veniens ex argumento, ipſa vides, ô *Cæſena.* Adde in firmiorem argumenti conſtantiam, flumini cuicumque caput & pedes deberi: capitis nomine fontem intelligo, à quo trahat originem: pedis autem vocabulo, terminum, eumque non alienum, qui tandem illud ſiſtat. *l.* 1. §. *hæc interdicta*, verſi. *caput. ff. de aqua quo. & æſti.* ut ex teſt. cum gloſſ. in. *l. ſervitus aquæ. ff. de ſer. ruſt. præ.* & ità vult Bar. in tractatu *de in-* 16
ſula

ſula in 7. col. At *Piſſatellus* abſque capite, hoc eſt, fonte (ut oculis ipſis conjicere licet) atque adeò non flumen, ſed fluminis monſtrum: pede autem alieno devolvitur in *Adriam*; nam in *Flumixellum* Caſtri *Sabiniani* deflectit iter, & confuſis cum eo undis mare ſubintrat: ergo *Piſſatellus* ſine capite, & alieno decurrens pede, flumen appellari non poteſt. Imò, ſi verum urgere licet, ex allatis *Cæſenatium* ſtatutis abundè colligo, *Piſſatello* non ſolùm fluminis, verùm nec Rivi nomen deberi; Rivus enim eſt locus per longitudinem depreſſus, quò aqua decurrit. *l.* 1. §. 1. *ff. de rivis fluminum*; ſeu, ut inquit Feſtus, *rivus appellatur tenuis fluor aquæ, non ſpecu, conſiliovè factus, verùm naturali ſuo impetu: Piſſatellus* autem ſi quas aliquando trahit undas, eæ non naturali veniunt impetu, ſed aliunde abducuntur, vel invitæ, ut jam vidimus; eo videlicèt conſilio, ut habeant pecudes undè levent ſitim.

Hìc ſiſto, ac ſapientiæ Viri, & gravitatis meritum non parùm admiror, quod de me illi inciderit credulitatis argumentum proponenti pro
17 fluento, aut Fluvio amniculum, cujus ſit formæ, & honoris (*ex circumcolentium æſtimatione*, ut ait *Bart.*) genus ſuum in fronte gerit *Piſſatelli*.

„ *Ariminenſes* ſuadere ipſi conantur eo antiquitùs no- „
„ mine amnem nuncupatum, qui eſt ad Occidentem *A*- „
„ *rimino*, ab eaque Civitate ſex fermè millibus paſſuum ab- „
„ eſt, popularique nunc nomine *Luſus* dicitur. „

Nullo id conatu agere ſatagunt *Ariminenſes*; quippè qui tam prompta ratione flumen commune, & perenne licèt modicis aquis, non privatum tamen, & manu extractum, ut *Piſſatellum*, ſuſtinent; quod antiquitùs nomine *Rubiconis* indè in *Luſi*, ſive *Uxij*, at *Pluſæ* cognomen eſt mutatum; poſtremò à *Malateſtis* flumen *Bellaeris* nuncupatum: ex antiquis ſcriptoribus do *Plinium*, & *Strabonem*: Plinius ſanè lib. IV. cap. 5. *Ariminum Colonia cum amnibus, Arimino & Apruſa: Fluvius hinc Rubico.* quem verborum ſenſum ſic *Italicè* expreſſit Chriſtophorus Landinus. *Arimino Colonia con due fiumi Arimino, & Apruſa; dipoi Rubicone fiume gi à confine d'Italia.* Strabo verò *lib. V. Rubicon jam Arimino propinquior eſt:* (ut verba ibi benè tranſlata ſonant) Vibius Sequeſter *de fluminibus*: *Rubicon Galliæ juxtà Ariminum olim dividens Galliam ab Italia.* Item Strabo *lib. ſup. cit. Rubicon inter Ariminum, & Ra-*
18 *vennam.* Ex regiſtro Inſtrumentorum *Malateſtæ* Domus, qui liber *Pandulphеſcus* adpellatur: pag. 71. ſub anno 1186. conjicitur evidenter *Rubiconem* fuiſſe, qui nunc *Luſus.* Ad hæc accedit geographica totius Orbis ſummo ſtudio elaborata tabula *Genuæ* compoſita anno 1540. à præclaro Viro Vicecomite *Majolo*, reperta in Aedibus familiæ *Sacratæ*; cui ductus è priſco *Francorum* Sanguine ſplendor acceſſit, in B. *Majolo*, qui aſſiduè ſacris addictus (Sacratus idcircò dictus) cognomen, æquè ac pietatem in hanc familiam trecentis ab hinc annis tranſmiſit; quam luculenter adauget in dies Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus *Co: Alphonſus* Epiſcopus Sacratus, & candore morum, & multitudine meritorum: apud hunc igitur humaniſſimum præſulem invenies chartam, quæ te docebit *Luſum* inter *Ariminum*, & *Ravennam* eſſe *Rubiconem* ſicuti inter *Anconam*, & *Senogalliam*, *Aeſis* Flumixinus dicitur; inibi enim quæcumque digna ſunt ſcitu, recentioribus nominibus conſignantur: ex quibus tùm antiquis, tùm cæteris pro tempore Scriptoribus, & ſcripturis perclariſſimè conſtat, *Rubiconem* ſemper extitiſſe in agro *Ariminenſi*, non *Cæſenatenſi*
19 ipſiſſimumque fuiſſe, qui nunc *Luſi* nomine venit, ut ex dicendis facillimé patebit.

„ Interim, ut controverſiæ ſtatus magis conſtet, fluvios „
„ deſcribo, de quibus ambigitur. „

promiſſa non implet *Scipio* tuus; cum nullum flumen, præter *Piſſatelli* rivulum ab eo deſcribatur.

„ Fluvius ergo noſter, quem antiquum *Rubiconem* aſſeri- „
„ mus, ab Auſtro fermè in Septentrionem fluit „

inter prima, & ampla vota hoc eſt.

„ *Viam Æmiliam*, nonnullis *Flaminiam*, nunc *Romanam* „
„ ſcindit. „

An *Flaminia Cæſenam* uſque protendatur: an verò *Arimino* terminetur, Hiſtoricorum eſto ſententia.

„ Ubi ligneo ponte tranſmittitur. „

ligneum pontem compegere, ne tranſitu communi in defoſſum *Piſſatelli* alveum via ſterneretur, ſicque rivuli veſtigia abirent in planitiem: audiamus illorum ſtatuta pag. 293. hoc juſſu; *Quòd fiat unus Pons lignaminis ſuprà Piſſadellum in buccha viæ, &c. per quem currus, beſtiæ & homines tranſire poſſint, ne per tranſitum hominum, & beſtiarum Piſſadellus derivetur.*

„ Antea oſtio ipſe ſuo in Mare excurrebat, ut ex ſtatu- „
„ to noſtro elicitur, & tempeſtate id ſua accidiſſe memorat, „
„ *Blondus*, in eoquè tum oſtio Portum fuiſſe noſtrum aſſe- „
„ verat: nunc in *Saviniani* amnem influit, &c. „

Statuta audivimus, vidimuſque; nequè de Portu 20
ulla mentio. Quod verò pag. ſtat. 293. cautum ſit, *Quòd lectum Piſſadelli cavetur, & reaptetur à Bagnarola uſque ad mare, & ab inde ſuprà:* & in cap. præd. habeatur. *Quòd clavicæ de petra fiant rivis, & tracturis viarum, quæ congruè decurrere poſſunt in ipſum Piſſadellum per Comitatum Cæſenæ.* Hæc omnia eò tendunt, nè *Piſſatellus* traducatur in ſiccum, non autem, ut elevetur in Portum. Quamobrem Blondus *de Portu Cæſenatico* accipiendus eſt, nam eodem ipſo teſte. *In via item Flaminia Savignanum Oppidum interſecat Pluſa vetuſti nominis fluvius; qui ſub Bellaere Caſtello mare influit Adriaticum:* niſi fortè velim ire in ſententiam doctiſſimi *Philippi Cluverii*, qui *lib.* 1. *c.* 28. hæc habet. *Idem Blondus memoratis erroribus hunc inſuper addit, quòd Rubiconem, quem vult nunc eſſe Piſſatellum, ad Portum Cæſenaticum dicat in mare effluere.* Hæc ille: confirmat errorem ipſe Sabellicus *Aenead. VI. lib.* 7. ità de *Piſſatello* putato *Rubicone: priuſquam ad mare deveniat cum amniculo quodam congreſſus, obſcuro nomine in Adriam vadoſo volvitur oſtio.*

Et credibile non eſt ſpatio 30. circiter anno- 21
rum in auram, & fumum illum portum tranſiiſſe; de quo apud Scriptores, & manuſcripta nulla mentio.

„ In ripa Fluminis *Cæſenam* versùs in via ipſa *Æmilia* „
„ Columella erecta, illique impoſita Tabula marmorea, „
„ in qua ſequens juſſio vetuſto ſculpta charactere legitur ab „
„ uſque *Blondi* temporibus, annis ab hinc fermè ducentis „

IVSSV MANDATVVE P. R. COS.
IMP. MILI. TYRO COMILITO
MANIPVLARIVE CENT. TVR-
MAEVE LEGIONARIOE ARMAT.
QVIS QVIS ES HIC SISTITO. VE-
XILLVM SINITO NEC CITRA
HVNC AMNEM RVBICONEM
SIGNA, ARMA. DVCTVM CO-
MEATVM EXERCITVMVE TRA-
DVCITO. SI QVIS HVIVSCE
IVSSIONIS ERGO ADVERSVS
IERIT, FECERITVE, ADIVDICA-
TVS ESTO HOSTIS P. R. AC SI CON-
TRA PATRIAM ARMA TVLERIT.

SA-

SACROSQ. PENATES E PENETRALIBVS ASPORTAVERIT SANCTIO PLEBISCI. SENATVS VE CONSVLTI VLTRA HOS FINES ARMA PROFERRE LICEAT NEMINI.

S. P. Q. R.

22 Hanc Tabulam marmoream, in quam, ceù in scopulum, impegere nonnulli, qui ponè ipsum scripsere, *Blondus* vel effinxit, vel posuit: & tamen supra fidem est, quàm molliter in hoc adulterino lapide conquiescant *Cæsenates*, tamquam de victoria securi. sed præcidam ego hanc segetem, qua luxuriant: de isto lapide hæc *Antonius Augustinus* Archiepiscopus *Tarraconensis*, qui *Fulvii Ursini* calculo, sibi universæ *Romanæ* Antiquitatis suppellectilem comparavit: In libro qui *Hispanicè*, & *Italicè* bis *Romæ* editus, & Iconibus auctior etiam latinè editus *Antverpiæ* ab *Andrea Schotto*, Soc. Jesu. *De numismatibus, & Antiquorum monumentis Dialogo xi.*


B. *Vostra Signoria mi hà promesso di parlare delle Medaglie, & inscrittioni false: hoggi m' è venuta gran voglia di saper questa origine, perche senza sapere separare il certo dall' incerto non si può haver studio con fondamento, e se nelle Inscrittioni, che si referiscono per provar qual si a buona ortografia si servono d' inscrittioni false, non sarà prova concludente, & se io mi volessi valere di quella inscrittio-*
23 *ne in qualche altra cosa, mi trovarei burlato, & altretanto mi può occorrere nelle Medaglie, che se io non sò quali si ano buone, ò quali si ano false, non mi posso servire d' esse in cosa alcuna.* A. *è gran tempo, ch' io sono di questa opinione, e così hò provato in queste cose non credere facilmente sicome dicono, che è un detto d' Epicarmo Poeta Comico Siciliano, il quale fù tradotto dal Greco dà Quinto Tullio fratello di Marco Cicerone*: Nervos, atque artus esse Sapientiæ, non temere credere. *E con tutto io stessi accorto, sono stato ingannato alcune volte, mà io hò veduto la maggior parte dar credenza à quelle, che io reputava false: dirò d' una Inscrittione, che sempre io l' hò tenuta per falsa, & hò trovato huomini, i quali non dico la tenessero per vera, mà dicevano haverla loro letta nella pietra originale dove era scritta. domando adesso à V. S. che gli haverebbe risposto?* B. *ò V. S. gli teneva per huomini de credito, ò nò?* A. *Io gli tenevo per tali, & ancora letterati.* B. *doveva V. S. cavarsi di fantasia, che tal cosa fosse falsa, e ringratiargli, che l' havessin' disingannato.* A. *Io non feci questo, anzigli respondevo, che non era possibile, che quella inscrittione fosse antica.* B. *questo era un dirgli, che non dicevano il vero, & havergli per inimici.* A. *in Roma si tratta trà huomini dotti con gran*
24 *piacevolezza, e non s' entra in colera in quei paesi, come si fà in questi, io gli rendevo ragione de dubii, che io havevo come quella inscrittione fosse finta à mio parere, così per quel che conteneva, come per le sue parole, & di li à pochi mesi tornando d' Alemagna feci il camino da Bologna à Roma per la Romagna, e giunto à Cesena passai il fiume Rubicone tanto nominato per quel che Cesare fece in tal luogo, e viddi una pietra molto antica scritta in due luoghi, e quel che era in uno era quel, ch' io dicevo, che non era antico.* B. *dunque V. S. s' ingannò à non credere à quel.i, che l' havevano veduto?* A. *anzi loro s' ingannorno nel pigliare per antico quel, che era moderno.* B. *V. S. non finisce di dire se la pietra era antica?* A. *anzi troppo antica; ma io dico la pietra, e non la sua incsrittione almanco in una parte, che servì per Epitaffio d' un' soldato, e quelle lettere mostrano grand' antichità, mà nella medema pietra da i lati messero con lettere, Che si co-*

A *nosce, che sono assai moderne, un commandamento, che nessuno Capitano, ne Soldato havesse ardire di passare il Rubicone, che divideva la Gallia dall' Italia, come fece Giulio Cesare.* B. *non poteva esser vero, che fosse stato quel commandamento.* A. *qualche Autore ne haverebbe fatto mentione, mà non bisognava, perche* 25
già loro sapevano, che nessuno poteva uscire dalla sua Provincia con gente di guerra, e passando Cesare il Rubicone con gente incorreva nelle pene delle leggi, che proibivano tal cosa, e così Cesare si fermo ivi, e disse passando jacta est alea, *come chi getta il suo, resta con pochi punti.* B. *come comincia questa Inscrittione?* A.

B IVSSV MANDATVVE P. R. COS. IMP. MILI. TYRO. COMILITO. &c.

B. *Se la inscrittione è moderna, non accade farvi fondamento in essa.* A. *dice, chi la vidde, che era un Editto antichissimo, e che la cavò dal suo originale, e mette l' anno.* B. *e me ingannaria facilmente, perche trattando di quella Historia tanto rara trà gl' antichi, e cantata da Lucano, io haverei pensato haver trovato una gioia.* A. *V. M. vuol vedere come l' è falsa non cerchi di vedere altro, che quelle parole* COS. IMP. MILI. TYRO. COMILITO. *Chi mai vidde* Senatusconsulto, *dove si mettessero*
C *queste parole. Chi comandò ad un Consolo solo, che non vi mettesse* Ambo, altervè, si eis videatur? *perche lasciò di nominar gl' altri Magistrati, come Proconsoli, Pretori, & i Tribuni de Soldati di guerra, i Prefetti, & i Centurioni? Chi comando à i Soldati, & à Tironi? Io non voglio passare più innanzi, perche tutta è di questa sorte.* 26

[* Pollicitus es mihi disceptaturum te de numismatibus, & Inscriptionibus adulterinis; hodie magna me incessit lubido noscendæ hujus originis; etenim absque falsi à vero eliminatione, opus est absque opere; atque si ex mendosis inscriptionibus orthographiæ præcepta depromuntur, ve-
D ritas testimonio inani fulcitur; quòd si ego iis alicubi utar, facilè eludar; idemque in numismatibus fiet, quorum mihi usus omnino nullus, ni spuria discernam. A. diù est ex quo versor in hac sententia, verumquè in his axioma *Epicarmi Siculi* Comici, quod a *Q. Tullio Marci* fratre latinitate donatum est experior; *Nervos, atque artus esse Sapientiæ non temerè credere.* Et licèt evigilarem, non semel falsas pro veris habui. Inscriptionem proponam, quam semper suppositam duxi, novique homines non veram asserentem tantùm, verùm quàm ex ipso fonte depromptam exhiberent. nunc sciscitor ex te quid respondisses. B.
E eos probatæ fidei Viros arbitrabaris, nec ne? A. non ità tantùm, verùm & eruditos. B. dare manus igitur debuisses, iisque gratias habere, eo quòd ex errore eduxissent. A. ab hoc ego abhor-
rui; imò ejus antiquitatem penitùs negavi. B. hoc erat asserere eos mentiri, iisque bilem excitare. A. *Romæ* in eruditorum colloquiis blande agitur, nec ibi tam facilè sonat ore canino littera. eis ego ambigendi rationes exponebam, ut mea sententia ea Inscriptio fictitia esset; tam ex eo, quod indicabat, quàm ex ipsis verbis. Ac intrà paucos menses ex *Germania* reversus iter habui *Bononia* per *Æmiliam*, *Romam*; ubi verò *Cæsenam* 27
F adii, *Rubiconem* ex ibi gestis à *Cæsare* tàm insignem transmeavi, & in lapidem vetustate olentem duplici loco notatum offendi: Ex his inscriptionibus altera meaptè sententia vetustati ignota erat. B. hallucinatus itaque es, fidem iis non habens, qui testes oculati erant. A. imò ii oculati testes hallucinati sunt antiquitati donantes id, quod non novit antiquitas. B. atqui lapis vetustus sit nec ne, non egeris. A. imò vetustissimus, sed non cum lapide consentit Inscriptio, saltem ex parte, quæ



PARS MARIS ADRIATICI
A.A.A. Linea Apenninorum ab Apice tendens per propagines ad Senogaliam.
B.B.B. Jugum continuatum à Baltys usque ad oppidum S. Archangeli.
C.C. Flexio Apenninorum.
FICOCLÆ
AD NOVAS
Isapis Fluvius
Pissatellus Rivulus
Argossa Rivulus
Amniculus Salmiani
CÆSENA
S.Archangeli
ARIMINUM
Poel
Rubicon nunc Lusus Fluv.
Ariminus nunc Mariculo Fluv.
Aprusa vel Apesa
Catol
Crustumium nunc Conca Fluv.
Scortica
Veruculum
M.Bellaere
S.Marci
SASSINA
Perticaria
Isaurus sive Folia Fluv.
PITINUM
Penn.
M.Carp.
SESTINUM
Baltiæ
Arnus Fluv.
Tiberis Fluv.
TUSCI
CURSUUM FLUVIORUM Circa ARIMINUM et CÆSENAM Accurata DESCRIPTIO.
LUGD. BAT. Sumptibus PETRI VANDER AA.
Millia Passuum.
1 2 3 4 5 6

quæ militis cænotaphium exhibet, multam ostentat antiquitatem, sed ejusdem lapidis lateri inscripsere (characteribus, qui recentes visuntur) Jussionem, ne quis Dux, milesvè *Rubiconis* vadum tentare auderet, utpotè *Italiæ*, *Galliæ*que limitis, ut *Jul. Cæs.* patravit. B. tam à veritate ab-
28 horret hæc jussio, ut ei conciliari nequeat. A. author aliquis de ea mentionem injecisset. atqui inanis erat; quibuslibet enim innotuerat, legibus cautum esse, ne quis è Provincia armatas educeret copias. Cæsarique cum copiis *Rubiconem* prætergredienti instabant leges objectivæ pœnales; idcircò ibi *Cæsar* constitit, progressus ait: *jacta est alea*, ut lusor fortunæ reliquum credens. B. Ecquod verò Inscriptionis exordium? A.

IVSSV MANDATVVE P. R. COS.
IMP. MILI. TYRO. COMILITO. &c.

B. si inscriptio recens est, nullum affert pondus authoritatis. A. eam sibi visam asserit: vetustissimumque esse Edictum; & ex fonte eam hausisse, annumque recenset. B. quin & ego hallucinarer dum in ea tam inter antiquos celebri historia, & à *Lucano* decantata, lapillum, sivè margaritam præmiis, & pretio accumulatam me invenisse non formidarem asserere. A. teneris ne desiderio eam in partes discerptam, qualis sit investigare? hæc tantùm verba scrutare. *Cos. Imp. Mili. Tyro. Comilito, &c.* Quis unquam uni *Cos.* jussionem dedit, quin addiderit ambo, alterve, si eis videatur? non enim cæteros recensere lubet
29 Magistratus, ut Proconsules, Prætores, Tribunos militum, Præfectos, & Centuriones? Quis militibus, & Tironibus imperavit? nolo ulterius progredi, tota est enim hujusmodi.*]

Hunc lapidem pro falso agnovit Philippus Cluverius *Italia antiqua lib.* 1. *cap.* 28.

IVSSV MANDATVVE, &c.

Verùm quum oppidò, quam barbara, atque inepta hæc sit Oratio; meritò prudentissimus quisque, marmor hoc pro adulterino, ac longè posteriori demùm seculo, ut innumera alia per universam Italiam, confictο habet. Quòd si hæc posita fuisset lex, quum Jul. Cæsar amnem cum exercitu trajiceret, bellum Pompejo Magno moturus; certè eam respexisset; certè respectam ei, lectamquè retulissent Auctores, Suetonius, Plutarchus, Appianus; qui hunc ejus trajectum contra legem Senatus, Populique Romani accuratè narrarunt.

At rursùs eodem libro paulò inferiùs. *falsissimo igitur loco supra memorata Inscriptio hodie duobus millibus à Cæsena ad superiorem Rubiconis partem conspicitur, & ipsa sanè falsa, nec minùs adulterina, quam barbara; barbaro seculo ex Cæsaris rebus gestis imperitè, ineptèque conficta.*

30 *Janus Gruterus* etiam hoc monumentum inter spuria, ac supposititia reposuit. Heus tu adesto mihi, *Cæsena*: stabuntne parietes, si ipsa corruunt fundamenta?

,, Cursus totius amnis hæc est descriptio. Sub *Strigaræ*,, ,, Castello propè Montis Campi Villam ejus est Scatebra, ,, ,, & Fons. Inde per *Montis Leonis*, *Montis Jani*, *Subri-*,, ,, *voli*que convalles delabitur; totoque eo tractu, qui o-,, ,, cto circitèr milliarium est, usque fermè ad *Æmiliam*,, ,, viam *Rico* vocatur. In *Pissatelli* inde nomen transit, ,, ,, quod usque ad finem retinet. præterlabitur reliquo cur-,, ,, su decem fermè millium passuum Villas *Riconis*, *Ruffi*, ,, ,, *Bagnarolæ*. ,,

Poterat facilè hæc descriptio non tàm firmare sententiam meam, quàm alienæ conciliare fidem, si immunis esset à culpa. Inter flumina *Rubiconis*, & *Sapis* aliquot non infrequentes numerantur rivuli, fossæ, sivè canales notissimi, quorum vocabula simplicitate agrestium accolarum sunt im-

A posita, videlicet *Pissatellus*, *Matalardus*, *Argossa*, sivè *Regrossa*, & *Sabinianensis* flumixellus, qui omnes diversimodè è propinquis agris, undique susceptis aquis, decurrunt pluvioso tempore, mutuoquè se jungunt alveo ad littora *Adriatici* Maris in *Ariminensi* ditione. me verò ipsum, quantus quantus sum, alibi opportuniùs exhibebo. Interim præ oculis ponam sincero stylo deductam tabulam, ut rei veritatem vel ipse exploret obtutus.

,, His jam habitis reliquum sermonem dispertiar, primò ,, 31
,, quæ pro nobis sunt proponam. pro nobis igitur est e-,, ,, videns *Strabonis* testimonium, qui *Cæsenam* nostram, ,, B ,, quam ipse *Senam* vocat, *Isapi* dicit, & *Rubiconi* propin-,, ,, quam. ,,

Germanum sensum in *Strabone* quærens *Claramontius*, jure merito in *Senam* incidit, non in *Cæsenam*; nam ibi *Sena*, *Isapis*, *Rubico*, & *Ariminum*, *Apennini* flumina, quorum vicinitatem inter se, & (ut ità loquar) correlationem frequens Scriptorum antiquitas, & recentium memoria demonstrat. Lucan. lib. II.

In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,
Crustumiumque rapax, & junctus Sapis Isauro,
Sennaque & Adriacas, qui verberat Aufidus undas.

C Ex quo Boccatius *de Fluminibus*. *Sena fluvius est in littore Adriatico inter Sapim, & Aufidum.* Sil. Ital. *lib. VIII. de Umbris.*

Hos Æsis, Sapisque lavant, rapidasque sonanti
Vertice contorquens undas per saxa Metaurus,
Et levat, ingentem profundens flumine sacro
Clitumnus Taurum, Narque albescentibus undis
In Tibrim properans, Tiniæque inglorius humor,
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Et Cluverius *Italia antiq.* in *descriptione antiquæ Umbriæ. Est autem hic Sena, sive Seno haud dubiè is, qui IV. millia passuum ab Urbe Senogallia Oc-* 32
D *cidentem versùs, vulgò nunc accolis vocatur CESANO.* Et idem *l. II. cap.* 4.

Et Sapis, & Metaurus, & Rubico, & Seno amnes sunt in Hadriaticum Mare inter Ravennam, & Æsim se se effundentes. Si verò *Cæsena*, non *Sena* legendum: *Strabonis* seculo *Pissatellus* non aderat, quia nondum excavatus, & ad modum Torrentis aptatus: at si aderat, de eo non est locutus *Strabo*, sed de *Rubicone* verè naturali fluvio, ut *Isapis*.

,, *Leander Albertus* gravis, & ipse Scriptor hoc uno ar-,, ,, gumento adductus *Ariminensium* sententiam refutavit, ,, ,, nostræ subscripsit. ,,

E Quantum sit ponderis in *Leandri Alberti* historia, non sine stomacho palàm fecit suprà datus Cluverius. *Hæc ita apud Blondum in Italia illustrata leguntur, quæ Leander, ut pleraque alia in Italiam suam transcripsit.* *Blondus* verò, & *Albertus*, duæ Columnæ, quas non ultrà sensere *Cæsenates*: Uterquè enim scriptione ad argumentum erroris efficta oscitantes in devia traxere non auditores tantùm, sed & Scriptores; *ipsique de Rubicone ingens viris doctis reliquerunt certamen*, ut ait sedulus Cluv. *lib. I. cap.* 28. *antiq. Ital.*

,, Et nunc præsertim duos transilisset à *Cæsena* fluvios, ,, ,, *Pissatellum*, & *Saviniani*, & tertium ab illis *Lusum*, &c. ,,

F Non duos, sed quatuor, ut jam vidimus, de *Scipionis* sententia fluvios, & quintum *ab illis Lusum*, &c. de hoc numero, ac serie fluviorum nulla mentio apud Geographos, Historicosque veteres. *Lusus* tantùm, uti demonstratur, verè flumen; cæteri canales. 33

,, *Ariminenses* Scriptores cæteri non viderunt, vel vidis-,, ,, se dissimulaverunt *Strabonis* locum. ,,

J. Villanus. B So-

Solummodò *Cæsenates* viderunt, & diversimodé (ut constat) interpretati sunt *Strabonis* locum; nam *Brissius* de Patria anxius, cùm cerneret minimè in laudes *Cæsenæ* Scriptores antiquos se dare, nullamque de *Cæsena* nunc Urbe mentionem haberi, tacitus omisit eos, qui apud *Strabonem* loco citato *Senam*, non *Cæsenam*, dicerent.

,, Eruditus *Porta* vidit, & declinare conatus est. at non,, ,, satis felici eventu. Summa responsionis est descriptam à ,, ,, *Strabone Cæsenam Rubicone* non ob propinquitatem, sed ,, ,, ob celebritatem. ,,

Porta à quo declinaverit, quovè eventu, ad eruditissimum *Claramontium* ipse verba reportet. *Doveva pure ricordarsi* (de Leandro Alberto) *che nel medemo luogo haveva visto Strabone, il qual dava à Cesena da un lato il Savio, e dall' altro il Rubicone, luogo anche mal inteso da lui, come dirò*
34 *poco appresso: e per tortornare à Plinio, situato, che egli hà Rimino, com è veramente, frà l' Ausa, e la Marecchia, seguitando verso Occidente soggionge.* Hinc Rubico quondam finis Italiæ *volendo dire, che partendo dalla Città di Rimino posta frà i due sudetti fiumi, il primo, che s' incontra verso quella parte, è il Rubicone, termine già dell' Italia, & io per me non sò vedere, come più sicuramente si raccoglia, che (LVSO) fiume di Bellaere, si a il vero, antico Rubicone; e questo luogo debbano quelli haver diligentemente osservato, & inteso, che tengono parere, conforme à noi, del Rubicone: al quale non è contrario il luogo di Strabone, come parve all' Alberti; percioche, sebene egli disse.* Cæsena Isapi fluvio propinqua, & Rubiconi, *non tolse, che Luso si a il Rubicone; perche nominò Strabone questi due Fiumi famosi, non si curando di far mentione del Pisciatello, anzi Rio, che fiume; e conferma questa verità Plinio nel sopradetto luogo in dicendo;* ab eo Sapis, Vitis, & Anemo, *facendo anche questo Autore trapasso dà Luso, allhora Rubicone, come si è mostro, al fiume Savio, & al Viti, hoggi Ronco, & all' Anemone, hoggi Montone ordinatamente, non curando anch' egli un Rio, qual' è*
35 *il Pisciatello. Resta perciò assai provato, che l' antico Rubicone si a il medemo Luso, e che questo non si a l' Aprusa di Plinio, e che non hanno quelli errato, che risolutamente decreta l' Alberti.*

[* Nec missum facere debebat ibidem *Strabonem* alteri *Cæsenæ* lateri *Isapim*, alteri *Rubiconem* assignantem, cujus textus nec genuinum ipse novit sensum, ut infrà exponam. Atqui, ut ad *Plinium* revertar, sito inter *Aprusam*, *Maridamque* *Arimino*, in Occidentem vergens hæc habet. *Hinc Rubico quondam finis Italiæ.* innuens *Ariminum* deserenti, primum *Rubiconem* occurrere: atque egomet non novi quin ex his tutiùs, pro *Luso Bellaeris* fluvio veterum Auctorum stet *Rubico*: textusque hic attentè per eos repensus fortasse fuit, quorum opinio de *Rubicone* in eadem nobiscum est navi: à quo nec *Strabo* discrepat, imò ibi in *Strabone Leander* fit *Strabo*: licet enim *Strabo* asserat: *Cæsena Isapi fluvio & Rubiconi propinqua*: non exinde alium à *Luso Rubico* asserit. Hos nempe, utpotè celebres fluvios recenset *Strabo*, *Pissatellum* rivum magis, quam fluvium negligens. Huic & *Plinius* subscribitur veritati hæc prodens. *Ab eo Sapis, Vitis, & Anemo.* ordinatim & ipse recensens a *Rubicone* nunc *Luso*
36 (ut ex dictis constat) *Isapim*, *Vitim*, nunc *Roncum*, & *Anemonem*, hodie *Montonem*, silentio obruens ignobilem rivulum, cujusmodi est *Pissatellus*. Videtur igitur satis palàm factum, veterem *Rubiconem* cum recenti *Luso* idem esse, neque hunc *Plinianæ Apprusæ* rationem induere; Nec illos omninò lapsos, quos *Cæsenatium* veridicus, gravissimusque *Ptolomæus*, *Leander Albertus* recenset. Censuram deinde non prætereo inconsideratam.

,, Ad *Anemonem* nimirùm *Lamone*, non autem *Montone*;,, ,, ut *Porta* non rectè exponit. ,,

Plinius enim post *Isapim*, *Vitim*, & *Anemonem* ordine recenset, videlicet *Sapis*, *Vitis & Anemo*; quæ flumina per ordinem *Ravennates* universi vulgari vocabulo. *Savio*, *Ronco*, & *Montone* appellant. *Vitis* enim ab Oriente, *Anemo* ab Occidente *Ravennam* proximè alluunt, & quandoque circumeunt. Fluvius verò, qui *Lamone* dicitur, Urbem *Faventiam* dividit; *Fantinum* corrupto vocabulo, sed antiquitùs propriè *Faventias* à quo flumine ipsa denominata Civitas. ultrò venit in hanc sententiam *Aldigerius Dantes*, dum cantu XXVII. Inferni canit.

La Citta di Lamone, & di Santerno
Conduce il Leoncel dal nido bianco; 37
Che muta parte da la state al verno.

Urbes *Lamonis*, & *Santerni*: *Faventia* sunt, & *Imola*; sic *Christophorus Landinus* exponit. *intende Faenza appresso della quale corre il fiume Lamone: & Imola ove corre Santerno.*

[* de *Faventia* loquitur apud quam fluvius *Lamonis* defluit, necnon de *Imola*, cui vena perennis aquæ *Santerni* est irrigua. *]

,, At non est mos Geographorum alienis, non propriis ,, ,, fluminibus, & demum limitibus Regiones, Civitatesve ,, ,, describere. ,,

Permittamus modò locum *Strabonis* sic esse legendum: *Cæsena Isapi, & Rubiconi propinqua*; non tamen hæc oratio possessionem, sed situm indicat; nam vicinitas rem non definit, nec omninò determinat (ut in eodem Strabone *lib. V.* & alibi) sed quò res loco sit, ostendit.

,, Præsertim abest à *Strabonis* consilio, qui, flumina in Geo- ,, ,, graphia adhiberi, dicit ad definiendas Regionum ma- ,, ,, gnitudines, & figuras. verba ejus sunt. *Nam flumina in* ,, ,, *primis ad totam præsentem materiam conducunt, cum ea ma-* ,, ,, *gnitudines, & figuras Regionum naturalitèr determinent.* ,,

Causam meam tutantur, quæ opponis; confessa enim res est, Provincias, & Regiones fluminibus, non pertica, palo, atque ad instar agrorum (ut annuunt *Cæsenates*) rivulis, vel aquæductibus intersecari, & definiri. Sic verò *Sarmatias*, *Europæam* ab *Asiatica*, *Tanais*, *Armeniam*
majorem à minori disterminat *Euphrates*, *Sala* 38
Germaniæ fluvius *Salabas* dividit à *Thuringis*, item *Ister Pannonias* ab *Iazygis Metanastis*, ac *Rhenus Galliam* à *Germania*, &c. *Æsis* ergò, ac post eum *Rubicon*, flumina à fontibus fluentia per campestria usque ad mare *Italiam* à *Gallis* divisere, non verò *Pissatellus* è fluminum numero expunctus.

,, Præterea si ob celebritatem erat *Rubico* ad definien- ,, ,, dam Civitatem aliquam adhibendus, cur non reservas- ,, ,, set eum *Arimino*? ,,

Urbem, cui cum fluvio commune sit nomen, ab ipso fluvio sejunctam apud Geographum nullum reperi: quinimò fluvium ipsum primo semper loco post Urbem necessitate dictum. dabit exemplum idem Strabo. *Portum habet Ariminum, & fluvium cognomine.* Plinius in lib. III. *naturalis Hist.* etiam illi amnem *Ariminum* assignat, quia præcipuè amnibus nomina indebant veteres, quasi immortaliùs duraturis.

,, Attamen si *Lusus Rubico* fuisset, ad *Ariminenses*, tum ,, ,, vicinitate, tum celebritate pertinuisset. ,,

Pendet hoc ex *Plinii* testimonio, loco suprà citato, *cap.* 15. ubi hæc habet; *Ariminum Coloniam cum amnibus Arimino, & Aprusa, hinc Rubico.*

bico. Applicantur enim *Ariminensi* Urbi tres ii
39 fluvii, ut adnotavit Guilhielmus Godelevæjus in *Colonia XLII. Arimini Annot. in T. Livii lib. IV.*

„ Neque verò *Arimini* fluvii, & *Rubiconis* par celebritas. „

Neque etiam par antiquitas. quamobrem ob recens celebritatis è *Rubicone* nomen, minimè Civitati consonum antiquum ejus flumen *Arimini* relinquendum.

„ Secunda ratio pendet ex *Plinii* dicto, quo is apertè *Rubiconem* à *Lusi* fluvio distinguit; adeoque *Ariminensium* opinioni refragatur, & suffragatur nostræ: verba sunt *lib. III. nat. hist. cap. 14. Octava Regio determinatur Arimino Pado, Apennino in Ora fluvius Crustumium, Ariminum Colonia cum Amnibus Arimino, & Aprusa, hinc, Rubico quondam finis Italiæ, &c.* ex hoc loco patet *Rubiconem* ab *Aprusa* distinctum. *Aprusam* verò *Lusi* flumen interpretantur *Blondus*, & *Leander Albertus.* „

Ad hæc respondeat Doctissimus *Cluverius*, multi nominis vir in re tum Geographica, tum Historica. verba sunt *lib. Italiæ antiq. cap. 5. pag. mihi 605. Cæterum Plinius prædicto lib. III. cap. 15. Ariminum*, inquit, *Colonia, cum amnibus Arimino, & Aprusa: fluvius hinc Rubico. Aprusa hic amnis omnibus hoc seculo Italiæ Scriptoribus exponitur Plusa nunc fluvius. quo nomine nullum heic reperiri; confictumque hoc esse vocabulum à Blondo primùm ex verò, genuinoque amnis nomine, qui 7. millia passuum ab Arimino versùs occasum Solis*
40 *dissitus vulgò dicitur Lusa; supra* lib. 1. cap. 26. *docui. Ego ex præscriptis Plinii verbis colligo, longè propinquiorem fuisse Aprusam Arimino. Sic quippè ibidem paulò post ait, Ravenna Oppidum cum amne Bedese & cap. 14. Pisaurum cum amne: & item cap. 13. Truentum cum amne. quæ sanè oppida cuncta iis omnibus absolvebantur. Præfluit hodie Ariminum ab orientali parte amnis vulgari vocabulo Ausa; qui haud dubiè ille Plinii est Aprusa.*

„ Scriptores *Ariminenses* ultrò suscipiunt *Lusi* flumen non esse *Rubiconem* à *Plinio* memoratum: sed *Lusæ*, vel *Plusæ* ab eo nomine appellatum afferunt. „

Qui res ab *Ariminensibus* gestas collegerunt non sine laude, ii sunt, videlicèt *Marcus Battaglia Gotii* Cardinalis *Battagliæ* Nepos, ex quo *Ludovici* filius *Battaglia*, qui ob parvitatem corporis *Battaglinus* dictus; ab eo exindè omnes de familia *Battaglia* nuncupati *Battaglini*.

Ubaldus Branca è familia extincta, vel aliò translata. *Brolius*, seù *Broglia*, qui *Augusta Taurinorum* relicta sedem fixit *Arimini*. Hic Dux militum fortissimus, militarem artem apprime edoctus, eam in alios feliciffimè effudit, præcipuè in *Tartaliam*, quem & singulari semper amore coluit, & in filium, ac hæredem adopta-
41 vit: hæc legimus in libro rudi fæculo m. 5. qui extat apud hæredes Equit. *Cæsaris Clementini.*

A narrare le virtù operate di tanti Capitani, li quali uscirono dalla Scola dello Excelsò Capitano misser lo Broglia, non basteriano carte, &c. perche tutti nelli tempi loro fecero cose alte, e grandi, &c. leguntur præterea inserta carmina.

Son l'opre sue si divulgate, e sparte,
Quando si loda in arme alcun esperto
Si dice, egli è brogliesco in ogni parte.

Fatto gli è tal honor per degno mertò,
Che fu inventor de la più magna scola,
Che fosse mai nel mondo chiaro, e certo:

Da lui discese quel da Cotignola
Segnor Lorenzo Sforza in arme fino
Di cui la fama gloriando vola.

L' altro fù quel valente Paladino
Tartaglia del Lavel, che sempre vinse,
Cavalier valoroso, e Cesarino.

A Hæc licèt barbarè conscripta, quia barbarò tempore dictata, tamen de *Brolia* exscripsi, cùm nonnulli arbitrati fuerint, hunc Authorem fabulæ locum dare.

Raphael Aloysius puro item, & patrio sermone 42
in diurnos commentarios multa retulit.

Ioannes Antonius Rigatius Medicus, & *Ariminensis* patritius occultis quædam suo tempore commisit chartis, quæ paucis ab hinc annis reperta apud *Franciscum Rigatium* I. V. D. asservantur.

Jo: Baptista Monticulus ex antiquis *Veronensium* Dominis, qui fortunæ procellis (ut omnes norunt) agitati, ad hanc Provinciam digressi, in
B *Faventinorum* primùm, deinde in *Ariminensium* Nobilium ordinem adscripti, gentilitium decus abundè sustinent in præstantissimo viro *Thoma Monticulo*, qui nunc temporis *Narnensis* Civitatis regimen tenet.

Adimarius J. U. D. Equitem *Nicolaum* de *Adimariis* sortitus patrem à nobili familia, quæ adhuc *Florentiæ* viget incolumis, res *Ariminenses* levi manu attigit, quæ deinde ab re fusiùs pertractatæ, superioribus annis videre lucem.

Eques *Claudius*, & Doct. *Alexander*, nobiles de *Pasiis*, res ab *Ariminensibus* gestas præclarissi-
C mis monumentis consignarunt & ipsi, quamvis morte abrepti opus non absolverint.

Videant qui velint hos Authores; ex his enim 43
nequaquam habebunt, quæ de Scriptoribus *Ariminensibus* ultrò comminiscitur *Claramontius*: quanquàm & hic tandem ad unum *Clementinum* provocat, cujus, & verba refert. ita Cæsar Clementinus *lib. p. Hist. Gl' Arimınesi all' incontro sono di parere, che il Rubicone si a il loro fiume Uso chiamata da Plino Lusa dal nome d'una Donna.* [* contrà, *Ariminensium* sensus est, eundem cum *Rubicone Lusum* esse, qui penès *Plinium* ex muliebri *Plusæ* nomen sibi vendicat *]

D At apage, *Scipio*, ecquid affert *Clementinus*, quod *Ariminenses* de causa deturbet, cùm sentiat *Rubiconem* esse *Lusum* ipsum? Quod verò *Rubicon* in *Lusi* nomen abierit, & *Lusus* ipse à *Lusa* muliere nomen habuerit, quid tum inde? in id fortunæ venit & *Isaurus* fluvius, qui adhuc servat, quod à *Folia* libidinosa muliere sortitus est, nomen.

„ *Porta* cum primò extenderit *Aprusam Plinii* significare *Avesam* torrentem ad ortum *Arimino*, & *Rubiconem* significare *Lusum*; postea in Apologia adversus *Supplementum Chronicorum Veruculi*, ut sunt curæ posteriores, juxtà adagium meliores, in priorem *Clementini* sententiam venit nomine tantùm *Lusæ* in *Plusam* mutato: ver-
E ba sunt fermè ad libri calcem in Epilogo. *Dimaniera, che resta assai provato, che non si dia quella celerità militare imaginata dal l' autore sudetto, e da quanto hò discorso, che Cesare da Luso nostro fiume, Rubicone all'hora, e Plusa di* 44
Plinio. [* Ita ut satis sit confirmatum non eam dari celeritatem militarem ab Auctore supradicto excogitatam, qua *Cæsar* à *Luso* nostro flumine tum Rubicone, & a *Plinio Plusa* *] Id modò dissimulo nunquam à *Plinio* vocem *Plusæ* adhibitam, sed *Aprusæ* tantùm; at non moror novationem nominis, esto *Plusam* à *Plinio* memoratum non fuisse *Lusum*, cùm asserant *Ariminenses* hunc à *Plinio Lusam*, vel *Plusam* fuisse appellatum, non *Rubiconem.* „

A principio repetam.

F „ *Porta* cùm primò extenderit *Aprusam Plinii* significare *Avesam* torrentem ad ortum *Arimino*, &c. „

Scipio, qui providè *Pissatellum* dixit fluvium, hìc callidè *Aprusam*, vel *Apesam* Torrentem adpellat, quasi differat ab amne *Plinii*, qui libro supracitato his utitur verbis, *Ariminum Colonia cum amnibus Arimino, & Aprusa.* At *Apesa*, sive *Aprusa Plinii* fluvius est, non Torrens; semper enim vivus, adeò ut, si placeat, ex aquarum vi facile sit Portum in *Apesa* constituere: quod ut

J. Villanus. B 2 fiat

fiat, Senatusconsulto apud nos non ita pridem sancitum fuit, glarea, & arena *Maretiæ* ostium identidem obstruentibus. Interim in *Statutis Ariminen. lib. IV.* cautum est; *Quòd nemo conducat vinum, vel bladam, vel panem, vel portum faciat à flumine Apesæ usque ad Taullum, &c.* Abraham certe Ortelius *de Civitate Ariminensi* hæc habet:
45 *Quæ duobus fluminibus circundatur, ab Oriente Aprusa, & ab Occidente Maretia, quod quondam Ariminum vocabatur.* Sed causæ nostræ impensiùs instemus: *Portæ*, & *Clementino* dies dicitur à *Scipione*, qui eos immanis criminis reos exposcit in Judicium, quòd videlicèt *Plusæ* nomen innovarint, *Plusamque Plinio* authore *Lusum* esse voluerint, minimè verò *Rubiconem.* Verùm non est cur tam acer insurgat in Scriptores nostros *Claramontius* tuus; *Porta* enim, & *Clementinus Blondum*, ac *Leandrum Albertum* secuti, *Plusam* non innovarunt, sed ab his innovatam retulerunt. novitium id nomen detexit *Cluverius* loco jam dato, in hæc verba; *apud Savinianum Oppidum Plusam, qui nullus unquam extitit: Blondusque id vocabulum ex nomine Lusæ effinxit; uti tandem ex Plusa Plinii eliceret Aprusam: quem apud ipsum Ariminum fluere, infrà suo loco patebit;* cùm superiùs dixerit. *At quum Leander Bononiensis sæpius hac via iter fecerit, & Blondi quoque Patria Forum Livii XII. haud ampliùs millia passuum dissita sit, mirari ego satis nequeo, qui illi flumina, quæ recensent, nominaque eorum ignorare potuerint: quippe amnis, qui apud Castellum Bellaere in mare ef-*
46 *funditur, non vocatur Plusa, sed Lusa. nec tamen huic adpositum est Oppidum Savinianum; sed illi, quem IIII. millia passuum in dicta via à Lusa remotum.* Auctoris utriusque do verba. *Blondus* in regione 6. *Romandiolæ. Et in via item Flaminia Savignanum Oppidum intersecat Plusa vetusti nominis fluvius, qui sub Bellaere Castello mare influit Adriaticum.* Frater Albertus *in descriptione Italiæ* sub *Romandiola*, via *Æmilia. Seguitando detta via si ritroua esser interrotta dal fiume Plusa da Plinio dimandato Aprusa, che sbocca nella marina sotto Bellaere assai nobile palagio fatto da i Malatesti al lito del mare. scende questo fiume dall' Apennino: era anticamente quivi nell' Emilia un ponte di pietra, che congiungeva detta via insieme, di cui insino ad hoggi appajono i vestigi.* & inferiùs. *Et perche appresso di molti è dubbio, se questo Pisciatello si a il Rubicone, overo quell' altro, che habbiamo descritto per Plusa, &c.* [* intersecatur eadem via per *Plusam* flumen, *Plinio Aprusam*, mare influens juxta *Bellaere* insigne palatium ex *Malatestarum* copiis ad maris littus extructum: ex *Apennino* delabitur hic amnis, atque inibi in *Æmilia* pons
47 erat marmoreus viam eandem jungens, cujus hodie extant ruinosæ reliquiæ. (*inferiùs verò*) quoniam autem plerisque insurgit hìc dubitatio, sitne hic *Rubico*, an ille superior amnis, quem ut *Plusam* descripsimus. *] *Clementinus*, & *Porta*, licèt *Lusum* ab incolis, *Plusam* à *Blondo*, & *Leandro* vocitatum dixerint, quæ tamen *Blondi*, & *Alberti* assertio conclamantium *Plusam* esse *Plinii Aprusam*, omninò negatur; nam, uti suprà ex *Cluverio* retuli, *Aprusa* est *Apesa*, seù *Avesa*.

„At videamus Scriptores *Romana* tempora consequutos, „qui à nobis stant, Joannes Boccatius (*in opusculo de Fluminibus, &c.*) in voce *Rubicone* hæc habet: *Rubicon fluvius est: ubi quondam Italiæ Provincia inter Ariminum, & Ravennam à Provincia Galliæ Cisalpinæ à Romanis Ducibus separatur, parvus quidem è vicinis montibus in Adriaticum effluit: hodie vocatus ab incolis Pisciatello, vix cognitus.*„

In opusculo item *Hermanni Torrentini*, in quo fluviorum, montium, &c. nomina, hæc habentur: *Rubicon fluvius in Italia separans Galliam à Flaminia.*

A Lucanus.

Puniceus Rubicon: cum fervida canduit æstas: Est autem inter Ariminum, & Ravennam, à rubore aquæ appellatus. Verùm de *Arimini* Urbe hæc ab eodem dictantur. *Ariminum Urbs vetus in Flaminia juxtà Rubiconem fluvium, qui Galliam à Flaminia separat.* Sed inter Scriptores *Romana* tempora consequutos, ante *Boccatium* invenio *Dan-* 48
tem, qui *Cæsenam* absque *Rubicone* cant. 27. Inferni descripsit.

E quella, cui il Savio bagna il fianco,
Cosi, com' ella si è tra' l piano, e' l monte,
Tra Tirannia si vive, e stato franco.

B *Darius* verò *Tibertus* Poeta, & Civis nobilis postea sic cecinit:

Urbs Cæsena mihi patria est, quam dividit unda
Cæsis, & à patrio flumine nomen habet.

„*Blondus* antiquitatum eruditissimus apertè nomen antiquum *Rubiconis* nostro *Pissatello* adjudicat, &c. verba sunt. *succedit Torrens parvus Rubico terminus olim Galliæ Cisalpinæ, Italiæque infra Flaminiam viam, Pissatellum vocant, suprà Riconem, florente Romana Republica vetabatur, ne quis armatus illum absque Magistratuum licentia transiret; quæ jussio nunc quoque ibi legitur in marmore elegantissimè scripta.*„

Iterum *Blondus*? sed sensus, & adlocutio non paulò variata: Hæc lego in Regione sexta *Ro-*
C *mandiolæ*, sivè *Flaminiæ. sequitur magni quondam nominis Torrens perexiguus Rubicon, Cisalpinæ Galliæ, & Italiæ arva disterminare solitus: Pissatellum nunc, qui sub Flaminia via, Ruconem qui suprà accolunt, vocant, fuitque olim stante, & integra Republica Romana lege prohibitum, ut quispiam armatus illum injussu Magistratuum transgrederetur, eaquè lex loco mota, in quo ab initio fuit posita, marmore litteris incisa elegantissimis etiam visitur, quam libuit hìc ponere.*

IUSSU MANDATUVE, &c. 49

D post legem, subjungit hæc. *Notiora sunt, quæ de hujus amnis, & legis transgressione C. Julii Cæsaris scripta sunt à multis, quam ut ea à nobis hic scribi oportere judicemus, satisque fuerit, & locum & legem indicasse.* Quod ad locum mihi non satis; licèt enim sub *Flaminia* via modicas traham undas, nihilominus nunquam indicatus pro fossa, sivè (utì est *Pissatellus*) perexiguo Torrente; sed ab universis Scriptoribus pro fluvio, & amne perenni.

Quòd verò ad Jussionem eam attinet, dictum satis ab Archiepiscopo *Tarraconensi*; cujus sententiam retuli suprà *pag.* 25. Afferam solummodò, quæ *Blondo* adposuit *Leander* in *Romandiola*,
E via *Æmilia*: his verbis: *Scrive Biondo lui haver veduto detta Tavola di marmo, nella quale era tal proibitione del Senato, & Popolo Romano, mà io sovente quindi passando, & diligentemente cercandola mai l' hò potuta vedere. Ben è vero, che egli dice haverla veduta istratta dal proprio luogo: la onde potrebbe occorrer, che la sia stata portata altroue, overo di terra coperta in processo di tempo.* [* memoriæ tradidit *Blondus* conspexisse se marmor hoc, necnon in ipso ejusmodi exaratum Senatus Consultum atqui ego persæpè id itineris agens 50
nunquàm ejus rei oculatus testis effici merui, licèt id inquirerem: asserit quidem *Blondus* vidisse
F se marmor proprio situ extractum, indeque aliò asportatum, & tractu temporis terra opertum non incredibile putarim. *] Cum *Leandro* stat *Cluverius*, qui *Ital. antiq. lib.* 1. *cap.* 28. hæc ait. *Ubi Leandri tempore latuerit, item quo loco eam conspexerit; 80. annis ante Leandrum Blondus, equidem ignoro.* & inferiùs. *falsissimo igitur loco supra memorata Inscriptio hodie duobus millibus à Cæsena.* Quamobrem author sum *Cæsenatibus*, ut tabulam illam, vel obruant denuò, vel sepeliant,

& feliciori seculo, annuentibus ultrò *Ariminensibus*, iterum refodiant. *Blondum* interim saxo alligatum prætergredior.

,, *Nicolaus Perottus* celebris eruditionis Vir, &c. (in Cornucopia, sivè Commentariis linguæ latinæ) disertis verbis *Rubiconem Cæsenæ* tribuit, verba Viri hæc. *Sunt qui existimant Cæsenam quoque Flaminiæ Urbem à cædendo appellatam, quòd exiguo intus amne cæsa, hoc est, divisa sit, vel quod ager ejus duobus fluminibus Sapi, ac Rubicone sit divisus.* ,,

Hæc *Perottus*, qui de suo nihil ponit, ignoraturque an ad ironiam referat verba illa, *Sunt qui existimant*, &c.

51 ,, Itaque *Rubico* in agro *Cæsenate* ex sententia ejus, &, eorum prætereà quorum dimissis nominibus sententiam, refert. ,,

Itaque non stat, in agro *Cæsenate* adesse *Rubiconem*, neque de ejus sententia, quæ non exprimitur, neque ex sententia eorum, quorum nomina ignorantur.

,, *Marcus Antonius Sabellicus* in Suetonium hæc de Rubicone, *Is* (Inquit) *finis olim fuit Cisalpinæ Galliæ, & Italiæ.* ,,

Lucanus.

. . . . *qui gallica certus*
Limes ab Ausoniis disterminat arva Colonis.

,, *Hodie corrupto nomine Riconem accolæ vocant*, & paulò post subjungit.) *Priusquam ad mare sit ventum proximo amniculo insinuatis aquis, & nomine confusis in Adriam inter Ariminum, & Ravennam devolvitur.* Hæc duo, quæ *Rubiconi* tribuit *Sabellicus* nostro, non *Luso* conveniunt, vocatur enim hic *Rico* ab accolis usque scilicèt ad *Flaminiam* viam, & cum flumine *Saviniani* jungitur; neutrum horum *Luso* convenit.

Riconis, seù *Rigonis* rivus non à *Rubicone* fluvio, sed *à Ricone, seu Rigone Rizzardello* viro nobili nomen habuit; In cujus familiæ æquè ac cæterarum *Ariminensium*, antiquissimo nomine conscribendo, hoc temporis desudat inclyti *Petri Belmontis* industria.

De *Rigone* in *Statutis Cæsenaten*: legimus *pag.* 292. sub titulo, *quòd rivus Matalardi mittatur in Pissadellum:* infra alia, quæ illo capitulo, vel ordinatione continentur. *Item statuimus, & or-*
52 *dinamus, quòd fiat unus pons lignaminis super Matalardum in via lavicoli propè Pissadellum juxtà Tumbam Domini Rigonis Rizzardelli, & unus pons de petra fiat in rivo, qui dicitur ulcus juxtà Pissadellum.*

Non est difficile cognitu, rivum *Rigonis*, seu *Riconis*, sicuti Tumbam *Rigonis* nomen à supradicto Domino *Rigone* sumpsisse. Id verò, quod ex *Sabellico* addit *Claramontius*, non subsistere constat ex communi notitia *Rubiconis*; licèt enim tenui fonte cadam, modicisque impellar undis, ex memetipso tamen ortus, & ostii jus pristinum, & locum retineo; nulliusque patiens imperii, meis undis, in *Hadriatici* sinum evolvor. Non abjiciam fluvii regalis gloriam, sed memor limitis *Italiæ* à *Gallia*, ingenti Imperii augurio, ac magna *Cæsaris* fortuna inter fluvios integer, indivisus, semper purpuratus abibo. Peccant enimverò largiter in meum nomen, qui me capite, pedibusque fœdè mutilant, ut vel sic jaceam inglorius. Ecquid, ô *Cæsena*, *Sabiniani* amniculum mihi effingis imperitantem? quænam rerum catastrophe? ita ne priusquam ad mare deveniam, proximo amniculo insinuatis aquis, & nomine confusis, non ampliùs *Rubico*, sed *Rubiconis* bustum, in anonymo *Sabiniani* fluvio sepe-
53 liar? videndus hìc est *Julius Cæsar Scaliger*, qui *in Epitaphio eorum, qui ad Viennam pro libertate Christiana bello Turcico ceciderunt*, epist. XCIX. qui de fluviis, & amniculis in *Padum* intrantibus hæc protulit. *Nam qui ex Alpibus Gallicis, atque Apennino se se in eum induunt fluvii, & nume-*

A *ro pauci, & potentia pusilli, & nomine subobscuri: Quid enim est Tarus ipse? quid Bononiensis Rhenus? quorum nomina, quàm usus, atque commoditates, notiora sunt sane. cæteros verò vix auditione accepistis, Duriam utrumque Chisonam, Sangonum, Macram, Granam, Horcum, Nonum. Quos omnes fluvios unum in alveum si conferas, vix sunt uno cum Ollio comparandi.* eo minus *Matalardus*, *Pissatellus*, *Butrium*, seù *Argossa*, vel *Regrossa* in alveum torrentis *Sabiniani* incurrentes; qui omnes simul, & quidem hyemali tempore, vix fluunt ad talos.

B ,, *Andreas Baccius* (*lege Alexander Braccius*) Reip. olim *Florentinæ* à secretis in versione *Appiani Alexandrini*, dicit, *Rubiconem* antiquum, nunc *Pissatellum* vocari. ,, sunt verba. *Arrivò conveloce camino sul fiume Rubicone, il quale si chiama hoggi Pissatello, e passa trà Rimino, e Ravenna.* (*Reliqua adde, quæ suppressit Scipio*) *& divideva anticamente Italia dalla Marca, dove si fermò alquanto, &c.* ,,

,, Pervenit veloci cursu ad Fluvium *Rubiconem*, quem hodie *Pissatellum* appellant: fluit verò inter *Ariminum*, & 54
*Ravennam, ac antiquitùs Italiam à Piceno separabat; ibi aliquantulum cunctatus, &.**] ,,

Braccius vir bonæ fidei, rem hanc in examen non adduxit, sed aliorum sententiæ per errorem adhæsit. ea enim ratione sum *Pissatellus*, qua olim terminus fui inter *Italiam*, & *Picenum*.

C ,, Frater *Albertus*, ut pro nobis sit, & contrariam, sententiam confutet, jam vidimus. ,,

Accedat iterum *Leander Albertus*, qui in unam, & eandem paginam tot mendacia congessit, ac somnia, ut vidimus. Ne grave sit, quæso te, ô *Cæsena*, legere animi gratia, quæ de Oppido S. *Archangeli*, quod non procul ab alveo meo distat, effingit *Leander. produce il Territorio di questo Castello buone, e saporite frutte, e tra gli altri rape di smisurata grandezza dà uguagliare à quelle di Terno d'Umbria.* loco cæpæ rapas posuit

,, Auctor *Supplementi Chronicorum Veruculi* eidem sententiæ patrocinatur. ,,

D Philippo *Antonino* jam satis dedit *Porta*.

,, Dimitto *Malombrium*, quem *Porta* ipse adducit dicentem, *Rubiconem* nunc *Pissatellum* vocari. ,,

Quò magis numerum auges Authorum, minùs adimis facultatis ad id mihi ipsi faciendum satis.

,, At *Porta* exponit *Pisciatellum* fortè pro *Luso* accipere, ,, 55
,, qui exponendi, & detorquendi verba pro arbitrio usus, & ausus si permittatur: nihil adeò falsum, quod defendi non possit. ,,

Non putabam in tam Sapientem Virum tantum culpæ cadere potuisse, ut apud se non bonæ censuræ suspicionem haberet. at non potuit *Sci-*
E *pionis* mens in tanta sui effusione satis providere, ne quid elabaretur inconcinnum, & imprudens. *si tua virtus, meus candor*, cum *Scaligero* asseram. Sed accuratè perscrutemur querelam. *Portam* excitemus detorquentem verba pro arbitrio, &c. Epist. ergo ad *Clementinum* deponit hæc. *Fà maggior trapasso Tolomeo, che se ne và da confine à confine: percioche da Fiumisino anticamente Asio, non ricorda fiume dal Rubicone in poi, il quale modernamente il Malombra si è lasciato ingannare à chiamarlo Pisciatello; se ben forse egli haverà creduto, questo esser il nostro Luso; poiche nel medemo luogo, che è al terzo libro, alla tavola sesta della*
F *Geografia di Tolomeo, non mentova mai Cesena, ma passando dà Senogaglia à Pesaro, & à Rimino, dove finisce la Marca d' Ancona sotto nome de Senoni, nella Romagna, non fà mentione alcuna di Cesena, mà solo mentova il Rubicone, e Ravenna, come se Cesena non fosse in rerum natura, non che havesse che fare col Rubicone, il qual vien dato dal* 56
Malombra subito passato Rimino verso Ravenna, non ostante, che nella tavola detta, esso Claudio Tolomei

lomei ricordi Cesena ; e se mi si respondesse , che il non èsser Cesena Città littorale fà , che non sia ricordata , io risponderò , che nella medema tavola il medemo Malombra mentova altre Città frà terra , come può ciascuno accertarsi. Ex his quàm tuto sit loco *Claramontii* sententia , unusquisque dijudicet. mirum sanè est , quod in enormem hunc errorem transierint Scriptores , vel inscii , vel inviti , & quàm palmari mendacio contrà propriam iverint mentem cæca nonnullorum authoritate veluti manuducti. Quod sanè quidem in aliam non retulerim causam , nisi quia languenti sæpè per incuriam calamo , aut pæto oculo scribimus scripta , narrata narramus. Non retulisset *Malombrius Pissatellum* , si ore alieno vocabulum non dixisset ; nam de flumine eo loci existenti , quò nunc *Lusus* , differit *Malombrius.* eandem fortunam , seu (rectiùs dixeris) casum nolentes secuti sunt Jacobus Philip. Berg. *in Supplemento Chronicorum* , & Abraham Ortelius *in Synonyma*
57 *Geographica.* verba *Bergomensis* sunt *lib. VI.* in Civitate *Arimini. Hæc enim* (inquit ille) *portum habet , & ejusdem nominis fluvium , in quo navigia tutè à fluctibus Maris conservantur , habetque Rubiconem fluvium propinquum : qui fluvius cum parvulus sit ab accolis Pisciatello appellatur. Abrabam* de *Pissatello* cautè anceps , ita sub mei nomine. *Flaminiæ flumen Italiæ quondam , & Galliæ terminus. Georg. Fabricius scribit hodie Runcone appellari , L. Albertus Pissatello. Hìc hærerem , nisi hunc nodum mihi solveret Blondus.* Hæc illi , qui nimirum faciles in aliorum fidem , aliud scripserunt , aliud senserunt.

„ Certè hic Scriptor in omnibus aliis locis , & reliqui „ „ Scriptores *Ariminenses* omnes uni nostro nomen *Pissa-* „ „ *telli* tribuunt.

Non negamus , ex quo rerum extat memoria , rivulum illum , sordido sanè vocabulo à mejentibus viatoribus deducto , semper *Pissatellum* esse dictum , ut nomine ipso palàm fit ; quod est validissimum in Historia argumentum.

„ At cæteris dimissis ex publicis *Ariminensium* tabulis , „ „ quas ipsi pro se afferunt , clarissima redditur , & evidentissima concluditur sententia nostra , *Clementinus* igitur „ „ Hist: in confirmatione assertæ opinionis esse *Lusi* flumen „ „ *Rubiconem* , adducit *Federici* primi Imperatoris Diploma „ „ sub anno 1165. die 21. Martii , & judicium prætereà „ „ coram *Uberto* Vicecomite arbitro inter *Cæsenates* , & *A-* „
58 „ *riminenses* in controversia de finibus , exscribit verò in „ „ eodem opere Imperatoris Diploma *lib. III.* cujus ego , „ „ cæteris omnibus omissis hanc partem pono. *Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus Imperiali aulæ constitutis* , „ „ *totum comitatum , & districtum suum sicut trahit Rubicon* , „ „ *usque ad Mare à latere Cæsenæ , Pisauri usque ad Foliam* , „ „ *& Ariminum liberam potestatem concedimus.* „

Mutila est , & manca hæc apposita particula diplomatis *Federici* Imperatoris ; nam sagax quidem , sed in publicam fidem injurius *Claramontius* , per maximam fraudem subticuit verbum alterum : *a latere Pisauri ;* ità ut limites , & confinia ex parte *Pisauri* abraserit : latera enim limites , & confinia sonant , usu , & stylo communi Notariorum. Hæc in Diplomate habentur , quæ etiam de verbo exactè *Torrinus* , *Pacius* , ac in *lib. III.* Clementinus retulerunt. *In Nomine , &c. Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus Imperiali aulæ constitutis totum comitatum , & districtum suum , sicut trahit Rubicon usque ad Mare à latere Cæsenæ : à latere Pisauri usque ad Foliam , & Ariminum liberam potestatem , & meram jurisdictionem concedimus.* Quibus ex verbis habetur à lateribus *Cæsenæ* , & *Pisauri* ager *Ariminensis* , qui à finibus *Pisauri* , usque ad *Foliam* protenditur , à finibus autem *Cæsenæ* non habetur usque
59 ad *Rubiconem* , neque verò dixerit quispiam , debere intelligi usque ad mare ; nam Imperator mentione facta de latere *Cæsenæ* , nil prætereà subdit , sed statim gradum movet ad latera *Pisauri* , quæ protrahit usque ad *Foliam* , idest *Isaurum* fluvium. lateri autem *Cæsenæ* præponit verba illa *usque ad Mare* , quæ ad *Rubiconem* referuntur , ita ut mens Imperatoris sit , eum liberam potestatem , & meram jurisdictionem concedere totius Comitatus , & districtus sui , sicut trahit *Rubicon* usque ad mare , hoc est à fonte , seu principio originis *Rubiconis* usque ad ostium , per quod ei patet aditus ad mare ; deinde , ne in dubium revocetur , an territorium inibi initium sumat , vel consistat , addit *à latere Cæsenæ.* Quis autem *Rubiconem* cis *Cæsenam* esse negat ? Nulla igitur ratione argumentari potest *Pissatellum* tunc fuisse *Rubiconem* , imò cùm iisdem ipsis temporibus adfuerit *Pissatellus* , sicuti *Isaurus Foliæ* nomine fuit appellatus , ita & *Rubicon Pissatellus* vulgato nomine fuisset notatus : quod tamen accidisse sapiens quisque negaverit. Verùm quid plura ? Diploma hoc *Federici* Imperatoris , quod contrà *Ariminenses* meos audacia majore , quàm fide , protulit *Scipio* , inferiùs floccifacit , & rejicit , immemor Gloss. in cap. *ex eo. 38. de Reg. Jur. in sex.* ibi. *absurdum est quem redire ad id , quod* 60
semel renunciandum putavit. C. de re cred. l. si quis jusjurandum. & facit vulgata regula , *quod semel placuit , ampliùs displicere non potuit.*

„ Ex lib. eodem post multa refert acta Procuratorum ea- „ „ rundem Civitatum coram memorato *Uberto* , ejusque ju- „ „ dicium , *& quæ sequuntur.* „

Libellos , & petitiones partium cum arbitrio dato ab *Uberto* Vicecomite *Bononiæ* tunc asserto Prætore , videlicèt *Anno à Nat. Domini* 1222. longo sermone de verbo ad verbum , sibi plaudens exscribit *Claramontius :* sed breve gaudium.

In libellis iis de controversis finibus , fateor , loco *Pissatelli* nomen sæpè *Rubiconis* adhiberi , qua de re interdubius *Clementinus* consuluit *Portam* , ùt videre licet *lib. primo Hist.* existimans hæc non fortuita , & conficta , sed certa quadam , & magni alicujus momenti vi firmata. At quidquid sit , pro certo est haud benè expositum , & merè falsum , quia evidenter contra factum.

Anno autem 1222. supramemorato non *Ubertus* Viccecomes , sed *Gualfredus* , sive *Giufredus de Pirovanis* , *Mediolanensis* , *Bononiæ* Prætor. Insuper eodem anno nulla dissensio , sive bellum inter *Ariminenses* , & pro *Cæsenatibus Bononienses* , 61
sed prælium hoc in annum 1216. retrahunt Scriptores *Bononienses* , quos , amabo te , audiamus. Ghirardaccius Bononiens. *lib. IV.* ea , quæ anno 1216. evenere , describens , in rem nostram hæc habet. *Havevano in questo tempo gli Ariminesi prese l' Armi contra Cesenati , & data loro una grandissima rotta , & erano restati captivi mille ottocento de nemici , che furono condotti nel Castello di S. Archangelo , sotto la custodia di Antonio Tarentino ; quando i Cesenati disposti di liberare i loro prigioni , ricorsero allo ajuto de Bolognesi , & l' ottennero ; mà perche Bolognesi benissimo sapevano , che gli Ariminesi erano favoriti da Pesaresi , Urbinati , Fanesi , & da altri , tosto condussero fuori il Carroccio , & furono in suo ajuto Faentini con Guido Lambertini lor Pretore ; Ferraresi con Ridolfo Borgognone , & Bernardo Cornazano con Reggiani. Servirono anche à Cesenati in questo fatto i Forlivesi , & Bertanoresi. Fatta la massa delle dette genti , essendo Capitano Generale il Visconte Pretore di Bologna , esso con l' essercito passò sopra S. Arcangelo , & pose à ferro , & à fuoco tutto quel paese ; & havendo assediato quel Castello , & datogli molti assalti , in termine di quattro giorni l' hebbe , facendo prigione Antonio Tarentino , & suoi seguaci.* il perche 62
Od-

Oddo Mandelli Pretore di Rimini addimando la pace à nome della sua Communità, la quale gli fù concessa à di primo Settembre, e fù scritta nè campi vicino al Carroccio con queste leggi.

Che i prigioni Cesenati fossero lasciati liberi, & condotti sani insino al Carroccio, ò doue al Visconte fosse più aggradito.

Che da ambedue le parti fossero liberati tutti li prigioni, fuorche il Tarrentino, & li compagni (i quali poi, come huomini seditiosi, in Bologna furono fatti morire.) che si ponesse il Vessillo di Bologna in S. Archangelo in segno della Vittoria, ma che l'Essercito Bolognese non entrasse nel detto Castello; & che tutti li Castellani con le loro facoltà fossero salui.

Carolus Sigonius *Hist. Bon. lib. IV.* in eod. anno 1216. ista describit.

Eo anno bellum maximè memorabile cum Ariminensibus Bononienses gessere. Ariminenses, cum prælio Cæsenatum exercitum profligassent, mille octingentos è Cæsenatibus ceperant, eosque in Arcem S. Archangeli conjecerant, atque ibi præfecto Antonio quodam Tarentino custodiebant. Cæsenates, captivos suos recuperare cupientes, propriis diffisi opibus
63 *ad Bononienses ad honorem suum rati pertinere, supplices socios pro viribus sublevare; præsto se futuros responderunt, & quòd Ariminenses à Pisaurensibus, Fanestribus, Urbinatibus, aliisque adjuvari sciebant, continuò Regiensium, Faventinorum, & Ferrariensium Prætores, ac copias acciverunt, atque ex iis, & maximo delectu Civitatis exercitum firmissimum contraxerunt, & Carrocium educendum decreverunt. Prætor cum hoc apparatu egressus octavo Idus Augusti ad S. Archangeli Castrum pervenit, idque omni ope oppugnare instituit: præliis cum hostibus contrahendis, agro vastando, atque Oppido omni tormentorum genere quatiendo, res in exitum mensis extracta est. Tandem expugnatum Oppidum, muris dejectis, & hostibus profligatis in ditionem cum Tarentino pervenit. Kal. Septemb. in castris ad Carrocium, pax cum Ariminensibus his legibus scripta est. Ariminenses, captivos Cæsenates, & qui modo de exercitu Bononiensium capti sunt, restituunto Vicecomiti Prætori Bononiæ in castris, in quibus nunc sunt Bononienses ad carrocium, aut tabernaculum Prætoris, prout ei placuerit: vexillum Bononiensium in Castro S. Archangeli poni permittunto. Bononienses & Cæsenates captivos Ariminen. reddunto.*

64 Quin & ipsemet *Claramontius Bononiense* bellum, & *Ubertum* Vicecomitem Prætorem refert in annum 1216. *Cæsen. Histor. lib.* VIII. *pag.* 279. Ego sanè multò antè quàm *Ubertus* eam sententiam dixerit in *Ariminenses*, *Pissatellum* extitisse, & *Pissatelli* nomen, ac locum occupasse, ex *ipsis Cæsen. Annalibus*, imò, & ex *Claramontio* ipso didici *lib.* VII. *Hist. Cæsen. pag.* 257. cujus verba accipe.

„ *De sconficta facta in Ariminenses.* „

„ *Anno Domini millesimo octuagesimo primo, die decimo octavo Augusti, cum Cæsenates tenerent Castrum Bulgariæ, venerunt Ariminenses cum Montefeltrano, qui fuit tunc Vexillifer eorum cum tota militia Montis Feltri, cum Berardinis, & cum tota militia Comitis Pisauri, & Urbini, & expugnantes ipsum Castrum ceperunt Dominum Garatonem, quibusdam aliis, quo facto venerunt usque ad Pontem* Pissatelli. „

Rubeus *Histor. Ravenn. lib. V.* author est Anno 1138. xii. kal. Novemb. traditum fuisse *Azoni Camaldulensium* Præfecto à *Gualterio Ravennate* Archiepiscopo D. *Apollinaris* in Classe Cœnobium, & quæ ad illud attinerent, universa, aliaque complura in diversis territoriis existentia; quæ verò ad *Ariminense* agrum spectabant in hæc verba recenset.

In Ariminensi, Massa Utriana, Castrum Gahium, Massa Branchese, & Rufiense; nec non & 65
curtis integra, cum castro, quod Pissatellum appellant; curtis item integra, quam vocabant Fontanam Sabbati, Sala quoque nova, & vetus juxtà fluvium Pissatelli, & littus maris, & Castrum Casalidium, & Montis Albani; pluraque alia. In Cæsenati; ipsaque Urbe Cæsena, domus, curtisque Succumana, ac fundi prætereà multi.

Hoc idem ex *Rubeo* desumptum refert & Claramontius sub initium *lib.* VII. *Hist. Cæsen.* cujus hæc sunt verba.

„ Horum locorum *Branchese*, sivè *Branchisium*, *Rufiense*, sivè *Rufium*, Castrum *Pissatelli* quando extabat, *Sala* nova, & *Sala* vetus, & Castrum *Casalidium Cæsenatis* territorii sunt, & semper fuere (quod asseritur gratia, & contrà factum) licèt *Ariminenses* litem de aliquibus intenderint, at *Cæsenates* semper possedere ultimis „ his temporibus.

„ Placet subjicere testimonium *Jo. Antonii Magini* Mathematici celeberrimi, qui in Topographia *Romandiolæ* fluvium nostrum *Pissatellum* inscribit Italicè *Pissatello*, e *Rubicone.* eundem in *Italiæ* universa Tabula *Rubiconis* nomine describit. „

Placeret & mihi, nisi tanti Viri testimonium levissima F. *Leandri* authoritate, quam superiùs rejeci, fulciretur. *Magini* verba habes in expositionibus in Cl. *Ptolomæum*, descriptione *Flami-*
niæ, seù *Romandiolæ*. *Gli antichi addimandarono* 66
Gallia Togata quella parte della Romagna, che per sentenza di Plinio, di Catone, e di Sempronio è frà Ancona e Rimino, e più oltre insino al Rubicone, il quale hoggi, come piace à Leandro, si nomina Pissatello.

Si quid hìc peccatum, *Leandro* dabis; cùm etiam damnes alioquin temeritatem in sententia *Magini*, qui idem in *Ptolomæum* de fluminibus *Italiæ* piscosum *Rubiconem* explicaverit. *Hà ella similmente buon numero de fiumi si navigabili, & atti à condurre mercantantie, si abbondanti d'ottimi pesci, & il Pò, è d'essi più prestante, il Rubicone, il Tevere, l' Arno, il Mincio, il Ticino, l'Ollio, e l' Adda.*

Cachinnis dignum, ex arenti *Pissatello* piscium quemqam capi cupidine; nisi forsan in lutulento imbre cum *Tassone* velis ibi pisces exquirere, de quibus cantu 2. Poem. *la Secchia* cecinit.

Non han pero gli agricoltori industri
Tutte asciugate ancor le natie vene,
Mà vi son fondi di perpetui umori,
Che sogliono abitar pesci canori.

„ *Joannes* paritèr *Nicolaus Doglionus* in *Europa* sua *Italicè*, conscripta cis *Savinianum* ad occasum scilicèt, imò cis *Butrium Rubiconem* ponit, eumque *Pissatellum* nunc vo-
cari asserit. „ 67

Quàm minuti sit nominis Author hic, qui in verba *Blondi*, *Leandri*que juravit, ab eo ipso disce, dum in *Romandiolæ* descriptione hæc effingit: *Ma ritornando alla via Emilia, vi è Savignano, & poi trovasi il fiume Plusa da Plinio detta Aprusa, e discende dal Monte Apennino, entrando in Mare presso à Bellaria. Ivi oltre si incontra nel torrente Butrio, che hà vicino Longiano nobil Castello.* post *Sabinianum* ponit *Lusum*, sivè *Plusam*: Hoc unum sit satis ad judicandum de Authoris fide.

„ *Aldus Manutius* nostrum hunc pro *Rubicone* pariter agnovit, dum anno 1565. in ejus ripa Columellam erectam, & Edictum idem, quod in solo hoc nostro, & tunc reperiebatur, & nunc reperitur, se legisse asseverat. exscribo verba ejus in *lib. de Orthographia pag.* 766. „ *TYRO novus miles cum Y non cum I ex inscriptione Edicti vetustissimi, quæ adhuc in Rubiconis ripa conspicitur à me, superiore anno MDLXV. cùm Venetiis Romam redirem dilignetèr exscripta.*

Maximum inesse rationi huic pondus ex *Manutii* authoritate desumptæ autumant *Cæsenates*: cui tamen *Antonius Augustinus* Dialogo xii de fal-

falsis numismatibus, & Antiquorum monumentis jam satisfecit.

IVSSV MANDATVVE P. R. COS.
IMP. MILI. TYRO &c.

68 *In questo modo è messa da Aldo minore nella seconda impressione della sua Ortografia, per provare con essa, che TYRO s'hà da scrivere con Y, e forse nella prima si provò con la medema pietra, che TIRO si scriveva con I, & ancorche si dica, che le cose ripensate la seconda volta sono megliori, nondimeno era cosa più sicura starsene con la prima Ortografia, e confirmarla con i Digesti di Fiorenza, dove è scritto* Aimilio Tiro, *nel titolo* de effractoribus.

[* Sicque exhibetur ab *Aldo Manutio* in secunda Orthographiæ editione, ut ejus testimonio TIRONEM cum Y scribendum probet: fortè eodem Lapide in priori editione pro altera parte decretum est; licètque Adagium afferat, res iterum digestas probatiores esse, tutius fuisset priori sententiæ insistere, eamque *Florentinis*. ff. ubi habetur *Aimilio Tiro*. tit. *de effractoribus Fulcire.* *] Non omitto hìc illam ex *Tacuino*, & *Appiano* sanam inscriptionem *Aquileæ*, antè ostium Ecclesiæ Monialium.

IMP. CAES. INVICTVS. AVG.
AQVILEIENSIUM. RESTITVTOR
ET. CONDITOR. VIAM. QVOQVE
GEMINAM. A. PORTA. VSQ. AD
PONTEM. PER. TIRONES. IVVEN-
69 TVT. NOVAE. ITALICAE. SVAE
DELECTVS. POSTERIORIS. LONGI.
TEMPORIS. LABE. CORRVPTAM
MVNIVIT. AC. RESTITVIT.

Tibique varios offero Lapides, in quibus conspicies, vocem hanc (TIRO) littera I, non verò Y, scribi.

Bononiæ in propylæo D. *Stephani* ad portam sinistram.

DOMINAE
ISIDI. VICTRICI
NOMINE
M. CALPVRNII. TIRONIS
ET SVO. EX
PARTE. PATRIMONI. SVI
SEXTILIA. M. L. NOMVLLA
PER ANICETVM. M. LIB
SVVM. VT FIERET. TEST
CAVIT

Foro *Sempronii* in *Piceno*.

AVGVSTALES. VI. VIR
C. PESCENNIVS. CLEMENS
L. VETTIENVS. C. F. TIRO. &c.

70 *Mutinæ*, ut testatur Sigonius *de Antiq. jure Italiæ lib. III.*

Q. AMBILIVS T. F.
POL. TIRO MVTIN
MILES COHORT. VII. PRAET
Ɔ GRACINI. VIXIT ANN
XXXII. MILITAVIT AN. XII

Ex levissimis insuper conjecturis, ideſt numismate reperto, in quo facies admodùm juvenilis conspiciebatur, & in limbo litteræ HONORIO MAXIMO: & præterea his *Claudiani* carminibus *in sextum Honorii Consulatum* Paneg.

. . . . *vetitumque propinqua*
Luce frui, spatiis decernens gaudia parvis
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?

Indicat *Scipio*, delectatum *Cæsenæ* ejusmodi recessibus *Honorium* Augustum; quòd si numisma illud Sententiam *Scipionis* confirmaret, ad *Ariminensem* agrum ferè omnes Reges, Imperatores, Consules, quandoquè divertissent: cùm numerosè diversorum, & quorumcumque metallorum sit *Ariminum* in numismatibus vetustis ferax.

Veriora indicia, firmioraque argumenta habet 71
Ariminum meum, *Honorium* Augustum *Ariminensem* Urbem incoluisse, ut videre est in Actis *S. Barbatiani*, ubi sic dicitur. *Et dum Ecclesia B. Stephani primi martyris in mœnia post muros Civitatis Ariminensis ab ipsa Augusta construeretur, & ipsa illuc ad supplendum eam cum suo filio Augusto demoraretur, Sanctissimus vir, & Confessor Cristi nocturnis horis dum evigilasset, ipsius vigiliis infirmatus est, qui Domini Dei Omnipotentis jussum, & finem vitæ ejus appropinquare nuntiatur Sanctissimo Patri Librifico Petro Ravennati Episcopo, qui omni celeritate misit Nuntium ad Augustam, ut ei indicaret finem rei, quæ ipsa Augusta cum suo filio quàm citiùs properantes venerunt, &c. Qui Sanctissimus Pater Petrus Episcopus unà cum Galla Placidia Augusta, & filio ejus Valentiniano Augusto sepelierunt, &c.* deinde legitur, *ipsa verò Dei famula Galla Placidia Augusta una cum suo filio Augusto reversi sunt ad opus S. Ecclesiæ perstruendum, &c.*

At numisma, & *Claudiani* versus suffragantur *Cæsenatium* Scriptori, sicuti in eodem *lib. Histor. pag.* 134. dicitur attestari lapideam columnam, 72
quam in peculiare signum *Constantino* Imperatori *Cæsena* exhibuit. Inscriptio columnæ est, quæ legitur.

D. N. IMPERATORI CAESARI
CONSTANTINO
MAXIMO.
P. F. VICT. AVG
PONT. MAX
TRIB. POT. XXIII
IMP. XXII. CONSVLI
P. P. PROCONSVLI
HVMANARVM RERVM
OPTIMO PRINCIPI
DIVI CONSTANTI FIL
BONO R. P. NATO
M. P. XV

Literas hasce extremas hoc modo exponit *Claramontius* monimentum posuere decem Viri, vel quindecim Viri. Ex qua inscriptione (sequitur idem) Ordo tum fuisset ad quindecim Viros restrictus, cùm enim non sit interpunctio inter X. & V. potiùs quindecim Viros, quàm decem Viros significant notæ.

Ridicula, pace tanti Viri, explanatio; nam *millia passuum quindecim* significant; & hæc columna terminus milliarium est, ad confinia proximæ Civitatis *Arimini* designanda, reperta in Villa *Bulgaria* anno 1625. existensque olim, ac erecta in 73
Ariminensi territorio: altera consimilis, licèt abrupta, apud *Portam S. Bartholomæi* consistit *Arimini*, his literis.

D. N. I . . . . CAES
FI CONSTANTINO
MAXIMO
P . . . . VICTORI AVG
PONT. MAX
. . . .

Et ut certior sis, hasce columnas terminos fuisse, accipe ex *Borghini* Dialogis referentis in Monte *Pulciano*, in columna publica hæc haberi.

IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI
PARTHICI. FIL
DIVI NERVAE NEP

TRA-

TRAIANVS HADRIANVS
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. VII. COS. III
VIAM CASSIAM
VETVSTATE COLLAPSAM
A. CLVSINOR FINIBVS
FLORENTIAM PERDVXIT
74 *MILLIA PASSVVM*
X X C I

Et è Sarayna: *Veronæ* ad D. *Ambrosium Vallis Polycellæ.*

IMP. CAES
FL. VAL
CONSTANTIO
M. P. VIII

atque è *Resendio*, qui vidit; ad duodecimum ab Urbe Ebora lapidem, in prædio, quod vocant Tabularios, in columna.

IMP. CAES
MAXI
MIANO
PIO. FELI
CI. AVG. EBO
RA. M. P
XII

Unicum adhuc contrà *Ariminenses* superesse argumentum cuipiam videri posset, petitum ex *Gennadio* Proconsule, quem *Rubiconis* incolam vocat
75 *Claudianus*; *Cæsenatem* civem, non *Ariminensem* *Claramontius* facit *lib. IV. Cæsenæ Histor. pag.* 134., reponitque Epigramma ipsius Poetæ, quod iterum heic suppono eruditorum judicio: Verùm cum *Rubicon* dividat *Galliam* ab *Italia*, & *Cæsena Galliæ* supponatur, decernatur an *Gennadius Ariminensis*, vel *Cæsenas* sit habendus.

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama secunda fori,
Grajorum populis, & nostro cognite Nilo;
Utraque gens fasces horret, amatque tuos:
Carmina jejunas poscis solantia fauces:
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt,
Et lare contempto non reditura volant.

76 „RAtiones *Ariminensium* jam audiamus: earum levitas „ „à multarum nos consideratione excusaret; at placet „ „singillatim excutere.„

Jam gravitatem, magnitudinemque *Cæsenatium* rationum, & levissima, vel in ipso pondere saxa perpendimus; Jam verò levitas *Ariminensium* sit in statera. Prudens lectoris judicium ex *XV.* rationibus, quas *Claramontius* pro *Ariminensibus* adducit, exprimat sana mente verum, falsumque procul eliminet.

PRIMA RATIO.

„At esto id dici à *Vibio Sequestro Rubicon Galliæ* flumen „ „juxtà *Ariminum*, & alios non procul *Arimino* eum col- „ „locare, nihil tamen (*inquit Scipio*) indè elicitur, undè „ „concludi possit nostrum *Pissatellum* non esse *Rubiconem.*„

Eò minùs concluditur *Rubiconem* esse *Pissatellum*, qui ab *Arimino* magis distat, quàm *Lusus*. *Juxta* idem est ac *Apud*, vel *Propè*; Cic. *Sepultus est juxtà viam Appiam ad quintum lapidem:* ad Att. Virg. lib. IV. Æneid.

. . . . . *humilis volat æquora juxtà.*

Aliquando est *simul & conjunctim*. Varr. *de Vita P. R. Cùm intereà lucubrando facerent juxta ancil-*
77 *las lanam*, id est simul cum ancillis. Ex his infertur, verba hæc referri debere ad proxima, vel ad actum proximum esse restringenda: adde, verba referri debere ad ea, quæ magis conve-

A niunt, *decis:* 8. *n.* 13. *p.* 2. *divers.* magis autem conveniunt prædicta verba Fluvio *Lusi*, quia proximior *Arimino*, quàm *Pissatello*; cùm à *Vibio Sequestro* antiquo de fluminibus Scriptore, & ab aliis flumen *Rubiconis* designetur juxtà, vel propè *Ariminum*, sive non procul *Arimino* fluvio. Nec quidquam obest ratio, quæ ex adverso posset adduci pro *Pissatello*, quòd videlicèt verba, quæ non possunt interpretari per prius, interpretantur per posterius, Baldus in l. *fin.* per d. tex. in not. 4. & 5. C. *de hæred. instituendis*; sed nequè adstaret ratio pro *Pissatello*, imò potius pro amne *Sabiniano*, qui in nostra Diœcesi post *Lu-*
B *sum*, citràque *Pissatellum* in mare influit: In utrumvis ergo te des sensum, *Pissatellus* excluditur, & semper *Ariminensis* est *Rubicon*; sed enim verba hæc accipi possunt, & debent de flumine *Lusi* uti à proximis, non accipienda à remotis, ut de amniculo *Sabiniani*, neque a remotioribus, ut de rivo *Pissatelli*. Sequitur ultrò *Claramontius*.

„Mos enim Geographorum est, fluvios ex ostiis descri- „ „bere, id observare licet in principe Geographorum *Pto-* „ 78 „*lomæo*, &c. satis hæc ad declarandum cur *Ariminum*, „ „propè *Rubiconem* collocent Geographi, vel Geographos, „ „sequuti Scriptores, cùm ejus ostio ex locis maritimis sit, „ „omnium proxima illa Civitas.„

C Id equidem observare licet: sed quonam *Ptolomæo*? cùm potius in *Ptolomæis* dicendum.

Quos ipse varios in tot exemplaribus
Græcis, Latinisque pariter adinveneris.

Ut agnovit *Joannes Aurelius Augurellus* noster. *Ptolomæos* vidi nempe adnotatos ab *Eboliense*, *Magino*, & *Malombrio*, minimèque incidi in hanc observationem, ut ab ostio tantummodò flumina describerentur, sed quandoque à fonte, sive capite, modo verò ab ostio, vel pede, ut situs ipse locorum expostulat: *Ptolomæum* inspice, præcipuè tamen libro septimo; habebis enim flumina ferè omnia inibi per fontes descripta. In cœlatis
D autem tabulis fluviis adnotantur fontes, & ostium, ac insuper ad loca celebriora demonstrantur, sicuti *Romæ Tiberis*, *Arnus Pisis*, vel *Florentiæ*: *Ortelius* verò solet in medio quoque fluviorum cursu eorundem meminisse. in subsequenti ratione, quam nullo ordine secundam facit *Scipio*, subdit:

„Et adjacentia loca maritima ostio apponuntur.„

Par est sollicitè indagare in *Ptolomæo* an sint ap- 79 posita loca adjacentia ipsi ostio fluminum? minimè sanè, at potius adjacentia loca capiti, vel fonti fluviorum adposita vidi in *libro III.* ejusdem
E *Ptolomæi* sub *Gallis Bojis*, hæc scripta invenio.

Padi ost.
fluvii caput: quod juxta Larii paludem est.
Ejus cum Doria admixtio.
Doriæ fluvii caput juxta pœnium lacum, &c.

Satis ergo non liquet, cur *Rubiconem* juxta *Ariminum* terminum collocarint *Romani*; placet interim in hac re subjicere *Philip Cluverii* verba *Ital. antiq. lib. II. Plinius itaque non tam ipsos limites Aesim, & Rubiconem respexisse videtur, quam Urbes celeberrimas, quæ limites proximè præcedebant, Anconam, & Ariminum.*

SECVNDA RATIO.

F „Alia Scriptorum testimonia ad eandem probandam con- „ „clusionem inducunt, quæ ferunt inter *Ravennam*, & *A-* „ „*riminum Rubiconem* esse, ac fluere; utuntur *Strabonis* te- „ „stimonio. *Rubicon est inter Ariminum, & Ravennam.* „ „Item Ambrosii Calepini. *Rubicon fluit inter Ariminum,* „ „*& Ravennam.* Ex his inferunt *Rubiconem* esse *Lusum*, „ „non *Pissatellum*; cùm *Cæsenæ* scilicèt non meminerint.„

Verba ipsa *Clementini* repono, in quo videre 80 potes hominis sinceritatem, atque adeò candorem *lib. n. p. pag.* 78. & 79. *Et perche l'opinione*

de Riminesi è senza dubbio vera, stimo, che non sia fuori di proposito il mostrarlo. dico dunque che gli Antichi, e più gravi Scrittori acconsentono all' opinione nostra; Vibbio Sequestro altretanto antico, quanto famoso Autore, Rubicon est *Galliæ* flumen juxta *Ariminum*, olim dividens *Galliam* ab *Italia. Strabone*, *Rubicon* est inter *Ariminum*, & *Ravennam. Silio Italico accenna il medemo nell' ottavo lib. quando fà mentione delle Città fedeli, che diedero ajuto à Romani contra Annibale. Gl' espositori di Lucano*, quia *Rubicon* amnis est, haud procul ab *Arimino: il simile affermano Appiano, Plutarco (come s'è mostrato) & infiniti altri antichi, che per brevità l'ascio, de quali è seguace Ambrosio Calepino, dicendo:* Portus *Arimini* non procul à *Rubicone* amne: *& altrove*; *Rubicon* fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam* in mare *Adriaticum. Si che non vedo, che alcuno mai faccia, per picciola, che sia, mentione di Cesena, ò perche in quei tempi non fosse in quella stima, che è hoggidì, come pare, che si raccoglia dall' ultima delle famigliari di Cicerone,*
81 *e da quanto scrive M. Portio Catone.* Hæc non *Clementini* ad rem adornatio, sivè argumentatio (ut prolatat *Scipio*) sed rei dilucida, simplexque enarratio. *Clementinus* asserit *Pissatellum* non esse *Rubiconem*, quia *Rubicon* (inquit Strabo) *fluit inter Ariminum, & Ravennam*, cùm re vera *Pissatellus* fluat inter *Ariminum*, & *Cæsenam.* verum enimverò quia *Lusus* fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, & quia de *Isapi*, & *Sabiniano* pariter inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluentibus nulla unquam fuit, neque est apud *Cæsenates* dubitatio, uter eorum sit *Rubicon*, necessariò deducit *Clementinus Lusum* esse *Rubiconem. Claramontius* verò pag. 29. &. seq. fucato ad integritatem colore, enormi Syllogismo firmas, planasque *Clementini* rationes sic laciniosè depravat.

,, *Rubicon* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit: ,,
,, *Lusus* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit: ,,
,, Ergo *Lusus* est *Rubicon.* ,,

Nequaquàm canone isto usus fuisset *Clementinus*, si argumentum struxisset; quinimò *Claramontium* hoc medio termino adortus fuisset.

Rubicon inter Ariminum, & Ravennam fluit:
Sed Pissatellus inter Ariminum, & Ravennam non fluit:
Ergo Pissatellus non est Rubicon.

82 Minoris propositionis veritatem fulcire potuisset, tum quia *Pissatello* non semper convenit fluere, nam more torrentium continua non fluit unda; tum quia *Pissatellus* inter *Ariminum*, & *Ravennam* se mari non immiscet, sed antequam mare assequatur, vectigalem in *Sabinianum* evolvit undam. Deniquè si per ostia (*Claramontio* Authore) describuntur flumina, & adjacentia loca maritima ostio apponuntur, *Pissatellus* ostium non habet per quod inter *Ariminum*, & *Ravennam* in ora maritima intret in mare, cuique ad illius descriptionem loca adjacentia apponantur.

Apparet igitur *Pissatellum* non fluere inter *Ariminum*, & *Ravennam*; & cùm non habeat ostium in mare, ab *Arimino*, *Ravenna*que adjacentibus non posse describi. *Strabo* igitur si *Pissatellum* pro *Rubicone* descripsisset, non *Arimini*, non *Ravennæ*, sed *Cæsenæ* meminisset. Nihil enim habet, nihilque ei adjacet per quod demonstretur nisi *Cæsena;* nam caret fonte, ostio, alveo, rupibus, aqua; indiget enim ope humana, ut excavetur, deficientibus pluviis non fluit, mare non contingit, ac proindè sola superest *Cæsena*, quam *Strabo*, apposuisset si *Pissatellum* pro *Rubicone* descripsisset.

TERTIA RATIO. 83

,, Quid verò, dum adducunt testimonium pro se *Silii Ita-* ,,
,, *lici*? dicunt autem: *Silius Italicus idem libro octavo innuit* ,,
,, *dum Civitates fideles memorat, quæ auxilium Romanis ad-* ,,
,, *versùs Annibalem præstitere.* At innuitne *Rubiconem* esse ,,
,, *Arimini* fluvium, an potius *Senæ* apertè jungit? nimi- ,,
,, rum *Cæsenæ* ex jam ostensis: ità Silius *lib. eodem octavo*, ,,
,, & loco indicato ab *Ariminensibus.* ,,
,, *Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Senæ.* ,,
,, jungit *Senæ* scilicèt *Cæsenæ Rubiconem* Silius: *Arimini* i- ,,
,, bi, & in eo toto Catalogo Civitatum opem ferentium ,,
,, *Romanis* nusquam meminit, ut constet non satis accura- ,,
,, tos esse, an non satis veros? in testimoniis pro se affe- ,,
,, rendis. ,,

Vexillum erigit in captivitate *Claramontius.* tanto tamen acriùs obsistam ego, quanto vehementiùs conatur ille me repellere. nondum *Silii* verba benè accepit *Scipio.*

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena:

non *Senæ* legendum admonet Cluverius *lib II. Ital. antiq.* Heicque Urbes, & populos sub nomine fluviorum apertissimè *Silius* intelligit. Quis quis tandem penitùs non ignarus sit judex: integrum textum exscribo.

Hos Æsis, Sapisque lavant, rapidasque sonanti
Vortice contorquens undas per saxa Metaurus,
Et levat, ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus Taurum, Narque albescentibus undis 84
In Tibrim properans, Tiniæque inglorius humor:
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Quòd verò *Sena* flumen sit ex sententia præclarissimi Viri loco jam significato, ad lucem Solarem, non vero Lunariam ità redactum est. *Errarunt utriusque Poetæ exscriptores simul, & Commentatores; alteri, apud Silium plurali numero Senæ scribentes; alteri, apud Lucanum litera* n *geminata, Senna subjicientes: quia prima syllaba longa. At non erat heic* ε, *sed* η, *quemadmodum in ipso Urbis vocabulo; quamquàm apud inferioris seculi Gramaticos Græcos, utrumque Tzetzam, id fluminis nomen per* ε *legitur* Σενον. *idque nugis immanibus involutum, &c.* Quas ergo gratias hinc refert *Scipio?* Si de re, quam non habuit, modò capiat.

QVARTA RATIO.

Contra illa *Clementini* verba jam audita: *itaque non video à quopiam mentionem vel minimam Cæsenæ haberi.*

,, Videtur autem esse ratio (*Commentatur Scipio*) quam ,,
,, hìc jacit Scriptor: in describendo *Rubicone* nulla mentio ,,
,, *Cæsenæ*; ergo non est is fluvius *Cæsenæ* propinquus. ,,

Minimè jacit hanc sequelam, sed potiùs, Ergo is fluvius ad *Cæsenam* non attinet, cùm secùs per spatium XII. mil pass. in sententia *Strabonis*, nec juxtà, nec procul à *Cæsena* sim habendus. 85

,, At jam, ut vidimus, non rectè consequitur; Non est ,,
,, cujuspiam in describendo flumine Civitatis facta men- ,,
,, tio: ergo non est illi propinquum flumen. *Tiberis* enim ,,
,, non esset propè *Romam*, cujus in eo describendo nequa- ,,
,, quam meminit *Ptolomæus.* item *Arnus* non fuisset *Pisa-* ,,
,, *rum*, non *Florentiæ*, eandem ob causam. Prætereà ve- ,,
,, ro neminem meminisse *Cæsenam* occasione *Rubiconis* fal- ,,
,, sum esse jam vidimus. ,,

Geographo non ea est lex imposita, ut rerum habeat singularem descriptionem, sed tantùm ut eas designet; Geographia namque designatrix est, vel imitatio picturæ, ut ipse *Ptolomæus* declarat.

Non est autem alicujus momenti commentatitia *Scipionis* ratio: ,, *Tiberis* enim non esset propè *Romam*, ,,

,, *mam*, cujus in eo deſcribendo nequaquam meminit *Pto-* ,, ,, *lomæus*. ,,

Ad id enim non tenetur Geographus; ſatis illi fuit, hanc terræ partem habitabilem nobis cognitam oſtendere, videlicèt quomodo natura, ſituque ſe habeat; quamvis, ut vidi per *Bernardum Sylvanum Eboliensem*, & *Tiberis* nomen *Romæ*, & *Arni Piſis* adpoſuit *Ptolomæus VI. Euro-*
86 *pæ* Tabula ad formam ipſius *Ptolomæi*, cum ſint *Romæ*, & *Piſis* loca inſigniora.

,, Verùm diſtinguere oportet, non parùm intereſſe inter ,, ,, deſcriptionem locorum ex fluminibus, & fluminum ex ,, ,, locis. loca enim mediterranea ex fluviis deſcribuntur, ,, ,, tumque propinqui prorſus, niſi findant Urbem, aſſu- ,, ,, muntur. ,,

Si Mediterranea ex fluviis deſcribuntur, ergo immanis error *Ptolomæi*, qui mediterranea deſcribens, fluviorum nuſquam meminit.

,, At Fluvii ex oſtio, & locis maritimis propriè deſi- ,, ,, gnantur. ,,

Hoc regulariter non negamus; ſed aliquando, ut vidimus, è fonte ſolummodò deſignantur: præthereà verò per loca etiam (ſi celebriora, vel inſigniora ſunt) mediterranea demonſtrantur: idcircò ſi celeberrima fuiſſet *Senonum Cæſena*, jure puniendi Scriptores, qui in deſcribendo *Rubicone Cæſenam* in calamo reliquiſſent. At partes *Scipionis* meliores fuiſſent dubium *Clementino* ſolvere, non implicare, cur univerſi Scriptores tùm hiſtoriæ, tùm poëſeos, & *Rubiconis*, & *Cæſenæ* non meminerint.

,, Addo nunc præter communem eam cauſam hic pecu- ,, ,, liarem fuiſſe, quamobrem adducti auctores tum *Cæſenæ*, ,, ,, non meminerint; nam occaſione illi itineris *Cæſariani* ,, ,, *Ravenna Ariminum*, *Rubiconis* meminerunt. per eam ,, ,, autem viam pergenti *Cæſena* non occurrit. ,,

87 Cauſam prænarratam, & diſtinctionem admittit *Clementinus*: ergo conſequitur à cæteris Auctoribus, qui de hoc *Cæſariano* itinere non agunt, *Cæſenam Rubiconis* commemorari: quod erroneum, ac falſum eſt.

,, At *Ariminenſis* Scriptor alıorſùm reticentiam *Cæſenæ*, ,, ,, accipit: amarulentam nempe interpretationem aſper- ,, ,, git: *Quoniam* (inquit) *vel Cæſenæ tum non ea erat*, *quæ*, ,, ,, *nunc exiſtimatio*, *ut ex ultima Epiſt. Fam. Ciceronis*, *& ex*, ,, *Capite Catonis X. elici poſſe dicit*, *aut quoniam Rubico cum*, ,, ,, *in agro Ariminenſi*, *ejuſque ac Italiæ finis eſſet*, *non erat*, ,, ,, *cur Cæſenæ meminiſſent*, *quæ qualiſcunque eſſet extrà ditio-* ,, ,, *nem Romanam reperiebatur*, *adeoque nec ibi Edictum po-*, ,, *ſuiſſent*, *nec Boji*, *aliivè Galli ei regioni imperantes id tu* ,, ,, *liſſent*. At poterat non neceſſariam hanc cauſam omit- ,, ,, tere, cum & *Cicero* de alia *Cæſena* exponat *Paulus Manu-* ,, ,, *tius* Vir eruditiſſimus, & *Catonis* locus ſit ſomnium Scri- ,, ,, ptoris nuſquam in *Catone* reperiatur. poterunt enim ali- ,, ,, qui credere ex vomica antiqui olim inter has contermi- ,, ,, nas Civitates odii dictum erumpere. ,,

Poterat equidem *Clementinus*, ut Hiſtoricus, nudis verbis rem *Cæſenatem* demonſtrare: tamen prudenter in dubio reliquit, quæ aſſeveranter affirmare potuerat; itaque æquiſſimo animo citrà amarulentiam, atque acerbitatem protulit: *vel Cæſenæ tum non ea erat*, *quæ nunc exiſtimatio*.

At querela ſine cauſa: *Clementinus* namque in controverſiam egit, ne veritas ſaltem adumbraretur, & haud proprio fulgore eluceſceret. Jam audivimus Scriptores, *non tam ipſos limites Æſim*,
88 *& Rubiconem reſpexiſſe*, *quam Urbes celeberrimas*, *quæ limites proximè præcedebant Anconam*, *& Ariminum*. Qua de re intelligere poſſumus, cur jure merito neceſſariam hanc cauſam *Clementinus* non omiſerit. *Paulus* verò *Manutius* in ultimam *Ciceronis* epiſtolam de *Cæſena* ſecùs exiſtimandi nonnihil loci cuique dedit; concludit autem his verbis: *deliberent eruditi*, *quo modo ſit legendum*. *Livius quidem lib. IX. de Ceſennia meminit*, *Oppido non admodum celebri*: *ut fortaſſe non ineptè pro Ceſenam*, *Ceſenniam*, *hic legi poſſit*. *antiquus liber è Cypro*, *Ceſenam*. Aldus etiam Pauli filius poſtremò traduxit: *perche coteſti due appena ſon degni*, *che all' uno Ceſena*, *all' altro i fondamenti delle Taverne Coſſutiane ſi commettano*. [* *nam iſti duo vix ſunt digni*, *quibus alteri Cæſenam*, *alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas* *] Cic. epiſt. ut ſuprà.

Utrùm verò elici poſſit, non magnæ exiſtimationis *Cæſenam* teneri in libro fragmentorum Catonis *de Originibus*: non eſt laborandum, cùm eodem cap. quo *Flaminiæ*, *Æmiliæ*que Civitates, & loca ipſa recenſet, nihil habeat de *Cæſena*. Quapropter elici poteſt, *Cæſenam* minimè reduci poſſe ad ſomnium *Scipionis*.

,, Poterant enim aliqui credere ex vomica antiqui olim ,, 89
,, inter has conterminas Civitates odii dictum erumpere. ,,

Eſſet hæc injuſta violatio non injuſti juris, quo famam ſuam obtinet *Ariminum*. *Strabonem* audiamus, qui poſthabita *Ciſalpina Gallia*, lib. v. ad noſtram regionem hæc verba refert. *Ad reliquam Italiam*, *& montes Apennini Thuſciæ imminentes*, *& Aeſis amnis*, *& poſtremò Rubicon*: *utrique Adriaticum intrantes pelagus*. *Horum virtutem locorum*: *tum ipſa hominum probitas teſtatur*, *tum Oppidorum magnitudo*, *tum verò divitiarum amplitudo*: *quibus omnibus hujus Regionis habitatores Romani cæteris antecellunt Italis*.

An verò *Ariminenſes* antiquum ſuſtentent odium, debitumque vindictæ concedant locum, integerrimè teſtati ſunt anno 1377. ſex millia *Cæſenatium*. vel, ut reperi in perantiquo libro illa ætate m. s. octo millia, qui ab excidio, & voragine *Britonum* tanquam ad Aſylum, & ſecuritatis, humanitatiſque portum *Ariminum* confugere. Codicis verba ſunt. *Venne in Arimino* (ex Cæſenatibus) *circa otto milla frà piccioli*, *e grandi*: *& andavano mendicando per le limoſine*, *ſalvo che certi artexani*, *che ſe procacciavano da lavorare*. non negantur hæc ab ipſo Claramontio *lib. XIV. Cæſen.* 90
,, *Hiſt. pag.* 657. *Cæſenates*, qui excidio, & occiſioni, ,, ,, ſuperfuere, multi *Ariminum* conceſſere ad octo uſque, ,, ,, millia; in hos omnes humanum, & miſericordem ſe, ,, ,, *Galeottus* præſtitit: quibus officiis miſerorum captavit, ,, ,, animos, eique ad dominatum præbuit aditum. Artifi- ,, ,, ces ſui ſe artibus aluerunt, ac imperiti artium Cives, ,, ,, ægriùs toleravere vitam. *Ariminenſes* tamen, matro- ,, ,, næ præſertim tulere benignè opem, & qui multi o- ,, ,, ſtiatim quæſiere panem, alimenta indè reperere. ,,

Sint equidem in exemplum ipſæ conterminæ Civitates, & vicinæ; nempe *Piſaurum*, *Urbinum*, & *Ravenna*, cum quibus tot olim interceſſere bella, & diſcordiæ. Quære *Coſmum Pauluccium* è reſtituta *Calbula* veterem Comitem, qui eximia cum probitate, & humanitate tibi *Forolivienſium* m. s. Hiſtorias indicabit, ex quibus pag. 35. hæc excipies. *Forliveſi ricordevoli dell' affronto ricevuto da Ceſenati andorono con le genti à Civornio*, *che inteſo da quelli domandorono agiuto à Rimineſi*, *& ad altri ſuoi amici*, *quali volontieri andorono*. Teſtis & tu ipſa accedas, ò *Cæſena*, de amiciſſimis in gentem tuam officiis *Ariminenſium*. erumpant ex *Cæſenatibus* fœminæ nobiles, matronæque graves, *Hortenſia Dandina*, probitatis omnigenæ in præclariſſimis Comitibus de *Blandis*, *Urſina Iſea* acri ingenio, & ſingulari prudentia non mulier, ſed Virago: *Virginia Fracaſſa* optimi tum vultus, 91
tum animi, illa *Diotallevis*, hæc *Seraphinis* nuptui data. Peto igitur qua mente effinxerit *Claramontius*, adhuc in antiqua odia incaleſcere *Ariminenſes?* Abiit forte in *Scaligeri* ſententiam, qui *Excrcit.* 261. in *Cardanum Romandiolos* maligno ſuſpendit naſo, dum ait, *Corſis nihil crudelius*, *& Flaminiis*, *quos Romaniolos vocant*. *Non à victorum* ra-

J. Villanus.

rabie cunæ tutæ: non à memoria veteris cædis pronepotes. Nunquàm odium, nunquàm animi immanitatem, nunquàm spem futuræ deponunt ultionis. Quæ sententia, ut non est absurda, ita multas certè patitur castigationes. Huc usque scilicèt *Ariminum*, via *Flaminia* munita fuerat; sed *Romandioli Æmiliam* potiùs incolunt, quàm *Flaminiam. Durat hujus regionis* (id est Romandiolæ) *longitudo à Bononia usque post Ariminum in Rubicone fluento*; inquit *Annius* in *Sempronium* de divisione plani *Italiæ*. Exarchatus Provincia *in Romagnam* nomine mutata, *ut quibus odiosum nomen Romanum fuerat, iis vicinum, ac familiare efficeretur*, docet Rubeus *Ravenn. Histor. lib. V.* At *Ariminensibus* nunquàm odiosum *Romanum* nomen, sed venerabile, amabile, charum: sic de-
92 cantavit *Basinius* Poeta *Parmensis* epist: ad *Sigismundum Pandulph. Malatestam* atque ad *Ariminenses* simul.

Ausoniæ decus, atque Italum fortissime gentis, &c.
Numina cuncta favent: Italos vos esse necesse est.
Nunc stirpem antiquam, & priscos jactare Quirites
Audete, & vobis tantum defendite nomen:
Barbaricasque acies stricto prosternite ferro.
Non hic Hannibalem, sevæ aut Karthaginis armæ
Cernimus: aut duros Numidas, sævumque Jugurtham
Ultima fex hominum, genus hæc & barbara turba
Nobis sunt animi, & bellorum experta juventus;
Et Patriæ venerandus amor, Latioque salutem est.
Antiquo parimus: serisque nepotibus altum
Imperium, æternumque decus.

Aliquandò *Ariminum* (non nego) in *Umbria*, in *Piceno*, in *Gallia*, in antiqua *Italia*; sed in Exarchatu, modò verò *Romandiola*, nunquàm certè? Etenim anteactis temporibus nullius unquàm Provinciæ ditioni *Ariminum* extitisse subjectum, sed multarum Urbium caput (utì ex dicendis satis superque constabit) invenies finitimis sæpe sæpius imperitasse: hinc *Provincia Ariminea*, *Duces Ariminenses*, *Ariminum Pentapolis*,
93 *Respublica Ariminensis*, *Ducatus Arimini*, & ultimò *Vicariatus*, sivè *Dominium Malatestarum.* Neque mihi facessit negotium nostra ætate inter Exarchatus Urbes *Ariminum* etiam enumerari, nam Pontificiæ voluntati respondet illud opere, splendore, pretio. neque tamen desperandum (mi *Scipio*) post lapsum neque nos pudet, pigetvè post morbos novos, valetudinem iterare. A purpura disce, vel à supremo Solio.

. . . . nascentem tuere
Quæ vario micat ore Lunam;
Pars una lumen fundit, & altera
Umbrata mœret, nec vaga terminos
Umbræ coarctat, lux coruscum
Exerat, aut retrahat nitorem.

„At reliqua rationis pars flaccessit prorsùs; nam vel arbitratur cùm Edictum posuere *Romani*, ad *Rubiconem* Imperium tum eorum finitum: & sivè *Lusus*, sivè *Pissatellus Rubico* fuerit, æquè ratio procedit, vel in nostro nullam habet vim, vel æquè in *Luso* habet: aut non finiebatur *Rubicone* imperium, ut verè non finiebatur, & corruit argumentum.„

Ab ortu terminus primùm fuit inter Bojos, & Senones Uteis fluvius, teste Livio lib. v. *ac postquam Senones à Romanis deleti fuere, terminum tunc Ro-*
94 *mani inter se, atque Bojos, sive inter Italiæ nomen, & Galliam Cisalpinam, constituerunt Rubiconem amnem.* ità Cluverius *Ital. antiq. pag.* 273. *Clementinus* tamen nequaquàm ultroneus affirmavit Edictum illud denominatum à *Cæsenatibus* de transitu *Rubiconis* armatorum extitisse: sed *lib. I.* testes & Authorem de hujusmodi jussione, vel Edicto refert. *Non sò per qual cagione i Cesenati habbino rinovato quell' Editto, & honorato sene, asserendo Cesare Brissio nobil Cesenate, & diligente Scrittore della sua Patria, esser stato posto da Romani nel Territorio d'essa.* hæc Clementinus. Hæc verò Cæsar Brissius, *mentre fiorì l'Imperio Romano militò* (nempe Cæsena) *sotto il suo dominio, come si hà da molti Histor. & lo manifesta l'Editto tanto principale, che anticamente posero i Romani sù la riva, overo sopra il Ponte del fiumicello Rubicone non lontano da Cesena più d' un miglio, nel quale prohibivano à chiunque fosse il portare l'armi verso Roma oltre quell' onde.*

Si verò damus, Edictum extitisse, & extare, ut dictitant *Cæsenates*, contrà eos, qui armati audeant amnem meum superare, videtur saltem effingendum, illud emanasse, antequam *Cæsar* 95
bellum Patriæ indiceret; & ideò non ab re asserendum Imperium finitum, simulque non finitum. debellaverat equidem *Roma* totam *Galliam*, sivè omnes *Gallos*; attamen eorum Provincias non subjectas omninò, nec pacatas nondum habuerat: *Cæsar* enim militibus suis commemorans quæ ipse, & ipsi fecissent, frustrà jactasset, quod ejus ductu *IX. annis Remp. felicissimè gesserint, plurimaque prælia secunda fecerint, omnem Galliam, Germaniamque pacaverint.* Incassum Juventus *Ariminea* apud *Lucanum* indignabunda conclamasset.

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis:
O tristi damnata loco: pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,
Primaque castra sumus: meliùs fortuna dedisses
Orbe sub Eoo sedem: gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos: Latii quàm claustra tueri:

At Edictum cùm fictitium, falsumque sit, cadit quidem argumentum; nam destructo principali, corruit etiam accessorium.

QVINTA RATIO.

„Proponit quinto loco Diploma *Federici*, & sententiam „*Uberti* post acta *Cæsenatum*, & *Ariminensium.*„

Quæ pro *Ariminensibus* efficacissimè concludere supra jam perspeximus pag. 58. usquè ad pag. 65. 96

SEXTA RATIO.

„Annectit idem Scriptor aliam rationem, dum Edictum illud stetit, nullum in *Rubicone* jus habere *Cæsenates*, quicunque is fuerit, sivè scilicèt quem ipsi, sivè quem nos contendimus. Quæro ergo unde ipsi desumant nullum jus *Cæsenates* in *Rubicone* habuisse, an sibi somnia fingunt?„

Supinus enimverò stertit *Claramontius* tuus, ô *Cæsena*, dum *Ariminensibus* somnia affingit. Quærit ille, unde desumant *Ariminenses* nullum jus *Cæsenates* in *Rubicone* habuisse: respondetur, id indè desumi, quia *Cæsenates* nunquàm finibus *Rubiconem*, sed aliquando neque *Pissatellum* attigerunt.

„Verè pusillum Oppidum fuisset *Cæsena*, cujus fines non abfuissent bis mille passuum à Pomœrio?„

Sanè quidem fines *Cæsenæ* non abfuisse mille passuum à Pomœrio, probatur tum testimonio Hieronymi Rubei *Hist. Ravenn.* tum juribus Monasterii *Classensis* ab ipso *Rubeo* adductis, tum columna sub *Constantino* Imperatore in terminum erecta, de qua superiùs *pag.* 72. tum denique variis membranis ab Egreg. Viro Cap. *Clementino* Eq.

97 Eq. *Clementini* filio, in *Ariminensi* URBANA ARCE nunc Strenuo Custode, traditis, quas undique deductas in novum Episcopatus Archivium immisit Solertissimus Princeps ANGELVS CÆSIVS hoc temporis Episcopus *Ariminensis*; quo gregis mei Pastore magis lætor, quàm *Cæsare* totius *Romani* Orbis Imperatore.

„Verum enim verò faciamus *Cæsenæ* agrum tum ad „ „ *Rubiconem* non pervenisse, & *Ariminenses* ultra *Pissatel*- „ „ *lum* protulisse fines. adhuc modò *Pissatellus* sit *Rubico* „ „ est, quod nos contendimus contrà *Ariminenses*. Non „ „ est enim controversia utrius fuerit *Rubico*: sed uter flu- „ „ vius *Lusus*, an *Pissatellus Rubico* fuerit. Disputator è „ „ statu causæ delabitur. „

Hoc proposuit, & satis egit *Clementinus*; ait enim *lib. I. Hist. pag. 77. Nasce in proposito della sopranarrata Istoria di Cesare dubbio frà i Riminesi, e Cesenati, qual sia il fiume Rubicone, tenendo questi, e con loro alcuni moderni Historici, che si a un' certo Fiumetto, ò rivolo, che chiamano Pissatello, il qual nasce sei miglia incirca sopra la lor Patria, passa due distante, & in breve perde il nome, perche sboccando nel fiumisino (maggior fiume) di due, uno se ne forma, e questro da tributo all' Adriatico; si che i passaggieri, che transitano da Ravenna à Rimino non conoscano questo Rubicone. I Cesenati dunque sù la riva del Pisciatello, come*
98 *se fosse fiume antico del loro Territorio, hanno rizzata una Aguglietta, & al piede postoui il seguente Editto del Senato, e Pop. Rom. che per la discrepanza del Merula, di Pietro Appiano, del Crinito, e d'altri, non mi lascia risolver d'approvare se si a gi à il vero Editto, posto ouunque fosse, l'antico Rubicone.*

IVSSV MANDATVVE, &c.

Satis hæc ad declarandum *Rubiconem* non esse *Pissatellum*. Verùm decurramus dictum Viri, ab eoque præcipuas excerpamus rationes.

Primò, *che si a un certo fiumetto ò Rivolo: Rubicon* non rivulus, sed flumen, atque limes naturalis dividens olim *Italiam* à *Gallia*. *limites naturales magis probant territorii finem, quàm alii.* Jo. Garf. Hisp. *de expens. & melioratio.* cap. 22. *n.* 46. fol. 335. T. XVII. *fueruntque inventi ad dividendum dominia, & regna.* Hieron. de Mont. *de finibus regund. cap.* 15. *n.* 1. *fol.* 336. *T.* 1. *& illi erunt fines æterni, in quibus verum semel, semper est verum*, ut tradit. à Bald. & Barba. & Fely. in c. *cùm causam de prob. Rubicon* excurrit in Mare, *Pissatellus* non excurrit, sed in amniculum *Sabi-*
99 *niani*; non est igitur verum, *Pissatellum* fuisse *Rubiconem*, qui limes erat *Italiæ*, & *Galliæ*. *Limes Regionis hujus* (inquit Strabo lib. V.) *quam citeriorem Galliam vocamus, quo ab reliqua Italia distinguebatur, mons Apenninus constitutus est, & Æsis fluvius; posteriori verò tempore Rubico: ambo in Hadriaticum Mare effluentes.*

Secundò, *che chiamano Pisciatello.* ab hac denominatione dignoscitur *Pissatellum* non esse fluvium, sed rivum. *Flumen à rivo, magnitudine discernendum est, aut existimatione circumcolentium. Bart. & Cæp.*

Tertiò, *il qual nasce sei miglia incirca sopra la lor Patria, passa due distante.* In tam brevi alveolo pluviales Alpium aquæ ad incrementum *Pissatelli* nihil facere potuissent in expeditionem *Cæsaris*; nisi certè intellexeris *Lusum*, quem ab Alpibus oriri *Lucanus* innuit.

Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.

Et *Mantuanus* indicatus à *Claramontio.*

Venerat Alpini parvum Rubiconis ad amnem.

Quartò, *Et in breve perde il nome, perche sboccando nel fiumisino, &c.* Per ingressum amnis in alterum amnem, nomen ipsius deletur, ac mo-
A tus; sic *Bregæ*, & *Briga* illicò, & cursu, & nomine destituuntur, ubi *Danubii* miscentur a- 100
quis: sicuti *Argossa* in *Pissatellum*, & *Pissatellus* (exigui torrentes) in amniculum *Sabiniani Arimin.* Diœcef. imbres, & pluviam deferunt. Fontes fluviorum (ut explicat doctus Veglensis in *libello de ortu Danubii*) alii sunt regii, & originales, alii tributarii. Regii, & nomen, & cursum retinent, tributarii regalibus juncti, tum nomen, tum etiam cursum amittunt, & aquis propriis regios amnes ditant. sic res ferunt, *Imbecilliores sunt præda potentium.* Claud. *de 6. Honorii consulatu de Almo fluvio.*

B *Est locus in Tiberim quà lubricus influit Almo,*
Et nomen magno perdit in amne minor.

Si igitur damus, *Pissatellum* esse flumen, & ingenti fortuna appellari *Rubiconem*; fateamur necesse est, *Rubiconem* concedere nomen, & undam amniculo *Sabinianensi.* quare habebunt sanè undè glorientur Oppidi illius accolæ, *flumixellum* habere: in quem *Rubicon* infert nomen, & tributum.

Quintò, *Si che i passaggieri, che transitano da Ravenna à Rimino non conoscano questo Rubicone* [* etenim transeuntes *Ravenna Ariminum* hunc *Rubiconem* non vident. *]

C Decurrat in ampliorem fidem *Crucejus*, qui a- 101
pud Gaudentium Merulam *Antiquitatis Gallorum Cisalpinæ lib. I. cap.* 3. *bis*, inquit, *per loca illa circa Ariminum, mihi transitus evenit, nunquam tamen Rubiconem (quod sciam) tranavi: quamquam diligens extiterim in inquirendo hoc tam celebri fluvio.* nullibi namque invenitur ostium *Pissatelli* in ora maritima inter *Ariminum*, & *Ravennam.*

Sexto, *I Cesenati dunque sù la riva del Pisciatello, come se fosse fiume antico del loro Territorio hanno rizzata una Aguglietta, & al piede postoui il seguente Editto del Senato, e Popolo Romano. Pissatellus* olim in agro (ut vidimus) extitit *Arimi-*
D *ni*, sed nequaquàm pro *Rubicone* habitus; at eum ponamus (ut modò est) in agro *Cæsenæ*, nunquid tamen pro *Rubicone* habendus? apage. *Pissatellus* semper idem. licèt *Cæsenates* ad vitiosam causam sustentandam ad ipsam *Pissatelli* ripam falsum erexerint monumentum, addita insuper hac Epigraphe.

PAVLO III. PONT. MAX. DE EDICTO
COMMVNIT. ROMANDIOLÆ PRÆS.
ALEXANDER PASOLINVS, REALMVS
DE FORTIS. ALEX. PASINVS, AN-
DREAS MANCIANVS, PETRVS AN-
TONIVS ANGELINVS, ET IACOBVS 102
E CECCARONVS CONSERVATORES
CÆSENÆ CIVITATIS EDICTVM HOC
TREMENDVM ERIGI CVRAR.
M D X L V.

Hoc scilicèt ad comprobandum *Pissatellum* esse *Rubiconem?* nugæ meræ, & somnium *Orestis.*

Septimo, *Che per la discrepanza del Merula, di Pietro Appiano, del Crinito, e d'altri, non mi lascia risolver d'approuare se si a il già vero Editto-posto ouumque fosse l'antico Rubicone.* ita facilis *Clementinus* ratiocinatur, non disputat: & satis hæc ad asserendum, *Pissatellum* haud esse *Rubiconem.*
F Numnè igitur è causæ statu dilabitur disputator?

„At urgeo dictum Viri: ager *Cæsenæ* ad *Pissatellum* non „ „ pervenit: id sibi vult, dum (quicunque fuerit *Rubico*) in „ „ agro *Cæsenate* fuisse negat. Quæro ergo cujus fuerit ul- „ „ trà *Cæsenates* fines? si *Arimini* dicant; at finis agri *A-* „ „ *riminensis* erat finis *Italiæ*, & finis *Italiæ* erat *Rubico*: id „ „ ipsemet Scriptor asserit: ergo inter *Cæsenam*, & *Pissa-* „ „ *tellum* erat *Rubico.* fortè erat rivus ille illac fluens, „ „ quem vulgò *Matalardum* dicimus. „

Jam negari non potest, *Romanos* ad definiendam *Italiam* à *Gallia* limites naturales, nempè
103 fluvios *Æsim*, & *Rubiconem*, adhibuisse; quæro ergo, si eis non placuisset post *Æsim*, *Rubiconem* esse limitem *Italiæ*, quia scilicèt amplior *Italia*, quodnam flumen post *Rubiconem* assumpsissent? forsan *Matalardum?* minimè verò; sed post *Rubiconem*, necessitate *Sapim:* non enim est, quod habeat rationem fluminis ab *Arimino Cæsenam*, nisi *Lusus*, & *Sapis:* cæteri, qui intercedunt, parvi torrentes, vel rivuli: at placuit Quiritibus *Rubiconem* in terminum eligere, & ulteriùs in *Italiæ* finem non progredi. Quamobrem finis *Italiæ* fuit *Rubicon*; imo ipse *Rubicon* finis etiam *Arimini*, & non tantùm *Arimini* (inquit *Clementinus*) sed simul in territorio, & finis *Arimini. essendo il Rubicone nel territorio di Rimino, e confine d'esso. lib. I. Hist. pag. 79.* [* cùm *Rubicon* defluat per *Ariminensem* agrum; sitque finis ejusd. *] *Ariminensium* fines ex diplomate *Federici* habuere primùm fontem *Rubiconis*, *sicut trahit Rubicon*, deinde ab Occidente latus *Cæsenæ*, ab Oriente verò latus *Pisauri*, atque *Isauri*, seù *Foliæ* initium: tantum ager *Ariminensis* ultimò constantèr patet. Sic intelligendus de Situ *Arimineo Matthæus Brunus* suo tempore non tenuis famæ Jurisconsultus, perantiquus *Ariminensis* patritius, è celeberrima de
104 *Parcitadis* propagine, quæ olim *Malatestarum* simultate victa fuit; cujus tamen viget adhuc surculus in *Franc. Maria Bruno* è sacra familia Min. de Observantia, viro Theologia, ac Philosophia apprimè erudito, litterisque tum sacris, tum humanioribus sic exculto, ut è suggestu dicens in sui admirationem rapiat auditores. Sed hæc est descriptio Situs *Arimine*i.

Urbis Ariminea si quæris noscere fines,
Hos lector versus perlege docte meos.
Hujus prima suos gressus pars Solis ad ortum
Tendit, ubi sedes amnis Isaurus habet.
Solis ad occasum Zephyro jam flante pererrat
Altera, ubi Rubicon projicit amnis aquas.
Tertia & ad nigrum, pluvialemque advenit Austrum,
Apenninus ubi cornua longa trahit:
Ultima ad horriferum Boream, septemque triones
Pergit, ubi Adriaci fluctuat unda sinus.
Frugibus hos inter fœcundum circuit Æquor.
Fertilis & colles undique Bacchus amat.
Muscosi fontes, oleæque in collibus altis,
Plenaque maturis fructibus arva patent.
Flavus in Adriacas percurrit Ariminus undas,
Pinguia vi secum semina sæpè trahens.
Cernitur hac divi Pons Cæsaris urbe vetustus,
Arcus quinque manu regia, & arte gerens.
105 *Jam fuit & gemina hic statio tutissima nautis;*
Unica nunc fessos semiperempta capit.
Alter & Aprusa hanc qui nomine dividit amnis,
Littus & ad curvum pergit ab urbe maris.
Nascitur ex parvo prope mœnia monte frequenti
Fons gelidus cursu, clarus & urbe jacet.
Alta hic cernuntur populi, Sanctique Senatus
Fundamenta Arcus marmore structa diù.
Hac via quadrato pertransit lata lapillo
Flaminia, & secum jungitur Æmilia.
Hic quoque collapsi vestigia summa Theatri,
Navita arenoso littore spectat ovans.
Sacra quaterque decem Divorum hac templa supersunt,
Viginti ac oras possidet ista duas.
Hanc circum, & duo, bina decem nunc curvus arator
Rura colit, vites pampineasque putat.
Collibus, & plano totidem nunc oppida sulcat,
Jam sexaginta heu fertiliora nimis.

At non constat quinam *Cæsenæ* fines fuerint: quinimò an fines, & agrum habuerit *Cæsena* illa ætate, qua *Rubicon* erat finis *Italiæ*, non legitur à quopiam traditum. Quòd si tantum agri habuisse *Cæsenam*, quantum ejus fines non abfuisse à Pomœrio bis mille passuum, probari certò nequit, ad quid *Rubico*, *Sena*, & *Brennus?* nimis enim laxè hæc propalantur.

SEPTIMA RATIO. 106

„Ab experientia itidem naturali suppetias petunt. verba„ „sunt: *In oltre gl' Ariminesi* (*Clemen. pag.* 81.) *in aumento*„ „*delle loro buone ragioni. aggiungono con l' esperienza in ma-*„ „*no quest' altra, che tutti i fossi, rivoli, e fiumi di questa*„ „*parte da* 150. *anni in quà habbino allargato li loro letti al-*„ „*tetranto, quanto havevano prima; e così si può credere veri-*„ „*similmente, che habbino del continuo fatto per l'adietro. Il*„ „*Pissatello di presente non occupa in lunghezza di terreno più*„ „*d'una canna e meza: adunque* 200. *anni sono era assai mi-*„ „*nore:* 1500. *anni per consequenza dovea essere un picciolissimo*„ „*fosso: e perciò non pare, che habbi molto del verisimile, che*„ „*potesse servire per confine di provincie, e forse Regni, com' è*„ „*l'Italia, e le Gallie.* [* Ulteriùs *Ariminenses* pro in-„ „cremento rationum suarum hanc aliam ab experientia„ „ductam addunt, fossas omnes, rivulos, & amnes hujus„ „regionis 150. ab hinc annis prolatasse tantumdem al-„ „veos suos, quantum anteà: quod & in præteritum sem-„ „per accidisse æquum est credere. *Pissatelli* nunc latitudo„ „non est sesquipertica amplior; ergo 200. ab hinc annis„ „multo minor; ergò 1500. fuisse minimam fossam fateri„ „oportet; adeoque non admodum verisimile est, potuis-„ „se pro limite Provinciarum, & fortè Regnorum, qua-„ „les sunt *Italia*, & *Gallia*, deservire. *] At infirmæ„ „substractioni falsam rationem superstruunt. Fundamen-„ „tum (inquam) quod 150. quibusque annis duplo majo-„ „ra facta fuerint hujus Regionis fluenta. Quod neque„ „ex naturali philosophia sumitur, neque non experien-„ „tiæ refragatur. Arist. 1. *Meteor*: docet flumina primò„ „crescere, deinde in statu permanere, post multum se-„ „nescere, scilicèt diminui; & demùm exsiccari, &c.

Mihi probandum, dilatationem fluviorum desumi ex Philosophia; eamdemque experientiæ
non refragari. Sed priùs videndum, an Arist. 1. 107
Meteor. doceat, alveos fluentorum primò crescere, deinde in statu permanere? post multum senescere, scilicet diminui, & demum exsiccari. videtur enim *Arist.* eodem loco de permutatione, & vicissitudine aquarum, & continentis agere; nihilque prætereà docere, affirmat doctissimum Conimbricense Collegium *tract. IX. cap. 6.* nisi, cùm fontes quibusdam in locis aliquando deficiant, & in aliis denuò erumpant, ibi loca exsiccari, & senescere, hìc verò vivificari, & aquosa fieri, esse necesse. sicut enim plantæ animalia statum habent, & senectutem, ita per quandam similitudinem in aliqua regione deficientibus fontibus, & in alia denuò erumpentibus, illic secundum partem senescunt, ubi hi delentur; hìc verò ubi erumpunt, terræ vivificantur: id licèt per accidens succedat, mihi tamen religio est fluminibus non tribuere fontes perennes, cùm ipsi perpetuam causam habeant, quibus sive in sententia Sapientis à mari suggeritur commeatus, sive Stagiritæ, aer in aquam convertitur. Nostra verò quæstio est de prolatatione alveorum, non de aquis fluvialibus. Fateor imperitiam meam: igno-
ro enim quomodo *Claramontius* ex hac *Aristo-* 108
telis doctrina conclusionem istam deducat: ergo flumina non possunt dilatare alveum; atque de facto contra *Clementinum* definiat: ergo hujus regionis fossæ, rivuli, &c. centum quinquaginta annorum spatio alveos tantum non dilatarunt. Esto, in aliqua regione flumina aliò translata defecisse: in hac tamen nostra, neque apparet, neque defectus memoratur, qui nihilominus si adesset, nihil contrà *Clementinum* probaret; deficientibus enim fontibus, in eorumdem fluviorum alveis aqua pluvialis, & solutarum nivium succederet; sicque fieret dilatatio, ut in torrentibus, & fos-

fossis quotidiè passim evenire videmus. Cùm semper ego magni fecerim *Scipionis* auctoritatem (uti nostræ ætatis in omnibus Scientijs, Artibus, atque disciplinis Professoris apprimè clari) pluries conatus sum hanc conclusionem contrà *Clementinum* eruere: ergo fossæ, rivuli, amnes hujus regionis alveos non prolatarunt; ex aliqua videlicèt præmissarum *Aristotelicarum* primi Meteor. sed non nisi quid chimæricum deducebam, ita ut *humano capiti cervicem equinam jungere mihi viderer*; quod quàm verum sit, accipe verba, & propositiones ejusmet *Aristotelis*; iisque singulis prædictam junge conclusionem. *Non semper autem*
109 (inquit Arist.) *eadem loca terra aquosa sunt, neque arida, sed permutantur secundum fluviorum generationem, & defectum.* Ergo fossæ, rivuli, fluvii hujus regionis 150. ab hinc annis alveos non prolatarunt?

Subdit deinde Arist. *Sicut corpora plantarum, & animalium statum habent, & senectutem*: Ita alvei fossarum, rivulorum, amniumque hujus regionis 150. ab hinc annis non sunt prolatati? & paulò post idem sic habet. *Loca aliquandiu aquosa possunt permanere, deinde exsiccantur, & senescunt iterum, alia autem vivificantur, & aquosa fiunt secundùm partem:* Ergo fossæ, & fluvii istius regionis 150. annorum spatio alveos non dilatarunt? Quid magis absurdum?

Intelligo quid sit in causa: exoptat *Scipio*, ut fluvii omnes *Pissatelli* ingenio deserviant; qui, nisi leges *Cæsenates* eum servassent incolumem, jamdiù interitum passus fuisset; Sed apage te cum isto argumentationis genere, quo utitur *Claramontius* tuus: nam flumina non solùm habent à natura alveum, per quem fluant, verùmetiam vires & causas, per quas alveum conservent, & augeant: quas quidem à Philosophia naturali sine
110 sudore desumi probatur excessus imbrium, nivium, glacieique & aquarum fluxus ad loca humiliora, allisio, sive repercussio ad latera riparum, mollefactio, & rarefactio terræ, convulsio & præcipitium crepidinum, amniumvè labrorum, sumuntur à philosophia naturali; quia de his omnibus, vel tamquam de objecto partiali, vel tamquam de causis, & proprietatibus corporum naturalium agitur in philosophia naturali: sed dilatatio alvei fluentorum fit ab excessu imbrium, & à cæteris enarratis: ergo dilatatio fluviorum ex naturali philosophia desumitur.

An verò experientiæ refragetur, videamus modò. Ipsi fluviorum accolæ sint testes; dicantque cur sæpè sæpiùs apponant trabes, sepes, conserant sudes, stipitesque & varia objiciant in cursum aquarum? ad quid in fluminibus elevatio riparum, lapidum, vel terræ coacervatio? ad quid palorum, tignorumque congeries, nisi agrorum, vicinive loci muniendi gratia? quæro abs te, ò *Cæsena*, qua de causa id faciant, ut restringant, an ut dilatent alveos? non ut restringant, respondebit *Claramontius* tuus nam in cassum laborarent, cùm ex ejus sententia senescant semper, & minuantur alvei: neque ut dilatent, quia de natura aggeris est impedire dilatationem;
111 Ponit enim impediens prohibens: ergo dum videmus fieri aggeres, experientia docet flumina suapte natura non diminuere, sed alveos prolatare. mihi crede, neque *Scipio* tuus campos suos immunitos ulli fluviorum vicinio committeret; nam si tantisper ab opere aggerum desisteret, diminutione prædiorum prolatationem alvei, vel ætate gravem illum doceret experientia.

„Cujus rei nobis prævalidum argumentum Pons ipse „
„*Ariminensis* fluvii jussu Augusti conditus suppeditat, „
„qui intra eadem nunc alvei latera, intra quæ tunc exæ- „
„dificatus fuit, consistit: alveus ergo idem nunc, qui „
„eo tempore, perseverat. At verò incrementum illud „
„altero tanto centenis quinquagenis annis, quod Scripto- „
„res iidem profitentur. quantum si calculus ineatur ab o- „
„mni veritate abhorret? ego ratiocinium ex fluvio ipso „
„*Arimin.* progressione usus (ut vocant Arithmetici) sup- „
„puto, &c. „

Ponti *Arimineo* nunc eadem esse latera, quæ tunc ei fuerunt, cùm *Cæsar Augustus*, ac *Tiberius* illum dedere, non inficias eo; quia mœnia Civitatis, multaque alia murorum ædificia in ejusmet marmorei pontis defensionem condita, illa eadem conservarunt: verùm ubi tot tantaque non fuerunt apposita propugnacula (ut oculus videt) *Arimini* flumen intra eadem nunc alvei latera non solùm non consistit, sed quotannis longè
alia, amplioraque quinimò sæpè sæpiùs Augu- 112
stum pontem ipse indignatus, extra *S. Juliani* suburbia percurrens augustissimum alveum sibi perquirit. demùm supputationem approbo: restat solùm portentum illud animadvertere, quod nescit *Scipio* an par aliud portentum penes Scriptores obtineat: quod scilicèt *Arimini* alveus, si veræ essent *Clementini* rationes, modò sexaginta tria milliaria latitudinis occuparet. Quid mirum hoc *Scipioni? Flumina, ubi in cavum, amplumque locum fluxerint, lacum creant*, ait Cardanus *de subtilitate*; quarè hanc latitudinem non solum dico non esse portentosam, imò, si omnes causæ concurrissent, futuram fuisse necessariam; nam si detur situs ex utraque parte æquè planus, si ripæ fluminis terreæ, non saxeæ, si nullus artis humanæ adsit obex quin ad ripas aquæ allidantur, si frequens imbrium excessus, alvei latitudo tot annorum cursu non retardaretur. etenim cum omnes causæ prolatationis ponantur, cumque remotum sit impediens prohibens, necesse est, ut sequatur effectus. *Padus* mihi fidem facit, qui fractis aggeribus arte humana constructis, quotquot circumjectos rigat campos, tot per multa milliaria brevi temporis intervallo in alveum con-
vertit: insuper addo, si coarctatio alvei violenta 113
est fluminibus, quia manu fit, & contrà cursum, inclinationemque ipsorum tendit. Dilatatio, quæ accidit mole, impetu, ac virtute aquarum, cùm minor vis majori cedat habeatque causas in natura aquæ, naturalis erit, ac per consequens, uti dixi, necessaria fluminibus. Non igitur falsæ subtractioni infirmam rationem superstruunt *Ariminenses*.

„Alia ratio adduci videtur ex *Pissatelli* nostri pusillita- „
„te, quem asserunt 15. millia passuum longum, sesqui- „
„pertica latum, cùmque plenissimus fluit, uni tantum „
„molæ frumentariæ sufficere. Alii dicunt tantùm sex mil- „
„lia longum esse. Non est autem pro dignitate tantarum „
„Regionum exiguus limes; rivus potiùs, quàm flumen, „
„qui non in mare, sed in alium fluvium aquas demittit; „
„cujus Pons nullus magnificus; At contrà *Lusus* altitudi- „
„ne, & copia aquarum, magnificentia olim pontium, „
„quorum adhuc ruinæ indicant qui fuerint, & quanti. „
„Hæc est itaque alia ratio *Ariminensium*, quorum si ener- „
„giam in attollendo *Lusum*, in deprimendo *Rubiconem* at- „
„tendamus, videbitur ea esse inter *Pissatellum*, & *Lusum*, „
„ratio, quæ inter *Teleboam*, & *Gangem* erit, cùm ta- „
„men *Lusus* longus vix sit 25. millia passuum. „

Sit hoc verum; hìc me ipse ostentare nolo; nunquàm mihi somnium cum *Nilo*, & *Gange*: parvus sum, potiùs amnis, quàm flumen, ita me parvum faciunt, declarantque *Ariminenses*. Porta in *epist. ad Clementinum Hist. lib.* 1. *pag.* 94. *&* 95. *dice dunque Lucano nel* 1. *lib.*

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes, 114
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Cœperat, ut ventum est parvi Rubiconis ad undas.

Che per essere detto dal Poeta picciol Rubicone, & anche da Suetonio Ponticello, hà fatto credere all' Al-

Alberti, che fosse il Pisciatello. Dove è da considerare, che in rispetto à Ponti, & à fiumi passati da Cesare nella Francia, nella Fiandra, e nella Germania, ogni fiume di quà dal Pò, gli poteva parer picciolo, & ogni ponte veramente ponticello: à che aggiongo, che il fiume Luso, allhora Rubicone sotto le mura di Bellaere corre stretto, e picciol ponte ci vuole, come anche hoggi si vede. Anzi non hà Lucano favoleggiato di questo fiume; perche l' hà chiamato appunto qual' è, picciol fiume; e lo Spositore, cioè l' Ognibene sopra questo luogo, chiama questo fiume, AMNIS, che vale appunto piacevole, e non gran fiume presso gli Autori, ancorche poisi troui anche posto in significato di fiume indistintamente; mà Lucano stesso ce lo dice spressamente, alcuni versi più oltre in soggiongendo:

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cùm fervida canduit æstas.

[* Cùmque *Rubiconi* per Poetam, *Ponti*que per
115 *Suetonium* parvi nomen indatur, locum *Alberto* præbuit autumandi *Pissatellum*: ubi ponderandum offertur, pontibus, fluviisque *Cæsari* superatis in *Gallia*, *Germaniis*que citrà *Padum* cuncta flumina, pontesque longè inferiores videri posse. Cui insuper addiderim *Lusum* fluvium jam *Rubiconem* angusto alveo ad *Bellaeris* mœnia, brevique ponte transmitti, ut & hodie videre est. Quin & *Lucanus* non Poeticis dictionibus, imò ipsi inhærens veritati amnem hunc sub (*parvi*) nomine descripsit; ejusque Commentator, nempe *Omnibonus*, in hujus explicatione textus, *Rubiconem* dicit Amnem: quæ vox mitem nec permagnum fluvium sonat; licèt posteà indistinctè pro unoquoque fluvio usurpetur. sed ipse id suggerit paulò inferius Poeta hæc afferens *]

Fonte cadit, &c.

At licèt parvus, non ità tamen pusillus, & brevis, ut in aures *Cæsenatium* ad instar *Pissatelli* possim penetrare. parvus quoque & amnis dicitur *Bononiensium Rhenus.* Sil. Italic.

& parvi Bononia Rheni.

Dio. *lib. XLVI.* describens locum, in quo, triumviratus *Octavii*, *Lepidi*, & *Antonii* compositus:
116 *in parva quadam insula ejus amnis, qui Bononiam præterfluit.* qui nullus alius esse potest, inquit *Cluverius*, quàm *Rhenus: Sil. Ital.* loco suprascripto, & Plin. *lib. XVI. cap. 36. Bononiensis* cognominatus. de eodem Plutarchus *in Cicerone: Colloquuti soli sunt remotis arbitris tres dies juxtà urbem Bononiam; locusque ubi convenerunt, pro castris erat amne cinctus.*

Nihilominùs *Pissatello* longe dissimillimus *Rhenus Bononiæ*, quinimo ubique mihi (præter famam) non similis, longèque major apparet; nam omni ex parte aquis, alveo, & ponte me ipse superatum habet.

„ Certè? si limitanei fluvii divisarum Provinciarum di-„ „gnitati amplitudine ipsi sua respondere deberent, vix„ „*Padus* esset par *Galliæ*, & *Italiæ* dividendis; at non ex„ „amplitudine, sed ex situ constituuntur limites.„

Hæc tamen ex parte verè dicerentur, si ratio limitanei fluvii (ut sibi fingit *Scipio*) *Pissatello* conveniret: nam *Pissatellus* est opus manufactum, non verò flumen: ipsum enim in pervetustis statutis mandant *Cæsenates cavari*, *& reaptari*; quæ verba sonant, quem aliàs cavarunt, & aptarunt. igitur si *lectus Pissatelli cavatus*, & manufactus est, eundem pro limite Provinciarum minimè inservire posse concludendum est; parvi enim momenti discrimen, & vulgaribus fossis, cæterisque
117 torrentibus haud dissimile non ad distinguendos, sed ad confundendos potiùs limites aptum esse videri poterat. Sed disputaturi de situ; sinamus hac vice, *Pissatellum* sibi limitanei fluminis ratio-

A nem usurpare; & quæramus utrùm aptior sit *Lusi*, an *Pissatelli* situs ad *Galliam*, & *Italiam* terminandam. Non nisi ad *Claramontium* recurro, qui prima parte Apparatus *Hist. Cæsenæ ex lib. II. Hist. Polybii*, ubi campi extremi totius *Italiæ* sub triangulari forma describuntur, nobis arma subministrabit. *Polybius* hunc triangulum per loca extrinseca demonstrat: nam mare *Sardoum*, *Massilia*, pars Septentrionalis Alpium, Meridionalis *Apennini*, & latus denique *Adriatici* unà cum *Sena* sunt extra campos *Galliæ*, illique extrinseca. Cùm verò quæritur *Lusi*ne an *Pissatelli* situs constitutus sit in aptiori parte, ut *Gal-*
B *liam* ab *Italia* dividat, quæstio est de termino, qui non sit extrinsecus, sed intrinsecus, pariterque ultimus *Galliæ*; nam *Rubico*, qui terminat has Provincias, ut *Vibius Sequester* testatur, *Galliæ* fluvius est; & quia terminat *Galliam*, in extrema *Gallia* situs esse debet.

Cùm verò eosdem campos æquè planos tam *Lusus*, quàm *Pissatellus* scindant; cùmque iidem 118
pars *Galliæ* esse videantur, nullus sanè limes intercedit, qui demonstret eorumdem alteram partem ad *Italiam*, alteram verò ad *Galliam* spectare, nisi *Lusus*, & *Pissatellus*, qui sunt in quæstione: propterea uterque fluvius in *Gallia* esse vide-
C tur. Uter verò situs sit in ultima *Gallia*, ut eam ab *Italia* sejungat, diligenter investigare mihi opus erit, ut statuamus utri datum sit hoc officium ab antiquis, has scilicèt Provincias ab invicem dividendi, eo videlicèt tempore, quo finis *Galliæ*, & *Italiæ* erat *Rubicon.*

In primis certum est *Ariminum* fluvium esse in *Italia*, & extrà *Galliam*: nam præter authoritatem antiquorum scriptorum probatur à loco, ubi oritur, & per quem fluit. etenim omnia flumina, quæ oriuntur à latere, & declivio *Apennini*, quod meridiem spectat, seu in Mediterraneum, seu in *Adriaticum* fluant, *Italiæ* flumina
D sunt: *Ariminus* verò cùm oriatur ex eodem penè monte, unde *Arnus*, & *Tiber*, cùmque fluat citrà terminos *Rubiconis*, non potest non esse fluvius *Italiæ.* Quemadmodum igitur fluvii, qui nascuntur ex prædicto *Apennini* declivio meridiem versùs, sunt in *Italia*, quia inter illius terminos & nascuntur, & fluunt, ita qui ex ejusdem *A-* 119
pennini contrario declivio Septentrionem versùs originem habent, in *Gallia* erunt, quia intrà *Galliæ* terminos fontem habent & cursum. Verum enim verò cum *Pissatellus* iccircò sit fluvius *Galliæ*, quia oritur ab *Apennini* latere Septentrionem spectante, & fluit per *Galliæ* campos, *Lusus* e-
E tiam ob easdem causas erit fluvius *Galliæ*; nascitur enim à latere *Apennini*, quod in Septentrionem vergit, & scindit *Galliæ* campos, sicuti *Pissatellus*: ergo quemadmodum *Pissatellus* est fluvius *Galliæ*, ita etiam *Lusus.*

Imò probabilius est, priùs convenire *Luso* rationem fluminis *Galliæ*, quàm *Pissatello*; nam si consideremus utriusque principium in ordine ad angulum trianguli, quem facit copulatio *Alpium*, & *Apennini* per lineæ rectitudinem ascendendo, priùs nascitur *Lusus* ad prædictum angulum, quàm *Pissatellus*, quantum scilicèt distat *Strigaria* à *Perticaria.*

F Videamus modò uter ex his duobus fluminibus meliùs sequatur rectitudinem, & ordinem lineæ *Apennini*; ut ubi desinit, & deficit illius jugum, ibi fluvius *Rubico* gerendo vices *Apennini* claudat *Galliam* ad oram usque maritimam; quia sine dubio hic erit ultimus *Galliæ* limes, hic verus *Rubico.*

Notum est, & colligitur ab Iconographia *Ita-* 120
liæ, *Apenninum* flecti, & cubitum facere juxtà *Bal-*

Baltias, quæ ad vertices, vulgò dicuntur Alpes, unde is curſum dirigit inter ortum hyemalem, & meridiem ; habens à dextera *Tiberim*, quem incipit, & hìc illic multas, altiſſimaſquè propagines relinquit. Nobis verò, ut veritatem indagemus hujuſce quæſtionis, ſtatuendum eſt, quisnam ſit limes *Italiæ*, & *Galliæ* à prædicto cubito, & flexione *Apennini*, ſaltem uſque ad principium, vel *Piſſatelli*, vel *Luſi*. is limes, vel eſt *Ariminus* fluvius, vel *Iſapis* : ambo non longè a prædicta flexione oriuntur: vel aliquid medii. Non *Ariminus*, quia in *Italia* eſt ; non *Sapis*, quia a nullo Scriptorum datum eſt ei tale munus: ergo debet aſſignari aliquid, quod inter hos duos fluvios intercedat. nam à principio *Piſſatelli*, & *Luſi* ad ſupradictum cubitum plus ſpatii interponitur, quàm ad eorumdem oſtium ; unde ſi ad tollendas lites neceſſe fuit dare limitem his Provinciis in ora maritima, in qua parvum ſoli ſpatium disjungendum erat, neceſſe pariter erat ponere diſcrimen ubi multo plus terræ ſegregandum fuit, quantum ſcilicèt extat à cubito *Apennini* ad
121 illum uſque locum, unde unus ex his duobus fluviis emanat, & præcipuè *Piſſatellus* ; initium enim illius multo longius abeſt ab eodem ? aliter hæc pars *Galliæ* nullum limitem habuiſſet. Sed inter *Ariminum*, & *Iſapim* intercedit jugum annexum paribus verticibus prædictæ *Apenninorum* flexioni, quod tum dorſo, tum pinnis ſubinde decreſcentibus linea quaſi recta, & continuato tramite in orientem Solem tendens ad Terram *S. Archangeli* deſcendit, atque ibi in aliquantulum clivoſam planiciem ſpatians finit. igitur quamdiu hoc jugum durat, nec alius aſſignatur terminus per quem *Gallia* ab *Italia* dividatur à cubito prædicto, uſque ad principium, vel *Piſſatelli*, vel *Luſi*, tale jugum debet has Provincias ab invicem diſcriminare.

Supereſt, ut indagemus, uter ex his duobus fluviis tam principio, quàm progreſſu, & fine ſit in ſitu magis apto ad ſequendam prædictam *Apenninorum* lineam ; is enim erit fluvius limitaneus harum Provinciarum, quia cadens recto tramite ſupra baſim evadendo in mare triangulum, & terminum claudet. Sed hunc eſſe *Luſum* nullus certè ibit inficias ; nam naſcitur à declivio prædicti jugi juxtà *Perticariam*, ubi bicipiti ver-
122 tice majores jugi pinnæ deſinunt. nam quæ ſubinde ſequuntur longè minores, & clementiores apparent. igitur quoad principium, *Luſus* naſcitur juxtà lineam *Apenninorum* ex ea parte, qua Septentrionem ſpectat, progreſſu deinde habens à dextera (per ſimilitudinem enim res inanimæ ſitum habent) quaſi fidum comitem ejuſdem jugi dorſum, quod ſemper introrſum ſequitur, & eo deſcendens ubi jugum deſinit, hoc eſt ad *S. Archangelum*, vices proſequendi lineam gerere incipiendo, quicquid planitiei ſupereſt ſcindit, in mare denique erumpit, atque triangulum claudit. *Luſus* igitur principio, progreſſu, ac fine eſt in ſitu numeris omnibus abſoluto, ut ſit fluvius limitaneus *Galliæ*, atque *Italiæ*.

Non eſt iſta phantaſtica ſpeculatio, imaginariiſque lineis fundata, ſed locis, de quibus agitur, adamuſſim accommodata ; etenim non debemus res noſtris opinionibus, ſed noſtras ſententias rebus ipſis ſubjicere ; cùm veritas nihil aliud ſit, niſi conformitas intellectus cum re cognita.

Contra verò *Piſſatellus* non ex dicto jugo, ſed ex una illius naſcitur propagine, ac propterea à linea recta disjunctus multum ſpatii relinquit in-
123 diviſum ſurſum ſuprà ipſius caput, ſeù initium: frangit lineam, ac tandem non intrat in mare; atque iccircò *Galliam* ab *Italia* non ſecernit, nec triangulum claudit.

„ Ex ipſamet enim puſillitate aquarum, & pontis contrà „
„ confirmatur noſtrum hunc *Rubiconem* eſſe. *Lucanus* par- „
„ vum, & exiguum *Rubiconem* deſcribit. *Suetonius* ponti- „
„ culum illi, non regium pontem tribuit. Jungitur alteri „
„ fluvio antequam in Mare erumpat : hoc ipſum *Rubiconi* „
„ tribuit *Sabellicus*. „

Quæ hìc *Cæſenates* in *Ariminenſes* recenſent, contrà *Piſſatellum* omnia ſunt, ac certe contra cauſam loquuntur ſuam. *Lucani* enim, *Suetonii*que verba applicantur Fluvio, non Torrenti, ac Rivulo: *Sabellico* autem refragatur authoritas antiquorum Scriptorum, videlicèt Strabonis, & aliorum, qui in Mare effluere, non alteri fluvio jungi, *Rubiconem* aſſerunt.

„ Poſtremò arguunt, quoniam *Rubiconem* ex Alpibus, „
„ ex *Apennino* ſcilicèt oriri *Lucanus*, & *Lucani* expoſitores „
„ aſſerunt: at noſter *Piſſatellus* paulò ſuprà montem *Cogo-* „
„ *rutium* naſcitur, qui idcircò ob brevitatem curſus non „
„ plus aquarum aggregat, dum pleniſſimus fluit, quàm „
„ quanta ſatis ſit ad uſum frumentariæ molæ. At verò „
„ *Rubico* negotium fecit aquarum copia *Cæſari* tranſeunti, „
„ unde *Lucanus*: „

Tum vires præbebat hyems, atque auxerat undas.

„ proindè dicit equitatum oppoſitum vadum feciſſe pediti: „

Primus in obliquum Sonipes opponitur amnem
Excepturus aquas.

Certè non niſi *Apenninum*, vel ſaltem jam de- 124
ſcriptum meum curſum, qui ad proximas *Apennini* Alpes fontem ſumit, heìc intellexeris: Alpium pluviales aquæ ad incrementum *Piſſatelli* nihil facere potuiſſent: qui nec etiam ad medium curſum meum initium habet.

„ In receſſu hinc *Romam Clementis VIII.* tanta aquæ co- „
„ pia fuit, ut non minus negotii tunc Pontifici, quàm o- „
„ lim *Cæſari* in tranſeundo attulerit ; etiamſi nunc mul- „
„ tum curæ, & diligentiæ adhibuerit hæc Civitas, ut tan- „
„ to Principi iter expeditum eſſet. „

Hinc etiam ad tria milliaria circiter juxtà *Ariminum* in itinere *Romam Bernardini Spadæ*, S.R.E. Cardinalis Ampliſſimi, cui ſplendidiſſimi gladii ex utraque parte acuti fulgor adaptatus Dei Eccleſiam ubiquè ſemper illuſtrandam, ac defendendam prænuntiat, undecima menſis Junii 1638. tanta aquarum copia fuit, ut non minus negotii foſſa molendini tunc Cardinali, quàm olim Pontifici in tranſitu attulerit *Piſſatellus*. Sed hæc acceſſione *Arimini* fluvii evenere, ſicuti ex adjuncto *Sapis* aquarum tunc *Piſſatellus* exceſſit, nam, quemadmodum ex ſtatutis tuis colligitur, *Iſapis ſuas aquas poteſt impartiri Piſſatello.*

„ At licet retorquere argumentum, efficacique ad ho- „ 125
„ minem retorſione. *Rubico* eſt parvus, ponticulo con- „
„ ſtratus, ex *Suetonio*, & *Lucano*, & veteribus. „
„ At *Luſus* non eſt parvus, ſed magnus, & pontibus „
„ magnificis, & regiis inſtructus: „
„ Ergo *Luſus* non eſt *Rubico*. Minor ex *Ariminenſibus*. „

Nunquàm hoc modo minorem efformarunt *Ariminenſes*, qui *Luſum* parvum per ſe, ſed magnum in comparationem *Piſſatelli* prædicant, ut ſuprà multis locis eſt probatum.

Luſo item, eo loci, ubi eum ſuperavit *Cæſar*, in ora maritima ponticulum eſſe *Ariminenſes* affirmant ; pontem verò ad *Æmiliam* viam inibi magnificum extitiſſe non negant. Nonne ad libitum potuere Principes in famam *Rubiconis* peregrinum pontem poſteritati proſpectandum proponere ? nonne hæc legimus in via *Flaminia* 30. à Foro *Sempronii* lapide *Urbinum* verſùs, in pariete Templi Sanctæ *Mariæ del ponte* appellati? nam non procul abeſt pons ſupra *Metaurum* fluvium ſtratus, unde ſaxum ipſum tranſlatum eſſe poſſet alicui videri:

AETERNI IMPE
RATORES DIOCLE
TIANVS ET MAXI
MIANVS AVGVS
TI ET PERPETVI

J. Villanus. D CAESA.

126 CAESARES
COSTANTIUS
ET MAXIMIA
NUS PONTEM
METAURO

Quæ leges, quæ nam religio vetarunt, ut simili modo super *Rubiconem* non potuissent Reges, vel ipsa *Ariminensis* Respublica Pontem construere? necessitas ergo *Rubiconi* semper illum solum ponticulum, quò *Cæsar* pertransiit, pro sacramento, vel voto conservare? aut scelus forsan, sive nefas in nobilissima præcipuè *Italiæ* via pontem alium, eumque diversum instituere?

„At *Porta* eludere argumentum nititur, dicendo par-„ „vum à *Lucano* dici in comparationem *Rheni*, & *Mosæ*, „ „& ejusmodi fluminum, à quibus tum discedebat *Cæsar*.„ „at frigida evasio. Non ex *Cæsaris* persona loquitur, sed „ „ex sua Poeta, qui non (ut *Cæsar*) tum ex *Gallia* pro-„ „ficiscebatur, ut offutias pateretur.„

Loquitur quidem ex sua Poeta, sed sententia & verbis, quæ ipse *Cæsar* habuit, dum magnitudinem rei in mea parvitate commilitonibus suis indicavit: Suet. *Ac reputans quantum moliretur. conversus ad proximos, & etiam nunc* (inquit) *re-*
127 *gredi possumus, quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* Plutarchus *in Cæsare: Ut venit ad amnem, qui Galliam Cisalpinam à cætera Italia secernit, Rubico dicitur: & reputare ipse cœpit secum, cùm ad periculum accederet, & fluctuaret cœptorum mole, &c.* Nam debebat *Lucanus* tunc temporis personam, animiquè sensus *Cæsaris* induere, ne tam insignis Poeta ab imitatione recederet.

DECIMA RATIO.

„Hæc in summa est. *Cæsar* non transivit per *Cæsenæ*„ „Civitatem, dum *Ravenna Ariminum* contendit: Ergo„ „injuria *Cæsenates* sibi *Rubiconem* adsciscunt. totus est in„ „antècedente probando (*Cæsar* tum non est per Civita-„ „tem *Cæsenæ* profectus) in ejus probatione duas integras„ „chartas ponit. at adversarium sibi fingit, &c.„

Quis quis Epistolam *Clementini* insertam viderit, legeritvè, hanc veritatem potest eruere. *Porta* enim nullo apparatu, nullaque digressione, sed neque etiam ullo argumento usus est, nequè Adversarium sibi fingit in probando *Cæsarem* per *Cæsenæ* Civitatem transisse; at potiùs narrationibus *Suetonii*, & *Plutarchi* intendit probare *Rubiconem* esse *Lusum*, non *Pissatellum*; & ad hanc
128 causam refert Historicos, qui viam *Cæsaris* maritimam fuisse demonstrant, per quam etiam pergenti *Ravenna Ariminum* in ora maritima *Pissatellus* nunquàm occurrit, ut latiùs demonstravimus, & cuique liberum est investigare, tum denique sibi, suis oculis, suisque manibus, si non mihi, credituro. At verò paucis *Portæ* mentem aperiamus: Inquit ille initio Epistolæ. *Non hò voluto mancare alla servitù, che tengo con V. S. di scriverle in questo proposito ciò, che da qualche Scrittore honorato hò così incidentemente osservato; E per rifarmi da questo capo, faccio questo supposito: che non il Pisciatello di Cesena, mà il fiume, che scorre alle mura di Bellaere, Castello della nostra giurisdittione, già delitie dei Malatesti, è il vero, & antico Rubicone. voglio provarlo prima con l' autorità di Suetonio, e di Plutarco nella vita di Cesare. il primo de' quali dice. Cùm ergo sublatam Tribunorum intercessionem,* & reliqua usque in dictionibus *Jacta est alea. Fin qui Suetonio. mà Plutarco diligentissimo, e senza più Scrittore di maggior fama, che Suetonio, come che paja concorde del trovarsi Cesare in Ravenna, non lo dice però apertamente, se non quanto si ricappa dall' effetto, che soggionge. percioche dice; Quòd autem videret cœptorum exor-*
129 *dium, & aggressionem non magnam manum acquirere,*
A & quæ sequuntur usque ad illa *Ariminum ante lucem ingreditur, & occupatur*: sequitur inde Porta: *da tutti questi racconti non sò vedere io, che Cesare facesse mai strada verso Cesena, onde havessero quei Signori occasione di rinovare l' Editto Romano sul Pisciatello.*

„Neque enim nos hàc transisse *Cæsarem* dicimus.„

Ad quid ergo erectio Edicti, in quo impropriè scriptum est.

Quis quis es, hìc sistito.

Vexillum sinito nec citra hunc amnen Rubiconem Signa, arma, ductum, commeatum, exercitumve traducito?
B Ecquid *Brissii* ad Pontificem *Clementem VIII.* relatio. *Lo manifesta l' Editto tanto principale, che anticamente posero i Romani sù la riva, overo sopra il Ponte del fiumicello Rubicone non lontano da Cesena più d' un miglio, nel quale prohibivano à chiunque fosse il portare l' armi verso Roma oltre quell' onde?*

UNDECIMA RATIO.

„Cujus est summa- *Cæsar* ad ripam *Rubiconis* sub Au-„ „roræ initio *Ravennam* pervenit; indè verò *Ariminum*„ „antè Solis ortùm devenit. *Pissatellus* abest *Arimino* duo-„ 130
„bus de viginti passuum millibus. Non potest ergo is es-„
C „se *Rubico*; non enim ex tanta distantia potuisset *Cæsar*„ „intra crepusculorum spatium *Arimini* Civitatem occu-„ „pare.„

Probat hæc *Porta* ex verbis *Suetonii*, & *Plutarchi*: alter *ad lucem* duce reperto circa *Rubiconem*, alter verò *ante lucem Cæsarem Ariminum* occupasse testatur; nempe considerat *Porta* verba *ad lucem* quam diei lucem; crepusculinam, interpretatur: una id *Virgilii* auctoritate satis habet confirmare, suggerit *Scipio:*

.... felix in protinus illum
Aequasset nocti ludum, lucemque tulisset.

& *ante lucem*, idest ante Solis ortum, nempe, ut expressit Appianus *de Bellis Civilib. lib. II.*
D *Ariminum prima luce occupat*: & expressiùs Lucanus *lib.* I.

Vicinumque minax invadit Ariminum, & ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

& sic simul testimonia duorum Historicorum *Porta* conjungit ea ratione, ut utriusque dicti veritas inconcussa sit servanda.

„At verò hæc lucis ad diurnam restrictio nullam obti-„ „net necessitatem; siquidem lucis significatio ampla est, „ „& Solarem nedum, verùm & aliorum astrorum, &„ „corporum hìc lucentium fulgorem significat; qua de re„ „nemo sanus (arbitror) ambigeret: arctare itaque lucis„ „vocem ad diurnam est metaphora à genere ad speciem, „ „&c. verùm quando res ipsa proprietatem non respuit, „ 131
E „non est interpreti à proprietate recedendum; multo id „ „minus cùm exigitur ex rerum, & verborum nexu (ut„ „nunc) proprietas. In adductis siquidem *Suetonii* ver-„ „bis sibi ex adverso respondent *extinctis luminibus*, & *ad*„ „*lucem*: at extincta lumina non nisi faces nostrates signi-„ „ficant. ergo ad lucem quoque lumen humana factum„ „ope importat.„

Obtinet hæc *lucis* hoc loco ad diurnam restrictio necessitatem, tùm ex rerum, & verborum nexu, atque orationis parte, tum ex frequentissimo *Suetonii* usu, *ad lucem*, nonnisi diurnam intelligentis. facillimè hæc ad *Suetonium* excipiendum: *lib.* igitur I. *de Cæsaris luxuria* in *varias Reginas. Sed*
F *maximè Cleopatram, cum qua & convivia in primam lucem sæpe protraxit*: *Sabellicus* exponit per integras noctes, non verò usque ad primum lucis radium. *lib. II. in Vita Augusti*; de his, quæ ipse *Octavius* gerebat post cibum. *Si interruptum somnum recuperare (ut evenit) non posset, lectoribus, aut fabulatoribus accersitis resumebat, producebatque ultra primam sæpè lucem.* Idem *de* XVII. *præsagiis*, per quæ magna *Octavii* felicitas prænosci potuit. *Infans adhuc, ut scriptum apud C. Drusum*

sum extat, repositus vespere in cunas à nutricula loco plano, postera luce non comparuit. quia forsan cum laterna sublatus est; dixisset *Scipio.* Item
132 *lib. IV. de Caligulæ valetudine. Ideòque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc thoro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem, atque expectare lucem consueverat.* tunc temporis silices duriores, asperioresque quàm antea percussi, ac repercussi non ità facilè dabant ignem? *De Sergio Galba lib. VII. de cibo & potu ejusdem. Cibi plurimi traditur; quem tempore hyberno etiam ante lucem capere consueverat.* cibum scilicèt capiebat antequam lychni accenderentur: ridiculè *lib. VIII. de morte Othonis. Arripuit duos pugiones, & explorata utriusque acie, cùm alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis arctissimo somno quievit; & circa lucem demum expergefactus uno se trajecit ictu infra lævam papillam.* vitam finivit, dicendum cum *Scipione*, *Otho* circa lucernam, vel eo tempore, quo circiter famuli solebant lucernas afferre: Observatione dignus *Suetonius* ipse, qui verbum *lucis* ad diurnam, & Solarem semper refert; cùm tamen Astrorum, & corporum hìc fulgentium splendorem aliter exprimat; veluti per lumina, ignem, & similia. In Cæsaris triumphis *lib.* 1. *ascenditque Capitolium*
133 *ad lumina quadraginta, Elephantis dextra, atque sinistra Lychnuchos gestantibus.* In *Caligula lib. IV.* de apparatu exercitus contrà Oceanum. *In indicium victoriæ altissimam turrem excitavit, ex qua, ut Pharo, noctibus ad regendos navium cursus, ignes emicarent.* Plura non addam; longum enim esset loca omnia heic recensere. Ex rerum deinde, & verborum nexu apertè constat hanc *lucis* vocem ad Solarem, & diurnam omnino reduci; in adductis siquidem *Suetonii* verbis sibi ex adverso respondent *post Solis occasum*, & *tandem ad lucem.* ex Plutarcho in Cæsarem *primis tenebris, & ante lucem*; necnon ex Appiano *de Bellis Civil. lib. II. ipse sub vesperam, & prima luce.* Isaacus Casaubonus *Animadvers. in Suet. lib.* 1. ad hanc quæst. explicat: *lux à Sole est, & naturalis:* inde subjungit; *Quarè hìc etiam ad lucem non aliud est, quàm sub diei exortum, non ut quibusdam videtur, luminibus, quæ extincta fuerant, iterum accensis.* At si lux in hac historia pro lumine artificiali accipienda in sententia quorundam Commentatorum *Suetonii*, quos prosecutus fuit *Scipio*; *Ariminum* (ait Plutarchus) *ante lucem occupatum*, videtur significare illud captum fuisse antequam accenderentur faces, sive antequam è silice percussо emitterentur ignes; quod est absurdum. suc-
134 currit tamen objectioni *Claramontius.* „Si de funalium luce *Suetonium* exponamus; ita enim & *Cæsar*, „ad lucem eorum poterit reperisse ducem, & deinde ad *Rubiconem* pervenisse, ut *Suetonius*, & ante lucem diurnam *Ariminum* occupasse, ut *Plutarchus* scribit; secùs, „qui fieri potest, ut ad lucem diurnam ad *Rubiconem* devenerit, & tamen ante eam *Ariminum* occupaverit? „

Hæc non foret conciliatio Scriptorum, sed dissidium; ac necessario ductu alter eorum evaderet mendax. *Certè si Ariminum* (arguit Casaubonus) *cæpit Cæsar circa Auroram, non potest exactè verum esse, quod dixit Suetonius de reperto duce tantùm ad lucem.* idem est quod jacit *Scipio.* At, ut vidimus, in luce *Suetonii* non adsunt funalia, neque *Casaubonus* & *Scipio* enuclearunt, ut optimè *Porta*, illa verba *ad lucem Suetonii* propè *Rubiconem, & ante lucem Plutarchi* ad Urbem *Arimini*; videlicet *ad lucem* sub Auroræ initio, seu ad crepusculum matutinum, id est *dubium tempus*, teste Varrone *lib. VI. de ling. lat. noctis, an diei sit.* deinde ante lucem, scilicèt ante Solis ortum, hoc est prima luce, ut inquit *Appianus.*

Ut primum tenebris abjectis inalbabat

A *Dies .... Antiquus Ennius ex VI. Annal.*
Albescit autem mane dies, quia Sol suaptè natura albicans tenebras discutit, albamque lucem affert mortalibus: sic utique Matthius *in Mimiambis.* 135

Jam jam albescit Phœbus, & recentatur
Commune lumen omnibus, & voluptas.

Sic Virg. *lib. IV. Æneid.*

Regina è speculis, ut primum albescere lucem
vidit.

Et Ferrariensis Poeta C. 23.

Doppo una lunga aspettation, pur nacque
In Oriente il desiato albore.

B *Lucanus* ipse exponit quod sibi vult *Porta.*

Vicinumque minax invadit Ariminum: & ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto:
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur, &c.

Quæ verò erit necessitas, duo illa *ad lucem*, & *ante lucem*, primum ad lucem ope humana suscitatum, alterum ad solare, vel diurnam referre? nonne hæc sub diversis combinari possunt, salva historiæ antiqua fide? forsan uno contextu, seù uno eodemque Authore *ad lucem*, & *ante lucem*, legitur, quod idcircò fuerit opportunum in ancipiti, duplicatoque verbo alter ad faces, alter
C verò ad Solem explicare? minimè quidem. *Suetonius* circà *Rubiconem* indicat tempus *ad lucem. Plutarchus* illud *Arimini* reservat, ibique *ante lucem* manifestat: quid contrarii, dum verba benè Scriptorum pensantur? ex iis enim ipsummet *Cæsaris* factum, quoad substantiam referentibus licet eruere inter *Rubiconem*, & *Ariminum* proximam correlationem, & vicinitatem: tamen insequitur *Claramontius.* 136

„Violenta sunt, quæ ad conciliandam repugnantiam „retenta sua ipsa explicatione *Ariminensis* Scriptor com- „mentus est: non vacat omnia confutare; id unum con- „sidero quod ipse contendit, præpositionem (*ad*) signifi- „care propinquitatem, non tempus ipsum, *ad lucem* scili-
D „cèt significare prope lucem, non autem initium jam lu- „cis: sed cum præpositio (*ad*) tempori apponitur id fal- „sum frequenter erit, ad tempus enim venire non signi- „ficat ante tempus. *Nos hìc te ad mensem Januarium expectamus*, non significat ante Januarium. „

Ecquid *Cæsena*, si *AD*, *ANTE* significat? Aldus in *Scholiis Commentar. Julii Cæsaris num. 6. in librum primum. Ad Idus April.* ità se habet: *Usitatius loquendi genus, AD, id est, ante diem; quod ab aliis quoque observatum video.*

Tursellino de *partic. lat. orat.* fides non neganda: inquit ipse: *Præpositio (AD) pro usque ad sæpè tempus significat*; affertque innumera exem-
E pla. Apud Jurisperitos habemus etiam præpositionem (*ad*) significare propinquitatem cum aliqua distantia l. *quidam hyberus. ff. de servit. Urb. præd.* ubi glos. Volpel. *de præposit. adverb.* in dict. *ad*, *n.* 1. Quod præcipuum in capite eruditissimus Vir considerat, ad ipsius pedes consternatum devolvitur. at illi sufficit suimet Socratica auctoritas, quam *Ariminensibus* offert; 137

„Ignoscant mihi; nimia licentia in interpretandis auctoribus utuntur. „

Sibi verò non consulit, in falsa, & erronea identidem dilabendo: at sequentibus præbe auditum.

F „*Cæsaris* celeritas, & diligentia non patitur, ut cum „ab occasu Solis, ut *Porta*, & *Suetonius* fatetur discesserit, „*Ravenna* nocte hyberna, ut deinceps patebit, quæ tum „major erat horis 15. & triente, non nisi ad initium cre- „pusculi pervenerit; etiamsi *Lusus* fuisset: nam vix is abest à *Ravenna* millia passuum viginti septem, quod spatium fejuges hyemali etiam tempestate octo horis, & „paucioribus conficiunt. „

Notat *Portam*, simulque *Suetonium* tanquàm falsa, seù vero non similia referentes, ex duabus (ut mihi videtur) suppositionibus: primò quòd ve-

J. Villanus. D 2 lo-

locissimum, ac continuò currentibus multijugis equis fuisset *Cæsaris* iter *Ravenna Ariminum.* secundò quòd illa ætate noctes Januariæ majores extiterint horis quindecim & triente.

Primam probat codice suo, qui *multis* non *mulis* habet.

„ Dico autem sejugibus potiùs, quàm quadriga *Cæsarem*,„
138 „vectum, quod id verba *Suetonii* (*multis junctis*) significant, licèt *Beroaldus* (*mulis*) legat: at codex meus (*multis*) habet, & non ineptè dum equos subintelligamus.„

Sed fallit, quia in codicibus integris, legitimisque (*mulis*) legitur, (*multis*) in nullo, nisi forsan in aliquibus trivialibus, & vitiatis (ut in codice *Scipionis*) nam è typis *Basileæ*, *Parisiorum*, *Florentiæ*, & emendatioribus *Lugduni*, ac *Venetiarum* (*mulis*, non *multis*) cusum fuit. Sic legerunt præter *Beroaldum Bernardinus Corius*, *Paulus Rubeus*, *Dionysius Athanasius*, & *Casaubonus.* Et quidem mulæ, nam *mulæ vivere se ambulando.* Seneca *ep.* 87. ac *mulæ ad vehiculum*; ut & patet ex subsequentibus huius epist. *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ unius omnes coloris? quid ista vehicula cælata?* Lampridius in Commodo: *dedit & vehicula cum mulabus, & mulionibus, & juncturis argenteis, ita ut à convivio redirent.* hæc Pamelius adnot. *in Tertull. lib. II. ad uxorem cap.* 8. non abs re igitur Suetonius *post Solis occasum, mulis è proximo pistrino ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est.*

Secunda verò suppositio meliorem, clarioremque desiderat explicationem: videndum enim
139 est an tunc temporis mensis Januarius correctus fuerit proprio loco repositus; nam videtur ipsum *Cæsarem* nonnisi confectis bellis, actisque triumphis annum disposuisse ex *Suetonio*, & aliis. non satis ergo de horis 15. & triente ex ingenio indicat *Scipio*; cum antea *dies paulatim labentes in diversas incurrerint à temporibus suis tempestates:* ut apud Plutarchum *in Cæsare.*

„ At tertia sumptio in præsenti negotio falsa est, abesse„ „scilicèt *Pissatellum* ab *Arimino* duobus de viginti millibus passuum: nam qua pergentes à *Ravenna* ad *Ariminum* illum transeunt, & qua tum transgressus est ipsum *Cæsar*, nunc decies circiter mille passus ab *Arimino* distat.„

Ab ipsomet *Claramontio*, & *Cæsenatibus* pro *Ariminensibus* ad hæc habetur responsio. Cæsar Brissius in *Relatione ad Clementem VIII. pag.* 15. affirmat *Pissatellum non lontano da Cesena piu d'un miglio.* *Claramontius* in principio Apparatus secundæ partis ad *Histor. Cæsen. pag.* 17. ipsum propè *Cæsenam* bis mille circiter passus facit. siquidem è re nostra est detegere, quàm falsis ubique demonstrationibus *Cæsenates* utantur; cùm verò describantur mille passus, vel bis mille circiter propè *Cæsenam*, sequitur ipsum *Pissatellum* abesse ab *Arimino* duobus de viginti millibus passuum. *Cæsena* enim distat *Arimino* xx. mil. Qua verò
140 *Cæsar* pertransiit, & qua pergentibus ab *Arimino Ravennam Pissatellus* nunquàm occurrit; estque ità perspicuum, & clarum, ut Cæcus ipse in *Sabiniani* amnem pedem inferre, non in *Pissatellum*, si illac transeat, fidem sit facturus, favet his quod habet ipse *Scipio* in hoc apparatu *Hist. Cæsenæ pag.* 23.

„ Vocatur hic (*id est Pissatellus*) *Rico* ab accolis usque scilicèt ad *Flaminiam* viam, & cum flumine *Saviniani* jungitur.„

Amnis ergo est *Sabiniani*, qui decies circiter mille passus, ab *Arimino* distat, cujus ostium in *Arimin.* Diœcesi: nihilque idcircò ad *Cæsenam*: mos enim Geographorum est fluvios ex ostiis describere, *Claramontii* assertione: *pag.* 29. *in Apparatu* 2. *Cæsenæ Histor.* *Pissatellus* tributarium ostium ha-

A bet in ditione *Ariminensi*, igitur erit quoque *Pissatellus Arimini.* Hæc à *Scipione* sinistrè, confuseque dicta non parum stomachi mihi, iisque injicient, qui non assueti legerint.

„ Illud est palmare, *Cæsarem* pertransisse *Rubiconem* circà Martii finem: *Porta* adversus *Supplem. Chronicorum*, *Veruculi pag.* 18. alibi id fuisse die 22. Martii videtur, asserere. At longissimè à veritate abest; cùm *Cæsar* mense Januarii *Rubiconem* transierit, & *Ariminum* occupaverit, ut patens est ex *Comment. de bello Civili*, & *Epistolis*, Cicer. *ad Atticum*, & *Epistolis Cæsaris*, & *Pompeji* ibi insertis. miror in re tam obvia, & aperta hominem eruditum parum adeò vidisse. nonnulla ex multis locis,
huc pertinentibus congeram.„ 141

Quibus tamen *Portæ* dictum non improbatur;
B sed potiùs in iis *Scipio* tuus secum seipsum viderit præliantem. quis potuerit quæso ante emendatum annum præcisè indicare Idus Januarias, & kal. Februar. cùm dies diebus se confuderint, haberenturque hæc alio tempore quàm Hyberno? sic legito apud Suetonium in *vita Cæsaris lib.* 1. de ordinatione anni, & festorum dierum, &c.

Conversus hinc ad ordinandum reip: statum, fastos correxit jampridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, ut neque messium feriæ æstate, neque vindemiarum autumno competerent: Annumque ad cursum Solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset, &
C *intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur: Quo autem magis in posterum ex Calendis Januariis nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem, ac Decembrem mensem interjecit duos alios; fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Appianus Alex. *de Bello Civil. lib. II. & annum ad id ætatis inæqualem propter intercalares menses*
(nam ratione lunari utebantur) juxtà Solis cursum 142
ordinavit, authoribus Egyptiis.

Hæc verò anni correctio post bellum civile,
D post devictum, mortuumque *Pompejum.* quam ob rem viderit *Scipio*, an in testimonium sint adducenda omnia illa exempla ab ipsomet reperta ineptiora ad singillatim tempus significandum.

Non poterat *Porta* veriori methodo diem indigitare, qua *Cæsar* transgressus est *Rubiconem*, quàm tempus intercipiendo à *Lucano* descriptum: *Lucanus*que non poterat ipse præcisum tempus demonstrare, nisi describeret Veris initium (poetico tamen more) lunarum ordine ad rei evidentiam, ampli oremquè metri modum; videlicèt

Tum vires præbebat hyems: atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu:
E *Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.*

Porta verò adversùs *Supplementum Chronicorum Veruculi pag.* 25.

Spone se medesimo il Poeta (e le più germane spo-sizioni de gli autori, sempre sono quelle stimate, che dalli stessi autori si raccogliono) perciòche per dare ad intendere di quale stagione favella col dire
(luna terza, e piovosa) immediatamente soggionge. 143

Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.

E non si può richiamare in dubbio, che gli Euri, venti Orientali, cominciano à spirare circa l'Equinozzio vernale à noi, e col fiato loro caldo, & humido, risoluono, come si è detto, & in-
F *humidiscono l'aere, portando pioggie salubri. Tutta la scuola de gli Astrologi, conferma essere l'Euro vento Orientale oltre ad Aristotele nelle Meteore, ne' Problemi, & altrove, onde Ovidio.*

Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit.
E Statio à due della Tebaide:
Qua latus Eoos Ephyres se vertit ad Euros.
Et un'altro Poeta lo chiamò Indico:
Riphæus Boreas, aut Lybs, aut Indicus Eurus.

E questo scioglimento nel principio della nuova stagione insegnò anche il Romano lirico nel primo del suo Canzoniero, alla quarta, in dicendo. Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni.

Et inferiùs. *E che la Primavera, nella quale spirano questi venti Euri, & Orientali sia piovosa, come la cantò Lucano, insegnò à nove capi, e trentasette particelle molto snocciolatamente Tolomeo.* Ac paulò post. *Et Ippocrate, al riferire del Cardano, alla sposizione della trentanovesima particella del su-*
144 *detto libro di Tolomeo, nel lib. de Aere, & Aquis al secondo capo, disse: Civitates, expositæ Euro, sunt similes in qualitatibus his, quæ tempore verno procedunt. cioè humide. Si che appare, ch' ottimamente Lucano disse piovosa la terza Luna dell' Anno dopò l' Equinozzio Vernale, humidi i fiati d' Euro, e sfaccitori delle nevi Alpine: tutto à dimostrare la Stagione della Primavera, e non del Novembre, che disse l' Autore, & à farsi intendere di qual tempo, e di quall' hora Cesare partì da Ravenna, giunse al Rubicone, e da questo à Rimino.*

„ Quàm ergò falsis propositionibus nititur ratio, quam „
„ ipsi pro *Achille* jactant? cum itaque circiter xiii. diem „
„ Januarii transgressus sit *Rubiconem Cæsar*, ex *Plutarchi* au- „
„ tem testimonio erat eo tempore (nondum anno emen- „
„ dato) ea die Solstitium, nox in hac Regione fuit hora- „
„ rum 15. & m. 50. crepuscula autem tum horæ unius, „
„ & minutorum quinquaginta. „

Ubinam *Plutarchus* (nondum anno emendato) asserit Solstitium eo tempore, ea die fuisse, qua *Cæsar Rubiconem* pertransivit? Nullibi sanè. At adamussim quidem ad illam *Portæ* facit *Cæsenatica* opinio. cùm itaque velit *Scipio* circiter 13. diem Januarii transitum *Cæsaris* in *Rubicone* fuisse; *Porta* verò *Lucanum* secutus 22. diem Martii. Sed à die 13. Januarii usque ad 22. diem, Martii,
145 intercedunt dies 67. & modò hi ad unguem fuere, qui ad correctionem anni à *Cæsare* intercepti; sicuti à Dione *lib. XLIII.* refertur his verbis. *annum Cæsar ad eum, qui hodieque observatur, modum constituit, intercalatis septem, ac sexaginta (quamvis alii falsò plures perhibuerint) qui ad summam exactam requirebantur, diebus.* illa ergo, quæ mense Januario adnotabantur (iis adjectis, interpositisque) in mensem Martium devenere.

„ Considerent nunc Scriptores *Ariminenses*, utrùm *Cæ-* „
„ *sarianæ* celeritati adeò repugnaret decem circiter millia- „
„ ria intervallo duarum horarum absolvere, cùm Livius „
„ *lib. XXVII.* scribat *Philippum Macedonum* Regem uno „
„ die milliaria ampliùs 60. contendisse, &c. „

Repugnat equidem à *Pissatello Ariminum* intrà crepusculorum spatium pervenire: non sunt enim decem circiter milliaria; sed duo de viginti, ut suprà demonstravimus, & cunctis patet. Noto Viri perpetuam (ut libet) in rebus discrepantiam; crepusculum namque dilatat ad duas horas, iterque *Cæsena Ariminum* restringit ad circitèr tantùm duodecim millia passuum.

„ Genus hoc arguendi, dum simul testimonia duorum „
„ Historicorum conjungimus ea ratione, ut utriusque di- „
„ cti veritas inconcussa sit servanda non esse usque qua- „
„ que firmum, &c. „

146 Firmiora ergo, quæ ex Scriptoribus antiquæ fidei simul conciliantur, vel conciliari possunt, sententiis evertere, sensu avertere, verbis pervertere, ut in diffidia veritas evolvatur, perpetuòque vaga oppugnetur?

„ Exemplis hoc confirmo. Hirtius *in Commentariis* al- „
„ loquutionem *Cæsaris* ad milites, qua dignitatem illis „
„ suam commendavit, *Ravennæ* factam esse dicit. At *Sue-* „
„ *tonius Arimini*, coràm Tribunis Plebis ejectis, quos „
„ nondum adfuisse indicat *Hirtius*. *Plutarchus* dicit nocte, „
„ quæ præcessit *Rubiconis* transitum, visum esse *Cæsari*, „
„ se cum matre coire: at *Suetonius* idem somnium alio „
„ tempore, & loco refert. „

Commendatio dignitatis *Cæsarianæ* non semel

A in allocutionibus (ut falsò suspicatur *Scipio*) sed sæpius est facta, & repetita; ita ex *Suetonii* apertis verbis *lib. 1. Nam cum in alloquendo, exhortandoque sæpius digitum leve manus ostentans affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, &c. Sæpius*, & *semel* sunt contraria.

Plutarchus vero minimè sibi certam fidem arrogavit de turpi *Cæsaris* somnio ea nocte habito, quæ præcessit *Rubiconis* transitum; at vulgum authorem dedit, retulitque relata: nempe. *dicitur nocte, quæ transitum Rubiconis antecessit nefarium ha-*
B *buisse somnium, &c.* Sufficiunt duo hæc ad confutandam tui Scriptoris sententiam, qui non esse admittendam hujusmodi religionem diversorum 147
Historicorum dicta componendi perpetuò (cùm possumus) ac tuendi, affirmat.

DVODECIMA RATIO.

Noto in eo duo solùm. supervacaneum existimo levitatis notam sæpius repetitam, qua nullo discrimine cæco impetu in *Portam* fertur *Scipio*, eidem *Scipioni* inferre. Satis videtur *Portam* non vivere, quem viventem secùs ipse *Scipio* est allocutus: *In Apologia pro Antitychone suo adversus Jo: Keplerum* hæc habet in Præfationis initio:

C „ Post diuturnam expectationem libri à *Jo. Keplero* ad- „
„ versùs *Antitychonem* meum scripti, de quo pluribus an- „
„ teà mensibus audieram, tandem studio, & authorita- „
„ te amplissimi Viri *Trajani Guiscardi*, *Montisferrati* pro „
„ Serenissimo Duce *Mantuæ* Magni Cancellarii per *Mala-* „
„ *testam Portam Ariminensem* præclaræ eruditionis, & do- „
„ ctrinæ Virum, mihique amicissimum in manus meas per- „
„ venit, &c. „

„ Primùm, scilicet repeto repugnantiam inter arguen- „
„ tis dicta: in eo enim argumento concedit *Rubiconem* ibi „
„ à *Plinio* dictum esse *Lusum*: at postea in supplemento fa- „
„ tetur à *Plinio Lusum* non *Rubiconem*, sed *Plusam* vocatum. „

Quia vana repetitio, ad ea, quæ supra dixi pag. 45. & 46. ire ne graveris: non arbitraberis
D sanè prima verba à posterioribus propelli.

„ Secundum, quod in censuram cadit, est id viri di- „ 148
„ ctum. Civitatem quamque à Geographis duobus flumi- „
„ nibus definiri exemplo *Cæsenæ*, quæ a *Strabone* tum *Isa-* „
„ *pi*, tum *Rubicone* determinatur: at fallax est argumen- „
„ tum penes Logicos ex particulari universale colligere. „

Patet hanc fuisse inductionem à *Porta*, qui arbitratus est, te *Cæsena*, hoc modo dignosci à *Strabone*; sicuti Geographorum mos est cum amnibus Civitates ponere, & quia de te inter antiquos rara mentio, idcircò hæc necessaria ad *Isapim*, & propè *Rubiconem* indicatio, ut ab ipsa amnium notitia demonstrareris: & hæc est in sen-
E su *Portæ* inductio, quæ fit plurium particularium, ut inde universale colligatur, videturque optimum genus argumentationis. Sed jam vidimus, te minimè Civitatem ibi à *Strabone* commemorari, sed in serie fluviorum *Senam*, vel *Cæsenam* eo modo, quo suprà declaravimus.

„ Interim autem satis sit *Ariminensibus Ariminum* offerre, „
„ quod ab eodem *Strabone* nonnisi flumine *Arimino* de- „
„ terminatur. *Habet autem* (inquit) *Ariminum portum*, „
„ *& ejusdem nominis amnem.* „

Videamus tamen quantum fidei *Claramontio* adhiberi oporteat, de Civitate *Arimini* tam absurde sentienti, ac tam liberè absurda prædicanti.

F Quænam ergo celebritas *Arimino* tribuitur à *Strabone*, cùm *lib. V.* eam collocet inter celeberrimas Urbes; *inter has* (inquit ille) *& Ari-* 149
minum sunt Parma, Mutina, Bononia; si tantùm flumen, & portum ipsa habuisset?

Quid verò *amplam Urbem* in *Cæsare*, *& magnam* in *Pompejo* dixerit *Plutarchus*? Quid Appianus *Bellor. Civil. lib. IV.* inter *Italiæ* præcipuas recenserit, quam nova eò Colonia à Triumviris, *C. Octavio*, *M. Antonio*, & *M. Lepido*, desti-

 nare-

naretur ? Ad quid Zosimus *lib. V.* quum *Alaricus Gothorum* Rex, circa annum Christi 357. in *Italiam* venisset, *Urbem Flaminiæ magnam* dictaverit? Procopiusque *de bello Italico contra Gothos lib. II. pag. mihi* 543: Urbem *Ariminum* tanta existimatione dignam, propalaverit? An non legimus: CIVIUM SPLENDIDISSIMUS ORDO ARIMINENSIUM multiplici antiquitate lapidum *Arimini*, & alibi, ex quibus unum appono *Ferrariæ* in *Ædibus* olim *Franc*: *Girardini* expositum?

C. VALIO
POLYCARPO
ORNAMENTA. DECVRIO
NATVS. INLVSTRATVS. A
SPLENDIDISSIMO, OR
150 DINE. ARIMIN. PATRON
VII. VICORVM. ITEM. COL
LEGIOR. FABR. CENT
DENDR. COLON. ARIM. &c.

Nonne evidentissimè patet *Ariminum* Urbem in ampliorem situm, longeque maiorem quàm his temporibus olim extitisse? probat vetustas Lapidum, demonstrantque ipsi adhuc quanta fuerit dignitas, & amplitudo Urbis, quam modo respicio non sine mœrore in suimet quasi compendium redactam. Distributa enim fuit Urbs in vii. præcipuos Vicos; ut ex eisdem inscriptionibus perclarè dispicitur, quarum complures memorantur VICANI VICORVM VII. ex quibus III etiam in diversis insculpta nomina visuntur. Integra pono monumenta, quæso tibi ne, *Cæsena*, sit tædio.

I.

L. SEPTIMIO
LIBERALI
VI VIR. AVG.
VICANI VICI GERMALI OB
MERITA EIVS QVOT DECVRION
ET VICANIS VICOR. VII. SING
151 IN ANNOS XIII IN PERPET. REI
ET IN EAM REM FVNDOS XXI
OBLIGARI IVSSIT QVORVM
PATREM VI LEGIS FLAC. NOMIN
DEDVCTAM AB TVTORIBVS
SEPTIMIAE PRISCAE MATRIS
SVAE LEPIDIAE SEPTIMINA
POPULO CONCESSIT.

II.

M. VETTIO M. F
ANI VALENTI
IMP. CAESARIS NERV
TRAIANI OPT. AVG. GER
DACICI PART. II VIR. QVINQ
PRAEF. FLAMINI AVGVRI
PATRONO COLONIAE
VICANI VICI AVENTIN
OPTIMO CIVI
PATRONO SVO.

III.

C. MEMMIO
C. F. AN
MARIANO
FLAM. DIVI CLAVD
152 *II VIR. III VIR*
CVRATORI AEDIVM
Q. ALIM. ADARICAM
VICAN. VIC. VELAB
PATRON OB MERIT. EIVS
CVIVS DEDICAT. SINGVL
N VIII. DED
L. D. D. D.

Hæc in lapidibus inventis propè Portam *S. Andreæ*. GERMALVS, verò AVENTINVS, & VELABRVM, partes erant Urbis *Romæ*. Ad huius igitur (ut innuit *Cluverius*) exemplum *Ariminenses* suam quoque Urbem in VII. parteis divisisse videntur.

Ex duodecim Coloniis, quas *Livius Drusus* Tribunus plebis deduxit sine onere pensionis, *Ariminum* fuit. De aliis enim statutum erat, ut singulæ populo *Romano* pensionem penderent. Duodecim igitur Coloniæ (ut *Joannes Tislinus* explicat in *Orationem Cic. pro A. Cecinna*) quasi per excellentiam nominabantur, quòd præter cæteras à pensione essent exemptæ. Sunt hæc Ciceronis verba. *Sylla ipse ita tulit de Civitate, ut non sustulerit eorum nexa, atque haereditates. Jubet enim eodem jure esse, quo fuerint Arimi-* 153 *nenses. Quos, quis ignorat, duodecim Coloniarum (jure) fuisse: & à populo Romano hæreditates capere potuisse.* Si verò *Ariminenses* tantùm Portum, & Flumen habuissent, ad quid ipsius *Ciceronis* mœrens testimonium? *Et quò alacrior redderetur exercitus propositis victoriæ præmiis, præter alia donativa promissæ sunt eis Coloniæ XVIII. Italicarum urbium tàm opibus, quàm agri bonitate, ac aedificiorum pulchritudine præcellentium: quarum urbana, ac rustica prædia non secùs, quam bello capta, dividerentur. Inter has eminebant, Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibo Valentia: atque ita pulcherrima Italiæ pars militibus adscripta est.*

Nonne verè somnia sunt *Scipionis*, cùm ipse te *Cæsenam*, *Senam* auctoritate *Livii*, atque *Galliæ* Regiam fecerit? Quid tuus *Claramontius*, cum *Ariminum* totius *Galliæ* caput, ac Principem in ipso *Livio* sine vitris conspiciet? quod, ut fiat apertius, ejusdem *Livii* verba subtexam. *Secundum lib. Decadis quartæ* hic auctor ita inchoat.

Consules, Prætoresque cùm Idibus Martiis Magistratum iniissent, Provincias sortiti sunt. L. Lentulo Italia, P. Julio Macedonia, Prætoribus L. 154 *Quintio Urbana, C. Bebio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Julio Sardinia evenit.*

Huic sententiæ licèt *Bononiensis* Descriptor *Italiæ* minùs subscribat, sed potiùs *Blondum Foroliviensem* carpat, tanquam non intelligentem *Livii* dicendi usum, nomen Urbis pro ipsa Provincia usurpantis sæpiùs: errore tamen non parvo deceptus est, non videns eundem Livium *lib. octavo Decadis tertiæ* hanc dubitationem diluisse penitùs dicendo. *Tum Prætoriæ Provinciæ in sortem conjectæ, Urbana Gneo Servilio obtigit: Ariminum (ita Galliam appellabant) Spurio Lucretio, Sicilia Lucio Aemilio, Gneo Octavio Sardinia.* quibus verbis nonne apertissimè enuntiat, *Galliæ* Provinciam *Ariminum* appellatum fuisse?

Antonius Augustinus Episcopus *Ilerdensis*, qui & Archiepiscopus *Tarraconensis* fuit ex *lib. de familiis Romanorum* in *Lucretia* familia hæc adnotavit. *S P. Lucretium Aedilem Plebis creatum Prætorem in an. DXLIIX. Ariminum, sive Galliam ei Provinciam obtigisse, necnon alterum S P. Lucretium Prætorem Hispaniam ulteriorem anno DXXCI. Provinciam obtinuisse.* Quæ *Arimini* Provincia deinde tractu temporis in *Pentapolim* 155 conversa est: *Damasus* Papa *Gaudentium Sanctum cum Legatione direxit Ariminum Pentapolim.* ut legitur in antiquo codice M. S. asservato apud Nob. Archiconfraternitatem S. Hieronymi Ariminen. *de vita S. Gaudentii.* Extat vulgata illa to-

totius ferè *Italiæ* confirmatio donationis, quam A Sedi Apostolicæ à *Carolo Magno* D. *Petro*, ac successoribus olim præstitam, recepit *Joannes XII.* ab *Othone* 1. Imperatore, de verbo ad verbum relatam à Possevino *in Hist. Mantuæ*, & à Baronio *tomo X. sub anno* 962. in ipsaque Cæsar habet *Pentapolim*, videlicèt *Ariminum*, *Pisaurum*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auximum*, *Hæsum*, *Forum Sempronii*, *Montem Feltri*, *Urbinum*, *& Territorium Balnense*, *Calles*, *Luceolos*, *& Eugubium : cum omnibus finibus*, *& territoriis ad easdem Civitates pertinentibus.* In Diplomate verò *Leonis* falsò *VIII.* (quippe qui Antipapa extitit) B quo dicitur concessum Imperatori Regnum *Italiæ*, *Pentapolis* vice, *Ducatus Arimini* scriptus legitur his verbis *Ducatum Arimini*, *Concam*, *Montemferetrum*, *Montem Carpineum*, *seù Olympicum*, *Castrum ex forii*, *Bobium*, *Eugubium*, *Ur-*
156 *binum*, *Forum Sempronii*, *Callum*, *& Senogalliam*, *Anconam*, *Auximanum*, *Besam*, *&c.*

Ex his conjicitur, quid sit *Ariminum*, quidve fuerit; licèt præ nimia ejus vetustate multa multis ætatibus obscura recondantur; quum præcipuè ejus initium, seù à quo sumpserit exordium, adhuc *Ariminenses* lateat. Multoties enim *Ariminum* Colonia deducta, non autem tum condita. C *Non ipsas tunc demum Civitates*, *id est Urbes*, *condiderunt*; *sed Colonias tantùm deduxerunt.* exponit *Phil. Cluverius*; sequiturque *lib. III. pag.* 98. *Hist. Cæsen.* ipse Claramont. non ergo à *Romanis* condita; neque etiam certò à Comitibus *Herculis*, à quo (ut opinio est *Catonis*) cognomen habet. Probat enim *Cato* à cognomine; quòd ei videbatur sufficiens argumentum. *Ariminum* enim Arabicè, est id quod *Leo*, sivè *Hercules ipse numerans festinantes*, scilicèt ad expeditionem contra tyrannos Italiæ. *Sed Cato*, *ac quidam*, *quia non habent aliud* (inquit Annius) *ad latinam originem recurrunt*, *quasi priùs fuerit latina lingua*, *quàm nobilis*, *& antiquissima barbara*; *& Oppida* D *splendidissimæ antiquitatis*, *aut novitia*, *aut græcula faciunt*, *& quidem falsò.* Alia recentissima,
157 absurdaque *Petri Leonis Casellæ* de primis *Italiæ* Coloniis opinio fuit: ait enim *Ariminum ad maris littus dexterum*, *& ea urbs nobilis*, *de qua varii quidem varia*, *vox certè sonat exaltatam mœnibus*, *& turribus*, *Mino duce*, *Coloniam. Minus itaque sive à minoritate nascendi*; *nam ultimo loco genitos*, *ab ipso natali*, Principios *dictos*, *& regnantes diximus Cranum*, *& Cranam*, *vel à minoritate staturæ*, *vel à minandi officio*, *&c.* Nequè ideircò affirmandum, ab *Umbris*, ut & *Ravennam*, *Arimini* Urbem fuisse ædificatam, nam expres- E sè scribit Strabo: *Ariminum Umbrorum est Colonia*, *Umbrorum* verò gens, teste Plinio *lib. III. cap.* 14. *antiquissima Italiæ existimatur*, *ut quos Ombrios à Græcis putent dictos*, *quòd inundatione terrarum imbribus superfuissent.* Hinc etiam Herodotus *lib.* 1. antiquiores eos facit *Etruscis*. Ergo indubitatum ante Diluvium extitisse *Ariminum*, quod post aquas *Umbri*, id est *Noe*, vel ejus filii deduxerunt Coloniam. Verùm, ut hæc fortunæ bona, quæ maxima fuerunt, non omittam, *Augustus* ille, qui Deus habebatur inter homines, post *Romam* adeò in hanc Urbem apertæ beneficentiæ, & amo-
158 ris desiderio flagravit, nihil ut magis optare vide- F retur, quàm ut hanc omni honorum, & bonorum genere, excoleret, atque exornaret. Hinc igitur in veteri quadam inscriptione vocatur COLONIA AVGVSTA. nempe PATRONO COL. AVG. ARIMIN. Hincque à nostris Civibus signata numismata [a], quæ hujusmodi formæ non pauca è nostro solo effossa, circumferuntur.

[a] Vide Fig. 1. infra.

Sunt Boves signum deductæ Coloniæ: teste enim antiquissimo Varrone, *junctis bobus Tauro*, *& Vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa*, *die auspicato*, *ut fossa*, *& muro essent munita. Terram*, *undè exscalpserant*, *fossam vocabant*, *& introrsum factum murum : postea quod fiebat orbis*, *Urbs.* Plutarchus item *in vita Romuli* hæc reliquit. *Deindè in figuram circuli circumscripsit Urbem. Ipse autem Princeps condendæ novæ urbis*, *aratro*, *vomere æreo præfixo*, *junctisque sexu dispare bobus*, *ipse boves a-* 159
gens, *fixis terminis profundum circumducit sulcum*, *&c.* Hoc idem significant bovis, & vaccæ capita in media luce ex utraque parte Arcus Augusti.

Ex XXVIII. Coloniis ab ipso *Cæsare* in *Italia* deductis, hanc præ cæteris muro perpetuo munivit: ex antiqua inscriptione.

IMP. CAESAR DIVI IVL. F. AVG. PONT.
MAX. COS. XIII. TRIB. POT. XXVII. PP.
MVRVM DEDIT CVRANTEL. TVRNO
SECVNDO APRONIANI PRÆF. VRBIS F.
ACTEIO V. C. CORECTORE FLAMI. ET
PICOENI.

Cùm verò vias omnes sternendas decrevisset, viros qui triumphum egerant, operi præposuit, ipse autem sibi *Flaminiam* desumpsit, cui ad honorem signata numismata, fueruntque statuæ equestres, & arcus superimpositis statuis; ut Dio, & antiquitatis monumenta confirmant. Suet. *lib. II. cap.* 3. *Quò autem*, inquit, *faciliùs undique urbs adiretur*, *desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda*, *reliquas triumphalibus viris*, *ex ma-*
nubiali pecunia sternendas distribùit. Dio lib. LIII. 160
Anno eo, *quem supra demonstravimus*, *cùm videret Augustus vias extra Urbem aliquamdiù neglectas difficilia itinera exhibere*, *reliquas patrum quibusdam propriis sumptibus reficiendas mandavit. Flaminiam*, *quoniam ea ducturus erat exercitum*, *ipse procuravit*; *estque ea statim instaurata*; *ac ob id statuæ Augusti sunt super aras in Ponte Tiberis*, *& Arimini positæ.* Ad *Dionis* autem locum mirificè faciunt hæc duo numismata: in primi una parte *Augusti* imago signata est, adscripto titulo S. P. Q. R. CAES. AVGVSTO. In altera [b] suprà pontem arcus impressus est, & super arcum triumphalis currus cum inscriptione, QVOD VIAE MUN. SVNT. hoc est, quòd viæ munitæ sunt. In secundi prima parte ejusdem *Augusti* imago signata, ut suprà adduximus, ex adverso [c] autem duo Arcus, super quos statuæ equestres, & trophæa militaria; litteris iisdem QVOD VIAE MVN. SVNT.

[b] Vide Fig. 2.

[c] Vide Fig. 3.

Fig. 1.





Fig. 2.



Fig. 3.

QVOD VIAE MVN SVNT

161 Alia multa prætereo, ne volumen faciam: Verùm è re nata, cursimque hæc dicta sunt.

Portum *Arimini* præcipuè recenset *Strabo*, quia præcipuus ille quidem, & singularis erat in hac ora maritima: non aderat tum consimilis pro mercatura, & navigiis tutissima statio; nondumque *Trajanus* Portum *Anconæ* instituerat. Hunc verò fabrica marmorea condecoravit *Sempronius Sophus*, quo & *Appio Cæci* filio Consulibus *Ariminum* missi Coloni. *Vellejus Paterculus lib. I.* Annus hic fuit ab Urbe *Roma* condita 485. ante natum Jesum 268. Hunc tamen iisdem marmoribus expoliavit *Sigismundus Pandulphus Malatesta* non alio jure, quàm genio (non VOTO dicam) Templum construendi, quod veriùs expiraret gentilitatis famam, quàm Christianitatis honorem: Sic nomini suo illud devoverat ambitio, per quam illi submovere lapides è Portu, multaque alia delere patria monumenta, quibus vetustas olim commisit Stylographiam, ingrato licuit.

At benè *Strabo* rem viatoribus, exterisque notissimam, vel potiùs quod cujusque interest notatu dignum, ad omnium famam exposuit. *Habet enim* (inquit) *Ariminum Portum.*

DECIMA TERTIA RATIO.

162 „Succedunt aliæ duæ (pace eorum dixerim) ridiculæ„ „rationes. erit ergo decima tertia, quam Scriptor ducit„ „ex venditione *Ugonis Maltaleonis Malatestæ* facta. Ven-„ „ditionis sunt verba. *Ego Ugo Maltaleonis do tibi præsenti*„ „*in Christi nomine Malatestæ emptori pro te, & tuis Hære-*„ „*dibus titulo meræ venditionis, concedo tibi quicquid ha-*„ „*beo, vel de cætero habere spero in Castro Scorticatæ, & in*„ „*ejus Curia, & insuper quicquid habeo inter flumen Maricu-*„ „*læ, & flumen Rubiconis à littore Maris, usque ad Castrum*„ „*Soliani: & hæc omnia pretio centum aureorum, & decem in*„ „*super librarum.* Argumentum indè elicit: si *Rubico* es-„ „set *Pissatellus* noster, tantum agri tam exiguo pretio„ „nullo unquam tempore par esse potuisse; idcircò intra„ „*Lusi* flumen restringendam venditionem. proindè ei flu-„ „mini *Rubiconis* nomen assignandum. Et potuit supina„ „adeò interpretatio in animum docti Viri surripere? qua-„ „si *Ugo* vendiderit quæcunque inter duo flumina *Arimi-*„ „*num*, & *Rubiconem* continerentur: non autem, quæ so-„ „lum in eo tractu possideret ipse, cùm tamen apertè in„ „verbis exscriptis legatur, quicquid habeo, non verò„ „quicquid jacet. Adhuc vero potest ne is sibi persuadere„ „quicquid inter *Lusum*, & *Ariminum* fluvium continetur„ „posse pretio centum circiter aureorum, ut justo, lice-„ „ri? Solum Oppidum *S. Archangeli*, quod in eo tractu„ „continetur, quanto pluris valet? Nollem virum gra-„ „vem pro amore positionis, & Patriæ adeò hallucina-„ „ri.„

Porta advers. Supplem. pag. 14. probat *Ugonem* non vendidisse bona ultrà *Lusum*, & *Solianum*, scilicèt usque ad *Pissatellum*; quarè dicit. *& è verissimo, che trà la Marecchia, e Luso allhora Rubicone non entra altro fiume, e la vendita è di quanto si restringeva trà i sopranominati duoi*
163 *confini dal lito del mare fino à Sogliano* [* Et certo certius, citràque omne dubium est, intervallum quod inter *Maridam*, *Lusum*que tum *Rubiconem* intercedit, nullo alio flumine disterminari; venalisque contractus totum id, quod iis duobus fluminibus, mari, & *Soliani* castro definiebatur, comprehendit *] ergo non ultrà, quia *inclusio unius, est exclusio alterius* vulgata regula. At si *Ugo* habuisset, vendidissetque à flumine *Mariculæ* usque ad *Pissatellum*, quod spatium est duorum de viginti millia passuum, equidem, ut *Porta* innuit, *troppo altro prezzo sarebbe corso.* [* certè aliud pretium majori summa foret numeratum *] quæ verba sonant tacitum relativum, & tacitam comparationem, nempe argumentatur *Porta* à minori ad majus, & à verisimilitudine: verisimile namque est *Ugonem* vendidisse quicquid haberet inter *Mariculam*, & *Lusum* pro scutis centum, &c. quia minus est, quàm protendi dictum venditionis spatium ad *Pissatellum*; sicutì

A inverisimile videtur, quod *Ugo* vendiderit usque ad *Pissatellum*, quod est majus. At *Ugo* non habuit bona ad *Pissatellum*, & si habuit non vendidit, cum enucleatè constet vendidisse quidquid haberet in re, vel in spe ex Castro *Scorticatæ*, & 164
in ejus curia; & insuper quicquid haberet inter flumen *Mariculæ*, & flumen *Rubiconis* à littore Maris, usque ad Castrum *Soliani*. *Pissatellus* non decurrit à littore maris usque ad castrum *Soliani*, sed *Lusus*: *Pissatellus* etiam nunquam aquas deposuit in Mare, sed jungitur alteri fluvio antequam in Mare erumpat: ergo *Pissatellus* non est verè ipse *Rubicon.*

B Insuper agit *Claramontius* in pretium, an sit exiguum, an justum, *solum Oppidum Sancti Archangeli, quanto pluris valet?* (ex Chyrographo non habetur, quod bona fuerint allodialia, feudalia, sivè mixta) omnia hæc recensita extra rem; quia nunquam *Porta* somniavit quærere, an contractus prædictæ venditionis rescindi possit ex læsione injusti pretii jux. tex. *in l. 2. C. de rescindenda vend.* sola intentio *Portæ* fuit probare *Pissatellum* non esse inter *Mariculam*, *Lusum*, & *Solianum*, & consequenter non esse *Rubiconem*, sed *Rubiconem* esse *Lusum*, cùm ipse solus sit inter *Mariculam*, & *Solianum*. At præterea undenam *Scipio* desum-
C psit, *Portam* hujusmodi interpretationem supinam habuisse, *Quasi Ugo vendiderit quæcumque inter duo flumina Ariminum, & Rubiconem continerentur?* cùm sint adducta præcisa Instrumenti verba, ad 165
quæ relata non secus ipse referens sentit, videturque non ulterius dicere, nec cogitare, quàm quod verè in relato ipso continetur l. *asse toto. ff. de hæred. instituend*, decis. 397. n. 3. p. prim. *recent.* & quod verba sunt intelligenda secundùm subjectam materiam, & non cavillanda l. *si uno. ff. locat.* cum similibus; & non debere trahi ad sensum non extraneum glos. *fin.* in cap. *in intelligenda, de verb. significat.* Insulsa sanè conclusio.
D *Quasi Ugo vendiderit, &c.* sunt etenim omnia hæc per *Claramontium* adulterata ad decipiendos Lectores, ad illosque trahendos in ejus falsam opinionem.

„At neque longe ab hac nota abest Ratio xiiij. quam„ „elicit ex versu *Frizzoli* de se dicentis. *Non infimus acco-*„ „*la Plusæ.* Natus is siquidem est in *Frizzoli* pago, quem„ „*Lusus* alluit. interpretatur *Ariminensis* Scriptor sensum„ „*Frizzoli* esse, etiamsi in eo humili loco esset ortus, ta-„ „men eo quòd *Plusa* sit *Rubico* fluvius celebris, se quo-„ „que ejus celebritatis esse participem.„

Hæc Porta in *Epist. ad Clementinum pag. 93.*

E questo disse molto nobilmente il dottissimo Sig.
E *Lorenzo Frizzoli già Canonico di questa Cathedrale, e poi tanto stimato dalla felice mem. di Gregorio XIII. il quale descrivendo la villa di Frizzole bagnata dal fiume Luso, antico Rubicone, disse,* Non infimus accola Plusæ, *volendo alludere, che se bene era nato in quella villa, non era però nato in luo-* 166
go abietto per la fama del Rubicone antico, hoggi Luso, come famosa divenne la villa del Chiurlo per la battaglia seguita frà Bajazette Ottomano, e Selim suo figlivolo, la dove prima era oscurissima: Sò bene, che si sono visti alterati in questo luogo i versi del Frizzoli, facendosi dire: non vilis accola Aprusæ, *da cui non sà, che per la sillaba falsa, il verso non può dire* Apprusæ, *mà* Plusæ.

F [* Hoc elegantissimè innuit eruditissimus *Laurentius Frizzolus* priùs inter hujus Cathedralis Canonicos conspicuus, dein in existimatione *Gregorii XIII.* magnam habens partem, qui carminibus *Frizzoli* rus *Luso* irriguum celebrans cecinit: *Non infimus accola Plusæ:* tacitè inferens se licèt ruri, non tamen humili, obscuroque loco progenitum, utpotè ex inclyto *Rubicone* patria sibi famam vindicante: quod itidem Pago *Chiurli* priùs

priùs omnimodæ famæ experti ex *Bajazetti*, *Selim*que ejus filii *Othomannorum* prælio contigit. Nec ignoro *Frizzoli* carmina insciorum censuram passa pro veris superiùs relatis adulterina hæc verba:

Non vilis accola Apprusæ, reposita gestasse. nec Censor novit ex syllabæ numero vitiosa esse verba *]

167 ,, At oportet excitare manes *Frizzoli*, & ab eo tam re-,,
,, conditum sensum haurire.,,

Lazarum tamen resuscitatum quæsierunt *Judæi* interficere: si nihil eorum, quæ audimus, & videmus certi est, nihil proindè nobis miraculi loco erit.

Frizzolus Mons dicitur, uno tanto milliario distans à *Soliano*: ob quam vicinitatem *Laurentius Frizzolus*, *Solianensis* è Patria appellatus: cognomen vero *Frizzoli* è pago, in quo natus, sibi ipse desumpserat. A satis jam demonstratum, satisque dictum de *Soliano*, ad illa verba *à flumine Rubiconis usque ad Castrum Soliani* descriptum esse *Lusum*, non *Pissatellum*, qui nullo modo *Soliani* Castro adaptari potest.

,, Nam si laudem ex *Rubicone* quæreret, ne valde repre-,,
,, hendendus esset, qui nomen *Rubiconis* unde laus tota,,
,, promanasset, reticuisset, & in ignobile nomen *Plusæ*,,
,, commutasset.,,

Hæc conclusio adamussim in *Cæsenatium* censuram, reprehensionem cadit, qui universi ex *Rubicone* laudem quærunt, & tamen nomen *Rubiconis*, unde laus tota promanat, perpetuò reticuerunt, ac in ridiculum, ignominiosumque nomen *Pissadelli* commutarunt; hæc ediscimus ex
168 statutis perantiquis, ex annalibus vetustis, scriptisque omnibus Civitatis *Cæsenæ*; in his semper *Pissadellum* habebis.

DECIMAQUINTA RATIO.

,, Exciderat demùm alia *Ariminensium* ratio, quam ex,,
,, *Ariosti* auctoritate deducunt, qui celebrans *Geneuram*,,
,, *Malatestam* tum *Arimini* Principem, eam illi virtutem,,
,, tribuit, ut *Cæsarem* pacatura fuisset, ne *Romæ* bellum,,
,, inferret, libertatemque Patriæ opprimeret si ea tempe-,,
,, state vixisset.

Se à quell' etade ella in Arimin' era,
Quando superbo de la Gallia doma
Cesar fu in dubbio s'oltre la riviera
Douea passando inimicarsi Roma,
Crederò, che piegata ogni bandiera,
E scarca di trofei la ricca soma.
Tolto hauria leggi, e patti à voglia d'essa;
Ne forse hauria la libertade oppressa.

,, Quoniam verò meminit hæsitationem *Cæsaris* in *Rubico-*,,
,, *nis* Ripa, colligunt inde fuisse in ditione *Arimini Rubi-*,,
,, *conem*; secus ab re *Ariostum* ibi loquutum. At quæ vis,,
,, quæso, quæ necessitas rationis? ,,

Hìc ex *Ariosto* vim argumenti eludit *Scipio* tuus vel dissimulans ipse, vel non advertens in conditionali Poetæ *Portam* non insistere, utpotè qui totum robur collocet non in hæsitatione, sed in transmeatione fluminis, cui *Cæsar* non se commisisset,
169 ne *Genebriæ* ditioni vim inferre videretur, ad quam *Rubiconis* dominium spectare præclarè demonstrat. idque non ineptè colligitur à Porta in *Epistola ad Clementinum pag.* 103. *Hist. Che se di Rimino non fosse stato il Rubicone, mà di Cesena, sarebbe stato un sproposito il voler lodare quella Signora da questa attione di Cesare.* [* Ab re enim fuisset Heroinæ illi encomium quærere ab hoc *Cæsaris* facinore, si, non *Ariminensis*, atquì *Cæsenas* foret *Rubicon* *]

,, Cur etiamsi in ripa *Anemonis* anceps pariter fuisset,,
,, *Cæsar*, non tamen posset eam vim tribuere formæ, &,,
,, virtuti egregiæ illius Heroinæ, qua *Cæsaris* ferociam se-,,
,, dasset, & in gratiam cum patria reddidisset?,,

Quid *Anemon* ad *Ariminensem Genebriam*? & si *Cæsar* ibi substitisset, qui *Ariostus* ad venerationem *Genebriæ* id transtulisset? *Rubicon* verò,

A cùm illius esset actionis, optimè pati potest argumentum. Præterquam quòd (ut vidimus) correlationem, & annexionem habent *Rubicon*, & *Ariminum* inter se adeò commixtam, mutuamque propter non ordinariam vicinitatem, atque proximitatem, ut quæ génericè in *Cæsaris* rebellionem de uno referuntur, eadem in altero prædicentur, & indiscriminatim ista actio *Arimino*, & *Rubiconi* tribuatur. do exempla: Sidonius *epistolar. lib. I. epist. V. Hinc Ariminum, Fanumque*
perveni: illud Juliana rebellione memorabile: hoc 170
Asdrubaliano funere infectum. & tamen non *Arimini*, sed meas ad undas initium habuit *Cæsaris*
B rebellio: quia ille tunc primùm suæ provinciæ fines egressus, ait Dio *Rom. Hist. lib. XLI. Julius Cæsar Scaliger Ariminensem* Urbem de se ipsa loquentem sic per prosopopæiam inducit:

Prisca fui quondam civilis meta furoris:
Sed non fortunæ meta futura fui.
Non tunc arma togæ, non cessit laurea linguæ;
Cæsaris est facere, haud sub Cicerone loqui.

Ludovicus Tingolus nunc Patriæ splendor, qui sociali fœdere *Aganippæas* undas meis suavissimè immiscet, *Alphonso Littæ* Præsuli insigni, *Ariminensem* Urbem tunc temporis felicissimè moderanti, sic olim Distichon litavit.

C *Ne sperne imperium parvi Rubiconis ad undas;*
Tibridis hinc Cæsar sceptra superba tulit.

Iis subscribit de Symbolis Heroicis è Societ. Jesu ornatissimus scriptor *Sylvester Petra Sancta Romanus lib. III. Conjicio id etiam, quia cum pollicitationibus magnis Cæsar milites suos adhortaretur,*
vt Arimini transirent Rubiconem & cum digito ex- 171
serto, surrectoque promissis fidem faceret.

,, Præterea non quærimus hìc, cujusnam fuerit *Rubico*: ,,
,, sed quinam fuerit.,,

Ab re quæsitum: *Porta* enim non eò tendit, ut inquirat quinam fuerit *Rubicon*, sed cujusnam fue-
D rit. Ejus verba iterum do: *Che se di Rimino non fosse stato il Rubicone, mà di Cesena, sarebbe stato un sproposito, il voler lodare quella Signora da questa attione di Cesare.* Epilogum postea iniit; *Da quanto adunque hò fin quì ragionato, non posso raccogliere, se non che l'antico Rubicone è sempre detto vicino à Rimino, e Rimino presso al Rubicone, e che Cesena non ci hà che fare:* & deindè subsequitur, *e parmi poter conchiudere, che l'Alberti, li Signori Cesenati, e chi tien con loro pensiero, che il Pissatello fosse il Rubicone, sono errati, e non quelli, che dissero fosse la Plusa, hoggi Luso.*

E ,, Memini nunc Scriptores rursùs *Ariminenses* ex auctorita-,,
,, te *Lucani* interpretum asserere fuisse quondam in Portu,,
,, *Arimini* Crustam marmoream, in qua scripta erat hæc,,
,, jussio.,,

Hoc Clementinus *Histor. lib. I. pag.* 81. *E finalmente gli Espositori di Lucano pongono, che nel Porto di Rimino intagliata in marmo stava questa Inscrittione.*

Bernardinus Corius *de Vitis Cæsarum* à *Julio* 172
usque ad *Federicum Ænobarbum*, in vita *Julii* hæc etiam reponit. *Nel Ponte di Arimino erano in marmo sculpite queste lettere à dimostrare, che*
F *qualunque contrafacesse à tal Editto Senatorio saria judicato inimico della Republ.*

,, Si hoc dicunt, ut ibi *Rubiconem* esse colligant, erit,,
,, *Ariminus*, in cujus ostio est *Arimini* portus, non *Lusus*,,
,, *Rubico*.,,

Erit *Ariminus* eodem modo, quo *Pissatellus* Palatium *Cæsenæ*, cuius muro insertum est.

Hìc licèt unda brevi Gallorum terminus olim,
Ausoniæque fuit, puniceus Rubicon.

vel *Cesaula*, sivè *Cæsis* pertransiens *Cæsenam*.

„Si verò velint aliud esse illud Edictum ab eo, quod in „ „*Rubiconis* ripa, oportebat ibi, non ad *Rubiconem* finiri „ „*Galliam*. „

Equidem volunt, aliud esse Edictum ab eo, quod *Cæsenates* in ripa *Pissatelli* extollunt. verum namque Edictum, sive meliùs *Romani* Senatus Decretum non generale, cuique videlicèt viro, sed solummodò *Cæsari* indictum fuit. hanc aperit *Dionis* clavis eburneam portam, *lib. XLI. Histor. Rom.*

Decreverunt præterea, uti Cæsar imperium successoribus traderet, & ante certam diem exercitus
173 *dimitteret: si non fecisset, hostem habendum, ac contra Patriam egisse judicandum. Cæsar cùm hæc cognovisset, Ariminum perrexit, tunc primùm suæ Provinciæ fines egressus.*

Hoc est Decretum in *Cæsarem*, & hæc est ejusmet *Cæsaris* transgressio: nil aliud in antiquis reperies. *Clementinus* hæc non ignorans, non Edictum, sed Inscriptionem notavit, quæ *Arimini* extabat in monumentum *Rubiconis*, & transitum *Cæsaris*: at ex his licet haurire cur Majores nostri (cognito errore) inscriptionem illam neglexerint, quam pro vero Edicto sibi *Cæsena* curiosè assumpsit. Teneant ergo illi Columellam erectam, illique impositum tremendum Edictum ad perpetuam memoriam mira cura conservent. Interim cum lapide lapis conferatur, ac ad honoris additamentum Epitaphium illuc asportetur, quod apud *Solonam* Urbem *Dalmatiæ* in Histrionem festivissimum ludit.

ADESTO MIHI, ET FAVETE, EDICTOQVE
HVIC VOS SVBSCRIBITE, ET OBSIGNATE.
SI QVIS VESICAM ONVSTAM SENSERIT,
DOMVM SVAM ONVS HOC REPORTET IN
CLOACAM, SI VERO FESTINVS FVERIT
CITERIOR, VEL VLTERIOR HOC LOCO
PRO RELIGIONE SE EVACVET. QVI NON
PARVERIT, HÆC MVLCTA ILLI ESTO, TESTE
ALTERO, VT CAREAT. CANES QVOQVE,
CÆSI FVSTIBVS, EDICTVM HOC SENTIANT.

F I N I S.

DE Mandato Reverendissimi Patris Magistri Augustini Ferrarii Inquisitoris Generalis Arimini, Pisauri, Fani, &c. Librum, cui Titulus est, Ariminensis Rubicon in Cæsenam Claramontii Authore Jacobo Villano I. P. D. perlegi. Nihil in eo offendi, quod aures piorum offendat, nihil contra fidem, nihilque contra bonos mores deprehendi; ideoque ut Typis mandetur dignum censeo, & hac mea subscriptione firmo. Ex Ædibus nostris S. Antonii de Padua Civitatis Arimini die 16. Decembris 1641.
D. Carolus Curicus Clericus Regul. S. Officii Consultor.

Imprimatur. Fr. Augustinus de Corrigio Inquisitor Arimini, &c.

EGO Hieronymus Rusca è Societate Jesu jussu Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Angeli Cæsii Ariminensis Episcopi legi librum. qui inscribitur, Ariminensis Rubicon in Cæsenam Claramontii, Authore Jacobo Villano I. P. D. cùmque in eo nihil contrà Catholicam fidem, aut bonos mores invenerim, dignum censeo, qui Typis mandetur. In quor. fidem præsentes litteras mea manu subscripsi anno 1641. die 10. Decemb.
Hieronymus Rusca e Societ. Jesu.

Imprimat. Claudius Angelinus Vicarius Gen.




IN-

INDEX
NOTABILIORUM.

E 2 PAu-

FINIS.





VINCENTII,

Civis Cæsenatis,

DE

RUBICONE ANTIQUO

Adversus

ARIMINENSES SCRIPTORES

DISSERTATIO:

Continens

RESPONSIONEM VINCENTII,

Notas ex monitu Illustrissimi & Reverendissimi

MARCI AURELII MARALDI,


Alias Roma missas ex Ambulatione Gregoriana restituta à Sanctissimo Pontifice Summo

URBANO VIII.

ut &

QUASDAM ADDITIONES.

Editio Novissima, accurate recognita, mendis purgata, ac Indice donata.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
PRÆFATIO.



RITUM est proverbium: Contraria juxta se opposita magis elucescunt: Hujus ad imitationem Dissertationem Vincentii *De Rubicone Antiquo: Cæsenæ* ex Apotheca illustrissimæ Communitatis M.DC.XLIII. in 4to editam, in qua Replicatio cujusdam Hypodidascali *Ariminensis* adversus *Claramontium* eadem de re discutitur, & rejicitur, typis mandavi; quoniam Replicationem istius scriptoris etiam in lucem de novo edideram, ut eò melius veritas inde elici posset. Priusquam autem ad imprimendum dedi, accurate fuit revisa, mendisque multis, quæ Librariorum incuria irrepserant, purgata. Nonnullis quoque dictis ac versibus apposui loca, unde erant deprompti. Deinde etiam Nomina propria, aliaque scitu digna characteribus textui contrariis imprimi curavi, ut lectori in his evolvendis succurrerem. Adjeci insuper paginas in margine hujus libri Editionis supradictæ, ne citatio antedictæ Editionis tibi incommodo esset. Indice tandem locupletissimo fuit prædita. Nullus dubito quin meam operam ac laborem hilari fronte sis accepturus; idque eò magis, quoniam hic & alii Tractatus hac de re agentes adeo cari sunt, ut pretio etiam magis justo vix ac ne vix quidem acquiri possint. Hac quoque spe ac fiducia molior adhuc alium tractatum huic iterum contradicentem, a *Terentiano Ubicola* in publicam lucem datum, in usum orbis literati in lucem emittere. Interim his fruere, ac mihi fave. Vale.

ILLUSTRISSIMIS DD.
D. D. SENATORIBUS,
ET
INCLYTO MAGISTRATUI
CIVITATIS CÆSENÆ
DOMINIS SUIS

CAROLUS NERIUS TYPOGRAPHUS F. V. P.



B Annis aliquot me ex prædecessoribus meis possidentem Civium Cæsenatum *jura insignis una liberalitas vestra (Illustrissimi DD.) erexit, in spemque melioris fortunæ animavit; tunc videlicet cum jam jam ad claros Exteros industriæ meæ chalcographicam regulam obsignare properarem; injecistis manicas, & compedes munificentia nobili. Ita factum est, ut non modo apud Penates quiescere, sed pro Penatibus laborare toto cordis hiatu conceperim, sed ut & insignioribus quibusvis formarum manum admovere non dubitarim, quod ex Genii mei propensione est. En experimentum exhibeo eorum ad quæ consurgit animus. Cum enim per hos dies ad manus meas devenerit Nobilissimi, pariterque Doctissimi Civis pressa Responsio ad cujusdam, nescio utrumne* Carpensis, *vel* Saxolensis, *aut* Ariminensis *larvatæ* Plusæ *fictuam; opificio meo illam communem reddere elegi, hoc est atramentum id ei sub-*

inducere, cui immortalitas in ea latens suffragatur. Excitavit, & exacuit diversorum ex junioribus calamos audax adversarii conatus, sed de Thersite *tametsi stomachum gererent* Græci *Heroes, expeditaque gestarent arma, haud tamen conserere decens duxerunt. Sat sit, ut splendores hosce, vel de longinquo videat, si forte manum veritati dabit, probitatem indutus. Zelum Auctoris Responsionis hujusce ego pro modulo meo æmulatus, qui pro sarcta veritate, proque dilecta Patria expeditus, promptusque stare voluit; illam Clarissimo vestro nomini nuncupare æquum duxi. Tesseram civilis meæ militiæ, gratique animi admittite, & quem fovere cæpistis, jugiter confovete.* Cæsenæ Cal. Augusti.

De VINCENTIO.

Vincentii Nomen dum aliud non sacra dedere.
Primum non præsens Hæccine pugna decet.

INDEX CAPITUM.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

FINIS.

1 # DE RUBICONE ANTIQUO CONTRA ARIMINENSES SCRIPTORES.

PRÆFATIO.

INJUST A *omnino est, quam Scriptores quidam* Ariminenses *intentarunt, & adhuc intentant* Cæsenatibus *de* Rubicone *controversia; tum si originem spectemus, tum si progressum expendamus disputationis. Utrumque Caput diligenter tractemus, & præcedat constitutio causæ. Duos Fluvios* Cæsena *habet,* Sapim *ad occidentem, a quo prope alluitur, & alium ad ortum duobus prope milliariis distantem, quem vulgari nunc nomine in* Cæsenate *Territorio* Pisatellum *appellant: at superiores Accolæ* Montilianenses *usque ad fontes* Runchone, & Rigone *dicunt. Hunc esse antiquum* Rubiconem *constante ab initio usque sermone dicimus; Est vero alter Fluvius itidem ad ortum* Cæsenæ *quatuordecim milliariis ferme ab ea procul, qui* Lusus *dicitur. Hunc* Ariminenses *nondum centum ab hinc annis esse antiquum* Rubiconem *contendere cæperunt ea animositate, ut dicantur Senatus consulto usque cavisse, & jussisse* Lusum *pro antiquo* Rubicone *esse statuendum. Vix ta-*
2 *men crederem prudentem Civitatem suis suffragiis subjecisse, quo nomine* Latini *antiquitus Fluvios appellarint; quod ad eruditos, & antiquitatis consultos pertinet, eorumque determinationi non populorum suffragiis subest: at certe id est animositatis argumentum, quod qui nos de antiquissima possessione deturbare conantur, ipsi de nobis ut possessionis perturbatoribus querantur repetundarumque in judicium vocent.*

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

In quo consistat injustitia ex origine summatim.

INJUSTITIA ex origine in eo summatim consistit, quod cum ab antiquissimo tempore fuerit Fluvius, qui nunc *Pissatellus* dicitur, *Rubico* vocatus, & qui consecuti sunt Scriptores in eadem appellatione perstiterint, & antiquiores usque *Ariminenses* eandem significationem susceperint, recentiores tamen *Ariminenses* post annum ab hinc octogesimum mordicus priorem sententiam nullo testimonio, nullaque ratione nisi admodum futili carpunt, & damnant. Ut ergo constet hæc neotericorum *Ariminensium* conatus injustitia, quam modo summatim exposui, nunc singillatim aperiam, testimonia, quæ pro nobis sunt, numerando. Tripartita vero erit enumeratio, prima quidem Scriptorum per se gravium, & fide dignorum, qui exteri sint, & nullo cum hac Civitate vinculo colligati: Secunda enumeratio erit *Ariminensium*
A antiquiorum, qui pariter *Pissatellum Rubiconem* faciunt, quorum sane testificatio *Ariminensibus* nunc contrarium asserentibus magno est præjudicio; monstrat enim hos recentiores pugnare cum judicio tot seculis in *Ariminensibus* perseverato, qui ob antiquitatem fuerunt etiam antiquæ appellationis consultiores. Tertia enumeratio erit eorum Authorum, quos hi novitii *Ariminenses* pro se adducunt in hac ipsa disputatione, eorumque ea pro se verba exscribunt, quæ sunt evidentia pro nobis testimonia. Adeo veritas ex ore mentientium interdum vi sua erumpit.

B
CAPUT II. 3

Prima pars enumerationis.

In prima parte enumerationis primum locum obtinet *Strabo*, qui seriem locorum describens à *Placentia*, ad *Ariminum* hæc habet. *Inter has Placentiam, & Cremonam, & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia, prope Ravennam in harum medio exigua quædam jacent Oppida, per quæ iter est Romam Acara, Regium, Lepidi, Nacri, Campi ubi quotannis Forum conficitur Cliter-*

na, *Forum Cornelium*, *Faventia*, *Sena Iſapi Fluvio*, *& Rubiconi propinqua*, *hæc proxima Arimino*. Hic loqui de *Cæſena*, ſive *Senam* legamus, ut monſtratum eſt à *Claramontio* in Apparatu, ſive *Cæſenam*, ut *Cauſobonus*, conveniunt omnes de *Cæſena* noſtra eſſe ſermonem. Porta acerrimus contra *Piſſatellum* Scriptor fatetur ibi *Strabonem* de *Cæſena* loqui ipſique tribui *Rubiconis* propinquitatem, ſicut, & *Sapis*. Evaſionem tamen quærit dicendo deſcriptam eſſe *Cæſenam Rubicone* etiamſi is fuerit *Luſus*, non ob propinquitatem, ſed ob celebritatem: at confutavit *Claramontius* reſponſionem, oſtendendo morem Geographorum eſſe propriis, non alienis Fluviis loca determinare, & præterea ſi ob celebritatem adhibitus eſſet cur non *Arimino* tanto propinquiori aſſignaſſet? quam Civitatem unico *Arimini* Fluvio ſcilicet vulgo *Mariculæ* deſcribit. Habet (inquit) *Ariminum* Portum, & ejuſdem nominis Amnem; ſed videatur Apparatus *Claramontii*: ubi confutatio hæc luculentius ponitur, infra rurſus repetetur locus hic *Strabonis* adverſus eluſionem quandam. Poſt evidens adeo *Strabonis* teſtimonium ſequuntur Scriptores cum amiſſa jam lingua Latina præſens hæc *Italica* eſſe in uſu vulgo cæpit. Horum Joannes Boccacius, qui trecentis ab hinc annis ſcripſit, in *Libro de Fluminibus* in voce *Rubico* habet, adduco verba ex verſione *Liburni* (careo enim interim latino Codice.) *Rubicone è Fiume doue già Italia Provintia frà Rimino, e Ravenna per li Capitani Romani era ſeparata dalla Francia picciolo certo da monti vicini và nel Mare Adriatico, hoggidi da gli Abitanti è adimandato Piſſatello appena conoſciuto.*

4 *Blondus* antiquitatum admodum conſultus idem pariter dicit, *Rubiconem*, ſcilicet antiquum nunc vocari *Piſſatellum*, verba ſunt. *Succedit parvus Torrens Rubico terminus olim Galliæ Ciſalpinæ Italiæque infra Flaminiam viam Piſſatellum vocant, ſupra Riconem; Florente Romana Republica vetabatur, ne quis armatus illum abſque Magiſtratuum licentia tranſiret, quæ juſſio nunc quoque ibi legitur in marmore elegantiſſime ſcripta.* Hæc *Blondus*, & paulo poſt hæc alia ſcribit. *Nunc ubi Rubico mare ingreditur eſt Cæſenæ Portus.* *Nicolaus Perotus* Epiſcopus *Sipontinus* Vir eruditiſſimus aſſignat *Rubiconem Cæſenæ* in ejuſque agro exiſtere ſcribit. verba ſunt. *Sunt, qui exiſtimant Cæſenam quoque Flaminiæ Urbem a cædendo appellatam, quod exiguo intus Amne Cæſa, hoc eſt diviſa ſit, vel quod ager ejus duobus Fluminibus Iſapi, & Rubicone ſit diviſus.* Hæc *Sipontinus*, qui alios etiam ſuppreſſo nomine in eadem ſententia eſſe memorat. Marcus Antonius Sabellicus *in Suetonium* hæc de *Rubicone* habet. (Inquit) *Finis olim Galliæ Ciſalpinæ, & Italiæ.* Lucanus. *Qui Gallica certus limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis. Hodie corrupto nomine Ricone Accolæ vocant.* Et paulo poſt ſubjungit. *Priuſquam ad Mare ſit ventum proximo Amniculo inſinuatis aquis, & nomine confuſis in Adriam inter Ariminum, & Ravennam devolvitur.* Hæc duo, quæ *Sabellicus* tunc temporis tribuit, *Piſſatello* ſoli conveniunt: *Riconem* ſcilicet ab accolis dici; ita enim ſupra viam *Æmiliam* accolæ vocant: & immiſceri Amniculo, cum eoque devolvi in Mare cum *Flumicino* ſcilicet vocato. Leander Albertus *in deſcriptione Italiæ* nemini ſecundus, hæc de *Rubicone* habet. *Paſſando più avanti ſi giunge al picciolo Fiume Piſſatello da gl antichi chiamato Rubicone, ſi come da Strabone, Livio, Plutarco, Plinio, Cæſare ne ſuoi Comentarii, Lucano, Silvio Italico nell'ottavo, e da molti altri Scrittori, e perche appreſſo molti è dubbio ſe queſto Piſſatello ſia il Rubicone, overo quell' altro, che habbiamo deſcritto per Pluſa, chiaramente il dimoſtra Strabone nel quinto quando dice, Cæſena Iſapi Fluvio, propinqua, & Rubiconi, cio è Ceſena ella è vicina all' Iſapi, & al Rubicone, conciosia che dall' altro hà il Savio, come dimoſtrerò, e da queſt' altro il Rubicone, laonde pare a mè, che* 5
ſiano in errore quelli, che altrimenti vogliono tenere. Hæc *Albertus*, qui una etiam veram *Strabonis* intelligentiam ponit de propinquitate *Rubiconis*, *Cæſenæ*que. Sebaſtianus Munſterus *in Coſmographia univerſali Coloniæ impreſſa Anno MDLXXV.* apud hæredes *Arnaldi Grocmanni* libro ſecundo, qui eſt *de Italia pag.* 213. teſtatur *Piſſatellum* eſſe antiquum *Rubiconem*: ſunt ejus verba. *Ariminum eſt Civitas Flaminiæ non procul à Fluvio Rubicone, qui Piſſatellus hodie appellatur.* Ptolemæus *in Geographia edita Lugduni apud Ugonem a Porta*, verſa autem de Græca in Latinam a *Billibaldo Pyrckeymeno*, *Michaelque Villanovanus* ſupplevit nomina nova habet *lib. tertio tab. ſexta Europæ. Rubiconis Fluvii oſtia Piſſatello, Ruccone.* *Aldus Manutius* noſtrum hunc Fluvium pro *Rubicone* agnoſcit dum *Anno* 1565. in ejus ripa Columellam erectam, & edictum idem, quod in hoc noſtro, & ſolo, & tunc reperiebatur, & nunc reperitur, ſe legiſſe aſſerit: exſcribo verba ejus in *libro de Ortographia pag.* 766. *Tyro novus miles cum y non cum i ex inſcriptione Edicti vetuſtiſſimi adhuc in Rubiconis ripa conſpicitur, à me ſuperiore Anno* 1565. *cum Venetiis Romam redirem diligenter exſcripta.* Fluvius autem in cujus ripa Columella, & edictum reperitur, eſt *Piſſatellus* noſter, nec Adverſarii negant: edictum ipſi fictitium eſſe contendunt, at Fluvium in cujus ripa reperitur, ſive verum, ſive fictitium Edictum *Piſſatellum* eſſe adverſarii etiam fatentur. Abram Ortelius hæc habet. *Flaminiæ Flumen Italiæ quondam, & Galliæ terminum, & Georgius Fabritius ſcribit hodie Runchone appellari. Leander Albertus Piſſatello,* uterque ſcilicet Author verum dicit: *appellatur enim Runchone, vel Riccone ſupra viam Æmiliam, ut dicit Fabritius, infra Æmiliam Piſſatello, ut dicit Albertus.* Philippus Bergomas *in ſupplemento Chronicorum de Civitate Arimini* hæc profert. *Ariminum habet Portum, & ejuſdem nominis Fluvium in quo navigia tuta a fluctibus Maris continentur, habetque Fluvium propinquum Rubiconem, qui Fluvius cum parvulus ſit ab Accolis Piſſatello appellatur.* Nicolaus Doglionus *in Europa ſua* Italice conſcripta cis *Savinianum*, immo cis *Butrium Rubiconem* ponit, eumque *Piſſatellum* nunc vocari diſerte aſſerit. Joannes Antonius Maginus tum *in Tabula univerſæ Italiæ*, tum in *Topographia Romandiolæ Piſſatellum Rubiconis* nomine 6
donat. Malombrius *in Geographia* idem facit. Alexander Braccius Secretarius Florentinus *in verſione Appiani*, hæc de *Cæſare* ſcribit. *Arrivò con veloce camino ſul Fiume Rubicone, il quale ſi chiama hoggi Piſſatello, e paſſa frà Rimini, e Ravenna.* Itinerarium *Andreæ Scoti* in linguam *Italicam* verſum, ac *Venetiis* impreſſum Anno MDCX. ad inſtantiam *Franciſci Bolzetæ* Bibliopolæ *Patavii* habet ubi de *Cervia* agit. *Vedrai il Porto Ceſenatico, e Borgo, e poi ti potrai fermare al Piſſatello, che già ſi chiamaua Bubicone celebre.* Et ibi de Arimino hæc alia ſcribit. *Doppo ritornando da Rimini ſuperati i Picenti da Appio Claudio, che di loro trionfo, e dilatò i confini dell' Imperio dall' Eſino, o Fiumicino ſino al Fiume Piſſatello.* Gerardus Mercator *in Atlante*, ſeu *Geographia univerſali* impreſſa a Janſonio *in Tabula Romandiolæ* ponit *Rubiconem*, ſeu *Piſſatellum* ita ſcilicet pro eodem *Rubiconem*, & *Piſſatellum* faciendo. Petrus Meſſia *in Imperatorum Vitis* de *Cæſare* agens prohibitionem narrat tranſeundi *Rubiconem* armatis copiis; Ab *Alfonſo Ulloa* nobili *Hiſpa-*

Hispano versus in marginem scholium habet. *Rubicone hoggi si dice Pissatello.* His addo, qui ita *Rubiconis* appellationem *Pissatello* tribuerunt, ut excitatam jam opinionem *Ariminensium* de *Luso* refutaverint ultra scilicet *Leandrum Albertum*, de quo jam diximus, & cujus verba retulimus. Philippus Antoninus *in Chronico Veruculi* controversiam hanc adducens pro *Cæsena*, & pro *Pissatello* solide decernit, & Philippus Ferrarius Familiæ Sacræ Servorum jam supremus Præfectus *in Lexico suo Geographico* repellit *Ariminensium* sententiam; *Cæsenatum* vero amplectitur, ac luculenter confirmat. Nedum ergo Scriptores hujus Provinciæ *Sassinates* scilicet, ut *Antonius*, *Foroliviensis*, ut *Blondus*, sed *Florentini*, *Boccatius*, & *Braccius*, *Ticinenses*, ut *Ferrarius*; Sed *Germani Batavi*, *Hispani* disertis verbis *Pissatellum* pro antiquo *Rubicone* pronunciant: Supersunt quos secunda, & tertia enumerationis partes continebunt.

7 CAPUT III.

Secunda Pars enumerationis, quæ est Ariminensium *ipsorum ante annos circiter octoginta.*

Ariminenses ipsimet ante annos ferme octoginta *Rubiconem* esse *Pissatellum* absque ulla controversia, vel ullius controversiæ mentione concesserunt. Testatur hoc Oratio habita a Patre *Angelo Maria Torsano Ariminensi* Ordinis Servorum: Is Orationes quindecim dixit, ut præ se ferunt ipsæmet Orationes, & edidit, quarum hic est catalogus. *De laudibus Umbriæ. De laudibus Spoleti. De laudibus Tubertis. De laudibus Narniæ. De laudibus Tipherni. De laudibus Fulginei. De laudibus Eugubii. De laudibus Sancti Sepulchri. De laudibus Romandiolæ. De laudibus Ravennæ: De laudibus Forolivii. De laudibus Arimini. De laudibus Faventiæ. De laudibus Foricornelii. De laudibus Cæsenæ.* In Oratione de *Cæsena* ter illi *Rubiconem* assignat, nulla facta mentione ullius *Ariminensium* suorum dissensus. Verba refero. *Cæsenam eo quod ager ejus duobus Fluminibus Sapi, & Rubicone sit cæsus, id est divisus.* Secundus locus ac secundum testimonium est. *Sedetque inter duos Amnes Sapim, & Rubiconem, Rubiconem habet ab Ortu, Sapim habet ab Occasu.* Tertium testimonium aliis adhuc luculentius est. *In agro* (inquit) *Cæsenate est Amnis Rubicon maximis Scriptorum rumoribus celebratus in cujus ripa jussu Pauli Tertii Pontificis Maximi stat elevata columna obelisci forma scapo infixam habens marmoream tabulam longe vetustam, in qua incisum cernitur Edictum Senatus, Populique Romani, ne quis armatus injussuque Senatus transire audeat Amnem.* At antiquioribus adhuc temporibus apertissima erat significatio nomine *Rubiconis Pissatelli* nostri in ea Civitate. Acta coram Prætore *Uberto* tum *Bononiæ*, & Arbitro inter partes producta ab *Ariminensibus Clementino* asserente, & adducente ostendunt. *Clementinus* inquam Historicus *Ariminensis* ad probandam conclusionem, quod *Lusus* sit *Rubico* adducit diplo-
8 ma quoddam *Federici primi* Imperatoris, prætereaque judicium, & arbitrium *Uberti* Vicecomitis, arbitri inter utramque Civitatem nostram, & *Ariminensem* tum acta ambarum per Syndicos suos. Erat vero controversia de finibus, limitibusque statuendis. Exscribit *Clementinus* universum Diploma Imperatoris sub 1265. die 21. Martii. Ego partem ad litem de *Rubicone* spectantem solum repono. Est autem. *Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus Imperiali Aulæ constitutis totum comitatum, & districtum suum sic ut trahit Rubicon*

A *usque ad mare a latere Cæsenæ: a latere Pisauri usque ad Foliam. Ariminum* (forte *Arimino* erat scribendum) *liberam potestatem, & meram jurisdictionem concedimus.* Hæc in diplomate, quæ terminum statuunt *Ariminensis* Territorii, & districtus *Rubiconem* ab occidente scilicet. Post multa vero Historicus libro eodem tertio adducit verbotenus libellos, & petitiones partium, & judicium deinceps *Uberti* ad litem determinandam. Verba sunt ex *Clementino* ipso. *Nos Ariminenses dicimus Comitatum nostrum, & districtum, & fines esse debere, & nunc esse ex latere Cæsenæ supra stratam sicut trahit, & incipitur a termino*
B *lapidis Strigariæ, & descendit in Rivum Fazeti, & per eundem Rivum descendens in flumine Rubiconis, & per Rubiconem veniens ad stratam ante Hospitale Butrii, & in strata inferius sicut trahit via pergens juxta illud idem hospitale à latere Cæsenæ, & exit ad Plebem Ruffii, & inde vadit ex illo latere Plebis versus Cæsenam ad vadum Bagnarolæ, Plebe etiam dicta cum suis pertinentiis omnibus, & plebatu in nostro Territorio remanente, & inde exit ad vadum Aguzzam, & sicut inde procedit ad Castellare Casarigi, & inde descendit ad Castellare S. Thomæ, deinde ad locum qui dicitur S. Thomæ supra littus maris. Quæ omnia dicimus a nobis, &*
C *pro nobis Ariminensibus detineri, & possideri, & esse detenta, & possessa. Hæc omnia Casotus Sindicus communis Arimini nomine ipsius communis proponit, & dicit, & petit prædictos fines sicut distincti sunt, ut comprobetis, & terminos imponatis, & sicut in hoc libello designati sunt supra.* Hæc *Ariminensium* acta refert *Clementinus*, posteaque refert hæc acta *Cæsenatis* Syndici *Zenonis*, libellumque ejus.

Ego Zeno Syndicus Communis Cæsenæ nomine Communis dico Comitatum Cæsenæ, seu districtum, 9
& fines esse, seu esse debere; & nunc eo usque detineri à Cæsenatibus, & extendi ex latere Cæsenæ su-
D *pra stratam sicut incipit terminus lapidis Strigariæ, quæ incipit inter nos, & comitatum Imperii, quem dicunt Ariminenses suum esse debere, & descendit in Rivum Fazeti, & per eundem Rivum confinando in flumine Rubiconis & per Rubiconem descendens usque ad vadum S. Apolinaris, & per vadum exiens de Rubicone trahit per viam inter unum vadum Archiepiscopi, & aliud usque ad vadum de Fantis, Tumba tantum camezanii de nostro remanente districtu, & sicut trahit fundum Rigossæ, ubi fuit Pons trabis de Rigossa, & ab ipsa strata inferius, quæ vadit ante Hospitale Butrii incipit Comitatus Cæsenæ, & districtus in supra strata in alveo Rigossæ ibi ubi fuit pons trabis, & descendit per antiquum alveum*
E *Rigossæ ipso alveo redeunte super Ecclesiam de Roncone ipsa Ecclesia remanente in Plebatu Bulgariæ, & Comitatu Cæsenæ, & sic confinando decurrit in pontanum, & descendens ipse pontanus in Treponcellum decurrens cum ipso Treponcello ad vadum trabis ad fossaliam, & trahit ad cortinas Blanchesi, & tenditur retro portas Gualdi in via Pavirani ad rancum Rusani, & exit ad vadum Casellæ in trepontium, & trahit per ipsum Trepontium in Mare: districtus vero Cæsenæ Communi pertinens ultra protenditur usque ad pontem marmoris de Savignano, & descendit per Rivum Trepontii confinando in Mare. Quæ omnia pro Communi Cæsenæ postulo a vo-*
F *bis D. Uberto Potestate Bononiæ declarari.* Sequitur sententia Uberti secundum relationem ipsius Clementini. *Dico ego Ubertus Vicecomes Bononiæ Potestas laudo, arbitror, & statuo scilicet a strata superius sicut trahit, & incipit a termino lapidis Strigariæ, & descendit in Rivum Fazeti per eundem descendens in flumine Rubiconis, & per Rubiconem usque ad vadum S. Apolinaris usque ad stratam ad terminum, qui ponatur in eadem strata in*

medio inter hospitale Banzolæ & hospitale Butrii: a strata vero inferius terminus ponatur in eadem strata per medium inter Bulgariam veterem, & Bulgariam novam, & sicut trahit illud medium ad Cortinas Blanchesii, Cortinis Blanchesii, & Bulgaria nova remanentibus ex parte Cæsenæ, & Bulgaria vetere remanente ex latere Ariminensium, & a Cortinis Blanchesii recta linea usque ad mare, Bulgaria nova remanente ex latere Cæsenatum, & quicquid est ab illis confinibus, seu terminis ponendis versus Cæsenam inferius, & superius a strata adjudico pro
10 *districtu, & Comitatu Cæsenatibus, quicquid vero ab illis confinibus versus Ariminum adjudico pro districtu, & Comitatu Ariminensibus, & inferius, & superius a Strata. Sic statuo, sic arbitror, sic laudo, sic præcipio ab utraque parte Ariminensium, & Cæsenatum perpetuo observari, & his secundum quod superius legitur esse contentam. Data in scriptis anno a Nativitate Domini* 1222. Hæc reposui ad verbum, ut ex *Ariminensium* tabulis unanimi consensu *Ariminensium*, *Cæsenatum*, Judicis *Rubiconem* ortum esse sub *Strigaria*, & in eum influere Rivum *Fazeti* vocatum, ad *Ruffii Bagnarolæ*, *Blanchesii* Villas accedere citra *Bulgariam* ad Occidentem, scilicet esse, quæ uni nostro *Pissatello* congruunt, longe absunt a *Luso*. Sub *Strigaria* noster oritur *Pissatellus* in eum delabitur *Fazeti* Rivus, prope Villas *Bagnarolæ*, *Blanchesii* fluit, quarum etiam alias findit. Num auferint aliqui *Luso* hoc tribuere, qui tot milliariis procul ab illis fluit? Præterea ex sententia *Uberti Butrium* est ultra *Rubiconem* versus *Ariminum*, erit ne quispiam adeo positionis tenax, qui *Butrium* inter *Lusum*, & *Ariminum* collocet? Placet nunc urgere eos Scriptores ex Diplomate *Federici* Imperatoris. *Rubiconem* facit is limitem, & finem agri *Ariminensis*. Num est is *Lusus?* Num restringunt *Ariminenses* ad Occidentem agrum intra *Lusum* suum? Si restringunt cur *Casotus* Syndicus ad *Bagnarolam*, ad *Casalidium*, ad *D. Thomæ Castellare*, ut vocant extendi contendit? Cur non assensere tum *Cæsenatibus* citra pontem marmoreum *Saviniani* fines suos contrahentibus? Cum citra *Lusum* sint ii fines circiter quinque millia passuum? Cur damnatur a *Clementino Ubertus* si ultra fines ab *Ariminensibus* petitos tantum illis citra *Savinianum* assignat? At *Ariminenses* scilicet justam *Rubiconis* significationem sequebantur *Rubiconem* sincere appellantes *Pissatellum*, qui citra *Butrium*, & citra *Saviniani* pontem, & citra *Bulgariam*, aliosque Locos a *Casoto* petitos, & ab Arbitro concessos fluit: ut constet seculis duodecimo, & decimo tertio *Ariminensibus* non nisi *Pissatellum* nostrum *Rubiconem* fuisse, neque contrariam recentium nunc *Ariminensium* opinionem, vel tantillum eorum mentes subiisse. Sed ostendo etiam recentiores *Ariminenses* aliquos in eandem sententiam aperte ex vi dictorum suorum duci, alios quidem non repugnantes, alios vel repugnantes & in contrarium conten-
11 dentes, qui sunt *Clementinus*, & *Porta*. Caput hujus demonstrationis est locus *Plinii* pro nobis aperte faciens. Expositio autem ejusdem loci ab *Ariminensibus* allata eos ipsos convincit. *Plinii* locus est (quem ideo in hunc locum distuli, quoniam jungendus erat expositionibus *Ariminensium*, & ideo argumentis, quæ ab *Ariminensibus* ipsis desumo) Plinius inquam *libro tertio Naturalis Historiæ Cap.* 14. hæc habet. *Octava Regio determinatur Arimino, Pado, Apennino: in ora Fluvius Ariminum Colonia, cum amnibus Arimino Aprusa, hinc Rubicon quondam finis Italiæ ab eo Sapis, & Vitis, & Anemo.* Hæc ille, ex quibus patet *Rubiconem* ab *Aprusa* distinctum esse, & cum series narrationis *Plinii* procedat ab Oriente
A ad Occidentem, oportet *Rubiconem* esse ad Occidentem *Aprusæ*, qui est situs *Pissatelli* nostri: Idque subjungo fateri, *Portam* oportere *Rubiconem* esse, vel *Lusum*, vel *Pissatellum*, at non est *Lusus* ex ipsis *Rubico*, cum non sit *Aprusa Rubico*, quæ *Aprusa* est *Lusus*, ergo *Pissatellus* est *Rubico*. Explano vim argumenti: *Porta* primo contendit *Aprusam* esse *Avesam* Fluentum ad ortum *Arimino*, postea concedit *Aprusam* esse *Lusum*; hic ego prius argumentor ex verbis *Plinii*, postea ex interpretatione verborum ipsius (secundum *Clementinum*, & *Portam*.) *Plinius* ergo in enumeratione sua *Aprusam*, & *Rubiconem* di-
B stinguit, & cum procedat ab Oriente in Occidentem constituit *Rubiconem* ad Occidentem *Aprusæ*, qui est situs *Pissatelli*, cui & mox ut consequentem numerat *Sapim*, ita ex verbis *Plinii* evidenter pro *Pissatello* adversus *Aprusam*, adeoque *Lusum* argumentum. Nunc ex interpretatione *Clementini*, & *Portæ* adduco argumentum. Exponunt hi viri non fuisse *Aprusam Plinii Rubiconem*, sed *Lusam* hoc est nomen *Rubiconis* non fuisse a *Plinio* tributum Fluvio *Lusi* quem vocat ex eorum dictis *Lusam*. Clementinus. *Gl' Ariminesi all' incontro sono di parere, che il loro Fiume Luso chiamato da Plinio Lusa.* Sit scilicet *Rubi-*
C *co. Porta* in Apologia adversus supplementum, Chronicorum *Veruculi* ipse quoque in sententiam *Clementini* vadit, quod Flumen *Lusi* a *Plinio* sit dictum *Plusa*, mutat scilicet *Lusam* in *Plusam*. 12
Verba sunt. *Di maniera che resta assai prouato, che non sidia quella celerità immaginata dall' Authore sudetto, e da quanto hò discorso, che Cesare da Luso nostro Fiume, Rubicone all hora, e Plusa di Plinio.* Ex horum ergo Auctorum confessione, *Rubico a Plinio* memoratus non est *Lusus*: fuit enim a *Plinio Lusa*, vel *Plusa* vocatus non *Rubico*. Tum pro *Cæsenatibus* adversus eos infero neque ergo *Rubico*, quem apud *Suetonium* Cæsar
D transivit fuit *Lusus*: neque enim ita vocabatur tempore etiam *Suetonii* si non tempore *Plinii*, quia contemporanei fuerunt *Plinius*, & *Suetonius* vicini, ac propinqui saltem adeo, ut lingua a nulla adhuc barbarie immutata sub eadem Republica, Imperiove florente nomina eadem retinuerit in Flumine præsertim celeberrimo. Adstringo argumentum. A *Plinio* vivente *Lusus* non vocabatur *Rubico*, *Rubico* ergo neque tempore *Suetonii*, imo neque tempore *Plutarchi*; *Plutarchus* enim sub *Trajano* vixit, sub quo, & *Suetonius*. *Ariminenses* ergo, tum antiquiores, tum qui ante octo-
E gesimum ab hinc annum vixerunt, aperte *Rubiconis* nomen *Pissatello* concesserunt, tum etiam, qui postea contrarium contendere, imprudentes clamque se ipsis ea concesserunt, quæ vel invitos in *Cæsenatium* sententiam trahant. At non contra disputans *Antonius Cerrus Ariminensis* dum *Avesam* negat esse *Aprusam*, quem Fluvium *Lusum* prius *Porta* asserit, in opinionem certe descendit negantium *Lusum* esse *Rubiconem*. Hæc de testimoniis *Ariminensium*.

CAPUT IV.

F *Tertia Pars enumerationis, quæ est Authorum, quos pro se Ariminenses adducunt.*

Succedunt testimonia Authorum ab adversariis pro se adductorum, ac laudatorum, sunt autem *Antonius Augustinus* Episcopus *Tarraconensis*, *Cluveriusque*. *Ariminensis* Scriptor de *Antonio Augustino* hæc prius præfatur. *Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, qui Fluvii Ursini calculo sibi universæ Romanæ antiquitatis suppellectilem com-*

comparavit. Tanti ergo hominis disputationem refert ad verbum de Edicto in ripa nostri *Pissa-*
13 *telli* posito; quæ disputatio sane tendit ad infirmandam veritatem Edicti, de quo postea dicam: At disputatione ea ipsa hæc verba continentur. *Di la a pochi mesi tornando d' Alemagna feci il camino da Bologna a Roma per la Romagna, e giunto à Cæsena passai il Fiume Rubicone tanto nominato per quel, che Cesare fece in tal luogo. Viddi una Pietra molto antica scritta in due luoghi, e quel ch'era in uno, &c.* Et continuando sermonem subjungit continuisse. *un comandamento, che nessuno Capitano, ne Soldato hauesse ardire di passari il Rubicone, che diuideua la Gallia dall' Italia.* Pauloque posterius ponit inscriptionis Edictique principium. *JUSSU, MANDATOVE P. R. &c.* Tantus ergo homo, & tam antiquitatum peritus *Rubiconem Cæsenæ* ferme jungit, & eum Fluvium esse dicit in cujus ripa est Edictum, qui Fluvius non ne est *Pissatellus*? Et nullus alius Fluvius est in eo tractu, in quo ejusmodi Edictum reperiatur, quem tamen hominem, ipsius verba ipsimet *Ariminenses* adducunt contra *Cæsenatum* assertionem de *Rubicone*, cum nihil clarius, nihil evidentius dici possit pro ea. Alter cui plurimum in hac ipsa controversia innituntur est *Philippus Cluverius*, cujus verba hæc adducunt, & exscribunt. *Falsissimo igitur loco supra memorata inscriptio* (est nostrum Edictum) *hodie duobus millibus à Cæsena ad superiorem Rubiconis partem conspicitur, & ipsa sane falsa, & adulterina, &c.* *Cluverius* ergo Edictum illud, quod adulterinum reputat, asserit esse in ripa *Rubiconis*, & distare solum duobus millibus à *Cæsena*. Potest ne hic *Ariminensium* Advocatus clarius dicere *Rubiconem* esse *Pissatellum*, qui est Fluvius distans duobus millibus à *Cæsena*, & in cujus ripa reperitur tabella, & inscriptio sive vera, sive fictitia; ea ipsa tamen ibi, & in nullo alio Flumine reperitur; multo minime in *Luso*. Idem *Cluverius* hæc amplius habet *lib. pr. cap. 2. de Antiqua Italia. Mox deletis Gallis Senonibus Rubico Amnis inter Ariminum, & Ravennam nunc Rugone fuit.* Est hic sane *Pissatellus*, qui supra *Æmiliam* viam *Rugone* dicitur, & ad ostium *Fiumicino*, & rursus eodem *lib. cap. 22. Limes inde inter Italicas, Gallicasque gentes constitutus fuit Rubico Amnis vulgo nunc Rugone dictus, in via Æmilia duo millia passuum à*

Cæsena, circa ostium tria millia ab Oppido Cæsenatico Fiumicino appellatus. Non ne hic aperte est 14
Pissatellus, qui distat duo millia a *Cæsena* in via *Æmilia* Fluvius dicitur *Rigone* supra *Æmiliam*, dicitur *Fiumicino*, ad ostium, quod distat à *Cæsenatico* tria circiter millia. Hæc, & alia *Cluverius*, qui in designandis distantia *Cæsenæ* nominibus fluvii, & Tabella in ejus ripa posita ita *Pissatellum* nostrum adamussim describit, ut admirari oporteat ineptiam eorum, qui adversus nos locum adducunt. Noto tamen cum in cæteris recte loquatur *Cluverius* in eo decipi quod *Pissatellum* cum *Butrio* confundit, in hocque dissentientes *Blondum*, & *Albertum* injuria reprobat. At condonemus aliquid homini extero, cum præsertim tot alia vera dixerit.

CAPUT V.

Concluditur injustitia novæ Ariminensium *sententiæ ex capite originis.*

Tot ergo testimonia pro se habet *Cæsenatum* assertio, & tot seculis in possessione fuit attributi Flumini suo nunc *Pissatello* nominis antiqui *Rubiconis*; posteriores tamen *Ariminenses* adversus confirmatam adeo nominationem, novam opinionem ausi sunt inducere. Oportebat sane ab opinione tot præjudiciis vallata non sine aliquo testimonio gravi, qui tot aliis contrariis æquiponderaret, vel prævalida aliqua ratione quæ una tot scribentium authoritatem exinaniret, recedere. At ne unum quidem pro se adducunt, ipsi sibi sufficiunt; ipsi litigatores, ipsi testes, ipsi judices pro se sunt, at forte firma aliqua ratione nituntur. Sed vix levius quidquam excogitari potest, quam levitatem cum *Claramontius* in Apparatu suo ostenderit: Hic ego succincte repetam. Postquam pro eo quod veritati tam claræ cedere debuerant, novam sunt replicationem moliti. De replicatione postea in tertia Sectione, in præsenti autem Sectione rationes quas *Clementinus* Historicus *Ariminensis*, & *Porta* adduxerunt, & *Claramontius* solvit, hic repetam solutionibus *Claramontii* adjectis. Ex levitate rationum horum Scriptorum, & ex protervia Replicationis constabit injustitia progressus, quam sum ab initio protestatus.

FINIS PRIMÆ SECTIONIS.

15 # SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

In secunda itaque hac Sectione rationes *Clementini*, ac solutiones *Claramontii*, rationes *Portæ* ac solutiones earum per eundem *Claramontium* afferemus. Præmittamus autem *Pissatelli* ejusque quantitatis descriptionem, nam Scriptores *Ariminenses* despicatissimæ parvitatis effingunt, & ejusmodi parvitati, tanquam præcipuo fundamento innituntur. Dixerat *Clementinus* sesquiperticam ad summum latum esse, & ejus aquam vix uni molæ sufficere: in Replicatione dicitur esse fossam manu factam instar earum quæ singulis agris ad excolandas aquas pluvias affiguntur, illisque æquari. Mirum est in re oculis transeuntium subjecta tantum audere. In via ipsa *Æmilia* ubi pons per quem transeunt *Romam* euntes; vel inde recedentes est latitudo Fluminis perticarum quinque, & duarum quintarum, totidemque pontis longitudo: at sub *Montiliano* ubi ripæ sunt humiles extenditur latitudo ad perticas usque plures quam duodecim reliquus alveus modo strictior, modo latior, prout ripæ extolluntur, vel deprimuntur: septum moletrinæ *Tuscorum Cæsenatum* Patritiorum est 16
quinque perticarum in longitudinem. Num ergo latitudo sesquiperticæ est, aut incilium, & fossarum agrorum? Apertis ergo mendaciis impugnatur tot Scriptorum, & tantorum assertio. Sed uni vix molæ sufficere ajunt *Pissatelli* aquam, & tamen in eo sunt octo moletrinæ, seu pistrina, quorum tria nunc a molendo cessant, licet extent ædificia, at quinque reliqua frumenti quantitatem non exiguam expediunt. Omnes numero. Est Moletrina *Alexandri Roverelli* Comitis *Montis Leonis*, succedit Moletrina *Roverelliorum Subrivoli* Comitum, duæ sunt Marchionis *Marateștæ* quarum altera nunc non exercetur, post quas sunt altera Plebatus *Calesidii*,

altera *Tiberii Fantagutii* Patritii *Cæsenatis*, ambæ nunc otiosæ, at molitionem exercet cum multo proventu, quæ sequitur *Tuscorum*, at postrema est monachorum *D. Benedicti* in Villa *Bagnarolæ* existens, quæ tres molas habet sicut superiores ad minus duas; ut in hoc aperti mendacii quoque convincantur, dum dicunt vix unam molam aquam ipsius fluenti expedire, cum vel unica moletrina tres molas exerceat. Impetus quoque & vis Fluvii inde constat, quod *Tuscorum* septum ex lateribus, & calce confectum, nec sine studio, & cura evertit, cum crassitudo molis longitudini responderet. Septum pariter moletrinæ Monachorum *D. Benedicti*, tum ligneum sane, at munitum pariter disjecit, ut opus illis fuerit latericium condere, cum erogatione plurium millium coronatorum, ut hinc pateat abesse ab illa exiguitate, quam Scriptores *Ariminenses* imponunt, quibus quæ fides adhibenda est dum in patentibus adeo rebus tanta confidentia mentiuntur? Subjicio nunc *Lusum*, quem tantum magnificant, ut excidant fere ex causa (nam *Rubicon* a *Lucano*, & a *Suetonio* non describitur magnificus, sed exiguus, & parvus) subjicio inquam cum *Lusum* nullam *Moletrinam* in toto suo cursu habere constet, totque *Pissatellus* habeat, qua prudentia insultant de molis *Pissatello* in collatione cum *Luso*, si *Lusus* nullas, *Pissatellus* plusquam decem exerceat? Subjiciam his alia in quibus aperte mentiuntur de hoc ipso Flumine infra *Sectione tertia cap. 5.* præbebit occasionem Replicationis pro *Ariminensibus* protervia.

17

CAPUT II.

Rationes Clementini, ac solutiones earum.

Aggrediamur rationes primo loco *Clementini*, & solutiones singularum *Claramontii*, apud quem quisque potest latius singula videre: ego enim restrictius eadem reponam quantum tamen requiritur ad levitatem rationum, & insuper replicationis iniquitatem ex collatione clarius deprehendendam. Prima ratio *Clementini* est ex testimonio *Livii*, cujus ipse verba hæc refert. *Rubicon est prope Ariminum.* Respondit *Claramontius* falso adduci *Livium*: nusquam enim ea is Author verba habuit. Quod etiam *Porta* re melius cognita fatetur, attamen cum aliqui (nisi *Livius*) id ipsum dixerint, responsionem adhibet, quæ una, & eadem ad plures rationes solvendas pro fundamento sufficit. Est vero fundamentum morem esse Geographorum Flumina ex ostiis describere, & pro vicinis Flumini locis numerari, quæ propiora sunt hinc inde ostio. Exemplo duorum Fluminum celebrium *Tiberis*, & *Arno* penes *Ptolemæum* rem declarat. *Tiberim* enim determinat graduatione ostii grad. 36. 30. secundum longitudinem, & grad. 41. 30. secundum latitudinem. Loca quæ proxima ejusmodi ostio ponit. Est in ostio ipso Ostia Civitas, at ab Occasu *Alsium*, cujus longitudinis gradus ponit 36. 15. latitud. 41. 40. ab Ortu autem *Alsium* grad. 36. 50. secundum longitudinem, & grad. 41. 20. secundum latitudinem, nulla hic mentio *Romæ*. *Arni* pariter descriptio, & collocatio est per ostium; hujus gradus secundum longitudinem grad. 33. 20. secundum latitudinem grad. 42. 40. huic proxime ab Occasu statuit Templum *Herculis* grad. 32. 40. longitudinis grad. 42. 45. latitudinis ab Ortu *Populoniam* collocat grad. 33. 30. secundum longitudinem grad. 42. 30. secundum latitudinem. Nulla hic quoque *Pisarum* facta mentione. Applicemus nunc solutioni primæ rationis fundamentum. Dicitur *Rubicon*

A *Arimino* propinquus ex ostio, quod est proximum *Arimino* ab Ortu, sicut *Ravennæ* ex altera parte; propius tamen *Arimino*, quam *Ravennæ* 18 huic solidæ responsioni. Addo ego adversus pervicaces, Authores ipsi, qui dicunt *Ariminum* esse propinquum *Rubiconi* ipsi declarant propinquitatem ejusmodi non esse majorem, quam, quæ intercedit inter *Ariminum*, & *Pissatellum*, quem eundem cum *Rubicone* dicunt. Verba *Sebastiani Munsteri*, *Philippi Bergomatis*, &c. supra retuli. Secunda ratio *Clementini* est ex *Strabone*, & *Calepino*. *Rubicon est inter Ariminum, & Ravennam.* Ita Strabo. *Rubicon fluit inter Ariminum,*
B *& Ravennam* Ita *Calepinus*. Infert *Clementinus* ergo *Lusum*, non *Pissatellum* esse *Rubiconem*. Respondit *Claramontius*, inferre *Lusum* esse *Rubiconem* ex eo quod *Rubicon* fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, & pariter *Lusus* inter eas Civitates fluit; peccare in formam syllogisticam: est enim ex duabus propositionibus affirmativis in secunda figura syllogismus. Confirmat exemplo, quoniam pariter concluderetur *Sapim* esse *Rubiconem:* etenim sequeretur pariter: *Rubicon* fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, *Sapis* fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, ergo *Sapis* est *Rubicon*. Tertia ratio *Clementini* est ex authoritate *Silii Italici* dum Civitates fideles memorat, quæ auxi-
C lium præstitere *Romanis*. Dicit autem. *Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena*, Respondet *Claramontius* nullam in iis verbis mentionem esse *Arimini*; at *Senæ* fieri, ut testimonium pro se adducat *Clementinus*, aut nihil pro ipso faciens, aut contra ipsum faciens. Satis est hæc dixisse; cæterum videatur locus ad pleniorem intelligentiam repulsionis. *Senam* autem *Cæsenam* multo potius quam *Ariminum* significare ex prima parte sui Apparatus indicat; ad eam remittens, qui legit. Quarta Ratio *Clementini*. A nemine fit mentio, vel minima *Cæsenæ*, ergo
D scilicet *Rubico* non est *Cæsenæ*. *Claramontius* respondet primo lenius accipiendo dictum, quod a nemine mentio facta sit, vel minima *Cæsenæ*, interpretatus scilicet a nemine factam esse mentionem in proposito *Rubiconis Cæsenæ*; quo circa non pertinere ad *Cæsenam*, instat de *Tiberi*, & de *Arno* ex proxime dictis; in quorum Fluviorum descriptione nulla fit mentio *Romæ*, nulla *Pisarum*. Præterea negat nullam factam *Cæsenæ* mentionem inter memorandum *Rubiconem* cum scilicet *Strabo* *Cæsenam* tum *Senam* inter *Sapim*, & *Rubiconem* collocaverit. At ad amariorem sen- 19 sum, justam suspicionem emergere (dicit) an-
E tiquæ cujuspiam vomicæ. Quinta ratio est ex diplomate *Federici*, & sententia *Uberti* Vicecomitis antea a me adductis, & prius a *Claramontio* pro evidente demonstratione, quod tum temporis *Rubico* pro *Pissatello* habebatur ab *Ariminensibus*. Respondit itaque *Claramontius* a *Clementino* pro se adduci, quæ prorsus adversantur. Sexto loco annectit idem Scriptor aliam rationem contendens, dum Edictum illud stetit nullum jus in *Rubicone* habuisse *Cæsenates*, ergo scilicet nullo modo *Rubico* ad *Cæsenam* spectat. Instititit consequentiæ *Claramontius*, quia nunc non quæritur utrius fuerit *Rubico* *Cæsenæ*, an *Arimini*, sed u-
F ter *Pissatellus*, an *Lusus* antiquus *Rubico* fuerit. Excidere itaque dicit rationem ejusmodi a statu causæ. At præterea temeritatis accusat assumptum, dum ponit *Cæsenam*, tum neque ad *Pissatellum* agro, & jurisdictione pervenisse: opus fuisset enim *Ariminense* Territorium ultra *Pissatellum* protendi, quicquid enim tum *Cæsenæ* non erat, erat *Arimini*, at *Arimini* ager a *Rubicone* finiebatur, ergo oportebat *Rubiconem* esse inter *Pissatellum*, & *Cæsenam*, at Fluentum inter *Cæ-senam*,

senam, & *Pissatellum* est *Matalardus*, utrum er-
go velint *Ariminenses Rubiconem* esse Rivum *Ma-
talardi* cum de fluvio *Pissatello* negent? Septima
ratio *Clementini* est ab experientia naturali, ex
qua constare inquit Fluventa, & alveos eorum
centum quinquaginta quibusque annis duplo cre-
scere, ideo *Pissatellus* annis antea 1600. cum to-
ties duplicaverit alveum suum, parvus adhuc exi-
stens, debebat fossulus esse. Respondet *Clara-
montius* falsam esse universalem eam præpositio-
nem centum quinquaginta quibusque annis Fluen-
torum alveos duplicari: instantia fuit ex *Aristo-
tele*, qui primo Meteorum docet Flumina pri-
mum crescere, deinde in statu permanere, post
multum senescere; diminui scilicet, & postea
exsiccari. Crescere itaque Fluventa non semper
est verum: non enim crescunt, cum sunt in sta-
tu, neque cum in decremento, sed solum in tem-
pore incrementi, oportuisset ergo *Clementinum*,
ostendere ab elapsis temporibus hucusque in in-
20 cremento fuisse Flumina hæc nostra. At ap-
paret prorsus contrarium, in antiqua scilicet
sua latitudine persistere ex Fluvio *Arimini* ipsius,
qui sub ponte ab Augusto condito pariter nunc
continetur, sicut tunc continebatur. Hæc prior
instantia, vel hæ priores instantiæ. At in-
stat postea enormitati asserti incrementi in du-
plum scilicet centenis quinquagenis annis, nam
Flumen *Ariminum*, Flumen tum scilicet alveum
habens duodecim perticarum secundum latitu-
dinem, ut ex ponte patet nunc, inito calcu-
lo si duplicasset annis centenis quinquagenis la-
titudinem, nunc milliaria sexaginta tria usque
latus esset: portentum scilicet enorme. At
etiam si unius tantum perticæ tum latitudo
fuisset, nunc quinque milliarium esset. Videa-
tur in Authore *Claramontio* calculus. Octava
Clementini ratio est ex pusillitate *Pissatelli*, cui
alii tribuunt quindecim milliarium longitudinem,
alii sex tantum; latitudinem autem sesquiperti-
cæ tantum. Non est vero pro dignitate tanta-
rum Regionum exiguus Rivus potius quam Flu-
men limes, qui Rivus non in Mare, sed in alium
Fluvium aquam demittit cum etiam nullus pons
ei sit magnificus: at *Lusus* contra altitudine, &
copia aquarum scatet, magnificentia olim pon-
tium potiebatur; quorum ruinæ nunc, qui, &
quanti fuerint, indicant. Solvit argumentum
Claramontius primo quidem, quoniam non ex
magnitudine limites, sed ex situ constituuntur,
quod si ex magnitudine ne *Padus* quidem tanta-
rum Regionum divisioni esset par. Respondet
secundo non esse illam inter *Lusum*, & *Pissatel-
lum* differentiam, quam ipsi præscribunt, esse-
que Amnem, non fossam, nec rivolum *Pissatel-
lum*, immo multos rivos accipere, cumque ple-
nus fluit non secus, ac olim Cæsari negotium
transeuntibus facit, ut paulo prius *Clementi* O-
ctavi etiamsi multa fecisset Civitas ad præcaven-
dum impedimentum. Retorquet præterea ar-
gumentum, ex pusillitate scilicet *Pissatelli* con-
tra deprehendi potius esse *Rubiconem*: describi-
tur is pusillus a Lucano.

Ut ventum parvi Rubiconis ad undas.

Item.

Fonte cadit modico parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon.

21 Et ponticulum, non pontem magnificum tribuit
Suetonius: at erat evasio *Portæ* dictum *Rubico-
nem* parvum a *Lucano* præ *Mosa*, & *Rheno*, a
quibus tum discedebat *Cæsar*. Sustulit evasio-
nem *Claramontius*, quoniam Poeta ibi ex sui per-
sona loquitur non ex persona Cæsaris; præterea-
que eam parvitatem describit, quæ pede quasi

A sicco in magno æstu transitur: quæ est absoluta
parvitas non ex collatione cum aliis Flumini-
bus. Ego nunc subjicio ex præmisso de *Pissatello*
fundamento non esse sesquiperticam latum, sed
quinque perticas, & amplius, & alicubi perti-
cas multo plures 12. Positionis itaque amor vi-
rum etiam gravem qualis *Clementinus* fuit, præ-
stringit. Est nona postrema ratio viri. *Rubico*
nascitur ex Alpibus *Apennino*, scilicet Lucanus.

Venerat Alpini parvum Rubiconis ad Amnem:
at *Pissatellus* non ex *Apennino* procedit, sed parum
supra montem *Cogoruzzium* nascitur. Solvit *Cla-
ramontius* respondendo nasci etiam ex *Apennino*
B *Pissatellum*, quoniam montes hi omnes sunt *A-
pennini* propagines, & *Lusus* etiam non nisi ex pro-
pagine nascitur, non enim ex jugo.

CAPUT III.

Rationes Portæ, *& solutiones per* Claramontium.

Nunc ad *Portæ* rationes accedamus, quas *Cla-
ramontius* adduxit pariter, & solvit. Pri-
ma ergo est in Epistola inserta Historiæ *Clemen-
tini*, est autem. Cæsar cum *Ravenna Ariminum*
C adivit non transivit per Civitatem *Cæsenæ*, ergo
Rubico non pertinet ad *Cæsenam*. Solvit *Clara-
montius*, negando consequentiam. Non transi-
vit Cæsar *Cæsena*, ergo *Rubico* non pertinet ad
Cæsenam. *Tiberis* scilicet pertinet sane ad *Ro-
mam*, at quod vada is habet per quæ transitur à
non transeuntibus per Urbem? neque etiam nos
(inquit *Claramontius*) dicimus tunc *Cæsarem* per
hanc Civitatem transiisse, sed propius Mare.
Secunda ratio *Portæ*. *Cæsar* sub auroræ initio
ad *Rubiconis* ripam pervenit, inde vero ante So-
lis ortum *Ariminum* cepit, oportet ergo *Rubico-
nem* propiorem esse *Arimino*, quam *Pissatellus*
sit, *Pissatellus* enim abest *Arimino* milliariis 18.
D probat autem pervenisse Cæsarem ad *Rubiconis* 22
ripam sub initio auroræ ex verbis *Suetonii*, quæ
sunt. *Ad lucem duce reperto per angustissimos tra-
mites pedibus evasit*. Respondet *Claramontius*, ad
lucem non significare *Suetonio* auroram, sed lu-
cem manu, & arte excitatam: opponique ver-
bis prope elapsis. *Cum luminibus extinctis deces-
sisset diu errabundus*. Erant lumina extincta faces
quocirca ibi (ad lucem) lux quoque factitiam
significat non diurnam. Nec si conciliandi sunt
Plutarchus, & *Suetonius*, aliter conciliari pos-
sunt; quoniam vero asserit *Porta* Cæsarem per-
E transisse *Rubiconem* circa finem Martii. *Clara-
montius* ostendit falsitatem dicti ex Ciceronis *E-
pistolis ad Atticum*; ex quibus constat *Pompejum*
ex *Italia* a Cæsare pulsum die 15. Martii, & per-
transisse *Rubiconem* die circiter 13. Januarii vi-
deatur Apparatus *Claramontii*, ubi hæc plenius
cum aliis quoque junctis traduntur. Tertia ratio
Portæ est ex loco Plinii ibi. *Ariminum Colonia
cum Amnibus Arimino, Aprusa hinc Rubicon quon-
dam finis Italiæ, ab eo Sapis, & Vitis, & Ane-
mo*. Adducit pro se locum *Porta*, quasi *Apru-
sa* sit *Ausa*, nunc, & *Rubico* Lusus. Solvit *Cla-
F ramontius* ex *Porta* ipso: is enim post Epistolam
in qua argumentum illud afferebat, in opusculo
adversus supplementum Chronicorum *Veruculi*
mutata sententia testatur *Lusum* a *Plinio* non si-
gnificari *Rubiconis*, sed *Plusæ* nomine; deinde re-
torquet argumentum modo a me exposito, &
inducto in argumento supra ex eo ipso *Plinii* lo-
co adversus *Ariminenses*. Quarta ratio *Portæ* est
ex contractu *Maltaleonis*, qui vendidit *Malatestæ*
pretio centum aureorum quicquid habebat in
Castro Scorticatæ, & ejus circiter Flumen *Ma-
riculæ*, & Flumen *Rubiconis* usque ad Castrum
Solia-

Soliani. Quasi ergo vendiderit tum *Maltaleo* non quicquid habebat, sed quicquid jacebat in eo tractu, arguit *Rubiconem* esse *Lusum*, secus si esset *Pisſatellus* nimis magnus tractus centum solis aureis vænisset. At verba tamen sunt in relatione ipsa *Portæ* (quicquid habeo.) Respondet *Claramontius* ridiculam esse interpretationem, (quicquid jacet) pro eo quod est (quicquid habeo) præterea neque si quicquid jacet inter *Mariculam*, & *Lusum* interpretaremur tractus ejusmodi solis centum nummis væniret æstimareturve, ut ibi latius
23 *Claramontius* deducit. Mirum est in cujusvis animum præsertim literati hominis levem adeo rationem cadere. Quinta ratio ejus ex *Frizolii* versu. Non infimus accola *Plusæ*. Inde enim ducit *Plusam* esse *Rubiconem*, & deductio est immo potius extorta expositio. Cum *Frizolius* natus fuerit in pago, quem alluit *Plusa*, tum dicere Poëtam etiamsi natus sit in humili loco non esse tamen infimum hominem, quia *Pagus* alluitur a *Plusa*, & *Plusa* est celebris cum sit *Rubico*. Solvit *Claramontius* cum protestatione (si opus sit solvere) cur enim opus solutione ubi nulla est ratio, sed commentitia interpretatio? Quis enim non agnoscit *Germanum* sensum *Frizolii* se inter suos conterraneos conspicuum, ortu, & conditione esse? Peccasset (dicit *Claramontius*) Poëta si ex *Rubiconis* nomine suas laudes ducere intendisset, reticendo *Rubiconem*, ex quo pendebat honor, & dicendo *Plusam* nomen inglorium; contra enim documentum *Aristotelis* fecisset ex *Simonidis* exemplo ductum, qui laudaturus mulas filias velocium Equorum; vituperaturus, filias Asinorum vocavit. Sexta ratio est ex *Areosto*, qui ad laudem *Geneuræ Malatestæ* tum *Arimini* Principis. Si (inquit) tum *Arimini* fuisset cum Cæsar *Rubiconem* transiturus hærebat, facile placasset hominem, ergo *Rubico* est *Lusus*. Respondet *Claramontius* quærendo num sit ejusmodi consequentia, vel respicienda, cur etiam si *Pissatellus* fuisset *Rubico*, non potuisset placidum reddere hominem, & mitem facere, ac conciliare Patriæ? Nonne eadem ibi fuisset Heroinæ illius pulchritudo suadela, & venustas?

FINIS SECUNDÆ SECTIONIS.

---

24 SECTIO TERTIA.

Hypodidascali cujusdam Replicatio pro Ariminensibus *excutitur quantumque incrementum injustitia progressus ex ea sumpserit aperitur in quatuordecim Capita scinditur.*

CAPUT I.

Æ sunt rationes, quibus recentiores *Ariminenses* utuntur pro sententia sua confirmanda adversus antiquissimam tot testimoniis gravissimorum Scriptorum vallatam, qui disertis verbis *Pissatellum* esse *Rubiconem* antiquum, vel verbis idipsum necessario importantibus asseverarunt cum ne unus quidem *Lusum Rubiconem* esse dixerit præter *Ariminenses* hos posteriores, qui in dicendo in eas se tricas indant ut vel inviti ad contrariam sententiam trahantur. Levitas etiam rationum, quas loco testimoniorum adducunt, plane constitit, mirum sane est non destitisse post explanatam adeo veritatem a deplorata causa catos alioquin homines, nec inanem laudem quærere, cum præsertim solidis eorum Civitas laudibus abundet. Sed quid dixerim laudem apparentem nunc ab ipsis quæri? immo ad detractio-
25 nem potius laudis certant, nam longius a se fines habere Civitatem est dignitatis, & potentiæ; propius autem habere est impotentiæ, & obscuritatis. Attamen loco, quiescendi emissarium immiserunt cujus certe humilitas neque eligentium dignitati conveniebat neque eorum in quos eligebatur gravitati. Superat is vanitate dictorum superiorum Scriptorum longe debilitatem, sed defectum veritatis, & doctrinæ compensant excessu immodestiæ, & maledicentiæ. Dixerim facile invectivam, & libellum famosum potius quam ex adverso disputationem ut magis sit indicanda temeritas, quam refutanda, quæ nulla est doctrina. Hanc ego Provinciam suscipio adversus ignobilem Scriptorem cujus nomini semper, an chartæ parcam: ex ejus olim professione Hypodidascalum vocabo, postquam *Scipio* dedignatur antagonistam in agone *Scipioni Vincentius*, olim succedet. propositum meum præsertim erit ostendere proterviam disputationis adversæ nedum falsitatem: si enim falsa sit disputatio non tamen semper est proterva? At si proterva semper falsa. Primo autem conditiones protervæ disputationis ex *Aristotele* ipso notabo, postea eas convenire Replicationi Hypodidascali, omnes singulatim ostendam.

CAPUT II.

Quæ sit proterva disputatio ejusque conditiones: quæ præsenti applicantur.

Aristoteles, qui cum in reliquis disciplinis alios, in Logica se ipsum superavit iniquam, & protervam disputationem non semel describit, & damnat; conditiones protervæ disputationis has ipse præ cæteris refert. Occultationem, quæ scilicet ad involvendam veritatem pertinet, audaciam in concludendo, cum nulla sit vis concludendi, impudentiam, perversionem methodi in respondendo; permissis scilicet antea rationis propositionibus negare deinceps conclusionem: occultationis autem elementa sophistica prolixas, ira & contentio. Verba *Aristotelis* de singulis his conditionibus sunt. De prolixitate. *Prolongare* (inquit,) *& interponere, quæ nullo sunt usui ad orationem quemadmodum pseudographia utentes*. De 26
impudentia. *Et circa omnia* (inquit) *impudentem esse*. De audacia autem in concludendo, cum nulla est vis concludendi hæc habet. *Maxime sophistica calumnia interrogantium cum nihil colligentes non interrogationem faciunt id quod est ultimum, sed concludentes dicunt veluti colligentes: non igitur hoc & hoc*. De perversione autem methodi. *Nam protervi* (inquit) *maxime prima admittunt, nisi omnino manifestum est quod sequuturum est in fine autem proterviunt*. His conditionibus abunde insigniri Replicationem, jam ostendam. Replicatio hæc in tres partes distinguitur ab ipso, vel Autore in velitationem, ita is vocat, quæ primis decem paginis continentur, in considerationem ra-

rationum *Cæsenatum*, & in confirmationem rationum *Ariminensium* adversus solutiones *Claramontii*.

CAPUT III.

Ad primam velitationem Hypodidascali, quæ consistit in jurgiis adversus Civitatem.

In velitatione primordium sumit a jurgiis in *Cæsenam*, in quam perpetuo scribit; non in *Claramontium* Scriptorem, sed in Civitatem scriptam stylum torsit. Deponere grallas, abluere faciem a cerussa, & minio; cavere sibi ab afflictis a *Claramontio* laudibus severe monet. Ego contra monebo ipsum tantam deponere audaciam. Num convenit homuncioni qui rudimenta suæ juventutis posuit in præstando pueris ducatu Civitatem Civibus Illustrissimis florentem, quos vereretur ipse adire, non ut injuriose compellere auderet, contumeliis insuper afficere? At erunt forte ex Civibus, qui contumelias rependant; non est id meum: at mitius respondeo. Si qui incedunt grallis, eminent, nonnullas habet grallas *Cæsena*: habet enim Gymnasium publicum omnium scientiarum, & facultatum, ex quo multi etiam exteri docti evadunt, & Doctoratus lau-
27 rea insignes: Habet Hastiludium, cui in universa *Italia* par non reperias. Habet præterea naturales dotes, quæ junctæ non facile, nec passim reperiuntur: agrum scilicet habet uberem, frumenti, vini, & reliquorum fructuum fæcundum, sed salis insuper, & sulphuris, cui pretiosi metalli venas annexas adesse, non injuria creditur. Sunt hæ grallæ, quas a modestia mea exprομit aliena contumelia. Quoad fucum autem, & cerussam, & minium frustra est admonitio; ne mulieres quidem *Cæsenates* nuptæ, aut innuptæ genas inficiunt: sunt ipsæ suo colore contentæ, tanto minus universa Civitas. At potius deberet Scriptor exuere, animum livore, & frontem ferrea duritie, qui in hac eadem compellatione audet tribuere novitatem *Pissatello* appellationis *Rubiconis*, cum sit antiquissima, & contra *Luso* novissima, & hæc intra paucos *Ariminenses*; illa usque ad *Græcos*, & *Germanos*, ad *Gallos*, ad *Hispanos*, nedum ad dissitos *Italos*, fusa. At sunt hæc mendacia præludia plurimorum, quæ consequentur pudendorum mendaciorum.

CAPUT IV.


Ad secundam velitationem, quæ est adversus primam Apparatus Claramontii partem.

Secunda velitatio est adversus primam partem Apparatus *Claramontii*, in qua ipse ostendit *Senam* antiquam *Umbrorum* esse *Cæsenam* ex authoritate *Strabonis*, qui Oppidum inter *Faventiam*, & *Ariminum* prope *Isapim*, & *Rubiconem* *Senam*, *Sinam*ve vocat, quod Oppidum procul dubio illud est, quod modo *Cæsenam* dicimus: ex authoritate *Polybii*, & ex authoritate *Livii*, idem demonstrat. Hanc sententiam vellicat, ceu per transennam Hypodidascalus: sed certe stataria pugna non velitatione opus erat ad evertendam sententiam firmissimis rationibus stabilitam, quam tamen temere (sunt enim sociæ individuæ temeritas, & ignorantia) chimæram vocat; Unicam
28 solum *Claramontii* rationem attingit, quam ex *Polybio* is adducit. Constituit *Polybius* triangulum ex *Apennini*, & *Alpium* jugis a *Gallia*, & *Germania* *Italiam* dividentibus, inter seque ad angulum junctis, & ex *Veneto* littore, ut basi.

A In anguloque ad basim australi *Senam* collocat. Hunc esse situm *Cæsenæ* *Claramontius* demonstrat ostendendo latus venetum qua cum *Apennino* proxime jungitur habere ibi *Cæsenam*. Demonstrationem non discutit; vellicat tamen ex authoritate ejusdem *Strabonis*, planitiem *Italiæ* magnam ad *Anconam* usque extendentis. Adducit verba *Strabonis* latine versa non usque quaque respondentia græcis: at quadret versio, tamen sensus aperitur *Strabonis* ex verbis, quæ subjungit, quæ etiam reponit oppositor ipse. Sunt verba *Strabonis* ab oppositore relata. *Subjacet statim Alpibus planities insignis bis mille, ac centum stadiorum*
B *longitudine, ac latitudine ferme æquali, cujus meridionale latus littore Venetorum, & Apennini jugis ad Ariminum, & Anconam usque porrectis includitur*, mox; *atque his finibus Gallia Cisalpina includitur.* Hæc *Strabo* ex versione, quam sequitur Hypodidascalus, qua versione etiam interim admissa constat ibi a *Strabone* non terminari solum triangulum *Polybianum*: sed universam *Galliam Cisalpinam*, ut totam Regionem *Senonum* includit; quo etiam modo *Senonum* Regio usque Ad *Anconam* describitur: nulla ergo inter *Polybium*, & *Strabonem* dissensio: quia non eadem terminant, neque ad eadem sistitur eorum terminatio.
C Confirmatio ex oppositoris doctrina: vult enim *Apennini* tractum terminantem dictam planitiem esse, trium millium, & quingentorum stadiorum quomodo tractus usque ad *Anconam* posset esse solum duorum millium, & centum stadiorum, ut hic ex *Strabone* refert? Cogor agnoscere in hoc homine indolem ad pauca respiciendi; non terminari autem in adducta descriptione *Lombardiæ* planitiem magnosque *Italiæ* campos clarissime apparet, eo quod post multa, & post communem eam descriptionem ad singulas particulatim descendens, eandem planitiem arctius terminat. Verba sunt. *Hæc igitur de universa*
D *hujus ætatis Italia, talem in formam dicta sunt; denuo autem singula suscipientes dicere de singulis particulatim conabimur, & ante omnia de subjecta Al-* 29
pibus Regione dicemus. Est autem felix admodum campus, & fructuosis Collibus varius. Hunc medium fere Padus dividit; eaque Regio hinc Cisalpina, hinc Transpadana dicitur; Cispadana quidem montibus adjacet, atque Liguriæ. Hæc ille, ex quibus patet oram, & tractum ab *Arimino* ad *Anconam* non contineri in eo campo, non enim *Cispadanum* eum tractum quis vocet præterquam quod *Cispadanum* ad montes, & *Liguriam* coarctatur a quo situ tractus idem abest. Ex *Poly-*
E *bio* secundo loco instat, qui dicit ab angulo trianguli, quem Alpes cum *Apennino* continent esse tria millia, & quingenta stadia. Convenit prorsus, & aptatur ea longitudo distantiæ ab angulo illo ad *Senogalliam*: at distantiæ ab eodem angulo ad *Cæsenam* desunt quingenta, & sexaginta stadia: fateor me imparem fuisse examini rationis: non enim mathematicas tetigi, sed consului hominem mathematicarum peritum. Subrisit is, responditque non rectam suggessisse doctrinam, qui Hypodidascalo eam indigitavit. Facile enim præmonstrator circino dimensus est tabulas, quas ex gradibus confectas non ex scala
F la dimetiri oportet, quæ solum dimensio in iconographia, pertica dimensa locum habet: sed oportet ex trigonometria dimensionem deducere. Rogatus itaque a me ut ipse mensuram ejusmodi trigonometricam ostenderet, hanc exhibuit.

Polybius trianguli, quo campos maximos nunc scilicet Lombardiæ vocatos comprehendit, tria latera facit, alterum tractum Alpium, alterum tractum Apennini ab eodem Alpium initio ubi ad angulum conjun-

guntur, non longe inquit a Mari Sardoo supra Massiliam usque ad Senam Civitatem, tertium latus ac basis trianguli est littus Venetum. Quaeritur nunc quot stadiorum sit latus ab angulo dicto Alpium, & Apennini, & à principio scilicet Italiae ad Senogalliam. Ptolemaeus initium ejusmodi facit graduum secundum longitudinem 27. 30. *& secundum latitudinem grad.* 43. *quot erat principium Italiae. Sit ergo polus Mundi A. locus principii Italiae B. locus Senogalliae C. ductique intelligantur arcus circulorum maximorum AB. AC. erit AB. complementum latitudinis ipsius B. grad. scilicet* 43. *adeoque erit AB. grad.* 47. *& totidem erit AC. angulus autem BAC. est grad.* 8. 30. *differentia scilicet longitudinis grad.*

30 

27. 30. *& grad.* 36. *quaeritur arcus BC. distantia locorum. Secetur bifariam BC. in D. & intelligatur ductus arcus maximus AD. qui secabit pariter bifariam angulum BAC. facietque ambos angulos ADC. ADB. rectos itaque BAD. angulus est grad.* 4. 15. *dimidium scilicet grad.* 8. 30. *in triangulo itaque sphaerico rectangulo in quo angulus alter acutus datur BAD. & latus AB. subtendens angulum rectum quaeritur arcus BD. oppositus angulo dato. Ex canone ergo trigonometrico ita procedetur. Sinus totus adeoque sinus anguli recti ADB. est* 100000. *arcus AB. grad.* 47. *sinus est* 73135. *sinus anguli BAD. grad.* 4. 15. *est.* 7411. *erunt termini, & dispositio aureae regulae.*

1. *termin.* 2. *termin.* 3. *termin.* 4. *termin. inventus.*
100000. 73135. 7411. 5420.

Est hic sinus arcus BD. qui idcirco est grad. 3. 6. 24. *totus ergo arcus BC. est grad.* 6. 12. 48. *videamus nunc quot stadiorum sint grad.* 6. 12. 48. *Aristoteles singulis gradibus tribuit stadia quatuor. Hiparcus stadia* 769. *Eratostenes stadia* 700. *reliquorum sententiae de numero stadiorum singulis gradibus tribuendorum, ut multo Polybio posteriores non sunt in hoc*
4348 *calculo adhibendae. Accipiendo autem mini-*
3060 *mam, quae est stadiorum* 700. *in singulos*
—— *gradus erunt grad.* 6. 12. 48. *stadia* 4348.
1288 *plura scilicet distantia usque ad Senam stadiis* 1188. *ut in margine: distantia enim usque ad Senam erat studiorum* 3060. *tantum abest, ut adamussim distantia Polybiana Senogalliae quadret.*

Quaerat itaque Hypodidascalus alias peritiorem magistrum. Admiratus est etiam idem consultor meus ineptiam mathematicam in illis verbis Hypodidascali contentam. *Tum quia diametro hujus curvitatis, quae a rectitudine excidit, occupat quasi sexcenta, & quadraginta stadia, & idcirco linea recta ab Caesena ad Tergestem vix longa esset mille, & quinquaginta stadiis.* Dixit ergo videri portentum in mathematicis: curvitatem esse stadiorum 640. & rectam lineam esse stadiorum 1050. inter principia enim *Archimedis* est curvam lineam esse majorem recta, a qua subtenditur. Postremo cum legi ei illa alia verba (nec
31 officit triangulo si una linea sit curva; constabit enim ex duobus angulis mistis) reprehendit dictum asserens cum triangulum simpliciter dicitur esse ex tribus lineis rectis, ut ipsum definit *Euclides*; cum vero est ex curvis ut triangula sphaerica, tum non nisi cum sphaerici additione triangulum dici. Idem si misceantur lineae rectae, & curva, dicitur enim tum triangulum mistum, sicut illud sphaericum. Sed omisso alieno colloquio, ad tertiam objectionem venio. Opponit is authoritatem, & opinionem *Brissii Claramontio*, exponit *Brissius* vocem *Senae*, vel *Sinae* in *Caesenam* mutando, & suffragatores habet *Aldum*, & *Casarium*, respondeo primum nos non com-

A ponere in literis *Claramontium*, & *Brissium*, qui Aulae inservivit, non studiis, neque id toleraret *Brissius* qui quae in ea ad *Clementem* relatione de politia *Caesenae* scripsit, a *Claramontio* habuit. Respondeo secundo *Claramontium* in eadem Historia occurrisse *Brissio*, & ostendisse falsa pietate erga Patriam adductum errasse. Est responsio *Claramontii* ex vi codicis graeci, in quo legitur semel Καὶ at oporteret bis legi si *Caesena*, non *Sena* esset vertenda. Videatur locus in annotatione ad quartum librum Historiae, quod idem opponitur *Aldo*, & *Casario*: idem objecit *Casaubono* in Epistola hac sua de re, quae forsan im-
B primetur. Objicit Epitaphium *Lucretii*, in quo *Caesena*, non *Sena* nominatur Civitas haec cujus ipse ponitur Civis. Respondeo suspectum fuisse praenomen *Auli Claramontio*, ut ipsemet profitetur, eo quod praenomen *Lucretii* Poetae celebris sit *Titus* non *Aulus*: attamen non renuit ejusmodi Civem, si quis eum insinuet *Claramontius*, neque id repugnat opinioni de nomine *Senae*; oporteret enim post restitutionem ejus floruisse ejusmodi Poetam, cujus tamen nulla nunc extant opera. Objicit demum Hypodidascalus *Senam* fuisse maritimam, & *Caesenam* esse mediterraneam. Sed quaero ego cum termi-
C nus is littoris *Veneti* sit in territorio, & agro *Caesenate* vix octo millibus passibus a Civitate remotus, utrum *Senae* potuisset immo debuisset tribui? Est is terminus angulus ille, quem memorat Strabo *lib.* v. non multum a principio. *Eundem in modum* (inquit) *se habere arbitror sinus Adriatici latus, & Iapigiae cum enim invicem coincidant ad Ravennae & Arimini locos, angulum efficiunt, &c.* Describit ergo angulum, qui est terminus littoris 32
Veneti, latius inter *Ariminum*, & *Ravennam*; quem distinctius *Polybius* ad locum *Senae* restrinxit. Huc illud recidit vulgatum. Qui est de
D vico dicitur de Urbe. Memorat plures contrarium de *Sena* sentientes, qui *Senogalliam* non *Caesenam* eam faciunt. Sed est hoc confirmare non infirmare dictum *Claramontii*, qui in Apparatu haec dicit. *Et quoniam in aliam ferme sententiam reliqui Scriptores abeunt, idcirco diligenter excutiam, &c.* Rationibus nititur non testimoniis *Claramontius*, quae rationes adhuc a nemine solutae sunt; alteram ex his vellicavit non solvit Hypodidascalus. Haec alia dicta ejus subjicio. Corrigit *Claramontium*, qui adducit *Livium* dicentem *Senones* ab *Athesi* ad *Usentem* occupasse. Ipse ex *Sigonio* corrigit ab *Aesi* ad *Utentem*. At *Sci-*
E *pio* usus est *Livio* accuratissime a viris doctis expurgato, & multa cum diligentia, & ornamentis *Francofurti ad Maenum impresso* 1568. At *Ufens* (inquit Hypodidascalus) est *Campaniae*; *Athesis* ad *Venetos* spectat. Et *Senones* (inquam ego) ad *Campaniam* usque in bellis adversus *Romam* perrexere immo, & ibi morati sunt ex *Livio*. Et quoad *Athesim* fuere ipsis confines *Venetis*, adversus quos ob id bellum gessere; & ad ejusmodi bellum gerendum *Roma* discessere secundum *Polybium*: unde dum de locis occupatis agitur non bene corrigit *Sigonius*; de iis autem,
F quae diuturniore imperio possedere nomenque iis dedere, non male dicit.

Indigetat deinde *Claramontio* locum *Servii* dicentis in agro *Gallico Celsenam* fuisse, quae nunc bona dicitur. *Si locum* (inquit) *Claramontius vidisset facile altiore methodo Bononiam ad Caesenatum jura redigisset.* En Hypodidascala superbia erga gravem Scriptorem, & solidum, quem ut inanem eludit, & quae viderit, & legerit longaevus homo perpetuo studiis occupatus ex suis degener studiis metitur. At illud, quod ex *Barclavio* adducit *Italis* semper vitio datum amplificare

care propria ſupra cæterorum fortunam, & famam, confirmarem ego exemplo illorum *Ariminenſium*, qui abſque teſte ullo, abſque ratione ulla ſolida, ſed meris affaniis Flumen ſibi antiquum novitio conatu contra antiquiſſimam, & juſtiſſimam aliorum poſſeſſionem vendicare contendunt.

33 *Cethegus* mæchos accuſat.

Et quoniam auſus eſt de Hiſtoria *Claramontii* ſummo veritatis ſtudio ab illo exarata ea immodeſtiſſima verba proferre. *Qui* (Claramontius) *tot tricas, apinaſque ad unam tui ac Cæſenæ Hiſtoriam congeſſit.* Placet compeſcere os impurum non offa, ſed literis Ampliſſimi Cardinalis *Spatæ*, qui, cum ſit hujus provinciæ feliciſſimus partus, & ſingulare in omne ævum ornamentum, hoc de eadem hiſtoria protulit judicium in literis ad *Cæſenæ* Conſervatores.

Molto Illuſt. Signori. *M'è ſtato ſopra modo caro il volume dell' Hiſtoria Ceſenate reſami da Monſign. Albizi per parte delle S. S. V. V. con le quali mi rallegro, ch'argomento così glorioſo a coteſta Citta habbia trouato frà Cittadini una penna coſi erudita, che la tratti, & un nome così accreditato che l'authoreggi. Io n'hò già letto la maggior parte, commio particulariſſimo guſto, e mi gioua di credere, che con non diverſo ſentimento ſarà letto anco da ogn'altro, e masſimamente da noſtri Conprovinciali, che vi ſono, & in univerſale, & in particolare largamente intereſſati: reſta ch'io ringratii, come faccio le S. S. V. V. e le confermi la mia ſolita diſpoſitione a corriſpondere ſempre al loro affetto.*

Roma il di 3. *Aprile* 1641.

D. V. V. S. S.

Affetionatiſſimo
Il Cardinal Spada.

CAPUT V.

Tranſitur ad impugnationem ſecundæ partis Apparatus Claramontii ab Hypodidaſcalo.

Expleta velitatione ad ſtatariam jam pugnam devenit, de *Rubicone* ſcilicet uter *Piſſatellus*, an *Luſus* fuerit eo nomine antiquitus apellatus. Ipſe nedum nomine *Rubiconis Piſſatellum* ſpoliat, ſed nomine Fluminis, immo plenioris Rivi, ad Foſſam agrorum contrahitur eos circundantem,
34 & a pluvialibus aquis per colliquias ſuſceptis defendentem, ac exſiccantem. Ex quo præmiſſo fundamento rationibus *Claramontii* pro *Piſſatello* reſpondet; deinde ſolutionibus rationum *Clementini*, & *Portæ* ab eodem *Claramontio* adhibitis occurrit. In tres particulas ſequens pars dividetur: in prima conſiderabimus, quæ ad exinaniendum *Piſſatellum* dicit; continebitur conſideratio hæc duobus capitibus ſcilicet hoc quinto, & ſexto: ſecundo loco expendemus reſponſiones ejus ad argumenta *Claramontii*, quæ pars continebitur capitibus ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, includetur in his expurgatio *Claramontii* a nonnullis hujus impoſturis. In tertia erunt Capita reliqua tria, ideſt duodecimum, decimum tertium, decimum quartum, in quo epilogus eſt Operis. De *Piſſatello* igitur ad eum extenuandum hæc enunciat eſſe ſcilicet privatum, carere alveo, eſſe foſſam manu factam quali circundantur agri, non ſervire niſi ad levandam ſitim pecudum, non habere pedes neque caput, ſcilicet neque fontem, neque oſtium, non habere aquas ſuas, ſed aliunde ductas, & coactas; dici autem ſordido vocabulo a mejentibus viatoribus deducto, non fluere inter *Ariminum*, & *Ravennam*. Laudibus his ornat Fluvium innocuum Hypodidaſcalus an potius Plagoſus Orbilius, ni ferula, lin-
A gua? At quod ab initio prædixi me monſtraturum, conditionibus protervæ diſputationis ſcatere hanc ejus Replicationem jam ſe prodit. Magna nunc impudentia eminet. Vidimus *Piſſatellum* patere in latitudinem quinque perticas, & prope ſemis in via ipſa *Romana*, ubi ponte hominibus conſpicuo paſſim tranſitur, in ſepto Moletrinæ *Tuſcorum* prope pontem lapideum quinque perticas, alibi vel multo plurium 12. perticarum eſſe ejus latitudinem, & hic audet in re conſpicua ſenſui dicere eſſe foſſam, & foſſatum manu factum. In re tam patente, tam audacter mentiri, qui quotuſque impudentiæ gradus eſt?
B Dicit carere alveo, non ſervire niſi ad levandam ſitim pecudum, qui tot molas unus vertit præterquam in ſummo æſtu (cum etiam *Sapis* interdum molæ valde remittuntur niſi prorſus feriantur) ſemper molunt: at tempore æſtivo menſe Augusti lacunis cannabim macerantibus ſemper aquam ſubminiſtrat. Non habere fontem dicit, 35
& duos habet, & hic tam duræ frontis eſt, ut ſenſu conſtare dicat ipſum ſine fonte eſſe. Publicæ locorum fides de ejus fonte ad calcem ponentur, interim audiamus ſecuritatem hominis in mentiendo: *Piſſatellus* (inquit) *abſque capite, hoc eſt fo...* , *ut oculis ipſis conjicere licet.* Num con-
C jicere licet id, cui ſenſus ipſe repugnat? ſomniare id licet, & effutire homini quid dicat (modo dicat) nihil penſi facienti. Habet pariter aquas ſuas *Piſſatellus*, quæ ſcilicet ex ejus fontibus naſcuntur: at habet etiam inſtar Fluminum nobilium aliunde influentes Rivos *Fazetum* ſcilicet, Rivum *Subrivolæ*, *Donigalliæ*, *Matalardum*, *Olcam*, *Rigoſſam*, *Butrium*. Ita *Padus Aduam*, *Ticinum*, *Tarum*, *Ollium*, & alios plurimos. In *Tiberim* influit *Nar*, *Annienis*, & alii multi minores fluvii; non quod magnitudinem tantorum fluminum æmuletur, ſed quod Fluminum indolem obtineat. Satis hæc ſunt ad tuendam digni-
D tatem, & denominationem Fluminis in *Piſſatello*, & hinc fallacia rationum, quibus contrarium concludit Hypodidaſcalus cernitur: ex veris enim falſum non concluditur: attamen ſeorſum eas ipſas rationes adducam, & conſiderabo. Interim dictorum nonnullorum, quæ interſeruntur ab adverſario, notabo errores, an malignitatem?

Deridet nomen *Piſſatelli*, etymologiam ex *Italica* voce *Piſcio*, pro urina, & lotio deducit, ſed moneo hominem dedecere Hypodidaſcalum qui jus libros edendi ſibi ſumit, nullam habere cognitionem prorſus linguæ *Græcæ*, intellexiſſet enim *Piſas* Πισάς *Græce* Fluentum, & *Piſæ* Πισάι
E irrigare, cumque *Græci* Exarchatus tempore ſint his partibus dominati, multa etiam vocabula reliquere. *Cerviæ* certe nomen *Phicocles Græcum* eſt. Ita ipſi celebre Flumen communi Fluviorum nomine, vel munere nominarunt: at ob parvitatem facile diminutivo ſunt uſi: nimirum *Piſation*, quod in *Piſſatellum* facile declinavit. Satis eſt certum, & hic diu imperaſſe *Græcos*, ducentis amplius annis, & nomina rebus aliquibus impoſuiſſe, & *Piſas*, & *Piſæ* ſignificare irrigationem, irrigareque ac fluere. Quæro ego ab inſtitutore juventutis impura vocabula præſertim repetita, ut in Epitaphio ad calcem utri ori ac-
F commodentur puro, an impuro?

Deridet, qui dixit *Piſſatellum* eſſe piſcoſum. 36
Fuit is *Maginus*, ut ipſe interpretatur. *Cachinnis* (inquit) *dignum ex arenti Piſſatello quemquam capi cupidine piſcium niſi forſan in lutulento imbre.* At nedum inquam ego in *Piſſatello* etiam claro piſces capiuntur: ſed in Rivo etiam *Donigalliæ*, qui in *Piſſatellum* influit parva licet portione præ totius Fluminis undis, aquarum.

Dicit non habere oſtium *Piſſatellum*, at quo-

quoniam de hoc in quadam hominis ratione examinanda dicendum est, illuc rejicio examen.

Caput VI.

Utrum Pissatellus sit Flumen, negat Hypodidascalus, ac refelluntur mendacia, quibus grassatur.

Rationes nunc Hypodidascali probantes *Pissatellum* non esse Flumen, non Fluvium, non Amnem (inter hæc differentiam ponit, licet quisque *Græce* eodem semper nomine dicatur Ποταμὸς at non immoror.) Ad hanc ergo ita propositam conclusionem probandam præmittit distinctionem Fluminum in perennia, & torrentia, quæ ad tempus fluunt: in publica, & privata: præmittit secundo Flumina constare ex aqua, & alveo, tum arguit primo.

Pissatellus non est perennis, ergo non est Flumen.

Pissatellus non habet alveum, ergo non est Flumen.

Ex prima ratione video Hypodidascalum carere logica omni: ex secunda carere fronte, vel habere ferream. Ipsemet distinguit Flumen in perenne, & non perenne cujusmodi est Torrens, & recte: est enim legis ipsius distinctio. Est ergo ex distinctione aliquod Flumen Torrens, ergo aliquis Torrens Flumen; convertitur enim particularis affirmativa in se ipsam: dum arguit vero *Pissatellum* non esse Flumen, quia est Torrens resolvitur necessario in hanc. Nullus Torrens est Flumen, *Pissatellus* est Torrens, ergo
37 *Pissatellus* non est Flumen. Major illa nullus Torrens est Flumen contradicit propositioni aliquis Torrens est Flumen: duas ergo propositiones sibi mutuo contradicentes in suo ratiocinio admittit. Subjungo modo ex legibus, quibus ipse utitur, probari *Pissatellum* esse Flumen perenne. Nam in *L.* 1. *ff. de Flumin.* §. Item cum Flumina diviserit in perennia, & in torrentia, postea declarans, quæ perennia, quæ torrentia, dicit. *Torrens est quod tantum hieme fluit, si tamen aliqua æstate exaruit, quod alioquin perenne fluebat non ideo minus perenne.* Hæc lex; quæ prorsus *Pissatello* ex supra descriptis conveniunt: non enim solum is hieme fluit, sed mense usque Augusti aquas ad macerandam cannabim subministrat, & molas nedum hieme, sed etiam mediis temporibus, Vere, & Autumno vertit nec interdum tota æstate cessat; ut prima ratio, & contradictionem implicet, & sit falsa minor ejus propositio.

Ad secundam venio, quæ mendacium impudens pro minore sumit, non habere scilicet *Pissatellum* alveum, quem latum perticas usque duodecim, & plus alicubi habet, & tantæ etiam latitudinis, ut moletrinæ septis egeant admodum firmis, & nunc Monachi D. *Benedicti* ad *D. Mariæ* in monte habitantes ad *Bagnarolam* septum olim ligneum a Flumine eversum, cum latericium condiderint millia aliquot aureorum impenderunt, & hic in mendaciis triumphans dicit aquam *Pissatelli* in sua plenitudine calcem peditis non superare. Num caret alveo Fluentum, quod septo firmo, & procero ad usum molæ eget, & incile præbet ad volvendas molas duas, & tres in eodem Pistrino sufficiens. Non possum non admirari hominis in evidentibus mendaciis securitatem: at ex statuto nostro omnia probat. Videamus pacate rationes, ut constet simul impudentia in asserendo, stupiditasque in interpretando.

Ad probandum ergo quod *Pissatellus* careat alveo Statutum nostrum adducit pag. 293. pono verba referentis, & verba relata, sunt autem. *Et*
A *primo quod spectat ad alveum Cæsenatum tuorum Statutis cautum fuit pag.* 293. *quod lectus Pissatelli cavetur; & reaptetur a Bagnarola usque ad mare, & ab inde supra, si opus fuerit, & si suprastantes dixerint expedire, & ab utraque parte dicti Pissatelli fiant, & fieri debeant argines magni, &* 83
alti per loca prædicta a latere versus Mesulam, & alias, ut suprastantibus pro utiliori hominum Cæsenæ convenire videbitur, & sint dicti argines ampli in fundo octo pedes ad pedem perticæ. Hæc sunt verba Statuti ab homine relata, & vere ita se habent, & hæc satis referenti fuere ad conclusionem probandam *Pissatellum* carere alveo cum ta-
B men satis superque sint ad probandum habere alveum, & esse Flumen non fossam. Flumen enim hujus lectum cavari, hoc est ut vulgo dicimus accuari jubetur, jam habet lectum, quod si ut Hypodidascalus interpretatur jussio ea respiceret, & imperaret tum alveum noviter excavari Fluento: quod scilicet omni alveo eo usque caruerit, non erat a *Bagnarola* solum usque ad Mare excavandus alveus, neque poterat ambigi in arbitrioque superstitum reponi, utrum supra *Bagnarolam* opus fuisset excavari. Num tractus ab initio Fluenti usque ad *Bagnarolam* debebat per terræ summam superficiem fluere? tantum
C itaque aquæ, quæ nondum receptis Rivis *Donigalliæ*, *Matalardi*, *Olchæ* sufficit tribus nunc moletrinis, & suffecit antea bis tribus, nullis coercita ripis tot antea seculis evagata esset? Habebat ergo lectum *Pissatellus* tum, neque noviter fieri, sed profundiorem fieri ea in parte in qua jam plenior aquis ex plurium Rivorum influxu, egrediebatur ripis, proindeque aggeribus muniri jubebat Statutum; ut verba ipsa contrariæ conclusionis admonere debuissent hominem, quem stupor non occupasset. Addo nunc pro iis, quæ dicturus est postea apparere ex iisdem verbis cum aggeres tam altos, & latos imperent, num *Pis-*
D *satellus* sit fossa, fossatumve, ut hujus verba reponam cujus tanti esse debeant aggeres. Quis fando audierit fossam prædiorum aggeribus ejusmodi muniri? Nos ex *Sapi* inciles ducimus satis amplos, qui deserviant tribus moletrinis admodum amplis, & nullum aggerem obtinent, quanto minus qui agris ad pluviales aquas suscipiendas destinantur? Quoniam vero ejus assertio continebat *Pissatellum* carere alveo, & aqua postquam de alveo dixit ad tollendam, eripiendamque eidem fluento aquam rursus Statutum adducit, ejusque verba pag. 103. *Quod D. Vicarius, & Anciani, qui pro tempore fuerint teneantur, & de-*
E *beant mittere, seu mitti facere flumen Sapis, seu partem dicti Fluminis in Pissatellum per eum locum,* 39
qui magis videbitur conveniens esse magistris, & aliis, qui tunc temporis fuerint electi ad dictum opus faciendum. Subjungit verba ejusdem Statuti pag. 292. *Statuimus, & ordinamus quod ad evitandum damna, & gravia quæ per aquam fossæ Lupariæ, seu Regossæ continue inferuntur quod per D. Vicarium, qui pro tempore fuerit, & D. Antianos eligantur boni, & idonei Officiales, qui videant ut prædicta aqua possit conduci in lecto, seu loco unde decurrit modo a Pissatello incipiendo a Trivio de fantis, & ducendo per viam de Malanocte usque in le-*
F *ctum Pissatelli prædicti.* Eadem pagina ordinat, & statuit quod mittatur Rivus *Matalardi*, ita quod fluat, & labatur aqua in *Pissatellum* pag. 292. cap. supra citato. *Illud etiam statuendo declaramus, quod clavicæ de petra fiant Rivis, & ductores aquarum, quæ congrue decurrere possunt in ipsum Pissatellum per Comitatum Cæsenæ.* Nec non pag. 294. *Statuit, & ordinat, quod mittatur, & fodiatve, ut reparetur ubi necesse fuerit, & utile Rivus Manzanibii per homines habentes pos-*
ses-

ſeſſiones ſupra dictum Rivum capiendo de Lavezolo
lectum ejus, & curſum conſuetum, & trahendo uſ-
que in viam Caſtri Piſſatelli, & ducendo uſque ad
Montale, deinde derivando Piſſatellum. Cum tot
recenſuerit ex Statutis noſtris erat inferendum
jam id quod ſumpſerat in minore ſua, carere aqua
Piſſatellum: at hanc aliam colligit. *Quid autem*
eſſe cauſæ dixerim cur tam multiplici cautione Cæſe-
nates hanc Piſſatelli foſſam perpetuis quidem, ſed
invitis aquis refertam velint, niſi ut ea ad levandam
pecudum ſitim ſufficiat? Sed jam in principio hujus
Sectionis anticipavi hanc hominis calumniam,
oſtendique fatuitatem, nunc repetam ad extor-
quendum hoc fundamentum, cui præſertim in-
nituntur. Immitti ergo, & fluere in *Piſſatellum*
Rivos, idque curæ eſſe, & præſertim de Rivis,
qui aquis ſuis agris nocent, niſi intra alveum
coerceantur, eſt argumentum pro *Piſſatello*, quod
ſit capax nominis Fluminis; primum ut dixi quo-
niam eſt indoles Fluviorum ſuſcipere multorum
Fluentorum aquas: de *Pado*, & de *Tiberi* dixi.
Secundo ex ratione nota prudenti cuique homi-
ni; Fluenta ſcilicet omnia demum aut per ſe,
aut per alia influere in Mare: at minora Fluenta
ſi per ſe in Mare fluerent, oſtium tueri non poſ-
40 ſent: etenim arenis facile obſtruerentur: vide-
mus Portus noſtrates *Cerviæ*, & *Cæſenæ* non niſi
multa cura, ſtudio, & impenſis vix cuſtodiri ne
obſtruantur, & idcirco natura ſua providentia
plerumque at interdum etiam Civitates arte, mi-
nora Fluenta in majora, Flumina ſcilicet immit-
tunt: eaque fuit, & eſt *Cæſenæ* cura, ut in ter-
ritorio ſuo Rivi in Flumina quoad fieri poteſt
decurrant. Sed reſponſionem reſtringendo in
Fluentum aliquod plura alia Fluenta exonerari,
& defluere eſt magnitudinis non exiguitatis in ſu-
ſcipiente argumentum, ut congregaſſe tot juſſa
ad id Civitatis noſtræ retorqueatur in ipſum-
met Hypodidaſcalum. At intelligemus, eſſe illi
hoc familiare peccatum iis pro ſe uti, quæ con-
tra illum faciunt: at videamus locum Statuti ex
quo colligit finem Civitatis in impedimentis au-
ferendis omnibus, & obicibus ut Rivi habeant
expeditum in *Piſſatellum* ingreſſum, eum unum
eſſe ut pecudes bibant. Eſt autem pag. 296. *San-*
citur quod manu teneantur duo vadi, qui intrent in
Piſſadellum ab utroque latere unus ad Sanctum Pe-
regrinum, alius ſuper cararia de Vignolo, ubi uti-
liores fuerint, ità quod Beſtiæ vadant ad bibendum
in Piſſadellum. Subnectit his verbis epiphone-
ma Redargutor. *Dignum ſane* (inquit) *inſtitu-*
tum ut ſibi emendicatis immo undique corraſis aquis
non fluat niſi ad pecudum ſitim. Cur non potius
tua iſthæc oratio Hypodidaſcale tibi eſt, non Flu-
mini dedecori? Imperitum te prorſus logicæ o-
ſtendit, quæ enim conſequentia. Curat *Cæſena*,
ut pecudes poſſint in *Piſſatello* explere ſitim, er-
go unus fuit finis in *Rubicone* curando ut pecudes
ibi potarent: at præter hujuſmodi beneficium
non ne vidimus tot locis conficiendæ farinæ de-
ſervire, cannabi immo, & lino macerandis, ſe-
cumque ducendis aquis aliorum Rivorum, quæ
ſecus ſata vaſtarent, & alicubi ſtagnarent aerem
inficiendo, & quoniam deridet, ut degenere
conſilium Civitatis in conſulendo pecudibus non
vidit ergo hic Sciolus cauſam belli inter *Gallos*,
& *Hiſpanos* fuiſſe poſt diviſionem Regni *Neapoli-*
tani ex paſcuo pecudum.

At ſubjungit demum non habere oſtium *Piſſa-*
tellum, quia in alium Fluvium inſertum in mare
vadit non ſuo ipſe oſtio.

Verum ſi ex eo quod oſtium non habet ſuum
41 in Mare colligeret argumentator, non eſſe Flu-
men *Piſſatellum*, neque *Adua*, neque *Ticinum*,
neque *Mincius*, & quicunque demum Fluvii in
A *Padum* decurrunt non eſſent Flumina: non *Nar*,
non *Annienis*, non quicunque in *Tiberim* fluunt,
non *Rhenus Bononienſis*, non *Panarus*, &c. ſed
neque verum eſt carere oſtio *Piſſatellum*, verum
Flumen *Sabiniani* ipſum eſt quod oſtio *Piſſatelli*
utitur. Unico nunc teſte utor *Hieronymo Ruſcello*
in pluribus ſcientiis verſato, & præſertim erudi-
to viro in verſione *Ptolemæi*, in quem quaſdam
annotationes ſcribit oſtium *Rubiconis* a *Ptolemæo*
memoratum vertit ipſe *Fiumicino*, quo circa illud
oſtium nunc *Fiumicino* vocatum *Rubiconi* tribuit
non certe *Luſo*, quoniam in illo oſtio nullum
commercium habet; *Piſſatellus* habet, Flumen-
B que *Sabiniani*, verum Flumen *Sabiniani* ab *Ari-*
minenſibus, præſertim a *Porta* a *Rubiconis* nomen-
clatura rejicitur, ergo *Piſſatello* relinquitur no-
men *Rubiconis*, & oſtium *Fiumicino* a *Ruſcello* vo-
catum. Eſt alia ratio quamobrem Flumen *Sa-*
biniani in *Piſſatellum*, non contra *Piſſatellum* in
illud fluat: nam humilior eſt planities per quam
Piſſatellus fluit; editior per quam alter ille Flu-
vius decurrit: & aliquibus in locis illa ferme ad
paluſtrem accedit. At non amplius de puſillita-
te *Rubiconi* imputata ab hoc homine dico, inju-
riam facerem ſupra demonſtratis. Scommata quæ
reſtant erunt forte, qui rependant.

C

CAPUT VII.

Rationes quædam Hypodidaſcali, quas im-miſcet ſolutionibus rationum Claramontii, ſolvuntur.

Jam ad reſponſa, quibus occurrit *Claramontii*
rationibus Hypodidaſcalus; verum quoniam
quaſdam ipſe rationes immiſcet, eas primo lo-
co conſidero. concluſio ejus eſt, quod *Piſſatel-*
lus non ſit *Rubico*, ſed *Luſus.*

Adducit ergo argumentum ex locis *Plinii*,
D *Strabonis* a me ſupra pro nobis adductis. Affert
ergo Plinium *lib.* IV. *cap.* 5. dicentem *Ariminum*
Collonia, cum Amnibus, & Apruſa. Locum pri-
mo alienum adducit, nam Plinius *lib.* IV. *cap.* 5.
de *Achaja* non de *Italia* octavaque ejus Regione
agit. At eſt etiam diminutus in verbis *Plinii* re- 42
ferendis: nam *Plinius* dicit. *Ariminum Colonia*
cum Amnibus Arimino, & Apruſa, Fluvius hinc
Rubico. Supprimit is ſequentia continuo *Quon-*
dam finis Italiæ ab eo Sapis, & Vitis, & Anemo.
Ex hoc loco tentat deducere retrogradam adeo
concluſionem, interpretatur autem ſed muſſitan-
do verba *hinc Rubico*, quaſi (poſtea dictus *Rubi-*
E *co*) cum *Plinius* ordinem ſeſe ſequentium loco-
rum ab Ortu ad Occaſum deſcribat *Cruſtumium*,
Ariminum. Apruſam, Rubiconem, Sapim, Vi-
tim, Anemonem; hic clara adeo verba, & claram
ex ordine rationem pro ſe detorquere impudente
expoſitione audet; ſed non minus impudens eſt
qua *Strabonem* pro ſe exponit; eſtque is ipſe lo-
cus ubi apertiſſime *Rubiconem Cæſenæ* jungit, eo-
que ipſam ſicut, & *Sapi* determinat; ipſe vero
locum pro ſe adducit, an ex ignorantia linguæ
Græcæ, an ex animoſitate partium an ex utroque
judicent alii. Ego locum corrupte adductum ab
homine, oſtendo. Eſt locus ut ſupra dixi. *Sena*
F *Iſapi Fluvio, & Rubiconi propinqua, hæc proxima*
Arimino. Græce autem. Σίνα * Πρὸς τῷ Ισάπι Πο- * Strabo.
ταμῷ Καὶ τῷ Ρȣϐίκωνι ἤδη συνάπτȣσι. At Hy- Καυσῆνα.
podidaſcalus prioribus de *Iſapi*, & *Sina* rejectis
poſteriores ſolum voces refert, & vitiata inter-
pretatione. *Rubico tam propinquior Arimino.* Ma-
litioſe ſcilicet, & falſo, nam *Græca* vox Syna-
ptuſi συνάπτȣσι ſcilicet eſt tertia vox pluralis nu-
meri, & ſignificat cohærent, juncta ſunt, &
proxima ſunt; verbum ſynapto συνάπτω id ſi-

gnificat. Non poteſt itaque voci ſynaptuſi συν-άπτεσι jungi ſingularis nominativus *Rubicon*: eſſet enim ſolæciſmus, peccaret ſiquidem conſtructio in numero, unde plura ea, quæ præcedunt *Sena* ſcilicet cum ſuis Fluminibus *Iſapi*, & *Rubicone* ſunt nominativa, quæ verbo illi reſpondent, nempe pronomen (hæc) in particula (*hæc proxima Arimino*) refert *Senam*, eaque duo Flumina ſimul: eſtque ſenſus planus loca a *Placentia* ad *Ariminum* numerata omnia præter *Senam* habent, quod ponatur inter ſe, & *Ariminum*, vel unicum ſcilicet Oppidum, ut *Faventia*, quæ habet ſolum *Senam*, aut duo, ut *Forum Cornelii*, vel plura ut *Bononia*, &c. *Sena* ſcilicet nullum inter ſe, & *Ariminum* Oppidum interpoſitum habet, ideoque cum ſuis Fluminibus juncta *Arimi-*
43 *no* a *Strabone* dicitur, & ita exponunt *Guarinus*, *Gregorius*, *Tiphernas*, & *Heresbacchius*, & *Aldus*; hic tamen temere omnino, qui *Græca* ne ſalutavit quidem novam ſuam expoſitionem gravibus adeo interpretibus præponit. *Rubicon* (inquit) *jam Arimino propinquior*, *ut verba ibi bene tranſlata ſonant*. Num tu es qui aptius *Græca* tantis viris vertas? neque adducas pro te *Cluverii* expoſitionem: vere enim eſt ea diverſa, at pro *Cæſenatibus*, non pro *Ariminenſibus*, vertit ſiquidem in ſingulari numero verbum plurale *Græcum* ſynaptuſi, at applicat ſoli Oppido *Cæſenæ*, non etiam Fluminibus verba verſionis ſunt. *Cæſena* (inquit) *apud Sapim*, *& Rubiconem Amnes jam Arimino propinquior*. In rigore verſionis peccat: in primario ſenſu, qui eſt de Oppidis *Strabonem* aſſequitur. Adducit deinde librum *Pandulpheſcum* appellatum, ubi rogata erant inſtrumenta *Malateſtiorum* ex eo dicit conſtare *Luſum* eſſe *Rubiconem*, ſed certe non eſt Hypodidaſcalus tantæ fidei, ut illi abſque teſte credamus; verum, & amplius Sacerdos gravis mihi renunciavit in eo libro, vel ex eo nullum aliud argumentum, quam quod ex contractu *Maltaleonis* cum *Malateſta* adduxit *Porta*, noſque ſupra rejecimus, colligi. At quid de ea univerſi Orbis tabula in qua dicit apparere *Luſum* eſſe *Rubiconem*? In generali totius Orbis tabula vix ponitur *Arnus* non *Luſus*, immo neque *Ariminum* Flumen tanto nobilius *Luſo*: fallaciæ fallaciis nectuntur. Non omitto hanc aliam. Verba illa Plinii. *Hinc Rubico quondam finis Italiæ*. Ipſe jungit *Arimino*, ut ſit oratio Plinii *Ariminum hinc Rubico quondam finis Italiæ*, quaſi ſcilicet deſerenti *Ariminum* ſtatim occurrat *Rubico*: verum bonus vir dimittit vocem *Apruſæ*, quod ſcilicet Flumen occurrat primum diſcedenti ab *Arimino* non autem *Rubico*. Litera Plinii eſt. *Ariminum Apruſa hinc Rubico*. mutilatio itaque hæc nonne eſt aperta fallacia, & fraus?

CAPUT VIII.

44 *Qua reſpondeat Hypodidaſcalus Rationibus Claramontii, & reſponſionum confutatio.*

Primam ergo rationem ex Edicto in Ripa Fluminis erecto aggreditur, eique prolixe reſpondet quaſi *Claramontius*, & *Cæſenates* illi plurimum innitantur, indeque rationem ille deduxerit: at vero non pro ratione attulit, ſed pro deſcriptione, & narratione tantum: non enim fugiebat hominem plurimæ lectionis eſſe qui de veritate Edicti ambigerent, ut non fuerit neceſſe immiſcere ambiguam rationem tot manifeſtis Scriptorum teſtimoniis, verba ejus ſunt. *In Ripa Fluminis Cæſenam verſus in via ipſa Æmilia Columella erecta, illique impoſita tabula marmorea, in qua ſequens Juſſio vetuſto ſculpta caractere legitur ab uſque Blondi temporibus annis abhinc ferme du-*
A *centis*. Nulla inde à *Claramontio* ratio texitur, nullaque inde legitur illatio, at hic pro ratione imputat, ut Edictum ipſum ſcilicet carpat. Sed dum adverſus Edictum Autores adducit, ac longa oratione eorum dicta ſimul imprudens adducit eorundem verba teſtantia Fluvium illum, in cujus ripa Edictum figitur eſſe *Rubiconem*, id quod antea jam monui. Attamen non rejicio ego Edictum, neque rejicio ex eo argumentum, cum facile omnino ſit reſpondere contrariis rationibus, quod ego nunc præſto. Eſt argumentum itaque contra veritatem Edicti. Quoniam nullum Senatus conſultum imperat uni tantum Con-
B ſuli, ſed ambobus, & quoniam omiſit Proconſules, Prætores, Tribunos, Præfectos, Centuriones. Reſpondeo vetaſſe S. P. Q. R.

Nedum ambobus Conſulibus junctis, ſed ſingulis ne Flumen tranſirent, ideoque in ſingulari numero cuique Conſuli vetare oportebat, at cur non prohibuit Proconſulibus, Prætoribus, & id genus aliis dum Imperatori cuique prohibuit? non meminiſſe autem Centurionum eſt contra evidentiam litteræ, in qua expreſſe Centuriones nominantur

Eſt ſecundum argumentum, quia abſque illo Edicto legibus cautum erat, ne armatas è Pro- 45
C vincia educerent Copias. eſto id eſſe, at ergo non erat incidenda lex: immo ergo incidenda ejus memoria in loco præſertim adeo opportuno. Illac enim ſolum Copiæ terreſtri itinere tranſire poterant: ex reliquis Provinciis non niſi navibus. Reſpiciebatque inſuper tranſitus *Galliam*, cujus arma ſemper plurimi fecerunt *Romani*, adeoque non niſi magnis exercitibus petebatur, ut timerentur etiam juſto metu politico exercitus, qui inde revertebantur.

At nemo Scriptor dicit ejuſmodi Edictum a *Cæſare* conſpectum, & lectum. Sed neque nos dicimus *Cæſarem* pertranſiſſe per locum ubi erat
D Edictum, ſed infra verſus mare, neque etiam Scriptores ſingula memorant. Non eſt ergo cur Edictum, cui favet plurium ſeculorum antiquitas præſertim in Civitate, vel à Civitate minime ambitioſa, quæ vulgare nomen *Piſſatelli* in publicis ſcripturis poſuit, cum in ejus arbitrio eſſet ſtatuere, ne alio quam *Rubiconis* nomine in illis appellaretur, cum præſertim ſupra *Æmiliam* extra territorium retineretur antiquum nomen, vel antiqui nominis magnum veſtigium.

Reſpondet deinde primo vere argumento ducto ex teſtimonio, & auctoritate Strabonis. *Sina Iſapi Fluvio propinqua*, *& Rubiconi*. Cum au-
E tem antea locum illum a ſe vitiatum verſione pro *Arimino* eſſe dixerit, nunc vel oblitus, vel mutatus reſpondet, ſi *Sena* ut *Claramontius* legit vertenda eſt ſignificare Flumen *Cæſano* vulgo dictum de quo Flumine *Sena*, dicto longe digreditur elemento ſcilicet ſophiſticæ prolixitatis uſus; uſurum autem prædixi. At ſi *Sena* legatur ibi ubi *Strabo* Oppida a *Placentia* ad *Ariminum* numerat. *Sena* erit Flumen, etiam erit Flumen *Cæſena*, cum dicatur *Sena* propinqua *Sapi*, & *Rubiconi*? qui hæc dicat, quid non audebit dicere? ac ſi *Cæſena* inquit non *Sena* legendum (pono verba) *Strabonis* ſeculo *Piſſatellus* non aderat, *quia non-*
F *dum excavatus*; *at ſi aderat*, *de eo non eſt loquutus Strabo*, *ſed de Rubicone vero naturali Fluvio*, *ut Iſapis*. At jam extortum eſt hoc telum, vel ſcutum. Oſtenſus enim eſt Fluvius *Piſſatellus*: at poteſt ne diſſimulari imperitia enormis adeo logicæ Hypodidaſc. qui pro ſua auctoritate ſumit tum non fuiſſe *Piſſatellum* cum diſputetur utrum is fuerit *Rubico*, & hæc ſit controverſia, quam ſibi examinandam ſumit, & modo id quod eſt illi 46
probandum accepit utque ex adytis pronunciat.

Tam

Tam exorbitantem petitionem principii, qui non agnoscit, audet scribere libros, inire disputationem, & sunt, qui ejus se patrocinio committant, & pro advocato utantur, licet exclamare. *O pectora cæca.*

DIGRESSIO DE ANEMONE.

Cum autem *Porta*, & prior rationi huic & loco *Strabonis* respondere conatus sit, ut antea ego retuli, & ex *Claramontii* dictis refutavi; in solutione is sua exposuit *Anemonem* pro *Montone* vulgo nunc appellato *Claramontius* expositionem reprehendit. Est enim Anemo *il Lamone non il montone*. Contra *Claramontium* tuetur Hypodidascalus *Portam*, at de more mendacio, dicit enim a *Ravennatibus* universis eos Fluvios *Sapim*, *Vitim*, *Anemonem* appellari vulgari lingua *Savio*, *Ronco*, *Montone*. Compello ego hominem. Ain *Ravennates* universos? At audi *Rubeum* certe *Ravennatem* insignem in *primo lib. Hist. Ravenn.* Is primo enumerat Fluvios ad *Ravennam* spectantes dicens: *Cum esset Ravenna in æstuariis sita, & quinque Fluminibus Pado scilicet Anemone, Montone, Viti, Sapi.* Non facit ergo *Rubeus* propinquum *Viti*, scilicet nunc *il Ronco Anemonem*, sed *Montonem*, & *Anemonem* a *Montone* sejungit, & clarissime adhuc dicit *Montonem* esse, non *Anemonem*, qui cum *Viti Ravennam* cingit. verba sunt. *Quam* (Ravennam) *duo Flumina ita ambiunt, ut facile appellare Mesopotamiam possimus, alterum, qui ab Occidente, & Septentrionibus fluit, Montonem veteri vocabulo appellant, alterum Roncum ab Oppido quod alluebat, vel ut alii aquæ ductum, quem nonnulli, ut Blondus ex antiquis: Plinioque præsertim Vitim fuisse testatur.* Sed intelligamus ut aperte Anemonem *il Lamone* vocat. *Certum* (inquit) *ex tot Fluminibus unus Anemo, quem Fantinum Lamonem, Rafanarium, & Santernum vocant in Padusam cum influeret avorum nostrorum ætate in Padum est traductus.* Respondet deinceps secundæ *Claramontii* rationi, quæ ex *Plinii* testimonio ducitur anteaque eam ego retuli *Sect.* 1. *cap.* 3. cum responsione *Portæ*, & *Clementini*, & ex eorum dictis deductionem *Claramontii* colligentis non esse *Lu-*
47 *sum Rubiconem Plinii* neque *Suetonii*: cum fateantur dicti Scriptores *Ariminenses* non esse *Rubiconem Plinii Lusum*, sed *Plusam*, vel *Lusam* ab eo dictam. Seculo ergo *Plinii* non dicebatur *Lusus Rubico*, ergo neque seculo *Suetonii*, quod idem cum seculo *Plinii* fuit vigenteque semper lingua eadem latina. Huic rationi *Claramontanæ* occurrit Hypodidascalus, sed ratio cum perstrinxerit hominem, ad digressionem, hoc est prolixitatem elementum scilicet sophisticum confugit. Cum dixerit *Claramontius* Scriptores *Ariminenses* contendere *Rubiconem Plinii* non fuisse *Lusum*, quem *Lusum Lusam* vocavit, a quadam fæmina (dicit *Clementinus*) at *Plusam* (dicit *Porta*) is arrepta occasione numerat Scriptores omnes *Ariminenses*, & laudat, qui de *Rubicone*, & de hac controversia nihil dixere. *Qui res ab Ariminensibus gestas* (inquit) *collegerunt non sine laude ii sunt ut Marcus Battalia, &c. Ubaldus Franca, Brolius, seu Brolia, Raphael Aloysius, Rigatius, Joannes Baptista Monticulus, Nicolaus Adinarius, Claudius Pacius, & Alexander.* Singulorum nobilitatem extollit: duodecim usque versus *Italice* Scriptos rudes admodum reponit; demum in hac digressione tribus ferme paginis evagatur. Interim firmum restat, negasse *Clementinum*, & *Portam Rubiconem* a *Plinio* memoratum fuisse *Lusum*; sed *Lusum* a *Plinio Plusam*, vel *Lusam* dictum. Post evagationis involucrum compellat *Claramontium*. *Apage* (inquit) *Scipio ecquid affert Clementinus, quod Ariminenses de causa deturbet, cum sentiat Rubiconem esse Lusum?* Respondeo ego pro *Claramontio*. Dum fatetur *Clementinus Rubiconem Plinii* non esse *Lusum*, qui est *Lusa* Plinii, negat antiquo, & latino tempore *Plinii*, adeoque & *Suetonii* (idem enim seculum) *Lusi* nomen fuisse *Rubiconem*. Intelligis adhuc mi Hypodidascale? in re tam aperta, & plana hæres? Licet vero *Claramontii* argumentum ambos simul *Clementinum*, & *Portam* petat tamen seorsum *Portam* post *Clementinum* defendit. Ad defensionem vero præmittit aliam digressionem, ut pro *Clementino* fecerat. De *Aprusa*, *Ausa* scilicet sermonem inducit esse Fluvium vivum, non Torrentem asserit esse *Aprusam Plinii* Senatus consulto *Ariminenses* sanxisse in eo *Portum* constituere: increpat *Claramontium* sævitiæ, qui ut errorem magnum exprobraverit nomen *Lusæ*, aut *Plusæ Clementino*, ac *Portæ*, eos excusat, ut sequutos appellationem *Blondi*, & *Leandri Alberti*. Concludit demum digressionem negari ab ipso *Aprusam Plinii* esse *Lusum*: esse enim *Apesam*, vel *Avesam*. At quæso amice. Objectio est *Claramontii Plinio Rubiconem*, ex *Clementino*, & *Porta* non significare *Lusum*. Quid ad declinandam objectionem faciunt si *Apesa* sit *Aprusa*, aut non sit. Si *Avesa* sit capax portus. Satis *Claramontio* quicquid de his dixeris negari à *Clementino Rubiconem* a *Plinio* memoratum esse *Lusum* quid postea inde sequatur nisi torpor te occupet jam intellexisti. Non possum tamen me continere, quin hoc subjiciam. *Lusus* per hunc Scriptorem non est *Aprusa Plinii*, per *Clementinum*, & *Portam* non est *Rubico*, ergo *Lusus* tam insignis per vos divisor *Galliæ* ab *Italia*, erit a *Plinio* omissus, injurius es loco defensoris in *Lusum*. Præterea *Rubico* a *Plinio* memoratus ante mentionem *Sapis* per vos non est *Lusus*, quem ergo Fluvium eo nomine significavit *Plinius?* si dixeris *Sabiniani* Flumen jam repugnas tuo clienti *Portæ*, qui alterum tantum horum duorum *Pissatelli*, & *Lusi* fuisse antiquum *Rubiconem* asseverat. In quas vos tricas pertinax opinio ducit? 48

Tertia ratio *Clementini* est ex testimoniis Scriptorum post linguæ *Latinæ* vulgarem usum deperditum, qui idcirco antiquum *Rubiconis* nomen in *Italicum* mutavere, vel saltem eas conditiones in antiquo *Rubicone* agnoscunt, & notant, quæ soli *Pissatello* conveniunt, longe autem a *Luso* sunt Authores, quos *Claramontius* adduxit, *Boccatius*, *Blondus*, *Nicolaus Perottus* Episcopus *Sipontinus*, *Sabellicus*, *Alexander Braccius* Secretarius *Florentinus*, Author *Chronici Veruculi*, *Malombrius* in Geographia, *Abraham Ortelius*, *Georgius Fabritius*, *Ariminensis* ipse *Clementinus*, seu Diploma *Federici* Imperatoris, acta coram *Uberto* Arbitro a *Clementino* ipso allata. *Joannes Antonius Maginus*, *Dollionus*, *Aldus Manutius*. Est itaque tertia ratio *Claramontii* congeries multorum testimoniorum, testiumve pro *Cæsenatum* opinione, proque *Pissatello*. Nunc itaque singulas attestationes referamus, quæque singulis respondeat Hypodidascalo. Joannes ergo Boccatius *in libro de Fluminibus* in voce *Rubicone* (re- 49
tuli verba supra, ex quibus ea nunc repeto.) *Hoggi da gl' abitanti è adimandato Pissatello.*

Ad hoc testimonium ipse respondet opponendo quemdam *Hermanum Torrentinum*, qui dicit *Rubiconem* esse inter *Ariminum*, & *Ravennam*, dicit a rubore aquæ appellatum, *Ariminum*que esse juxta *Rubiconem*; certe etiam si diceret aperte *Hermanus Lusum* esse *Rubiconem*, ut *Boccatius* dicit esse *Pissatellum*, tamen neque conferendus homo ignotus cum *Boccatio* celeberrimo, neque de re *Italica* egente inspectione exterus, ac *Germanus*

manus cum *Italo*: at nequaquam dicit *Lusum* esse is *Rubiconem*, quem *Lusum*, nec memorat. Esse inter *Ravennam*, & *Ariminum* convenit etiam *Pissatello*, immo etiam *Sapi*, ac esse juxta *Ariminum*, propinquum scilicet *Arimino*, nam neque vos dicitis *Lusum* alluere *Ariminum*, jamque *Claramontii* responsionem audisti, & solidam; verum contra pervicaces addo hanc ejus dilatationem. Propinquitas est ex illis, quæ referuntur eo modo, quo de magno, & multo dicit *Aristoteles*, ac de oppositis parvo, & pauco: dicitur parvus mons de colle, & magnum granum de milii grano, si consuetam magnitudinem excesserit: multos esse in cubiculo, si centum homines adsint: paucos si in foro, ac mercatu. Pariter dicemus *Florentiam* esse propinquam *Romæ*, ac remotam, & distantem a *Constantinopoli*, & contra distare Basilicas *D. Petri*, in vaticano, & *Lateranensem*: propinquam Ecclesiam *S. Marthæ* eidem *D. Petri* Templo, pariter præ distantia *Germaniæ* ab *Italia*: extremitatum *Italiæ* a se ipsis; *Padi* ab *Arimino*, est propinquus *Arimino Pissatellus*, & ejusmodi propinquitatem intelligi ab exteris, præsertim cum dicunt *Rubiconem* propinquum esse *Arimino*, *Munsteri* dictum retuli supra nunc repeto. *Ariminum est Civitas Flaminiæ non procul a Fluvio Rubicone, qui Pissatellum hodie appellatur.* Sed etiam *Philippus Bergomas*: supra etiam verba attuli. *Habetque Ariminum Fluvium propinquum, qui Fluvius cum parvulus sit ab Accolis Pissatello vocatur.* Propinquitas ergo, quam statuunt Scriptores interdum inter *Ariminum*, & *Rubiconem* est propinquitas
50 ipsa, quæ intercedit inter *Pissatellum*, & *Ariminum*. Adduxit *Claramontius Blondi* testimonium. Ego retuli supra *Sect.* 1. *c.* 2. erat autem dictum, *Rubiconem* infra viam *Æmiliam* appellari *Pissatellum* supra *Riconem*. Respondet Hypodidascalus præmissa digressione, ut prolixitate involvat vim argumenti, partem satis magnam ibi *Blondi* repetit, ubi repetit antiquam *Romanorum* Jussionem: *Ne pertransiretur*. Factum deinde *Julii Cæsaris*: At satis erat ea particula, in qua nomen nunc *Italicum*, ac vulgare Fluminis ipse ponit, de quo uno nunc quæritur. At non poterat is divertere mentem ab argumenti vi nisi ad turbellam Edicti revocaretur mens legentis. At etiam considerationem eam inserit cur tempore *Blondi* conspiceretur, scilicet, & non *Leandri* tempore erecta columella, hæc, & alia diverticula cum repetitione jurgii in *Pissatellum*, quod sit fossa, & non Flumen, quid faciunt ad testimonium *Blondi*, quod *Pissatellus* sit *Rubico*? Tolliturne ab ejusmodi evagationibus ejus dictum, & testatio? Æque semper *Blondus* dicit *Rubiconem* antiquum, nunc vocari *Pissatellum*, hoc unum asserit, hoc unum intendit in eo testimonio inducendo *Claramontius*, tu responsionem cum profitearis longe omnino evagaris, ut apte quadret illud Horatianum. De Arte. vers: 22.

—— currente rota cur urceus exit?

At inanitatem evagationis temeritate complet, ac redimit Hypodidascalus in contemptum, & derisionem *Blondi* erumpit. Hominem scilicet tantæ eruditionis, qui *Forolivii* nedum, sed Provinciæ est hujus totius ornamentum sarcasmo excepit. *Blondum* (inquit) interim saxo alligatum, prætergredior in *Blondum*, quæ (cum temere alibi etiam reprehendat,) differo examen reprehensionum usque ad octavæ rationis *Clementini* per hunc confirmationem.

Sed non excidat hujus in contrarium argumentatio ex *Dante*: adversus ergo *Claramontii* enumerationem Authorum post linguæ *Latinæ* abo-
A litionem, vel corruptionem in vulgarem ipse adducit *Dantem*, qui *Cæsenæ* non tribuit *Rubiconem*, sed ex solo *Sapi* eam describit.

E quella a cui il Sauio bagna il fianco, &c.

Est ea *Cæsenæ* periphrasis. Oportet ergo in 51
periphrasi alicujus rei omnia ponere, quæcunque in ea reperiuntur; An satis est ponere id unde intelligatur res significata? *Dantes* idem. *Colui, che tutto moue:* pro Deo, num *Dantes* negat Deum esse Creatorem omnium, esse in personis trinum, esse gloriam Beatorum, quoniam in ea periphrasi non continetur? Adducit etiam *Da-*
B *rium* Civem nobilem *Cæsenatem*, & Poëtam laureatum, qui scribit.

Urbs Cæsena mihi patria est quam dividit unda
Cæsis, & a patrio Flumine nomen habet.

Quasi scilicet eadem ratione *Cæsenæ Rubiconem* deneget, quia non describit eam per *Rubiconem*, eadem scilicet est consequentiæ validitas, ac præterea negaret etiam eadem ratione *Cæsenæ Sapim*, quia nulla ejus ibi mentio. Hæc dicta indicant hominem infra Hypodidascalum Pseudodidactum.

Adduxit Clar. *Marium Sabellicum*, qui ut vi-
C dimus dicit *Rubiconem* vocari ab Accolis *Riconem*, & priusquam ad Mare perveniat, insinuatis proximo amniculo aquis, in Mare devolvere. *Pissatello* hæ conditiones conveniunt, non *Luso* ullo pacto: etenim supra viam *Æmiliam* ab Accolis *Montiliani*, *Subrivolæ*, *Montis Leonis*, usque ad *Montem Campi*, adque ejus fontes *Ricone*, *Rigone* dicitur parte antiqui nominis reservata. At ipse dicit *Rigonem*, & *Ruconem* dici non ex *Rubicone*, sed a *Rigone Rizzardello*, qui possidebat Tumbam quandam prope eum Fluvium, ex statuto nostro jubente fieri pontem lignaminis, ut ibi dicitur super *Matalardum* in via *Laviculi* prope
D *Pissatellum*, juxta Tumbam Domini *Rigonis Rizzardelli*. Est Hypodidascalus fæcundus in inveniendo, at non cautus in circumspiciendo, nam *Matalardus*, & Tumba *Rizzardelli* ibi memorata est infra viam *Æmiliam*, & *Pissatellus* dicitur *Ricone* e *Rigone*, o *Rugone* supra viam *Æmiliam* decem, & amplius milliaria, & extra Territorium *Cæsenæ*. Ut hic homo patriam laudet, *Cæsenam* deprimat nullum genus mendacii formidat. Verum quoniam sentiebat infirmitatem responsionis, ideo ad consuetum evagationis, & occultationis elementum confugit una, & ad solitum mendacium, quod *Rubico* fuerit Flumen, 52
E *Pissatellus* autem non sit Flumen. Hinc *Lusi* gloriam nisi amplitudinem tragico exornat cothurno. Addit *Epistolam* 99. *Julii Cæsaris Scaligeri* ubi plurium Fluviorum in *Padum* ingredientium pusillitatem exagitat. Concludit simili proportione incurrere in *Sabiniani* Flumen, *Matalardum*, *Pissatellum*, *Butrium*, *Argossam*, aut *Rigossam*, qui simul, & quidem hyemali tempore vix fluunt ad talos. Quæro ego ab Hypodidascalo num tot dicta, si universa admittantur efficiant ne *Rubico* a *Sabellico* descriptus sit *Pissatellus* dictus. *Pissatellus Rico* ab Accolis supra *Æmiliam* quæcunque fuerit causa nominis de qua nihil ibi *Sabellicus*;
F satis est illi, & nobis si *Rico* dicatur. Quod tu nec negas solam a *Rigone Rizzardello* ducis nomen. Præterea, & in Amniculum influere tua etiam prolixa digressio admittit; quæ ergo species est hæc tua responsionis admittere tandem adversarii totam positionem, ac rationem?

At inanitatibus responsionis in calce orationis impudentissimum mendacium pro crepidine adjungit *Pissatellum* scilicet *Butrium*, Flumen *Sabiniani* juncta tempore etiam hyemali non attolli

ad talos. *Pissatellus* solum septa nedum lignea valide constructa, & firmata, sed etiam lateritia demolitus est, & etiam cum aliis junctus non pertingeret ad talos? Tu ipse ex Statuto nostro retulisti supra verba illa: *Statuimus, & ordinamus, quod ad evitandum damna, & gravia, quæ per aquam fossæ Lupariæ sive Rigossæ continue inferuntur, &c.* Si ergo aqua *Rigossæ* magna, graviaque damna affert, non pertinget ipsa sola ad talos? At injuriam facerem plura de hac re dicendo, dictis antea, atque firmatis. Cæterum illuc redeo qui in evidentibus sensu, & conspicuis longe, lateque Accolis ita secure mentitur laurea mendacis, & impudentis esse ornandum.

Testimonium adducit *Claramontius Alexandri Braccii*, quem ego quoque supra reposui: de itinere enim *Cæsaris* vertens *Appianum Alexandrinum* ita vertit locum ad rem nostram facientem. *Arrivò con veloce camino sul Fiume Rubicone il quale si chiama hoggi Pissatello, e passa tra Rimino, e Ravenna.* Ad hoc viri testimonium hæc rescribit. *Braccius vir bonæ fidei rem hanc in examen non adduxit, sed aliorum sententiæ per errorem ad-*
53 *hæsit.* Viri graves mi Hypodidascale non nisi consulto scribunt non temere, objicere vero, ut errorem id quod in controversia positum utrum verum sit inter partes controvertitur nullius est momenti nisi pars objiciens falsum esse demonstret. Tu hic tua unius auctoritate falsum pronuncias. Adhibe testes adversus æqualis fidei: interim vir hic gravis pro nobis est, hoc est evidentiæ, & hoc est quod *Claramontius* contendebat esse plurimorum doctorum Scriptorum pro *Pissatello* testimonia.

Usus est *Claramontius* testimonio *Leandri Alberti*: quod nos quoque supra exscripsimus Sectione prima Hypodidascalus cui est invisus *Leander*, ut suæ sententiæ infensus. Multos contra errores illi tribuit usus auctoritate Cluverii. *Quantum sit* (inquit) *ponderis in Leandri Alberti Historia palam fecit supradictus Cluverius.* Verum *Cluverius* de re nostra convenit cum *Leandro* in vero, discrepat in falso: uterque inquam convenit *Rubiconem* antiquum esse Fluvium distantem a *Cæsena* nunc quoque duo milliaria in cujus ripa viderit *Blondus* erectam columellam, & tabellam Edicti vetantis transitum armatis turmis. At *Leander* tamen non vidit, quæ viderat ibi *Blondus*. Ita confitetur ipse *Leander*, nec injuria. Deciderat enim incuria in terram, ibique operta occultabatur, at tempore *Pauli Tertii* reperta ejus etiam jussu reposita, & erecta columella fuit. Transiit ergo illac *Albertus* cum nondum reperta, & restituta fuerat. At *Cluverius* eandem viam post transiens eam erectam, & restitutam vidit. In distantia ergo antiqui *Rubiconis* à *Cæsena* conveniunt, & in ejus ripa fuisse tempore *Blondi* columellam, & Edictum: quod sane est verum. At de *Pissatelli* nomine errat *Cluverius*, vult enim esse *Butrium*, & *Pissatellum* eundem Fluvium, & verum dicit *Leander* Fluvium a *Cæsena* bis mille passus distantem vocari *Pissatellum*, ut in hoc sit *Cluverius* non *Leander* reprehendendus. Rursus sugillat *Leandrum* ad diminuendam ei fidem: dicit enim. *Accedat iterum Leander Albertus, qui in unam, & eandem paginam tot mendacia congessit, ac somnia ut vidimus.* Nihil mi Hypodidascale vidimus nisi dixisse *Pissatellum* non *Lusum* esse antiquum *Rubiconem*, idque ex auctoritate *Strabonis*. Tibi hæc sunt somnia,
54 nobis manifesta veritas: pro nobis est viri gravis, qualis est *Leander*, auctoritas: pro tuo dicto tua solum audacia.

At alium errorem majoris abollæ eidem impingit: dixit enim in Territorio Sancti Archangeli ingentis molis rapas, atque ternatibus æquales produci, at opponit Hypodidascalus loco cæparum posuisse rapas, cæpæ scilicet ingentes, non rapæ gignantur eo in loco. An potius corrigendus est reprehensor quam *Leander*? nam nunc in territorio ejus Oppidi cæpæ quidem multæ, at potius parvæ, quam amplæ colliguntur. Cotiniolæ autem magnæ gignuntur. Cur vero non potuit tempore *Leandri* magnarum raparum ibi florere cultus, & proventus? Cultura non eadem semper perseverat in iisdem etiam locis. Nos paulo prius glastinum serebamus, nunc ad cannabim versa est cura. Cur non credam potius viro gravi de iis, quæ ejus ævo fiebant, quam homini levi de illis, quæ centum antea annis efficiebantur?

Attulit *Claramontius* Chronica *Veruculi* ab erudito viro confecta, qui etiam si sit alienigena, tamen studio veritatis adductus adversatus est de *Rubicone Ariminensibus* solidisque rationibus confutavit, adversus quem rescripsit *Porta* illis rationibus usus, quibus respondit *Claramontius*, & ego retuli, & rationes, & confutationes supra. Respondit ergo his Hypodidascalus satis illi authori dedisse *Portam*. Verborum credo satis, rerum non satis. Ex solutionibus *Claramontii* patet, & patebit amplius ab examine eorum, quæ ipsemet pro *Porta* afferet. Adducit *Claramontius Malombrium* in Geographia dicentem *Rubiconem*, nunc vocari *il Pissatello*: respondet his verbis, mentem non sanam significantibus. *Quomagis numerum auges, Authorum minus adimis mihi facultatis, ad id mihi faciendum satis.* Quid ita mi Hypodidascale? Num de nomine Fluminis antiquo possumus aliter, quam Scriptorum doctorum testimoniis decernere quo plura sunt, & expressiora? Et quoniam de *Malombrio Porta* dixit forte a *Malombrio Pissatellum* pro *Luso* accipi, reprehendit Usum, & Ausum ita detorquendi significatum vocis; verba sunt Portæ. *Il Malombrio si è lasciato ingannare a chiamarlo Pissatello, se bene forsi haurà creduto essere il nostro Luso.* Hypodidascalus in *Claramontium* ceu reum 55
majestatis invehitur, ut vero tueatur *Portæ* sui dignitatem quæcunque eo in loco is dicit (sunt autem de viri more multa) refert, consilio scilicet, (ut semper) involvendi, continent autem *Portæ* dicta: in *tabula sexta tertii libri Ptolemæi Geographiæ* nullam fieri mentionem *Cæsenæ*, quasi non esset in rerum natura (non viderat scilicet adhuc tabulam antiquam, quæ est ipsius *Ptolemæi*, non viderat *Ptolemæi* descriptionem, in qua describuntur gradus locorum absque pictura, aut delineatione) verum re melius cognita, vel suo ipsius studio, vel aliena admonitione, fatetur a *Ptolemæo* memoratam, non a *Malombrio*; inferebat ex omissione ejus nominis non potuisse etiam *Rubiconem* ad ipsam pertinere: & si quis excusasset omissionem nominis, quia non sit *Cæsena* littoralis, confutabat responsionem; nam in eadem tabula loca alia, & Civitates mediterraneæ locantur. Hæc demum verba *Portæ* latiore explicatione usi, & relata ab Hypodidascalo continent; quæ non faciunt, quo minus dixerit *Porta*, forte *Pissatellum* a *Malombrio* pro *Luso* acceptum, neque ejus aperta verba de eo obliterant. Non facile invenitur, qui magis ab re hoc homine loquatur.

Adduxit pariter *Claramontius Philippum Bergomatem*, *Abraham Ortellium*, *Georgium Fabritium* eodem responso, quo etiam *Malombrium* eludit, aliud scripsisse, aliud sensisse: verba sunt concludentia responsionem. *Qui nimirum faciles in aliorum fidem aliud scripserunt, aliud senserunt.* Quasi sensus Authoris aliter deprehendatur, quam

ex dictis, & scriptis, scriptura enim nota eorum, quæ in voce; & hæc eorum quæ in animo. *Aristoteles* p. perih.

Cum vero sentiat male a se testimoniis tot Scriptorum pro *Cæsena* occursum medetur malo falsitatis, malo immodestiæ, ita veneno venenum superbibitum mederi interdum dicitur. *Pissatellum* sordido vocabulo a mejentibus viatoribus deducto dictum asserit. Plura hoc dicto assequitur: contemptum Fluminis invisi; contentionem, adeoque iram faventium Flumini id quod inter elementa protervæ disputationis ab *Aristotele* ponitur, ut præmonuimus, & demonstrationem
56 suæ in literis *Græcis* imperitiæ, quæ decet grammatistam omnem, & hunc præsertim, qui quædam etiam ex scientiis blatit, licet alieno ex monitu, verum infelix est magistris sciolis non scientibus usus, etymologiam nominis nos antea exposuimus.

Arguit postea *Claramontius* ex *Ariminensium* tabulis argumento ducto. Ego retuli supra *Sectione prima Cap.* 2. *Ariminenses*que ipsos nomen *Rubiconis Pissatello* tribuisse absque ulla mentione litis, & absque ulla dubitatione. Huic argumento, tamque evidenti testimonio magna tergiversatione occurrere conatur, omnesque proterviæ locos ad involvendam veritatem adhibet: contumeliam, prolixitatem, impudentiam, perversionem methodi, & id genus alios. Digressio ad rem non faciens occupat septem paginas, cum significatio *Pissatelli* nomine *Rubiconis*, (ut hic ipse tandem fatetur) pauculis lineis contineatur, ut digressio nihil ad rem, & ad argumentum pertineat, nisi ut sophistice vis ejus occultetur si fieri potest. At præter digressionem, quæ pertinet ad occultationem, mordicat: Quod pertinet ad contentionem, & concitandam iram: omnia miscet, quod pertinet ad perversionem methodi. Attamen in tanto confluvio rerum, & in tanta protervia concludit (tanta est vis veritatis) in hæc verba. *In libellis iis de controversis finibus fateor loco Pissatelli nomen sæpe Rubiconis adhiberi.* Hæc confessio satis est nobis, eis seculis ab *Ariminensibus* ipsis *Rubiconis* nomen fuisse *Pissatello* tributum. Et quod libellis eis dicit, de diplomate *Federici*, necesse etiam dicere: ex eo libellus *Ariminensium*, & petitio nascebatur, ex eo scilicet quod Imperator ad *Rubiconem* usque extenderit eorum fines, & quoniam (sæpe) in illis libellis dicit significari a nomine *Rubiconis*, *Pissatellum*, est hoc etiam malitiose dictum: nam in libello *Ariminensium* de quorum sensu tum in nomine *Rubiconis* quærimus, bis solum memoratur *Rubico*, ut si sæpe *Rubiconem* pro *Pissatello* acceperint, oportet semper accepisse, quia quod sæpe sumitur non semper sumitur. Dat ergo licet invitus, dat tamen manus argumento Hypodidascalus, ut quod *Claramontius* prior, & ego nunc, contendebamus assequuti simus eo seculo ab *Ariminensibus* vocatum esse nomine *Rubiconis Pissatellum*.

57
CAPUT IX.
Expurgatio Claramontii ab objectione fraudis.

Cum tamen mordendo in *Claramontii* dignitatem præter fas invehatur: ego qui defensionem suscepi brevi ostendam injustitiam dictorum. Rem ab initio repeto; in Diplomate *Federici* hæc sunt. *Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus Imperiali Aulæ constitutis totum Comitatum, & districtum suum sicut trahit Rubicon usque ad mare a latere Cæsenæ: a latere Pisauri usque ad Foliam, & Ariminum liberam potestatem concedimus.*

A Hæc ibi, at in *Claramontii* relatione eorumdem verborum excidit (*a latere*) secundo loco positum: ita enim refertur locus in *Claramontii* libro fuit enim exscriptio loci. *Qui fidelibus nostris Civibus Ariminensibus Imperiali Aulæ constitutis totum Comitatum, & districtum suum sicut trahit Rubicon usque ad mare a latere Cæsenæ, Pisauri usque ad Foliam, & Ariminum liberam potestatem concedimus.* Excidit itaque (*a latere*) inter voces *Cæsenæ*, & *Pisauri*. At exciderunt in eadem Historia, & impressione alia magis multo lædentia sensum, ut in folio emendationum videre est: attamen Hypodidascalus cum destitueretur veritate ad maledicentiam confugit,
B eamque prorsus exorbitantem. Fraudis, & injuriæ *Claramontium* accusat, quem ab ejusmodi contumelia, & gravis, & graviter acta ætas liberare debebat: audiamus verba. *Mutila est* (inquit) *& hæc apposita particula Diplomatis Federici Imperatoris: nam sagax quidem, sed in publicam fidem injurius Claramontius per maximam fraudem subticuit membrum alterum, a latere Pisauri, ita ut limites, & finem ex parte Pisauri abraserit.* Hæc ille, at mendacissime. Nulla enim est hic fraus, quia non consulto facta omissio, sed ex impressionum communi fato ex
C quo omnes aliquibus erroribus subjiciuntur. Invito nedum Authore semper, sed etiam Impressore interdum ipso. At faciamus consulto vocem (*a latere*) omissam nulla tamen fraus, cum eandem utroque modo retineat significationem: idem enim significat *Rubicon* ex latere *Cæsenæ*,
& ex latere *Pisauri Folia*; atque *Rubicon* ex la- 58
tere *Cæsenæ Pisauri Folia.* Est primo modo figura disjunctionis, secundo modo figura conjunctionis, quæ mutant ornatum, non significationem. Miror in Hypodidascalo esse figurarum eloquutionis tantam ignorantiam? Si saltem librum quartum ad *Herennium*, ubi figuræ tradun-
D tur, & hæ præsertim conjunctionis, & disjunctionis, quas etiam late explicat, figuram etiam adjunctionis addendo. Sed ego hoc exemplo confirmo significationem esse eandem. *Cæsena* fuit amica *Bononiæ*, & fuit amica *Faventiæ* idem significat, atque si dicamus *Cæsena* fuit amica *Bononiæ*, & *Faventiæ*: immo etiam subtracta copula. *Cæsena* fuit amica *Bononiæ*, *Faventiæ*, modo interpungantur voces. Nulla ergo fraus *Claramontii.* Multa tua ignorantia, & temeritas, ac maledicentia.

At jure merito potest te *Claramontius* culpare fraudis. Adduco tua verba. Immo ex Clara-
E montio ipso *libro septimo Historiar. Cæsen: pag.* 217. cujus verba.

De sconficta facta in Ariminenses.

Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo die decimo octavo Augusti cum Cæsenates tenerent Castrum Bulgariæ, venerunt Ariminenses cum Montefeltrano, &c. Quis non crederet hæc esse verba *Claramontii* ipsius, prorsus scilicet barbara, ut qui non viderint *Claramontii* Historiam, & tuam relationem viderint, arbitrentur barbarum, & ineptum opus esse *Cæsenæ* Historiam, ab ejusque lectione avertant animum, quod tuum esse votum satis elucet. At verba, quæ tu corrum-
F pis *Claramontii*, non ejus sunt verba, sed antiqui Chronici, quod, & ipse barbarie notat. Verba ejus reporto, sunt autem. *Annales nostri sua brevitate, & barbarie his verbis rem describunt. Rubrica præmissa.*

De Sconficta facta in Ariminenses.

Anno Domini millesimo centesimo octavo (primo in relatione Hypodidascali deest vox centesimo) *die decimo octavo Augusti, cum Cæsenates tenerent &c.* Tua ergo fraus est, & dedecori Claramontio,

tio, dum ſtylo ejus a bonis laudato, tu barbariem affingis.

59 CAPUT X.

Solutiones reliquarum Rationum Claramontii, ſed refutantur omnes.

Alterum eſt in hujus dicti reprehendendum, eſt fallacia, qua utitur adverſus *Claramontium* ob uſum Diplomatis *Federici* adverſus *Ariminenſes*. Verba doloſa ſunt. *Verum quid plura? Diploma hoc Federici Imperatoris quod contra Ariminenſes meos audacia majore, quam fide protulit Scipio inferius floccifacit, & rejicit immemor Gloſſ. in cap. ex eo 38. de reg. at in ſex ibi abſurdum eſt quem redire ad id quod ſemel renunciandum putavit, & Cod. &c.*

At fallacia tota eſt. *Claramontius*, & ego cum ipſo dicimus diploma *Federici* vere eſſe ab *Ariminenſibus* adductum, atque ut verum, ideoque vere credidiſſe *Ariminenſes* ſignificari nomine *Rubiconis Piſſatellum*. At utrum Diploma verum ſit, & eos fines unquam *Ariminenſes* habuerint, negant cum *Claramontio Cæſenates*. Non negat itaque *Claramontius* eſſe vere adductum Diploma, at negat eſſe verum; at etiam ſi fictum ab *Ariminenſibus*, cum tamen ipſi iis nominibus eo in ſenſu quem vidimus, & tu fateris, uſi ſint, convincitur iis ipſis ſeculis, eum fuiſſe verum ſignificatum *Rubiconis* apud illos.

Quæram modo ab Hypodidaſcalo quid ad hanc diſputationem de ſenſu *Ariminenſium* antiquorum in nomine *Rubiconis* paucis verbis concluſam, facit commemoratio belli inter *Ariminenſes*, & *Cæſenates*, & mutua eorum damna ex *Ghirardatio*, & ex *Sigonio* integre repetita? Quid utrum *Branchiſe*, ac *Ruffienſe*, & Caſtrum *Piſſatellum* vocatum, & caſtri *Caleſidii*, & cætera loca a *Gualterio* Archiepiſcopo Claſſis Monaſterio conceſſa, ſint in *Ariminenſi* Territorio, ut dicit *Rubeus*, an in *Cæſenate*, ut *Claramontius* dicit? Alterutrum ſit, adhuc tamen *Ariminenſes* ex ejus etiam confeſſione *Piſſatellum Rubiconis* nomine appellaverunt. Illud tamen pro *Claramontio*, quod ea loca ſint in *Cæſenate* facit præſens abſque memoria in contrarium poſſeſſio *Cæſenatum*; quod ſi ad
60 *Ariminenſes* ſpectaſſent, oportuiſſet, eſſe a *Cæſenatibus* armis occupata, quod ſi dicat *Ariminenſium* defenſor, non admodum honorifica confeſſio clientibus. At certe nulla tantæ prædæ eſt in ulla Hiſtoria memoria, neque *Cæſenates* quibus honori eſſet acquiſitio, quicquam tale dicunt, neque ſomniant.

Adduxit *Claramontius* teſtimonium *Magini* duobus in locis, quod antea retuli. Reſpondet Hypodidaſcalus *Maginum* ſequutum eſſe opinionem *Leandri* non ſcilicet ex ſua ſententia loquutum. Immo, qui auctoritate alicujus Scriptoris dicta ſua confirmat, demonſtrat ſuam eſſe ſententiam, quam affert, ac ſe adhæſiſſe ſententiæ Scriptoris in teſtem adducti: ita paſſim ſententiam auctoritate *Ariſtotelis* firmant Peripatetici; auctoritate *D. Thomæ* Thomiſtæ, & aliorum virorum gravium auctoritate, ſententias noſtras confirmamus. Quid quæſo? Qui ad immortalitatem ſcribunt, quodcunque determinant, ex ſui ſententia determinant: ſecus adductas opiniones improbant, vel ſe non adhærere aliquo modo ſignificant.

At non contentus elevaſſe teſtimonium *Magini* ſubſannat, inſuper, & pro deridiculo habet homo infimæ literaturæ, virum in geographia præcipuum. Dixit Maginus *de Italia*. *Hà ella ſimilmente buon numero di Fumi ſi navigabili, &*

A *atti a condure mercantie, ſi abbondanti di ottimi peſci, il Pò di eſſi è il più preſtante, il Rubicone, il Tevere, l' Arno, il Mincio, il Ticino, l' Ollio, e l' Ada.* Tum Hypodidaſcalus. *Cachinnis* (inquit) *dignum ex arente Piſſatello piſcium quemquam capi cupidine, niſi forſan in lutulento imbre cum Taſſone velint ibi piſces exquirere, de quibus Canto 2. Poemat.* (*la Secchia*) *cecinit.* Verſus autem adducit, qui de Ranis ſunt. Quaſi Ranarum ſolum ſit altor *Piſſatellus*. At Rivus uſque *Donigalliæ*, qui in *Piſſatellum* influit, parva licet aquarum portione præ totis Fluminis undis piſces continet, quanto magis *Piſſatellus*? Sed in
B comparatione inter ſe, Fluviorum non reſpicit navigabile, aut piſculentum eſſe *Maginus*, ſed præſtantiam, ac celebritatem; eſt autem celeberrimus *Rubicon* licet non navigabilis, neque Carpionis ut *Adua*, nec Sturionis ut *Padus* ferax. At quid hic ridiculus ipſe non deridet?

Ad *Doglionum*, cujus ut vidimus teſtimonium *Claramontius* adducit, primo dicit eſſe minuti 61
nominis, at certe minutioris nominis Hypodidaſcalus, quam *Doglionus*, nec celſioris ii duo, quos ipſe defendit. At objicit errorem locorum dum *Butrium*, & *Longianum* poſt *Sabinianum* locat, & *Luſum*. Sunt verba *Doglioni*. *Mà ritor-*
C *nando alla via Emilia vi è Savignano, e poi trouaſi il Fiume Pluſa da Plinio detto Apruſa, & deſcende dal monte Apennino entrando nel Mare appreſſo Bellaria. Più oltre s'incontra nel Torrente Butrio, e che hà vicino Longiano nobil Caſtello.* At non neceſſe exponere *Doglionum*, quaſi dicat ultra *Apruſam* eſſe *Butrium*, & *Longianum*. Poſſumus enim exponere (ibi) id eſt in via ipſa *Æmilia* ultra, ſeu præter dicta reperiri *Butrium*, & *Longianum*. Cur enim non mitius exponamus cum nihil impedit Scriptorem inductum; præterquam quod non ex unico errore, eſt totus author damnandus, quis enim eſt qui ſcribendo, non ali-
D quando erret? *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Ad *Aldum Manutium*, cujus antea teſtimonium ſcripſimus, dicit ab Archiepiſcopo *Tarraconenſe* reprehenſum fuiſſe: at non reprehendit Archiepiſcopus is Fluvium in cujus ripa eſt Edictum eſſe verum *Rubiconem*, imo ultro ipſe fatetur, ſed damnat Edictum, ut fictitium. Sed ſive verum, ſive fictitium Edictum ſit; Dum verum ſit, & concedatur Fluvium in cujus ripa eſt, eſſe antiquum *Rubiconem* ſatis eſt *Claramontio*, & nobis, & *Piſſatello* ad hoc, ut ſit antiquus *Ru-*
E *bico.*

Tot ſunt Authores, qui diſertis verbis dicunt, *Rubiconem* antiquum eſſe *Piſſatellum*, neque hic negat ab illis dicta, quæ nos illis tribuimus; vera ergo eſt aſſeveratio noſtrum *Piſſatellum* pro ſe teſtimonia habere, plana, apertaque revocavit hic ſolum in dubium *Strabonis* locum: At inſulſa expoſitione; Et *Plinii* teſtimonium, at extorte interpretando, & Diploma Imperatoris *Federici*, & acta coram *Uberto*: poſt longam tergiverſionem demum confeſſione ſignificationis ejus ipſius, quam nos contendimus.

F CAPUT XI. 62

Reprehenduntur malitioſæ digreſſiones aliquæ Hypodidaſcali.

Cum itaque intelligeret tandem teſtimoniis vinci poſitionem *Ariminenſem* a *Cæſenate*, gravium virorum teſtimoniis, quæ nulla pro ſe habent, poſt reſponſionem adhibitam teſtimonio *Aldi Manutii*, poſtremo loco a *Claramontio* numerato, rurſus quærit legentium animos in gyrum deflectere, & involvere vertiginem digreſſio-

ne, immo digreſſionibus prolixis. Prima eſt, repetito Edicto in *Piſſatelli* ripa collocato, proponit diſputationem. Utrum Tyro ſit ſcribendus per *y* ut in Edicto, an per *i* ut Archiepiſcopus *Tarraconenſis* aſſeverat. Sed nihil ad diſputationem de nomine *Rubiconis* facit digreſſio, ad veritatem Edicti, aut falſitatem aliquid: verum nos ex edicti veritate non arguimus, ut jam proteſtatus ſum. Licet poſſe defendi oſtenderim ſicut etiam ab hac objectione de Tyronis voce cum *y:* nam eſt inter doctos ea de re dubitatio utro modo ſcribere oporteat, cur non etiam inter diverſarum Civitatum, & gentium inſcriptiones non potuit eſſe differentia, & utraque opinio eſt nacta patronos. In *Calepino* a ſe caſtigato *Paulus Manutius* tantæ eruditionis homo, aſſerit hunc inter doctos diſſenſum in voce (*Tyro*) cum vocem ita propoſuerit, multaque ejus exempla protulerit, tamen in calce eſſe etiam, qui ſcribant *Tiro* fatetur, eique modo ſcribendi potius applaudit, eo quod non reputet eam eſſe vocem *Græcam.*

Secunda digreſſio prorſus aliena a propoſito, & re, & ſpecie, eſt de numiſmate invento paucis ab hinc annis in ruinis antiquiſſimæ Turris, illius credo, quæ Turris Imperatoris dicebatur. Erat in eo facies admodum juvenilis, & in limbo literæ. *Honorio Maximo:* Accedunt numiſmati carmina *Claudiani* adducta itidem a *Claramontio.*

Deſitumque propinqua.
Luce frui ſpatiis decernens gaudia parvis,
Torquebunt Rubicon vicino nomine Tybrim?

63 Ex carminibus de numiſmate *Honorium* delectatum ejuſmodi receſſibus. At hic homo iis omnibus infenſus, quæ in ornamentum *Cæſenæ* cedant, refragatur: quoniam ſi numiſma illud unum indicet *Honorium Cæſenæ* moratum eſſe concludi pariter poſſet, omnes Reges, Imperatores, & Conſules quandoque *Arimini* divertiſſe, quia abundat ejuſmodi numiſmatibus mirum in modum, & omnium ferme Imperatorum ſcilicet, & Conſulum, & Regum: at mi Hypodidaſcale ex longe diverſis arguis. Longe differunt numiſmata habere in Muſæo, aut ſcrinio, & poſitum eſſe numiſma in fundamento alicujus magnæ molis, plerumque enim Princeps cujus juſſu ſtruitur, vel ipſemet jacit, vel ipſo præſente collocatur.

Sugillat deinde applicationem carminum *Claudiani*, dicitque pariter ſuffragari *Cæſenatibus* atque Columnam. At primum expleo ſermonem de carminibus, quem ipſe repetit in calce reſponſionum ſuarum argumentis *Claramontii.* Carmina ſunt *Claudiani* antea indicata ad *Gennadium.*

Italiæ commune decus, Rubiconis amæni
Incola, Romani fama ſecunda fori
Grajorum Populis, & noſtro cognite Nilo;
Utraque gens faſces horret, amatque tuos:
Carmina jejunas poſcis ſolantia fauces.
Teſtor amicitiam, nulla fuiſſe domi,
Nam mihi poſt nidum pennis confiſa relinquunt,
Et lare contempto non reditura volant.

Claramontius ex his verſibus ducit *Gennadium*, qui & *Italus* exponitur a Poëta, & incola *Rubiconis*, *Cæſenatem* fuiſſe, cui *Rubico* attribuitur, ut ex *Strabone*, & tot aliis Scriptoribus conſtitit, at Hypodidaſcalus *Gennadium* ex eiſdem verſibus *Ariminenſem* concludit eſtque ejus ratio: pono verba. *Verum cum Rubicon dividat Galliam ab Italia, & Cæſena Galliæ ſupponatur, decernatur, an Gennadius Ariminenſis vel Cæſenas ſit habendus.* Quaſi ſcilicet tempore *Gennadii*, & prius tempore *Plinii*, immo, & *Strabonis*, prius multo *Italia*, cujus terminus fuit primum *Æſis*, & poſtea

A *Rubico*, non ad Alpes fines porrexerit, ut nedum *Ariminum*, ſed etiam *Cæſena* fuerit in *Italia Strabo. Poſt infimas Alpium radices ejus, quam hac ætate Italiam vocant, initium eſt.* 64 *Plinius* octavam *Italiæ* Regionem ultra *Rubiconem* magna ex parte ſtatuit, in eaque Regione collocat: eo amplius ultra *Rubiconem* ad Occaſum ſunt reliquæ Regiones nona, decima, undecima. Moneo te prius conſulto, deinceps opus eſſe ſcripto. Venio ad Columnam in noſtro Territorio, ubi defoſſa jamdiu jacuerat paulo prius detectam.

His eſt literis ſculpta.

B
D. N. IMPERATORI CÆSARI
CONSTANTINO.
MAXIMO.
P. F. VICT. AVG.
PONT. MAX.
TRIB. POT. XXIII.
IMP. XXII. CONSVLI
P. P.
HVMANARVM RERVM
OPTIMO PRINCIPI
D. CONSTANTI FIL.
BONO R. P. NATO.
C
M. P. X. V.

Claramontius expoſuit poſtrema verba, vel literas poſtremas: *monumentum poſuere decem viri*, vel *quindecim viri.* Ridiculam expoſitionem vocat Hypodidaſcalus, exponendaſque cenſet *millia paſſuum quindecim.* Reſpondeo pro *Claramontio.* Ejuſmodi literas M. P. X. V. majuſculas ſcilicet, & interpunctione diſtinctas plura ſignificare poſſe, patet ex *Valerio Probo*, *Mangone*, Paulo Diacono *de notis*, & ex *Papiæ Gloſſario.* Ex. gr. M. ſignificat interdum monimentum M. C. penes *Valerium Probum* monumentum condidit, vel
D conſervavit, vel conſtituit, & M. ipſum per ſe apud eundem ita explicatur. Marius, vel Miles, vel monumentum, vel Mutius, vel mulier: at ſignificat etiam mille. Ita litera P. in plures ſignificatus exponitur. Significat Poſuit, vel Publium, vel Peſſimum, aut peſſimam, & alia plura, remitto ad memoratos Authores. Non nego poſſe ſignificare M. P. X. V. millia paſſuum quindecim, ac poſſunt etiam ſignificare monumentum poſuere, &c. ut exponit *Claramontius* ex vi literarum. At utrum tunc ſignificent eſt ex vocum ſerie dijudicandum. Nunc conſtructio eſt pro *Claramontio*: cum enim nomen Impera-
E toris, & epitheta ſint in dativo id quod conſtat ex vocibus Conſuli, & Principi nonniſi dedicatio convenit aliqua certe ſi ſubjiciantur juxta ex- 65
poſitionem reprehenſoris millia paſſuum quindecim nulla accommodata conſtructio excogitari poſſet quid enim ſibi vellet Imperatori, &c. Quindecim millia paſſuum? Si in ablativo eſſent voces, ſenſum habere aliquem poſſent, imperante ſcilicet Conſtantino dimenſam eſſe diſtantiam, & ejuſmodi eſſe videtur exemplum e Sarayna *Veronæ* ab hoc homine poſitum, at multo aptior eſt conſtructio cum in recto ponitur diciturque Imperator perduxiſſe viam ad longitudinem ali-
F quam. Ejuſmodi eſt ſecundum ejus exemplum: in quo *Hadrianus* viam *Caſſiam* vetuſtate collapſam dicitur a *Cluſinorum* finibus *Florentiam* perduxiſſe millia paſſuum XXC. I. Conſtructio hæc plana, at quæ ſimilitudo hujus inſcriptionis cum adducta a *Claramontio?* Eſt tranſcendere *ab Aſinis ad Boves*, ut in adagio. At nihil mirum in hoc homine ab re loqui: vidimus idem antea non ſemel. At exciderat propinquum aberrationis a propoſito exemplum, quod repono. Ad id

id *Claramontii*, quod *Honorius* quandoque fuerit
Cæsenæ, ceu in secessu quopiam æstivo, statim
ipse degenere more micropsychiæ occurrit, quin-
imo firmiore argumento *Honorium* eundem *Ari-
minum* incoluisse. Probat vero ex actis S. *Bar-
batiani* in quibus habetur *Gallam Placidiam*, &
Filium *Valentinianum Arimini* fuisse. Ego id pri-
mum quæro, cur hæc diligentia obtrudendi *Cla-
ramontio* mansionem *Honorii* interdum *Arimini?*
Non possunt hæc simul esse, ut interdum *Cæse-
nam*, interdum *Ariminum* diverterit: certum enim
resedisse *Ravennæ* est, nec *Cæsenæ*, nec *Arimini*,
at interdum etiam ab ea sede recessisse. At illud
certe deridendum, an miserandum? ut probet
Honorium fuisse *Arimini* inducit acta *D. Barba-
tiani*, quæ de *Placidia*, & de *Valentiniano* filio
ejus non de *Honorio* loquuntur, de quo ne ver-
bum quidem: ipse quasi pro dictis de *Honorio* af-
fert, ac ponit, quod non aliud est, quam non
ad rem velle perpetuo ferme loqui.

66 CAPUT XII.

Quid dicat ad sustentandas Rationes Clementini Hypodidascalus, & dictorum confutatio.

In hoc secto consideranda sunt, quæ Hypodi-
dascalus, ad sustinendas rationes *Clementini*,
& *Portæ* quorum rationes singillatim adduximus,
& solutiones *Claramontii* apposuimus. Inde ne-
cesse est repetere ne actum rursus agamus, adeo-
que volumen, quod optat esse breve, frustra cre-
scat. Prima ratio *Clementini* erat summatim quo-
niam aliqui Scriptores dicunt *Pissatellum* esse pro-
pe *Ariminum.* Pro solutione notavit *Claramon-
tius* Geographorum morem, qui ex ostiis descri-
bunt Flumina, per gradus scilicet ostii singula
collocant, non per loca mediterranea, per quæ
transeunt. Videat quisque *pag.* 70. plenius tra-
ditam solutionem; Hypodidascalus autem impu-
gnat solutionem. Primo loco cum *Claramontius*
negat illam consequentiam in universum veram
esse; ex dicto, quod sit prope *Ariminum* inferri
Lusum esse *Rubiconem*: ut præ se ferat quanta sit
in ipso peritia methodi dicit ex ea consequentia,
& proximitate si non ostendatur *Lusum* esse *Ru-
biconem*, multo minus posse id de *Pissatello* pro-
bari; sed cum solvitur ratio contra cujuspiam
positionem, non est munus solutionis probare
positionem suam, sed impedire ne probetur con-
traria positio; nos certe ex dicto *Vibii*, *Seque-
stri*, & aliorum, qui dicunt *Rubiconem* esse pro-
pinquum *Arimino*, non probamus *Rubiconem* esse
Pissatellum, sed vera declaratione, & germana
propinquitatis tuemur; quod ex propinquitatis
assertione ejusmodi non concludatur, *Lusum* esse
Rubiconem: at probamus ex dicto *Strabonis*, &
ex aliis tot gravibus Scriptoribus id asserentibus,
ut frustra dixerit in ipso initio. *Eo minus conclu-
datur Rubiconem esse Pissatellum.* Et multo ma-
gis frustra dicit, quæ de voce (juxta) digredi-
tur. Quæ omnia ex distinctione, & declaratio-
ne propinquitatis evanescent, de proximitate sci-
licet ostii dici, non de proximitate mediterra-
nea, ac absolute dicitur *pag.* 71. Secundo loco
impugnat ex ostiis describi Flumina. Ostendit
67 *Claramontius* ex *Ptolemæo* qui ita facit: at hic
primo negat dicendum *Ptolemæum*, sed *Ptole-
mæos*; quasi scilicet Authores ex multitudine
exemplarium ipsi quoque multiplicentur. Abi
imperite. At dicit in *Malombrio*, in *Magino* nun-
quam a se observatum ex ostio describi Flumina:
subjungit a *Ptolemæo* non semper per ostia descri-
bi Flumina, sed per fontes, probat ex *sept. lib.
Ptolemæi*, & ex *Pado*, ubi per fontes describun-
A tur, & illi Fluvii, & hic. Doctrinæ ejus sum-
ma est. verba ejus refero. *Ut ab ostio tantummodo
Flumina describerentur, sed quandoque a fonte, sive
a capite, modo vero ab ostio, vel pede, ut situs ipse
locorum postulat.* At falsum omnino est non sem-
per a *Ptolemæo* per ostia describi Flumina, &
cujusque ostio apponi loca maritima ex utroque
latere propinqua sive ora tendat secundum longi-
tudinem ab Occidente ad Orientem, sive secun-
dum latitudinem ab Austro in Septentrionem, si-
ve obliqua sit. Notandum autem est ad sublevan-
dam hujus imperitiam. Potiorem in *Ptolemæo*
partem esse, in qua locorum gradus longitudinis
B tum latitudinis describuntur. Est altera pars,
quæ figuram Provinciarum exhibet ex descriptio-
ne priore graduum. Utramque ejusmodi partem
in singulis *Ptolemæis* observamus sive studio *Ru-
scelli*, sive *Moleti*, sive cujuspiam alterius pro-
dierint. Videmus etiam descriptionem Provin-
ciæ per figuram apud recentiores duplicari: Aliæ
enim secundum antiquam, aliæ secundum recen-
tem compellationem figurantur. In descriptione
per gradus absque figura *Ptolemæus* Regiones,
ejusque primum maritimam oram universam de-
scribit, graduando singula loca: postea ad me-
C diterranea pergit omnia, & ipsa gradibus longi-
tudinis, & latitudinis describendo. In *Italia* pro-
gressum ejusmodi declaro. Exorditur descriptio-
nem *Italiæ* a Flumine *Vari*, inde percurrit loca
maritima *Liguriæ*, *Hetruriæ*, *Latii*, *Campaniæ*,
Picentinorum, *Lucanorum*, *Brutiorum*, *Magnæ
Græciæ*, *Calabriæ*, *Apuliæ*, *Piceni*, *Senonum*,
Bojorum, *Venetorum*, *Histriæ*; Confecto gyro ad
loca mediterranea transit singula itidem suis gra-
dibus definiendo. In descriptione oræ maritimæ
ostia singulorum Fluviorum ad mare pertingen-
tium: locorum mediterraneorum per quæ trans-
eunt nulla mentio. Ostio hinc, & inde sunt lo- 68
D ca necessario proximiora cæteris locis, ut de *Ti-
beri*, & de *Arno* dixit *Claramontius.* At ego nunc
dicam de *Pado*: huic ostio *Ptolemæus* ex altera
parte *Ravennam* proximam collocat, ex altera
ostium *Atriani* Fluminis, & quia ad septimum
librum provocat in eodem lib. ubi de *Gange*, &
de *Indo* agit singulorum ostia gradibus determi-
nat, & loca pariter adjacentia: fontes etiam *Gan-
gis*, & *Indi* describit, at id in paucis Fluviis,
neque id negat *Claramontius*, cujus doctrinæ hæc
est summa: perpetuum est, & in omnibus Fluviis
sit, per ostia describere, per fontes autem simul
in paucis, ac raro; per loca mediterranea, nun-
quam, & id præsertim respiciebat quarta ratio
E *Clementini.* Verum, quæ solutio ad majorem
explicationem a me fuit addita contra pervica-
ciam adversarii, ad solutionem *Claramontii* pro-
latandam, & magis explicandam repetatur ani-
mo a legente, & adjungatur his dictis de proxi-
mitate; declarari, scilicet ab Auctoribus proxi-
mitatem eam esse, quæ inter *Ariminum*, & *Pis-
satellum* supra *Sect. hujus Cap.* VIII. ad testimo-
nium *Boccatii.*

Secunda *Clementini* Ratio, & solutio ejus per
Claramontium patuit supra *Sect.* II. *cap.* 2. fuit
autem, *Lusum* esse *Rubiconem*, quia fluit inter
Ariminum, & *Ravennam* sicut *Rubico* etiam. Quæ
F cum ex canone analysis resolvatur in secundam fi-
guram ex duabus affirmativis, idcirco peccare in
formam syllogisticam dicta est, & jure a *Clara-
montio.* Occurrit autem Hypodidascalus, ut cum
reliquis virtutibus patefaciat imperitiam omni-
modam logicæ suam, nullam esse ibi *Clementini*
rationem, sed dilucidam, & simplicem narratio-
nem, ad cujus dicti confirmationem reponit:
verba *Clementini* sunt autem. *E perche l'opinione
de Riminesi è senza dubbio vera stimo, che non sia*

faor di proposito il dimostrarlo. Jam ergo proponit se conclusionem eam demonstraturum, ac sine ratione non est demonstrare, cum demonstratio sit ratio, & syllogismus ex *Aristotele*, qui eam definit syllogismum facientem scire; statim autem ad demonstrandum subjicit, quia *Rubico* est juxta *Ariminum.* Quæ est prima ratio, & fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*; quæ est secunda, & ex commemoratione per *Silium Italicum* facta
69 Civitatum fidelium *Romanis*, quæ est tertia ratio, & quia nulla facta est mentio *Cæsenæ*, quam quartam rationem distinxit *Claramontius*, nam singuli medii termini singulas rationes constituunt. Enthymemata ergo sunt ea quatuor, quæ resolvenda esse in syllogismos integros, & jubet Aristoteles *in pr. prior. analyti.* & multa cum diligentia explicuit Claramontius in *lib. de Methodo*, quem librum præstabat legisse Hypodidascalum, quam se imperitum logicæ declarare, ut non sit potis distinguere rationem, & enthymema a simplici narratione.

Retorsio Rationis quædam per Hypodidascalum.

Subjungit autem si *Clementinus* argumentari voluisset hoc alio argumento usurum; consuluit, scilicet manes *Clementini*, & hanc responsionem obtinuit. *Rubicon* inter *Ariminum*, & *Ravennam* fluit. *Pissatellus* non fluit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, ergo *Pissatellus* non est *Rubicon.* Syllogismus non peccasset in formam, sed falsa minore usus esset: num molæ, quas volvit non sunt inter *Ariminum*, & *Ravennam*? Num vertuntur molæ ab aqua absque fluxu? Quæ de ostio dicit, & improperia in *Pissatellum*, jam rejecta non semel, exoluere.

Tertia ratio ex *Silii Italici* carminibus ducta, & *Claramontii* responsio fuit exposita antea *Cap.* 2. *eadem Sect.* occurrit responsioni, & solutioni Hypodidascalus, quod ibi *Sena* debet legi non *Senæ*, & ibi Fluvios sumi pro Urbibus, & Populis. Idemque de *Sena* dicendum, Flumen scilicet ab ipsa voce significari non Oppidum. *Claramontii* in solutione votum fuit adversus *Clementinum* non meminisse *Silium Arimini.* De *Cæsena* autem fuit pro auctario, neque auctarium tamen demolitur ratio Hypodidascalus, nam nihil prohibet cum metonymia conjungi propriam appellationem, ut Virgilius.

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.

Primo loco est metonymia, secundo loco propria gentis appellatio. Ut non sit inconveniens *Clanim*, & *Rubiconem* esse Fluvios, significare populos metonymia, & *Senam* esse Oppidum, non tamen pro expositione oppigneravit fidem,
70 cum, & comparative sit loquutus, potius scilicet *Senam* significare *Cæsenam* quam *Ariminum*, ideo incuriam reprehendit adducentium pro se loca potius contraria, potius quam *Claramontium*, ad eos scilicet potius quam ad hunc spectat reprehensio, quam subjicit.

Quarta ratio *Clementini* ex eo quod nulla mentio facta sit *Cæsenæ*, & solutio *Claramontii* supra constitit (dicto *cap.* 11.) videamus occursum Hypodidascali est autem pro ejus sapientia contraria argumento, quod solidare vult. Erat ratio *Clementini* eo quod mentio non sit facta *Cæsenæ* in commemoratione *Rubiconis*, ideo non pertinere *Rubiconem* ad *Cæsenam*, ut scilicet includatur prope universalis (omnis Civitatis, ad quam pertineat aliquod Flumen in descriptionis Fluminis mentionem fieri) instat *Claramontius* universali ejusmodi propositioni inducendo *Tiberim*, & *Arnum*, hic defensor *Clementini*, qui debebat ostendere universalem eam esse veram, contra ponit propositionem contrariam non teneri Geographum ad singularem descriptionem. Hoc est

A non tenetur per te Geographus memorare in describendo *Rubicone* Civitatem, cujus est; nec ergo si omissa est *Cæsena* consequitur *Rubiconem* ad eam non pertinere.

Qui vero dicunt (nisi hic illis imponat) *Ptolemæum* apposuisse descriptioni *Tiberis Romæ*, & *Arni Pisarum* nomen. Contra codices *Græcos*, & *Latinos* id summo viro affingunt, qui nonnisi longo post tractu inter mediterranea loca eas Civitates collocat, & gradibus determinat.

De Appendicibus rationis.

Dixi ego loca mediterranea describi ex Fluviis, vel scindentibus Civitatem, vel alluentibus,
B non autem Fluvios ex Civitatibus, objicit immanem ergo esse errorem *Ptolemæi*, qui non meminit Fluviorum in describendis mediterraneis locis: at vero nihil est tam bene dictum quin male dicendo corrumpatur, ut est vetus diverbium. descriptio alia est per gradus, ut *Ptolemæi*, alia est historica, ut *Strabonis* universi Orbis, *Pausaniæ Græciæ*, *Leandri Alberti Italiæ.* Illa non 71
describit mediterranea per Fluvios, sed singula per gradus: hæc describit.

Objicit a *Clar.* implicari non solvi, cur Scriptores *Cæsenæ Rubiconis* non meminerint: sed
C cur non meminerunt? si *Strabo* meminit, si *Blondus*, si *Leander*, si *Maginus*, si *Manutius*, si *Munsterus*, si quicunque de Edicto egerunt, & *Rubiconis*, & *Cæsenæ* meminerunt. Cætera, quæ de *Cæsenæ Arimini* amicitia, & inimicitia dicit, ut aliena ab hoc loco facessant. Id unum dici potest nunquam tantum specimen odii in *Cæsenam* editum turgentibus etiam armis, quantum effundit virulentia hujus impotentis Scriptoris, sed ex dicentis indignitate exolescunt dicta, & dictorum effectus. Quæ de Edicto autem dicere prosequitur omitto rejiciens, qui legit ad Claramontium in *Apparatu pag.* 3. *lin.* 23.

D Quinta ratio *Clementini*, & solutio *Claramontii*, immo retorsio supra *Cap.* VIII. est autem ex Diplomate *Federici*, & actis coram *Uberto* Arbitro. Occurrit illud unum dicendo a se antea efficacissime pro *Ariminensibus* conclusum: at conclusio efficacissima ejus fuit confessio, ejus ipsius, quod intendebant *Cæsenates* in dictis illis. *Rubiconem pro Pissatello sumi.* Supra *Sect. hac Cap.* VIII. & eam confessionem, conclusionem efficacissimam pro *Ariminensibus* suis esse, audet dicere, nec pudet tam aperti mendacii: at est ille locus sophisticus, quem supra indicavimus ex audacia concludendi, cum nulla est vis concludendi.

E Sexta ratio, & solutio *Claramontii* habetur supra. Quoniam ergo assumptum rationis *Clementini*, quo asserebat, nullum jus in *Rubicone* habuisse esse inane, & debuisse probare *Clementinum* non simpliciter asserere est solutio; hic probat partes *Clementini* suscepturus his verbis. *Respondetur id inde desumi, quia Cæsenates nunquam finibus Rubiconem, sed aliquando neque Pissatellum attigerunt*; at hoc est quod demonstrare oportet; subjicit ergo demonstrationem hanc. *Sane quidem Cæsenæ fines non abfuisse mille passuum a Pomerio probatur, tum testimonio Hieronymi Rubei Hist. Raven. tum juribus Monasterii Classis ab ipso*
F *adductis.* Esse impudentem in omnibus est locus protervæ disputationis ab *Aristotele* notatus, at in evidentissimis sensu mendaciis esse impuden- 72
tem superat gradum omnem humanæ impudentiæ. Adeo enim grave cuique homini modo sensum humanitatis habeat, haberi mendacem, ut cum aliqui mentiri dicerentur expiabatur ejusmodi nota monomachia prioribus non multo antea temporibus: ut qui palam mentiri non erubescat, exutum oporteat esse sensu omni existima-

mationis de se hominum. *Rubeum* inducit in testimonium, quod *Cæsenæ* Territorium non habuerit fines a Civitate milliario unico distantes, non pertransire *Pissatellum*: at loca *Salæ*, *Branchisii* de quibus loquitur *Rubeus*, & loca adducta Monasterii *Classensis* sunt ultra *Pissatellum*, qui a Civitate distat bis mille passus, sunt inquam ultra tria circiter milliaria, est hoc sensu ipso conspicuum; & etiam testimonium non erubescit adducere ad finiendum Territorium, intra *Pissatellum*, immo intra unicum milliare ab Urbe. Triumphat mendaciis, immo nota mendacis.

Adducit ad eandem angustiam finium *Cæsenatum* columnam ex *Claramontio* memoratam in signum devotionis erga *Constantinum Magnum*, & ipse sua auctoritate *Ariminensibus* tribuit, at in nostro Territorio fuit effossa. At si etiam concederetur *Ariminensibus* (quod abest a nostra constantia) tamen quatuor, & amplius milliaribus locus, ubi defossa erat a Civitate *Cæsenæ* abest. Mi Hypodidascale resipisce, non est hoc scribere ad gloriam, sed ad ignominiam tuam; non ad defensionem *Ariminensium*, dum decorem nobilissimæ Civitatis tuis patentibus mendaciis obtenebras.

At quasdam membranas conditas *Arimini* non editas pro te adducis: at quis tibi credat in abditis, qui in patentibus adeo fallacem te prodis?

Quæ dicit postea hic vir, ac subjungit post *pag.* 97. jam excursam usque ad *pag.* 106. Sunt digressiones, & involucra. Non potuisse esse limitem *Galliæ*, & *Italiæ Pissatellum*, quia non est Flumen. Jam hoc est rejectum: quia est exiguus, & hoc etiam argumentum rejecimus non scilicet ex magnitudine limites sumi, sed ex situ, & ex possessu partium: accommodatur enim limes agris dividendis. At probat, quia fuit *Rubicon* in Territorio *Arimini* ex auctoritate *Clementini*:
73 perbelle sane, adducere auctoritatem ejus contra quem disputatur. At forte, qui perversa methodo grassatur ei etiam licet petitione principii uti: in qua petitione deinceps evagatur confirmando propositiones *Clementini*, a me reprehensas per *Clementinum* ipsum.

Postremo quoniam internum virus demum erumpit: erumpit etiam in calce digressionis. *Ad quid* (inquit) *Rubico*, *Sena*, *& Brennus*. Nempe pungit *Cæsenam* esse *Senam* sedem Regiam *Senonum*, cujus Rex *Brennus Romam* ipsam cepit. Cui Regiæ parebant loca omnia *Senonibus* subjecta. Hoc pungit sublimes animos, qui *Romandiolos* se esse dedignantur. At mirum est improbare, ideo Hypodidascalum *Cæsenam* fuisse *Senonum* germanam, & indubitatam habitationem; cum id dicat *Cluverius*, quem tanti semper hic facit. Is in *antiqua Historia. lib.* I. *cap.* XXIX. dicit. *De cætero quia, incertum est, alias ne, & quas Urbes sive vicos etiam incoluerint tum Senones præter Senam, & Cæsenam, quæ ipsis vocabulis conditorum nomen, atque memoriam præ se ferunt.* Concipit in *Cæsena* posteriores syllabas *Senam* dicere *Cæsenam*. *Senogalliam*, in primis duabus verum ipse communem sententiam sequitur, *Senam* esse ipsam *Senogalliam*, in hoc tamen falso, ac in illa vere *Cæsenam* a *Senonibus* habitatam, ac conditam, vel verum etiam ampliatam esse. Amplius vero cum affirmat ex hoc loco discessisse *Senones*, cum *Romam* profecti sunt, nonne indicat hanc Civitatem fuisse eorum Regiam? qui præsertim nostram Civitatem magnificat? quique eam Castrum vocavere reprehendit, ut *Claramontius* reprehendit eum, qui indicem in *Procopium* confecit, dum *Cæsenam* vocat, ipse quoque falsa expositione vocis φρούριον Castrum quod nomen locum munitum significat, sive Civitas sit, sive

A Castrum interdum Castellum ipsum significat, ut *Cluverius* hac in re possit mitius cum *Procopio* agere de nomine φρούριον pro septima ratione.

Septima ratio, cum solutione *Claramontii* patet *eod Sect. cap.* 11. repetendaque omnino animo est, ac memoria renovanda, nam Hypodidascalus in ejus patrocinio mire tergiversatur. Fundamento ergo *Clementini*, quod centum quinquaginta quibusque annis Fluenta hujus Provinciæ alveum ampliaverint altero tanto, sive in du- 74
plum. Dupliciter instat *Claramontius* primo quidem quod Flumina ex *Aristotele*, & Fluenta non
B semper crescunt, sed habent tempus etiam decrementi, unde oportebat *Clementinum* ad confirmandum sumptum fundamentum ostendisse seculis hoc nostrum præcedentibus fuisse semper Fluenta in incremento quod non probavit, immo nec probare potuit, cum sit falsum, ut probat *Claramontius*, & est secunda instantia duplici argumento. Primam instantiam deducit *Claramontius* ex Aristotele *primo Meteorum*, & quoniam hic homo dicit a se non intelligi ibi *Aristotelem*, seu ex *Aristotele* ductam instantiam, ideo locum etiam pro *Claramontio* adduco. Is enim non credidit unquam ab Hypodidascalo de scientiis rescriptum
C iri. Verba ergo *Aristotelis* indicantia satis aperte Flumina habere ortum, incrementum, & statum, & decrementum, & finem, instar animalium, & plantarum. verba sunt *Aristotelis* ponentis causam ejusmodi progressus. *Principium quidem horum, & causa est quod, & terræ interiora sicut plantarum, & animalium statum habent, & senectutem illis quidem* (scilicet animalibus, & plantis) *non secundum partem, accidit hæc pati, quia scilicet non senescunt plantæ, & Animalia secundum superiores, & non secundum inferiores partes; verum secundum omnes simul (ac simul) secundum scilicet omnes partes, in statu esse, & decre-
D mentum pati necesse est: Terræ autem hoc fit secundum partem (non enim tota Terra simul exsiccatur, aut humectior redditur) caliditate abundat, aut frigiditate propter frigus, & caliditatem, hæc igitur crescunt, & diminuuntur, incrementum, & decrementum antea statum, senescentiam, quam consequitur interitus.* (sed mox adhuc Aristoteles) *propter hæc autem, & virtutem partes Terræ accipiunt differentem, quare aliquamdiu aquosa possunt permanere, deinde exsiccantur, & senescunt iterum. Aliarum loca vivificantur, & aquosa fiunt secundum partem. Necesse autem est cum loca fiunt sicciora, fontes deleri his quidem accidentibus fluvios
E primo quidem ex magnis parvos, deinde tandem fieri siccos.* En statum decrementum, & interitum gradatim Fluviorum. At proportionalem esse generationem, ejusque progressum ad statum his facit. *Cum autem Fluvii transmutantur, & hic quidem deleantur. In aliis autem proportionaliter generantur.* Ne vero credamus esse Flumina, 75
quæ perpetuo fuerint secundum *Aristotelem*, ejusque Philosophiam, de qua nunc agimus ipsemet his verbis in eodem Cap. declarat. *Manifestum* (inquit) *quid neque Tanais, neque Nilus semper fluxit, sed erat aliquando siccus locus unde fluunt.* Et generationem ergo Fluviorum, & incrementum,
F & statum tradit *Aristoteles*, & decrementum exactissime, & finem. Quæ *Aristotelis* verba, & sapientissimi *Conimbricenses* pariter sua interpretatione expresserunt. At illud præterea noto satis esse ad instantiam *Claramontii* dare decrementum Fluviorum, etiamsi incrementum abrogaretur totum: nam si quandoque decrescant Fluenta, non possunt ergo omni tempore crescere, & si denegetur incrementum omne, falsum esset penitus dictum idem *Clementini*, quod Fluenta hu-

jus

jus Provinciæ creverunt præcedentibus hucusque seculis. Ad hanc instantiam hæc profert Hypodidascalus. *Ignoro enim quomodo Claramontius ex hac Aristotelis doctrina conclusionem istam deducat, ergo Flumina non possunt dilatare alveum.* At quam tu conclusionem *Claramontio* tribuis? cum ex *Aristotele* ponat, & incrementum, & decrementum Fluentorum quomodo negat posse dilatare alveum Fluenta? Nonne necesse est in incremento dilatare? neque *Aristotelem* ergo intelligit, neque *Claramontium*: non negat *Claramontius* non posse dilatare Fluenta, negat in hac Provincia semper dilatata esse præsertim secundum progressionem geometricam duplam centenis quinquagenis annis, longe hæc inter se differunt. Sed etiam in puncto præsentis disputationis aberrat. Dicit enim. *Mihi probandam dilatationem Fluviorum desumi ex Philosophia, eamdemque experientiæ non refragari.* At tibi non est probanda dilatatio, quæque Fluviorum non scilicet cum ex pluvia crescunt Amnes, qui exeunt tum ex ripis, & aggeribus: quam dilatationem describit Poëta.

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Fertur in arva furens culmo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit.

Non de hac dilatatione agit *Clementinus*, ex qua cum resedit impetus pluvialis alveum intra soli-
76 tum aqua tota recipitur, & alveus idem restat, nec intervallum centum quinquaginta annorum expectatur ad incrementum, sed mutatio temporis, at aëris ex sereno in pluviosum: nec sequitur progressio geometrica dupla centenis quinquagenis annis alvei; sed cessante aquarum turbulentia idem perseverat alveus: sed quam alienæ, & insipientes nisi forte malitiosæ consequentiæ, quas tribuit *Claramontio? Sunt autem non semper inquit Aristoteles eadem loca Terræ aquosa, sunt neque arida, sed permutantur secundum Fluviorum generationem, & defectum fossæ Rivuli, Fluvii hujus Regionis centum quinquaginta ab hinc annis alveos non prolatarunt.* Et hanc consequentiam tu *Claramontio* imponis? Si ex perversa intelligentia hæc dicis, mira ignorantia: si ex malitia, mira impudentia: idem de sequentibus duabus consequentiis, quas affingis homini solide philosophanti, & clarissimis verbis mentem ibi suam exponenti: oportebat instantiis secundum verum sensum occurrere, non secundum depravatum, & confictum & dilatatione ex pluviis occurrere absurditati incrementi alvei, altero tanto singulis centum quinquaginta annis. At calculo sexaginta usque trium milliarium quantum oporteret esse latitudinem alvei nunc *Arimini* Fluminis respondet digna ipso responsione. *Quare* (inquit) *hanc latitudinem non solum dico non esse portentosam, immo si omnes causæ concurrissent futuram fuisse necessariam.* Et rationem concludit, quoniam posita causa, & non impedita, necesse est ut consequatur effectus. Recte id sane; at cohærent, ex causa non impedita sequi effectum, & si sit actu effectus fuisse causam non impeditam actu: quoniam ergo dogma *Clementini* est Fluenta in duplum de facto, & actu dilatasse alveos: verba sunt. *Tutti i fossi; e Rivi, e Fiumi da 150. anni in qua habbiano alla gati li loro letti quanto haveano prima, &c.* Effectus igitur dilatationis de facto, non de possibili asseritur à *Clementino*, ergo causam dilatationis plenam, & non impeditam fuisse ex dictis *Clementini* sequitur: ergo non de possibili sed actu alveus *Ariminensis* fluvii occupat milliaria 63. adeoque Civitas *Cæsenæ*, & ejus vineta, *Forolivii* Urbs, & ager *Faventiæ*, *Immola*, *Castrum Sancti Petri*
77 cum integris agris in alveo Fluminis *Ariminensis*

A sunt. Erit *Piscosa* jam *Romandiola*, & incolæ (arbitror) pisces. Ineptus ego sum, qui cum inepto de ineptiis adeo ridiculis agam.

Octava ratio *Clementini* ex pusillitate *Pissatelli*, & solutio *Claramontii* repetatur, & revocetur. Hic ex eodem *cap.* 2. cum responsio autem ex instantia esset adversus propositionem subintellectam. *Pissatellum* Fluentum non posse limitem esse magnarum Provinciarum, seu inter magnas Provincias. Quia si exigeretur magnitudo respondens amplitudini Regionum, neque *Padus* esset aptus *Galliæ*, & *Italiæ* limes: instantiam hic repellit. Quia *Pissatellus* non est Fluvius, B sed Rivulus, sed fossa manu facta. Sed hæ affaniæ jam non semel exciderunt, & is tamen repetit *pag.* 125. *lin.* 14. 15. nempe si Fluvius esset, etiam si pusillus, potuisset esse limes. At jam est Fluvius, ut replicatio ex hoc capite tota corruat: at quoniam dixi non ex magnitudine, sed ex situ constitui limites, hic contendit ex rectitudine seligendos limites: unde magno apparatu *Lusum* in ejusmodi rectitudine esse nititur ostendere. At ego respondi, & respondeo non ex rectitudine duci, & sumi situm, sed ex possessionis justæ, & dominii justi terminis: ut ergo dominiorum confinia se habuerint regularis, vel C irregularis figuræ, ita termini, & limites procedunt agri. Exempli gratia triangularis a triangulo cavo limitaneo continetur. Campus semicircularis non nisi semicirculum cavum potest habere pro finitimo, unde otiosa redditur tota viri commentatio pag. 119. 120. 121. 122. Alia instantia *Claramontii* erat cum quadam retorsione rationis. Quod scilicet *Rubico* describitur parvus a *Lucano*, & *Suetonio*. Huic retorsioni antea adductæ occurrit nunc Hypodidascalus esse quidem parvum *Rubiconem* si pro parvo descriptum. At non tam parvum, quam *Pissatellus* est: scire cuperem ego unde mensuram parvitatis hic homo carpserit, qua præcise *Rubico* deter- D minetur: nec *Lucanus* definivit nec *Suetonius*, nec *Plutarchus*. Procedit ergo mensura ex capite Hypodidascali, ut *Minerva* ex Capite *Jovis*.

Ratio nona, & responsio *Claramontii* repeta- 78
tur. Erat responsio, oriri ex Alpibus *Pissatellum* quia ex propagine ejus nascitur. Ipse occurrit, nasci quidem ex propagine, sed magis multo remota a jugo, quam *Lusi* origo. At oportebat ad stabiliendam rationem solutam, & solutionem tollendam demonstrare, vel solos ex jugo orientes esse Alpinos, vel Montes non nisi ad aliquam usque distantiam esse propagines. Nihil tale aggressus est, ut remaneat in vigore solutio, E & absque confirmatione ratio.

Objicitur præterea *Rubiconem* negotium fecisse *Cæsari* in transeundo, at nequaquam (dicunt ipsi) videtur tantæ aquæ in *Pissatello* etiam tumente esse; *Claramontius* objicit tempore *Clementis Octavi* eandem difficultatem Summo illi Pontifici accidisse non obstante studio, & cura Civitatis in præcavendo omni periculo. Respondet hic, vel replicat solita impudentia ex aquis *Sapis* tum in *Pissatellum* defluxis accidisse. *Sapis* aquæ, ut ad locum *Pissatelli*, ubi est pons in via *Æmilia*, qua pertransivit *Clemens Octavus*, estque transitus per viam *Romanam* meanti oporte- F ret aquam per Civitatem transire cujus supra Flumen ibi altitudo soli inquam altitudo est perticarum 2. p. 8. & ex altera parte, & ripa Fluminis sunt campi humiliores ripa, quæ ibi pene depressa est. In re tam patente transeuntibus (pertranseunt autem innumeri homines) audet insigne adeo mendacium proferre) at cumulat mendacium dicti, cum desipientia extortæ expositionis Statuti nostri jubentis curandam immissionem

nem *Sapis* in *Pissatellum*. Fuit hæc sane jussio Statuti, immo paucis ab hinc annis fuit in consultationem revocata ad navigationem scilicet a Civitate ad Portum accomodandam, at impensa viginti millium aureorum, quæ requirebatur deterruit in gravitate præsentis æris alieni. Non erat vero ducenda per viam *Romanam* aqua, sed longe infra. Nunc autem, ut sunt Flumina, defluere aquam ex *Sapi* in *Pissatellum* ad locum pontis ubi transitur in via *Æmilia* Fluvius, est eorum, quæ nullo modo fieri possunt nec nisi a fatuo concipi.

CAPUT XIII.

79 *Quæ duco ad ostendendas Rationes Portæ, & refutatio.*

Decima ratio, ejusque solutio pag. 16. habetur: negat scilicet *Claramontius* hanc consequentiam *Portæ*. *Cæsar* non transivit per Civitatem *Cæsenæ*, ergo *Rubicon* non pertinet ad *Cæsenam*. Hypodidascalus replicat non esse eam rationem *Portæ*, sed simplicem narrationem, utque id ostendat, adducit verba *Portæ* continentes manifestam rationem. Verba *Portæ* ab Hypodidascalo relata sunt. *Faccio questo supposto, che non il Pissatello, ma il Fiume, che trascorre alle mura di Bell' aria Castello della nostra giurisditione già delitie de Malatesti è il vero, & antico Rubicone voglio prouarlo prima con l'autorità di Suetonio, e di Plutarco nella vita di Cesare.* His ipsis verbis *Porta* nonne proponit conclusionem, quam probare intendit (licet ipse non convenienti nomine suppositum appellet) & loca unde ducet rationem ex auctoritate scilicet *Suetonii*, & *Plutarchi?* ex quibus auctoritatibus, quam propositionem colligat ad probandam conclusionem suam ipse ita exponit. *Da quali racconti non sò io vedere che Cesare facesse mai strada verso Cesena.* Proponere conclusionem, & probationem adducere quis dubitet utrum sit argumentum an simplex narratio? Probat autem ex *Suetonio*, & *Plutarcho*, quia scilicet ex eorum narrationibus non iverit *Cæsar Cæsenam*. Hoc est per eam Civitatem iter non fecit. Palam ego tum probari a *Porta Pissatellum* non esse *Rubiconem* tum probari, quia *Cæsar* per Civitatem *Cæsenæ* non transivit. Hæc omnis logica cogit dicere præter logicam Hypodidascali, quæ delicatula adeo est, ut non satis sit ad distinguendam rationem a simplici narratione: & rationem & solutionem posui supra *Sect.* II. *Cap.* 3. solutionem autem *Claramontii* duplicem: prima, & summa.

Ad lucem *Suetonii* (cum dicit *Cæsarem* ad lucem reperto duce ad *Rubiconem* pervenisse) non significare lucem diurnam, sed artificialem, & factitiam: quoniam respondet vox (ad lucem)
80 vocibus propinquis (extinctis luminibus) erant ea sane faces, & lumina factitia. Præterea ex rebus ipsis, ex *Cæsaris* more, & ex negotii, quod gerebatur, conditione. *Cæsar* diligentissimus omnium non errasset noctis maxima parte ob luminis penuriam absque eo, quod ignem excitasset, qui tantæ fuit solertiæ, & acuminis, ut in Maris littore aquam dulcem ab aliis desperatam invenerit; in *Rheno* pontem tanti magisterii dictaverit suis, quantum architecti magni nunc vix intelligunt: hic non valuisset, non habuisset, unde ignem excitaret, quem rudes homines tot modis excitare noverunt: non est nisi imprudentis hominis prudentissimo homini ejusmodi notam tribuere inertiæ: præsertim vero in negocio, quod celeritatis egebat, cum occupare dormientes *Ariminenses* non vigilantes contenderet Imperator. Ideoque ut *Plutarchus* dicit ante lu-
A cem eam civitatem occupavit, quomodo ante lucem occupare potuisset si ad lucem diurnam *Rubiconem* solum pervenisset? Notat vero *Claramontius* cum lux significet, & solarem, & alias etiam nostrates restringere ejus significationem ad diurnam esse metaphoram a genere ad speciem, quam metaphoricam significationem interpretari non est necesse nisi dicta propinqua cogant; & rei nexus ut cæco carpitur igni de Regina *Didone*, cum jam amore accensam declarasset Poëta. At Hypodidascalus contra pro *Porta* contendit tum ex usu *Suetonii*, tum ex rerum nexu: ex verbis *Suetonii* probat quatuor ejus loca adducen-
B do, ubi ad lucem pro luce diurna adhibet. At in locis adductis verba circumjacentia restringunt ad diurnam lucem significatum, vel actionis ipsius series. Dicit in loco ipso *Suetonii* adducto convenire ex oppositione verborum præcedentium *Suetonii* (ad Solis occasum) Illis respondere autumat (ad lucem) proindeque significare diurnam: at opponitur propinquioribus (luminibus extinctis) non remotis ad Occasum. De rerum nexu ridicula, & despicienda, quæ dicit. Et etiam si in re evidente opus non est loca tamen in *Suetonio* notare licet ubi lux non pro diurna sumitur. De signis in ortum *Tiberii* præce-
C dentibus dicit. *Repente prima vespera atque in multam noctem pertinaciter luxit.* Non est certe de diurna luce locus in *Tib. c.* 54. At non possum dissimulare impotentiam hominis, qui *Claramontio* 81
ut bardo hæc ipse bardus proponit in illis verbis. *Vespere repositus in cunis a nutricula, postera luce non comparuit, ut lux significet lucernam, & tria alia loca similia.* Si haberet frontem puderet hominem literis, & operibus conspicuum ita sane compellare. Tu potius compellandus sis. Utrum rusticus, qui ex luce fulgetrorum discernebat viam, & litabat cæpas, ad diurnam lucem incederet: & si quis diceret Hy-
D podidascalum in aliena domo, & ad alienam lucem lucubratum esse, utrum lucem diurnam intelligeret? Discito modestiam si potis es, interim dissimulasti vim rationis, & rationem ipsam ex *Cæsaris* indole, & celeritate, ex negotii exigentia, adeoque intactam, & insolutam reliquisti. Hæc de solutione, & pro solutione rationis *Portæ*. Subjungo ex *Claramontii* calculis, si ad lucem diurnam expectasset *Cæsar* septem horas in inerte expectatione posuisset, quis non nisi ineptus tantam ineptiam festinantissimo & solertissimo Duci tribueret, ubi maxima requirebatur celeritas?

E Interim hic more suo multa digrediens interponit. De Auroræ descriptione, & ejusmodi aliis extra rem rebus, quæ omitto. At quæ de mulis pro multis dicit hic tantum repono. Dicit autem *Claramontius* usum triviali (codice) qui legerit, & scripserit multis junctis, non mulis junctis in *Suetonio*, cum describit *Cæsaris* discessum a *Ravenna*. Sunt verba *Claramontii*. *Quod idem verba Suetonii (multis junctis) significant, licet Beroaldus (Mulis) legat, ac codex meus (multis,) & non inepte, dum equos subintelligamus.* Hypodidascalus reprobat codicem *Claramontii*, ut trivialem, & pluribus probat mulas jungi so-
F litas cursui. Ex *Seneca*, ex *Lampridio*, ex *Pamelio*. At frustra si hæc, ut suaderet *Claramontio* mulas jungi solitas, quem intelligo, cum hæc legerit subrisisse, dixisseque. Declarat se hic homo non vidisse *Homeri Odysseam*, qui tanto antea tempore cecinit currui Nausicaæ junctas esse mulas. Non omisisset occasionem eruditionis ostendendæ.

Vestes igitur plicans posuit pulchro in curru 82
Junxit autem Mulos fortium unguium.

Vincentius. D Atta-

Attamen ad celeritatem *Cæsaris* ostendendam facit potius si multos equos junxisse, quam si simpliciter mulos junxisse dicamus. Quid enim si duos tantum? æque tamen mulos junxissent, at liberum est judicium; non facit utrum dixerimus ad quæstionem propositam determinandam.

Post solutam rationem *Portæ*. *Claramontius* sumptiones aliquas acceptas, & adhibitas a *Porta* expendit, & falsas ostendit. Sumptio erat *Cæsarem* transisse *Rubiconem* versus finem Martii: ostendit *Claramontius* transisse circiter diem 13. Januarii *ex commentariis* Cæsaris, ex *Epistolis* Ciceronis *ad Atticum*, & ex *Plutarcho*. videatur locus in quo hoc ipsum traditur luculente. Defensionis *Portæ* Hypodidascalus duos modos affert alterum pag. 139. & prosequitur iterum pag. 141. ex Anno nondum tunc temporis correcto. Alterum ex loco *Lucani pag.* 142. Primus ergo occursus est ex eo quod in tempore, quo *Cæsar* transivit *Rubiconem* nondum erat emendatus annus; fuit emendatus a *Cæsare* ipso postea: ante emendationem autem non constabant tempora, nec constabant dies. Auctoritate utitur Plutarchi *in Cæsaris vita*, qui dicit *Romanos* usos confusis Anni mensibus: adeo ut sacrificia, & feriæ paulatim in contrarias anni partes devenirent, & pag. 141. ex auctoritate Suetonii in *vita Cæsaris*, qui dicere videtur messes, & vindemias in contrarias anni tempestates devolutas. *Fastos correxit. jam pridem vitio Pontificum, per intercalandi licentiam, adeo turbatos, ut neque messium feriæ, Æstate, neque Vindemiarum Auctumno competerent.* Ex his colligit dies vere, & menses in contrarias tempestates transisse ex æstate scilicet in hyemem, vel ex vere in autumnum, sive in æstatem, quod omnino falsum est. Post emendationem, & ante emendationem falsum id fuisse (nam post certum) apertum est. Adduco *Lucretium* Poëtam, qui tot annis emendationem præcessit, hujus tempore pariter Ver erat, cum annus aperiretur ad germina, ad flores, & cum Favonius rediret juxta stylum nostrorum seculorum.

83 *Zefiro torna, e'l bel tempo rimena.*

Lucretii versus sunt.

Nam simul ac species patefacta est verna diei.
Et reserata viget genitabilis aura FavonI.

Varro itidem, qui emendationem scriptis suis præcessit, & Aprilem dici arbitratus est, & prior arbitratus erat *Cingius Varrone* antiquior quasi Aperilem, eo quod cum Mare tum Terræ ante æquinoctium vernum clausæ, tum aperiantur, & arbores germinent, & cuncta florescant. Aprilis ergo ante emendationem nunquam in rigorem hyemalem, nunquam in exsiccantem æstum deveniebat. Pariter idem *Varro* anni quatuor tempora illis conditionibus designat, quæ in alia non cadunt Ver a vertendo, Æstatem ab æstu. Hyemen a pluviis, & imbribus: ut velit easdem perpetuo conditiones retineri, nempe Æstatem non posse habere conditiones hiemis, ut accideret, si Æstati destinati menses Junius, Julius ad hiemis frigora, & nives devolverentur. Intercalatio autem Sacerdotum respiciebat præsertim ferias, & fastos, quos prætextu Religionis indicebant, an superstitionis? aperit superstitionem, & inde intercalationem Macrobius *in Saturnalibus* verba sunt. *Sed cum eveniret ut nundinæ modo in anni principem diem, modo in nonas caderent utrumqne autem perniciosum putabatur; remedium, quo hoc averteretur excogitatum est quod aperiemus. Si prius ostenderimus cur nundinæ, vel primis calendis, vel nonis omnibus cavebantur. Nam quoties incipiente anno dies cæpit, qui adjectus est nundinis*

A *omnis ille infaustis casibus luctuosus fuit, maximeque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est.* Exponit deinde post nonnulla remedium.

Eorum est permissum arbitrio, ut cum vellent intercalarent, &c.

Verum post aliquod tempus alia vere causa intercalationis fuit, quam idem subjungit Macrobius, verba sunt. *Verum fuit tempus cum per superstitionem intercalatio omnis omissa est non unquam vero per gratiam Sacerdotum, qui cum publicanis proferri, vel imminui consulto anni dies volebant modo auctio, modo retractio dierum proveniebat, & sub specie observationis emergebat major*

B *confusionis occasio.* Hæc de fontibus annorum superstitione scilicet, & fraude Sacerdotum vitiatorum cæterum non fuisse, esseque potuisse effectus intercalationis, ut menses Hyberni inæ- 84
stivos transirent; immo ut menses non status, locos subinde tenerent, & quæ interdum non magnæ variationes intercederent, mox restituerentur; ostendit ipsemet *Macrobius* adducens quomodo *Græci*, & *Romani* annos civiles suos ad vertentes restituerint, vertentes autem sunt solares scilicet reditus Solis ab eodem puncto, ad idem punctum *Græci* ergo annum lunarem dierum 354. ut ad Solarem reducerent supplebant dies XI. $\frac{1}{4}$

C non tamen singulis annis apponebant ob fractionem, ac minutiam $\frac{1}{4}$ prohibentem, sed ad octennium appositionem distulere. Dies autem 11. $\frac{1}{4}$ octies sumptus 90. producit, ideoque singulis octenniis dies 90. superaddebant. *Romanis* autem octennii ejusmodi beneficium non suffecit quia ob religionem in honorem imparis enim diem unum *Græco* numero adjunxerunt scilicet diebus anni lunaris 354. numerando eos 355. unde singulis octenniis crescebant illis supra numerum *Græcorum*, & dies anni vertentis dies octo, quo demum errore agnito sunt hoc remedio usi, tertio quoque octennio viginti quatuor dies dimittebant, ut

D tum loco 90. dierum solum 66. intercalarent. Hæc omnia *Macrobius*: ut pateat annos civiles subinde ad vertentes restitutos intra præscripta tempora, ut non aberrarent anni tempora. Sacerdotum autem fraudes intra eos limites coërcebantur, quomodo adhibebantur, & *Suetonius* idcirco est exponendus de solemnitatibus messium; & Vindemiarum, quæ a Sacerdotibus differentur non de actibus ipsis vindemiam, ac messem faciendi. Si contrarius sensus tribueretur *Suetonio* certe ea diceret, quæ consultiores astronomiæ *Macrobius*, & *Censorinus* non dicunt. Non ergo quo anno *Cæsar* transivit *Rubiconem*, & si

E ante emendationem, erant tempora tempestate sua anni mutata, ut Martii extremum, & Aprilis non essent verni menses, & Januarius hiemalis ex huc usque dictis. At confirmo ex *Plutarcho* asserente solstitium eo anno hybernum fuisse die circiter decima tertia scilicet idibus Januarii. Certe Solstitium hiemale est tempore hyberno: Januarius ergo tum erat mensis hiemalis, oportuit ergo æquinoctium vernum fuisse circiter diem 13. Aprilis, ut extremitas Martii ad Veris primordia accederet. Non extricas ergo ex Nassa 85
Portam tuum, licet perbelle sis conatus, vel sint qui indigetarunt. At quæ sequuntur cor-

F rumpunt si qua erat species laudis. Duo dicta digna valde reprehensione expendo; prima est illud concilium inter *Portam*, & *Claramontium*, quod dies 13. Januarii *Claramontii* incidit in diem 22. Martii *Portæ*, quoniam intercedunt dies 67. inter eos dies 13. Jan. & 22. Martii, & ex *Dione* etiam anni ante emendationem *Cæsaris* intercalabant dies 67. In hoc certe valde deciperis tu, vel magister tuus. Intercalatio quam scribit *Dio*, non erat annorum præcedentium emendationem, sed

ſed fuit anni correctionis hoc eſt anni præcedentis annum correctum, qui fuit ultimus confuſionis, & qui confuſionem omnem ut abſumeret dies ei 444. ſecundum *Macrobium*, 445. ſecundum *Cenſorinum :* non intercalavit autem ſolum dies 67. ut ex *Dione* dicis ex *Cenſorino* autem 68. ſed adjunxit eam intercalationem intercalationi dierum 23. in menſe Februarii a ſe factæ, intercalationem autem dictorum dierum 68. poſuit eo anno in duobus menſibus inter Novembrem, & Decembrem a ſe interpoſitis pro ea tantum vice, ut jungendo utramque intercalationem dierum 68. & 23. numerus reſultaret dierum 91. qui additis diebus 354. anni lunaris conficiebant dies 445. quot dies diximus habuiſſe ultimum illum annum confuſionis: en *Cenſorini* verba. *Ut C. Cæſar Pontifex maximus ſuo* III. *& M. Emilii Lepidi Conſulatu, quo retro delictum corrigeret duos menſes interkalares dierum 68. inter menſem Novembrem, & Decembrem interponeret, cum jam menſe februario dies* III. *&* XX. *interkalaſſet* (en duplex intercalatio) *feceritque eum annum dierum* 445. *ſimul providens ne in futurum erraretur, nam intercallario menſe ſublato annum civilem ad Solis curſum formavit, itaque diebus* 354. *addidit* 10. *quos, &c.* Non ergo annis præcedentibus examen niſi poſtremo intercalatio facta dierum 67. vel ſecundum *Cenſorinum* 68. in duobus menſibus interpoſitis inter Novemb. & Decemb. adeoque anno tranſitus *Rubiconis* non ea intercalatio, ut reducto diei 22. Martii ad diem 13. Januarii ſit merum ſomnium Hypodidaſcali, vel Didaſcali, quod rurſus confirmo ex progreſſu ipſo Ciceronis in *Epiſtolis ad Atticum* a *Claramontio* jam adductis in quibus ex eodem *Cicerone* habemus *Pompejum* 86 poſt illatum a *Cæſare* bellum, adeoque poſt tranſitum *Rubiconis* ex Urbe ceſſiſſe die 19. Januarii, ut oportuerit perveniſſe *Rubiconis* tranſitum ſaltem ſex dies, ut intelligere potuerint *Romæ* irruptionem *Cæſaris* ſe ſeque parare etiamſi raptim ad fugam, ex *Cicerone* ergo ipſo circiter decimam tertiam diem Januarii pertranſivit *Rubiconem Cæſar*, deinde ſcribit *Cicero* a ſe viſum *L. Cæſarem* reverſum a *Cæſare*, cum quo de pace egerat die 25. Januarii. Quæ mandata detulit ad *Pompejum*, & Conſules die 27. Januarii dicit ſe profectum *Formias* die trigeſima ejuſdem menſis: die tertia Februarii ſe profectum dicit, ut conveniret *Pompejum Capuæ* die quinta ſcribit poſtea die ſeptima ejuſdem menſis ſe *Capua* diſceſſiſſe, ibique vidiſſe *Pompejum* conſternatum animo: die nona ſpem natam intercludi poſſe *Cæſarem.* At ſequentibus literis ut rem contraham, & *Domitium* Corfinii deſertum a *Pompejo.* Deinde *Pompejum*, *Luceria*, *Brunduſium* abiiſſe tandem *Cæſarem* die 8. Martii *Brunduſium* iviſſe, ad murum caſtra poſuiſſe; *Pompejum* autem eſſe *Brunduſii*; demum Epiſtola (miſeram ad te IX. kal.) claudit his Epiſtolam. *Scripta Epiſtola literæ mihi ante lucem a Lepa Capuæ redditæ ſunt idibus Mart. Pompejum a Brunduſio contendiſſe, ac Cæſarem ad* VII. *kal. Aprilis Capuæ fore.*

Idem ergo *Cicero*, & *Cæſarem* pertranſiſſe *Rubiconem* die 13. Januarii ſignificat, & *Pompejum* expulſum decima quinta Martii ex *Italia* dicit. Eſt autem 13. Januarii ſignificata a *Cicerone* eadem quam ex *Plutarcho Claramontius* ponit ſolſtitialemque facit, num ergo decima tertia dies Januarii *Ciceronis* poteſt eſſe decima quinta Martii ejuſdem *Ciceronis*? qui etiam *Cicero* in progreſſu literarum ſuarum inter eas dies interponit reliquam partem Januarii totum Februarium, & Martii quindecim dies. Sunt ergo geræ meræ mi Hypodidaſcale.

At illud aliud tuum dictum, factumve omnino abſonum. A *Lucani* locum opponere teſtimonio *Ciceronis.* Egregium ſane reſponſum, dictumque primum id non dicit *Lucanus*, quem tu cum *Porta* interpretaris immo contrarium. Deinde etiam ſi diceret Poetam Hiſtorico opponimus? Immo literis viventis viri graviſſimi ex quibus 87 emendare oporteret Hiſtoricos, quoſvis non coætaneos ſi diſſentirent: eſt hoc judicii ſane, & pædiæ vitium. Verum *Lucanus* confirmat non refutat dictum *Ciceronis*, meumque cum diſerte dicat Hiemem tum fuiſſe.

Tum vires præbebat Hiems, atque auxerae undas.
B *Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,*
Et madidis Euri reſolutæ flatibus Alpes.

Hiems ergo præbebat vires, nec dicamus hiemem dici ex rigore tum aëris non ex anni hora: nam cum liquarentur nives, ſpirarentque Euri erat tepor aëris non rigor: at urget *Porta*, quoniam tum ſpirabant Euri: & Euri non ſpirant niſi in æquinoctio probat ex Horatio.

Solvitur acris Hiems grata vice Veris, & Favoni.

In hac ratione, ejuſque propoſitionibus non ſemel fallitur *Porta.* Eurum non ſpirare niſi circa æquinoctium. Eſt hoc contra *Ariſtotelem*, & C contra experientiam. *Ariſtoteles* dicit circa verſiones hiemales, circa ſcilicet Tropicum, id eſt Sole exiſtente in Tropico hiemali, circaque id tempus ſpirare Euros. Verba ipſamet ſunt. *Circa hiemales verſiones Eurus.* Eſt præterea experientia: quoties enim experimur hieme ſpirare ventos auſtrales, & inter alios *il Sirocco*, *Italice*, qui eſt Eurus? Eſſe autem Eurum *il Sirocco Italice* dictum docet *Ariſtoteles*, & figura, & verbis. *Eurus* (inquit) *ab oriente hiemali fit.* Et falſa ergo eſt ratio *Portæ*, quod ſcilicet tum fuerit æquinoctium: quia (dicit) ſpirabat Eurus: non enim ſequitur, ſi ſpiret Eurus eſſe vernale æquinoctium, D immo ex *Ariſtotele* potius eſſe circiter ſolſtitium hiemale, & eſſe hiemem, & falſa eſt adhuc probatio, quam adhibet ad probandum ſpirare tempore æquinoctii verni, Eurum: probat enim ex teſtimonio *Horatii* adducto, quia vere ſpiret Zephirus: quaſi Zephirus, & Eurus ſint idem, cum Zephirus ſit ventus occidente, vel *Ponente Italice* dictus, & Eurus ſit *Sirocco* quaſi oppoſiti venti. Dicit etiam Eurum eſſe ventum orientalem, at eget declaratione dictum ne credatur Eurus is ventus, qui *Italice* dicitur *il Levante*, & ab æquinoctiali ortu flat. Nam is ventus dicitur *latine* Subſolanus, & *Græce* Apeliotes non E Eurus. 88 Quod vero ſpirent venti orientales tempore æquinoctii verni eſt contra commune dictum, & communem ſenſum. Zephiri enim ſpirare paſſim dicuntur, & poſtea quam Poetarum carminibus ipſi adverſus nos utuntur, nos quoque Poetas aliquos adducamus.

Lucretius.

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei.
Et reſerata viget genitabilis aura FavonI.

Virgilius. *lib.* I. *Georg. verſ.* 43.

Vere novo gelidus canis, cum montibus humor,
Liquitur, & Zefiro putris ſe gleba reſolvit.

Petrarcha.

F *Zefiro tornæ e'l bel tempo rimena,*
Ei fiori, e l'herbe ſua dolce famiglia.

Satis ſit numerus trinus ex dogmate etiam *Ariſtotelis.* Ad *Lucanum* ergo. Senſus ejus verus eſt a ventis auſtralibus, e quorum numero eſt Eurus, tum reſolutas nives, & aucta inde Fluenta. Hoc autem hieme non raro contingere, ut nives ſpirantibus auſtralibus ventis liquentur, adeo ut vix per vias incedere liceat, & e tectis in ſubjecta uſque laquearia defluant largæ aquæ, quiſ-

que nostrum non semel expertus est. Num ergo apertissimis testimoniis *Ciceronis* gravissimi Senatoris de re suæ ætatis, ac ferme ad Rempublicam, & ad ipsum plurimum pertinentis opponere dictum Poëtæ post tot annos nati, & dictum non repugnantis, sed dicta *Ciceronis* confirmantis potest sine admiratione esse?

Quoniam tamen Hypodidascalus ex canone protervæ disputationis ubi se dejectum videt, victoriam inclamat adversus *Claramontium* invehendi occasionem captat. Reprehensio duplex est, quod crepusculorum tum quantitatem cum primo hor. 1. 30. fuerit postea ad duas horas dilataverit, & quod distantiam *Arimini* a *Pissatello* decem circiter milliaria fecerit, cum alias bis mille passus solum a *Cæsena* abesse dixit, & *Cæsenam* ab *Arimino* milliaria viginti, ut distantia idcirco *Arimini* a *Pissatello* sit duodeviginti millia passuum. Excusavit *Claram.* dilatationem crepusculorum in Apparatu ipso, quem hic carpit, at cu-
89 pidus reprehendendi reticet causam adductam dilatationis fuit autem; quia ipse *Porta* dicit, parum ante Auroram ad *Rubiconem Cæsarem* pervenisse, illud (parum) posse pro sexta horæ parte æstimari, probabile visum est *Claramontio*; ad distantiam autem *Arimini* a *Pissatello* mutatam, nulla est mutatio, nam distare *Pissatellum* ab Urbe nostra verum est ea in parte, qua scindit viam *Æmiliam*, ex eo etiam loco abest *Ariminum* duodeviginti millia passuum: at locus qua *Cæsar* Fluvium pertransivit amplius multo distat a Civitate nostra, & minus ab *Ariminensi*, quam ubi secatur a via *Æmilia*. Non est inconstantia eundem locum a diversis partibus ejusdem Fluvii differentes sortiri distantias? Necesse est multa dimittere hujus dicta, quæ justam censuram exposcerent: ac festinat ad exitum ingratum hoc opus; pugna scilicet cum larva. Hoc unum adjicio. Ponit *Claramontius* dissidium quoddam inter Hirtium in *Comm. de bello civili*, & *Suetonium*. Hic dicit *Cæsarem* commendasse suam dignitatem militibus *Arimini:* At *Hirtius* commendasse *Ravennæ*. Hypodidascalus occurrit non semel commendatam a *Cæsare* dignitatem suam Militibus, idque probat ex verbis *Suetonii*. *Nam cum in alloquendo, exhortandoque sæpius digitum levæ manus ostentans, affirmaret se paratum ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset.* Et subjungit Hypodidascalus sæpius, & semel contraria: vere sunt contraria sæpius, & semel eadem ratione: at non sunt contraria in unico loco commendasse *Cæsarem* dignitatem suam militibus, vel *Arimini* tantum, vel *Ravennæ*, quod ex Historicis *Hirtio*, & *Suetonio* dicit, & supponit *Scipio*, & in eodem loco iterasse commendationem sui *Cæsarem:* extra orbitam sulcas Hypodidascale, at non extra solitam temeritatem.

Duodecima ratio, & solutio ejus a *Claramontio*. Hic acer *Portæ* defensor nescio quid minatur, a *Porta Claramontio* si viveret, & inconstantiam, eamque degenerem, qui reprehendat mortuum, quem laudavit vivum. Tu semper lites seris. Laudavit, & laudat *Claramontius* personam *Portæ*, at non ejus dicta omnia tanquam juratus assecla, neque credo fore, qui repu-
90 tet *Portam* se ipsum Doctorem *Claramontii* existimaturum fuisse, quinimo observavit hominem, & doctrinam ejus; & admonitionem ejus ne Martem perditum crederet per Eminentiss. *Tontum* recepit, & acquievit. Cæterum in scientiis libera sunt judicia. At cum modestia debet ejusmodi libertas exerceri, quod si tu fecisses, imitatus esses modestiam *Portæ*, cum contra tua immodestia defensioni ejus deroges. At ad rem venio pro defensione *Portæ*: remittis te ad de-
A fensionem tuam *pag.* 45. 46. & ego remitto ad ea, quæ dixi contra; dicit in eadem sua ratione *Porta* unamquamque Civitatem a Geographis duobus Fluminibus determinari exemplo *Cæsenæ*, quæ a *Strabone* duobus Fluminibus designatur *Isapi*, & *Rubicone*: institit ergo *Claramontius* rationi primo ex canone arguendi. Non licere scilicet ex particulari universale inferri. Secundo instat ex *Arimino*, quod unico Fluvio designavit *Strabo Arimino* scilicet Fluvio. *Habet* (inquit) *Ariminum Portum, & ejusdem nominis Amnem.* Hypodidascalus tollit instantiam, quia *Cæsena* ut raro nominata inter Civitates egebat
B duplici Flumine, quo dicto, & injurius est in *Cæsenam*, & contra *Portam* loquitur. *Porta* dicit omnem Civitatem duobus Fluminibus describi, at hic dicit locis ignotis eam descriptionem convenire, & ideo *Cæsenam*, ut locum scilicet ignobilem ita descriptam: non autem (hoc tacite significat) *Ariminum* ut Civitatem celebrem: at *Porta* ergo male dixit dicendo omnem Civitatem duobus Fluminibus designari, cum debuisset dicere loca ignobilia solum ita describi. Egregie dictum ad effundendam maledicentiam suam in Civitatem invisam, at ad defendendum clientem certe non apte; cum falsam tu ipse ejus
C propositionem a *Claramontio* impugnatam facias, dic amabo agnoscisne te contra causam dicere? Si agnoscis, & tamen dicis furiosus es; si non agnoscis es insipiens: at potius furis in hanc Civitatem. Id demonstrant, quæ sequuntur. Pro injuria magna accipis, quod *Claramontius* dixerit *Ariminum* a *Strabone* unico Flumine describi. At vero non es tu is, qui describi duobus Fluminibus solis ignotis locis, ac incelebribus convenire dixisti? Unico ergo definiri Flumine erit nota Civitatis celebris, & tu ut mordeas, quod 91
pro laude paulo prius cedere dixisti, nunc in injuriam commutas. Opus forte erit offa *Sibillæ*
D ad compescenda rabida ora. Dicis autem. *Videamus tamen quantum fidei Claramontio adhiberi oportet de Civitate Arimini tam absurde sentienti, ac tam libere absurda prædicanti.* Quid est mi vir, quod pectus leve ad iram provocet? Injuria inquis: at si est injuria non describi Civitatem nisi unico Flumine, est injurius *Strabo*, qui describit non *Claramontius*. Si non est injuria non describi duplici Flumine, at *Arimino* imputetur, injurius est *Porta*, qui ita convenire unicuique Civitatis asseverat non *Claramontius*, qui negat. Intelligo demum ansam a te captam tum evomendi virus in *Cæsenam*, tum laudes *Arimini* ce-
E lebrandi. Quoad vituperationem *Cæsenæ* injuriam facerem Historiæ *Claramontii*, si non essem justis ejus, ac veris laudibus contentus. Hæ vos pungunt: nihilominus consistent, & permanebunt. Natalium celebritas commendatione tot Principum, & tanti Pontificis in omne ævum gloria, victuri spem facit longævitatis. Quoad laudes autem *Arimini*, quarum tu frigidam occasionem tibi parasti, nemo nobis libentius eas audit: at veras, & solidas non inanes, & fictas. Nos ipsi prædicamus; esse antiquissimam Civitatem sæpe, ac sæpius à *Livio*, & a cæteris Historicis memoratam: nomine ejus *Galliam* Pro-
F vinciam significatam, ubi Prætor *Romanus* cum legionibus residebat ad observandos *Gallorum* motus, & si leves essent, compescendos: fuisse ex illis Coloniis duodeviginti, quæ *Romanum* imperium adversus *Annibalem* cæteris deficientibus sustentavere milite, & ære. Has, & alias veras ejusmodi agnoscimus; at fuisse caput, & Regiam *Galliæ*, est sane falsum, sicut verum est *Senam* fuisse caput, & Regiam *Senonum*. In *Gallia* enim erant duæ Coloniæ *Placentia*, &

Cre-

Cremona, & *Colonia Senensis* ad Mare superum privilegio vacationis insignita. In has non habebat *Ariminum* imperium, Colonia enim solum *Romam* pro Urbe principe & matrice agnoscebat. Cætera vero *Gallia* illis temporibus pugnabat cum *Romanis*, non illis subjecta erat, ut neque
92 *Ariminum*, neque Prætor *Romanus* in eam jurisdictionem ullam exerceret, obtineretque, falsum etiam est in ea Civitate Ducatum totius *Pentapolis* resedisse, Ducem quidem suum *Ariminum* habebat, quem morem a *Longobardis* susceptum etiam post *Longobardos* retinuit; imperasse eam Civitatem reliquæ *Pentapoli*, est sane chimæra, sicut & illud (fuisse ante diluvium) & Civitatem, & *Umbros*. Num Sacra Scriptura assentitur, quæ solum *Noë*, & familiam servatos docet? Non est autem chimæra *Senæ* prius nuncupatam nomine *Cæsenam* & ratio ex *Livio* ducta cogit omnes sanos. De insani judicio quis curet?

Quomodo Hypodidascalus frigiditatem rationis XIII. & quartæ *Portæ* adversus *Claramontii* solutionem (si solutione opus erat) calefaciat; vix agnosci potest. dicta sunt; at probationes esse oportebat primum dictum verisimile esse vendidisse, quæ usque ad *Lusum*, quia minor distantia, quam usque ad *Pissatellum*. At contra solutionem nihil facit: est solutio vendi ab *Ugone* quicquid habebat, non quicquid jacebat inter *Mariculam*, & *Rubiconem*. At potuit æque vendere longius distantia, ac remota, quam minus remota v. gr. *Benamati* nobiles *Ariminenses* in *Gambettolæ* territorio inter *Mariculam*, & *Pissatellum* propius *Pissatello* possidebant, & possident (arbitror) prædium. Hoc nonne æque vendere potuissent, atque prædium inter *Ariminum*, & *Lusum*, etiamsi magis distans. Major, minorve distantia non reddit magis, minusve verisimilem venditionem; immo major distantia verisimiliorem reddit, quia quæ remota sunt, minus gravate distrahimus, quam propiora, & commodiora. Cætera, quæ blatit *Pissatellum* non excurrere ad Mare fuit hoc jam rejectum argumentum. At adulterata a *Claramontio* omnia, qui refert solum ea verba, quicquid habeo, pro illis (quicquid jacet) quæ verba (quicquid habeo) sunt in relatione ipsius *Portæ*. Tam pronus est hic maledicus homo in manifesta mendacia. Nocuisset proposito *Claramontii* detegendo consequentiæ supinitatem eam adulterare. Restet permaneatque consequentia. (*Ugo* pretio
93 centum aureorum vendit *Malatestæ* quicquid habet inter *Mariculam*, & *Rubiconem*, ergo *Rubico* est *Lusus*): in perpetuum si fieri potest ut perpetuo, pateat ejus levitas.

Suppetias fert *Portæ*, & ejus consequentiæ contra *Claramontii* solutionem, narrando *Frizolium* esse montem propinquum *Soliano*, cui *Soliano* non accommodatur *Pissatellus*, sed *Lusus*: At nihil ad rem. Oportet demonstrare tum *Frizolium* meminisse *Rubiconis*, ejusve aliquam significationem exhibuisse, quod jure merito negat *Claramontius*, & deridet conjecturam. *Non sum vilis Accola Plusæ.* Ergo *Plusa* ibi significat *Rubiconem*. Nihil adversum ut est paræmia. Ad reprehensionem *Claramontii*, quod nomen *Rubiconis* unde laus tota promanaret, reticuisset, & in ignobile *Plusæ* commutasset contra monitum *Aristotelis* de metaphoris ad laudem. Ipse retorquet in *Cæsenates*, qui nomine *Rubiconis* ex quo laudem quærunt, omisso *Pissatellum* vocant. Hoc etiam non est ad Rhombum: monitum *Aristotelis* est de metaphora, quæ in laudem debet sumi a præstantioribus rebus, non ab ignobilioribus: non autem est de usu nominis proprii, quod nomen proprium ex usu vulgari nascitur ex *Aristotele* pariter. *Cæsenates* ergo nominant nunc Flumen, & jamdiu antea postquam id nomen consequutum est ex usu *Pissatellum*; licet in scripturis politioribus retineatur antiquum nomen. Est inter cætera exemplum in vetusti Hospitalis Crucifixi instrumentis, ac tabulis quibusdam.

Non esse autem ridiculum *Pissatelli* nomen antea docuimus vera etymologia exposita, quæ imperitis linguæ *Græcæ*, qui sordidis vocibus etiam delectantur, non est obvia.

Confirmat consequentiam a *Claramontio* in solutione reprehensam adversus ejus instantiam hac scitissima interrogatione, quid *Anemo* ad *Genebriam?* respondeo ego nescio quid amplius facere *Anemonem* ad *Genebriam*, quam Hypodidascalus ad modestiam. Cætera quæ dicit relationem esse inter *Ariminum*, & *Rubiconem* nullam aliam esse dicimus, quam quod Civitas illa post transitum *Rubiconis* prima occurrit ad Orientem, sicut ad Occidentem occurrit *Cæsena*. Adducit versus *Ariminensium*, & *Scaligeri*. Hic dicit fuisse *Ariminum* primam metam furoris, & recte omnino, 94
nam fuit prius a *Cæsare* occupatum. Quoad *Ariminenses*, in causa propria loquuntur: cessat dictorum fides, & quoniam *Claramontius* asseruit non esse controversiam nunc agitatam utrius Civitatis fuerit *Rubicon*, sed uter Fluvius *Rubicon* fuerit *Pissatellus*, an *Lusus*. Hypodidascalus ad hæc asserit *Portam* quæsivisse cujusnam fuerit *Rubicon*: sed contra. *Porta* ipse in disputationis initio. *Si raccoglie* (inquit) *che Luso Fiume di Bellaiere sia il vero antico Rubicone.* Est vero *Portæ*, & secundum illum totius disputationis conclusio *Rubiconem* fuisse *Lusum*, & in *supplemento ad Veruculi Chronicon* dicit. *Nella prima parte del raccolto Historico del Sig. Clementini mio Patriotta, e particolar patrone, nel quale hà dimostrato con più ragioni, che il Luso nostro sia il vero Rubicone.* Problema ergo propositum est, utrum *Rubico* antiquus sit *Pissatellus*, an *Lusus*. Conclusioque *Ariminensium* negativa sit (oportet) quoad *Pissatellum*; affirmativa, quoad *Lusum*. Quod si loco ejusmodi conclusionis concludant *Rubiconem* antiquum fuisse *Ariminensium*, excidunt a statu quæstionis ex ipsorum præsertim sententia, qui jactant olim territorium *Cæsenatum* non pertigisse ad *Pissatellum*, ut totum illud spatium in *Ariminensium* ditionem cecidisset, quamobrem etiam si *Rubico* fuisset *Pissatellus* æque in eorum dominio fuisset. Non est ergo idem, *Pissatellum* esse *Rubiconem*, & *Rubiconem* non esse in eorum ditione, juxta *Ariminenses* ipsos. Ac instantiæ eorum *Cæsenates* respondent dominio, & possessione nunc: olim, & possessione, & armis.

CAPUT XIV.

Epilogus Operis.

Partes explevi propositas. Vidimus quot, & quam graves Scriptores disertis verbis *Pissatellum* esse antiquum *Rubiconem* dicant, vel evidentibus significationibus commonstrent. Vidimus neminem esse, qui *Luso* id nomen tribuat: soli *Ariminenses*, neque omnes, sed recentiores 95
aliquot ita appellant, quodque de *Thessalo* quodam dixit *Galenus*, se ipsis litigatoribus, se ipsis agonothetis, se ipsis judicibus judicium peragunt. At forte rationes ejus firmitatis adducunt, quæ defectum testimoniorum suppleant. Nihil minus; infirmæ omnes; insulsæ aliquæ. *Claramontius* singulas expendit, & solvit. At successit pro *Ariminensibus* emissarius, qui in replicando adversus *Claramontii* responsionem omnes conditiones protervæ disputationis implevit: sed

non contentus dissertatione, est etiam in maledicentiam, & in jurgia effusus. Rationum, & doctrinæ in causa sua defectum vindice lingua ultus est.

Linguis micat ore trisulcis.

In *Claramontium* invectus, supinum, stertentem, doctrinæ inconstantis, nullius methodi, adulterantem aliena dicta, infidum, & usque fraudulentum prædicat. Ætatis gravitas: Operum editorum authoritas non fuerunt potes temeritatem, & impudentiam hominis natalium, & educationis humilitate obscuri, qui sibi ex incendio quærit lucem, compescere. At laudo *Claramontium*, qui existimationem suam levissimi hominis mendaciis superiorem, existimat; ejus ego quoque judicium imitatus, sino mendacem imposturam ex rei evidentia ipsam per se evanescere. At non satis fuit Civem multis nominibus clarum impetiisse. Civitatem ipsam adortus est, in eam universam virus suum effudit. In superiore parte quædam non levia ejus in ipsam scommata, & improperia retuli; nunc quod postremo jecit, postremo refero. Epitaphium olim in Scurram *Dalmatinum* conscriptum sordidum, & inhonestum, ausus est in hanc Civitatem vertere. At forte nullum mirum est impurum hominem impure loqui: maledicum absque defectu maledicere: male natum, male moratum, inurbanitate grassari. Permittatur ergo fœdo fœda vomere, cum præsertim ea jam tempora recesserint, cum de publicis injuriis per Feciales agebatur, publicumque exigebatur piaculum. At certe illud non est sine admiratione, in Civitate
96 gravi adversus finitimam Civitatem libellos famosos imprimi; & sordidam adeo inscriptionem affingere. Quando arma tractabantur, odia bellum excusabat, mutua damna ornabat virtus. At stringere calamum degener est conatus, & paratæ etiam ultionis; ibi maxime ubi ex frequenti Anserum laniena abundant calami, & non desunt ingenia. Interim moneo Hypodidascalum, & fautores, inurbanissimum ejus factum nunc impium evadere: ad Columellam enim, quam urina conspurcandam iste monet, apposita ex Divino quodam instinctu ab advena Sanctissimæ Virginis Imagine, ea est gratiarum ubertas, is poscentium, & voventium concursus, ut gentes jam copiosæ confluant, devotissimoque cultu colant Beatissimam ibi Virginem, & votis, ac tabellis sucepta beneficia testantibus repleant undique locum. Quem ergo vos superbe despicitis universi Regina ornandum sumpsit.

97 Laus deo a dì 12. Genaro 1643. in Sorivoli.

NOI *infrascritti Consoli, e Consiglieri della Communità di Sorivoli faciamo piena, & indubitata fede à chi s'aspetta, come la verità fù, & è che il Fiume, quale hà il suo fonte, & origine sotto il Castello di Strigara, e passando vicino alla Villa di Monte Campo se ne scorre per li Territorii di Monte Cogruzzo, Ciola, Molione, Ardiano, Sorivoli, Montenovo, Cæsena, & Montiano, facendo macinare col suo corso quattro Molini da grano, dal principio di detto Fiume fino sotto il territorio di Montiano vien communemente da tutti chiamato Rigone, essendovi anco doi ville una nel territorio di Ciola, & l'altra d'Ardiano dell'istesso nome Rigone; vicino à Cesena l'adimandano Pisciatello, & alla Strada maestra passa con nome di Rubicone, e in tal maniera è sempre stato anticamente chiamato, di modo, che non ci è memoria al contrario, e ciò sapiamo per essere questi luoghi vicini al detto Fiume, che però in tal modo si sente nominare. Et per esser questa la verità, la presente sara sottoscritta di*
A *nostra propria mano, e sigillata col Sigillo della Communità, &c.*

Jo. Tributio Giangolini Capo Console affermo quanto sopra.

Jo. Flaminio Levoli Consigliere affermo quanto di sopra.

Jo. Jacomo Filippo Baroni Consigliero affermo quanto di sopra.

Loco ✠ Sigilli.

In Dei nomine amen. Anno Domini 1643. Indictione 11. sedente Sanctissimo D. N. Urbano Octavo Pont. Max. die vero decima sexta mensis Januarii. 98

In mei, &c. ac Testium infra scriptorum præsentia præsentes, & personaliter constituti D. Tiburtius Giangolinus Consul Communitatis Subrivoli, & DD. Flaminius Levolus, & Jacobus Philippus de Baronis ejusdem Communitatis Consiliarii, quibus ostensa retroscripta Fide, ac præ manibus habita, & diligenter considerata, &c. sponte, &c. omnes illam recognoscendo, dixerunt fuisse, & esse eorum propria manu subscriptam, sigilloque dictæ Communitatis munitam, ac omnia, & singula in ea contenta fuisse, ac esse vera, &c. & ita juraverunt manu tactis, &c. ad delationem mei, &c. super quibus, &c.

Actum Subrivoli in Domo Communis intra sua notissima latera, &c. præsentibus ibidem D. Mattheo de Bongiannis, & magistro Petro Campanis de Subrivolo testibus adhibitis, & vocatis, & rogatis, &c.

Et ego Pandulphus Magiolus Publicus utraque auctoritate Notarius, & ad præsens Subrivoli Prætor de prædictis in forma rogatus fui, scripsi, publicavi, solitoque meo signo in margine signavi in fidem, &c.

Loco ✠ Signi.

Nos Consules Montis Cogorutii. 99

F*idem facimus universis, & singulis præsentes inspecturis indubitatam, & pro veritate attestamur, Fluvium, qui non longe a Civitate Cæsenæ decurrit, ibi vulgo dictum Pissatellum, & a Montanis circa eum habitantibus hodie quoque Riconem, at olim, & vere Rubiconem appellatum; ultra ejus fontem, qui invenitur sub Strigariæ Castello, alterum etiam fontem habere perennem in districtu Montis Cogorutii prope Montis Campi villam. In quorum fidem, &c. has nostro publico roboravimus legalitatis Signo, &c. Datum, &c. Montis Cogorutii die 26. Julii. 1643.*

Pandulphus Magiolus Prætor.

Laus Deo a di 23. Luglio 1643. in Cesena.

F*accio fede io Pietro Cappelli publico Agrimensore della Città di Cesena di havere misurato in più luoghi il fondo, over letto del Rubicone, & la sua aluvione sopra la strada maestra detta Flaminia secondo l'altezza delle ripe da una ripa all'altra, come in questa si vede sono le misure.*

Prima sopra a S. Lazzaro si ritrova il suo letto essere pertiche sei, piedi sette. p. 6. p. 7.
La sua aluvione si trova essere 22. pertiche p. 22.

2. *Più ad alto sotto li beni, del q. Sig. Giacomo Homicini si trova il suo letto per haver fatti li conti essere pertiche otto.* p. 8 100

3. *Sotto la Fornace vecchia del Illustriss. Sig. Marchese Malatesta nel luoco detto il Molinazzo si ritrova essere il suo letto pertiche vintisette.* p. 27.

La

La sua aluvione si trova essere pertiche dodici. p. 12.

4. *Sopra la detta Fornace si trova il suo letto essere pertiche dicisette piedi quattro.* p. 17. p. 4

La sua aluvione si trova essere pertiche tredici, piedi sette. p. 13. p. 7

5. *Sopra la chiusa del Molino dell' Illustriss. Sig. Marchese sudetto si trova essere il suo letto pertiche.* 26.

Jo. Pietro Cappelli sudetto scrissi, & sotto scrissi.

In Christi nomine amen, Anno a nativitate D. N millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio Ind. undecima die vero trigesima mensis Julii, Divo Urbano Octavo Pont. Max. &c. Anno ejus vigesimo.

Retroscriptus magn. D. Petrus de Capellis publicus Agrimensor Cæsenæ præsens, recognoscendo &c. retroscriptam fidem, seu scripturam retroscriptæ mensurationis, coram me Notario publico, ac Testibus infrascriptis, ad hæc specialiter vocatis, & rogatis, &c. illa per eum bene visa, & considerata, &c. medio ejus corporali juramento, &c. manu tactis, &c. ad delationem mei, &c. dixit, & affirmavit illam fuisse, & esse sua manu propria totam scriptam, & subscriptam, &c.
101 *ac ut in ea continetur, fecisse, & adimplevisse, ac omnia quæcunque & singula in ea contenta fuisse, & esse vera, &c. & ita asseruit, &c. & super quibus, rogavit me. &c. ac omni, &c.*

Actum Cæsenæ, in contrata stratæ intus, in domo, & studio mei, &c. præsentibus ibidem Magistro Petro quondam Georgii de Spanocchiis Seclario Cæsenæ, & Matthæo q. Antonii de Galeffis, de Terra Longiani Testibus rogatis, &c.

Et ego Julius quondam D. Jacobi de Lucatellis, Civis Cæsenaten. Apost. auct. Notarius, & in Archivio Romanæ Curiæ descriptus de prædictis rogatus, &c ea scribere scripsi, & publicavi rog. &c. subscripsi, & signavi, &c. in fidem, &c. req. &c videlicet.

Loco ✠ *Signi.*

CONSERVATORES POPULI CIVITATIS CÆSENÆ.

Universis, &c. attestamur supradictum D. Julium Locatellum esse qualem se facit, ejusque scripturis publicis in hujusmodi forma redactis plenam semper adhibitam fuisse fidem, hodieque magis adhiberi in judicio, & extra plenissimam. In quorum, &c. Dat. Cæsenæ ex Palatio nostræ solitæ residentiæ, hac die 31. Julii MDCXXXXIII.

Loco ✠ *Sigilli.*

Andreas Biffius Canc. mand.

102 Post expletam impressionem *Vicentianæ* Defensionis cum annexis attestationibus, supersunt, quæ huc *Roma* missa fuerunt a Præsulibus ibi, iisdemque Patriæ hujus Civibus, & ornamento.

Primo loco Notæ ex monitu Illustriss. & Reverendiss. M. A. Maraldi.

Negat Scriptor *Ariminensis* postremus *Pissatellum* ad Mare unquam fluxisse, contra ea quæ *Blondus* scriptum reliquit, & quæ Statutum ipsum *Cæsenæ* eo in loco, quem exscribit, & refert *Ariminensis* ipse Scriptor, aperte dicit, rem ex *Vincentio* ipso intelleximus. At Illustriss. *Maraldus* pariterque doctissimus suggessit P. A. C. duas *Manticæ* Card. Decisiones 143. 169. quæ

A id aperte pronunciant ex instrumentis, & testibus hinc inde productis. Verba Decisionis 143. sunt in principio.

Dubitavi an probetur quod Pissatellus antiquitus incipiendo a Vinciliis, & decurrendo per S. Peregrinum pervenerit ad Mare prope Tagliatam in casu, & ad effectum de quo agitur.

Et quidem circunscriptis demonstrationibus, & probationibus Civitatis Cæsenæ placebant Dominis probationes Abbatiæ ad demonstrandum sic Pissatellum fluxisse.

Et subjunguntur rationes pro singulis partibus conclusionis seqq. numeris; præsertim autem n.
B 5. ubi habetur.

Tertio quod Pissatellus a S. Pelegrino pervenerit ad Mare prope Taliatam placuit etiam Dominis probatio, &c.

Et in Fine Decisionis sunt hæc verba. *Atque ex his circumscriptis probationibus Civitatis videtur probari Pissatellum antiquitus a Vinciliis per S. Pe-* 103
legrinum prope Taliatam ad Mare defluxisse.

Idem confirmatur in Decisione 169.

Et quoniam adversarius alicubi deridet assertionem mutati a *Pissatello* alvei, adversus hominis temeritatem facit eadem 143. Decisio n. 11. ubi quinque testium assertionem ponit asserentium,
C & deponentium. verba nunc Decisionis pono. *De publica voce, & fama Pissatellum antiquitus per S. Peregrinum ad Taliatam defluxisse, ipsamque Civitatem ejus alveum mutasse, quia Salinas existentes prope Taliatam inundabat: idemque testes deponunt se vidisse Alveum, per quem olim decurrebat Pissatellus, & Civitatem illum iis, qui proxima prædia possidebant, vendidisse,*

NOTÆ 104

Postremo loco ex Gregoriana ambulatione a Summo Pontifice URBANO VIII. nunc regnante restituta, & emen-
D *data. Sunt hæc ibi adscripta verba.*

VRBANVS VIII. PONTIFEX MAX. AMBVLATIONIS GREGORIANÆ AB AQVÆ SVBLABENTIS NOXA PARIETES, ET FORNICEM AB IMBRIVM, ET TEMPORIS INIVRIA VINDICAVIT PICTVRAS IN DIES OBSOLESCENTES
E INSTAVRAVIT. GEOGRAPHIAM MVLTIS IN LOCIS CORREXIT, ET AVXIT. VNIVERSVM OPVS PRISTINO DECORI RESTITVIT ANNO MDCXXXI. PONTIFICATVS OCTAVO.

In instaurata ergo, & emendata ejusmodi Geographia a Sapientissimo Pontifice *Rubicon* ex descriptione est noster *Pissatellus* cui Columella annectitur, cum dicto *Cæsaris* ipsius *Jacta est alea.*
F Post hunc ad ortum scribitur *Butrium*, inde *Sabiniani* Flumen, in quod *Rubico* influit, vel ipsum in *Rubiconem*. Post *Sabinianum* longo tractu *Lusus.* Num satis est tanti Pontificis sententia, & judicium ad compescendam repugnantium levitatem? Num audebit quispiam a Summo Principis jussu provocare; Hoc unum sat esse debet ad imponendum perpetuum *Ariminensibus* silentium.

FINIS.

AD-

105 ADDITIONES QUÆDAM IMPRESSO JAM OPERI.

Pollicitus erat Author in Opere, de fontibus *Pissatelli* publicas locorum testationes, quas nos (quæcunque pervenerant in manus nostras) impressimus. Fuerunt autem duæ, fides Consulum scilicet *Subrivolæ*, & fides Consulum *Montis Cogorutii*. At expleta impressione supervenit fides Consulum, & hominum *Strigariæ* pro veritate, obtenta cura Excellentiss. viri nobilis *Cæsenatis D. Petri Arcani*, quam (cum primum ipsum initium Fluminis contineat) imprimendam omnino judicavi, ac superioribus adjiciendam, ut constet quantum a veritate aberret dictum Scriptoris *Ariminensis*, dum asserit sensu patere, nullum esse fontem *Pissatelli*, cum incolæ ipsi testentur sensu patere nedum unum habere, sed duos conspicuos fontes. Certe quod objecit homini Scriptor *Cæsenas* in evidentibus secure nimis, & impudenter mentiri, ex ejusmodi attestationibus mirum in modum confirmatur.

Ad eandem arguendam in manifestis falsitatem pertinet fides mensuræ latitudinis *Pissatelli*, quam *Petrus Capellus* Agri mensor præsentibus gravissimis, ac nobilissimis viris diligenter cæpit, multo majorem, quam verba *Vincentii* ipsius indicaverant, ante scilicet factum experimentum: cum nedum major alicubi sit latitudo duodecim perticis, sed major viginti quatuor; & si cum alluvione sumatur, intra ripas scilicet Fluminis
106 comprehensa, superat usque triginta. Modestissima ergo fuit *Vincentii* assertio, dum solum majorem duodecim perticis dixit. At immodestissimum dictum Hypodidascali dum ad fossæ prædialis angustiam restrinxit.

A Non minus convincit falsitatis exorbitantis hominem libratio, libellatione altitudinis Civitatis supra *Sapis* alveum ex qua redditur procul ab omni fide, aquam *Sapis* ad *Pissatellum*, qua in via *Æmilia*, ac *Romana* ponte transitur, fluere; ad quem locum non nisi per Civitatem ipsam pervenire posset. Posui idcirco libellationem in hac additione postremo loco.

NOS CONSULES, ET CONSILIARII STRIGARIÆ.

Amnem prope Villam Montis Campi, & deinde per varia territoria non procul a Civitate Cæsenæ ex parte orientis defluentem, Riconem in mon-
B *tibus, vulgo Pissatellum in planitie, & veriori vocabulo Rubiconem in Flaminia nuncupatum; in confinibus Territorii Strigariæ habere ejus fontem, & scatebram publice attestamur. In quorum, &c. Datum Strigariæ die 31. Julii 1643.*

Petrus Tontus Potestas, & Cancellarius.
Attestor ego Franciscus Cillaresa Rector S. Petri de Strigaria omnia ut supra contenta esse vera.

Loco ✠ Sigilli.

A di 11. Agosto 1643. In Cesena. 107

C *Faccio fede Io Dionigi Moretti Cittadino, & hora publico Ingegniere di Cesena d'haver livellata l'altezza del piano della Città sopra il letto del Fiume Savio, & trovato essere pertiche due, & piedi otto. In fede di che hò fatta, & sottoscritta la presente di mia propria mano.*

Io Dionigi Moretti affermo quanto sopra.

FINIS.

Die sexta Junii 1643. Vidi ego infrascriptus pro Illustrissimo, & Reverendiss. D. D. Petro Bonaventura Episcopo Cæsenæ, & pro Reverendiss. P. Magistro F. Michaele Saxo Inquisitore Generali Romandiolæ Opus hoc adversus Rubiconem Ariminensem; & cum nihil contineat adversus leges, illud approbo. In Conventu Abbatiæ S. Crucis.

Ita est D. Celsus Rosinus Abbas, Doctor Theol. & Consultor.

Imprimatur
P. Episcopus Cæsenæ.

Imprimatur
Fr. Thomas de Ancona Sac. Theol. Lector primus, & Vicarius S. Officii Cæsenæ.



INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Vincentius. E Hy-

FINIS.

JACOBI VILLANII,
J. P. D.
DE
RUBICONE
ANTIQUO ARIMINENSI
IN
PISCIATELLUM
CÆSENÆ,
RESPONSA,
Ad
Quinque Argumenta à Viro integræ solidæque doctrinæ
LUCA HOLSTENIO
Proposita:
Et à
TERENTIANO UBICOLA
In publicam lucem data.
Editio Novissima, de novo recognita, ac Indice aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

Basil. Hom. 9. de Ira.

Contumeliam tibi imposuit iratus; siste silentio malum: & ne ventos imiteris, qui per reflatum id, quod appulsum est, repellunt.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

BENEVOLE LECTOR.



um nuperrime Replicationem Vincentii *contra* Jacobum Villanium *ederem, promiſi me adhuc Diſſertationem huic contrariam in lucem emiſſurum eſſe. Quo igitur promiſſis meis ſtarem, offero tibi hîc eam, primum à* Terentiano Ubicola *in lucem datam, &* Lucernæ *Anno Chriſti M. DC. XLVII. apud* Davidem Hautt *impreſſam. Hæc ut nitidiſſime ac modo commodiore in lucem iterum prodiret, operam dedi. Propterea nomina propria, aliaque notatu digna characteribus à textu diſtinctis excudi curavi, Indiculumque adjeci. His ut fruaris ex intimo corde apprecor. Vale faveque.*

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO SAPIENTISSIMOQUE
SENATUI ARIMINENSI
TERENTIANUS UBICOLA S. P. D.



uam olim *Publius Sempronius* & *Appius Claudius* Conſules *Romani* alteram *Arimino* Veſtro jam ante condito lucem dederunt, hanc omni ſtudio conſervatam cupio: præterquam enim, quod multa mihi cum hoc nobili Municipio neceſſitudo interceſſerit, viros ego in illa, prudentia litterisque plenos offendi, quibus, quod ingenio meo, propter beneficia mihi frequenter exhibita, gratus eſſe non potui, gratulabar nempe nuper admodum in aliquem *de Rubicone* & *Piſciatello* libellum incidiſſe, in quo Civis Veſter *Jacobus Villanius* Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini, D. *Alphonſi* Sacrati Comitis, Epiſcopi *Comaclenſis*, & ad *Helvetios* ac *Rhætos* Nuncii Apoſtolici Auditor multa nervoſe & erudite de *Rubicone* veſtro diſputat, negatque debere, neſcio contra quem ſequius arbitrantem, cum *Piſciatello* confundi; quod *Rubicon* ex *Apenninis* montibus oriundus, veſtros campos interſecans, nihil dè *Piſciatello* participet. Quam litterariam pu-

gnam à municipe Vestro, calamo duntaxat adumbratam, & in umbra latentem, ego in lucem protrahendam ac typi beneficio, Vestro inprimis Illustrissimo Sapientissimoque Nomini dedicandam putavi; quo fiet, ut à celeberrimo *Rubicone* Vestro vos claritudinem, à vobis ille patrocinium sui tutelamque recipiat. Valete, ac Civis Vestri, Veritatem duntaxat perquirentis opus non grande, magnifacite.

Illustrissimo Vestro Sapientissimoque Nomini
addictissimus & obstrictissimus
TERENTIANUS UBICOLA.

Ad Illustrissimum & Reverendissimum
DOMINUM
D. ALPHONSUM COM. SACRATUM,
Episcopum Comaclensem, ac in Urbe Vicegerentem.



Um apud te Illustrissime Præsul Romæ *degerem, accidit, ut nosti, ut invitatus venirem ad colloquium de Amne* Rubiconis *cum viro integræ conditionis, solidæque doctrinæ* Luca Holstenio, *qui, ut me traheret in adversam opinionem, vel saltem averteret à mea, studio (ut cognovi) fuerat immissus. Variis iste argumentis, variisque rationibus contra sententiam meam enixe, prolixeque mecum est locutus. Cæterum de Viro hoc cum* Petronio *dixerim:* neque generosior spiritus vanitatem amat. *discessit ipse, atque oleastrum meum, ut ita dicam, non vidi ab horto suo omnino eradicatum. Nunc vero admiraris, cum* Rubiconis *nostri caussam defendendam susceperim, hærere in prima via: at removeri digitum ab ore jubes, satis enim quod recitassem pluries alphabetum incusas, flagitasque, ut quidquid de hac quæstione fuit, ad calamum revocare ne pigeat; sed dictione brevi, quæ cum placeat, non expleat, præcipue te gravioribus negotiis plenum.*

Propono argumenta Viri, quæ talia fuere.

I. Ariminenses ipsimet scriptores olim sine controversia non negarunt Pisciatellum esse Rubiconem.

II. Antonii Augustini, & Philippi Cluverii dicta adhærere magis Pisciatello, quam Luso.

III. Pisciatellum esse flumen perenne, non torrentem, ut evidenter probatur per testes posteriore libello Cæsenatis Historiographi.

IV. *Plinii locum:* Ariminum Colonia cum Amnibus Arimino & Aprusa, hinc Rubico &c. *lib. III. cap.* 15. ac Strabonis assertum *lib. V.* Cæsena Isapi, & Rubiconi propinqua: valde illi suspecta esse, ne Ariminensibus adversentur.

V. Me tandem non vidisse Itinerarium Hierosolymitanum, in quo habetur.

Ravenna.
Sapis XI.
Ad Novas XI.
Rubico fl. III.
Ariminum XI.

Unde apparet, Portum Cæsenaticum esse eum locum, qui in tabula vocatur ad Novas, & distat ab ostio Rubiconis III. millia passuum, quot hodieque numerantur, ad proximum à Portu Cæsenatico amnem Sabiani, in quem Pisciatellus influit, & idcirco Pisciatellum hic esse demonstratum pro Rubicone.

RE-

RESPONSA JACOBI VILLANII, DE RUBICONE ANTIQUO.

AD PRIMUM.

Nullus *Ariminensium* reperitur, qui affirmare audeat *Pisciatellum* esse *Rubiconem:* licet, ut audivi, citentur duo scriptores, nempe *Antonius Cerrus* e *Montano Urbini* Ducis vasallus, & *Arimini* litteras humaniores olim docens; alter vero quidam frater *Jo. Maria Torsanus* ex oppido *S. Agathæ Montis Feretri*, sub ditione Marchionis *Fregosi*, qui in sacram familiam Servorum *Arimini* ascriptus, ultro *Ariminensis* appellari voluit. Primus nihil de *Rubicone* explicite scripsit, secundus ab re de *Rubicone* locutus, cum orationem dixerit de laudibus *Arimini*, ita de *Rubicone: In Ariminensi agro, jam olim Rubicon erat amnis, & fama, & edicto Senatus P. Q. R. celeberrimus, quem civilium bellorum auctores crebro recordantur, & maximis concelebrant rumoribus.* Sed quæso, quo abitum paravit, ad *Cæsenates* forsan? audi *Torsanum* ipsum sub initio ejusdem orationis: *mœnia* (id est Urbis Arimini) *tum denique leniter alluunt duo prætereuntes amnes, ab ortu Aprusa, ab occasu Ariminus:* ex his præmissis, tu ergo inito consequentiam, an *Lusus* sive *Rubico*, qui deinde consequitur, sit in agro *Cæsenate*, & ipsomet loco, quo *Pisciatellus.* Præterea fabula est, *Ariminenses* nondum centum ab hinc annis in opinionem ivisse de *Luso* putato *Rubicone*, ac ea animositate contendere cæpisse, ut Senatus Consulto caverit, & jusserit *Lusum* pro antiquo *Rubicone* esse statuendum. gratis hæc propalantur; ne quidem unum de hac re, si perscruteris, per sæcula & ætates invenias dubium: nec ulla necessitas *Ariminensium* Patribus, qui prudentia, consilio ac doctrina probantur non equidem leves, ac inane gloriosi, vane decreto sancire, quod nostra flumina, videlicet *Crustumium* pro *Conca*, *Aprusa* pro *Apusa*, *Ariminus* pro *Maricula*, *Rubicon* pro *Luso*, *Asius* sive *Asium* pro *Flumixino Sabiniani* haberentur, cognoscerentur, ac nominarentur: Cum enim de re constat, de nominibus quid indagandum? ac decernendum? sistat hoc jus apud imperitum vulgus:

> *Multa renascentur, quæ jam cecidere: cadentque*
> *Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:*
> *Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*
>
> Horat. *de Arte Poet.*

Dicatur ergo apud rudes & vulgares *Lusus*, *Usus*, *Plusa*, sed apud peritos *Rubico* nomine antiquo. At ne quis injuriosus à principio injustam dicat controversiam, quam intentant *Ariminenses*, cum nec jam probaverit talem, manifesta hæc est principii petitio, cum sub initio probationis sumat ad probandum id, quod est probandum: nec ex falsa suppositione nitatur probare falsam injustitiam ex origine: quare si more scholastico procedendum esset, totum esset negandum. interim vere ac prudenter Comicus:

A
> *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,*
> *Quin res, ætas, usus, semper aliquid adportet novi,*
> *Aliquid moneat: ut illa, quæ te scire credas, nescias;*
> *Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Ac judicio Pontani:

> *Omnia fert ætas, & perficit omnia tempus.*
> *Nec serum quicquam tempus, & hora ferunt.*

Supervacaneus studiorum labor esset, nisi liceret invenire meliora prioribus. In eo me esse video, ut, vel nihil laudis consequar, vel eorum malevolentiam, qui se summos rei literariæ principes arbitrantur, & faciunt, nec ferre possunt quemquam non declarare, quæ sua torserint ingenia.
B Verum nec adeo recuso audire male, dum Patriæ, ac concivium defensioni consulo. Non est meum injuriis injuriam repellere, at rationibus rationes adnectere, ut veritas ipsa, quod mihi curæ, tandem reperta, cesset indagari. Hoc tamen non negandum, *Ariminenses* potius rem, quam scriptorem habere.

AD SECUNDUM.

Antonius Augustinus, & *Philippus Cluverius* non adducuntur, ad probandum, quod *Pisciatellus* non sit *Rubico*, sed ad demonstrandum
C illam tabulam marmoream in ripa *Pisciatelli* collocatam, esse mendacem, & fictitiam, ut inde nobis facilius aperiatur via ad manifestandam alienam inventionem ac fictionem, quæ est, quod *Pisciatellus* sit *Rubico*, ut patet ex ipsamet etymologia vocabuli *Pisciatelli*, quæ aperte videtur repugnare cum nomine *Rubiconis* apud scriptores tam celebri, & famoso. Pape cachinnis dignum, quod olim *ipsi Græci celebre flumen communi fluviorum nomine, vel munere nominarunt: at ob parvitatem facile diminutivo sunt usi, nimirum Pisation, quod in Pisciatellum facile declinavit.* Sicuti
D & *Pisas*, & *Pisæ significare irrigationem*, *irrigareque ac fluere.* De *Pisis Livius*, *Virgilius*, *Strabo*, & alii scriptores antiqui; de *Pisciatello* nullus præter Historiographum *Cæsenatem*, qui modo fossatum illum elevat in *Rubiconem*, modo per etymologiam conatur *Græcorum* auctoritate consignare. Non me fugit didicisse, nomen *Pisæ* a verbo πίω, futuro πίσω deductum videri: qua de re Eustachius *in Commentariis ad Homeri Ulisseæ lib.* XX. *dicunt enim* πίω, πίσω & πίσος, *hoc est: poto, potabo, pratum, sive locus humectatus & irriguus, qui potum præbere queat.* Hinc etiam & *Pisa Urbs*, & *Pisa fons dictus est, ac si dicas canalem, in quo ada-*
E *quantur pecora* hæc ille; & idem statuta *Cæsen. pag.* 296. reliqua incassum. Verum enim vero *Cerviæ* nomen *Ficocles* nequaquam *Græcum* est: *Sigonius Latinis* litteris legit *Ficoclæ*; & apud *Anastasium* in vita *Theodori*, qui Papa factus est anno Domini 641. ita scriptum est: *pervenerunt juxta Civitatem Ravennatem in locum, qui dicitur Ficuclas, duodecimo milliario a Civitate, & ibi decollaverunt Mauritium.* Apud *Albonem Floriacensem* Abbatem in eadem *Theodori* vita legitur *Ficudas.* barbara iti-

itidem vocabuli formatione, illi seculo usitata; sed haud dubie & ipse *Albo* scripserat *Ficuclas*. Insuper mihi dubium, an *Ficoclas* vere sit *Cerviæ* Civitas, vel potius alter locus *Ravennæ* proximus, atque a *Cervia* sejunctus: nam in recentioribus *Cervia* legitur, & in antiquis idipsum nomen ex ea inscriptione, quæ *Romæ* inter *Fori Trajani* ruinas reperta, sic se habet:

IMP. CAES. NERVÆ. TRAIANO DACICO.
GERMANICO. PARTHICO. PONT. MAX.
TRIB. POT. XVIII. COS. VII. P. P.
OPTIMO. PRINCIPI.
RAVENNATI. CÆREVIANI. CÆSENATI
CVR. VIAR. TRA —— FLAMII —
D. D.

At devenio ad *Cluverii* sententiam, qui innixus *Sidonii* scriptis *lib. I. epist.* V. *de Rubiconis qualitate, qui originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur, quique olim Gallis Cisalpinis Italisque veteribus terminus erat.* ex his non agnovit Pisciatellum pro Rubicone, cum exscripserit *Ital. Antiq. lib. I. cap.* 2. *Sane neque puniceus glarearum color apud prædictam Inscriptionem conspicitur, terra illic fere albicante: neque arundinetum ibidem ullum unquam fuisse potuit in cava, aridaque valle.*

AD TERTIUM.

Jam alteram pecurri libellariam censuram, qua *cap.* 6. intendit adversarius solvere hanc rationem: *Pisciatellus* non est perennis, ergo non est flumen: retorquet argumentum, se ipsum a veritate extorquens, dicendo, quod per nos, quinimo per distinctionem Legis, flumen distinguitur in perenne, & non perenne, cujusmodi est torrens, ergo torrens est flumen; subjungit ipse: *admiror valde carentem logica impudenter loqui de logica.* Sit igitur pro nobis exemplum ad manifestandam veritatem in diffinitione logicæ. Logica est ars artium, & scientia scientiarum: si logica sit scientia, constat, quod non potest esse ars, & si sit ars, non potest esse scientia. En igitur aperta in Adversario imperitia logicæ: est scientia in specie, & ars in genere, quæ non sibi contradicunt, quemadmodum sibi contradicunt scientia in specie & ars in specie. Ad rem nostram redeuntes: torrens est flumen & non est flumen absque contradictione, quam perperam improperat nobis injustus censor: est flumen in genere, & communiter non est flumen in specie, & principaliter, quia non est perennis: cæterum *Rubico* est vere fluvius in specie fama celebris, quare *Pisciatellus* non est *Rubico*. Hæc subjiciam validissima testimonia, ac demonstrationes indubias adversus quædam simulata, nec non privata hominum inventa, quæ in calce posteri libelli adnotata fuere ad innuendum falso *Pisciatellum* esse flumen perenne.

Noi sei huomini del Regimento della Terra di Sogliano.

Con publica autorità, & pieno consenso del nostro Conseglio, come ne consta la parte passata sotto li 26. *del mese di Settembre prossimo passato del presente anno à carte* 104. *del libro de consegli. Faciamo indubitata fede à Chi s' aspetta, come la verità fù, & è, che sotto il Castello di Strigara u' è una fonte, ò sorgente d' acqua perpetua, dove pigliano l' acqua quelli di Strigara, & è distante da detto castello un tiro d' archibugio in circa, mà l' acque di detta fonte entrano in un picciolo rivolo chiamato l' Aunsa, quale scorre per spacio di tre miglia incirca, & poi sbocca nel fiume Savio. Più distante da detta fonte sotto Strigara per un quarto di miglio incirca hà principio il Rigone in un luoco detto fondo la Tomba e campo di Bastiano Bondanini, mà però*

A *senz' acqua scaturiente ò fonte di sorte alcuna, incominciando come un fosso, che poi si dilata vicino ad una selvetta, e continua detto Rigone per spatio d' un miglio e più con nessuna sorte d' acqua, come hoggidì si vede, essendo in tutto, e per tutto asciutto e non scorre, se non quando piove, venendo anco alimentato da altri fossi convicini similmente quando piove, e non altrimente.*

In oltre ricercati per la verità affirmiamo, che gli Infrascritti Castelli hanno Ufficiali nel modo, che segue, cioè:

Strigara si governa con quindeci huomini, questi fanno doi capi, quali si cavano à sorte per bolettini, e s' addimandano li Fattori, quali essercitano il loro
B *officio per spacio di sei mesi. quando si sotto scrivono, ò mettono la legalità à nome del loro Publico dicono:* Nos Factores Castri Strigariæ Feretranæ Diœcis, &c. *Monte Cogoruccio è governato da* 24. *huomini: fanno quattro capi à sorte per bolettini, chiamati li Fattori · essercitano il loro ufficio per quattro mesi, e similmente nelle publiche inscritioni scrivano:* Nos Factores &c. *Sorivoli vien governato da* 18. *huomini; fanno doi capi chiamati Consoli, uno di dentro al Castello, e l' altro fuori, & essercitano illoro ufficio per doi mesi, & si cavano per bolettini à sorte; sotto scrivendosi dicano.* Nos Con-
C sules castri subrivoli &c. *e di tutte le predette cose ne facciamo vera testimonianza, non solo, perche le sappiamo come vicini à detti Castelli, mà per esser stati quattro de nostri al præsente consiglieri sopra ciascheduno de sopranominati luoghi, & haver visto, & haver considerato bene quanto per mera verità si conferma in questa nostra, & per esser tutto ciò publico, e notorio, e publica voce, e fama. In quorum fidem &c. Datum Soliani in publico Palatio hac die quinta mensis Octobris Anno* 1643. *Jo. Andrea Ravezzi capo delli sei del Regimento di Sogliano confermo esser la verità quanto di sopra.*

D *Jo. Gio. Ricci uno del conseglio di detto luogho confermo esser la verità quanto di sopra.*

Jo. Pietro Ravezzi confermo per la verità quanto di sopra.

Jo. Pietro Giacomo Allocatelli uno del conseglio di detto loco confermo ut supra.

In DEI Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis 1643. *Indictione XI. sedente S^mo. D. N. D. Urbano divina providentia Papa Octavo, die verò sexta mensis Octobris.*

Constituti personaliter coràm me, ac testibus infrascriptis &c. Ill^res. D. D. Andreas Ravetius, Petrus Jacobus Allocatellus, Petrus Ravetius, &
E Joannes Riccius *omnes de Terra* Soliani *&c. qui &c. Spontè &c. ac omni &c. medio eorum juramento &c. recognoverunt dictam fidem, affirmaverunt, & dixerunt supradicta omnia in ea contenta fuisse & esse vera, eaque pro veritate dixisse & affirmasse &c. eandemque fidem manibus propriis subscripsisse &c. & ita tactis Scripturis juraverunt &c. omni &c.*

Actum in Terra Soliani *in domo mei &c. juxta sua &c. præsentibus ibidem R. D.* Antonio Arigonio *Rectore Parochialis ecclesiæ dictæ Terræ, & Domino* Jo. Baptista Arigonio *de eodem loco testibus, &c. Et ego* Carolus Baldellus *pub. DEI gra-*
F *tia & Apostolica auctoritate Notarius* Soliani *de prædictis omnibus in forma rogatus fui. In quorum fidem hic me subscripsi, & meo solito signo signa vi &c. loco ✠ signi.*

Nos Sex Viri Regiminis Terræ Soliani.

Fidem haud dubiam facimus, & attestamur supradictum D. Carolum Baldellum esse Notarium publicum & legalem, suisque publicis scripturis in judicio & extra semper adhibita fuit fides, hodieque magis adhibetur &c. In quorum fidem, has nostro, que

quo in similibus sigillo impressione communiri mandamus hac die sexta Octobris 1643.

Loco ✠ Sigilli.

FRANCISCUS VACCHETTUS
pro D. Cancellario.

Angelus Cæsius Dei, ac S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Arimini.

Universis & singulis ad quos &c. fidem facimus & attestamur, suprascriptum D. Carolum Baldellum de prædictis rogatum fuisse, & esse pub. & legalem Notarium Soliani talem, qualem se facit, suisque pub. scriptis, & attestationibus ut supra per ipsum rogatis, publicatis, & signatis semper adhibitam fuisse, modoque tam in judicio, quam extra adhiberi fidem. In quorum &c. Datum Arimini in Palatio Episcopali. Hac die x. *Octobris* 1643.

Loco ✠ Sigilli.

JO. ANTONIUS MANCINUS
Not. Episcopalis pro D. Secret.

Insuper interrogatum fuit Illre. Consilium Communis Terræ *Sabiniani*, an *Pisciatellus*, qui inter *Cæsenam* & *Sabinianum* decurrit, sub alio nomine vocitetur, ac intelligatur, quam *Pisciatelli?*

Quod publice congregatum respondit, semper fuisse nominatum, ac modo etiam appellari *Pisciatellum*, ut ex *lib. Refforman.* ejusdem Comitis *Sabiniani*, & per Acta *Francisci Barberii* Secret. ac pub. Not. ejusdem loci constat. Quid plura ad cognitionem *Pisciatelli?* ipsi *Cæsenates* indicant flumen apud eos non extare, nisi *Sapim*, nam ex eorum *statutis lib. IV. pag.* 291. *cap. de officialibus eligendis per Ancianos super fossatis faciendis.* hæc excipies: *Statuimus, quod pro evidenti, & pub. utilitate civium, & districtualium Civitatis Cæsenæ, & firmiter ordinamus, quod in Consilio nonaginta sex Communis Cæsenæ ad brevia eligantur inter ipsos ad fabas nigras, & albas solemniter quatuor Officiales, duo videlicet ultra flumen, & alii duo citra flumen, quorum officialium sint duo suprastantes, & duo notarii &c.* ac paulo post: *Qui quidem officiales in eorum, & cujuslibet eorum locis deputatis, sint & esse debeant soliciti, & intenti super tracturis aquarum pontibus, & clavicis, & aliis utilibus laboreriis fieri faciendis per totum districtum, comitatum Civitatis ejusdem, ita quod possessiones hominum de Cæsena aquarum undationibus non perdantur.* Conrfimatur hoc ex antiquo codice M. S. apud Illmum. D. Com. Equitem Hierol. de Rizzardellis Arimini sub anno 1466. usque ad annum 1476. cui foris titulus: *Matricula Notariorum Cæsenæ eorumque & aliorum officia, &c.* Intus vero: *In Christi Nomine Amen. Hic est liber continens in se cartas.* 148. *In quo Ego Cichinus de Abbatibus Civis & Not. Cæsenatens: nec non ad præsens Cancell. Comitis Cæsenæ describam & annotabo primo nomina Notariorum Cæsenæ, &c.* pluribus vero locis in eodem libro videntur extractiones supradictorum officialium, qui appellantur,

Capitaneus ultra flumen
Capitaneus citra flumen.

singuloque eorum Notarium dato cum salario consueto. Ex his igitur manifestum est ad *Cæsenates* non spectare nisi *Sapim*, quod si *Pisciatellus* rationem fluvii indueret, officiales prædicti nominarentur alter Capitaneus *Isapis*, alter vero Capitaneus *Pisciatelli:* sed olim officiales *Pisciatelli* diversimode se habebant, ut in eodem *libro pag.* 108. nempe: *Officiali eletti à guardar il Pis-*

A *sadello, che non sia passato con bestia alcuna per loco alcuno, senon per li ponti deputati sotto quella parte, che si contiene in li Capitoli, &c.* e quibus clare patet, in districtu & Comitatu *Cæsenæ* non extare quidem aliud flumen præter *Isapim:* reliqua omnia rivos, canales & fossas. Neque obstat *Pisciatellum* multis moletrinis deservire, lege *Jo. Franciscum Tintum* super *Veronæ* originem, invenies *pag.* 78. in Urbis illius circuitu defluere rivos *Pisciatello* consimiles eadem præstantes & majora; qui sunt (refero Tinti loquelam) *Fibio, Tramegna, Tegion, Fiume nuovo, Alpone, Bussè, Fossato, Nichesola, Menago & Tartaro, copiosi d'acque serventi all' uso delle mulina, di pille de risi, di molte officine per far le carte da scrivere, folar panni, & berette, batter i ranti & brunir le lamine per l'arme de soldati, &c.*

B

Accedit ad hæc, quod *Pisciatellus* est quid diversum a fluvio *Rubicone*, atqui a *Cæsenatibus* universis nunquam habitus pro *Rubicone*, ut elicitur (cæteris indicationibus prætermissis) ab eorum statutis, quæ consensu Civium fiunt, & legis vim habent, ac pro legibus observantur. §. *jus aut civile, & §. fin. instit. de jur. nat. gentium & civil. l. omnes populi ff. de justi. & jur.* Alberic. a

C Rosate *de statu. lib. I. quæst. 9. num.* 60. & condentes statuta præsumuntur non ignorare, quæ publicis tabulis conscribuntur, nam pro condendis statutis eliguntur, & eligi debent peritiores in loco §. *cumque hoc*, ubi gloss. *& docto.* Quare flagitium? Patriæ vetustissimum, quod appellant Municipale jus: *Placita Principum, Plebiscita & Consulta Senatus de optimorum ætatis superioris hominum sententia, & opinione, ad Urbis commodum, ac dignitatem condita, inque membranis modo ferme obsolescentibus conscripta, in Posterorum gratiam, & beneficium, typographicis notis renovata, inte-*

D *gritatem avitam* reprehendere, statutariosque post secula & ætates in suspicionem vocare, sive rei male cognitæ, sive male conscriptæ. Cum revera nunquam peritissimi viri vile & abjectum *Pisciatelli* nomen divulgarent, nec celeberrimum & insigne Rubiconis conticuissent, si ad rem, vel ad causam *Rubico* spectasset; quo etiam verba diligenter observanda sunt, ne quid ultra requirendum. Bal. *de stat.* verbo *requirere* num. 1. nec nominandus *Rubico*, cum appelletur in statutis continuo *Pisciatellus*; nam statutum quod non dicit, neque nos dicere debemus. Farinac. *decis.*

E *Rot. Rom.* 123. *num.* 5. *part.* 2. & a verborum propria significatione non est recedendum. Alberic. a Rosate *de stat. lib. I. q.* 140. *num.* 1. atque juvari non potest, nec debet, qui facit contra statutum. Bal. *de stat. verbo benef. num.* 3. Sed hic de petitione principii, de qua Historiographus redarguit nos tanquam imperitos in logica facultate, nesciens ipse principalem logicæ partem esse pro nobis: cum doceat Philosophus in lib. posteriorum, quod quæstio unum quærit, & aliud supponit: sed quod supponit quæstio nostra est, quod fuerit *Rubico:* quod vero quærit, est, an *Lusus* vel *Pisciatellus* sit ille *Rubico*, & ad probandum quod sit *Lusus*, adducitur pro nobis argumentum nondum solutum, quod tempore

F *Cæsaris Pisciatellus* non aderat, eo, quia post transitum *Cæsaris* arte factus, ut patenter ab etymologia nominis a recenti vulgo exorta dignoscitur. licet ergo nobis in adversarios exclamare; ò pectora cæca.

AD QUARTUM.

Veram concedimus hanc propositionem: *Rubiconem* esse vel *Lusum*, vel *Pisciatellum*, sed quæ subinfertur non est *Aprusa Plinii*, sed *Apusa* vel *Apesa* est *Aprusa*, ut de communi sen-

tentia testatur Cluverius *Ital. antiq. cap. 5.* his verbis: *ceterum Plinius prædicto* lib. III. cap. 15. *Ariminum Colonia cum omnibus Arimino & Aprusa, fluvius hinc Rubico. Aprusa hic amnis hoc seculo Italiæ scriptoribus exponitur Plusa nunc fluvius, quo nomine nullum heic reperiri, confictumque hoc esse vocabulum a Blondo &c.* Et inferius: *præfluit hodie Ariminum ab orientali parte amnis vulgari vocabulo Ausa, qui haud dubie ille Plinii est Aprusa.* Cum vero dicatur; *Plinius* in sermone suo procedit ab oriente ad occidentem, respondetur, ut alias dictum fuit, *Arimini* prius nominat *Ariminum* fluvium scil. *Mariculam*, quam *Apusam* seu *Aprusam*, non ratione ordinis, prioris videlicet & posterioris habito respectu ad orientem & occasum, sed ratione dignitatis fluvii, & denominationis Civitatis: *Ariminum* non ab *Aprusa*, sed ab *Arimino* fluvio denominatum, & equidem recte, nam denominatio facienda est a digniori, & principaliori. *Gloss. in l. prima in princip. ff. de verb. oblig.* & nulli dubium est, *Ariminum* fluvium longe *Aprusa* digniorem, & præstantiorem. Quæ minime ignorans *Plinius* Civitatem *Arimini* descripsit eo ordine naturali, de quo *Alber. Brunus* de rebus dubiis: una causa integra ad aliam causam integram, quæ debet de sui natura præcedere; cum ordo non sit attendendus, cum æque principaliter a scribente doctissimo ponderata videntur prioritas, & posterioritas, ut de situ idem *Alb.* disputat. Plinii ergo *lib. III. cap. 15.* hæc sana *Arimini* descriptio: *Ariminum Colonia cum amnibus Arimino & Aprusa*: deinde addit: *Hinc Rubico quondam finis Italiæ.* Primum fit mentio de fluviis cohærentibus vel adjacentibus ipsi Civitati, quæ continet has intrinsecas ejus naturales pertinentias, ex quibus talis connexio operatur, ut unitas censeatur, nam connexorum idem est judicium. *cap. translato. de const. l. quod conclave ff. de damn. infec.* & concesso loco, videntur concessæ cohærentiæ ipsi loco. *l. via constitui §. pen. & fi. ff. de ser. rusti. prædio.* & quando duo sunt propter unum finem introducta, illa duo unum reputantur. Ant. Bard. *de temp. utili.* His omnibus absoluta Civitas, statim *Plinius* indicat *Rubiconem: hinc Rubico:* demonstratur enim ad oculum vel intellectum per illud verbum: *Hinc*: quod demonstrativum est; habetque relationem a loco antecedenti descripto nempe ab *Arimino.* quod jam *Plinius* descripserat simul cum amnibus *Arimino* & *Aprusa.* ceterum in explanatione virtutis ex adverso argumenti contra *Portam* & *Clementinum* censor confundit hæc tria vocabula *Aprusam*, *Plusam* & *Lusam*, quæ non sunt idem; cum *Aprusa* sit *Apusa* vel *Apesa*, & *Lusa* seu *Blondi Plusa* sit *Lusus*, atque ex ista æquivocatione non sua sponte, sed quadam inadvertentia deceptus retulerat innovatum a *Blondo Plusa* ipse *Porta.* Verum enim vero quando constat de intentione, ac voluntate scribentis, non est quærendus nodus in scirpo. Alc. in *conf. 8. num. 6. lib. I.* nam verba sæpe etiam proferuntur præter intentionem loquentis, *cap. dilecti de appellat. can. æstiment.* 11. *quæst.* 3. Philippus Cluverius *lib. I. antiq. Ital. c.* 28. nescio an admiratione, vel indignatione in *Blondum* & *Leandrum* hæc habet: *At quum Leander Bononiensis sæpius hac via iter fecerit, & Blondi quoque Patria Forumlivii XII. haud amplius millia passuum dissita sit, mirari satis nequeo, qui illi flumina, quæ recensent, nominaque eorum ignorare potuerint: quippe amnis, qui apud Castellum Bellaere in mare effunditur, non vocatur Plusa, sed Lusa. nec tamen huic adpositum est Oppidum Savinianum sed illi, quem IV. millia passuum in dicta via a Lusa remotum.* Item hæc Flavio data: *Idem Blondus memoratis erroribus hunc insuper addit, quod Rubiconem, quem vult nunc esse*

A *Pisciatellum ad Portum Cæsenaticum, dicat in mare effluere.* Valet hic sententia Menocch. *de præsumpt. lib. V. præsumpt. 22. num. 2.* in qua testis, qui dicit falsum in aliqua parte principali, seu substantiali ipsius negotii controversi, hoc in casu regula constituitur, quod falsum attestatus præsumatur in cæteris partibus. Et sic omnes Authores sequentes *Blondum* vel *Leandrum*, ut aves, & oves, quæ quando una volat, omnes aliæ sequuntur juxta adnotata per *Dec. conf.* 481. *num.* 12. non probant, nec eis est adhibenda fides, cum eodem morbo laborare dicantur. Borgnin. *decis.* 41. *num.* 29. excusantur tamen nonnulli scriptores, qui explicite *Pisciatellum Rubiconem* non a

B se ipsis, sed adhibita *Blondi*, vel *Leandri*, sive amborum divulgata assertione, quibus dicendum: aliud est aliquid simpliciter narrare, vel declarare, aliud vero ad aliorum relationem, cui expresse profitetur inhærere; tunc enim apparet eum noluisse simpliciter, & absolutum actum facere, sed voluisse illum regulare a relatione sibi facta, sive a causa expressa, quæ si detegatur erronea, patens est intentionis defectus, ut tradit Gemin. *conf.* 53. *num.* 14. *ad fin. & seq.* Sat amplam mendacii causam dedere *Blondus* & *Leander*, ad quorum normam *Maginus*, *Ortelius*, *Mercator* ac alii in Geographia errarunt, qui omnes in

C tabula *Romandiolæ* apposuerunt *Rubiconis* nomen amniculo *Sabiniani*, in quem influit *Pisciatellus*: atque ad castrum *Bellaere*, ubi vere ostium *Rubiconis* vulgo *Luso*, falso *Plusæ* sive *Aprusæ* dixerunt. Idem ex picturis *Gregorianæ* deambulationis in tabula *Ariminea*, quam *Urbanus VIII.* Pont. Max. nec correxit, nec notavit (cui de *Pisciatello* nulla cura, neque animus) quin imo intacta, ac a prima forma, nec mutata, nec variata, quæ tamen tota est (ut vidi cum Domino meo Equite *Francisco Gualdo*) circumscripta erroribus: nihil enim adaptati ex his, quæ delineata monstran-

D tur, sed abs re hinc inde omnia indeterminate perturbata ac confusa, ita ut castra, flumina, villas extra proprium cujusque situm reperias. Sed hic error a primo pictore. Sed jam nobis occurrit Strabo *lib. V.* qui post mentionem Urbium, quæ intra *Padum*, & ad *Padum* illustres sunt, descendit ad alia oppida minora, ac post *Claternam* & *Forum Cornelii*, ita se habet in emendato codice *Parisiensi*, *Casauboni* probatione: *tum Faventia ac Cæsena ad Isapim fluvium & Rubiconem jam Arimino appropinquant.* conjunguntur etiam apud *Ptolomeum Faventia* & *Cæsena*, ut idem Casaub. *in lib. V. Strabonis*, verbumque illud *Græ-*

E *cum* synaptusi συνάπτουσι, non ad flumina, neque ad *Cæsenam* cum fluminibus refertur (ut vellet Historiographus) sed ad oppida *Faventiæ* ac *Cæsenæ*: estque sensus planus: *appropinquant Arimino*: sive altera versione: *hæc proxima sunt Arimino*: respondere locis, seu oppidis antecedentibus ultimo descriptis. quæ quidem Civitates non simul, nec sejunctim cum *Rubicone* reperiuntur, sicuti legimus: *Ariminum cum amnibus Arimino & Aprusa. Ravenna oppidum cum amne Bedese, Pisaurum cum amne*, apud Plinium *lib. III. cap.* 15. & *cap.* 14. & item *cap.* 13. *Truentum cum amne*: quæ sane oppida, ut confirmat *Cluverius*, iis

F omnibus absolvebantur; sed prope *Rubiconem*, vel ad *Rubiconem* dicuntur. *Cluverius* vero in singulari interpretatus est, *Cæsenam* propinquiorem *Arimino*, quia revera propinquior quam *Faventia*, quæ copulative cum *Cæsena* in *Strabone* conspicitur. At vero cur apposite non dicam potius *Rubiconem* jam *Arimino* propinquiorem, cum *Casaubonus* exponat, *Faventiam* & *Cæsenam* ad *Rubiconem* jam *Arimino* appropinquare, ex quo clare patet *Rubiconem* esse propinquiorem *Arimino*, quam *Cæsenam*; ubi etiam noto particulam *Jam*, quæ illico

illico post *Rubiconem* subsequitur parva distantia, *Ariminum* demonstrare. A situ longitudinis dignoscitur, *Rubiconem* propinquiorem *Arimino*, quam *Cæsenæ*: nam *Ariminum* ex tabulis geographicis, & *Ptolomeo:* grad. 35. O. Ostium *Rubiconis* grad. 34. 55. *Cæsena* vero grad. 34. 40. quare videtur à *Cæsena* ad *Taliatam*, ubi antiquitus *Pisciatellus*, non posse intercedere differentiam quinque minutorum, sicuti solummodo differt *Ariminum* à *Rubicone:* A graduatione etiam, quam *Ptolomeus*, & alii *Ariminum* & *Rubiconem* determinant secundum longitudinem & latitudinem, videtur *Rubiconem* propinquiorem *Arimino*, quam *Cæsenæ*, pono gradus.

Ariminum	35. 43. 50
Ostium *Rubiconis*,	34. 55. 43. 50.
Cæsena.	34. 40. 43. 40.

Sed quo fundamento, & solida responsione *dicatur Rubiconem Arimino propinquum ex ostio, quod est proximum ab ortu sicut Ravennæ ex altera parte; propius tamen Arimino, quam Ravennæ :* cum ostium *Rubiconis* deportetur ad mare ultra *Cæsenaticum*? dicat de nobis Historiographus omne malum, quia vere ad hæc capienda homo pepone sum insulsior.

AD QUINTUM ET ULTIMUM.

Quod locus ad *Novas* itinerarii *Hierosolymitani* adnotatus idem sit, qui hodie *Portus Cæsenaticus*, in sententia docti *Holstenii*, non immoror: quodque distet III. millia passuum ab ostio fluvioli *Sabiniani*, in quem *Pisciatellus* influit, neque hanc nego; sed quod idcirco *Pisciatellus* sit *Rubico*, quia in illa tabula *Rubico* impressus reperitur, hanc conclusionem patenter non admittit Ill^mus. & Rev^mus. M. *Antonius Maraldus*, qui per duas *Manticæ* Cardinalis Decisiones, nempe 143. & 169. monet, ac probat *Pisciatellum antiquitus decurrisse per S. Pelegrinum versus Taliatam ad mare* (non vero in Mare) *ipsamque Civitatem ejus alveum mutasse, quia salinas existentes prope Taliatam inundabat : idemque testes deponunt vidisse alveum, per quem olim decurrebat Pisciatellus, & Civitatem illum iis, qui proxima prædia possidebant vendidisse:* & solummodo Pisciatellum *ante ann. 1475. versus Ariminum ad Fluminicinum defluxisse.* Hæc conveniunt cum *statutis Cervien. lib. III. cap. 6.* quo insuper demonstratur *Pisciatellum* extitisse in solo Civitatis *Cerviæ*, non *Cæsenæ*. Hæc sunt verba: *Nullus audeat, vel præsumat ædificare facere in territorio, vel districtu Cerviæ & potissime in loco, qui dicitur Pisciatellus, seu Curtæ S. Thomæ à Pisciatello veteri ad Rivum Zanni.* En igitur falso *Pisciatellus* in ostio amnis *Sabiniani* demonstratur à nonnullis Geographis & scriptoribus, cum potius designandus esset, ac recognoscendus in eo ipsomet loco, quo antiquitus decurrebat, nempe versus *Taliatam* citra Portum *Cæsenaticum:* Viderit quæso Historiographus *Cæsenas*, cur sibimet ipsi iterum manifeste contradicat, falsumque statuat, dum hæc in secunda parte sui Apparatus præmonstravit: *At tertia sumptio in præsenti negotio falsa est, abesse scilicet Pisciatellum ab Arimino duobus de viginti millibus passuum : nam qua pergentes à Ravenna ad Ariminum illum transeunt, & qua tum transgressus est ipsum Cæsar, nunc decies circiter mille passus ab Arimino distat.* Si velis *Rubiconem Pisciatellum* antiquitus ad *Taliatam* ultra *Cæsenaticum* defluxisse, cur modo *Cæsar* istic eundem *Pisciatellum* transgressus est? sed ulterius: *Considerent tunc scriptores Ariminenses, utrum Cæsarianæ celeritati adeo repugnaret decem circiter milliaria intervallo duarum horarum absolvere.* Locus, quo supra antiquitus *Pisciatellus* defluxerat non decem tantum, sed decem &

A septem circiter mille passus ab *Arimino* distat, ex quo confirmatur denuo, non potuisse *Cæsarem* intra crepusculorum spatium ab isto *Pisciatello* ad *Ariminum* pervenire. Id vero mihi persuasum est, *Cæsarem* prima luce, scilicet cum dies inalbescit; *Albusiam* proprie tempus illud *Latini*, nos *Albam* appellamus, & cum jam aves surrexerant, castra ad invadendum *Ariminum* movisse, atque id tempus apposite *Romanis* ad movenda castra destinatum, utpote auspicatum. *Juvenal. Satyra 8.*

Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces, & castra movebant?

B Nec aliter fecisse *Cæsarem* vel ipse insinuat *Lucanus*, dum ait:

Vicinumque minax invadit Ariminum, & ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

Mota ergo castra ortu Luciferi, ut par erat, occupatum *Ariminum* vanescentibus ob vicinum solem sideribus, lucifero adhuc remanente, & jam mundo solem divulgante : rem totam *Petronius* de ipsomet *Cæsare*, deque ipsamet re, quamvis poëtice locum metiatur.

Judice fortuna cadat alea —— *&*
Hæc ubi personuit, de cœlo Delphicus alès
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras.
C *Nec non horrendi nemoris departe sinistræ*
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar, & insolitos gressus prior occupat ausu.

Lego insolitos, ut sit illud *Lucani:*

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
Accepturus aquas.

Ex quibus licet intelligere *Cæsarem* ortu luciferi è ripa trans *Rubiconem* movisse, ac summo mane, quando lucifer, qui inter astra oritur, sine astris emicat, atque ideo hora una circiter cum dimidia occupasse *Ariminum* felici omine, nempe sereno D Cœlo, & materno sidere fugatis astris; quin etiam præmissa aquila; ipsa enim Delphicus ales est, ut ex *Pindaro* liquet. Imperii *Romani* insigne, ex *Rubiconis* ripa movisse eum tam apertum est, ut explicatione non indigeat : Quod si *Cæsenatensis* esset *Rubicon*, aut movendum fuisset *Cæsari* sine auspiciis in re tam seria, quod in eruditione *Romana* haud datur, vel non avibus, ut autores dicunt, sed pullis ipsi agendum fuisset : matutino quippe tempore avibus utebantur : si nox esset intempesta, cum aves sponte sua non advolant, aut in mari dux esset, tunc pullis in cavea allatis agebant, unde illa *Flaminii* damnata vox : si noE lunt comedere, bibant. & pullos mari mergere jussit : usus itaque auspicio *Cæsar*, quod præter alia testimonia illud declarat *Petronii*.

—— *de Cœlo Delphicus ales*
Omnia læta dedit, pepulitque meatibus auras.

Non itaque *Cæsar* movere potuit à *Cæsenensi Pisciatello*, sed ab *Ariminensi Rubicone*, videlicet à *Luso*, non intempesta nocte, sed ortu luciferi, quo castra duces & bella movebant: neque aliter lucis nomina hic accipi debere, quam pro matutinis ante solem momentis, quod eruditis liquet.

Huc usque tandem tuo jussu Illustrissime Præsul quidquid est perduxi; ulterius perrexissem; F sequentiaque, quæ apud me jam confecta dedissem, si velles. His avertere injuriam, optavi, non inferre, sine acerbitate ulla, aut ira. Nunquam vero primordium sumpsi à jurgiis in *Cæsenam*; numquam ejus Gymnasium, Hastiludium, Agrum, Salem & Sulphur exprobravi; neque nuptas, aut innuptas mulieres, quas laudavi à nobilitate, probitate, ingenio, prudentia, pulchritudine, fide & modestia. *Cæsenam* metaphorice allocutus sum, ut ipsa minium, ac cerussam

A

disperderet à vultu, ac admotas deponeret grallas, deveniretque ad sui formam & staturam, cum illam conspicerem alieno tanquam suo se ad fastum rerum inanem. Neque etiam scriptoris *Cæsenatis* dignitatem, honorem, senectam, doctrinam vituperavi, qui nisi *Ariminum* repentino impetu, ac tanquam injecta manu nonnullis scommatis se dedisset, vere nunquam ad calamum confugissem: Natura ita comparatum est, ut loca magis veneremur, in quibus educati sumus, quam ubi duximus originem. At se attollant alii, &

B

etiam dilaudent à dignitate, honore, scientia, nobilitate: mihi satis Progenitorum meorum (non ultra precor) nomen & mores retinere, quos in omne ævum (Dei misericordia ac singulari præsidio) comperio pios, honestos & probos, de quibus si quæras, non invenies equidem apud homines ullam querelam: testis Civitas *Carpi*, ac primum *Mutina*, à qua vetus origo, deinde *Ariminum* ab Anno 1608. Sciat tamen doctissimus virorum falso dicere, me *ducatum puerorum à juventute, ac Hypodidascali officium exercuisse, in aliena domo, & ad alienam lucem lucubrasse; eo magis*

C

impudentem, maledicum, mendacem, male natum, male moratum inurbanitate grassari. Abjecti ac imbecillis animi argumentum contumelia, & ira sunt: vulgata in fœminis, pueris & servis vitia, eoque magis in ingenuo & libero. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.* Prov. 17. desuescat huic calori vir senex & philosophus, detrahatque à vultu personam, qua libellum conscripsit sine titulo, ut tutamine careret, sicuti ratione. Atque ne verba hic perdam, Censorem alloquor, pacate differenti haud aures avertam, Pasquilis vero atque momis, non est meum, respondere. Usque adhuc sprevere multi furorem & fervorem, multi & risere: quid ego? testor Deum, virum amavi, & ingenium acre, facile, felix etiam in ejus senecta miratus sum; sed felix si in aliam rem & materiam vertisset; nam ista quem fructum, imo quam fidem habent! Concluditur injustitia injustis verbis, quippe non injuriis, at juribus tueri controversiam decet; quod namque melius & manifestius signum proterviæ, mendacii, impudentiæ & falsitatis, quam contumeliis disputare, & non rationibus? *Arma unicuique dedit Deus. Naturam aëriam avibus: magnam celeritatem & robur leonibus, tauris sponte nata cornua, & apibus aculeos innatum dedit tutamen; at ratio propugnaculum est mortalibus.*

F I N I S.

Cum Dissertatio ista de Rubicone *antiquo* Ariminensi *à me diligenter lecta, nec fidei Orthodoxæ; nec bonis moribus adversetur, & eruditione sua splendescat, dignam judico, quæ per Typos publici juris fiat, & eruditionem egregiam sui Authoris omnibus commendet.*

Jodocus Knab, Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Constantiensis Commissarius.

INDEX MEMORABILIUM.

F I N I S.

GABRIELIS NAUDÆI,
Parisiaci,

EXERCITATIO:
In qua
Argumento valde probabili asserit, quod Nomen

SENÆ
Non

CÆSENÆ,
Sed

SENOGALLIÆ
Conveniat.

Editio Novissima, mendis typographicis purgata, ac Indiculo aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIUNCULA
NOVÆ HUJUS EDITIONIS.
BENEVOLE LECTOR.

POsteaquam Dissertationes JACOBI VILLANII & VINCENTII *de Rubicone Antiquo* publici juris de novo feceram, ubi *Rubiconem* fluvium *Ariminum* dicit esse suum, *Cæsena* suum vindicat: a viro quodam valde Docto Exercitatio *Gabrielis Naudæi Parisiis* apud viduam *Gulielmi Pelé* Anno M. DC. XLII. impressa mihi offerebatur, qua Auctor argumento si non certo, attamen valde probabili asserit, *Cæsenæ* non procul à *Sapi* & *Rubicone* sitæ nullatenus *Senæ* nomen convenire. Insuper multa in ea occurrunt, quæ prædictarum Dissertationum enodationi subservire possunt. Propterea orbi literato me non male consulturum duxi, si Exercitationem hanc quoque imprimendo repeterem, præsertim cum valde rara, & in paucorum manibus teratur. Tibi igitur eam, Benevole Lector, typis nitidissimis excusam, vitiis Typographi incuria commissis abstersam, Indiculoque auctam sisto. Ut ne autem plane ignorares, qualis noster *Naudæus* fuerit, Elogium ei attributum ex *Morero* & aliis depromptum, variaque ipsius scripta huic opusculo præfixi. His ut fruaris ex animo opto. Vale.

ELOGIUM ET SCRIPTA AUCTORIS.

Ex Moreri Lexico aliisque.

NAUDE' (GABRIEL) *Chanoine de* Verdun *& Prieur* d'Artige *en* Limosin, *s'est distingué entre les hommes de Lettres du XVII. Siecle. Il étoit de* Paris, *& fit de grands progrès dans les Sciences, dans la Critique & la connoissance des Auteurs, & dans l'intelligence des Langues. Ces bonnes qualitez le firent considérer. Il fut prémiérement Bibliothécaire des Cardinaux* Bagni *&* Antoine Barberin *à* Rome, *puis du Cardinal* Mazarin *en France.* Naudé *avoit en son particulier une tres-belle Bibliotheque. La réputation de son mérite se répandit au delà de la Mer Baltique.* Christine, *Reine de* Suede, *le fit venir à* Stokholm. *Elle s'entretenoit souvent avec lui de belles Lettres, & lui donnoit beaucoup de temoignages d'estime. A son retour de ce voyage, il mourut à* Abbeville, *le vingtneuviéme Juillet de l'an* 1653. *Divers Auteurs parlent de lui avec éloge. On peut consulter sa Vie écrite par le* P. Louis Jacob. *Ici suit le Catalogue de ses Ecrits.*

De Sallustio commentarius illustrando, 4. De Apologetico scribendi genere intermittendo. 4. De latiori umbra ducta ex eodem opaco. 4 De superhumano credendi modo Aristotelico. 4. De natura Dæmonia, non divina apud Aristotelem. 4. Alia epistola. 5. *Lettera al Liceti sopra la pietra lucida di Bologna.* 4. De Apologetico, de magnete: &c. 4. Syntagma de Studio liberali. 4. & 12. Bibliographia politica. 8. & 12. Ludovici Canalis Marchionis ab Altavilla, elogium. 4. Instauratio tabularii

majoris Templi Reatini. 4. Lessus in funere Joannis Francisci Cardinalis a Balneo. 4. Instrumentum plenariæ securitatis scriptum anno Justiniani Imperatoris 38. primum è Bibliotheca Cardinalis a Balneo erutum. 4. De politicis scriptoribus, & de Bodino judicium. 8. Pentas quæstionum Iatrophilologicarum. 8. Causæ Kempensis conjectio. 8. Velitatio prima Kempensis adversus Joannem Launojum. 8. *Science des Princes, ou considerations politiques sur les coups d'état, avec les reflexions.* 8. Syntagma de Studio Militari. 4. *Apologie pour les grands Hommes accusez de magie.* 8. *Instruction touchant la chimerique Compagnie des Freres de la Rose-croix.* 8 *Avis pour dresser une Bibliotheque.* 8. *Addition a la Vie de Louis* XI. 8.

JOANNI BAPTISTÆ DONI

PATRICIO FLORENTINO

GABRIEL NAUDÆUS

S. P. D.



NVALVIT ætate nostrâ quorundam hominum opinio, qui merito suo, authoritatem in literis maximam, & celeberrimam obtinuerunt; Senæ *nomen, quod in depravatis quibusdam* Strabonis, Eutropii, & Pauli Orosii *codicibus editis invenitur, tam proprium esse urbis* Cæsenæ, *ut frustra sint* Casaubonus, Elias Vinetus, Fabricius, *aliique maximi nominis Philologi, quicunque apud illos auctores* Cæsenam, *non hoc* Senæ *nomine significari, sed potius* Senogalliam *arbitrati sunt. Hoc verò quoniam minimè consentaneum esse veritati, post adhibitam in ea re discutienda, sedulam operam, deprehendi; & quæstio illa ejusmodi est, quæ non modò præclaras Civitates inter se committere, sed provinciarum quoque, & veteris historiæ notitiam confundere potest; nisi verioris sententiæ explicatione, sensim gliscenti contrariæ, obviam eatur. Propterea facturum me operæ pretium existimavi, si exercitationem hanc, succisivis à me elaboratam horis, publici juris facerem, eamque,* Baptista Doni *vir Clarissime, & mei amantissime, tuo in nomine apparere vellem; cum ut patrocinio tuo munita, plus sibi faventiæ apud eos omnes conciliet, qui istud in literarum censu, quanti faciendum sit non ignorant: tum verò ut maxima beneficia quibus me vel immerentem devinxisti, non fuisse à te in hominem ingratum collata, planè cognoscas. Nam de illis me tibi in præsentia obnoxium esse majorem in modum, profiteor; nec futurum unquam existimo, ut tot egregia summæ humanitatis testimonia, quibus me primum quidem* Romæ, *dum illic tecum conjunctissimè viverem; ac nuper etiam* Florentiæ, *cum iter ad* Eminentissimum Cardinalem Mazzarinum *Dominum meum colendissimum accelerarem, prosecutus es, mihi unquam ex animo excidant. Vale.*

Parisiis VIII. Id. Julii M. D. C. XLII.



GA-

GABRIELIS NAUDÆI EXERCITATIO: QUOD NOMEN SENÆ non CÆSENÆ ſed SENOGALLIÆ conveniat.



URBI *Cæſenæ* quæ in *Flaminia* non procul à *Sapi*, & *Rubicone* ſita eſt, nullatenus *Sænæ* nomen convenire, argumento eſſe poteſt, ſi non certo, attamen valde probabili, quòd nemini ex tot antiquis & recentioribus Geographis, qui nihil in hoc ſtudio excolendo reliqui fecerunt, iſtud de *Cæſena* aſſerere, ne quidem per Somnium in mentem venerit. Nam ut *Strabonem* miſſum faciam, à cujus ſententia modò candidè diſcutiatur, meam nihil omnino differre paulo poſt oſtendam; reliqui omnes eam urbem, de qua nunc ſermo eſt, abſque ulla hæſitatione, vel καισήναν nominaverunt, ut [a] Ptolemæus; vel κισσίνιν τὴν πόλιν, ut [b] Agathias; vel Κισίναν τὸ Φρούριον, quin etiam Κισίνην, & Κισσίνην, ut [c] Procopius, vel denique *Cæſenam*, *Ceſenam*, ac *Ceſennam*, ut [d] Quintus Cicero, [e] Plinius, Autor Itinerarii quod falsò tribuitur Antonino, [f] Sidonius Apollinaris, [g] Zacharias Lilius, [h] Flavius Blondus, [i] Volaterranus, [k] Leander Albertus; [l] Gaudentius Merula, [m] Tortellius, [n] Aldus Manutius, [o] Gerardus Mercator, [p] Geſnerus, [q] Philippus Ferrarius, & quicumque alii ſcriptores, mentionem illius fecerunt; à quibus omnibus nihil in ejuſmodi nomine turbatum fuiſſe memini; niſi ab *Antonino*, qui *Cæſenam*, nullo addito epitheto, cum ſemel protuliſſet, alibi poſtea *curvam Cæſenam* appellavit; & à *Leandro Alberto*, qui primus ex vita ſancti Mauri Epiſcopi, notavit, eam antiquitus *Flavæ curvæ Papiæ* nominibus inſignitam fuiſſe. Verum, quoniam hi, unde opinionem ſuam probarent, nihil attulerunt, à nemine propterea obtinere potuerunt, ut veri & communi uſu recepti nominis loco, peregrina iſthæc admitterentur. Quid plura? Fidiſſimi ætate noſtra Geographorum duces [r] *Philippus Cluverius*, & [s] *Abrahamus Ortelius*, quantumvis in id potiſſimùm deſudarint, ut ſynonyma omnia, variaſque appellationes locorum quæ in orbe ſunt, ex infinitis pene ſcriptoribus colligerent; adeò ut poſtremus ſub finem Theatri ſui, Synonymiam locorum Geographicorum poſuerit, quæ duplici indice nomina antiqua recentibus, rurſumque inverſo ordine, recentia antiquioribus explicaret; atque eam poſtea ſigillatim edi, demumque in Theſaurum ſuum transferri curaverit, *quoniam*, ut inquit in epiſtola ad Lectorem, *his attente conſideratis, lucem non contemnendam hiſtoriæ, Geographiæque ſtudioſis adferri videret*: non potuerunt tamen ambo illi homines Geographiæ ſcientiſſimi, in tota antiquitatis memoria, aut epithetum aliud, aut ſynonymum invenire, quod huic ſolo & unico *Cæſenæ* nomini adjungerent. Propterea que *Cluverius* loco cuidam ex Hiſtoria Procopii [t], qui ſic habet ἐςί δὲ καὶ ἄλλα Φρούρια δύο καὶ Σίνα, τε καὶ μόντης Φερέντης mendum ſubeſſe oſtendit, ex alio antecedenti ejuſdem authoris textu, in quo rectè ſcriptum erat καισίνα τε καὶ μόντις Φερέντης, id eſt *ſunt & alia duo Caſtella Cæſena & mons ferens*, tantum abeſt ut cogitarit, *Senam* hanc, pro *Cæſena* accipi debere. Huic autem ſilentio, quæ legitima cauſa ſubeſſe potuerit, nullus ſane video; nam ſi no-

A men illud *Senæ* proprium ejus urbis fuerat, quæ ab excidio quod circa Conſulatum *L. Corn. Sullæ Fel.* & *Cecilii Metelli* paſſa eſt, tum demum ut adverſarii volunt *Cæſa* & *Cæſena* indigitari cœpit; mirum profectò videri debeat, cur prioris illius nominis, tanquam ſi aliquo Senatus Conſulto abrogatum fuiſſet, neque *Q. Cicero* meminerit, qui *M. Tullio* fratre ſuo annum ſub illis Conſulibus XXVII. agente, non procul etiam abeſſe ab eo tempore potuit; neque *Strabo*, licet jam ætate provectus fuerit, cum Geographiam ſuam quarto anno *Tyberii* Cæſaris ſcriberet, & *Cæſenæ* inſtaurationi, quam ipſi, cum immineret Tri- B umviratus *Antonii*, *Lepidi*, & *Octavii* factam fuiſſe contendunt, intereſſe potuerit. Sed neque *Plinius*, qui ſub *Tito* & *Veſpaſiano*; aut *Ptolemæus*, qui imperante *M. Aurelio* vixerunt, diligentiores hac in re fuiſſe *Q. Tullio*, aut *Strabone* cenſeri debent, cum tamen, nomen illud, non potuiſſe tam citò, ex hominum etiam eruditiſſimorum memoria obliterari, nemo ſit qui non videat. Unde ſi verum eſt quod de illo adverſarii contendunt, conſequens etiam erit, ut maximæ vel ignorationis, vel injuriæ, viri illi præſtantiſſimi inſimulandi ſint, qui contra quam in o- C mnibus aliis urbibus fecerant, veteri illo nomine prætermiſſo, quod tamen ex recenti tot bellorum memoria, longè magis honorificum erat civitati, novum iſtud, quaſi factâ inter ſe conjuratione, ſecuti ſint.

Hujus autem rei contrarium ab eiſdem autoribus, cum de ea *Piceni* urbe cui *Senæ* nomen potius convenit, factum fuiſſe, non leve quidem indicium eſt, quod illis certò certius exploratum fuerit, & *Senam*, & *Senogalliam*, & *Senam Gallicam* diverſa fuiſſe unius ejuſdemque civitatis nomina. Neque prius illud *Senæ*, de quo nunc controverſia eſt, ulli alteri civitati, quæ in *Flaminia*, aut *Piceno* ſita ſit, tributum à quoquam ſcri- D ptore fuiſſe, præterquam *Senogalliæ*, urbi inter *Metaurum* & *Æſim* in *Piceno* ſitæ; tantum abeſt ut *Ceſenæ*, quæ longiſſimo tractu ab illis fluviis diſſita eſt, habetque multo viciniores alios, ſcilicet *Sapim* & *Rubiconem*, convenire poſſit. Qua in re nullum puto fore qui mecum idem non cenſeat, ſi modo locorum ſitum, & hiſtoriarum ſeriem, cum nominibus ipſis diligenter contulerit, proculque ab omni affectu, ſcriptorum verba, in diverſum, ab eo quem præ ſe ferunt ſenſum, contorquere noluerit. Quamobrem ut totum iſtud negotium paulo attentius diſcutiam; antiquiſſimi meo judicio qui poſt *Polybium*, *Livi*- E *um*, & *Strabonem*, de quibus infra commodior erit dicendi locus, *Senæ* nomine uſi fuerint, ſunt *Appianus Alexandrinus*, & *Stephanus Byzantius*, quorum hunc de *Senogallia* locutum fuiſſe, cum in libro de urbibus dixit Σήνη πόλις κελτική, non *Cluverius* [u] modo, ſed alii Geographi, veluti res ſit per ſe manifeſta, ſupponunt potius quam probant: illum verò dum hæc verba protulit: Πομπήιος τε Μάρκιον ἐνίκα περὶ πόλιν Σίνας I. [v] *Pompejus quoque Marcium devicit circa Senas*, non aliam urbem à *Senogallia* intellexiſſe, idem *Cluverius*, ex antecedentium ſermonum cum ultimis ipſis connexio-

[a] Lib. III. Geogr.
[b] Lib. I. Hiſtor.
[c] Lib. II. & III. Rer. Gothic.
[d] Epiſt. ult. lib. ult. famil.
[e] Lib. III. hiſt. nat. cap. 15.
[f] Epiſt. 8. lib. 1.
[g] In orbis breviar.
[h] In Italia illuſtrata.
[i] IV. comm. Urbanor.
[k] In Deſcri. Italicæ.
[l] Lib. II. cap. de Gall. ciſalpina.
[m] In orthograph.
[n] In orthograph.
[o] In Atlante minori.
[p] in onomaſtico.
[q] In Lexico Geographico.
[r] In Ital. antiq.
[s] In theſauro & theatro geogr.
[t] Lib. II.
[u] Lib. II. antiqu. Ital. cap 5.
[v] Lib. I. belli civil.

nexione, liquido demonſtrat; nam quid aliud ſibi volunt hæc verba, *Sed primo ſtatim vere, ad Æſim flumen, accerrimè conflixerunt Metellus & Carinas Carbonis legatus, quo profligato, finitima loca defecerunt ad Metellum, à Conſule; Metellum vero Carbo aſſecutus, obſidebat, donec cognito Collegam magno prælio ad Præneſte eſſe victum, copias ſuas reduxit Ariminum, Pompejo tergo hærente, & in eum incurſante in agmen extremum*; Mox vero. *Pompejus quoque Marcium devicit circa Senas, urbem ipſam diripuit*: quid inquam totus ille Orationis contextus ſignificat, niſi *Pompejum*, quem *Carbo* ab *Æſi* flumine verſus *Ariminum* fugiens, poſt ſe reliquit, circa *Senogalliam* conſtitiſſe, ubi victoriam illam ex *Marcio* retulit, non autem circa *Cæſenam*, quæ *Carboni* tunc in fronte fuit, adeoque poſt terga relinqui ab eodem nullo modo potuit. Paulo vero obſcurior ipſo *Appiani* loco, alter ex ejuſdem libro de bellis *Annibalis* videri poſſet: etenim poſtquam in eo retulit, quomodo Coſſ. *Salinator*, & *Nero*, contractis in unum ſuis copiis Aſdrubali. Περὶ πόλιν Σήνας I. *ad urbem Senam* occurrerunt, ſubjungit quidem, *ille qui nondum pugnare conſtituerat, ſed quam primum fratri ſe conjungere, noctu movit caſtra, & per loca paluſtria ripaſque fluminis vado carentis, cum errore obiens non multum proceſſit*; ſed nomen fluminis illius reticet, atque ita incertum relinquit, num *Sena* illa *Gallica*, aut *Etruſca* fuerit; verum nos fluctuare in ambiguo non ſinunt teſtes omni exceptione majores, *Livius*, *Horatius*, *Silius*, & alii qui illud à *Metauro* non diverſum fuiſſe contendunt, nam Livius [w] *ad Senam*, inquit, *caſtra alterius Conſulis erant, & quingentos inde ferme paſſus Aſdrubal aberat*, moxque ſubjecit de *Aſdrubalis* ducibus loquens, *alter in deſtinatis jam ante animo latebris ſubſedit, alter per vada nota, flumen Metaurum tranſnavit?* Horatius [x] vero *Metaurum* teſtem ejus beneficii laudat, quod *Romani* ob ejuſmodi victoriam à *Nerone* Conſule receperunt.

Quid debeas ô Roma Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal Devictus.

Silius [y] etiam *Latiæ* telluris imaginem his verſibus *Neroni* Conſuli ſuadentem inducit, ut irruenti in *Italiam Aſdrubali*, totis ſe viribus opponat.

Fulgentibus armis
Pœnus inundavit campos, qua Sena relictum
Gallorum à populis ſervat per ſecula nomen.
Surge, age, fer greſſus patulos, regione Metauri
Damnavi tumulis Pœnorum atque oſſibus agros.

Sidonius denique in *Panegyrico Anthemii* dixit

Improbus ut rubeat Barchina clade Metaurus.

Poſſem vero antiquioribus iſtis *Julium Obſequentem* [z] accenſere, cujus iſta ſunt, *apud Metaurum fluvium, Aſdrubal cum omni exercitu à Romanis deletus eſt*. Sed nolo ego fucum facere veritati, & *Conradum Lycoſthenem* qui priorem ejus auctoris partem, multaſque ex fragmento quod prius *Jucundi Veronenſis* fuerat, lacinias, ex *Livio*, *Eutropio*, & *Oroſio* ſupplevit, veri & legitimi *Obſequentis* loco obtrudere. Qui autem ex recentioribus pugnæ illius meminerunt, iis ſemper in ea deſcribenda ſermonibus uſi ſunt, ex quibus facilè admodum ſit conjicere, ipſos, priſcorum ductu & exemplo, *de Senogallia* tantum loqui voluiſſe, nam Eutropius [a] *Senam* illam in *Piceno* eſſe retulit, *apud Senam Piceni civitatem in inſidias compoſitas incidit*. *Lombardus* autem *Sirichus* [b] non una etiam cautione, ut idem præſtaret, uſus eſt, *celerius*, inquit, *quam cogitari poſſit, maximam Italiæ partem emenſus in caſtra Salinatoris, qui ad Metaurum flumen, apud Senam Adriatici maris littus hoſti ſe objecerat, pervenit*. *Sabellicus* quoque, ut erat duobus iſtis eruditior, ita nodum hunc tam feliciter ſolvit, prorſus ut alio vindice non egeat; nam ex *Sena Livii*, aliorumque ſcriptorum, quibus ambiguitatis aliquid ineſſe poterat, *Senam Gallicam* fecit, in il-

[w] Lib. 27.
[x] Lib. 4. ode. 4.
[y] Lib. 15. belli Punici.
[z] Cap. 41. de prodig.
[a] Lib. 3. breviar.
[b] In ſuppl. epit. de vir. illuſtrib.

lis verbis ex *Enneadis V. Libro IV.* deſumptis, *habebat Lucius Caſtra tunc ad Senam Gallicam, quingentos inde fermè paſſus Aſdrubal aberat*, moxque. *Ubi vero illuxit, & ad Metaurum ventum eſt, dum in reperiendo vado quo copias trajiceret retardatur, Nero prior cum equitatu adfuit.* Neque minus hac in re veritati patrocinatus eſt Sebaſtianus Maccius Durantinus, dum lib. II. *de bello Aſdrubalis*, tam expreſſe ſignificat, *Senam* illam, ubi *Aſdrubal* à Coſſ. *Romanis* devictus eſt, diverſam à *Senogallia* non fuiſſe, ut clarius & melius non poſſet, ita enim ille; *ſed antequam ulterius proficiſcatur*, Nero ſcilicet, *Livium de ſuo in Picenum adventu facit certiorem*; *Livius autem poſtquam Roma diſceſſerat, per Picenum iter faciens, ad Senam Gallorum, quam Senogalliam dicunt, pervenerat, ibique conſederat cum exercitu, expectans occaſionem rei bene gerendæ, quoniam autem Sena intra eos fines continetur intra quos ejuſmodi bellum geſtum eſt, &c.* ac paulo poſt etiam, *Eſt autem Sena urbs in Senonum Gallorum mediterraneis, inter novos Picenos, in Adriatici maris littore, olim à Senonibus ædificata.* Hujus autem viri auctoritatem, non flocci in hac controverſia faciendam eſſe judico, cum à teneris annis, vitam in *Piceno* traduxerit, & omnes vel minimos illius receſſus, tanquam digitos & ungues exploratos habuerit; certè loca omnia in quibus *Romani* Conſules, & *Aſdrubal* conſederunt, tam diſtinctè notat, eaque ex antiquorum nominum, cum recentibus collatione, ſic ob oculos ponit ut qui hunc paucis ab hinc annis fato conceſſiſſe neſciat, metatorem in alterutro illo exercitu fuiſſe, nec injuria quidem exiſtimet. Quin etiam facies ipſamet loci, quæ ut idem Maccius [c], & Abbas Bernardinus Baldus [d] annotarunt, ligonibus inverſa, recurvos enſes, armaque, & ferramenta non unius generis exhibet, & nomina ab ejuſmodi eventu ſibi indita etiamnum adhuc retinet, idipſum teſtari ſatis ſuperque poſſunt: nam ut inquit Paulus Merula [e], à quo nullus unquam diſſentire viſus eſt, *prope urbem* (Senogalliæ) *eſt mons Aſdrubalis, nomen ex clade hîc inlata retinens, & tota illa planicies Fanum uſque pertingens, mala Rotta inde denominata*: quod à *Maccio* [f] in Soteride dictum pariter fuit, quanquam diverſo orationis genere.

Teſtatur factum ſublimi in colle Metaurus,
Oſtentatque ducis tumulum, multoque cruore
Sparſit aquas, retinentque atrum de cæde cruorem.

Liquet ergo magnum eſſe, & fermè incredibilem autorum omnium conſenſum, in explicanda *Sena* illa *Appiani*, & quod ſtatim oſtendam, *Polybii* quoque, non de *Cæſena*, ſed de *Senogallia Piceni* urbe, quam ea de cauſa reliqui etiam hiſtorici quotquot mihi evolvere contigit, eandem eſſe quæ prius *Sena* dicebatur, affirmare non dubitant. Et ſanè poſſem viros graviſſimos è multis proferre *Flavium Blondum*; *Raphaëlem Volaterranum*, & *Leandrum Albertum*, niſi qui multum ab hac ſententia mea diſcrepant homines doctiſſimi, ingenuâ confeſſione, ſibi minimè cum ejuſmodi ſcriptoribus convenire faterentur. Quare lubens accipio quæ concedunt, eorumque auctoritatibus afferendis ſuperſedeo, ut quibuſdam aliis teſtibus, magis adhuc certis nobilioribuſque, ſententiæ huic meæ cumulum adjiciam. Tales vero ſunt Geographorum hac ætate Triumviri, quibus nemo bonus non aſſurgat *Philippus Cluverius*, *Gerardus Mercator*, & *Abrahamus Ortelius*, atque illis non immeritò quidem ſuccenturiati *Paulus Merula*, & *Judocus Hondius*, qui omnes ab ipſiſmet *Polybii*, *Titi Livii*, & *Strabonis* auctoritatibus, quas tamen adverſarii velut plurimum opinioni ſuæ conducibiles in medium proferunt, occaſionem ſumpſere alterius quæ ab ipſa penitus diſſentiat, conſtituendæ. Quod certè ut magis innoteſcat, ſingulorum verba breviter refero, Cluverii [g] quidem, *Sena Gal-*

[c] Lib. 3. de bello Aſdr.
[d] In apolog. Procopii contra Blondum.
[e] Part. 2. li. 4. Coſmograph. c. 23.
[f] Lib. 4.
[g] Ital. antiq. lib. 2. cap. 5.

lica

A lica, *sive ut aliis vocatur autoribus*, *Senogallia*, *memoratur Polybio*, *Livio*, *Straboni*, *Melæ*, *&c.* Deinde vero, *sed huic*, nempe Polybio[h], *ut & Livio, ac Straboni, Stephanoque simpliciter sine cognomine dicitur* Σήνα *Sena.* Gerardi Mercatoris, *Senogallia urbs Episcopalis Senam prius appellatam fuisse patet ex Polybio & aliis, deinde Senogallia cœpit audire, hodie Sinigaglia vel Sinegalia.* Abrahami Ortelii[i], *Senagallica Ptolemæo, Senonum in Italia urbs maritima, Straboni Senegalia simplici L. Sena* Σήνη *simpliciter Polybio, & Stephano.* Pauli Merulæ[k], *in ora deinceps ab casa cremata* VIII. *circiter millibus, urbs est Episcopalis Senogallia; Senam prius* B *appellatam fuisse patet ex Polybii Lib. II. Livio multis locis, præcipue vero Lib. XXVII. Res ibi, à Marco Livio Salinatore, contra Asdrubalem Pœnorum ducem gestas, commemorante, Strabone Lib. V. Lucano Lib. II. & aliis.* Judoci tandem Hondii[l], *Senam prius appellatam fuisse patet ex Polybii Lib. II. Livio &c. Deinde verò ad differentiam alterius quæ in Etruria Senogallia cœpit audire.* Cæterum, quoniam ejusmodi auctoritatum congeries, in maximo eorum numero, qui res geographicas tractarunt, nullum finem habitura est, nisi quem ex causæ meæ confidentia fecerim; duabus aliis negotium absolvo, quarum unam suggerit mihi C *Mercurius Italicus*, non illi dissimilem, quam supra *Pauli Merulæ* verbis laudavimus, adeo ut ipsam rursum proferre nihil necesse sit: Alteram vero ex Itinerario duorum Germanorum, eo lubentius addam, quia non parum festiva est, & ex Tetrasticho, quod ipsimet urbi *Senogalliæ*, vulgò tribuitur, desumpta; sic igitur illi *Senogallia, hæc olim Sena dicta fuit, ab una parte planitiem habet fertilissimosque agros, ab altera mare, de ea carmen sequens circumfertur.*

Non sum magna quidem, sed fortibus ardua muris
Sed cive, & famâ, milite clara meo:
Quippe meos quondam si fas est dicere verum,
D *Experta est, & nunc fors quoque Roma timet.*

Hæc autem licet explicare paucioribus potuissem, nolui tamen committere, ut in re de qua nunc controversia est, perfunctoriè cum viris doctissimis egisse viderer, aut levibus de causis, magnos in simpulo fluctus commovisse. Quamobrem nullum ferme ex antiquioribus illis qui de *Cæsena* vel *Senogallia* locuti sunt, mihi prætermittendum esse duxi: sed omnium verba mentemque diligenter excussi, non minus ut veritati patrocinarer, quam ut eadem veluti fidelia designarem, quantum illi in diversum à veritate discedant, siquidem verissimum illud pronunciatum est, quo rectum dicitur index esse sui & obliqui. E Quæcumque verò hactenus à nobis dicta sunt de nominibus ejusmodi Civitatum, recti loco esse possunt, quod licet multiplici applicatione nominis illius *Senæ*, ad varias *Italiæ* civitates, turbatum aliquoties fuerit, satis mihi tamen est, ut ab illa veri norma non discedam; quod nullus talem unquam appellationem *Cæsenæ* tribuerit si adversarios excipiam, qui primi *Polybium*, *Strabonem*, & *Livium*, quasi istius sententiæ fautores, in medium produxere.

Verum priusquam ipsos nihil minus voluisse ostendam, quam illud in quod ab ipsis pertrahuntur; F non abs re forsan erit examinare paulo diligentius, quibusnam in *Italia* locis, nomen illud *Senæ* ascriptum fuerit; nam alias urbes enumerare velle, quibus in reliquis orbis partibus idem nomen inditum est, æque difficile ac supervacaneum esset, cum præsens disputatio fieri rectè absque illa enumeratione possit. Et vero, non secus ac *Stephanus* animadvertit, tres olim urbes *Nicopoleos* nomine insignitas fuisse; *Antiochiæ*, pariterque *Thebarum* decem; & *Heracleæ* tres supra viginti; similiterque *Eustathius* in *Dionysium* asserit enumerari in historiis plusquam XVIII. *Alexandrias*; sic decem, ut arbitror loca reperiri cum in *Gallia*, *Sicilia*, *Ægypto*, tum in *Italia*, & alibi facilè possent, quæ communi *Senæ*, vel *Senarum* appellatione, apud autores veniant: sed quemadmodum dixi *Italicas* tantum attingo, quia res est multorum hallucinatione prorsus confusa, adeoque à nemine, quod sciam, satis pro merito enucleata; ut minus propterea mirum videri debeat, si multi quotidie, fluvium pro civitate, & urbem unam pro alia accipiant. Ego vero cum in hanc difficultatem accuratius intueor, ita de illa statuendum esse censeo, ut tribus tantum in *Italia* locis, iisque non multum inter se dissitis, denominatio ejusmodi conveniat, nempe Fluvio *Senæ*, qui Occidentem versus, quatuor ferme millibus passuum ab urbe *Senogallia* in *Adriaticum* Mare devolvitur. *Senogalliæ* de qua nobis in præsentia concertatio est, & *Senæ Etruscæ* quæ à *Ptolomæo*[m] Σαλνα, Itinerariæ tabulæ *Sena Julia*, Plinio[n] denique & aliis *Senensis Colonia* appellatur. Hæc vero potuit quidem à *Senonibus Gallis* originem habuisse, si verum est quod scribunt ex *Polybio*, *Raphaël Volaterranus*[o], *Joannes Sarisberiensis*[p] in *Polycratico*, *Godefridus Viterbiensis* in Pantheo, seu Chronico universali; & *Joannes Natalius* in speculo orbis terræ; nimirum *Senones* pulsos à *Romanis*, aliam *Coloniam*, ejus nomine, quam apud *Adriaticum* mare reliquerant, condidisse: Sed cum in *Polybio* nihil simile occurrat, potior est apud me sententia *Abrahami Ortelii*[q], asserentis civitatem hanc, adeo antiquam esse, ut ejus origo, apud probatos autores nusquam reperiatur. Certè *Bartholomæus Benevolentius*, qui singulari libello primordia ejus rimari conatus est, nihil à se in vetustis memoriis repertum fuisse asserit, unde in ejus temporis cognitionem devenire posset, quo vel civitatis titulo censeri, vel tali *Senæ* nomine vocari incœperit. Certum tamen est Coloniam *Romanorum* factam fuisse *Octavio* Imperatore, cum multæ aliæ, ipsius jussu, per *Italiam* deductæ, omnesque *Juliæ* appellatæ fuerunt: Nec *Plinius* & *Tacitus* de alia civitate explicandi sunt, cum *Senensem Coloniam nominant*. Hic quidem *Lib. IV. historiarum* his verbis, *Manlius Patricius ordinis Senatorii, pulsatum se in Colonia Senensi cœtu multitudinis, & jussu Magistratuum querebatur*; & mox. *additumque* S. C. *quo Senensium plebes, modestiæ admonerentur:* Ille vero[r]. *Intus Coloniæ Falisca Argis orta, ut autor est Cato, quæ cognominatur Hetruscorum, Lucus Feroniæ, Russellana, Senensis, Sutrina.* Nam *Sena* alia quæ hodie in *Piceno* extat, *Plinii* & *Taciti* tempore, non jam amplius *Sena*, sed *Senogallia* appellabatur: eamque sub hoc nomine *Plinius* ejusdem *Libri Cap. XIV.* in sexta regione collocat, quæ ab *Ancona* incipiens, *Umbriam*, Agrumque *Gallicum* circa *Ariminum* complectebatur; *nunc* inquit *in ora flumen Æsis, Senogallia, Metaurus fluvius, Colonia Fanum Fortunæ, Pisaurum cum Amne*: quin imo idem in sequenti capite, *Cæsenam* de qua dubium forsan esse posset, in octava regione constituit; *oppida Cæsena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii.* Ita ut nemini dubium esse possit, quin *Colonia illa Senensis recentior*, *Senogallia*, & *Cæsena* oppida sint non minus inter se nominis, quam situs varietate penitus diversa; non tantum apud *Plinium*, sed alios omnes auctores, modo quis de eorum mente, ex tribus tantum, aut quatuor verbis non judicet, sed antecedentia, aut consequentia verba diligenter expendat. Quod sanè vellem à *Volaterrano*[s] factum fuisse, cum ad *Senam Etruscam*, debellatam à *Pompejo Marcium* fuisse tradidit: nec non etiam à *Philippo Poncherio*, & *Conrado Lycostene* qui verba illa *Plinii* secundi, aut cujusque alterius autoris, *sed Claudius Nero se*

[h] In Atlante minori.
[i] In Thesauro geographico.
[k] Part. 2. lib. 4. Cosmograph. cap. 23.
[l] In Italia nova.
[m] Lib. 3.
[n] Lib. 3. cap. 1.
[o] Lib. 5. com. urbanor.
[p] Lib. 6. cap. 17.
[q] In Theatr.
[r] Tacit. Lib. 3. Cap. 5.
[s] Lib. v. Comment. in Plin. de vir. illustr.

Livio Collegæ apud Senam oppidum & Metaurum flumen conjunxit, de eadem urbe *Tusciæ* explicanda censent: Ac denique à *Flavio Blondo* viro undequaque laudatissimo, & diligentissimo, cum monumentis suis consignavit, *Joannem Romanum Pontificem, & nominis ordine duodevicesimum, acceptis de Perusina Fesulana, Florentina, Clusiensi, Arretina, & Volaterrana diœcesibus, sex plebatibus, Civitatem hanc ædificasse quæ ab ipso sexplebatuum numero, Sena fuerit appellata.* Nam quæ de urbis ejusdem origine, putida *Etruscarum* antiquitatum Fragmenta prodiderunt, satis ipsa arguere possent, quamvis innumerabiles aliæ, & plusquam aniles fabulæ idem non testarentur, *Planorum* improbissimorum familiam, cum *Annio Viterbiensi*, & *Alphonso Ceccharello*, haud prorsus extinctam fuisse, eoque magis miror honestissimum doctissimumque virum *Inghiramium*, istud non vidisse, priusquam bona fide insulsum hunc librum:

Vilia vendentem tunicato scruta Popello

Nobis obtruderent. Enim vero cum *Galli Senones*, post *Bellovesum* aliquot seculis, *Italiam* ingressi, *Bojorum* intima penetrassent, urbemque in *Piceno* ad littus *Adriatici* maris condidissent; tandiu quidem illam obtinuere, donec *Romani* quorum legatos contra fidem occiderant, universa eorum regione armis potiti sunt, in eamque totius *Galliæ* primam misere Coloniam, quæ *Sena* urbs ab ipso *Senonum* nomine dicta est; ita enim historiam refert *Polybius*, quanquam vereor ne satis appositè, quoniam *Livius*, aut ejus Breviator, de tempore quo istud accidit, non planè cum eodem *Polybio* conveniunt. Etenim cum Livius *lib.* XI. dixisset, *Curius Dentatus Consul, Samnitibus cæsis & Sabinis qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem Magistratu triumphavit, Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Hadria:* Libro tamen sequenti qui duodecimus est, hæc subjungit, *quum legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæsus est.* Ex quibus luce meridiana clarius est, Coloniam *Senam* ante deductam fuisse, quam *Senonum* gens deleta, vel sedibus suis expulsa fuerit. Verum non semper æquum est, tam vetusti temporis rationem ad amussim exigere; & eadem venia qua nos indigemus, antiquioribus etiam illis concedenda est, nisi velimus fructum omnem præclarissimarum lucubrationum quas nobis reliquerunt, censuris & argutialis nostris, *Fucorum* instar corrumpere. Quamobrem de tempore quo *Sena* Colonia deducta est, parum laboro, modò fides habeatur *Paulo Merulæ* asserenti constitutum tandem fuisse, ut *Senagallica*, vel *Senogallia* diceretur, ad ejus *Senæ* differentiam, quam dudum antea fundatam in *Etruria* fuisse compertum est; ex eo namque *Petrus Marsus* in commentariis suis ad *Silium Italicum*, dicere de *Sena* illa satis habuit, *Senæ urbs condita fuit à Gallis Senonibus appellataque Senogallia, & adhuc retinet nomen:* Atque hæc ipsa *Helena* est, de qua præsens certamen, & utinam cruentius, aut majori cum animorum dissidio nunquam suscipiatur. Denique flumina duo *Senogalliam* alluunt, quorum Orientem versus, mœnia propè lambens, *Misus est*, Tabulæ itinerariæ; & nunc vulgari nomine, *La Nigola* ab incolis ipsis dicitur: Alterum verò quod IV. millia passuum ab eadem urbe, qua parte Occidentem spectat, se in *Adriaticum* devolvit, *Sena* est, sive *Seno*, & *Senogalliensibus*, quandoquidem *Frontinus* in libro de Coloniis ea voce usus est, *Cesano*, quod *Cluverium* & *Ortelium* solos observasse, mirari profectò satis non possum. Reliqui enim omnes, ut *Leander*, *Blondus*, *Merula*, *Volaterranus*, *Hermolaus Barbarus*, *Danquius Silii* commentator, *Pintianus* in notis ad *Pomponium Melam*, Danæus in *Geographia poëtica*, *Judocus Hondius*, aliique non pauci fluvium in urbem convertunt, ambiguitate puto nominis ejus inducti; licet non admodum difficile fuerit ex ipsismet *Lucani*, & *Silii* versibus, qui hos nihil tale cogitantes in errorem induxerunt, ejusce rei veritatem elicere: Nam quod amabo [t] *Lucani* judicium fuisset, si dum præcipua superi Maris flumina recenset, nomen alicujus urbis, de qua tunc nulla prorsus erat occasio loquendi, tribus illis versibus admiscuisset.

In lævum cecidere latus veloxque Metaurus,
Crustumiumque rapax, & junctus Sapis Isauro,
Senaque, & Adriacas qui verberat Aufidus undas.

Idemque pariter de *Silio Italico* [v] dicendum est, qui non habuit in animo, urbes *Umbriæ* singulas recensere, sed amnes potius, quorum sinuoso cursu fœcundatur hæc provincia; & Hercle nihil apud me versibus istis apertius est.

Sed non ruricolæ firmarunt robore castra
Deteriore, cavis venientes montibus Umbri.
Hos Aesis, Sapisque lavant, rapidasque sonanti
Vertice, contorquens undas per saxa Metaurus?
Et lavat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus Taurum. Narque albescentibus undis
In Tybrim properans, Tiniæque inglorius humor,
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

At vero si hæc ita se habent, quærere non injuria quis posset, cur *Vibius Sequester* [w] cum *Vigiliano* filio scribat, *magno se labore fluminum quorum apud Poetas mentio habita est, regiones, & vocabula, & qualitates in literis direxisse*, ejus tamen, veluti si a nullo Poëta celebratum fuisset, in hac ipsa tot aliorum appellatione, meminisse noluerit; sed nolo ego vadem me sistere vel istius, vel aliarum omissionum, quas *Sequester* præ nimia festinatione commisit, præsertim cum tam multæ sint, ut mihi omnino vadimonium deserendum esset, & profecto satis mihi est in præsentia, quod accuratior *Vibio Boccatius* [x], *Senam* hunc de quo nobis sermo est, in aliorum fluminum album retulerit, *Sena* inquit *fluvius est in litore Adriatico, inter Sapim & Aufidum, hunc ego arbitror apud Senogalliam fluere, tamen non assero*; qua ingenuâ locutione, & doctrinam suam, & modestiam simul testatus est. Hæc igitur erat varia multiplexque *Senæ* vocabuli potestas, quam mihi in medium afferendam esse judicavi, priusquam ad rationes partis adversæ diluendas devenirem, ut stabilitâ prius communi hominum opinione de nominibus *Cæsenæ*, & *Senogalliæ*, remotaque penitus amphibologia nominis illius *Senæ*, quæ multis ansam præbuit. Ut quod posterioris hujus civitatis erat, priori tribuerent; facilius demum & clarius ostendere possem, rationes quibus id perficere conati sunt, non satis idoneas esse, ut in hac sententia diutius perseverent. Nam quod attinet ad *Strabonis* [y] authoritatem quam in primis laudant, verum quidem est illius auctoris verba, in prisca versione Latina *Guarini* & *Gregorii Trifernatis*, eodem prorsus modo se habere, quo ab ipsis referuntur, scilicet, *Cis Padum vero, circumque Padum, celeberrimæ sunt civitates Placentia & Cremona, media in regione propinquissima; inter has & Ariminum sunt Parma, Mutina, Bononia. Propè Ravennam in harum medio, exigua quædam jacent oppida, per quæ iter est Romam Acara, Rhegium Lepidi, Nacri campi ubi quotannis forum conficitur, Cliterna, Forum Cornelium, Faventia, Sena Isapi fluvio propinqua & Rubiconi, hæc proxima sunt Arimino.* Neque profecto peccatum quicquam ab illis interpretibus fuisse existimandum est, quandoquidem verba *Græca* ipsius editionis *Aldinæ*, quæ omnium minimè mendis inquinata esse solet, hunc in modum se habent Κλίτερνα, Φόρον Κορνήλιον, Φαουεντία δε ϗ Σίνα πρὸς τῷ Ἰσάπι, ϗ

τῷ

[t] Lib. 2.

[v] Lib. 8.

[w] In lib. de flum.

[x] Lib. de fluminib.

[y] Lib. 5.

τῷ Ρουβίκωνι. Verum quis inde non videat, quam depravatæ fuerint, ut aliorum autorum, sic & *Strabonis* editiones, quæ statim post initia renascentis literaturæ, nondumque stabilito Criticorum Tribunali, ad quod de ipsis referretur, quorumdam bonorum virorum cura, sed non satis aut eruditorum, aut diligentium, factæ sunt: nam quæ deinceps sub *Xylandri*; & *Casauboni* auspiciis prodierunt, ambo fœdam illam scripturam, quæ nullatenus cum autoris mente conveniret, ex multorum manuscriptorum accurata inter se collatione rejecerunt, ejusque loco veriorem istam reposuere. Μακρὸι Κάμποι cum in Aldino Νακρόι legeretur, & Φαουεντία δὲ ἠ. Καισήνα πρὸς τῷ Ισάπει &c. vertuntque *Macri campi*, *Claterna*, *Forum Cornelii*, *tum Faventia*, *ac Cæsena ad Isapim fluvium & Rubiconem*: quas emendationes, præstantissimi illi viri, non modò codicibus manuscriptis optimæ notæ acceptas referunt, sed prioris quidem rationem assignant, quod Columella *libro VII.* dixerit *nunc Gallicæ* oves, *pretiosiores habentur*, *earumque præcipue Attinates*; *item*, *quæ circa Parmam & Mutinam Macris stabulantur campis*; Posterioris vero, quod conjungantur etiam apud *Ptolemæum Faventia* & Καισήνα. Nec desunt aliæ rationes *Cæsari Orlando*, in eruditissima dissertatione de urbis *Senæ*, ejusque Episcopatus antiquitate; atque etiam *Philippo Ferrario* [z] qui ita legendum esse censet, etiamsi omnes manuscripti & editi codices adversarentur, quoniam idem *Strabo* alibi, *Ariminum* post *Sarcinam*, *Senam* post *Ariminum* recenset, cum tamen si *Sena* apud eum eadem esset quæ *Cæsena*, procul dubio illam post *Sarcinam* numerare debuisset, non autem post *Ariminum*. Quin etiam *Paulus Merula* [a] ex eodem potissimum *Strabonis* loco, contendit, *Rubiconem* non alium esse ab exiguo illo fluvio qui *Pisatellus* communiter dicitur, *ne vero quis dubitet*, *utrum qui quondam Rubico sit hodie Pisatellus*, *an vero Plusa*, *nam illud controvertitur*, *expendat velim Strabonem libro V. ubi scribit Cæsenam Isapi fluvio propinquam & Rubiconi*, *sic sane res hodie se habet*, *Cæsena non inter Plusam & Pisatellum locata*, *sed inter Pisatellum*, *& Savium*, *nam qui Savius nunc temporis*, ἴσαπις *est Straboni*, *Sapis Plinio*, *& Silio Italico* lib. 8. Ex quibus patet mendum illud in textu *Strabonis*, ab adversæ sententiæ fautoribus non fuisse animadversum; non certe quod ingenii sagacitate quibuscumque aliis concedant, sed quod illis procul ab optimorum & emendatorum librorum emporiis degentibus, non fuit proclive, iis uti auxiliis, à quibus eruditissimorum nostri temporis studia non parum accipiunt incrementi. Quotus enim illorum est qui verbi gratia *Propertium*, *Nautam*, aut *Martialem*, cocum fuisse existimet, licet hic á *Jacobo Magno Toletano* [b], *Flavio Blondo* [c], aliisque scriptoribus qui paulo ante seculum nostrum floruerunt, vili hoc, & propudioso epitheto, non semel insignitus fuerit, quoniam videlicet apud *Lampridium* [d], typographorum error fecerat, ut in his verbis *Martialis quoque epigramma significat*, loco conjunctionis illius *quoque*, vox inepta *Coci* legeretur; Alter verò in codice operum suorum *Regii Lepidi* edito M. CCCC. LXXXI. & quod mirum est, etiam in *Aldino* anni M. D. XV. ex depravato illo versu lib. II.[e] *Quamvis non ita dives eram*, in *Navita dives eram*. Sordidum etiam & illiberalem ejusmodi *Nautæ* titulum retulerit. Eundemque non secus ac *Martialis* retinuerit, quoad *Beroaldi*, aliorumque Criticorum excellentium opera, uterque textus ille qui aliorum inscitiâ depravatus fuerat, pristino suo nitori & genuinæ significationi restitutus est. At potuissent tamen adversarii, ut ex hoc quasi diverticulo ad illos revertar, in scrupum illum *Strabonis* non offendere, si oculorum aciem in id ipsum quod quærebatur, intendissent. Nam si quemadmodum ipsi volunt, *Senæ*, tanquam unius ejusdemque civitatis, non semel, nec uno tantum in loco *Strabo* meminerit, quî fieri potest, ut in ejus situ assignando tam diversus à se fuerit ut in priori loco dicat. *Forum Cornelium*, *tum Faventia*, *Sena Isapi fluvio*, *& Rubiconi propinqua*, *hæc proxima sunt Arimino.* In posteriori vero, *propiora tenent Sarsinam*, *Ariminum*, *Senam*, *Camerinum*, *ibi & Aesis fluvius*, *& mons Gingunus*, *& Sextimum*, *Amnisque Metaurus*, *& Fanum Fortunæ:* hæc enim sunt verba ipsissima & editionis *Guarini* quam penes adversarios unicam esse video. Potuit-ne igitur sui compos esse *Strabo*, si de eadem urbe *Sena*, tam variè, tamque parum ex rei veritate locutus fuisset; & si, quod inquiunt illi, *Sena heic Cæsenam significat*, *cum ex fluviorum Isapis*, *& Rubiconis circumscriptione*, *tum ex ordine & situ*, *cum inter Faventiam & Ariminum collocetur*, fieri ne poterit, ut eandem significationem retineat, cum propter *Camerinum*, & *Æsim*, ac *Metaurum* fluvios, ab eodem Geographo reponitur: Certè tam perspicuum est, mendum huic loco subrepsisse, ut *Cæsar Briccius* quamvis in historia *Cæsenæ* non admodum oculatus, lectorem de eo monendum est censuerit. Unde pluribus illud argumentis exagitare nihil est necesse, cum allatæ à me paulo supra rationes, nullam quin res ita se habeat, dubitandi occasionem reliquerint; & vero *Xylandri*, atque *Casauboni* correctiones non amplius permittant, ut ejusmodi lectio *Strabonis* [f] in controversiam adducatur. Quamobrem venio ad secundum ejusdem testimonium, quod illi tanquam opinioni suæ maximopere consentaneum his verbis afferunt. *Tusciæ applicatur ex parte orientis Umbria*, *quæ ab Apenninis incipit*, *& ultra*, *etiam usque ad Sinum Adriaticum*, *hic enim a Ravenna inchoantes propiora deinceps tenent Sarsinam*, *Ariminum*, *Senam*, *Camerinum*, *ibi & Aesis fluvius & mons Gingunus*, *& Sextimum*, *amnisque Metaurus*, *& Fanum Fortunæ*, *in hisce namque locis priores fuere Italiæ termini atque Galliæ ad quandam maris ejus partem*, *licet Imperatores sæpe numero transposuerint*, *antea quidem Aesim terminum faciebant*, *rursus Rubiconis fluvium*, deinde vero paucis versibus interjectis *Aesis inter Anconam labitur & Senegalliam*; quæ omnia licet multo melius, atque etiam elegantius à *Xylandro* reddita fuerint, non est tamen quod ejus interpretationem afferam, cum ex ipsa antiquiori liquido constet, *Senam* heic, non pro *Cæsena*, sed quemadmodum antea multis probavi, pro *Senegallia* accipiendam esse, nisi quis velit non solum maximorum Geographorum auctoritates nauci facere, qui hoc ipso, & *Polybii* loco, frequenter usi sunt, ut *Senogalliæ* suum verum & legitimum situm vendicarent; sed etiam locorum, & civitatem omnium in *Umbria* ordinem invertere, ut *Rubico*, *Metaurus*, *Æsis* modò sint propè *Cæsenam*, modò propè *Senogalliam*; & *Cæsena*, tam *Camerino*, quam *Arimino* adjaceat; quod an fieri possit vel debeat, eorum judicii facio qui in rebus æstimandis, illud maximè purgatum afferre consueverunt. Quod verò ex postremis verbis inferebant, *Senegalliam & Senam differre*, *cum in eodem literæ contextu diversis & nominibus*, *& locis nominentur*, videtur mihi non uno modo declinari posse; nam cum antea *Strabo* dixisset *Ariminum*, *Senam*, *Camerinum*, *ibi & Aesis fluvius*; subjungit in proxima periodo, *Aesis inter Anconam labitur*, *& Senegalliam*; unde nondum planè intelligo quî fieri possit, ut tanta sit sive in oratione, sive in locorum situ, & constitutione differentia. Deinde verò cum *Sena* synonymum sit, aut potius ut loqueretur *Tullius* [g], cognominatum *Senogalliæ*, quod eandem cum illa significationem, eundemque in rerum distributione lo-

[z] In lexico geogr.

[a] Cap. 13. lib. 4. part. 2. Cosm.

[b] In Sophologio.

[c] In Umbria Piceno & alibi.

[d] In Alexandro Severo.

[e] In elegia de Cyuchia

[f] Libr. V.

[g] In partitionib.

b Lib. 3. locum obtineat; & ex Aristotele in Rhetoricis A [b] *tanto majorem industriam in transferendis nominibus oratio soluta postulet, quanto pauciora ad exornandum ornamenta, quam versus habet*, quis meritò *Straboni* succenseat, quod variandæ orationis gratiâ, & quid ni forsan explicandæ vocis illius *Senæ* antiquior videbatur, per magis notam & vulgarem qualis erat *Senogallia*, cognominatis ad hoc efficiendum vocabulis usus fuerit, quorum si quis diversam esse significationem contendat, quia inter se saltem numero syllabarum, & adjuncto illo epitheto diversa sunt, næ profectò illum arbitrari etiam æquum est alium fuisse *Pelopis* patrem à *Tantalo*, cum *Horatius* dixerit [i]. B

i Ode penult. lib. exod.

Optat quidem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis.

k Lib. 4. Argonaut. Aut diversam à *Jovis* uxore *Junonem*, quia *Statius* [k] duobus ejusmodi nominibus illam appellat.

Hic Juno præcepsque ex Aethere Pallas
Insiliunt pariter scopulos, hinc nata coercet
Hinc conjux Jovis,

Quæ *Junonis* συνωνυμία melius adhuc ex his quartæ *Æneidos* versibus cognoscitur.

Quam simul ac tali persensit peste teneri
Chara Jovis conjux, nec famam obstare furori,
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

Sed idem quoque facilè in animum inducet, *Trojam* ab *Ilio* differre, quoniam *Virgilius* per figuram illam quam *Cicero* ad Herennium *interpretationem*, Aquila [l] verò συνωνυμίαν vocat, quater de illa eadem urbe, sed commutatis tantum, aut potius cognominatis vocibus locutus est [m]. C

l Lib. 4.

m Lib. 3. 3. Æneid.

Postquàm res Asiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja:

Quare non est quod vel minimum afferat negotii diversitas illa vocum *Senæ* & *Senogalliæ*, licet à *Strabone* in eadem ferme periodo usurpata fuerit, cum præsertim *Franciscus Pamphilus* in opere suo de *Piceni* laudibus & nobilitate, eadem omnino usus fuerit; ita ut non major sit ovorum inter se similitudo, aut lactis cum lacte, quam *Strabonis* in hac re cum *Pamphilo*; En igitur quomodo hic in uno eodemque tetrasticho, nec tamen in eadem periodo bina ejusmodi *Senæ* & *Senogalliæ* nomina, tanquam si nihil inter se differrent usurpavit. [n] D

n Lib. 1.

In Mare Misa suas devolvit parvulus undas,
Alluit hic Senæ limina dexter aquis.
Pallida morbiferis Senogallia cingitur undis,
Nomine de Senonum Gallia dicta virum.

Nempe parvulus *Misa* qui *Senam* hic alluere dicitur, non alius est Geographis omnibus à *Miso* vulgo *la Nigola*, quem supra ex *Cluverio* & aliis retulimus, non procul ab ipsis *Senogalliæ* Mœnibus cursum habere, & ex consequenti eadem sit oportet *Sena* quæ *Senogallia*, quod licet *Hermolao* & *Cæsari Orlando* visum pariter fuerit, nescio tamen quomodo dum Scyllam vitant in Charybdim inciderunt; posterior quidem dum contendit in textu *Strabonis* pro καὶ Καμάρινον, legendum esse ex M. S. codice Vaticano καὶ μάρινον, quoniam, ut inquit, S. *Marini* oppidum à *Sarsina* & *Arimino* de quibus idem loquitur *Strabo*, non amplius X. aut XV. millibus passuum abesse deprehendatur; *Camarinum* autem ultra L. protendatur; verum ut mittam S. *Marini* nomen *Straboni*, minimè cognitum fuisse, dicat mihi *Orlandius*, qua ratione *Strabonis* ipsius ordinem invertit, qui à *Sarsina* versus *Ariminum*, & ab eo ad *Senam* sive ut *Orlandus* ipsemet concedit, *Senogalliam*, ac demum ab ea *Camarinum* recta proficiscitur, ut ab *Arimino* & *Sarsina*, in S. *Marini* collem, tanquam ipsis propinquiorem recurrat; debuisset potius *Camarini* distantiam, non ab *Arimino*, & *Sarsina* paulo remotioribus, sed à *Sena* E F

A sive *Senogallia*, quam *Strabo* propinquiorem illi facit, dinumerare. Sed pauci sunt quibus omnia diligenter rimari, non tædio sit proximum. *Hermolaus* autem videtur etiam mihi non minoris incuriæ notandus, dum *Strabonis* locum unum, alterius loco adducit, ut confirmet *Senam*, quæ ab ipsomet *Strabone*, & *Polybio* [o] memoratur, de *Senogallia* tantum intelligendam esse. Denique priusquam à *Strabone* discedam, monendi mihi sunt viri illi doctissimi qui nostræ simulque communi sententiæ refragantur, adeo non militare rationes grammaticas, quas adversus *Briccium* afferunt circa scripturam illam loci *Strabonis* [p] Φαυεντία δὲ [p] Lib. V.

o In correctionibus plinianis.

B καὶ σίνα ut ipsum correctionis quam bona fide præstitit, conjunctionem illam καὶ cum sequenti nomine σίνα connectendo, pœnitere debeat; nam ut missum faciam difficultates illas quas prætendunt de duplici accentu in vocibus illis καὶ σίνα, & de particula δὲ, quæ solitaria in oratione, ceu absque alia ἀντιστροφῇ conjunctione poni non debet, evacuatas luculenter fuisse à *Xylandro* & *Casaubono*, dum verba illa sic legenda esse docuerunt, Φαυεντία δὲ καὶ καισίνα, scilicet cum conjunctione illa καὶ quæ non secus ac μὲν priori illi particulæ δὲ, appositè respondet, ut missas inquam ejusmodi correctiones faciam, satis tamen cautè C prudenterque idemmet *Strabo* ab illis objectionibus sibi cavere posset, aliorum auctorum exemplo, qui solius copulationis gratia, non semel tantum in unicâ periodo particula illa δὲ, sed pluries, & ferme ad nauseam usque usi sunt; quemadmodum in hoc primo Hippocratis aphorismo videre est ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή: δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. In hoc enim præter primum δὲ, quatuor alia quæ sequuntur, copulativa sunt more *Græcis* usitato, non tam necessitatis quam ornatus & e- D legantiæ de causa; quod *Latini* cum imitari etiam possent, ut ex Virgilianis [q] illis constat. q Æneid. 2.

Athamasque, Thoasque,
Peleidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus.

Ac rursum in nona

Padumque, Hebesumque subit, Rhetumque, Abarimque.

Atque etiam ex Tullio *in Miloniana*, *sin hoc & ratio doctis, & necessitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit:* quia figura illa quæ tot conjunctionibus verba inter se connectit, & πολυσύνδετον dicitur à *Græcis*, magis E Poëtarum quam Oratorum propria est, idcirco Aphorismi illius interpretes *Leonicenus*, *Oporinus*, & omnes alii cum Medici, tum præstantes Grammatici, non magis particulam illam δὲ, in versionibus suis expresserunt, quam si in textu *Græco* nullatenus extitisset; omnes si quidem illum hunc in modum reddidere, *Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile, nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & præsentes, & exteriora.* Videmus enim in toto illo orationis contextu, nullam habitam fuisse rationem particulæ δὲ, quam non secus in textu illo *Strabonis*, *Xy-* F *lander* omittere potuisset; verum, quia judicium auris suæ non equidem insulsæ secutus est, maluit ut pleniorem illam orationem faceret, ac veluti sonantiorem, particulam *tum*, quæ conjunctioni δὲ responderet, interpretationi suæ adjicere, atque ita *Strabonis* verba reddere *Forum Cornelium, tum Faventia, atque Cæsena.* Quæ ratiocinatio mea si minus cumulatè adversariis satisfaciat, poterunt, opinor, in commentariis Guillelmi Budæi *de lingua Græca*, & Matthæi Devarii *de linguæ Græcæ particulis*, tot alias invenire, ut fieri

fieri non possit quin aliqua satis idonea reperiatur, quæ particulam illam δὲ etiam si absque sua veluti socia & ἀντιςροφῇ posita à *Strabone* fuisset, non tamen elegantia atque emphasi sua destitutam fuisse, confirmet. Sequuntur inter adversæ partis argumenta auctoritates ex *Polybio* desumptæ, quas ipsi quidem rectè dixerunt trinas esse, licet postea illas adducendo, mediam reliquerint, ejusque loco extrema verba tertiæ seu ultimæ posuerint, tanquam si ab illa penitus forent distincta, cum tamen eadem sint omnino, nisi quatenus interpretatio *Casauboni*, qui optimis codicibus M. S. usus est, multaque propterea in versione sua mutavit & restituit, longè præstantior est eâ, quam *Nicolaus Perottus* admodum mutilam, nec adeo similem exemplari *Græco*, nobis reliquerat. Veruntamen mihi certum est posteriorem illam sequi, quemadmodum antea in *Strabone* factum est, cum ut ab adversariis qui illam potissimum laudant, minus recedam, tum verò quoniam si quid in *Casaubono* diversum est, quod operæ pretium fuerit in medium adducere, nemo est qui ex veteri formula pronuntiare adversum me possit. *Provocatio ne esto.* Primus igitur *Polybii* locus, non secus atque sequentes alii, ex *Lib. II. ejus Historiæ* desumptus est, in quo postquam ostendit, figuram totius *Italiæ* Trigono similem esse; non multum etiam ab eadem figura dissentire partem illam quam *Galli* in *Italia* tenuerunt, his verbis ostendit, *Huic lateri quod terminari Alpibus diximus, & quasi Trianguli basim intelligimus, à Meridiana regione versus Septentrionem, subjacent campi extrema totius Italiæ,* Lib. 2. *omnis Europæ maximi atque uberrimi. Horum etiam forma triangularis est: Apicem trianguli facit Apennini atque Alpium copulatio, non longè à Mari Sardoo supra Massiliam: latus quod Septentrionem spectat, Alpes faciunt, quæ ad duo millia & ducenta stadia protenduntur; latus quod ad Meridiem vergit, perficit Apenninus, hic ad tria millia & sexaginta protenditur; basis locum tenet littus ipsum Maris Adriatici; ejus magnitudo est à Sena urbe usque ad intimum ejusdem maris sinum, hæc duorum millium, & quingentorum stadiorum spatio continetur.* Quæ verba eo minus haberem necesse ad trutinam revocare, quod multorum jam clarissimorum virorum testimoniis constat, hæc ipsa de *Senogallia* tantum, intelligi debere; & sane unum adhuc illis addere possum nempe *Cæsarem Orlandium*[f] qui ab adversariis discedit.

[f] Lib. de origine nominis & episcopat. urbis Senæ.

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano,

Dum hunc in modum de illis loquitur. *Quod autem Polybius non de Sena Etruriæ loquatur, sed de alia Piceni quæ ipsius ætate Polybii, Sena simpliciter dicebatur, & in littore maris Adriatici ubi campi Italiæ terminantur sita est, ex ipsius Polybii verbis adeo perspicuè ostenditur, ut nulla alia disputatione indigeat.* Enimvero quia propter adversariorum argumenta, non licet sicco pede, negotium illud transigere, locus hic *Polybii* nobis attentiori cura excutiendus est. Atque ut dicam liberè, parum ille mihi videtur idoneus, quem in suas partes, tot rationibus à variis illius Trigoni lateribus desumptis pertrahere possint, cum Strabo *diligentissimus exactissimusque in omnibus fere Italicis scriptor*, ut à *Cluverio*[t] nominatur, & Geographi nostræ tempestatis insignes, quibus id unicum studium fuit, ut orbis terrarum, gentiumque omnium cognitionem certissimam assequerentur, cum in generali figura toti *Italiæ*, tum in determinata ejus parte quam *Galli* tenuerunt assignanda, nihil prius vel antiquius habuerint, quam à *Polybii*[v] Trigono discedere. *Strabonem*[w] igitur audiant quem unum cæterorum viceloquentem inducere possum; *Universam Italiam geometrica una aliqua figura describere, haud in proclivi est, quanquam dicant eam*

[t] Ital. antiq. lib. 1. cap. 19. pag. 174.

[v] Initio libri V.

[w] Initio lib. V.

A *esse, promontorium trianguli forma, porrectum versus Meridiem & ortum hybernum, cujus vertex sit ad Fretum Siculum, Alpes verò loco basis; concedere autem laterum alterum id quod Tyrrheno mari alluitur, finiturque freto Siculo: Atqui Triangulum propriè dicitur figura tribus rectis lineis contenta; Hic vero & basis & latera circumferentias habent. Itaque si concedendum est Italiam esse forma trianguli; addendum est ejus cujus & basis & latera circumductis describantur lineis; concedenda est etiam lateris versus Orientem incurvatio, Reliqua haud satis aptè pronunciarunt unum latus ponentes à Sinus Adriatici intimo*
B *usque ad fretum.* Reliqua ejus auctoris verba non affero, quia multa sunt & tam obvia, ut neminem latere possint; eorum autem conclusio est, quamquam termini finesque huic triangulo præscripti, ita se ut à nonnullis dictum fuit, haberent; Quadrilateram tamen, non verò triquetram figuram ex illis consurgere. Sed quam *Polybio*, ac etiam *Straboni* in designanda *Italiæ* figura, parum cum reliquis auctoribus conveniat, ex eo potissimum videre est, quod *Plinius*, *Solinus*[x], nec non, Rutilius[y] folio maxime Querno illam assimilant.

[x] Lib. 3. cap. 5 cap. 8.

[y] Lib. 2. itiner.

Italiam, inquit postremus, *rerum dominam qui cingere visu,*
C *Et totam pariter cernere mente velit;*
Inveniet Quernæ similem procedere frondi,
Artatam laterum conveniente Sinu.
Millia per longum decies centena feruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniæ!
In latum variis damnosa anfractibus intrat
Tyrrheni rabies, Adriacique sali.

Solinus vero, *inde procedens paulatim se Apennini montis dorso attollit, extensa inter Tuscum & Adriaticum, id est inter superum mare & infernum, similis Querno folio, scilicet proceritate amplior quam latitudine :* Plinius denique, *est ergo folio maxime Querno adsimilata, multa proceritate amplior, quam*
D *latitudine.* Et tamen idem *Plinius*[z], quem *Martianus Capella* sequutus est, quasi folii Querni similitudo *Italiæ* figuram pro voto satis bellè non exprimeret, subjunxit illam *duobus promontoriis Peltæ Amazonicæ figuram reddere.* Neque propterea facere antiqui illi omnes potuerunt, ut recentiores aptiorem aliam, magisque ut ipsi sibi persuadent, genuinam *Italiæ* figuram non excogitarint, dum cruri humano adsimilem eam in chartis exhibent, cujus pes ad *Siculum Ioniumque* Mare protendatur, habeatque pro digitis fretum *Siculum* circa *Regium* & *Leucopetram*; Calcaneum vero *Hydruntum* oppidum exhibeat; armatum
E etiam suo calcari, cujus instar esse possit Mons *Garganus*, vulgò de *Sancto Angelo*; Hinc medium *Suræ* constituit *Ancona*; Poplitem *Ravenna*; Genu Portus *Liburnus* à quibus pars ima femoris sese tandem in Alpes attollat, quemadmodum *Cluverius*[a] omnium quos viderim Geographorum diligentissimus doctissimusque explicat. Et sanè non est dubium quin si Mundi Regiones aliqua determinatâ figurâ circumscribi possint, hæc una tam graphicè nobis *Italiam* exprimat, ut nulla reliquarum quas supra laudavimus, certius aut melius id facere possit. Verum, quod in Cœlestibus Asterismis usu venit, ut quem ex figura, Geminorum
F esse dicimus, *Samothraces* duorum potius *Pavonum* esse contendant; Cui nos Libræ nomen imponimus, alii Jugum appellent; quod nobis est *Andromeda*, vitulus Marinus apud alios existat; idem in Regionibus contingere existimo, frustraque ipsum terrarum orbem Fundæ assimilatum à *Prisciano*[b] fuisse; aut *Europam*, atque *Lybiam* Nuci Pineæ ab *Avieno*; *Peloponesumque* ab eodem Platani folio; & *Pontum Euxinum* arcui *Scythico* à *Pomponio Mela*; vel *Montem Calpen* urnæ ab antiquo Scholiaste satyrarum *Juvenalis*[c]; & *Mesopotamiam* navi ab *Eustathio*[d] in *Dionysium*, *Sardiniamque* à *Claudiano*

[z] Lib. VI.

[a] Lib. 1. antiquæ Italiæ cap. 3.

[b] In Periegesi.

[c] Ad Satyram 14.

[d] Lib. de bello Gildonico.

diano humanæ Plantæ; ac denique *Europam* totam à *Wendelino*, totius Orbis Reginæ, cujus caput sit *Hispania*, Pectus *Gallia*, Brachia duo hinc *Britannia*, inde *Italia*; umbilicus ac sedile regium *Germania*; & vestis reliquæ sinus à *Græcia* laxentur in *Moscoviam*; frustra inquam *Dionysium Alexandrinum*[e] *Asiam* ipsam sub Coni, & *Indiam* sub Rhombi figuris descripsisse, atque ut uno verbo dicam, tam varias figuras aliis ejusmodi provinciis assignatas fuisse existimandum est; nisi illas adeo non convenire cum Regionibus ipsis homines intelligant, ut argumenta ex earum situ & positione, mutuoque linearum quibus terminantur concursu derivare, quasi aquam de Castello in usus suos possint. Nam & *Abel Matthæus*, alter à *Bernardo Bertrando*, *Dionysii*, simulque ejus scholiastæ interpres, cum annotatione ad caput LV. *Eustathii*, scitè rationem attulisset schematis illius *Peloponesi*, quod Platani folium referebat; annotatione deinceps LXXIIII. plus æquo desudat, in explicando modo quo *Rhodus* ad Del toti *Ægyptiaci* basim pertinere possit. Hinc igitur ut *Galliæ Cisalpinæ* figuram triquetram, è qua non unum dumtaxat argumentum adversarii desumunt, nihilo magis eorum opinioni stabiliendæ convenientem fore mihi persuadeam, facit in primis *Strabo*[f], qui aliam profert ab hac *Polybiana* longè diversam. Neque tamen ut monet *Casaubonus*, *Straboni* & *Polybio* in hujus regionis περιορισμῷ parum adeo convenire mirum est, cum ille totius *Italiæ* figuram à *Polybio* stabilitam, eo quem supra retulimus modo improbet. Sed esto certe nulla inter *Strabonem*, & *Polybium* sit dissensio, maximam tamen inter hunc & adversarios existere necesse est, nam cum *Polybius* statim initio dicat. *Sed de regione ipsa prius nobis dicendum qualis illa sit, & quomodo ad reliquam Italiam sita.* Possumus inde certò conjicere, voluisse illum, sedes quas Galli in *Italia* tenuerunt, describere; cujus tamen contrarium erit, si à *Cæsena* ad intimum sinum Maris *Adriatici* linea aliqua ducatur, quoniam extra Triangulum quem illa cum *Apennino* & Alpibus efficiet, remanebunt *Galli Senones*, quorum longè potior est apud *Polybium* ratio quam cæterorum; Triangulum autem hunc *Senones* intra suam Aream non admittere, patet ex *Livio* qui asserit, illos ab *Utente* flumine usque ad *Æsim* sedes habuisse, ita ut nondum illis devictis *Romani* Imperii fines qui postea ad *Rubiconem* amnem prolati sunt, uno *Æsi* flumine à *Gallia* dividerentur. *Pennino*, inquit Livius[g], *Deinde Boji, Lingonesque transgressi, quum jam inter Padum & Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt, juxta Apenninum tamen sese tenuere: tum Senones recentissimi advenarum ab Utente flumine usque ad Æsim fines habuere*, est autem fluvius *Utens* de quo sic *Ortelius* in Thesauro. *Alius est Utens Senonum terminus Livio, sed Utens hic legit Sigonius; sic quoque Cæsar Orlandius, ille eum eundem cum Rubicone putat haud procul inde, hic autem eum Chiente interpretatur.* Quod verò fluvius *Æsis* limes inter *Gallos* & *Italos* aliquando fuerit, non potest cuiquam dubium esse, postquam *Strabo*[h] rem ita se habuisse confirmat, *circa hæc loca*, id est *Sarsinam*, *Ariminum*, Senam, Camerinum, *finis etiam est antiquæ Italiæ & Galliæ ad hoc mare: quamquam is terminus sæpe à magistratu mutatus est, primum enim Æsim terminum esse voluerunt, dein Rubiconem amnem*, ex quibus videre possunt adversarii, non esse locum in Triangulo suo *Senonibus*, & quod consequens est basim illius, non à *Cæsena*, sed à *Senogallia* ducendam esse, si modo *Polybii* mentem explere velint, & eorum populorum, quibus potissimas sedes in *Gallia Cispadana* constituit, habitationem designare. Quantum vero ad alterum Basis angulum attinet, res non minus circa illum est controversa, nam cum *Polybius* illam duxisset à *Sena* urbe usque ad intimum Maris *Adriatici* sinum, neque quidquam aliud addidisset, illi quo rebus suis consulerent, usque ad *Trieste Carnorum* oppidum lineam suam ducere voluerunt, cum tamen *Ptolemæus*[i] intimum sinus recessum sive angulum, ad ostium *Tilavempti* posuerit, dum universam *Italiam* suis limitibus propriis circumscribit *ab Septentrionibus*, inquit, *finitur quæ sunt sub Rhætia, & item Ocra Carusiadoque montibus, qui sunt sub Norico; ad hæc ora maritima sinus Adriæ à Tilavempto amne usque ad Garganum montem, & inde ad Hydruntem oppidum: A meridie autem terminatur littore Adriæ à Tilavempto flumine, usque ad Illyricos fines.* Quin etiam videri posset *Aquila* Civitas huic etiam angulo constituendo fore idonea, cum illam à *Tergeste* non magis quam CXXC. stadiis abesse *Strabo*[k] referat; & verò Sinus ille qui *Plinio Tergestinus* dicitur, *Aquilejus* quoque ab *Eustathio*, *Stephano*, & *Ptolemæo* appellatus fuerit; ac propterea cum incertum plane sit, num *Ptolemæus* angulum illum in *Tilavempti* ostio, aut in *Aquila*, vel *Tergeste*, alibive locorum quæ in hoc sinu non pauca sunt aut obscura, defigere voluerit, non debeo etiam mensuras illas, quas à *Cæsena* usque ad *Trieste* ducunt, vel tantillum morari, cum procul dubio sit, eas à *Ptolemæi* mente prorsus esse diversas, quandoquidem ex duobus terminis qui angulos basis constituunt, certum est unum fuisse ab adversariis mutatum, alterum vero tam exquisitè, nominatimque desinare, nisi planè divinando non potuerunt. Neque vero tam incommoda est, quam ipsi sibi persuadent eorum sententia, qui intervallum illud quod inter *Cæsenam* & *Senogalliam* excurrit, vix ullum obicem attulisse censent *Polybii* lineis, quominus triangulum illum efficerent: nam præter quam *Strabo* multis ante probavit, hujus basim & latera non æqualibus lineis, sed valde circularibus & obliquis ducta fuisse; notum est etiam multa alia loca quæ non minoribus inter se distabant intervallis, quam *Cæsena* & *Senogallia* conjuncta simul ab antiquis scriptoribus fuisse, quasi non à se invicem dissita fuissent: Sic enim *Florus*[l] *Philippos* quos *Ptolemæus* & *Vellejus* in extrema *Macedonia*, alii vero in prima *Thracia* ad *Strimonem* fluvium reponunt, cum *Thessalia* ubi *Pompejus* à *Cæsare* ad *Pharsalum* urbem devictus est, nulla habitâ intervalli ratione, non semel tantum, sed iterum quoque conjunxit, nam de pugna *Pharsalica* cum loquitur *sic præcipitantibus*, inquit, *fatis, prælio sumpta est Thessalia, & Philippicis Campis, urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt.* De *Philippensi* vero quam *Brutus* & *Cassius* cum *Augusto* & *Antonio* commiserunt, *illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam quæ fatalis Cnejo Pompejo fuit Arenam, insederant:* quo sensu dictum pariter fuit à Manilio[m].

> *Ducibus jurata cruentis*
> *Arma Philippæos implerunt agmine campos.*
> *Vix etiam sicca Miles Romanus arena,*
> *Ossa virum, Lacerosque prius super astitit artus,*
> *Perque Patris pater Augustus vestigia vicit.*

Sed quid extra orbitam nostram divagamur? cum *Lucanus*[n] exemplum ejusmodi suppeditet, quo nullum etiam si fingere illud vellem, præsenti nodo dissolvendo, convenientius haberi posset.

> *In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,*
> *Crustumiumque rapax, & junctus Sapis Isauro.*

Quis enim ignoret non multo majorem fore *Isapis* ab *Isauro*, quam *Cesenæ* à *Senogallia* spatii locorumque discrepantiam: ita ut si duo illa flumina simul junguntur à *Lucano*, multo minus urbes illæ parum à se invicem distantes impedire possunt, quominus *Polybii* Triangulus licet ab una potius quam ab alia, basis ejus dicatur initium, rectitudinem quam habere debet consequatur. Secus

[e] In orb. descript.
[f] In nobis ad lib. V. Strabon. pag. 146.
[g] Lib. V.
[h] Lib. V.
[i] Lib. 3. c. 19.
[k] Lib. V.
[l] Lib. 4. cap. 1. Cap. 6.
[m] Lib. 2.
[n] Lib. 2.

cus enim accurate locorum omnium situm dimetienti, & singula quæque scriptorum dicta ad libellam excutienti, vix unquam continget, ut ea cum rebus ipsis consentire deprehendat, nam cum *Virgilius* exempli gratia versum hunc protulit. [p] Aeneide.

Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto.

Et *Lambertus Hortensius* ex *Servii* & *Solini* mente, ita illum explicavit, ut diceret: *Creta hodie Candia vulgo, sed à Candore utroque nomine appellatur, major Cypro, minor Sicilia, & Sardinia, sed fertilitate omnibus par, media jacet inter Atticam Græciæ, & Cyrenaicam Africæ oram, utroque navigatione bidui: ab ortu alluit mare Carpathium, ab occasu Ionium, à Septentrione Ægeum, à Meridie Africum, porrecta inter ortum æstivum & occasum.* Quis tam importunus veritatis exactor erit, ut nisi omnia ista ἀκριβῶς & absque ulla latitudine quasi descriptis inter se circino lineis huic insulæ conveniant, *Virgilio* de istius insulæ in medio mari situ fidem habere nolit? Præterea cum *Solinus* & *Varro* [q] dixerunt, *Italiam Umbilicum in agro Reatino habere*, ejusdemque sententiæ fautorem *Virgilium* fuisse, versus illi sextæ Æneidos indicant. [q] Cap. 8.

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis,
Nobilis & fama multis memoratus in oris,
Ansancti valles & densis frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis & torto vertice torrens.

Cum templum *Beli* amplissimum & magnificentissimum *Herodotus* [r] in medio urbis *Babylonis* constructum fuisse asserit; Cum *Ætoli* apud *Livium* umbilicum *Græciæ* dicuntur incolere; & in *Sicilia* quoque *Prata* circa *Ennam*, ubi *Proserpina* fuisse fertur cum à *Plutone* rapta est, quia medium *Siciliæ* occupare credebantur, ideo *Siciliæ* umbilicus appellata sunt *Diodoro Siculo* [f]; Denique cum *Lucanus* asserit quod

[r] Lib. 1. Lib. 33. Lib. 6.

[f] Præfatione in consul. Manlii Theodori.

Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine Parnassus gemino petit æthera colle.

Illudque tum verò demum innotuit, quando ut inquit Claudianus.

Juppiter ut perhibent, spatium cum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui;
Armigeros utrimque duos, æqualibus alis
Misit ab Eois occiduisque plagis,
Parnassus geminos fertur junxisse volatus,
Contulit alternas Pythius axis aves.

Profecto nisi hæc omnia, Historicorum potius ac Poëtarum, quam mathematicorum trutinâ expendantur, neminem puto adeo facili ingenio esse, tamque mediocri ad res dijudicandas facultate, ut tot mediis mundi & aliarum partium locis fidem habere possit. Hæc enim omnia non secus ac linearum concursus quem *Polybius* in triangulo constituit, cum latitudine vel etiam maxima nonnunquam intelligenda sunt, si velis saltem auctores ipsos quam ipsi bona fide loquuti sunt, tam modestè prudenterque interpretari. Alio igitur argumento quando superioribus non possunt, adversarii *Polybium* suam in sententiam pellicere conantur, ex eo nimirum quod dixerit: *Sena hæc dicitur de eorum Gallorum nomine qui prius tenuere, fecimus nos paulo ante ejus mentionem, ostendimusque ad Adriam esse sitam* (sic enim ex *Casauboni* versione & textu *Græco* legendum est, non ad *Havam*) *in extrema planicie quam Padus irrigat:* ex quibus verbis primum quidem inferunt, *Senogalliam* multum abesse ab illa camporum planicie, celebris & à *Cicerone* multum decantatæ *Galliæ* olim *Cisalpinæ*, atque ut nunc vulgari nomine appellatur *Lombardiæ*; quam tamen verisimile est *Polybio* in mente fuisse, quando planiciei illius mentionem fecit, præsertim cum addiderit *Pado* eam irrigari; quæ postrema verba cum nullo pariter modo ad *Senogalliam* referri possint, optime vero, non secus at-

A que præcedentia *Cæsenæ* conveniant, concludunt secundo, *Polybium*, non de *Senogallia*, sed de *Cæsena* potius esse loquutum. Quod an revera ita se habeat priusquam investigare aggrediar, peto ab illis num *Cæsena* in *Piceno*, aut extra *Piceni* limites constituenda sit; respondebunt opinor quemadmodum jam antea fecerunt, *nulla est in Piceno, neque fuit olim Cæsena.* Sed *Polybius* manifestis verbis contendit, *Senam* illam de qua ipse loquitur, qua *Romani* simul cum universa *Senonum* ditione potiti sunt; in quam postea Coloniam miserunt, in *Piceno* fuisse; nam cum antea de Romanis loquens dixisset [w], *ac statim ducto in hostes exercitu,* [w] Lib. 2.
B *cum Gallis Senonibus obviam prodire ausis manum conserunt, cum Romanis secunda fortuna pugna fuisset, partem maximam cæciderunt, reliquos sedibus expulerunt, ita potiti universa Senonum ditione, primam in Galliam Coloniam eò mittunt, Sena hæc dicitur, &c.* idem paulo infra subjungit, *Quinto ab hoc tumultu anno, M. Lepid. Conf. Romani Galliæ Cisalpinæ agrum Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, diviserunt.* Nec ab eo dissentit Tullius *in libro* de *Senectute* ubi refert, *Q. Fabium Maximum, C. Flaminio Tribuno Plebis quoad potuit restituisse, agrum Picenum, & Gallicum viritim contra Senatus auctoritatem dividenti.* Ergo *Sena* illa,
C quandoquidem ex *Polybio* ad *Picenum* pertinuit, non potest ullo modo esse *Cæsena*, quam illi nunquam in *Piceno* fuisse jam concesserunt; quamobrem reliquum est ut *Polybius*, cum *Senam* urbem eo loci constituit, ubi *Campi Italiæ terminantur*, minime à se ipso dissentiat; non autem dissentire verba ipsius statim innuunt, modò tamen è mendoso codice *Græco*, qualis fuit ille quo *Perottus* usus est, non proferantur, sed ex eo potius, quem *Casaubonus* excudi cum hac interpretatione latina curavit: *in extrema planicie quam Padus irrigat:* quæ verba lucem mutuari commodiorem non possunt, quam ab ipsomet *Polybio* dum *Cispadanos*
D *Galliæ* togatæ populos, his verbis enumerat; *ultra Padum circa Apenninum, primi occurrunt Ananes, deinde Boji, post illos versus Adriam Aegones, postremi omnium ad mare Senones*; nam si verba ejusmodi cum istis antecedentibus conferas, *dehinc Apenninus distans à Mari Adriatico circiter* LXII. M. *passuum & quadringentos, relictis campis deflectit ad dextram, & mediam Italiam secans, ad Siculum mare pertinet, campi vero quos relinqui dicebamus ab Apennino, in hoc latere ad mare pertingunt, & urbem Senam.* Videbis *Polybium* nihil aliud voluisse, quam planiciem illam ex propriis ejus limitibus, videlicet *Pado* & *Apenninis* designare, cujus obversum
E latus *Mari Adriatico*, extremi *Gallorum* omnium *Senones* occupabant. Idque meo judicio tam manifestum est, ut sola tabularum Geographicarum inspectione patere possit, nam ex *Liguria Romam* versus proficiscenti, occurrebant *Ananes Pado* fluvio contermini, deinde *Boji* ad *Ravennam* & *Utentem* amnem protensi, quos demum sequebantur *Galli Senones* ad *Æsim* terminum veteris *Italiæ* & *Anconam*, ubi sinus est *Camporum* quos *Apennini*, ad Mare superum, in quo *Senensem* Coloniam *Titus Livius* constituit, patentes relinquunt; ita ut *Vibius Sequester* eam ob rem scripserit *Apenninum* usque ad *Anconam* porrectum esse, non
F quod re ipsa illic desinat, sed quod postea ad Mare inferum, sive *Etruscum* reflectatur. Atque hanc explicationem meam summopere illustrat *Pomponius Mela* [x] cum inquit, *à Pado ad Anconam transitur: Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanestris Colonia, Senogallia, flumina Metaurus atque Aesis,* nam *Padum* & *Æsim* terminos facit eorum Camporum quos unà cum aliis populis *Cispadanis Galli Senones* habitarunt, & de quibus illud etiam *Strabonis* [y] cum de *Pado* loquitur testimonium, profecto luculentissimum afferre libet: *Circa fluvi-* [x] Lib. 2. c. 4. [y] Lib. 5.

um autem illum quondam ut dixi Galli habitabant plurimi, quorum maximæ gentes Boji, & Insubres, & qui Romam aliquando subita incursione ceperunt Senones cum Gesatis. Atque ita unicuique conspicuum est, *Senogalliam* eo quem *Plinius* dixerat modo, sitam esse in illa Camporum planicie, quæ cum ex una parte *Padum* habuerit vicinum, tum vero ex alia littus maris *Adriatici* pertingat; quod idem de *Cæsena* dici non potest, nisi ab eo qui juxta suis oculis, atque scriptoribus infinitis injuriam facere velit, Mediterraneam ipsam, non vero Maritimam esse testantibus. Postrema denique ratio quam adversariis *Polybius* suggerit tam infirma est, ut absque baculo quem *Eutropius* multum & ipse claudicans, illi suppeditat, non tam in eorum castra secederet, quam in nostris potius stare cogeretur. Quamobrem ut illuc redeat *Polybius* [y], unde personati cujusdam *Eutropii* malis artibus discesserat; scire convenit optimum illum, nihilque de populi fæce trahentem Historicum, postquam bellum inter *Gallos* & *Romanos* ad *Aretinum* gestum narrare exorsus est, his demum verbis institutum de illo sermonem concludere, *illo prælio cum occisus fuisset Lucius Conf. in ejus locum M. Curius est suffectus, hic postmodum legatos de redemptione captivorum ad Gallos mittit, quos ipsi datam fidem fallentes necant, indignissime facinus illud tulere Romani, ac statim ducto in hostes exercitu, cum Gallis Senonibus obviam prodire ausis, manus conserunt; cum Romanis secunda pugnæ fortuna fuisset, Partem maximam ceciderunt, reliquos sedibus expulerunt, ita potiti universa Senonum ditione, primam in Galliam coloniam eo mittunt, Sena hæc dicitur eorum Gallorum nomine, qui prius tenuere, fecimus nos paulò ante ejus mentionem, ostendimusque ad Adriam esse sitam in extrema planicie quam Padus irrigat.* Hæc igitur verba quæ nemo unquam de *Senogallia* non interpretatus fuerat, quo potius ad *Cæsenam* pertinere significarent adversarii, *Eutropium* [z] velut opinionis suæ fautorem acerrimum laudant, cum de strage *Asdrubalis* ad *Metaurum* his verbis loquatur, *Fuit hoc prælium penes Metaurum fluvium, ubi Asdrubal victus est, ut Trasymenus lacus ubi exercitus Romanus victus est. Ut Cesena Piceni civitas. Ut vicus ille Cannensis*; Nam ex eo quod *Eutropius* cladem exercitus *Asdrubalis* cum tribus aliis stragibus comparat, quæ tam ad *Thrasymenum*, quam *Cæsenam*, & *Cannas* contigerunt; nulla vero solemnis clades in tota antiquitatis memoria patrata apud *Cæsenam* fuisse reperiatur, præter eam in qua *Polybius* dicit, *Gallos* ad *Senam* maxima cum internecione profligatos à *Romanis* fuisse, rectè postmodum inferunt *Senam* eandem omnino urbem esse *Polybio*, cum ea quæ ut præsenti, sic etiam *Eutropii* tempore *Cæsena* dicebatur. Nec verò illos tantum ea in opinione fuisse video quandoquidem *Franciscus Pamphilus* in libro [a] jam supra à me laudato *de Piceni laudibus*, & nobilitate, idem prorsus habet de *Cæsena*, quam *Asdrubalis* clade nobilitatam fuisse refert.

y Lib. 2.

z Liber 3. Breviarii.

a Liber 1.

Hic Cæsena vices Cannis bene reddidit æquas
Urbs retulit Tyrio præmia digna Duci.
Nam quot Romulidas Cannensis vicus ademit,
Tot Cæsena Tyri sustulit unda viros.
Funditus hic omnes pariter periere manipli,
Nec levis ipsa quidem Gluma relicta super.

Quinimo *Paulum Orosium* [b] adstipulatorem quoque istius Sententiæ sisto, *Fuit hoc prælio Metaurus flumen ubi Asdrubal est victus, quasi Trasymenus lacus, & Cæsena Piceni Civitas, ut vicus ille Cannensis.* Quibus certè testimoniis videtur omnino nihil aptius, nihilque expressius ad partes adversariorum fovendas excogitari posse. At nihilominus audeo ego de illis tritum illud *Virgilii* carmen pronunciare.

b Lib. 4. Historiæ.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

A Sunt enim testes suppositítii omnes, larvati sunt, personati sunt, falsi sunt, & si cum *Eutropio* sincero, Si cum *Orosio* vero deinceps loquamur, nihil eorum offendemus, quæ in ὑποβολιμαίοις istis reperiuntur, propptereaque non possum hominis doctissimi vices non dolere, qui cum hactenus tot ingenii sui felices Partus ediderit, ut omnibus sit admirationi, nescio tamen quomodo in ejusmodi scopulos cum aliis impegit, quos facili negotio declinare potuisset, si *Romæ*, aut alibi gentium vixisset, ubi non tanta, quantam ego experientiâ ipsa deprehendi *Cæsenæ* inesse, optimorum & emendatorum librorum fuisset penuria; B sed qui tandem fieri potuit, ut ea penes *Eutropium*, & *Orosium* inveniantur, quæ tamen ipsi numquam protulerunt? Dixerat *Silius Italicus* sub finem Libri XV. quasi pro Epiphonemate præclari illius certaminis, quod *Nero* Consul cum *Asdrubale* confecerat.

Tunc Nero procera sublimia cuspide portans
Ora Ducis casi, Cannas pensavimus inquit,
Annibal, & Trebejam, & Thrasymeni littora tecum,
Fraterno rapite.

Quem imitatus Appianus [c], *Ac mihi quidem*, inquit, videtur *Deus Romanis hanc victoriam rependisse, pro clade Cannensi, par enim æqualisque illi fuit, tum* C *Imperatorum interitu tum exercitus haud dispari strage.* Atque hoc potuit uterque à Livio [d] desumpsisse cujus ista sunt, *Nunquam eo bello, una acie tantum hostium interfectum est, redditaque æqua Cannensi clades, vel Ducis vel exercitus interitu videbatur.* Cum autem *Orosius* suas longo ab istis tempore historias conscriberet, religioni quoque duxit, eandem cogitationem non omittere, quæ cum per se vera & præclara esset, tum etiam ab exquisito scriptoris judicio profecta videri poterat; quapropter non inquinate, quemadmodum supra retulimus, sed recte, emendateque scripsit, *fuit hoc prælio Pœnis Metaurus flumen ubi Asdrubal est victus, quasi Thra-* D *symenus Lacus; & Sena Piceni Civitas, ut vicus ille Cannensis*; Sic enim in editione sua scribendum curavit *Fabricius Marcoduranus*, iis optimorum auctorum fultus auctoritatibus, quas in notis ad illum locum non paucas, nec hercle a quoquam despiciendas attulit. Quod vero ad *Eutropium* attinet, invenit ille suo malo, ut præclarè *Ælias Vinetus* animadvertit, qui ex *Lucio Anneo Floro*, *Eusebio*, *Sexto Victore*, *Hieronymo*, *Rufino*, ac *Orosii* depravato illo antiquiori codice, tam multa breviario suo infarcirent, ut ejus exemplar *Basileense* anni M. D. XXXIII. quem adversariis unicum fuisse conjicio, majus sit triplo, quam E ab auctore editum fuerat. Eoque non quidem lacero aut mutilo, quæ multorum aliorum codicum fortuna fuit, sed meris nugis & affaniis referto, distentoque ad deformitatem usque, etiam num uteremur, absque eodem *Ælia Vineto* fuisset, qui pro sua incredibili in optimis codicibus investigandi diligentiâ, & exquisito in eisdem expurgandis judicio, antiquissimi manuscripti ductu, *Eutropium* sive à *Paulo Diacono*, ut *Balthasar Bonifacius* in excerptis de *Rom. Historiæ scriptoribus*, & *Antonius Sconhovius* in præfatione sua asserunt, sive ab alio quovis scriptore pessimè habitum & tractatum, pristino nitori restituit, a- F deoque dissimilem sui fecit, ut si antiquiorem illum, quem inepti homines pro arbitrio suo depravare voluerunt, cum expurgato conferas, vix quicquam deprehendas, unde unum eundemque auctorem fuisse conjicere possis. Certè posterioris illius verba de morte *Asdrubalis*, & *Romanorum* victoria ad *Senam*, tam diversa sunt ab illis quæ adversarii ex inquinato illo priori codice protulerunt, ut *Tito Livio* mihique, vel audita tantummodo patrocinari debeant; tantum abest ut in eorum explicatione, aut errorum quos *Orosius* &

c Lib. de bello Annibal.

d Libri 27.

Pam-

Pamphilus insignes commiserunt, exagitatione immorari debeam. Sic igitur inquit, à principio narrationis de *Asdrubale*, usque ad reditum *Scipionis* ex *Hispania Romam*. Ne qui fortasse exemplaria à *Vineto*, & *Sconhovio* correcta non viderint, quicquam à me prætermissum, aut immutatum in illis fuisse suspicari possint. [c] *Desperans Annibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri, fratrem suum Asdrubalem, ad Italiam cum omnibus copiis evocavit: is veniens eodem itinere quo Annibal venerat, à Consulibus Appio Claudio Nerone & Marco Livio Salinatore, apud Senam Piceni Civitatem, in insidias compositas incidit, strenuè tamen pugnans occisus est, ingentes ejus copiæ captæ, aut interfectæ sunt; magnum pondus auri, atque Argenti Romam relatum est. Post hæc Annibal diffidere jam de belli cæpit eventu & Romanis ingens animus accessit, itaque ipsi evocaverunt ex Hispania Publium Scipionem, is Romam cum ingenti gloria venit.* Sed quamvis locus ille *Eutropii* tam indigne luxatus ab ignaris non fuisset, omniaque in eo, juxta verba, ab adversariis relata se habuissent; non video tamen qua tandem arte, aut ratione, *Eutropium* ipsum sibi consentientem habere potuerint, qui manifestè à se ipso potius diffidere videri poterat; nam cum ejus mens in illis verbis quantumvis corruptis fuerit, clades aliquot memorabiles quas *Romanis Annibal* intulerat, cum hac una conferre, quam frater ejus *Asdrubal* ad *Metaurum* accepit; quæ malum inscitia fuisset, pugnam illam qua *Romani* ad *Senam*, aut quemadmodum ipsi volunt *Cæsenam*, *Gallos Senones* funditus deleverunt, inter eas numerare, quæ potius illis adversæ fuerant; & quod ego suspicor, pro *Allia* Fluvio de quo *Lucanus* dixerat.

Et damnata diu Romanis Allia Fastis.

Quod illic magna strage *Romani* à *Gallis* profligati sint., *Senam Piceni* urbem, ubi vice versa *Romani Gallorum* victores fuerunt, non sine oscitantia plus quam supina accipere; at nihilominus certum est, *Eutropium*, non potuisse hujus erroris immunem esse, si cum habuisset sermonem, quem adversarii ex antiqua illa, & depravata editione perperam illi affingere consueverunt. Extremus igitur superest in adversariorum acie *T. Livius* [d], forsan ut ex more institutoque nobilissimi *Triarii*, omnibus Hastatis, Principibusque fusis, prælium de novo instauret; sed vereor maximè, ne operam ejusmodi commodare illis possit, ex qua multum ad victoriam emolumenti sperare debeant. Nam cum hæc illius verba de *Livio Salinatore* loquentis, quasi majorem in modum opinioni suæ consentanea protulerint, *ad Senam castra alterius Consulis erant, & quingentos ferme passus Annibal aberat*; ostendam primam diversis auctoritatibus maximorum virorum, nihil minus illa facere; tandemque ex eorumdem verborum recta interpretatione, atque inter se collatione, hoc idem rursum demonstrare aggrediar. Et sanè *Plutarchus* [e] non levis quidem ille, sed quod vulgò dicitur κωμικὸς μάρτυς, de eadem pugna hunc in modum loquitur, *Nam sub Legati Custodia castris relictis, ipse*, nimirum Claudius Nero Consul, *cum parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus, sexto die Senam pervenit, ibi Consules ambo, junctis copiis, propter Metaurum Flumen Asdrubalem adorti, secundissimo prælio conflixerunt.* Atque ita *Sena* illa, non modo propter *Metaurum*, sed in *Piceno* etiam fuisse dicitur, ubi tamen *Cæsenam* cum *Eutropii* locum explicarent adversarii, nunquam fuisse ultro fassi sunt. Neque verò *Plutarcho*, non adstipulatur auctor libri de viris Illustribus, sive ille *Cornelius* nepos, aut *Valerius Probus*, *Pliniusve Secundus*, ac demum quispiam alius fuerit, cujus in *Claudio Nerone*, & *Asdrubale*. Hæc verba sunt, *Sed Claudius Nero qui in Apulia cum Annibale castra conjunxerat, relicta in Castris parte, cum delectis ad Asdrubalem properavit, & se Livio collegæ, apud Senam oppidum, & Metaurum flumen conjunxit, amboque Asdrubalem vicerunt.* Unde cum hic auctor *Senam* & *Metaurum* non minus pugnæ, cujus historiam referebat, quam locorum naturæ convenienter, conjunxerit, vix ac ne vix quidem capere possum, quamobrem adversarii, unius diei artificialis itinere, quod ipsimet fatentur, unum ab altero disjungendum esse censuerint; præsertim cum *Andreas Schottus*, & *Machanæus* qui eumdem auctorem commentariis suis illustraverunt; pedibus eam in sententiam ire non dubitent; *Senam* videlicet illam quæ prope *Metaurum* fuisse ab omnibus historicis dicitur, non posse aliam esse *à Senogallia*. Quid plura? Cum Æmilius Probus [f] *de M. Porcio Catone* dixisset *inde ut rediit sequutus est castra Claudii Neronis, magnique ejus opera æstimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Asdrubal. Dionysius Lambinus* addit *Senam* hanc vocari *Senogalliam* à *Plinio*; & Σήνας ab *Appiano*; & cum *Cicero* in *Bruto* sermonem habet de *ludis Juventutis quos Salinator prælio Senensi voverat*, idem *Lambinus*, nec non *Andreas Schottus*, & *Petrus Victorius* ab eadem interpretatione ne latum quidem unguem discesserunt. Denique *Silius Italicus* [g], ut pugnæ illius speciem quandam expressam velut ob oculos poneret, *Senæ* urbis fluviique *Metauri* simul mentionem facit; imo verò *Pœnos* proximis *Senæ* campis consedisse, & ad *Metaurum* victos, prostratosque fuisse retulit iis versibus, quos sub istius exercitationis initium, relatos à me fuisse memini. Et verò ne reliquis auctoribus quibus adversarios non secus atque explicatis copiis aggredi possem, sigillatim recensendis diutius immorer, *Nicolaum Reusnerum*, & *Steph. Vinandum Pighium* cui potissimum *Italia* hoc debet, quod maxima sui parte non minus eleganter quam accuratè descripta fuerit, reliquorum omnium instar, in medium proferam, quoniam hic in *Hercule Prodicio*, seu *Historia peregrinationis Caroli Friderici Ducis Cliviæ*, rem omnem de qua præsens disceptatio instituta est, tam graphicè depinxit, nihil ut in verbis illius desiderari meritò possit, *Nam*, ut inquit, *Senogallia, est quidem oppidum celebre & pervetustum, Sena prius à conditoribus Gallis Senonibus; dein ad differentiam alterius ejusdem nominis, quæ in Etruria est, Sena Gallica nuncupata, cum adhuc Æsis fluvius Italiam à Gallia discerneret. Hinc P. Dolabella Consule, Senonibus ad internecionem extinctis, eorumque agris occupatis, Romanorum est Colonia facta, simul cum Castro & Adria, quo fere tempore inclusis Umbris, Italiæ limes ab Æsi ad Rubiconem usque productus est: Marcum Livium Salinatorem Consulem, cum exercitu adversus Annibalem Italiæ ingruentem, Senæ consedisse, & quingentos inde fermè passus, hostem abfuisse constat; Cum C. Nero Collega maximis itineribus profectus è Lucanis, cum expedito sex millium peditum, & mille equitum exercitu, nocte venit illi auxilio, tunc junctis viribus, altero mox die, fugam ultra Metaurum molientem Asdrubalem, cum toto exercitu trucidarunt, ut ante diximus, & Livius pulcherrimè Libri XXVII. fuse narrat.* Nempe tot habentur in his verbis conditiones rerum & temporum, quæ de *Cæsena* æque bene intelligi non possunt, ut quantumvis *Senogalliæ* nomen in illis expressum non esset, à nemine tamen de alia civitate explicari possent. *Reusnerus* [i] verò litem omnem, his verbis rescindit *sunt & alia quædam Piceni antiqua oppida. Potentia, Trajana, Septempeda Colonia, Helvia Ricina, Auximus, Senogallia, prius Sena dicta.* Quamobrem tot jam auctoritatibus in medium prolatis, quarum nullam adversariis non è directo contrariam esse, satis per se conspicuum est, superest modò ut ra-

[c] Lib. 3. Breviarii.

[d] Liber 27.

[e] In vita Annibalis.

[f] In fragmento vitæ Catonis.

[g] Libro. 15.

[i] Lib. 2. Italiæ.

rationes quibus *Titum Livium* ſibi potius quam nobis propitium eſſe contendunt, ad amuſſim exploremus. Illarum autem hæc prima eſt, recedenti ab *Sena Aſdrubali*, ne cum *Romanis* pugnaret, antequam fratri qui in *Apulia* erat ſe conjungeret, occurrit *Metaurus*; ſed *Senogallia*, in *Apuliam* proficiſcenti, ultra *Metaurum* orientem verſus nonaginta ſtadiis poſita eſt; ergo *Sena* debuit omnino alia urbs eſſe ab *Senogallia*: Receſſiſſe vero à *Sena Aſdrubalem* ut ad fratrem proficiſceretur, teſtem ipſimet laudant *Appianum*, tanquam ſi diſertis verbis illud protuliſſet. Cum tamen apud illum ſimile quidquam meo judicio, nihil reperiatur; & profectò qui Romanorum exercitum ex *Apulia* veniſſe, ubi *Annibalem* reliquerat, & ſe *Aſdrubali*, qui emenſa ferme tota *Gallia Ciſalpina* in penitiorem *Italiam* contendebat, oppoſuiſſe, diligenter animadverterit, is procul dubio facilè deprehendet, non potuiſſe eo ſenſu quo dicunt, *Aſdrubalem* à *Sena* recedere, ut copias ſuas in *Apulia* cum *Annibale* conjungeret: nam incidiſſet potius eo itinere in *Romanos* qui obviam illi veniebant: atque ita quemadmodum dixit Horatius[k] *Sectatus ultro fuiſſet, quos opimus fallere & effugere erat triumphus.* Unde non poteſt ullo modo adverſariorum ratiocinationi locus eſſe, niſi exercitum *Aſdrubalis* ex *Apulia*, & *Romanorum* ex *Gallia Ciſalpina* ſibi invicem occurrere faciant, quod à rei veritate quam ſit alienum, omnibus judicandum relinquo; nam quantum etiam à *Tito Livio* diſcedat; ſola illius lectione patere unicuique poteſt, cum dicat, *Aſdrubalem moviſſe ex Hybernis, & jam Alpes tranſire*, ac poſtea, *Aſdrubali & ſua & aliorum ſpe, omnia celeriora atque expeditiora fuere, non enim receperunt modo Arverni eum, deincepſque aliæ Gallicæ & Alpinæ gentes, ſed etiam ſecutæ ſunt ad bellum*; ac demum *cæterum quod celeritate itineris profecerat, id mora ad Placentiam dum fruſtra obſidet magis quam oppugnat, corrupit:* ita nimirum *Aſdrubal* per ſuperatas Alpes, & univerſam *Galliam Ciſalpinam*, in *Apuliam* proficiſcebatur; contra vero *Claudius Nero*, ut *Livio Salinatori* qui ad *Senam* in *Piceno* caſtra metatus erat, auxilio eſſet, *Lucanis profectus, nocte flexit in Picenum*, quod tamen ejus conſilium, *Romæ* multorum judicio damnatum fuit, quaſi *iter hoſti in Lucanos oſtendiſſet, cum Picenum & Galliam peteret.* Ex quibus certum eſt *Romanos* ex *Apulia*, *Pœnos* vero ex *Liguria* & *Gallia Ciſalpina* veniſſe: utroſque vero conſtitiſſe ea in planicie quæ intra *Metaurum* eſt, & *Senam* urbem, *Livius* ſic indicat. *Ad Senam caſtra alterius conſulis erant, & quingentos ferme paſſus Aſdrubal aberat.* Quamquam videtur mihi *Maccius*[l] non injuria *T. Livio* ſuccenſere, quod tam exiguum ſpatium duos inter potentiſſimos exercitus reliquerit, cum *Metaurus* in cujus ulteriori ripa conſederat *Aſdrubal*, tredecim millibus paſſuum diſtet à fluvio *Ceſano*, *unde aquabantur Romani*, & ab ipſo *Ceſano* ad *Senam*, emenſis tantum tribus aliis paſſuum millibus perveniri poſſit. Sed quidquid tandem de illa difficultate ſtatuendum ſit, non eſt dubium, flumen illud quod recedenti à *Sena*, & quaſi propria ſua veſtigia relegenti *Aſdrubali* occurrit, *Metaurum* fuiſſe, quo priuſquam de *Neronis* adventu quicquam audiret, tranato, in ſubjecta planicie copias ſuas explicarat, quas poſt modum prementibus *Romanis*, cum ultra flumen, non tamen ſine nocturno tumultu, & maxima trepidatione reducere oporteret; alter ducum *Aſdrubalis*, parum intentè obſervatus, *in deſtinatis*, inquit Livius; *jam inde ante animo latebris ſubſedit; alter per vada nota, Metaurum flumen tranſnavit.* Qui fieri autem potuit, ut vada illa nota eſſent, niſi quia paulo ante, univerſo *Pœnorum* exercitui in ulteriorem illam ripam iter tutum, & commodum præbuerant. *Aſdrubal* vero quoniam

[k] Ode 4. lib. 4.

[l] Liber 3. Hiſtoriæ de bello Aſdrubal.

A ea parte qua conſederat, vada uſque adeo commoda non inveniret, diem terendo, ſpatium hoſtibus dedit, occaſionemque inſignis victoriæ reportandæ. Quæ vera eſt hiſtoria pugnæ inter *Aſdrubalem*, & Conſules *Romanos* commiſſæ, ſaltem quantum ex *T. Livio* innoteſcere poteſt, qui reliquis omnibus hiſtoricis multa indicta, & forſan etiam non ita diligenter ab ipſo expenſa, in medium protulit; nam *Appianus* paucioribus longè verbis rem expedit, & cæteri ab eo Imperii *Romani* hiſtorici *Canum Niloticorum* inſtar lambendo, pugnam illam attingunt, ac tantum delibant. Unde non poſſum ſatis admirari *Sebaſtiani Maccii*

B *Durantini* prope modum dixerim audaciam, qui ut ante dicebam, prælium illud tam diſtinctè refert, nihil ut omittat, quod illi qui interfuerunt, dicere de eo potuiſſent; cum tamen quibus antiquorum monumentis adjutus, in re tam obſcura, & incerta fuerit, plane non videam. Cæterum patet ex *Livio*, & communi aliorum auctorum conſenſu, *Aſdrubalem* non receſſiſſe à *Sena* verſus *Apuliam*, cum ex *Apulia* in *Senam* non tenderet; ſed potius iter quod jam per *Metaurum* fecerat, iterum relegiſſe, ut *M. Livium Salinatorem*, qui *Senogalliam* prior occupaverat, & venientem ex *Apulia Claudium Neronem*, declinaret. Neque

C vero potuit unquam, ut ſibi neſcio quam ob cauſam, adverſarii perſuadent, è *Cæſena* urbe, ad *Metaurum* pervenire; tum propter rationes jam allatas; tum etiam quia militaribus experimentis repugnat, ut exercitus qui ab alio ſibi inimico, & infeſto quingentos tantum paſſus caſtra locaverit, vaſa colligere tam ſecreto feſtinanterque poſſit, & in viam ſe dare, ut ab vicinis hoſtium excubitoribus, non deprehendatur; aut certè quantumvis illos in diſceſſu fefellerit, non cogatur claro jam mane, cum urgentibus levis armaturæ militibus adverſis, velitationes crebras committere. Unde ſi dicant ipſi altera tantum no-

D cte, *Aſdrubalem* ad *Metaurum* perveniſſe, profectò rationi minimè conſentaneum eſt, ut nullam ab inſequentibus illum tota die, tam vicinis hoſtibus, moleſtiam expertus ſit: ſi vero eadem ipſa nocte, qua *Cæſena* diſceſſit, tantum ab illo itineris emenſum eſſe velint, vix erit ullus qui fidem iſtis adhibeat, cum nuſquam viſum, nuſquam auditum ſit, exercitum plus itineris unica tantum nocte confeciſſe, quam homo aliquis ab omnibus impedimentis liber, non pedes modo, ſed ne quidem equo vectus paſſus ſuos de more glomerante, abſolvere potuerit; *militari enim gradu*, inquit Vegetius[m], *viginti millia paſſuum,*

E *horis quinque duntaxat æſtivis; pleno autem gradu qui citatior eſt, totidem horis, viginti quatuor millia peragenda ſunt, huic quod addideris, jam curſus eſt*; ac propterea cum fateantur quinquaginta paſſuum millibus, abeſſe *Metaurum* à *Cæſena*, concedant etiam oportet. *Aſdrubalis* exercitum non niſi curſu concitatiſſimo, ad illud flumen è *Cæſena*, primæ illius noctis hora pervenire potuiſſe; Et ex conſequenti, nihil hic de prima aut ſecunda nocte ſtatui poteſt, quod in maximum ſtatim aliquod incommodum non offendat. Præterea ut aliud adverſariorum argumentum excutiam, cum ex *Polybio* concedant, *Romanos*, quorum legati ad *Aretium* violati à *Gallis* fuerant, novo delectu

F habito, ingreſſos in *Galliam* fuiſſe, nec multum proceſſiſſe, cum eis *Senones* occurrerunt, & negant, poſtea ſequi ex eo, prius occurriſſe *Romanis Senogalliam* quam *Cæſenam*, quia ut inquiunt *ex Aretio tendentibus in Galliam Ciſalpinam, ager Cæſenas proxime occurrit*; Videntur mihi rurſum, non ſecus in hoc *Polybii* textu explicando, incaſſum laborare, quam in ſuperiori *Liviano* fecerint? Nam ſi *Romani* pugna à *Gallis* ad *Aretium* ſuperati, ac poſtea etiam graviter violati in lega-

to-

[m] Lib. 1. cap. 9.

torum suorum personis, quo vindictam de illis sumerent, novum copiarum delectum habuerunt, signum est profecto illos, non amplius ex *Aretio*, quo post cladem illam se receperant, sed *Roma*, aut aliunde in *Galliam Cisalpinam* penetrasse, qua parte, illa *Romano* imperio vicinior erat, cujusmodi *Æsim* fluvium, & *Senogalliam* fuisse, nemo, opinor, inficias ire volet. Quinimo licet concederem *Romanos Aretio* movisse, non propterea illos usque adeo dementes fuisse mihi persuadeo, ut relicta *Senogallia*, quæ in primo limine *Galliæ*, multumque *Romanis* ipsis propinqua erat bellum in mediam *Galliam* inferre voluerint, & *Cæsenam* obsidere, urbem tunc temporis cinctam undequaque ferocibus *Gallorum* populis, quos impedire nemo poterat, quin ad certam *Romanorum* perniciem, arma simul conjungerent; & erit aliquis qui *Romanos* militaris disciplinæ tam rudes, & ignaros fuisse existimet, ut huic insigni culpæ succumbere potuerint? Sed demus illos fortuna potius quam arte *Cæsenam* expugnasse, ergo *Romanorum* imperio accessit, ergo Colonia facta est; negari enim non potest, vel primum, quod ex jure belli; Cajo etiam J. C. probatur, asserenti,[n] *quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capientis fieri, adeo quidem ut liberi homines in servitutem redigantur*; vel secundum, cum ipse *Polybius* de *Romanis* dicat, *ita potiti universa Senonum ditione, primam in Galliam Coloniam eo mittunt, Sena hæc dicitur, de eorum Gallorum nomine, qui prius tenuere.* At nihilominus utrumque falsum esse sic ostendo, testatur Cluverius[o], quod *Gallis Senonibus excisis* oppida nonnulla quæ initio illorum fuerant, scilicet *Forum Livii*, *Forum Populi*, & *Cæsena*, *Bojorum nomini accesserunt, steteruntque inde perpetuo sub Togatæ Galliæ titulo.* Hæc autem verba, sive innuant ejusmodi oppida. *Bojorum* legibus & dominationi subdita fuisse, sive communi tantum illorum appellatione comprehensa, liquido tamen ostendunt, *Senam* quæ jam Colonia *Romanorum* facta fuerat toto cœlo à *Cæsena* fuisse diversam.

[n] Lib. 2. rer. quotid.

[o] Lib. 1. c. 24.

A B C D

De colonia autem *Senensi*, cum tot auctores locuti sint, amabo quis unquam ipsorum, verba *Polybii* & præsertim illa. T. Livii[p], *à supero mari Senensis*, de *Senogallia* intelligi debere, non arbitratus sit? Cum ex adverso, nec *Frontinus*[q], nec *Sigonius*[r], nec *Merula*[s], nec *Barbaranus*[t], aut *Ferrarius*[v], & *Grutherus*[w], qui coloniarum omnium, quæ à *Romanis* quocumque modo, vel tempore ductæ sunt, diligentissime rationem inivere, nusquam de *Cæsena* meminerint. Quæ tantum abest ut colonia fuerit, quod *Cicero*[x], *Sigonius*[y], *Turnebus*[z], *Victorius*[a], *Perottus*[b], & *Lipsius*[c], eam humile potius oppidum, antiquitus fuisse constanter asseverant. Sed nolo extra præsentis exercitationis orbitam, quæ tantummodo de nomine *Cæsenæ* instituta fuit, divagari: Satisque mihi est, tot hactenus argumentis confirmasse, opinionem de illo meam, ut si quibusdam probabitur, de contraria prout optimum factu fuerit, statuant; secus vero affectum meum probent, quo quæstionem hanc sine cujusquam gloriæ, ac ne minima quidem laudis imminutione, tractandam, enucleandamque suscepi. Neque enim eorum judicium libenter sequor, qui maximos in literis, & exercitatissimos viros, si quid illis semel exciderit, non ita veritati consentaneum, statim velut inscios, & rerum omnium ignaros traducunt: multoque minus eorum mores laudare soleo, qui quos opinioni suæ consentientes non habent, conviciis proscindunt, onerantque confestim *burris*, *quisquiliis*, *& ineptiis*, *quarum trimodias nebulæ cyatho non emeris*; Quasi vero è literatorum censu aliquis hactenus, recto semper tramite veritatem insequi potuerit; aut qui vel tantillum, nec sponte quidem ab illa diverterit, tanquam violatæ, vel trucidatæ matris reus haberetur, nihil postea sedatum, tranquillumve expectare debeat, sed omnia verbis, factisque infesta: Quod à ratione, imo quam ab omni prorsus humanitate sit alienum, bonis omnibus, & æquis rerum æstimatoribus cogitandum relinquo.

[p] Lib. 27.

[q] Lib. de Colon.

[r] Comm. in Livium.

[s] In Cosmograph. Ital.

[t] In promptuar.

[v] In Lexico Geograph.

[w] In Thesauro Inscription.

[x] Epist. ult. Lib ultimi Familiar.

[y] Epist. VIII. Lib. I

[z] Adverf. Lib. VIII. Cap. 5.

[a] In Castig. ad Epist. Famil.

[b] In Cornu Copia sub finem 1. Epigramm.

[c] In Epistol. Quæstion.

FINIS.

INDEX NOTABILIORUM.

Cu-

INDEX NOTABILIORUM.

F I N I S.

FORTUNII LICETI,

Genuensis, ex L. Com. Phil. Medic. in Academia Patavina Theorici Supremi,

PRO

URBIS CÆSENÆ ANTIQUITATE APOLOGIA.

In qua omni asseveratione affirmatur, Cæsenam irruptione Senonum Gallorum in Italiam esse vetustiorem: ac proinde contra

SCIPIONIS CLARAMONTII

positionem asseritur, eam a Senonibus nec possessam, nec ædificatam, nec denominatam ullo unquam tempore Senam; sed Senam Gallorum Senonum esse Senogalliam.

Editio Novissima, auctior & nitidior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

TYPOGRAPHUS LECTORIS.

HISTORIA Urbis Cæsenæ *a Clarissimo* Scipione Claramontio, *Cive* Cæsenate, *conscripta, & publici juris facta, diversis Viris Doctissimis ansam præbuit, ingeniosissimas Dissertationes pro & contra* Claramontium *in lucem emittendi: quorum primus* Jacobus Villanius Rubiconem *fluvium introducit asserentem, se esse* Arimini, *non* Cæsenæ, *quem e contrario* Claramontius Cæsenæ *vindicat. Contra quem* Vincentius, *Civis* Cæsenas *insurgit, hunc iterum* Villanius *refutat. Deinde argumento valde probabili* Gabriël Naudæus, *ut auctor noster, asserit, nomen* Senæ *non* Cæsenæ, *sed* Senogalliæ *convenire. Hi Scriptores jam luce de novo erant à nobis donati, cum hæc* FORTUNII LICETI Pro Urbis Cæsenæ Antiquitate Apologia, *ut &* Simonis Claramontii, *filii* Scipionis, Cæsena Triumphans *a Viris antiquæ eruditionis studiosissimis ad nos darentur. quæ opuscula, ut typis etiam subjicerentur, tanquam ad* Cæsenæ *Historiam necessaria, digna a Viris non vulgaris literarum peritiæ existimata sunt. In* Cæsena *ista* Triumphante Simon *patrem* Scipionem *adversus oblocutores strenue defendit, eorumque argumenta elidit. Quod* Fortunium Licetum *attinet, ille argumentis non contemnendis confirmat,* Cæsenæ *non decori, sed dedecori esse, quod* Scipio *ponat, eam a* Gallis Senonibus *ædificatam, & ab iis* Senam *denominatam esse; cum tamen hæc urbs per excellentiam* Vetusta *&* Antiqua *a classicis auctoribus appelletur, & vetustior ipsa* Roma *sit. Argumenta autem ab Auctore adhibita hic enumerare,*

nec ratio, nec necessitas fert; quia paucis tantummodo paginis hæc Apologia continetur, ut facillimo labore ac negotio ab unoquoque perlegi, atque evolvi possit, & ea perlecta, judicare, utri subscribendum. Quod autem facit ad ea, quæ a nobis sunt præstita in revocando sub incudem hoc opusculo, pauca vel nulla sunt, exceptô quod nomina propria, aliaque notatu digna literis Cursivis imprimenda curaverimus. Insuper, licet tractatus hic valde sit exiguus, pro more nostro, ne ullus libellus, quam tenuis etiam sit, a nobis typis subjectus absque Indice in lucem prodiret, collegimus Indicem, & affiximus. Fruere his & Vale.



FOR-

FORTUNII LICETI,

Genuensis,

APOLOGIA

Pro

URBIS CÆSENÆ ANTIQUITATE.



INter Civitates omnes, quæ jus Hospitalitatis ad miraculum usque coluerunt antiquitus, proposita dubio procul habentes in animo, duæ celebrantur a Scriptoribus in *Italia*: *Cæsenam* laudat Joannes Hollanderius in *suo libro Prodromo de Nobilitate*, sic inquiens, (*a*) *Libet hic narrare observatum superiori seculo in Flaminiæ urbe Cæsena morem mehercle memorabilem. Ibi quum publicorum diversoriorum nullus pene esset usus; accidebat ut singuli illius civitatis Patricii cives, quum primum hospitem conspexissent, eundem vellent in domum suam recipere. Hospitalitatis studio ita certantes, ut non raro res a rixis ad conflictum veniret. Quamobrem prospecta fuit via, qua salva cuique humanitatis & hospitalitatis fama, homines exciperentur. Locata enim fuit in Fori umbilico Columna, ac in ea circumfusi tot anuli ferrei, quot essent Nobiles familiæ; utque sorte sic omnis tolleretur controversia, cautum fuit, ut ad cujus Familiæ Anulum alligasset hospes equum (omnes enim notis distincti erant) in illam familiam aut domum diverteret.* Hanc eandem laudem *Foro Truentinorum*, sive *Brintanorum*, (de quo (*b*) *Plinius*, & *Blondus*) attribuit *Christophorus Landinus*, in expositione carminum illorum *Dantis Aligherii*.

„O Brettinoro, che non fuggi via?
„Poi che gita se n'è la tua famiglia,
„E molta gente, per non esser ria.

ait enim Landinus, *O Brettinoro. E' bel Castello in Mezo di Romagna, posto in monte, sopra Forli. Che non ti fuggi via: quasi che dica: Che non ti disfai: poi che gita se n'è la tua famiglia: Et intende la famiglia di questo Guido del Duca; nella quale dicono essere stati a un tempo molti huomini, e di tanta liberalità, che nasceva spesso controversia, quando quivi arrivavon forestieri; perche ciascuno lo voleva a casa sua. Il perche feciono rizzare in piazza una colonna, & intorno a quella mettere tanti Anelli, quanti erano Padri di famiglia: & a ciascuno consegnarono il suo. E quando veniva il forestiero, legava il Cavallo a uno de gli Anelli: & di subito quello, a chi era consegnato l' Anello, conduceva in casa sua tal forestiero, & liberalissimamente l'honorava.* Nimirum imitantes morem Vidi Ducis Carpineæ, de quo paulo antea dixerat Landinus, *Guido di Carpigna fù nobile huomo di Montefeltro, al quale nessuno fù pari in liberalità.* Quam historiam ex *Landino* refert ad verbum *Fr. Leander Albertus* in *Italiæ descriptione* tractans de XIV. (*c*) regione, verbis ipsissimis, *Dice il Landino in questa luogo, esser Brettenoro un bel castello in mezo di Romagna, posto nel monte supra Forlì, ove fù Guido da Prata (ch'è una villa fra Faenza, e Ravenna) con la sua famiglia, & altre famiglie di tanta liberalità, che nasceva spesso controversia quando quivi arrivavano forestieri, perche ciascuno li voleva a casa sua. Laonde fecion drizzare in piazza una colonna, & intorno a quella metter tanti anelli, quanti erano padri di famiglia, & a ciascuno consignato il suo. Et quando veniva il forestiero, legava il cavallo a un de gli anelli; e di subito quello, a chiera consignato l' anello, conduceva in casa sua tal forestiero, e liberalmente l'honorava.* Verum enim vero, quia non est arbitrandum, *Hollanderium* sibi fabulam confinxisse de *Cæsenatium* Hospitalitate mira, neque visam historiam apud *Landinum* (si forte junior illo fuit) a *Foro Truentinorum* ad *Cæsenam* gratis transduxisse; lubet existimare utramque historiam fuisse veram; sed primam originem apud *Cæsenates* habuisse, quorum Civitas & opulentior, celebrior, & multo vetustior fuit Castro *Truentinorum*; qui morem Hospitalitatis *Cæsenatium* egregium postea nobili quadam æmulatione voluerint imitari, sicut insignem liberalitatem olim *Natani* senioris *Mithridatem* juniorem imitari voluisse (*d*) *Boccatius* fabulatur: nam & ipse *Leander Cæsenam* agnoscit antiquiorem, ut puta memoratam a Strabone *libro* v. & a Plinio in octava (*e*) regione, & a Procopio *de bellis* (*f*) *Gothorum* agente, & a Ptolemæo *de Gallia* (*g*) *Togata* tractante: Quin & in vita *S. Mauri Cæsenatium* Episcopi legitur, *Cæsenam* antiquitus *Flaviam Curvam Papiam*: sed ab *Antonino* dictam *Curvam Cæsenam*: quam *Volaterranus* appellat Urbem (*h*) vetustam, *Maginus* item Urbem (*i*) antiquam: Quum *Forum Truentinorum*, vulgo *Brettinoro*, tempestate *Landini* Castrum fuerit, & observatu (*k*) *Leandri*, recens Urbis nomen assumpserit anno Domini MCCCLXX. ab *Ægidio Datilla Hispano Italiæ* Legato, qui vastato *Foro Pompiliensi*, vulgo *Forlimpopoli*, sedem hujus Episcopalem ad *Forum Truentinorum* transtulit: Nec ævo *Strabonis*, aut *Ptolemæi Truentinorum* ulla mentio fuerit. Quare *Truentini* recentiores a vetustioribus celebrioribusque *Cæsenatibus* Hospitalium anulorum ad publicam columnam positorum morem accepisse dicendi sunt. Et sane simile quid olim contigisse mihi videtur *Athenis*, a quibus consimilem morem *Alexandrini*, *Cyziceni*, & alii multi didicerunt, hospites liberaliter alendi: quum enim apud *Athenienses Prytanæum* esset, in quo viris bonis & de Republica præclare meritis victus quotidianus publico sumptu præbebatur, ut ex (*l*) *Cicerone* discas; qui honos erat vel maximus. Unde *Plutarchus Luculli* magnificentiam extollit eo maxime nomine, quod viris doctis ædes ipsius *Prytanæum* quoddam extiterint; ait enim, *At commendanda fuit ejus & perhibenda in librorum suppellectilem impensa: multos enim & eleganter descriptos cumulavit. Erat etiam eorum usus quam comparatio liberalior: quod bibliothecæ omnibus pate-*

a Pag. 32.
b l. 3. c. 15. Purg. cant. 14.
c Pag. 274.
d Decam. l. 10. nov. 3.
e l. 3. c. 15.
f l. 2. & 3.
g l. 3. t. 6. Ital. c. 1.
h pag. 116.
i pag. 132.
k pag. 274.
l 1. de orat. & 5. Verr. In Lucull. f.

paterent, atque in adjectas ambulationes scholasque reciperentur omnes Græci, velut ad Musarum hospitium divertentes, tempusque inter se traducentes. Ingrediebatur subinde Lucullus ipse ambulationes, ac cum studiosis conferebat; atque negotia procurantibus publica, ubi opera ipsius requirebant, erat præsto. In summa erant convivium & Prytanæum Græcum omnibus Romam commeantibus ejus penates. Colebat ille quidem omnem philosophiam &c. Ita Musæum mensa fuit Ægyptia, ad quam cunctis, quos tota passim Ægypto celebres eruditio faciebat, aditus patebat: ita enim scribit Philostratus de Milesio Dionysio loquens, quem ab Hadriano Imperatore adscriptum fuisse Equitum ordinibus, & iis qui in Musæo alebantur, dicit: subjungit, Musæum autem, mensa Ægyptia convocans omnes in tota terra literatos. Idem de Polemone scribit, quod illum Hadrianus adlegit circulo Musæi ut Ægyptiaco more illic aleretur. Ex quibus aperte colligitur, Musæum apud Ægyptios fuisse, quod ferme apud Athenienses Prytanæum. Hæc Adagiographus. De Prytanæo quoque Rhodiginus

m l. 13. c. 32. ita, (m) Tholus, si paroxytonon fuerit, orbicularem signat domum, in qua epulari Prytanes consueverant. Et si cui quotidianus in Prytanæo cibus fuisset decretus, honestissimum in Græcia censebatur. Tholum rotundum columnatum legimus apud Varronem Prytanæum dicebatur proprie, quod in ea triticum servaretur, quod dicunt Græci PYRON, quasi PYROY TAMIEION. Autor Plutarchus est, Cimonem Atheniensem liberalitatis animi prææalti, domum suam civibus fecisse PRYTANEION KOINON, id est publicum Prytanæum (Xilander vertere voluit, Cœnationem publicam) quoniam munifice illos epulo identidem exciperet, ut volentibus pateret perpetuo. Sed præstat integram Plutarchi sententiam referre, quæ sic habet, At hic (de Cimone loquitur) ædes suas pro publico Prytanæo aperiendo, & ruri fructus tempestivos capiendos, ac quæcunque anni tempora gignunt bona fruenda sumenda peregrinis præbendo, quasi fabulosam illam, quæ Saturni regno fuit, rerum communionem in orbem reduxit. Pergit Rhodiginus, Ab eodem Plutarcho mandatum memoriæ scimus, structis ab Lucullo numerosis bibliothecis, quæ adeuntibus paterent semper, domum ejus habitam [OLOS ESTIAN KAI PRYTANEION ELLHNIKON.] (i. omnino larem & Prytanæum Græcum) Faciunt & ad propositum nostrum, quæ subdit illico Cælius, Adnotandus parte hac error Interpretis Plutarchi in Demosthene: nam quum ita Græce scriptum comperias, [KAI TON PRESBYTATON EPSYPHISATO TON APO TOY GENOYS EN PRYTANEIO SITHSIN ECHEIN.] Ipse sic Latinitate censuit donanda, Decretum a populo est, ut maximus natu generis ejus publice stipendia acciperet: Ego autem eo verbo [SITHSIN,] non stipendia intelligo, sed alimenta verius. Cicero quoque in (*)

* act. 5. Verrem, Nizolii notatu, infit, Prytanæum publica domus est, in qua viri de Republica benemeriti publice alebantur: ad cujus imitationem alterum erat

n lib. 41. an. ab V. C. 575. in Sicilia, in Urbe Acradina ornatissimum. Apud Livium de Perseo Rege lego, (n) Cyzici in Prytanæum, id est penetrale Urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, vasa aurea mensæ

o lib. 5. c. 1. unius posuit. Athenæus itidem ait, (o) Cœnabant autem quotidie ii, qui in Prytanæo versabantur, moderatas cœnas, civitatibusque salubres: ad quod Symposium testatur Demosthenes universam Eleatiæ assumptionem sublatam fuisse: Vesperi enim quispiam nuncians ad Prytanenses accedebat, quod Eleatia as-

p lib. 13. c. 17. sumpta fuissent. Cælio quoque, (p) Apud Eleos in Prytanæo Hestiatorium fuit, sive cœnaculum, ubi Olympionicas convivio excipere, moris fuit. Idem,

q lib. 16. c. 10. Invenio, inquit, (q) in Græcorum thesauris, Nau-

A cratitas in Prytanæo convivia solitos agitare in genethliis, hoc est natalitiis Vestæ, quam Prytanitida dicunt; nec non in Comæi Apollinis panagyri, stolis indutos candidis, quas etiamnum vestes nuncupant Prytanicas. Julius Pollux (r) in Prytanæo dicit r l. 1. c. 1. Aram esse, ubi æternus ignis incenditur. Observatione dignum est, in Prytanæo duas hominum classes ali solitas, Magistratum, qui Judices frugaliter alebantur: & homines alios doctrina claros, vel aliter de Republica benemeritos, qui lautiori victu donabantur. De prioribus (s) Athe- s l. 5. c. 1. næum egisse vidimus; de quibus & Rhodiginus ita (t) Dignum situ: Prytaniam, id est [PRYTA- t l. 8. c. 1.

B NEIAN,] dici Græcis imperium dici, quum in orbem inter plures digeritur imperandi vicissitudo. Hinc Herodotus: Miltiades, inquit, non prius congredi statuit, quam ipsius advenit Prytania, & multo post, (v) Illud modo adjecisse contentus: pecu- v lib. 12. c. 21. niam apud Græcos ab actore ac reo constituendi gratia judicii contributam depositamque, prytanea nuncupari: quæ a Romanis Sportulæ signatur nomine. Ceterum qui succubuisset, omnia resolvebat: ea vero in publicum cedebant, aut judicum mercedem. Ex quo & ipsas juris dicundi stationes, theses quandoque appellatas legimus. Prytanæorum meminit Isocrates ad Callimachum. De iisdem pariter, & de

C posterioribus idem paulo postea dicit, ut vidimus, (x) Nam tholus si paroxytonon fuerit, orbi- x l. 13. c. 32. cularem signat domum, in qua epulari Prytanes consueverant: &, si cui quotidianus in Prytanæo cibus fuisset decretus, honestissimum in Græcia censebatur. Et Casaubonus L. 5. C. 2. in Athen. [OI PERI PRYTANIN,] non sunt, qui in Prytanæo alebantur, ut putarunt: sed summus Prytanis cum suis Collegis & adsessoribus, qui Remp. curabant. Frugalitatis autem Prytanum judicum idem antea meminerat, inquiens, (y) Servatum vero Athenis y lib. 7. c. 11. Græci tradunt, antiqui victus exemplum, quum Dioscuris in Prytanæo apponeretur prandium: men-

D sis enim inferebatur caseus, ac physte: est autem eo nomine, mazæ species: Olivæ quoque, quas drypetes vocant: item porrum. De luxu vero mensæ doctorum apud Antiquos in Prytanæo Scaliger in Epistolis ait, (z) Parodia est ex Timonis Sillis, qui z epi. 24. [MOYSEION TON ALEXANDREON TALARON] (Musæum Alexandrinorum Calathum) vocat, Qualum, quasillum: cujusmodi, in quo Gallinæ ponunt ova, aut incubant: quia Gallinis incubantibus large cibus obstipari solet. Inde [TO MOYSEION] (Musæum) poëta ille mordax [TALARON] (Qualum, aut Calathum) vocavit, in

E quo Sophistæ, grammatici, poetæ, & id genus homines opimis honorariis, quæ a Ptolemæis percipiebant, alebantur. Quod & non diffitetur Cælius, addens superioribus, (a) Mensa vero Ægyptia a l. 7. c. 11. cujusmodi foret (nam neque hoc ab proposito dissentaneum est) ex Philostrati verbis licet conjectare in Dionysio sophista, quem ab Hadriano Imperatore illis insertum tradit, qui in Musæo pascerentur. Musæum vero, inquit, mensa Ægyptia, convocans omnes in orbe terrarum eloquentia illustres. Adnotatum in Græcis autoribus, democraticam vocari mensam, quæ sumptu modico plures alat, cujus fuit modi Atheniensis Cimonis. Satrapicam vero, quæ

F impensa nimia [OLIGOYS TRYPHONTAS,] id est paucos admittat deliciis diffluentes, qualis visebatur Lucullea. Ceterum de Prytanensium Magistratu fuse Suidas, & Aristoteles in (b) Politicis. b 5. polit. c. 5. Ubi [PRYTANIAN MILHTOY,] Prytaniam Mileti versam in Tyrannidem observat: & alio loco, (*) [KALOYSI D' OI MEN ARCHONTAS TOYTOYS, OI DE BASILEIS, OI DE * 6. polit. c. ult. PRYTANEIS,] vocant autem eos, qui illis præsunt, alios quidem Reges, alios vero Prytanes. Casaubonus etiam in Athenæum L. 15. C. 19. notat ha-

habuiſſe Prytanæum *Tarentinos*, *Corinthios*, *Rhodios*, *Mileſios*, *Tenedios*, *Argivos*, *Siphnios*, *Thaſios*, *Ereſios*, *Mytilenæos*, *Cyreneos*, *Naxios*, *Epheſios*, *Eleates*, & *Naucratitas*. At in Prytanæo, ut duo virorum genera conviviis excipiebantur tum Prytanes vocati, qui Magiſtratus erat Reipublicæ pro tempore præfectus: tum etiam viri clari, qui in Prytanæo ſemper alebantur publico ſumptu: ſic illi Prytanes agitare ſolebant convivia modeſta, & ſuis civitatibus ſalutaria; quod ævo noſtro fieri quoque teſtatur *Caſaubonus Argentinæ*, & in aliis pleriſque *Germaniæ* Civitatibus: in quibus annui Conſules in loco publico ſingulis diebus prandent. At viri docti, & benemeriti totam vitam in Prytanæo, & lautius alebantur publico ſumptu; ſicut *Athenæus*, *Heſychius*, *Caſaubonus*, & junior *Scaliger* conteſtantur. Si ergo laudantur *Lucullus Alexandrini*, *Cimon Athenienſis*, *Acradina Siciliæ* Civitas, *Cyziceni*, *Eleates*, & alii multi, quod omnes ad imitationem *Athenarum*, *Prytanæum*, atque Muſæum inſtituerint, locum in quo viri præclari ſplendidius alerentur hoſpites: jam facile fuit ad imitationem *Cæſenæ* Civitatis antiquioris & illuſtrioris olim Caſtrum *Truentinorum* recentioris originis, & inferioris conditionis, æmulam columnam Annulorum Hoſpitii ſimiliter in Foro poſterius erexiſſe. De vetuſtate quidem Urbis *Cæſenæ* multa ſuperius attulimus Claſſicorum teſtimonia, quæ leviter tacta, planius hic referenda videntur: Sane Plinio (*c*) *Cæſena opidum* in eodem capite dicitur, in quo & *Ravenna Sabinorum opidum* appellatur. Mox agenti de vinis generoſis, plurimum celebrantur naſcentia *in mediterraneo* (*d*) *Cæſenatia ac Mecœnatiana*. Antoninus Auguſtus *in Itinerario* Provinciarum *Cæſenam* ponit inter Civitates, dicens,

c l. 3. c. 15.

d l. 14. c. 16.

Per Picenum & Campaniam ad Columnam idem Trajectum Siciliæ ducit
M. P. DCCCCLVI. ſic
A Mediolano Laude Civitas M. P. XVI.
Placentia Civitas M. P. XXIV.
Fidentiola Civitas M. P. XXIV.
Parma Civitas M. P. XV.
Regio Civitas M. P. XVIII.
Mutina Civitas M. P. XVII.
Bononia Civitas M. P. XXV.
Foro Cornelii Civitas M. P. XXIV.
Faventia M. P. X.
Cæſena Civitas M. P. XXIV.
Ariminum Civitas M. P. XX.
Piſauro Civitas M. P. XXIV.
Senogallia Civitas M. P. XXIII.
Ultra Anconam millia plus minus quatuor.

& mox,

Item ab Arimino Cæſenæ Civitas
M. P. XX.
Faventia Civitas M. P. XXIV.
Foro Cornelii Civitas M. P. X.
Bononia Civitas M. P. XXIV.
&c.

d l. 3. tab. 6. Eur. Ital. cap. 1.

Ptolemæo, (*d*) *Gallia vero Togata ipſis ſubjacet montibus, Ravennam uſque producta, habetque Civitates has*,

Placentia	31. 20.	43. 30.
Fidentia	31. 40.	43. 30.
Brixellum arx	32.	43. 10.
Parma	32.	43. 30.
Regium Lepidum Colonia	32. 30.	43. 30.
Nuceria	32. 30.	43. 20.
Tanetum	33. 20.	43. 40.
Mutina	33.	43. 40.
Bononia	33. 30.	43. 30.
Claternæ	33. 50.	43. 30.
Forum Cornelii	34. 15.	43. 30.
Cæſena	34. 40.	43. 40.
Faventia	35. 20.	43. 30.
Forum Livii	33. 30.	43. 40.

Tuſcorum mediterraneæ Civitates hæ ſunt, *Biracellum* 31. 45. 43. 10. &c.

Ubi nulla mentio *Fori Truentinorum*; quum tamen paulo prius *Truenti* fluvii mentio facta ſit. Henr. Stephanus in *Onomaſtico Geographico* ponit, *Truentum*, *fluvius Picenorum*, *de quo Ptol. l. 3. c. 1. Druentum per D legit.* Sed in meo codice per T lego *Truentum*. Ex quibus apparet, ævo *Ptolemæi* non extitiſſe *Forum Truentinorum* ullo modo, quando jam celebris Urbs erat *Cæſena*. Straboni, (*e*) *tum Faventia ac Cæſena ad Iſapin fluvium & Rubiconem*, *jam Arimino appropinquant*. Ita legitur in codice *Pariſiis* edito çum adnotationibus eruditiſſimi *Caſauboni*, Codicum omnium emendatiſſimo; quum exemplaria *Baſileæ* prius edita corruptum habeant hunc locum, & in errorem traxerint *Claramontium*. Sic ergo multo vetuſtior eſt *Cæſenæ* Civitas, cujus meminere *Ptolemæus*, *Antoninus*, atque *Strabo*, qui nullam *Fori Truentinorum* mentionem habuere. Qua ratione conſtituendum eſt, antiquum morem Annulorum Hoſpitalitatis appoſitorum columnæ in medio Foro locatæ, deſumpſiſſe *Truentinos* a *Cæſenatibus*, non autem *Cæſenates* a *Truentinis*. Quod etiam a majori celebritate *Cæſenatium* ſupra ſplendorem *Truentinorum* neceſſario colligitur; etenim *Cæſenæ* Civitas ut antiqua ſic ab antiquo ſemper illuſtris, & inſignis fuit: in qua publicum adhuc eſt omnium diſciplinarum Gymnaſium, omni tempeſtate præclaris ornatum cultumque Lectoribus: inter quos (*f*) *Rotæ*, (*g*) *Valentini*, *Albitii*, *Maſſini*, *Braſchi*, *Arcani*, *Martinelli*, & alii plures: Collegium, ampliſſima facultate præditum promovendi Doctores tam in utroque Jure, quam in Philoſophia & Medicina: celeberrima Offuſcatorum Academia ſuavioribus Muſis egregie canens: inſtructiſſima Bibliotheca ad *D. Franciſci*, famigerabilis apud Hiſtoricos: antiquiſſimum Haſtiludium quotannis edi ſolitum ab equitibus gravis armaturæ, veri belli ſpecimen atque pars, non imago ſimulata; quod ob occurſus nimium periculoſos, non ita pridem moderari neceſſum fuit, lanceis attenuatis ad confractionem in ictu non adeo difficilem: *Nundinæ* tota prorſus *Italia* per integrum menſem Auguſti ſingulis annis frequentiſſimæ. Quam publicam celebritatem nullo non tempore conſervare, quin & augere ſtuduerunt viri Cives plurimi tum dignitatibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus inſignes: tum armorum gloria præſtantes: tum Juriſprudentia, moralibus actionibus, politiciſque negociis præclare geſtis eminentes: tum Philoſophiæ, ceteriſque liberalibus diſclipinis admirabiles: tum etiam antiquæ Hoſpitalitatis fama conſervata memorabiles. Nam ut veneror inclytas familias, *Guidiam* a *Balneo*, *Malateſtam*, *Maſſinam*, *Ambronam* antiquiſſimas, & complures alias viris omni virtutum genere florentiſſimas; ita ſane non ſuſpicere nequeo ſemper & in ſtirpe *Mazzova*, *Jacobum* illum, famigeratiſſimum *Danthis Aligherii* defenſorem, omnigena cumulatiſſimum doctrina & eruditione, ac in *Dandina* (præter Eminentiſſimum Cardinalem *Hieronymum*, & *Herculem* hujus pronepotem, viros omni laude majores) alterum in Soc. Jeſ. *Hieronymum*, Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritiſſimum; quorum ſane duum literatorum Heroum veſtigia non preſſa leviter in templo gloriæ ad exigui prædicationem temporis, at fixa firmiter ad memoriam omnium æternam, hoc ævo perſequi videntur, ad parem celebritatem egregio conatu certatim anhelantes viri mul-

e lib. 5.

Cæſenæ public. Gymn.

f Fran. med.

g Theol.

Collegium.

Academia Offuſcat.

Bibliotheca.

Haſtiludium.

Nundinæ.

multiplici doctrina, & eruditione ſpectabiles, (*h*) *Ambronii*, (*i*) *Rotæ*, (*k*) *Claramontii*, & alii. Quos inter poeſi claros elucet *Jo: Baptiſta Ambronus* in ſua Melpomene Offuſcata recens edita: in qua tamen doleo mihi non autori poematii gratis adſcriptum fuiſſe ſecundum illud *Epigramma*, *Dum te alioſque facis* &c. quod nunquam e meo calamo defluxit: habeat ſuum id ſibi carmen verus autor, nec meo nomine fucum Lectori faciat: ſi mendum ſit in alieno nomine, cognomineque, corrigatur, nec meum alterius loco ſubſtituatur. Sed inter *Dandinos Anſelmus* Hoſpitalitatis fama cluet, qui non ita pridem proprio ſumptu ſplendidiſſimis hoſpitiis ad Portum *Cæſenaticum* excepit Summum Pontificem *Clementem Octavum* cum univerſa *Romana* Curia, proficiſcentes ad aſſumendam poſſeſſionem Ducatus *Ferrarienſis*, poſt obitum Sereniſſimi Ducis *Alphonſi*, ad Eccleſiæ ditionem devoluti, extincta linea Feudi. Ut nunquam intermortuus videatur Urbis *Cæſenæ* ſplendor antiquus Hoſpitalitatis. Quare tantæ Civitatis decora, ſpeciatimque gloriam Hoſpitalitii ſplendoris olim imitari, ac tantum non æmulari, laudi ſibi ducere potuit Forum *Truentinorum* in publicæ columnæ poſitis Anulis ad Hoſpitii privati ſortes. Verum enim vero non ſatis *Cæſenati* cuipiam probare videtur *Landinus* ex loco *Danthis*, & ex *Landino Leander* Hoſpitalitiam illam columnam plures Anulos diverſarum familiarum habentem, quæ certatim Hoſpites ad ſe ducere contendebant ad *Forum Truentinorum* attinere, melius *Hollanderius* eam ad *Cæſenæ* Civitatem refert: namque *Cæſenatium* plures fuere familiæ ſplendidæ, *Truentinorum* unica celebratur *Guidi* Ducis a *Carpinea*, ſive a *Prata*, *Landino* citata. Immo vero non ab re forte quis exiſtimaverit, *Landinum* a veritate deviaſſe, quam optime tenuit *Hollanderius* in propoſito; namque *Danthes* apud *Truentinos* unicam familiam liberalitate conſpicuam celebrat; quam ipſe *Landinus* memorat *Guidiam*; at vero columna vetus Hoſpitalitios anulos habuit multarum familiarum de liberalitate certantium; quum in una familia nulla potuerit eſſe diſcordia de Hoſpitibus recipiendis: in urbe vero *Cæſena* multæ fuere familiæ nobiles diverſi generis, inter quas contentio de recipiendis hoſpitibus eſſe potuit. Ceterum habuere Veteres in propria cujuſque domo locum ſeparatum pro peregrinis hoſpitibus excipiendis, quem Hoſpitale diverſorium appellabant: nunc apud Monachos tantum, religioſorumque conventus tale quid habetur, quod Italice vocatur La *Foreſteria*: verſus Anaxandridæ ſunt hac de re, apud (*) Athenæum,

„ *Seni confeſtim ſtratum eſt triclinium:*
„ *Convocati qui tibia lyraque canerent:*
„ *Hoſpitale diverſorium aperi: verre domum:*
„ *Sterne lectos: ignem accende luculentum: tolle poculum:*
„ *Vinum miſce ſuaviſſimum.*

& inferius addit Athenæus, (*l*) *In Creta ubique ſunt deſtinata conviviis cænacula duo: alterum* [*ANDREION*] *nuncupant* (ſcilicet virorum domeſticorum conclave) *alterum in quo dormiunt peregrini & hoſpites, hoc Cæmeterium appellant:* Id nominis noſtri religioſi tribuere loco, in quo mortui ſepulti ſunt, veluti dormientes, ultimam diem ad reſurgendum expectantes.) *In domus ea parte, ubi epulantur, menſæ duæ ſtatuuntur: hoſpitales vocant, in quibus externi ſedent homines, ſi qui forte adſunt: poſt illas ſunt aliorum convivarum menſæ.* & adhuc infra, (*m*) *Convivium autem, quo accipiuntur hoſpites, quale eſſe debeat, oſtendit Lyciæ Rex, excepto magnifice Bellerophonte;* nam Homeri (*n*) teſtimonio „ Novem diebus apud il-

h Jo.Bapt. *i* Franc. *k* Scipio.

*l. 1. c. 9.

l l. 4. c. 9. & 10.

m l. 5. c. 1. *n* Iliad. ξ.

A „ lum hoſpitatus eſt: novem ille boves mactavit. *Videtur autem vinum ad conciliandam alliciendamque amicitiam vim quandam habere: ut quod animum diffundat, & calfaciat. Quamobrem non antea qui eſſent, rogabant, quam bibiſſent: ſed guſtato jam vino, hoſpitii jus & fidem honorantes potius, quam privatim hoſpites ſingulos.* Itaque veluti ſacram jure rem, hoſpitium colebant antiquiores, ut pote proprium humanitatis officium naturale; quod homo natura ſit animal ſociabile, ut ait (*o*) *Ariſtoteles*. Hoſpitalis autem teſſera quid fuerit non ita conſtat; moris etenim antiqui fuit, teſſeram dari hoſpitibus dimidiatam,
B quam quicumque attuliſſet ad hoſpitem continuo agnoſci poſſet, & hoſpitio accipi, tanquam amicus & vetus hoſpes. hoc autem jus neceſſitudinis ad poſteros tranſibat: propterea teſſeram hoſpitalem diligenter aſſervabant. Plautus in (*p*) *Pœnulo*, *Pœnum* & *Agoraſtoclem* ſic inducit,

Poe. *Verum ego hic unum hoſpitem habeo Antidamæ filium.*
Quæſo commonſtres, ſi noviſti Agoraſtoclem.
Ag. *Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti Agoraſtoclem?*
Si quidem Antidamarchi quæris adoptaticium
C *Ego ſum ipſus, quem tu quæris.* Poe. *Hem quid ego audio?*
Ag. *Antidamæ gnatum me eſſe.* Poe. *Si ita eſt, jam teſſeram*
Confer, ſi vis, hoſpitalem: eccam attuli.
Ag. *Agedum huc oſtende: eſt par probe: nam habeo domi,*
Poe. *O mi hoſpes ſalve multum, nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit.
Hæc mihi hoſpitalis olim teſſera cum illo fuit.
Ag. *Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.*

Qui vero jus hoſpitii violabat, nempe qui ſibi reD ditum in domum hoſpitis aliqua ex cauſa præcluſit, is teſſeram hoſpitalem confregiſſe dicebatur. Sic in (*q*) *Ciſtellaria* Plautus *Alceſimarchum* adoleſcentem a lena *Meleni* domo ponit excluſum.

Al. *Perjurare me patiere?* Me. *atque quam me, aliquanto facilius,*
Meamque rem perire, & ludificari filiam.
Abi quærere ubi tuo ſatis ſit ſubſidii,
Hic apud nos jam Alceſimarche confregiſti teſſeram.

Quæ quidem teſſera, ut multiplex alia potuit eſſe res dimidiata, quæ non apte niſi cum ſua
E compare conveniret; ita nihil jam prohibet fuiſſe dimidiatum anulum cum dimidiata funda certis cælata, ſculptave figuris itidem dimidiatis, quæ ſola junctura comparis palæ poſſent integrari. Non obſcure certe videtur id indicare *Tacitus* inquiens, (*r*) quod *Miſerat civitas Langionum, vetere inſtituto, dona Legionibus, dexteras hoſpitii inſigne:* num hoc inſigne fuerunt anuli, dexteras ſe ſe complectentes funda retinentes? id anulorum genus apud antiquos non infrequens fuit. Ceterum occaſione dictorum de *Cæſenæ* ſplendoribus, non ab re fuerit ea breviter expendere,
F quæ in ejus decorem nuperrime ſcripſit eximius ejuſdem Civis *Scipio Claramontius*; is enim hiſtoriam *Cæſenæ* contexens, inter ejus decora præcipuum poſuit, quod ædificata fuerit in *Umbria* pridem a *Gallis Senonibus*, a quibus primo *Sena* nominata fuerit, & illorum Regia habitata; poſtea diruta & exciſa, tandem reædificata dicta fuerit *Cæſa Sèna*, & per ſyncopen *Cæſena*. Quæ quidem ut voluntarie dicuntur, ita nulla veterum autoritate ſolide firmantur. Nec indiget Urbs antiquiſſima falſis Encomiis; immo vero derogat hoc

o 1. polit. c. 2.

p act. 5. ſc. 2.

q act. 2. ſc. 1.

r 1. hiſt. c. 54.

hoc illius antiquitati; quum enim per excellentiam audiat urbs antiqua, & vetusta civitas; quod attributum *Romæ* non conceditur; jam videtur ante *Romam* condita: propter eaque non a *Senonibus*, qui post *Romam* conditam primum in *Italiam Alpibus* trajectis irruperunt. Quin etiam quum a *Tuscorum* Rege fuerit ampliata, non potuit ædificari primum a *Senonibus*, qui *Tuscos* ex *Umbria* postea pepulerant; ut infra patebit. Deinde vero *Cæsena* fuit in ditione *Gallorum Bojorum*, ut aperte post *Leandrum*, & *Volaterranum*, vel ipse (*f*) Scipio contestatur; *Boji* vero diversa gens fuit a *Senonibus*, & diversam in *Italia* regionem occupaverunt; ut apparet ex historicis; nam *Plinius* (*t*) agens de sexta, & octava regione; quum posuisset *Senones* in sexta, ubi est *Senogallia*, & *Bojos* in octava, ubi collocat *Cæsenam*; utriusque regionis tractum epilogo complens, in fine scribit, (*u*) *In hoc tractu interiere Boji, quorum Tribus CXII. fuisse autor est Cato. Item Senones, qui ceperunt Romam.* Strabo similiter *Bojos* a *Senonibus* distinxit, inquiens, (*v*) *Hos ego Venetos existimo Venetiarum in Adriatico sinu esse Autores, (quando reliqui etiam fere omnes Galli, qui in Italia sunt, ex transalpinis eo immigraverunt regionibus, ut Boji, & Senones) cum Paphlagonibus.* & clarius infra, (*w*) *Circa fluvium autem illum* (Padum scilicet) *quondam, ut dixi, Galli habitabant plurimi: quorum maximæ gentes Boji & Insubres, & qui Romam aliquando subita incursione ceperunt, Senones cum Gæsatis: Hos quidem postea temporis deleverunt Romani: Bojos autem suis domiciliis ejecerunt.* & mox, *Intra Padum continetur quicquid cingitur Appennino & Alpibus usque ad Genuam Sabatios, obtinuerunt quondam Boji, Ligures, Senones, & Gæsatæ maximam partem. Postea pulsis Bojis, & Senonibus Gæsatisque deletis, superfuerunt Ligusticæ gentes, & Coloniæ Romanorum.* In hac eadem Italiæ parte Bojos a Senonibus distinctos ponit Polybius ajens, (*x*) *Ultra Padum circa Apenninum primi occurrunt Ananes, deinde Boji: post illos versus Adriam Ægones: postremi omnium ad mare Senones.* & infra. (*y*) *Boji, ut excidisse patria Senones vident, metu similis fortunæ, omnibus suis, qui arma ferre poterant, Etruscis etiam advocatis, adversus Romanos proficiscuntur.* Sic ergo *Boji* distincta gens fuit a *Senonibus*, & distinctas ab eis obtinuit Sedes in *Italia*: quum autem *Cæsena* fuerit in regione *Bojorum*, ut ipse Cl. *Scipio* (*z*) dicit, *Senæ Bojorum* mentionem faciens, quam *Cæsenam* ponit: & ante illum (*a*) *Leander*, & ante utrumque (*b*) *Volaterranus*; quin & (*c*) *Plinius* eam collocans in octava regione a *Bojis* possessa. Necessario colligendum est *Cæsenam* a *Senonibus* non possessam, nec ædificatam, nec denominatam fuisse ullo unquam tempore *Senam*. Deinceps necessitatem non habet ullam, neque momentum, quod Cl. *Scipio* scribit de mutatione nominis *Senæ* in *Cæsenam*, asserens, (*d*) *Accisio forte, & excisio Senæ novo nomini occasionem præstitit, quasi scilicet Cæsa Sena tum diceretur, in Cæsenam duæ voces coaluerint*: quia contra veterum omnium autorum testimonia, *Senam Senogalliam* declarantia, sola dubitatio, & voluntaria neoterici sententia, nihil habet roboris in proposito. Certe longe secus rerum denominationes fieri docuit *Aristoteles*, quam dempta media syllaba; nam solum postrema variata res denominari posuit; dum inquit, (*e*) *Denominativa vero dicuntur, quæcumque ab aliquo, differentia casu, secundum nomen habent appellationem: ut a grammatica grammaticus, a fortitudine fortis*: ita a *Romulo Roma*, & a *Senonibus Gallis*, *Senogallia* (*f*) *Plinio*, *Sena-gallica* (*g*) Ptolemæo, *Senogallia*

f pa. 122. — t l. 3. c. 14. 15. — u cap. 15. — v l. 4. — w l. 5. — x l. 2. c. 17. — y cap. 20. — z p. 122. — a p. 301. & seq. — b lib. 4. — c lib. 3. c. 15. — d l. 4. init. — e Præd. c. 1. — f l. 3. c. 14. — g l. 3.

A (*b*) Antonino, & ab iisdem *Senonibus Sena* Silio, Livio, Polybio, Straboni. *Cæsena* vero, quæ *Bojorum* fuit, non a *Senonibus* denominari potuit, sed a flumine, seu torrente *Cæsio*, qui per eam fluit, denominationem habuit; ut antiquior ejus poeta *Tibertus* eo disticho cecinit,

> *Vrbs Cæsena mihi Patria est, quam dividit unda*
> *Cæsis, & a patrio flumine nomen habet.*

Quos versus mutilavit callide Cl. (*i*) *Scipio*, veram denominationem, ut puta suum commentum refellentem, occultans. *H. Stephanus* consimilem denominationem ponit, ajens, (*k*) *Cæse*-B*na Urbs Flaminiæ provinciæ, a cædendo dicta, quod exiguo amne cæsa, idest, divisa sit: vel quod ager ejus duobus fluminibus, Sapi, & Rubicone sit divisus.* Mihi tamen potior est *Tiberti* denominatio a fluvio *Cæsi*, qui nunc etiam *Cesuola* sive *Cesaula* nuncupatur. Insuper id etiam satis ostendit, *Cæsenam* non dictam fuisse *Senam* ab ortu ad sui excidium, deinde *Cæsenam*, quasi *Cæsam Senam*, post ejus restaurationem; quod nunquam aliis nominibus appellata fuisset; nam cur antiquum Civitatis nomen, ut in Divi *Severi* Vita legitur, fuit *Flavia Curva Papia* tempore Sanctissimi ejus Episcopi, sicuti Cl. (*l*) *Scipio* testatur? si qui-C dem, ut (*m*) ipsemet ait multum probabilitatis habere, hoc nomine nuncupata fuit eo tempore, quo sub imperio *Tuscorum* erat, antequam *Galli Senones* hanc partem *Italiæ* possiderent; ergo *Cæsena* vetustior fuit irruptione *Gallorum* in *Italiam*, adeoque non fuit a *Gallis* ædificata. Sed & voluntariæ Cl. *Scipionis* assertioni de *Cæsenæ* prima origine ac denominatione a *Gallis Senonibus*, anteponendum est vetus manuscriptum, de quo vel ipse meminit, inquiens, (*n*) *Quocirca multum probabilitatis accedit manuscripto cuidam nostrati, quod refert a Duce quodam Tuscorum conditum hic Opidum fuisse. Quod postea Flavius Papius* D *Tuscorum Rex missa huc Colonia ampliavit, a seque Flaviam Papiam nominavit.* Sic ergo *Cæsena* multo ante *Senonum* adventum in *Italiam* condita *Curvæ* nomen habuit, quod in valle situm obtinens, figuram *Curvam* obtineret; ut etiam Cl. (*o*) *Scipio* notavit: deinde quod a *Flavio Papio Tuscorum* Rege coloniam habuerit, & ampliata nomen ab eo sumpserit *Flavia Papia*: Denique vero a parvo flumine, sive torrente *Cæsio*, quo intersecatur, *Cæsena* dicta fuit usque in hodiernam diem. Quin & ejusdem Cl. *Scipionis* observatu, (*p*) *Sunt qui Camesenam a Camese dictam asseverent, postea nomen, ut in seculorum diutur-* E *nitate contingit, in Cæsenam duabus subtractis literis contractum*, ut *Annio* placuit. Quæ nominis origo vetustiorem quoque *Cæsenam* facit adventu *Senonum* in *Italiam*. Quam sane vetustatem, & inde prodeuntem Patriæ suæ nobilitatem videtur eripere *Scipio*, dum ab *Etruscis* vere conditam, vult a *Senonibus* post *Etruscorum* expulsionem primum ædificatam fuisse. Ceterum *Senones* non *Cæsenam* sub nomine *Senæ*, sed *Senogalliam* nunc appellatam condidisse, regiamque sedem habuisse, veteres omnes historici contestantur, hocce Cl. *Scipionis* commentum apertissime refellentes: in primis quidem in emendato codice *Parisiensi* F *Strabo*, *Casauboni* probatione, contempto *Basileensi* mendosissimo, legitur, (*q*) [*PHAYENTIA DE KAI KAISHNA PROS TO ISAPI POTAMO, KAI TO ROYBICONI HDH SYNAPTOYSI TO ARIMINO.*] idest, ut vertit *Casaubonus*, *tum Faventia ac Cæsena ad Isapin fluvium & Rubiconem, jam Arimino appropinquant.* Ex quo loco *Strabonis* habemus non solum *Cæsesenam* proprio nomine dici, non autem *Senam*, neque [*SINAN*] *Sinam*, ut in *Basileensi* codi-

h Itin. — i l. 4. p. 133. — k onom. geogr. — l l. 4. p. 155. — m ibid. — n ibid. — o p. 133. 134. — p p. 156. — q lib. 5.

 ce

ce legitur: sed etiam *Cæsenam* ad *Isapin* fluvium & *Rubiconem Arimino* propinquam esse, scilicet in ditione *Bojorum*, non autem *Senonum*, nimirum in *Gallia Togata* (r) mediterranea, quam possedere (s) *Boji*, non autem in maritima, quam tenuere (t) *Senones*; adeoque *Cæsena* non fuit *Sena* pridem a *Senonibus* condita, & denominata. Deinde Strabo dicit, Casauboni versione, *Etruriæ, qua parte ortum Solis spectat, Umbria adjacet, & ab Appenino, atque etiam ulterius ab Adria usque incipit. Nam a Ravenna Umbri propinqua tenent, ac deinceps Sarsinam, Ariminum, Senam, Camarinum: ibi est & Æsis fluvius, & Gingunus mons, Sentinum, Metaurus fluvius, Fanum Fortunæ. Nam circa hæc loca limes est antiquus Italiæ & Galliæ ad hujus maris partes: quanquam is limes sæpe est a Magistratu mutatus. Primum Æsim fluvium limitem esse voluerunt, deinde Rubiconem. Æsis inter Anconam est, & Senogalliam: Rubico inter Ariminum, & Ravennam: ambo in Adriaticum mare effluunt.* unde satis aperte deducitur *Senam Strabonis* non esse *Cæsenam*, sed *Senogalliam*: in primis enim enumerans *Umbriæ* loca, quæ a *Ravenna* protenduntur usque ad *Æsim* fluvium in littore maris; ab occasu ad ortum tendens; dumque a *Ravenna* ponit *Sarsinam*, *Ariminum*, *Senam*, *Camarinum*, ubi est *Æsis* fluvius: *Senam* collocat inter *Ariminum* & *Æsim* fluvium, eamque facit orientaliorem *Arimino*, eoque distantiorem a *Ravenna*; quare *Senæ* nomine non potest intelligere *Strabo Cæsenam*, quæ neque maritima est, neque media inter *Æsim* & *Ariminum*, neque orientalior *Arimino*, sed est mediterranea, media inter *Ariminum* atque *Ravennam*, adeoque *Ravennæ* propinquior, & orientalior quam sit *Ariminum*. Deinde *Senam Strabo* ponit ubi est *Æsis*, & *Metaurus* fluvius: at *Æsis*, & *Metaurus* est prope *Senogalliam*, procul a *Cæsena* per octingenta stadia: quocirca *Sena Strabonis* non est *Cæsena*, sed *Senogallia*. Deinceps *Cæsena Straboni* est prope *Rubiconem*, at *Sena* est, ubi est fluvius *Æsis*: *Æsis* autem a *Rubicone* fere quinquaginta millia passuum distat; non minor enim est distantia inter primum terminum *Italiæ* a *Gallia*, qui fuit *Æsis* fluvius, & secundum, qui fuit *Rubico*: Quare *Cæsena Straboni* non est *Sena Gallorum Senonum*; sed ea est *Senogallia* prope *Metaurum* & *Æsim* sita. Præterea *Straboni Rubico* est inter *Ariminum*, & *Ravennam*, ubi & *Cæsena*: sed *Æsis* est inter *Anconam* & *Senogalliam*: unde *Sena*, quæ *Straboni* ponitur prope *Metaurum* & *Æsim* fluvium, non est *Cæsena*, sed *Senogallia*. Denique ceu synonymis utitur in præsentia *Strabo* nominibus *Senæ*, quam ponit ubi est *Æsis*, & *Metaurus* fluvius, & *Senogalliæ*, inter quam & *Anconam* ponit *Æsim* fluvium in Adriaticum sinum effluere: promiscue namque *Sena*, & *Senogallia* dicitur eadem urbs *Umbriæ*. Sensit idem & *Polybius* inquiens, (u) *Secundum hæc montium juga, quæ pro basi accipienda sunt trigoni, a meridie campi subjacent, in ultima & maxime boreali parte Italiæ sit; omnium, qui tota Europa nobis cogniti sunt, longe præstantissimi rebus universis, latissimoque patentes: hæc loca sunt, de quibus nobis nunc est sermo. Habet vero planities etiam ista figuram & ambitum similem trigono: cujus verticem contactus duorum montium facit Apennini atque Alpium, non procul a Sardinio mari, supra Massiliam. Porro Boreale hujus latus claudunt perpetua Alpium juga, ut ante dicebamus, per millia passuum ducenta septuaginta quinque: Meridionale Apenninus patens in longitudinem quadraginta septuaginta quinque millia passuum. Locum basis obtinet ora maritima Adriatici sinus, ab urbe Sena ad ultimum usque recessum, per tercentum duodecim millia,*

r Pli. l.14. c.16.
s Volat. l.4.
t Polyb. l.2. c.17.
u l.2. c.14.

A *& quingentos passus, atque amplius: ut non multum absit, quin universus ambitus dictæ planitiei millia passuum colligat mille ducenta quinquaginta.* Quibus apertissime constat, *Polybium* ponere *Senam* in ora maritima sinus Adriatici; quum autem in ora sinus, & in littore maris Adriani *Senogallia* sit, non autem *Cæsena*, quæ procul abest ab ora stadiis octoginta fere, ac urbs est mediterranea, non autem maritima, *Plinio* dicente, (v) *Ex reliquis autem a supero mari Præturia, atque Ancone nascentia vina, & quæ a palma una forte enata Palmesia appellantur. In mediterraneo vero Cæsenatica ac Mæcenatiana. mox ab intimo sinu* B *Adriana.* Jam *Sena Polybio* non potest esse *Cæsena*, sed solum *Senogallia* vocata. Et eo magis, hæc ratio *Claramontii* positionem arguit; quo sibi plane contradicens, alibi ponit *Cæsenam* esse mediterraneam urbem, procul ab ora maritima, dum ait in secunda parte sui Apparatus ipsissima verba, *His rationibus aut aliam a præcedentibus, aut confirmationem præcedentium subjiciunt, cujus (quocumque nomine appellemus) verba sunt. Itaque non video a quopiam mentionem vel minimam Cæsenæ fieri. Videtur autem esse ratio, quam hic jacit scriptor: In describendo Rubicone nulla mentio Cæsenæ: ergo non est is fluvius Cæsenæ propinquus.* C *At jam ut vidimus, non recte consequitur, Non est cujuspiam in describendo flumine civitatis facta mentio: ergo non est illi propinquum flumen; Tiberis enim non esset Prope Romam, cujus in eo describendo nequaquam meminit Ptolemæus. Item Arnus non fuisset Pisarum, non Florentiæ, eandem ob causam. Præterea vero neminem meminisse Cæsenam occasione Rubiconis, falsum esse jam vidimus. Verum distinguere oportet, non parum interesse inter descriptionem locorum ex fluminibus, & fluminum ex locis; loca enim etiam mediterranea ex fluviis describuntur, tumque propinqui prorsus, nisi findant urbem, assumuntur; at fluvii ex ostio, & locis maritimis* D *proprie designantur, non ex interraneis; idque jure: si enim per mediterranea determinarentur; quum fluvii quique plura loca alluant, prolixa descriptione esset utendum, instar ejus, quam in Dante habemus, dum Arni cursum designat; ut in populos scilicet, quos alluit, invehatur.* Qui nunc asserit vir *Cl.* in descriptione *Rubiconis* a plurimis nullam *Cæsenæ* mentionem factum fuisse, quia fluvii describuntur ex ostio, ac ex locis maritimis, non autem ex Urbibus procul a mari mediterraneis, qualem esse *Cæsenam* vere dicit, & aperte supponit; quomodo non sibimetipsi manifeste contradicit, falsumque statuit *Claramontius*? dum antea E in prima parte Apparatus probare satagit *Cæsenam* esse *Gallorum Senam*, quam cum *Polybio* ponit in ora sinus *Adriatici*, in litore maris *Adriatici*, ubi campi *Galliæ* terminantur, in basi trianguli continentis extremos campos totius *Italiæ*, in termino *Veneti* litoris, in extremitate camporum *Italiæ*, in extrema planitie, quam *Padus* irrigat; non ne contradictio est apertissima? *Cæsena* civitas est mediterranea, non in loco maritimo; & propterea *Rubico* fluvius ex ea non describitur: quod asserit *Claramontius* in secunda parte Apparatus: & *Cæsena* est *Gallorum Senonum* antiqua *Sena*, quam *Polybius* ponit in ora sinus Adriatici, F in litore maris Adriatici, ubi campi terminantur æquore, in basi trianguli continentis campos *Italiæ*, in termino *Veneti* litoris, in extremitate camporum *Italiæ*, in extrema planitie quam *Padus* irrigat, quod sæpissime repetit in prima parte ejusdem Apparatus. Certe si hæc contradictio non est, nulla jam contradictio reperiri potest in Autorum scriptis. Deinde *Polybius* ponit distantiam basis trigono similis figuræ, ductam a *Sena* ad ultimum recessum Adriatici sinus, esse tercentum

v l.14. c.6.

tum duodecim millia, & quingentos passus; quæ quidem distantia vere percipitur a *Senogallia* usque ad intimum sinus recessum; quum ab isto recessu ad *Cæsenam* ducentum millia passuum non habeantur. Qua quidem in re notandum est, intimum recessum Adriatici sinus, a quo lineam basis trigoni ducit *Polybius* ad *Senam*, non ita
x pag. 10. geographice poni a Cl. *Scipione* (*x*) *Tergeste*; nam a *Ptolemæo* ponitur ostium *Tilavempti* fluvii procul a *Tergeste*; quod quidem *Tergeste* est post
y l. 3. ta 6. Eur. Ital. sit. c. 1. flexum intimi sinus Adriani; scribit enim (*y*) Ptolemæus,

Adriatici sinus

Intimus sinus, in quo est Tilavempti fluvii ostium	33.	50.	44.	50.
Natisonis fluvii ostia	34.		44.	50.
Istriæ similiter post flexum intimi Adriatici sinus.				
Tergestum Colonia	34.	45.	44.	56.
Formionis fluminis ostia	35.		44.	56.

Linea vero quæ ab ostio *Tilavempti* ad *Senogalliam* ducta basim figuræ trigono similis continet, etsi plane recta non sit, nihil hoc refert; nam & latera Alpium & Apennini lineas efformant adhuc magis a rectitudine variantes, quam litus a *Senogallia* ad ostium *Tilavempti*. Quare duplici falso supposito nititur positio Cl. *Scipionis*, quod *Polybius* Campis *Galliæ Cisalpinæ* figuram trilateram simpliciter assignaverit lineis rectis fere coercitam: quodque per ultimum recessum sinus Adriatici signaverit *Tergeste*: quum huic regioni figuram dederit similem trigonæ, lineis non rectis conclusam; & per intimum recessum Adriatici maris intellexerit cum *Ptolemæo Tilavempti* fluminis ostium. Non minus abest a verbis, & a mente *Polybii*, quin & ab historica veritate,
z pag. 10. quod addit Cl. *Scipio*, (*z*) *Accedit præterea esse Senam ex Polybio in extremitate camporum, planitiei scilicet celebris, & a Cicerone usque decantatæ Galliæ olim Cisalpinæ, nunc vulgo Lombardiæ; a qua longe Senogallia abest. Quum post flexum Adriatici litoris trames potius quam planities inter montes, & mare evadat; præsertimque post Ariminum; qui quoque trames ad Catholicæ vicum a collibus abrumpitur, & a Pisauri montibus præcipue. Neque sunt hi despicabiles, ut suadere videtur Leander; sed ejus altitudinis, quam pro planitie nullus rerum justus æstimator sit transmissurus.* Namque primo *Gallia Cisalpina* non omnis concluditur ea regione, quæ nunc *Lombardia* dicitur; sed ea, quæ cis alpes a *Gallis* olim habebatur; in qua *Gallia* continetur *Senogallia*; reque vera *Gallia Cisalpina* dudum a *Cicerone* decantata, nulla est alia, quam quæ *Togata* cognominabatur, quum *Transalpina* diceretur *Comata*, & *Bracata*; de
a l. 3. init. quibus ita Volaterranus, (*a*) *Romani* Galliam *triplicem fecere: Togatam, eandem & Cisalpinam in Italia, a Toga cum Latio communi: Comatam, quo nomine, ut ait Plinius, omnem Transalpinam Galliam vocabant, ab intonsis crinibus, ut Lucani etiam carmen testatur, Crinibus effusis toti perlate Comatæ: & Bracatam olim, quæ nunc Narbonensis.* Modo Gallia Togata Plinio continet etiam
b l. 3. c. 14. Senogalliam; ait enim, (*b*) *Jungitur his sexta regio, Umbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere; in primis Palmensem, Prætutianum, Adrianumque agrum. Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, ut quos Ombrios a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Tercentum eorum opida Tusci debellasse reperiuntur. Nunc in ora flumen Æsis, Senogallia, Metaurus fluvius, Colonia Fanum Fortunæ, Pisau-*

A *rum cum amne.* Quæ mire consentiunt cum dictis a Strabone, cui (*c*) *A Ravenna Umbri propinqua tenent, ac deinceps Sarsinam, Senam, Camarinum: ibi est & Æsis fluvius, & Gingunum mons, Sentinum, Metaurus fluvius, Fanum Fortunæ.* c lib. 5. Quum itaque *Gallia Cisalpina* sit ea, quæ cis Alpes est, & in se continet *Anconam*, *Senogalliam*, *Ariminum*, & id generis *Umbriæ* loca; satis aperte constat non bene scribi, *Galliam Cisalpinam* veterem excludere *Senogalliam*, & ab ea longe abesse. Præterea dum excludit Cl. *Scipio Senogalliam* a *Gallia Cisalpina*, quam ipse ponit esse *Lombardiam*, non minus ab eadem *Gallia Cæ-*
B *senam* excludit, quæ non est in *Lombardia.* Quin etsi vere colles Catholicæ, montesque *Pisauri* simpliciter habendi non sunt pro planitie; tamen si conferantur cum altitudine, magnitudineque tum Alpium, tum Apennini, intra quos excelsos leviter assurgunt in comprehensa planitie triquetra, de qua loquitur *Polybius* in relatione ad Alpes, & Apenninum, quibus duobus lateribus ea terminatur; certe colles Catholicæ, montesque *Pisauri* planitiem non turbant, & merito despici possunt ab Historico propter ipsorum exiguitatem, ut ait optime *Leander*; cujus autoritas anteponenda *Claramontanæ*. Posterius autem
C *Polybius* ipse *Senam* ponit non solum in extremitate camporum, sed *in ora* (*d*) *maritima sinus* d l. 2. c. 14. *Adriatici*; modo *Cæsena* non est in ora maritima, sed procul ab ea, quod *Plinius* non semel contestatur, tum vina *Cæsenatia* dicens in (*e*) me- e l. 14. c. 6. diterraneo agro nasci, ut vidimus; tum apertius inquiens procul a mari, intus esse *Cæsenam*, & alia loca, (*f*) *Nec procul a mari Umbrorum Bu-* f l. 3. c. 15. *trium. Intus Coloniæ, Bononia, Felsina vocitata quum princeps Etruriæ esset, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia, opida Cæsena, Claterna, Forum Clodii*, &c. Immo vero ponens paulo postea *Senam* in extrema planitie *Polybius* mariti-
D mam facit, nam extrema planities alluitur mari; scribit enim, (*g*) *Sena hæc dicitur de eorum Gal-* g l. 2. c. 19. *lorum nomine, qui prius tenuere: fecimus nos paulo ante ejus mentionem, ostendimusque ad Adriam esse sitam, in extrema planitie, quam Padus irrigat.* paulo antea dixerat, (*h*) *Ultra Padum circa Apen-* h l. 2. c. 17. *ninum primi occurrunt Arianes: deinde Boii: post illos versus Adriam Ægones: postremi omnium ad mare Senones.* Cæsena vero non est in ora maritima maris Adriatici, non in extrema planitie camporum; sed procul ab ora maris, & ab extremitate camporum (ubi vere sita est *Senogallia* a *Gallis Senonibus* denominata) per octoginta sta-
E dia, ut unicuique mensuranti constat. Civitatem vero distantem a mari per octoginta stadia, maritimam non esse, nec in ora maris, nec in extremitate camporum, sed mediterraneam procul a mari, nemo poterit inficiari, potissimum historicus, qui noverit apud *Appianum Carthaginenses* tanti fecisse distantiam istam urbis a mari, ut a *Romanis* victi, & armis exuti penitus, pacem ultro suppliciter postulantes, ac subditos imperio *Romanorum* sese offerentes, dum *Carthaginem*, in litore maris *Romani* non destruerent, nec inde sedem *Pœni* ferre cogerentur in mediterra-
F nei stadium octogesimum: repulsam habentes, bellum vel inermes elegerint, & vitam pro vetere Patriæ loco maritimo, repudiantes mediterraneum octogesimi stadii, profuderint. Scribit enim Appianus in Libyco, *Hæc a Legatis* Carthaginensibus *palam dicta. Ad quæ Censorinus: Obsidum vero, quos misistis, cum celeritatem, tum electionem commendamus. Sed quid armis vobis opus est, in pace nobiscum firma degentibus? Afferte quicquid apud vos publice privatimque armorum, sagittas, catapultas ac alia omnia nobis tradite. Quibus*

bus legati se parituros responderunt. Assumptis igitur una Cor. Scipione Nasica, & Cn. Cornelio Hispano, ad ducenta millia armorum attulerunt, sagittarum, telorum infinitam multitudinem; catapultas præterea, & acuta jacula, lapidum excutiendorum machinas, usque ad duum millium numerum: quorum aspectus splendidus insignisque videbatur, tot hostilibus curribus ea deferentibus: quos legati reliquique seniores totius populi quicumque optimi in primis habebantur, Sacerdotes præterea & illustres viri, quo Consules ad pietatem & misericordiam flecterent, secuti sunt, omnesque suo ordine ante ipsos constiterunt. Tum Censorinus: Vestræ quidem obedientiæ, ac promptitudinis, o Carthaginenses, in exhibendis obsidibus, deferendisque armis, non mediocri laude digni estis. Ceterum in rebus necessariis quambrevissime loqui opus est. Quamobrem residuum mandati hujus, quod a Senatu nobis injunctum est, subire dignum: Tradite itaque nobis urbem vestram, & aliam inde quocumque libido fert octoginta stadiis a mari distantem vobis condite; hanc enim, quam incolitis, evertere in animo est. & mox Hanno, post alia multa, respondit ad Consules, *Quid Carthaginem metuere ulterius opus est, quum arma, naves, elephantos, quibus omnes adeo invident, ipsi teneatis? De habitatione autem, etsi id deprecari fas est, hoc certe admirandum videtur, homines mari assuetos ad mediterranea velle traducere, quorum infinita multitudo in mari operatur.* &c. *Hæc Hanno. Iterum Censorinus: Hoc mare, quod vobis adest, principatus & potestatis antiquæ memores continue extollit, & ad rapinas invitat, & ab illis in has deducit calamitates. Siciliam quum per ipsum aggressi essetis* &c. *Sic enim in mari degentibus a natura datum est, ut aliquid majus sempper affectent ob operum opportunitatem, celeritatemque vehendi; quod & Athenienses* &c. *Et ipsi mediterranei quodammodo effecti: quæ res plurimum illis salutis attulit: stabilior quippe in mediterraneis vita est, o Carthaginenses, agricultura scilicet solicitudoque laborum. Minora fortasse lucra: firmiora certe, & periculorum expertia multo magis quæ ab agricolis, quam quæ a negotiatoribus solent experiri. Omnino mihi civitas, quæ in mari sita est, navi magis quam terræ assimilis videtur esse, magnam in se negotiorum continens fluctuationem.* &c. *Ad Libyam vestram referte oculos. Cuicumque finitimi esse volueritis, per nos licebit fore, ut obstantem aliquando vobis aspectum, memoriamque malorum, quæ adeo moleste fertis, possitis avertere; ne, quum mare scaphis vacuum intueamini, continuo navium multitudinem, quæ vobis adesse consueverat, cogitetis; aut spoliorum quæ abstulistis, aut portuum in quos adeo superbe delati estis, recordemini.* &c. *Sin principatui syncere ceditis, nec verbo magis quam animo dicitis, educite quæ vestra sunt, nulla excusatione proposita: promittite inquam, & opera ostendite, & in eam quam tenetis Libyam habitaturi concedite, ab hoc mari longe distantem: neque excusationem addideritis.* &c. *Ceterum sunt vobis mercenarii plurimi mari degentes. Hoc quidem notissimum nobis est, quam libenter mari cunctamini. Dispositionem igitur locorum, & electionem quam amplissimam habetis: non enim procul a mari incolere, sed per octoginta stadia abesse imperamus. Nos quippe qui hæc edicimus, per centum stadia distamus a mari.* &c. Quibus ad desperationem acti *Carthaginenses*, bello, defensionique civitatis, & armorum fabricationi se se parant, vel edicto rasis mulieribus, ut capillis earum funes arcubus & balistis conficerent; tanti facientes, maritimam habitationem & litoralem urbem transferre per octoginta stadia procul a mari ad mediterraneam regionem. Non igitur *Sena*, quam maritimam ponit *Polybius* in ora maris Adriatici simul & in extremitate planitiei, quam mare terminat, potest ab historico dici *Cæsena*, quæ mediterranea est longe distans a litore maris per octoginta stadia. *Polybius* in hanc sententiam inquit etiam, (*i*) *Sequuntur Etrusci, & qui hos contingunt Umbri, dictorum montium latus utrumque inhabitantes: dehinc Apenninus, distans a mari Adriatico circiter sexaginta duo millia passuum, & quadringentos, relictis campis deflectit ad dexteram, & mediam Italiam secans, ad Siculum mare pertinet: campi vero, quos relinqui dicebamus ab Apennino in hoc latere, ad mare pertingunt, & urbem Senam.* Certe semper *Senam* ad mare ponit *Polybius*, si vero *Sena* foret *Cæsena*, quæ mediterranea est procul a mari distans octoginta stadiis, non autem *Senogallia*, quæ situm habet in litore maris Adriani; campi non recte dicerentur ab eo latere pertingere ad mare, & ad urbem *Senam*; quum excurrant ultra *Cæsenam* ad mare distantius, non exiguo intervallo. Constat id ipsum apertissime pariter ex alio *Polybii* loco, quem affert ipse Cl. *Scipio* dicens, *Alia postrema ratio ex Polybio ducitur, si Eutropii dictum jungatur, quæ planissimam pariter sententiæ meæ reddat veritatem: Polybius ergo hæc scribit*, (*k*) [*Hic M. Curius Consul statim legatos in Galliam ad redimendos captivos mittit; qui quum eo pervenissent, violato jure gentium a Gallis interficiuntur. Quo scelere indignati acriter Romani novo delectu habito penetrare in Galliam aggrediuntur. Sed parum processum erat, quum eis Senones occurrunt. Hos collatis signis e vestigio aggressi superant: magnam partem interficiunt: si qui superfuerunt, sedibus fugant, regione potiuntur: novam ipsi in urbem Coloniam inducunt. Eam veteri nomine quod primo a Gallis habitata fuerat, Senam appellant. Est autem ea urbs, quemadmodum supra memoravimus, in litore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ terminantur.*] *Hæc Polybius: cum quibus jungo, quæ dicit Eutropius de strage exercitus Asdrubalis ad Metaurum, verba sunt:* [*Fuit hoc prælium penes Metaurum fluvium, ubi Asdrubal victus est: ut Trasymenus lacus, ubi exercitus Romanus: ut Cæsena Piceni civitas, ut vicus ille Cannensis.*] *Cladem ergo exercitus Asdrubalis Eutropius cum tribus exercituum stragibus comparat, quæ ad Trasymenum, quæ ad Cæsenam, quæ ad Cannas: Insignem itaque is aliquam stragem penes Cæsenam accidisse significat: at quum nullam in tota antiquitate copiarum occidionem apud Cæsenam reperiamus, præter memoratam a Polybio ad Senam, qua Senonum nobilis natio, & Romæ expugnatione celebris, extincta est: fateri oportet eandem urbem Senam a Polybio dictam quæ Eutropii temporibus (ut nunc etiam) Cæsena vocabatur.* Ego vero ex his aperte deduco *Senonum Senam*, de qua *Polybius*, & *Eutropius* agit, non esse *Cæsenam*, sed *Senogalliam*. In primis *Polybius* ait, *Senam* istam *Gallorum Senonum* sitam esse in litore maris Adriatici, ubi campi *Italiæ* terminantur; modo *Cæsena* sita non est in litore maris, ubi camporum terminus est; sed mediterranea distat a litore maris octoginta ferme stadiis, & campi non terminantur ad urbem *Cæsenam*, sed ulterius excurrunt ad mare per decem fere millia passuum: At in litore maris est sita *Senogallia*. Deinde locus *Eutropii* nullam habet relationem ad ista dicta *Polybii*; namque *Polybius* agit de bello, quod adversum *Senones* gessit exercitus *Romanus* Consule *M. Curio*: sed *Eutropius* tractat de strage *Asdrubalis* illata a Consulibus Cl. *Nerone*, & *M. Livio*; verba sunt Eutropii, (*l*) *Deinde desperans Annibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri, fratrem suum Asdrubalem ad Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is Ap. Cl. Nerone, & M. Livio Salinatore Coss.* ex

(i) l. 2. c. 16.

(k) l. 2. c. 19.

(l) rer. Rom. l. 3.

A *ex Hispaniis per Gallias ad Italiam veniens, magna secum auxilia Hispanorum Gallorumque sumpta deduxit. Et quum maturato adventu descendisse jam ex Alpibus Consulibus proditus fuisset, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, apud Metaurum fluvium in insidias compositas incidit: strenue tamen pugnans occisus est.* Quare non eadem pugna fuit, quæ citatur ab *Eutropio* cum clade *Senonum* a *Polybio* numerata. Deinceps *Polybius* nullam mentionem *Asdrubalis* habet, sed tantummodo *Gallorum Senonum: Eutropius* autem de clade *Asdrubalis* agit, quem in illo prælio veluti summum Imperatorem agnoscit, cui *Galli* forent auxilia- B rii; quare non debuerat a *Polybio* sileri, ac solum *Senonum* ratio mentioque neglectis *Pœnis* haberi, si de strage loquitur, quam recenset *Eutropius*. Insuper si comparat *Eutropius* cladem exercitus *Asdrubalis* cum tribus exercituum stragibus, quæ ad *Trasymenum*, quæ ad *Cæsenam*, quæ ad *Cannas*, ut ait ipse Cl. *Scipio:* jam eadem esse clades non potest *Asdrubalis* ab *Eutropio* relata cum clade ad *Cæsenam;* idem enim cum semetipso comparari nequit; sed comparatio semper est inter diversa. Præterea ratio Cl. *Scipionis* paralogizat aperte tum ex ignotis procedens cum evidenti petitione principii, tum ex negativa propositione colligens affirmativam con- C clusionem; & insuper falso nititur fundamento: nulla reperitur occisio copiarum, inquit, in antiquitate præter memoratam a *Polybio* ad *Senam;* ergo fuit illa, quam memorat Eutropius ad *Cæsenam:* si non reperitur; an non fuisse potuit, etsi a Cl. *Scipione* non reperta in antiquorum monumentis? nonne multarum cladium memoriæ perierunt; Sed & ad *Cæsenam*, præter memoratam a *Polybio* ad *Senam*, si memorat *Eutropius;* quomodo colligatur, eandem cladem esse ad *Cæsenam Eutropii*, & ad *Senam Polybii*, nulla ratione video. Ceterum *Eutropius* ipse declarat alibi *Romanos* in *Piceno*, adeoque ad *Cæsenam*, ingenti clade non semel hostes confe- D cisse; præter *Asdrubalis* victi pugnam; ait enim primo (*m*) [m lib. 2.] de bello Samnitico, *Anno ab V. C. quadringentesimo vigesimo sexto jam Romani potentes esse cœperant. Bellum enim in CXXX. fere milliaria ab Urbe gerebatur apud Samnitas, qui medii sunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam.* & mox, *Populus Romanus Samnitas invadit. L. Papyrius Cursor cum honore Dictatoris ad bellum id profectus est: qui quum Romam redisset, Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret. Ille occasione reperta felicissime dimicavit, & viginti millia Samnitum delevit.* & paulo post, *Posteriore anno jubente Senatu infringunt Romani firmatam cum Sammi-* E *tibus pactionem, eosque in bellum cogunt. Quod Papyrio Cos. insistente commissum magnas strages utriusque populi dedit; quum hinc ira recentis infamiæ, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes instimularent: tandem Romani pertinaciter moriendo, nec cædi pariter, nec cædere destiterunt, nisi posteaquam victis Samnitibus, & capto Duci eorum cum septem millibus jugum reposuerunt.* Quid prohibet alteram ex his cladibus, aut utramque prope *Cæsenam* in *Piceno Samnitibus* contermino contigisse? Quid vetat eo loci stragem aliam habitam, de qua postea tractat *Eutropius* agens de bello so- F ciali (*n*) [n l. 5.] dicens? *Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Samnites, Lucani, quum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Servium Prætorem legatum ad se missum apud Asculum occiderunt, statimque clausa civitate omnes Romanos cives indicta cæde jugularunt.* & mox, *Cn. Pompejus Picentes gravi prælio fudit: qua victoria Senatus laticlavia & cetera dignitatis insignia recepit; quum togas tantummodo victoria Cæsaris primo respirante sumpsisset. Portius Cato Prætor Etruscos, Plotius Legatus Umbros, plurimo sanguine impenso, & difficillimo labore vicerunt.* & mox, *Eodem die Picentes congressi & victi sunt.* Ut jam multæ strages memoratæ sint antiquitus a *Romanis* habitæ de *Picenis*, & *Umbris*, quæ prope *Cæsenam* factæ fuerunt. Quamobrem *Eutropius* in allato antea loco comparat tum prælium, quo victus est *Asdrubal Pœnus* cum *Gallis* apud *Metaurum* fluvium a *Romanis Ap. Claudio Nerone*, & *M. Livio Salinatore* Consulibus, cum eo quo viceversa victi fuere *Romani* ad lacum *Trasymenum:* tum etiam quo pugnatum est a *Romanis* apud *Cæsenam*, sive deletis *Samnitibus Piceno* conterminis a *Q. Fabio Maximo*, *Papyriove:* sive destructis *Picentibus* a *Cn. Pompejo:* sive cæsis *Umbris* a *Plotio*, cum ea pugna, qua victi fuere *Romani* ad *Cannas*. Nec omittendum est, *Polybium* dicere *Senam* illam pridem a *Gallis* habitatam, iis eversis relicto sibi veteri nomine, factam fuisse novam Coloniam a *Romanis:* at vero *Plinius* in octava regione *Cæsenam* (*p*) [p lib. 3. c. 15.] ponit inter oppida, non inter Colonias, ut antea vidimus. Sic igitur ex *Polybio* constat, *Senam* a *Senonibus Gallis* conditam & habitatam, non esse *Cæsenam*, sed *Senogalliam* nuncupatam. Quin & *Silius Italicus* exercitum *Asdrubalis* memorans his versiculis,

Pœnus inundavit campos, qua Sena relictum
Gallorum a populis servat per sæcula nomen.

de *Sena* loquitur ad *Metaurum* sita, quæ *Senogallia* est, non *Cæsena;* siquidem *Asdrubal* ex Alpibus exercitum primo duxit ad *Metaurum*, ubi cæsus est; quod aperte fatetur *Eutropius* inquiens, (*q*) [q l. 5.] *Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus fuerat, rursum res inclytas gessit: Regem Hispanorum magno prælio victum in amicitiam accepit: & primus omnium a victo hoste obsides non poposcit. Deinde desperans Annibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri, fratrem suum Asdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit: Is Ap. Cl. Nerone, & M. Livio Salinatore Coss. ex Hispaniis per Gallias ad Italiam veniens, magna secum auxilia Hispanorum Gallorumque sumpta deduxit: & quum maturato adventu descendisse jam ex Alpibus Consulibus proditus fuisset, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, apud Metaurum fluvium in insidias compositas incidit, strenue tamen pugnans occisus est:* Si ergo statim ex *Alpibus* apud *Metaurum* descendit; jam ad *Senogalliam Metauro* propinquam, non ad *Cæsenam* ab eo flumine quinquaginta fere millia passuum distantem exercitum habuit. Idipsum apparet ex Livio, (*r*) [r lib. 27.] cui *Ad Senam Castra alterius Consulis erant:* nempe Salinatoris: *& quingentos ferme passus Asdrubal aberat.* & mox. *His anxius curis* Asdrubal, *extinctis ignibus, vigilia prima dato signo, ut taciti vasa colligerent, signa ferri jussit. In trepidatione & nocturno tumultu duces parum intente asservati, alter in destinatis jam inde ante animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen transnavit. Ita desertum a ducibus agmen primo per agros palatur: fessique aliquot somno & vigiliis sternunt corpora passim, atque in frequentia relinquunt signa. Asdrubal, dum lux viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri jubet: & per tortuosi amnis sinus flexusque quum errore abiens haud multum processisset, ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat: sed quum quantum a mari abscederet, tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inveniret vada, diem terendo, spatium dedit ad insequendum se se hosti. Nero primum cum omni equitatu advenit.* Sic igitur *Asdrubal* prima vigilia ducens exercitum a statione circa *Senam* per *Metauri* ripas, in quibus totam noctem erravit, non longe potuit ab eo fluvio vallum habere; quum autem *Metaurus* a *Cæsena* di-

distet quinquaginta millia passuum, a *Senogallia* vero solum tresdecim millia passuum; jam certo certius est, *Senam*, ad quam erant castra *Romani* Consulis, a quibus quingentos ferme passus aberat *Asdrubal*, non fuisse *Cæsenam*, sed *Senogalliam*; etenim exercitus *Asdrubalis* cum impedimentis, armorum, vasorumque collectorum, ignarus viarum, & a ducibus itineris desertus, vix toto triduo solido potuisset quinquaginta millia passuum viam conficere, nedum paucis horis.
ſ pag. 16. Nec accipi potest Cl. *Scipionis* (*ſ*) assertio, tum quod *a Cæsena ad Metaurum sit iter commodum & facile unius diei artificialis; quam viam ipse confecerit equo non currenti, sed gradienti spacio duodecim horarum; ut Asdrubal, cujus iter simile fugæ erat, non difficile potuerit totius noctis profectione, eaque rapida accedere ad Metaurum.* nam & *Asdrubal* ripam fluminis tenuit ingruente nocte, dum lux viam ostenderet; quare prima vigilia castra movens, paucis horis a vallo latus est ad ripam fluvii. Deinde non est comparandus in celeritate securus eques interdiu sine impedimentis iter agens *Scipio* cum exercitu meticuloso, magna ex parte pedite noctu fugiente vasis & armis onusto; viarum sciens cum itineris inscio; unus cum infinita multitudine: tum quod *non difficile potuerit totius noctis profectione, eaque rapida accedere ad Metaurum, & elabi per vada ejus nota peritus locorum dux:* quia non solum ad fluminis ripas tam cito pervenisse dicit Historicus ducem locorum peritum, sed etiam exercitum totum *Asdrubalis* duce destitutum, & imperitum itineris: tum quod *non certo eliciatur ex Livii verbis utrum prima an secunda nocte ad Metaurum pervenerit Asdrubal, duxque Metaurum tranaverit: at a ratione impelli nos ut credamus secunda potius nocte pervenisse: quum Asdrubal prima vigilia tacite fugam arripuisset, non nisi sequenti die, alteque jam Sole Romani potuerint ejus abitum explorare, ut illius discessus horum insecutionem decem saltem horis præcesserit* &c. quasi *Romani* non habuissent exploratores, a quibus de hostium abitu certiores fierent: quasi magnus exercitus campos inundans, vicinus ad quingentos passus, tumultuans, non debuerit a *Romanis* in silentio noctis exaudiri: quasi tanto exercitui viarum ignaro, ducibus destituto, plurimis gravibus peditibus conflato, vasis, armis & impedimentis aliis præpedito suffecerint horæ vigintiquatuor ad quinquaginta millia passuum conficienda: quasique *Livii* verba clarissime non determinent unius noctis tempus, dieique nullius intermediæ mentionem habeant: quasique nocte solida potuerit exercitus iter sexaginta stadiorum transgredi, & quinquaginta millia passuum quatuor etiam diebus totidemque noctibus ignarus viarum metiri; nam Plutarchus in *Camillo Scipioni* reclamat ajens, *Brennus recte sentiens, statim non cæsis multis, Celtas ad castra deducit Noctu dato signo ut taciti omnes vasa colligerent, urbem reliquit, & iter sexaginta stadiorum profectus, haud longe Sabina via consedit. Post quam dies illuxit, Camillus egregio cum exercitu Brennum petit, secum Romanos tunc magna audacia fretos habens; & quum jam diu fortiterque pugnatum esset, Gallos fundit fugatque.* Sic *Asdrubal* a *Cæsena* ad ripas *Metauri* stadia quadringenta vix quinque diebus cum exercitu fecisset: quare non a *Cæsena*, sed a *Senogallia* movit: tum quod *recessisse a Sena Asdrubalem ut ad fratrem proficisceretur, disertis verbis Appianus testatur; quumque Senogallia sit ultra Metaurum ortum versus nonaginta stadia: & ea orientalior adhuc Apulia, non potest pergenti ab ea civitate in Apuliam Metaurus occurrere; adeoque non potest impedire iter, aut retardare:* quasi *Senæ* mentionem ullam fecerit *Appianus*, ex qua rece-

A dere fratrem jusserit *Annibal*, & ad se in *Apuliam* accedere; sed solum ex *Hispaniis* eum in *Italiam* evocasse memorat verbis ipsissimis in *Hispaniensium* bellorum libro; dicit enim, *Asdrubal vero Amilcaris filius, qui militibus ad Oceanum Septemtrionem versus conscribendis intentus erat, a fratre Annibale accersebatur, & flagitabatur, ut quam primum in Italiam transiret: ut igitur id clam Scipionem haberet, per Pyrenæos montes, qua magis Septemtrionem spectat, cum iis quos collegerat Celtiberis, iter fecit. Atque hoc pacto Romanis id ignorantibus, Asdrubal magnis itineribus in Italiam contendit:* nec uspiam *Appianus* de evocatione
B *Asdrubalis* a fratre ex urbe *Sena* in *Apuliam* verba fecit. Quasi etiam *Asdrubal* vel intra *Metaurum* & *Senogalliam* castrametatus, dum primario fine studet evitare *Romanorum* occursum, non recte tentaverit fluvium tranare, ac ita secundario fine, si non breviori via, saltem tutiori ad fratrem in *Apuliam* contendere. Fugiebat *Asdrubal* a *Senogalliæ* finibus, primo quidem ut evidens & imminens sibi periculum ab exercitu *Romano* declinaret; quare medium flumen interponere volebat velut impedimentum hostibus; a quibus maritima loca tenentibus procul in mediterranea digressus, adeoque securus postea ad orientalis ri-
C pam mediterraneam, a *Romanis* non obsessam, & inde recta in *Apuliam* ad fatrem tendere, qui posterior erat finis illius abitionis. Ceterum quis afferat castrorum eam non fuisse positionem, ut *Romani* tenerent plagam orientalem *Metauro*, *Senogalliæ* viciniorem: *Pœni* vero plagam occidentalem amnis, qui medius inter duos exercitus laberetur? Sic enim *Pœni* fugientes ad amnis altiora loca transeunda, simul & ab hostibus abscedebant, & ad *Annibalem* trajecto flumine recta contendebant a *Senogalliæ* locis in *Apuliam*. Verum, ut dicebam, falso ponitur iter quinquaginta milliarium, seu quadringentorum stadiorum,
D esse commodum & facile decem horarum; quod ait ipse *Scipio* se confecisse per equos gradientes, non currentes fides sit penes autorem: ego certe secus expertus fui rem aliter se habere. Dein *Asdrubal* in crepusculo vespertino, vigilia prima fugam arripuit, vel potius fugienti similis exercitum movit; & incerta illa luce paucis horis ad ripam fluminis pervenisse dicitur, *dum lux viam ostenderet:* quare fluvius parum admodum aberat a vallo *Pœnorum*, qui propterea prope *Senogalliam* tresdecim milliaribus a *Metauro* distantem, aberant multum a *Cæsena*, quinquaginta milliaribus ab eo flumine sejuncta. Præte-
E rea metus fugæ trepidantis comes assiduus, etsi cursum ab initio celerem facit, juxta dictum, *timor pedibus addidit alas;* brevi tamen fatiscentibus viribus, trepidatio fugienti tarditatem ingerit, *Che per troppo spronar la fuga è tarda:* quotidianisque constat experimentis, hominem securum iter æquo passu facientem breviori tempore pervenire ad metam distantem, quam metu fugiens, qui primis milliaribus fatigatur. Amplius *Asdrubal* ab hostibus abiens non equites tantum, sed & pedites habebat plurimos, omnes viarum ignaros, armis & aliis impedimentis onustos; quos impossibile prorsus est ad viginti & plures
F etiam diurnas horas, nedum ad multo pauciores, & nocturnas quadringenta stadia confecisse a *Cæsena* ad *Metaurum*. Insuper noctem totam consumpsit *Asdrubal*, non iter faciens a castris ad amnem, sed a fluvii partibus ostio proximis ad altiora riparum loca versus fontem; erroremque obiit per flexus tortuosi fluminis breve mensus iter; & frustra quærens nocte tota vadum exercitui. Nec ex *Livii* verbis incertum est, *Asdrubalis* exercitum prima nocte ad *Metauri* ripam per-

pervenisse, sed evidentissimum; etenim ait, *Asdrubalem*, dum lux viam ostenderet, hoc est vespertino crepusculo, ripa fluminis signa ferri jussisse; ac totam noctem oberrasse per flexus amnis tortuosi, transiturum ubi prima lux opportunum transitum ostendisset. Nam recedens a *Cæsenæ* locis prima vigilia noctis, nonne ridiculus esset Imperator, qui primo illo crepusculo signa ferri juberet ripa fluminis inde per quinquaginta milliaria distantis? nonne prima lux a præcedente crepusculo vespertino statim oritur post primam noctem? Neque *Romani* tam socordes erant, & negligentes, ut exercitus vicini ad quingentos passus assidue per exploratores acta non investigarent, adeoque recessionem etsi nocturnam, statim non agnoscerent. Immo vero neque tantus exercitus, qui campos inundabat multis equitum & peditum millibus, adeo tacite noctu fugere potuit, quin a vicinis adeo *Romanis*, saltem vigilibus excubias facientibus persentiretur. Neque fugientes, fugientibusve similes *Pœnos* armis, & sarcinis onustos vasis collectis, expeditiores *Romani*, relictis intra vallum omnibus impedimentis, equitatu *Neronis* velocissimo non brevi tempore potuerunt assequi, saltem initio proximæ diei, ut puta gnari viarum ignaros, atque destitutos ducibus itineris per ignota loca: quorum alter abdidit se in latebris, alter *Metauri* nota sibi vada transnavit. Neque *Pœni* noctu, per ignota loca, ducibus destituti, vel duodecim horarum nocturnarum intervallo multum itineris agere potuerunt, quin a *Romanis* in aurora saltem eorum fugam percipientibus insecuti brevi temporis intervallo procul adhuc a *Metauri* ripis assequerentur: etenim *Romani* nocte somno refecti, fugientes *Pœnos*, noctem insomnem cum metu trepidationeque ducentes, onustos impedimentis, die secunda tardiores ad fugam, ut puta vigilia, somno, laboreque fessos, ipsi robusti ac celeres ad insequendum, ipso diei secundæ principio parum itineris emensos assequi debuerunt. Neque *Salinator* cum Legionario, & gravi pedite secutus hostem, integrum diem primum, & noctem alteram sine quiete ducere potuit exercitum, qui promptus esset ad hostes ulterius fugientes insequendos, & ad pugnam cum desperatis repugnantibus ineundam. Contra tamen *Livius* addit (quæ callide *Scipio* siluit) *Nero primum cum omni equitatu advenit. Porcius deinde assecutus cum levi armatura. Qui quum fessum agmen carperent ab omni parte, incursarentque; & jam omisso itinere, quod fugæ simile erat, castrametari Pœnus in tumulo super fluminis ripam vellet: advenit Livius peditum omnibus copiis, non itineri modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis, armatisque.* si namque totam diem primam, & noctem sequentem consumpsissent sine quiete persequentes *Pœnos Romani* Legionarii pedites armis onusti, certe postera die non essent instructi & itineri continuando contra fugientes, & ad conserendum prælium extemplo contra repugnantes; at ideo sic instructi erant, quia parvam itineris viam emensi fuerant a statione prope *Senogalliam* ad ripas *Metauri*, ad quas *Pœnos* assecuti fuere prima die post noctem fugæ, ac erroris eorum circa flexus illius tortuosi fluminis. Neque majoris firmitatis est, quod ad simile propositum infra refert Cl. *Villanii* relatu *Claramontius* inclytus inquiens, *Considerent nunc Scriptores Ariminenses, utrum Cæsarianæ celeritati* (*s*) *adeo repugnaret decem circiter milliaria intervallo duarum horarum absolvere, quum Livius lib.* XXVII. *scribat Philippum Macedonum Regem uno die milliaria amplius 60. contendisse &c.* non solum quia notatu Cl. Viri Jacobi Villanii in suo Ariminensi Rubicone, (*t*) *Repugnat a Pissatello Ariminum intra crepusculorum spatium pervenire: non sunt enim decem circiter milliaria; sed duo de viginti, ut supra demonstravimus, & cunctis patet. Noto viri perpetuam (ut libet) in rebus discrepantiam, crepusculum namque dilatat ad duas horas: iterque Cæsena Ariminum restringit ad circiter tantum duodecim millia passuum.* verum etiam quia *Livius* in libro citato vigesimo septimo nusquam habet *Philippi Macedonis* exercitum unica die sexaginta milliaria confecisse; quod nullo pacto fieri potest: nam in oppositum & *Plutarchus* in *Camillo*, & ante *Plutarchum Livius*, contestantur, *Brennum Gallorum* ducem cum exercitu fugientem vix octo milliaria totam noctem superasse, *Ceterum*, ait ille, (*v*) *Brennus confestim ad se reversus, paucis desideratis in castra Gallos reduxit. Nocte excitatis omnibus excessit urbe, progressusque ad octavum lapidem via Gabina, castrametatus est. Simul atque diluxit, instituit ei Camillus fulgentibus armis, cum exercitu tunc animi pleno, commissaque ad multum diei acri pugna*, Gallos *ingenti cæde fudit, fugavitque; cepit & castra eorum.* Livius idem prius dixerat, inquiens, (*x*) *Igitur primo concursu haud majore momento fusi Galli sunt, quam ad Alliam vicerant. Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via, quo se ex fuga contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur. ibi cædes obtinuit: castra capiuntur, & ne nuncius quidem cladi relictus.* Itaque *Sena Gallorum Senonum* fuit *Senogallia*, non autem *Cæsena*. Quod etiam confirmat aperte *Ptolemæus*, qui vel notatu Cl. (*y*) *Scipionis* collocat *Senonum* sedes non ultra *Rubiconem* ad occasum, sed inde ad ortum, nimirum inter *Anconam* & *Rubiconem*; quum *Cæsena* sit ad occasum *Rubiconis*, inter eum & *Ravennam*. Itidem *Cato* in Originibus, *Gallia*, inquit, *Flaminia a Ravenna ad Ariminum a comitibus Herculis conditum, a quo cognominatur. Ab eo ad Anconam Senogallia, a Senonibus dicta pulsis Etruscis, nunc Gallia Togata.* Quibus attestatur Sempronius asserens, *Flaminia a Bononia ad Rubiconem amnem, antea Felsina a Principe Etruriæ missis Coloniis Lemonibus a Rubicone ad Anconam Senonum Gallia Togata dicitur.* His adstipulatur Plinius, cui *Ab Ancona Gallica ora incipit Togatæ Galliæ cognomine.* Quum *Cæsena Rubiconi* sit ad ortum versus *Ravennam* inter eam & *Ariminum*, ac inter eam & *Rubiconem*. Nec obstat, quod addit Cl. Scipio, *Statuendum esse Senones ad occasum etiam Rubiconi resedisse, idque Plinium aperte monstrare, qui eos in octava regione Italiæ collocat, eamque Arimino, Pado, & Apennino terminat inquiens* [*octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino:*] *postea ad calcem capitis subjungit* [*In hoc tractu interierunt Boji, quorum Tribus centum duodecim fuisse autor est Cato. Item Senones, qui & ceperunt Romam:*] tum quia *Plinius* collaudat testimonium *Catonis*, qui *Senones* ponit ab *Ancona* ad *Senogalliam*; tum quia *Plinius* dum (*z*) ponit *Gallos* pulsis *Etruscis* una cum *Senogallia*, *Æsi*, *Metauro* in sexta regione, non potuit sibi contradicere paulo post, & eos collocare in octava. Sed per tractum, in quo interiere *Boji*, & *Senones*, non intelligit, ut antea quoque signavi, *Plinius* octavam regionem tantum, de qua speciatim in eo capite, verum totam illam terræ plagam, in qua tum *Boji* regionem octavam habitantes, tum *Senones* sextam possidentes: in epilogo enim regionum pluribus capitibus explicatarum non continentur solum in extremo capite narrata, sed in omnibus: tum quia major est autoritas *Catonis*, cujus testimonio *Plinius* utitur, quam *Plinii*, si *Plinius* diversa sentiret: *Cato* namque vicinior ævo *Gallorum* certiorem notitiam illorum habuit.

s App. par. 2.
t pag. 145.
v Plut.
x lib. 5.
y pag. 13.
l. 3. c. 15.
z l. 3. c. 14.

Minus obstat, quod additur ex *Livio* dicente *Senones* ab *Usente flumine ad Athesim fines habuisse*: tum quia *Sigonius* hunc locum esse corruptum ostendit, & legendum esse, ut habetur in veteribus codicibus *ab Utente*, sive *ab Vite flumine ad Æsim*; quum *Vitis* fluvii meminerit *Plinius* in iis locis: tum quia *Boccatius*, præter *Usentem Volscorum* ad *Terracinam*, qui labitur in *Tiberim*, alium cognominem fluvium agnoscit in *Gallia Cisalpina*, inter quem & *Athesim* ponit non *Senones*, at *Hisesones*, qui *Romanos* apud *Alliam* expugnavere; quare mendum & ipse notat in *Livii* codice pro *Senonibus Hisesones* restituens: tum maxime, quia quum *Cæsena* sit antiquissima, non potuit esse a *Senonibus* condita nisi primo tempore, quo *Tuscos* ex *Umbria* pepulere, dum primam stationem habuerunt inter *Anconam* & *Senogalliam*: nam si ab *Usente* ad *Athesim* ditionem auxere, multo postea id factum fuit, quam *Sena* condita fuerit. Et revera *Cato*, cui *Senones* imperium suum prius ab *Arimino* ad *Anconam* terminatum habuerunt, in quo *Senogallia* locatur, ab eis denominata; licet ii postea dicantur dominium ampliasse; tamen *Cato* testatur *Senogalliam*, quæ in primo dominio situm habet inter *Anconam* & *Ariminum*, exclusa regione *Cæsenæ*, a *Senonibus* denominatam, pulsis *Etruscis* ex ea regione, quæ (*a*) *Plinio* sexta fuit, non autem octava, in qua *Cæsenam* (*b*) ponit. Sed in imperio posteriore dilatato a *Senonibus* ultra regionem illam priorem nullus asserit antiquorum fuisse *Senam* a *Senonibus* denominatam. Amplius autem *Senonum* regia prima si fuisset *Cæsena* contra distincta a *Senogallia* posterius ab iisdem denominata: Certe *Cato* non omisisset principalioris *Senæ* denominationem, habita ratione solius *Senogalliæ*. Neque parum a mente *Catonis*, & *Sempronii* abest eos respexisse tempora posteriora *Senonum*, quibus *Senogalliam* condiderant, non item priora, quibus *Cæsenam* tantum ædificaverant; quod absque probatione Cl. *Scipio* gratis accipit; namque *Sempronius* & *Cato* loquuntur de *Gallia Togata Senonum*, quæ terminum habebat a *Rubicone* ad *Anconam*, intra quos terminos *Cæsena* non est. Itaque *Cæsena* vetustior est non solum ampliatione imperii *Senonum*, sed etiam irruptione *Senonum* in *Italiam*, quæ a *Flavio Papio Tuscorum* rege nondum *Alpibus* a *Gallorum* natione superatis *Flavia Papia* cognominata fuit; quod & in D. *Severi* vita, & in manuscripto veteri *Cæsenatium* legit ipse (*c*) *Scipio*: qui dum tantæ antiquitati fidem non oppignerat, Patriæ, cujus decora refert in *Senonum* ædificationem ac regiam, majora detrahit, ut dicebam antiquitatis ornamenta passim a Classicis autoribus celebrata, qui eam urbem vetustam, & civitatem antiquam salutant; frustraque apud viros doctos veteri manuscripto, quod fortassis ante typographiam exaratum fuit, suam conjecturam nulli veterum testimonio firmatam de *Cæsa-Sena* in *Cæsenam* mutata præferre conatur. Et certe mirum est, quum ipse suam conjecturam dubio plenam fateatur, inquiens, (*d*) *Accisio forte & excisio Senæ novo nomini occasionem præstitit, quasi scilicet Cæsa-Sena tum diceretur, in Cæsenam duæ voces coaluerint*: eam anteponere non dubitasse tum manuscripto veteri civitatem hanc anteaquam *Galli* venissent in *Italiam* sub *Etruscorum* imperio vocatam *Flaviam Papiam* a *Flavio Papio Tuscorum* Rege, qui Coloniam fecit: cui scripto vel ipse magnam inesse probabilitatem fatetur: tum scripto Divi *Severi* Vitam continenti, in quo legitur antiquum civitatis nomen fuisse *Flaviam Curvam Papiam*: ut ipsemet Cl. *Scipio* non (*e*) diffitetur. Sed & quum omnes historici veteres unius tantummodo *Senæ* meminerint a *Senonibus Gallis* ædificatæ, deque suo nomine nuncupatæ tum *Senam*, tum *Senogalliam*, tum etiam *Senam gallicam*, ut antea visum est; nemoque fuerit, qui duas a *Senonibus* olim *Senas* in *Umbria* conditas, & cognominatas a se dixerit unquam: *Scipio* solus id propria fretus autoritate sancire sibi fas esse duxit in historia, gratis asserens, (*f*) *Florentes ergo Senones amplitudine imperii, & rerum gestarum gloria interim quiescebant, captaque loca cultu exornabant, & ædificiis. Montes Pisauri, atque Anconæ mari imminentes duo promontoria efficiunt, inter quæ jacet æquata planities quadraginta milliarium. In ejus medio ad mare novam civitatem excitaverunt, deque sui nomine vocavere: verum ad differentiam prioris, & ad gloriam gentis, non Senam tantum, sed Senogalliam dixerunt.* Quæ pari facilitate negantur, qua sine probatione voluntarie proferuntur.

a l. 3. c. 14.
b c. 15.
c l. 4. pag. 155. 156.
d pag. 126.
e pag. 155.
f pag. 50.

FINIS.



I N-

INDEX MEMORABILIUM.

A.

B.

C.

Ufens

FINIS.



SIMEONIS CLARAMONTII
Cæſenatis
CONTENTIO APOLOGETICA
DE
CÆSENA TRIUMPHANTE,

Adverſus FORTUNII LICETI oppoſitiones;
In qua defenditur Patriæ Hiſtoria, fideliter conſcripta à præſtantiſſimo Patre ſuo, Equite
SCIPIONE CLARAMONTIO,

In Duos Libros diviſa;

Quorum *Prior* affirmat CÆSENAM primam SENONUM fuiſſe ſedem;

Poſterior probat *Columnam Annulorum*, ſeu *Hoſpitalitatis*, nunquam CÆSENÆ, ſed BERTINORI fuiſſe.

In Lucem edidit

D. ARCHANGELUS A GALEATA,

Ad Illuſtriſſimum Dominum Comitem Equitemque

THOMAM MARIAM MARTINELLI.

Ex Italicis *nunc primum* Latine *prodit*, *Præfatione & Indice adjectis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
LECTORI SALUTEM.



cipio Claramontius, *Eques* Cæſenas, *quum Patriæ ſuæ edidiſſet Hiſtoriam luculentam, eaque multum cives ſuos demeruiſſet, Vir, nobilibus quoque aliis ſcriptis clarus, Adverſarium ſententiæ ſuæ invenit haud ignotum Antiquariis hominem, nec minus editis operibus Illuſtrem*, Fortunium Licetum.

Litem hic Claramontio *præcipuè movit circa* Cæſenæ *veram Originem, fundamenta ſcriptionis ejus convellere conatus. Impugnavit deinde appellationis hodiernæ rationem a* Claramontio *inquiſitam, & denique novam huic Urbi prærogativam ſtuduit tribuere.*

Multis evincere conatus erat Eques Claramontius, *Urbem* Cæſenam *a* Gallis Senonibus *quondam fuiſſe conditam; dum, ſuperatis* Alpibus, *deguſtatisque* Italicæ *beatitudinis deliciis, ſibi habitandam iſtam Terram deſtinarunt. Hinc itaque metuendum* Martiæ Romæ *ferocem produxit* Brennum, *hinc non una vice metuenda* Romanis *terribilium* Gallorum *arma. Negaverat argumentum hoc* Licetus, *nec unquam* Cæſenam Gallorum *fuiſſe* Senam, *illoque antiquitus gaviſam fuiſſe nomine, violente probare anniſus fuerat, ut neque diſtare a* Senogallia *ab Antiquis celebrata, ſed unam eſſe eandemque Urbem, ſemperque, ubi de* Cæſena *mentio occurreret apud Auctores, id de* Senogallia *eſſe intelligendum.*

Inprobaverat inſuper nomenclaturam nominis Cæſenæ, *quam Eques* Claramontius *inde arceſſiverat, quod diruta Urbs* Sena *ab excidio ſuo* Cæſa Sena *vocata fuerit, & dein, ubi reædificata eſt (ut fieri in* Italia *præcipue ſolet) contractiore vocabulo* Cæſena.

Denique aſſeruerat Licetus, *erectam fuiſſe* Cæſenæ *penuria hoſpitiorum Columellam quandam Hoſpitalitatis, ſeu Annulorum, ita dictam, quod primores ex civibus ſinguli ſuum ibi cognoſcerent annulum, morisque eſſet, adveniente hoſpite aliquo, illum excipi ab iſto cive, cujus is eſſet annulus, ad quem in columna hoſpes ille equum ſuum alligaſſet.*

Hac Scriptione, ut inſigni in Patrem Patriamque injuria commotus Si-

meon Claramontius, *Contentionem hanc scripsit Apologeticam, in qua acerbè satis* Licetum *excipit, omnesque ejus auctoritates ad Veterum Auctorum fidem exigit, probatque* Cæsenam *veram (sicut Pater dixerat) Senam esse* Gallorum; *nec improbabile esse, quod Pater de nominis recentioris deductione protulerat; inepte denique* Cæsenæ *affingi* Columnam Annulorum, *quæ soli competat* Bertinoro, *Oppidulo ditionis olim* Cæsenatis, *quum ipsa* Cæsena *tali encomio non indigeat, ab hospitalitate non tantum sed & magnificentia civium suorum in excipiendis maximis Orbis Terrarum viris per omnia Sæcula celebratissima, in quam laudem multum noster Auctor exspatiatur.*

Atque ita, quum & inter Cæteras Urbis hujus laudes celebretur, insigne ibidem exerceri solitum Nobiliorum Hastiludium, videtur Auctor noster Apologeticæ Contentionis suæ formam inde sumsisse. Cernas enim in hoc Opusculo Fortunium Licetum, *tanquam aggressorem, lanceis aliquot, id est argumentis instructum, impugnare sententiam* Scipionis Claramontii, *pro quo, ascenso equo, filius* Simeon *in arenam prodit, ejusque excipit lanceas & retundit ictus. Denique ad Certaminis Judices & Brabeutas venitur, qui damnato* Liceto *palmam sententiæ* Claramontianæ *tribuunt.*

Prodierat hic Libellus quondam Cæsenæ, *ex Typographia* Caroli de Neris, *anno* MDCLX. *cujus paginarum indices cernis in nostra Editione ad marginem adjectas.*



DEDICATIO.

ILLUSTRISSIME, ET PLURIMUM COLENDE DOMINE.



Celeberrimo, illustrissimoque Nomini tuo dedico, & sacro *Cæsenam Triumphantem*, scriptam à felicis memoriæ *Simone Claramontio* Patruo suo, Patronoque meo præcipuo, qui, ut obediret potiùs nutibus Equitis *Scipionis* Patris sui, tantum non editionem jubentis in libello *de sede Cometarum* Lib. II. pag. 134. lin. 19. quàm ostentandi gratia mirandum suum ingenium, relicta orbi numerosa meritorum serie, ditissimoque exemplaris ejus vitæ testimonio, antequam spiritum redderet Creatori, affectu peculiari præsentis operis impressionem mihi commendare voluit, spe opus hoc non tantum immortalem ducturum esse vitam, sed alios insuper ad vestigia, ab ipso in virtutum cursu relicta, sequenda, provocaturum. Debito ergo meo me exsolvens, hoc suscepi onus, dubius & anxius nihilominus, cui hocce opus dicare possem, vel deberem, ut illud à consueta passim objectionum mordacitate in tuto ponerem, tàm grave negotium bene ponderans, æquum duxi tibi multis de causis ipsum consecrare. Primùm, cum mihi innotescat sanguinis conjunctio, quæ jucunditati geniique moribus paribus copulata, reciprocum inter vos gignit amorem; secundò, quia in tui nobilissimi stemmatis Horizonte duæ apparent stellæ, altera resplendens, tamquàm Numen Doctis Tutelare; altera uti Cometa, exaltationi Ignorantiæ funesta: Tertio tandem, quia generositas tua, qua parva donaria magni faciendo, auget Holocausta; & urbanitas, qua benigniter me acceptum habere favoresque Familiæ tuæ mihi impendere dignaris, longè majoris Tributi solutiones requirerent. Verte igitur oculos tuos ad hujusce eruditissimi calami partum, qui in lucem prodiens sub Lauro eximiæ protectionis tuæ, serenitate imperturbatæ pacis fruetur; Interim, ne majori te afficiam tædio, me esse glorior

Illustrissimæ Dominationis tuæ

Humillimum, Addictissimumque servum

ARCHANGELUM GENTILEM.

Cæsenæ die XXII. Decembris MDCLIX.

All' Illustriss. Sig. Co., e Cavaliere

TOMASSO MARIA MARTINELLI,

Essendoli dedicata

CESENA TRIONFANTE,

Del Signor

GEREMIA FUZZI.

S'allude all' essere detto lo stesso Signore, Conte, Cavaliere, Poëta, ed Astrologo.

Signor, che nutri in sen spiriti ardenti,
Di virtude à Tè pari, unqua non vidi,
Odo, che sol di Tè suonano i Lidi;
Che frà loro di Tè parlan le menti.

Il modo sai di regolar le genti:
Sai come l' Oste à la tenzon si guidi:
Sai come canti Clio, doue s'annidi:
Come ruotino, sai, gli Orbi lucenti.

Il tutto sai; ned' è stupor, se impara
Altri sagrar de la virtù più fina
Al tuo merto i sudor stemprati à gara.

A Tè in somma gran cose il Ciel destina;
Se la Patria tua sì nota, e chiara,
Anche quando trionfa, à Tè s'inchina.

A

D. ARCANGELUS GENTILIS

In

SIMONIS CLARAMONTII

Tumulum lacrymæ.

FIge pedem Viator,
Aſpice Olimpum,
Olimpum quem non capit aër capit marmor.
Vates canunt,
B Olimpum à fulminibus immunem montem:
Sed fulmen mortis
Hujus montis vaſtavit cacumen.
Heu quam dira Tela,
Cui Cælum contendit Nubes,
Clotho donat horrorem.
Non mirum, mors æternitati eſt inimica
Gloria mortalitati adverſa;
Sed validior eſt fama morte,
Quia
Mors viventia exterit,
C Fama mortalia ſublevat.
Ecce ò Viator
Simon anagrammate, mons
Adeſt hoc in Tumulo Clarus
Ut Olimpum ſuper Nubibus.
At quoniam
Mors æquat omnia;
Terra montem tegit.
Tamen quia
Fama omnia tollit;
Simon elevatur ad Aſtra.
Mortuus vivit Clarus.
D Moritur vivus mons.
Dic (ſpectator) dic
Vale, mons, vale
Mons
Clarus virtute, fama illuſtris, bonitate perfulgidus.

DELL' ISTESSO.

Al virtuoſiſſimo valore del Signor

SIMONE CHIARAMONTI

E Autore dell' Opera, e Trionfante.

NOn sò, ſe lancia, ò pur ſe penna ſia
Quella; che in pugno tuo combatte, e ſcrive;
Penna non è, che ne i Tornei ſen vive,
Lancia non è che sù le carte è pia.

Penna non è; per la magion natia
S' à l' orgoglio d' altrui morte preſcrive;
Lancia non è, ſe 'l patrio onor deſcrive,
F *Onde i tributi il Rubicon le invia.*

Lancia non è, perch' ella ſparge Inchioſtri,
Penna non è, che di gioſtrare accenna;
Ed è penna, ed è lancia à gli occhi noſtri.

Penn' è, ch' à l' Aſtio una vil fuga impenna;
E' lancia, che vuol Palme, ò ſcriva, ò gioſtri;
Per la Fè, per la Patria, è lancia, è penna.

Ad Illuſtriſſimum

CÆSENÆ SENATUM

E L O G I U M

In

Per-Illuſtrum

D. D. SIMONEM CLARAMONTIUM

ILluſtriſſimi *Senones*, & quot quot eſtis humaniſſimi
Lectores
Guſtate, videte
Eruditionum mel,
Quas
In ſua *Triunphanti Cæſena*
Simon Claramontius,
Virtute magis, quàm nomine Clarus
Elargitur, Impartitur,
Ne pigeat vos agnoſcere veſtra
Opera ſublimia, ſplendida facta, excelſa facinora,
Quæ
Veſter hic Civis
A fucatis Invidiæ coloribus
Vindicavit.
Pauca fecit, plura feciſſet, ſi Parcæ pepercifſent;
Immò facta velut infecta
Jacuiſſent,
Niſi
Admodum Illuſtris, ac Per-Reverendus
Archangelus Gentilis,
Non tàm diligens, quàm accepti Benificii vinculis
Obſtrictus,
Elevaviſſet, in lucem edidiſſet;
Unde
Libentiſſimus idem
Hæc pauca
In vita functum,
Et pietatis ergo, & debitæ ſervitutis Obſequio
ponenda curavit.

In Eundem.

E P I G R A M M A.

E*St decus* Italiæ *Lux fœlix muſa* Maronis,
Auguſto *auguſtos dum dedit ore ſonos.*

Tu Patriæ fulges Decus, ò Doctiſſime Simon;
Cum antiquæ Senæ *lucida facta probas;*

Ergo tuæ celebrent cuncti Præconia Famæ,
Fama per æternos non peritura dies.

FRANCISI DE RUBEIS.

D. COM.

D. COM. MARCI
ANTONII DE FANTAGUTII.

Ad Eundem.

MArtia jam tonuit Ciceronem Roma Catonem,
Ut Patriæ ingentem vidit utrumque Patrem;

Illum conſpicuis jaculantem fulmina Roſtris
Arte ſua, recolens vox fuit una Patris

Vulnera at hic geminans proprio cum ſanguine Romæ
Indixit Patriam Patre perire ſuo.

Arte (*Simon*) mira Ciceronis Jura Catonis
Sufficis, & Patriæ jam Pater unus ades.

A Aurea Sive colas verbis monumenta Minervæ,
Seu fingas Martis Prælia docta, tuis.

Ipſe ſuum Cicero titulum Cato cedit, & unum
Te Patrem Patriæ Vox utriuſque colit.

D. CELSI ROSINI ABBATIS,
Et Definitoris Lateran. Theologi, & Conſultoris.

ELOGIUM.

POſthuma ſunt hæc
Simonis Claramontii.
Fortaſſis ad modum Cæſarem, vel Agripparum
Extitiſſent potiora.
Sed Poſthuma vitalia fecit
Archangelus;
Qui, quia Gentilis,
Jordani in hoc dixit, Vale.

PRÆFATIO.
ARCANGELUS GENTILIUS
LECTORI BENIGNO.

FORTUNIUS LICETUS Typis prodens docta quædam ſua Commentaria, neſciò, an ab aliis inſtigatus, an à proprii genii ſtimulo excitatus! veritatem obſcuravit; pennam acuit, ut læderet Famam Equitis *Scipionis Claramontii*, Domini, ac Patroni mei, qui ſuorum eruditorum atramentorum balſamo; invita magna Opponentium copia, clarum ſuum immortalitati nomen inſeruit. Ipſemet Hiſtoriæ Patriæ ſuæ defenſionem ſuſcepiſſet, niſi (ut puto) ordine ſacerdotali inhibitus fuiſſet, quem poſt obitum uxoris inimitabili conſcientiæ candore ad finem uſque vitæ exercuit; vel forſan oppoſitionum fragilitatem cernens, eaſdem ſilentio potius dignas, quàm reſponſis, judicaverit. *Simeon Claramontius* ejus filius, à ſcriptis *Fortunii* immerito nimis & acerbè Paternum honorem non tantum, ſed & ſolum Patrium obſcurari intuens; poſt ejus obitum ſe ad defenſionem accinxit, ut Univerſi Orbis oculis detegeret veritatem à tàm erudito viro obtenebratam: Quod minimè optato illi ſucceſſit eventu: Mors enim invida, cum vitæ ſtamine nobiliorum deſideriorum ſuorum filum abſcidit: Opus ſic rude, titulo CÆSENÆ TRIUMPHANTIS in manibus meis remanſit. Tentavi ſtatim per alios perpoliri; nullus autem rem tam arduam amplecti voluit: vel propter præſentis ſæculi cupedias, in quo uniuſcujuſque appetitum ſequendo, opus eſſet omnem compoſitionem, adinſtar *Mannæ illius Deſerti* quondam Memorabilis (quemlibet ſaporem continenti) imbui, vel forſan quia propriorum laborum lima, alienæ gloriæ ſplendorem illuſtrare deſperarent. Sed, utcumque ſit, deſiderio tandem hujus veritatis claritudinem detegendi victus, neglectis ſuperfluis ornatibus, nudum (ut tale ab omnibus noſceretur) hoc opus mundi oculis objicere decrevi. Et quia in eo forſan non invenies eam phraſium elegantiam, hiſce diebus conſuetam, excuſa (rogo, benignè Lector;) certum te reddens, quod præter favorem, quem mihi præſtabis, erga defunctum bonum exercebis opus; Præcor tibi à Domino Deo omnia fauſta. Vale.

APPROBATIO.

Vidi ego infraſcriptus Opus inſcriptum Ceſena Trionfante del que Signor Simone Chiaramonti, *Et cum in ea nihil reperirem adverſus Regulas Indicis, exiſtimo edi poſſe. In quorum fidem, &c. Ex Abbacia Sanctæ Crucis die* 2. *Decembris* 1659.
D. Celſus Roſinus Abbas, & Definitor Lateran. Theologus, & Conſultor.

Imprimatur

Franciſcus Canonicus Lancettus Vicarius Generalis.

Imprimatur

F. Angelus Julianus Sac. Theolog. Magiſter, & Vicarius Sancti Officii Cæſenæ.

CÆSENA TRIUMPHANS,

CONTENTIO APOLOGETICA SIMEONIS CLARAMONTII.

AD

Illustris S. Dom. Comitem & Equitem

THOMAM MARIAM MARTINELLUM.

1 PROËMIUM.



Uàm maximè Cæsena Urbs, una cum Cæsenatibus Fortunio Liceto obligata est; non tantùm quia calamo suo (clariore futuro quidem, nisi ab eo tàm frequenter fatigarentur typi) ad celebrandas ejus claras memorias, magnitudinem antiquitatis, mirandasque prærogativas, (ipsam, celebrem reddentes) concurrerit; Sed quod & multum ipsi debet Publicum illud, ac celeberrimum Studium, in quo annualiter omnia scientiarum genera profitentur, eccellentesque doctores, qui Cathedram ibi ascendère: Collegium amplissima facultate Lauream impertiendi in alteru-
2 tra professione; Docta Dominorum, Obfuscatorum Academia, tot canoris Musis locupletata: Illustris Bibliotheca in Monasterio Patruum Franciscanorum erecta, tamque ab historicis memorata: Hastiludium antiquissimum, quolibet anno armaturis instar veri belli exhibitum. Imo & Feriæ per totum Augusti mensem (tàm in usu per Italiam) consuetæ. Prosapiæ nobilissimæ, illustriumque earum literatores, aliæque præclaræ dotes, conspicuique honores. Ei super omnia devincta fateri tenetur, cum ab ipso concessa, atque tributa eidem sit Urbi Antiqua Anulorum Columna Hospitalitatis, quæ communietr ad Forum adscribitur Truentinorum, vel Bertinorum decantaturque; tandem authenticam reddendo magnitudinem suam, generositate animi domini Anselmi Dandini, qui in Portu Cæsenatico Clementem Octavum cum Sacro Collegio, integramque Aulam Romanam, Ferrariam versus proficiscentem, hospitio tàm egregiè, ac splendidè suscepit.

Claramontia Familia specialiter, & generaliter potest unicè ab istis obligationibus se subtrahere: Generaliter dixi; suo enim tàm fluido, aliisque florido calamo (nescio an dicam sterili & forsitan sibi ipsi invidioso) in publicanda tot celeberrimorum Literatorum gloria, proprios celavit honores, sepultosque inter Umbras silentii reliquit. Absque ambitione tamen, & jactantia,
3 Publicos Lectores nacta est, qui eximiè præter supraque qualibet aliàs Cæsenates Familias ingenium suum in eadem celebranda exercuisse gloriantur.

Magis tamen dolendum est, hunc, amaritudinis Livore motum, æquali aliorum in Literatorum gradu, immò in infimum posuisse locum Equitem illum, tot aliis præstantem Scipionem Claramontium, qui si comparari cum aliquo ex Cæsenatibus Civibus deberet, nulli equiparari posset meliùs, quàm Jacobo Mazzono, & Josepho Iseo. Ille, inquam, Eques Scipio Claramontius, qui tàm solidè Aristotelicam sustinuit sententiam, falsa Tichonistarum dogmata evertit, Kepleros convicit, Gloriosos confudit, Galileos humiliavit, Philolaos compescuit, reddiditque mutos illos, qui temerariè contra ejus opera scribere sunt ausi. Eques ille Scipio Claramontius, qui tot virtutis partus in lucem edidit, Typos illustravit, gloriosumque suum nomen per universum Terrarum Orbem reddidit. Ille Eques Claramontius, qui nominis sui claritate ab extremis usque Europæ partibus in magna copia attraxit populos, sui videndi, honorandi, & admirandi gratia, Ille, inquam, ut in tàm dimisso, inæqualique gradu consistat, ullo modo patiemur? Ego quidem (cum filius ejus sim) licet magnus ille Stagyrita amplum mihi laudis aditum præbeat, dicens, (virtutem omnibus notam justè laudandam à quovis esse) trunca, mutilataque relinquo omnia encomia illa, satis Orbi nota, quæque à Fama in Literatorum ora spargenda augentur. Parvulum contemptumque nihilominus fuit
4 vulnus, Pectus enim vera Instructum morali virtute, occursus haud timet illius, qui cor possidet lividum, invidiæque amaritudine repletum. Præstans Molossus latratibus parvi canis minimè pavescit; nec magnanimus Leo, debilis manus ictu irascitur, Aurumque vili oppositum metallo magis elucescit. Si calami illius amarities, quæ pro scopo habuit, (immo hanc emendicavit occasionem laudandi) ut majorem animi sui malignos fumos evaporandi aditum sibi lucraretur, quærens (instar proditricis Hienæ) ficto laudis colore, à veritate longinquo, immò fraudulenta voce extinguere in propriorum Civium animis benevolentiam adeptam, laudando Patriam, jàmdiù in oblivionis tenebras submersam, & neglectam, doloso corde Cæsenatibus, & per consequens Mundo ostendere, Equitem Scipionem Claramontium in laudanda Patria sua, fictis laudibus, encomiis falsis, ac somniatis usum fuisse; Cum autem hoc erroneum sit axioma, non solum veridicam linguam, sincerumque, & incorruptum calamum tanti Patris pungit, sed etiam

etiam vulnerat filium. Quoniam, & olim debilis Musa mea observantiæ debito, uti filius, & gratitudinis ergo, ut Cæsenas, *in celeberrima ejus Historia publicanda, in tanti Auctoris laudem sequens edidit Epigramma:*

Romulus extruxit, liberavit ab hoste *Camillus*
Romam, Urbisque Parens dictus uterque fuit;
Hic non ex saxo, sed fame ex ære perenni
Mœnia nunc Patriæ, nunc peritura struit,
Non pressam à GALLO, at *Letheo* in carcere junctam
Extrahit & liberat, jam celebremque facit.
Inveniat *Cæsena* novos cum nomine honores,
Non Patrem Patriæ est dicere namque satis.

Qua, inquam, publicatione nihil aliud in mente habui, quàm Cæsenam *Urbem gratitudine affectuque plenam erga Auctoris calamum reddere, qui anxietate magna eam oblivioni eripuit, iterumque ad futurorum sæculorum claritatem restituit. Nunc verò si sub silentio defensionem ejus transirem Historiæ, & tacerem; (more illorum, qui jam se victos, confusosque esse fatentur) merito utrosque argueret Mundus quasi causam communem victam cedentes, Patrem quidem tamquàm Mendacem Historicum, filium verò tamquàm verum adulatorem. Ne igitur in hoc incidam vitium, causam hanc mihi propriam, & specialem tribuens, Hìc punctum Controversiæ figo:*

Eques *Scipio Claramontius* optimè dixit, & verè: declarans Urbem *Cæsenam* primam sedem, & *Senonum* habitaculum fuisse, eamque *Senam* vocando:

E contra te falsum dixisse, tribuendo *Cæsenæ Columnam Annulorum Hospitalitatis*, quæ semper *Bertinoro* assignata fuit.

Cælo, Fortunæque meæ gratias reddo, qui carum Genitorem ad Magdalenæ *partem transire fecit, se ipsum in ætate tàm gravi, (licet prospera) sacerdotio dedicando, à se prorsùs pellentem hæc terrestria negotia (quamvis hoc minime esset opus gloriosi ejus calami, ad studia ac opera majora elevati) filio Pugnæ & contententionis vices relinquens, parans prælii occasionem mihi cum tàm celebri Athleta, ingrediendique Palæstram una cum Eminenti viro, à quo vinci, gloriæ mihi esset, licet causæ justæ defensori nihil timendum sit, nec de victoria desperandum, immo indubia sibi promittenda palma: Patri filium succedere me gaudeo, &, loco* Scipionis, Simeonem *in campum exire, dilectamque Patriam meam aspicere, Me fieri Genitoris* Atlantis, Alcidem *in sustinendo ejus Historico Cælo, ejusque causæ justitiam defendendam mihi summoperè gratulor: Initium ergo faciendum nobis tantùm remanet.*

7

CÆSENA TRIUMPHANS.

LIBER PRIMUS.

DEFENSIO PRIMA.



Ntequam hanc ingrediamur honoris Palæstram, ac nosmetipsos ad conflictum accingamus, expertorum militum instar, mutato nomine, alioque supposito quod conveniat pugnæ generi, in pugnæ constitutum locum compareamus; justum idcircò puto te *Opponentem*, nuncupari, tamquam talem, qui alium nunquam habuit scopum, nisi hunc, unicè oppositionibus tuis contra Equitem *Scipionem Claramontium* uti: *Defensor* nominabor ego, tamquam ille, qui veritatem *Scipionis Claramontii*, & benè fundatas rationes prædictæ suæ historiæ, defendere intendit.

OPP. Optima quidem mihi videtur sententia tua, sic ergo faciemus; brevior nobis sumenda

A est via; ecce! Lanceam dirigo, ecce parippum stimulo;

DEF. Accede, accede; audacter te exspecto: mihi non desunt *Gorgonum* Clypei, à strenuo *Perseo* super volantem Equum gesti, ad debilitandos, vanosque reddendos ictus tuos; vel ea celebris illius *Ruggieri*, ad obcæcandum, obstupefaciendumque tuarum oppositionum impetum splendidissimo veritatis chalybe. 8

OPP. Ecce ictum! Eximius Eques *Claramontius* in describenda Patriæ Historia, inter præcipuos, quos attribuere *Cesenæ* intendit honores, putat eam fundatam à *Senonibus Gallis* in *Umbria*, ab iisque *Senam* vocatam, ab ipsis habitatam, ac in eorum Regiam sedem erectam; postquam verò diruta, & devastata fuit, iterum reædificatam, *Cæsam Senam* nuncupatam esse, tan-

B

dem duabus literis per syncopem omissis, nomen *Cæsenæ* illi remansisse puta; cum autem hæc sint *gratis dicta*, ac a nemine Auctore, vel prisco scriptore confirmata, haud admittenda, haud toleranda sunt: eo magis, quo Prisca Urbs, fictis non indiget encomiis, immo ea Antiquitati ejus derogant, cum vocetur per excellentiam ab Auctoribus classicis, *Volaterrano* & *Magino Urbs Antiqua* atque *Prisca Civitas*, quod attributum *Romæ* non conceditur:

UNDE ex his clarè videtur, *Cæsenam* ante *Romam* ædificatam fuisse; & falsum est, dicere, quod *Cæsena* condita sit à *Senonibus* accedentibus *Italiam*, ac Alpes transeuntibus, *Roma* jam diù fundata; verum igitur non est, *Cæsenam* à *Senonibus* erectam fuisse.

DEF. Validus re vera ictus! fimbriam tantum Clypei tangens, nullum incussit metum: mi OPPONENS, ut ostendas *Cæsenam* nunquam vocatam fuisse *Senam*, hoc pulchrum facis argumentum, & pulcherrimam hanc inde trahis conclusionem: *Cæsena* ab Auctoribus Classicis per excellentiam nuncupata fuit *Antiqua*, & *Prisca*: *Roma* his non fruitur attributis; ergo &c. nunc ignoro, an Logices regulæ hanc necessariò admittant Conclusionem; *Cæsena* est antiquior *Roma*;
9 sed supposito, quod sequeretur conclusio: noscis ne te insidiose & vitiose hastiludium ingredi, tamquam *Magantiæ Ganum*? quomodo minorem tuam umquam probare poteris, nempè, quod *Roma* hæc non habeat attributa? Ab infinito enim numero Auctorum, Historicorumque *Roma Antiqua*, & *Prisca* vocatur; & *Collis Palatinus* sic nuncupatus fuit ab *Evandro* à *Palantæo* urbe *Arcadiæ* unde oriundus fuit. *Ara* insuper maxima, *Herculi* erecta, vetustissimam denotat Antiquitatem; mirandum idcircò non est, si à *Varrone* vocata fuerit *Antiquum Oppidum*, *Ovidius* à *Saturno* factam fuisse vult in primo ævo, *sæculum Aureum nuncupato*, unde sic cecinit:

A patre dicta meo quondam Saturnia Roma.

Lucius Maurus integrum fecit tractatum de *Antiquitate Romæ*: *Carolus* pariter *Sigonius*; *Mantuanus* quoque vocavit eam *Romam Antiquam*:

Scitis ut antiquæ nostri Capitolia Romæ
Invasere . . . .

vocavit etiam *Priscam*, quod idem significat ac *Antiquam*

Codrus Urceus eam dixit *veterem*: dicendo

Roma vetus lætas frendens ad sydera voces.

Similiter ut oppositionum debilitatem ostendam tuarum: Primi *Græci* Historici semper vocarunt Urbem *Romæ* vetustissimam & antiquissimam, quod magis est vetustiore, ac antiquiore, uti videre est, apud *Zonaram*, *Nicetam*, & *Nicephorum*; Adductis ergo hisce aucthoritatibus, quomodo defendere, & expressè dicere audebis, *Romam* eadem non habuisse attributa, ac Civitas *Cæsenæ*, quando vetera, & antiqua nuncupata est?

10 OPP. Sed ulterius; Quod verum sit, *Cæsenam* numquam *Senam* fuisse, ac extitisse prius quam cujuscumque generis *Senones* in *Italiam* venissent, secundus, & forsan inevitabilis demonstrabit is ictus: ecce Argumentum: *Cæsena* amplificata, in Coloniam erecta, ac à nomine *Flavii Papii*, *Tuscorum* Regis, *Flavia Papia* vocata fuit. *Senones* accesserunt *Italiam* valde diù post *Tuscos*; quando igitur *Senones* ingressi sunt *Italiam*, *Cæsena* jam ædificata fuerat, & per consequens iidem *Senones* eam non ædificarunt. Ad majorem probandam propositionem, facit non solum MS. Antiquum illud, dicens ad verbum: *à duce quodam Tuscorum*, ubi in præsenti extat Urbs *Cæsena*, ædificatum fuisse olim oppidum, postea amplificatum, ac ornatum à *Flavio Papio Tuscorum* Rege, eoque Coloniam missam, ac ab ejus nomine *Flaviam Papiam* vocatam fuisse. Sed etiam efficaciùs probat sententiam meam id, quod legitur in vita gloriosi Sancti *Severi* Episcopi, priscum nempe *Cæsenæ* nomen fuisse, *Flaviam Curvam Papiam*, quod & ipsum pro majori Argumenti mei vi Eques *Claramontius* in sua Historia affirmat.

Minor mea propositio clara est per *Plinium*; aliosque Auctores; *Senones* quippe, qui pepulerunt *Tuscos*, regionem illam possederunt; ex hoc clarè infertur *Senones* post *Tuscos* ibi extitisse. Aliam huic addo considerationem, ut ostendam *Cæsenam* antiquam fuisse, & longissimè ante *Senonum* in *Italiam* adventum: Legitur enim in altero tuo MS. Antiquo, quò pariter usus est idem *Claramontius* in sua Historia, cui sententiæ etiam se conformat *Ennius* hæcque ejus MS. sunt præcisa verba:

,, Volunt aliqui, *Cæsenam* ædificatam à *Camense*, ac ab ejus nomine *Camesenam* dictam; quod ,, nomen annorum longitudine, ac sæculorum, ,, duabus literis abreptis, *Cæsena* nuncupatam
,, fuerit; ,, Ita ut ex primo, & secundo Argu- 11
mento meo, clarè constet error Equitis *Claramontii*, *Cæsenam à Senonibus ædificatam, ac prius Senam vocatam fuisse* dicentis: & hoc pro præsenti sufficiat.

DEF. Validis duabus Lanceis aggressus es me (OPPONENS.) Ictus quidem gravis, medium enim tetigit Clypeum, sed velo lacerato, soporatus, & stupidus in terram cecidisti; hæ tuæ oppositiones magni ponderis essent, si melius Equitis *Claramontii* sensum percepisses: quoniam, dicente ipso, *Cæsenam* ædificatam fuisse in *Umbria* à *Gallis Senonibus*, sumit hoc verbum *ædificare* ut *Alberti* sæpius fieri docuit exemplis, ac observavit è bonis scriptoribus, in hoc *ædificationis* vocabulo; hæc ejus sunt præcisa verba, loquentis de *Mediolani* Origine, in persona *Belovensis Galli*: Belovensis Gallus Tuscis *ejectis hanc amplificavit plateam*, & *valde majorem reddidit*, *quæ postea à dicto* Gallo Mediolanum *vocata fuit*, ut dictum est: unde *Livius*, & *Trogus* ajunt, *ædificatum* (hoc est *auctum* fuit) à *Gallis*; sæpè enim (ut dixi) scriptores hoc verbo *ædificandi*, loco restaurandi, & ampliandi utuntur; eodem modo intelligit *Alberti*. Hoc confirmatur & comprobatur à *Porcacchio Aretino* in ejus *Nolario*, de *Bysantio* talibus agente verbis,

,, Quod legitur in *Trogo* & *Justino*, *Bysantium* ,, *ædificatum* fuisse à *Pausania Spartano*, sic in- ,, telligendum existimo: *restauratum* nempè, & ,, *amplificatum*, & non primò ab eo fundatum, ,, ædificatum enim ab aliis fuit; ,, hacque scriptores expressione uti suescunt: Idem enim illi subintelligunt, inter quos *Justinus* cum aliis,
dicentis *Romulum Romam* ædificasse, hoc est, eam 12
amplificasse, magnam reddidisse, muris cinxisse, ac in quadrangularem reduxisse formam; priùs enim ædificata fuit à muliere quadam *Roma* dicta, ut vult *Eraclides*; vel ut scribit *Agathocles*, citatus à *Solino*, *de origine Romæ* cap. 20.

Idem observatur ab Historicis vitam *Semiradis* Reginæ *Assyriorum* scribentibus, quando hanc ipsam *Babylonis* mœnia ædificasse ferunt, volentes indicare, ea amplificasse, ac restaurasse, unde *Ravisius* de ipsa ait: Eadem Muros *Babylonis condidit*, *id est*, *à* Nicocri, *Regina conditos*, *auxit*, & *reparavit*.

Quod autem verum sit hoc idem sibi velle sensum Equitis *Claramontii*, videri, & argui absque dubio potest, occasione tractandi de nomine Civitatis. In Vita enim S. *Severi* Epicopi, & protectoris *Cæsenæ* in fine Lib. 4. præcipuè circa no-

nomen *Flaviæ Curvæ Papiæ*: fuisset equidem tanti viri error, si hæc sententia ejus fuisset, *Cæsenam* simpliciter à *Gallis Senonibus* ædificatam fuisse, & minimè amplificatam, & restauratam: adhærere (ut dicis) opinioni dicentium, fundatam esse à quodam *Tuscorum* Duce, ac deinde à *Flavio Papio* eorum Rege amplificatam, Coloniamque factam, ac ab ejus postea nomine *Flaviam Papiam* nuncupatam, suæ immò peculiaris fuisset curæ, se opponendi, ac demonstrandi talem falsam esse sententiam, ac nullo modo veram; sensus enim ejus fuit, ædificatam dicere, loco restauratam, & auctam nuncupandi, ita scripsit: *Quocirca multum probabilitatis accedit, manuscripto cuidam nostrati; quod refert à Duce quodam* Thuscorum *conditum hic oppidum fuisse, quo postea* Flavius Papius *Rex misit Coloniam, & ampliavit, & à se* Flaviam Papiam
13 *nominavit.* Hac vice, Domine OPPONENS, non benè penetrasti, & centrum non tetigisti; quoniam si Eques *Claramontius* alterum illud cogitasset, amplexus esset sententiam illorum, dicentium, *Cæsenam* vocatam fuisse *Flaviam*, *Curvam Papiam* tempore gloriosi divi *Severi*; *Longobardis* enim temporibus illis vexantibus sua tyrannide *Italiam*, ac eorum Imperio *Cæsenam* usque extenso, eam vocarunt à nomine sui Regis, *Flaviam*, *Papiam* ab eorum Regali sede & *Curvam*, cum super Collem *Garampum* se extendat super vallem, & non (uti dicis) in valle posita sit. Concludimus ergo; quod si à *Thuscis* ædificata, à *Flavio Papio* eorum Rege amplificata, *Flaviaque Papia* vocata fuit, eò quia *Senones*, qui ibi Regalem fundarunt Sedem, quoque eam auxerunt: celebremque reddidere, ipsa vocari haud potuerit *Sena*, & *Senarumque de nomine Senæ*, licet posteriores *Thuscis* quidem fuerit ii, (ut ipsemet dicis) qui eos ex *Umbria* ejecerunt. Argumentor igitur ex *Polybii* Auctoritate, *Senones* verè auxisse, & ornasse *Cæsenam*; dicit enim, *Senones* (*Ronco* transacto, moratos esse supra Collem penès *Mare Adriaticum* apud *Rubiconem*) quasdamque Terras, & Villas, muris minimè circumdatas, habitasse; unde clarum est, *Cæsenam* diebus illis, licet à Duce *Thuscorum* fundatam, auctamque ab eorum Rege *Papio*, *Senonum* adventu, locum fuisse mœnibus carentem, qui deinde à *Senonibus* erectus, & restauratus fuit, qui eam vocarunt *Senam*, eorumque Regum sedem præcipuam declararunt; eò majùs ex hoc confirmatur Equitis *Claramontii* dictum, quando enim ait, *ædificare*, intellexit *amplificare*, *ornareque*, juxta scriptorum, historicorumque consuetudinem.

14 OPP. In Palæstram redeo annulum *Angelicæ* digito gestans, nec Fascinationes incantati chalybis Clypei tui ampliùs vereor.

Resurgo igitur denuò; nescio quomodo Eques *Claramontius* hanc possit defendere propositionem? *Cæsenam*, nempè, *primam fuisse Senonem Sedem*, *ab iisque Senam vocatam*; si *Cæsena* fuit in ditionibus *Gallorum Bojorum*, à *Plinio* posita in octava Regione, *Sena* verò fuit in *Gallia Togata* in sexta Regione, & eò magis ad hoc negandum cogor, quia *Cæsena* alia de causa sic nuncupata fuit, absque eo quod *Senones* aliquam in hoc partem habuerit, unde *Stephonius* sustinet *Cæsenæ* nomen derivare à parvulo fluvio ipsam dividente, vel à duobus eis, *Sapio*, & *Rubicone*, agrum ejus separantibus: ecce *Stephonii* verba: Cæsena *Urbs* Flaminiæ *Provinciæ*, *à cædendo dicta; quod ager ejus duobus fluminibus*, Sapi & Rubicone *sit divisus*; Pulchra quidem expositio, mihi tamen magis placet ea antiqui illius Poetæ *Darii Tiberti*, immò ejus me subscribo opinioni, nomen nempè *Cæsenæ* derivari à parvulo fluvio *Cæsi*, qui etiam diebus nostris voca-

A tur *Cæsola*, vel *Cæsaula*; quod hujus distichi authoritate confirmatur:

> *Urbs* Cæsena *mihi Patria est, quam dividit Unda,*
> Cæsis, *& à patrio Flumine nomen habet.*

Non ne igitur verum est, *Cæsenam* nunquam fuisse *Senam*, non *Senonum* primam sedem, neque ab ejusdem excidio *Cæsam Senam* nuncupatam, dum illa à suo parvo Fluvio (*Cæsi* dicto) & non ab aliis sic nominata fuerit, teste Poëta illo tàm celebri, & cive tuo.

DEF. Nunc verè, Opponens mi, certantium præmium obtinebis; metam tetigisti; nescio tamen, an validæ dicantur rationes illæ supra
B Poëtæ dictum fundatæ, ad destruendas eas quæ supra gravissimorum Auctorum fundamenta erectæ sunt; cùm publica sit vox,

> —— —— *Pictoribus atque Poëtis*
> *Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Virgilius idcircò *Didonem* amasse *Æneam* finxit, qui per centenos annos post eam vixit; undè cecinit:

> *At Regina gravi jam dudum saucia cura* 15
> *Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.*

Ariostus etiam loqui facit scriptorem *Apocalypseos*, de bello Trojano differentem, ab *Homero* cantato:
C

> *E se tu vuoi, che il ver non ti sia ascoso.*
> *Tutto al contrario l'historia converti,*
> *Che i* Greci *rotti, e che* Troja *vittrice,*
> *E che* Penelopea *fu meretrice.*

Poëtæ tamen, & Scriptores communiter contrarium scribunt, *Tassus* etiam in suo Poëmate amores *Reinaldi*, & *Armidæ* introducit, procul tamen à veritate sunt; ut videre est in Historia Sacra Archiepiscopi *Tyriensis*. Sic nostro Poëtæ *Tiberti* accidit, cui placuit propria authoritate dicere (licet à vero distet) *Cæsenam* sic vocatam
D esse à parvo Fluvio *Cæsi*, nullum Scriptorum Classicorum testimonium curans. Licet nihilominus dictum aliquomodo tueri posset; quoniam sicuti Eques *Claramontius* ait, *Cæsenam* à *Cæsa Sena* vocatam fuisse; quid prohibet, Poëtam nostrum, ut non verbum illud (*Cæsa*) ab ejus excidio derivet, ut Eques *Claramontius* illud à parvo fluvio *Cæsi*, vel *Cæsola* elicit? Sed dic mihi quæso; quare illius distichon hoc etiam modo interpretari non posset? *Cæsenam*, nempè, sic dictam fuisse à Fluvio suo *Cæsi*, & *Sena*; cum plurimi hujus fuerint sententiæ; ideòque Poëtis quamlibet opinionem sequi licet, ut probabile
E est, sequutum fuisse nostrum *Tiberti*, quàmvis probabilior, ac veritati propinquior sit Equitis *Claramontii* sententia, à suo nempè excidio vocatam fuisse *Cæsam Senam*; dein *Cæsenam*, cùm Poëta noster locutus sit de situ *Cæsenæ* temporibus suis, quibus Fluvius istam dividebat, ut & hodierno etiam die per mediam transit Civitatem; Quando autem *Cæsena* super Collem sita fuit, tunc Fluvius parvus *Cæsi* non ampliùs eam 16 mediam dividebat, propè autem mœnia tantummodò transibat; ut nunc etiam videtur ex situ muratæ, & antiquæ ejus portæ, penès quam
F dictus *Cæsi* vel *Cæsola* transit, vide igitur quantæ vis sit argumentum tuum; *malè enim ædificat, qui fragilia jecit fundamenta.*

OPP. Tui Poëtæ sententiam meliori, quò potuisti modo tueri, ac reficere curasti; præcipuum tamen caput sub silentio præteriisti, tibi enim non favebat: & hoc est: *Plinium* posuisse *Cæsenam* in octava Regione, & in *Bojorum* ditione, & *Senam* in *Gallia Togata* in sexta Regione; eò magis, quo idem approbat, & affirmat Eques *Claramontius* in sua *Historia* pag. 122: Quapropter si *Senones* fuerunt in *Gallia Togata* *Anconam*

conam usque, (si Authoritati *Plinii* fidem damus) A
Quomodo ædificarunt *Cæsenam* in *Bojorum* ditione, cum diversæ Regionis, & alienarum sit gentium? *Strabo* insuper *Bojos* à *Senonibus* hisce verbis distinxit.

Ex Transalpinis *eò emigrarunt Regionibus*, *ut* Boji, *&* Senones *cum* Paphlagonibus; (& ibi clariùs) *quorum maximè gentes* Boji, *&* Insubres, *& qui* Romam *aliquando subita incursione ceperunt* Senones *cum* Gesatis, (ac postea) *obtinuerunt quondam* Boji, Ligures Senones, *&* Gessatæ *maximam partem.* Prioribus quoque Boijos à Senonibus distinxit, dicens *primi occurrunt* Anianes, *deinde* Boji, *post illos versus* Adriam *Ægones*, B
postremi omnium ad mare Senones.

Clarè igitur ex hoc apparet, *Bojos*, populos à *Senonibus* segregati fuisse, diversasque & separatas habuisse in *Italia* sedes: Cùm autem *Cæsena* in *Bojorum* ditione sit, quomodo *Sena* vocari potuit, si hæc in ditione *Senonum* est?

DEF. Festina lentè, (Opponens mi;) ne glorieris: expecta modicum; hunc etiam ictum
17 rejiciam, vanamque hanc tuam reddam oppositionem: nonne vides, quod ad corroborandam tui fragilitatem argumenti, & ad amaritudinem cordis tui contra Equitem *Claramontium* detegendam, adducis id, quod ei nunquam in men- C
tem cecidit; in pagina enim 122 adversatur ei, quod malè refers. Hæc sunt ejus verba: *Ad* Senam Bojorum *facta*, *eorumque tumultus*, *& bella magìs pertimebantur*, *ob propinquitatem enim non sine timore à Colonia infestæ gentis hostiles motus exaudiebantur.*

Apertè ex hoc cognoscitur Equitem *Claramontium* vocasse gentem *Cæsenæ*, gentem propinquam, & hostilem *Bojorum*; & tu ex hoc *Senam* vel *Cæsenam* sub *Bojorum* Imperio extitisse, inferre audes? Nonne Te doctum virum, verba Equites *Claramontii* minimè intellexisse pudet? Verum equidem est, nisi docti errores com- D
mitterent viri, desperatione ignorantes afficerentur: sumit enim ipse verbum illud *facta* pro rebus gestis, & factis, & non pro *ædificata*, vel *erecta*, ut tu malè percepisti pejusque adduxisti. Puer Grammaticæ studiosus optimè scivisset; quod, si illud verbum *facta* ad *Senam* referri deberet, *factam* & non *facta* dixisset; sed quia *abyssus abyssum invocat*. tu authoritate *Plinii* falsè adducta hoc confirmare cupiens, *Bojos* in Octava ponis regione, & in Sexta *Senones*; quæ est res prorsus veritati inimica; *Plinius* enim in Octava regione ponit & *Bojos*, & *Senones*, & hæc sunt ejus verba in libro tertio cap. 14., ubi loquitur E
de Octava Regione; locus ille est, quem tu pariter absque consideratione adduxisti, tuæ oppositioni contrarius, ait enim: *In hoc tractu interierunt* Boji, *quorum tribus* CXII. *fuisse* Autor *est*
18 Cato; *item Senones*, *qui ceperant* Romani. Valdè miror, quomodò ex his *Plinii* verbis ex trahi possit, *Bojos* in octava, & *Senones* in sexta, si omnes in unica ponit regione; vis ne, me tibi veritatem explanare? Nonne te pudet, eximie vir, alterum pedem in *Charontis* habentem cymba, fœdus inire cum humani generis inimico, de mendaciis triumphante; & imo quoque dolosè Auctores adducere, textus corrumpere, F
rationesque modo tuo componere; ô quàm illustris Literati viri professio! Ulteriùs quæso incedamus, si tu (domine *Opponens*) historiam Equitis *Claramontii* puritatis, & sinceritatis oculo (uti Literatum decet) legisses; & demum si hæ oppositiones, rectè ab alio docto viro, absque animi livore ponderantur, vel verba, Latinitatemque Equitis *Claramontii*, propter ignaviam, te non comprehendisse, vel propter malitiam comprehendere noluisse, absque dubio concluderetur; Eques *Claramontius* quàm clarissimè dicere mihi videtur; *Senones* extendisse Imperium viresque suas non tantùm *Anconàm* usque, sed & ulteriùs; eosdemque in octava habitasse regione (ut asserit *Plinius*) cum ibi eorum prima esset sedes, ubi demùm penitùs extincti fuêre; *Sena* enim nostra humanum secuta est cor, quod primum in vita est, ultimum in morte: ipsa enim prima eos gloriosos reddidit, & ultima (debellatis eis à *Romanorum* viribus) eorum glorias sepelivit. Quid dicis ad hæc, *Opponens?* Adhucne claritatem intueris? Mendacia facillimè dilabuntur; idcirco sic quidam cecinit

Nasconda pur chi sà, sotterri, e copra,
Che verità vuol star sempre di sopra.

OPP. Procedamus ergo; bono sum animo,
& si hos rejecisti ictus, victorem tamen in hac 18
arena me fore spero! Eques *Claramontius* confidens in dicto *Strabonis* lib. v. in quo apertè videtur, quod in enumeratione ab eo facta Urbis *Placentiæ*, *Bononiam*, *Clinternam*, ad *Forum Cornelium*, *Faventiam*, ponit *Senam* aut *Sinam* propè *Savum*, & *Rubiconem*, & ille sic Equitem facit; & ex hoc *Strabonis* dicto inferre vult, quod cum sit locus is *Savo*, & *Rubiconi* proximus, idcircò eam pristinam fuisse *Senam*; nec detegit ipse errorem, deceptus quippe fuit à corrupto Textu *Basiliensi;* Verum quidem est locum *Faventiæ* proximum *Cæsenam* vocari, non tamen *Senam* aut *Sinam;* sic verè scribit *Casaubonus* tàm magnus, & celebris vir, qui sibi permissum judicavit Textum *Græcum* corrigere, in ejus tamen correctione legitur *Faventia verò & Cæsena:* Vides ergo in quantum lapsus sit errorem vir tàm illustris, ac eximius; eòque magìs, quo *Cæsar Brixius* civis tuus in relatione ab ipso Papæ *Clementi VIII.* facta, textum corruptum à *Casaubono*, & *Faventiam*, & *Cæsenam* scribendo sequutus est.

DEF. Tu ipse in errorem incidisti, atque ex uno te vinci permittis livore; quomodo ergo destruere intendis Equitis *Claramontii* textum emendatum, vel (ut meliùs dicam) corruptum ab uno, qui (Criticorum sequens opinionem, apud quos eximio in honore fuit) ausus est, non dicam corrigere, sed potiùs varios perturbare Textus: audacia verò tàm insignis, ut jure meritò à Cardinali *Baronio* ei objicitur. Sed dic mihi quæso, quis est iste à te adeò celebratus, laudatusque *Casaubonus?* Est ne divus *Thomas*, cujus dictis scripturisque Deus authoritatem præbuit? Non equidem! Communis nobiscum naturæ fuit homo, erroribus (ut ostendit) subjectus; & de hoc clarum reddit testimonium contentio, controversiaque temerè ab eodem inita cum Cardi- 19
nali *Baronio*, in qua non tantùm apud probos, sed & literatos viros derisus, confususque remansit. Tu ergo (qui perspicacis ingenii esse cupis) tu (inquam) majorem præstabis fidem viro, qui sæpiùs erravit, quàm fide digno, vero, ac à magna illustrium expertorumque in Lingua *Græca* virorum admisso, uti ab Equite *Claramontio*, ideòque quando legit *Φᾶυεντεια δὲ καὶ Σήνα ἢ Σίνα πρὸς τῷ ἴσαπη*; id est *Faventia verò*, *Sæna.* Secutus est eumdem *Basiliensem* bis Typis Editum, aliosque pariter *Græcos* Codices, impressionem *Basiliensem* secutos; cui se insuper conformavit *Heraldus Heresbachius* in Typis anni MDXLIX. Codex ille recognitus est, receptus, ac à multis erroribus emendatus (loco illo *Sænæ*, aut *Sinæ* excepto) à *Hieronymo Genuseo*, ab *Henrico Galerano*, atque à *Joanne Artongo* hominibus studiosissimis, ac in *Græcis* literis expertissimis. Idem le-

legitur in eodem textu *Manucii*, (qui magni æstimandus est) ipse enim correctissimè Typis mandavit, cum vir doctissimus, expertissimusque in lingua *Græca* extiterit, nec ipsi defuerit usus Bibliothecæ Cardinalis *Bessarionis Græci*, aliarumque in inclyta *Venetorum* urbe, ac *Romæ* illa *Vaticani*, scribit φαβεντεία ἢ ἡ Σήνα ἢ Σίνα πρὸς τῷ Ισάπῃ; id est, *Faventia vero*, & *Sæna*, *vel Sina*: Hic pro vero, tutoque Textus *Græci Strabonis* habendus est, Tuus ergo *Casaubonus* duplicem intellexit, vel duplicem fecit syllabam eam, sic non in *Græco* Textu, sed in ejus tantum celebri ingenio existentem. Tu verò, *Opponens* mi, errorem errori addendo, non solum hunc celeberrimum secutus es virum, sed pulcherrimam indè consequentiam, subtilissimumque extraxisti argumentum ex *Strabonis* Textu, authoritate ab industria hujus Textuum correctoris tibi præbita: Locus ille, vel Urbs à *Strabone* in
21 hoc situ posita, nunc *Cæsena* vocatur, ergo illo etiam tempore *Cæsena* dicebatur; Pulcherrima equidem consequentia; tali pariter modo, sic argumentari posses; *Mediolanum* nunc est *Mediolanum*, ergo semper fuit *Mediolanum*; licet locus ille vocatus anteà fuit *Subria*, ut illius Urbis Chronicæ testantur. Hic tibi dico, vale, maneas cum tuo inutili argumento.

OPP. Nimis, defensor mi, criminaliter procedis.

DEF. Nugas dicis; & nisi livor, & invidia essent in causa, hoc non suscepisses opus, à quodam livido corde forsan tibi suggestum. Si rectè scriptum illius *Vincentii Cæsenatis* intellexisses, quæ dixisti, siluisses.

OPP. Inquietus idcircò non sum; multò minùs me victum decerno: Si enim attentè Auctores consideramus, inter quos *Strabo* ipse; *Cæsenam* nunquam fuisse *Senam*, (quæ *Senogallia* dicta fuit) unam & non duplicem extitisse *Senam*, reperiemus: audi ejus verba: Hetruriæ, *qua parte ortus Solis spectat* Umbria *adjacet*, & *ab* Apennino, *atque etiam altiùs ab* Adria *usque incipit*, *nam à* Ravenna Umbri *propinqua tenent*, *deinceps* Sarsinam, Ariminum, Senam, Camerinum, *ubi est* Æsis *Fluvius*, & Gingunus *mons*, Sentinum, Metaurus *fluvius*, Fanum Fortunæ, *nam circà hæc loca limes est antiquus* Italiæ, & Galliæ *ad hujus maris partes*, *quamquàm is limes sæpè à Magistratu mutatus; Primum* Æsim *fluvium limitem esse voluerunt*, *deinde* Rubiconem. Æsis *inter* Anconam *est*, & Senogalliam, *Rubico inter* Ariminum, & Ravennam, *ambo in* Adriaticum *mare effluunt:*

Ex quibus verbis clarè videtur, quod superiùs exposui; *Strabonis* nempè *Senam* non esse *Cæsenam*, sed *Senogalliam*; quodque verum esse ut pateat, numerentur quæso loca *Umbriæ*, sese ad *Esim* fluvium usque extendentia ad littus maris, inci-
22 piendo ab Occidente ad Orientem, post *Ravennam* enim posuit *Sarsinam*, *Ariminum*, *Senam*, & *Camerinum*, ubi extat fluvius *Æsis*; collocat *Senam* inter *Ariminum* & flumen *Æsim*, & hoc facit ad partem Orientaliorem *Ariminum* versus, & eo plùs à *Ravenna* distantem: adeò ut nomine *Senæ* numquam intelligere possit *Strabo Cæsenam*, quæ nec maritima nec media est inter *Ariminum*, & flumen *Æsim*, nec Orientalior *Ariminum* versus, sed mediterranea inter *Ariminum* & *Ravennam*, ipsoque *Arimino* Occidentalior: *Strabo* insuper ponit *Senam*, ubi *Æsis* existit & *Metaurus*; penès verò fluvium hunc *Senogallia*, & non *Cæsena* sita est, octoginta distans milliaria: *Sena* igitur *Strabonis* non est *Cæsena*, sed *Senogallia*: *Cæsena* insuper *Strabonis* penès *Rubiconem* sita est; *Sena* autem est, ubi fluvius existit

A *Æsis*; Fluvius verò *Æsis* quinquaginta milliaribus à *Rubicone* distat. *Cæsena* igitur *Strabonis* non est *Sena Gallorum Senonum*, sed est quidem *Senogallia*, intra *Metaurum*, & *Æsim* fluvios posita: *Rubico* præterea *Strabonis* situs est inter *Ariminum*, & *Ravennam*, ubi est *Cæsena*; fluvius verò *Æsis* intrà *Anconam* & *Senogalliam* manat; *Sena* igitur *Strabonis*, apud flumen *Metaurum*, & *Æsim* posita, non est *Cæsena*: sed *Senogallia*. Synonimis nunc utitur *Strabo* in nominibus *Senæ* (quam ponit ubi est *Æsis*, & *Metaurus*) & *Senogalliæ*, inter quam ponit quoque fluvium *Æsim* ad mare currentem *Adriaticum*:
B indistinctè enim *Sena*, aut *Senogallia*, Civitas ipsa *Umbriæ* vocatur.

DEF. Rectè comprehendi argumentum: *Strabo* scilicèt in numerandis *Umbriæ* locis posuit *Senam* post *Ariminum*, ergo est *Senogallia*, non *Cæsena*: Ad hoc, in primis tàm arctam exactitudinem in locorum numeratione minimè quærendam esse, respondebo: eadem quippe absurditas, errorque sequeretur, quando ipse *Fanum* post *Senogalliam* numerat. Si *Sena* esset *Senogallia*, haud poneret *Senogalliam* antè *Fanum*, vel *Fanum* post *Senogalliam*; unde si *Strabo* (*Senam* dicendo) de *Senogallia* intellexisset, dixisset, *Post Ariminum*
C *Fanum fortunæ*, *Metaurum fluvium* & *Senam*: ex quo *Strabonem* situs ordinem haud servasse patet: quodque verum sit id, inde patet, quod ponat priùs *Sexstinum*, postea *Metaurum* fluvium, denique *Fanum*: Quis autem ignorat, quòd discedendo à monte *Ginguno Metaurus* primus invenitur fluvius, deindè *Sexstinus* super *Foliam* fluvium illo occidentaliorem: & indè *Strabo* situs ordinem non servasse videtur; juxtà dictum enim tuum *Metaurus* priùs, *Sestinus* deindè poni debuisset: concludendum igitur est; quod, sicuti in fine ponit *Sestinum*, deindè ad *Metaurum* redit, ita in initio priùs ponat *Sarsinam*, posteà *Ariminum*,
D dein redeat ad *Senam*, id est, *Cæsenam*: Sed ulteriùs procedamus, firmiùsque ad omnem tuam oppositionem delendam, jaciamus fundamentum; & hoc sit: quod, ordo in describendo Climate *Umbriæ* citrà *Appenninum*) à *Strabone* servatus, eam describat per oppositos angulos, se invicem per oppositionem lateralem, diametralemque respicientes; describens enim loca *Ravennæ* proxima, ut sunt *Sarsina*, *Cæsena*, *Ariminum*, *Sarsinam* priùs ponit, & deinde *Ariminum*; & ad angulum lateralem Climatis constituendum, à *Sarsina*, *Ravenna*, & *Arimino*, posteà *Senam*, (id est *Cæsenam*) venit, diametrum deindè describit Climatis
E à *Cæsena* ad *Camerinum*: procedit præterèa, alterumque supradicto contrarium angulum describit, ponendo priùs latus ad *Orientem*, ubi fluvius existit *Æsis*, latus deinde Montis ad *Meridiem*, dicendo, *Mons Gingunus*, & *Sexstinus*; mentionem denique facit de *Metauro*, cum sit fluvius propter *Asdrubalis* profligationem celebris, per quem longitudinem describit Climatis, propè *Fanum* finiens, hujusque Urbis mentionem faciens: 24
antè latus ad Septemtrionem audactèr ponit, quòd, si *Ravenna*, *Ariminum*, & *Fanum* Urbes ad mare, ad *Umbros* spectabant; aliud totius hujus extensionis latus, mare est *Adriaticum*;
F Considerandum tamen est, notabilem existere angulum ad *Senam* terminantem, cum sit totius *Italiæ* inflexio, cuique angulo per diametrum opponitur ille qui fit ad *Camerinum*, & Montem *Gingunum*. Vide, igitur, *Opponens* mi, quanti ponderis hæc tua existat oppositio, apparet: (caliginis enim instar in fumum resolvitur. Ne igitur illa ultima tuæ oppositionis pars (super ipsius *Strabonis* verbum fundatæ) in dubio remaneat: in qua dicis, *Strabonem* usum fuisse Synonimis in re-

referendo nomine *Senæ* & *Senogalliæ*, cum sit una & eadem Urbs *Umbriæ* : suppositum verò est axioma, à te ipso factum, evectumque à subtili illo ingenio, similes gignente partus. Experimentum quippe citrà contradictionem est, duas fuisse *Senas*, differenter, propter utriusque distinctionem, vocatas; si enim una, & eadem fuisset, ad quid *Strabo* varia ei tribuisset nomina, diversum ordinem, differentem situm, in eodem contextu, in eadem serie, & descriptione Climatis totius *Umbriæ*. Eoque magis, cum Synonimorum usus in scientiis, in *Geographia* præcipuè, à scriptoribus prorsus alienus sit, nisi tamen varietas nominis ab ipsa prolatione, vel diversis epithetis nobis indicatur, ut legimus in *Plinio* lib. tertio, cap. XIV; nempè: ad distinguendam Civitatem Oppidi à terra *Sancti Angeli* in *Vado*, ambo, *Tiphernum* nuncupatam, primo addit *Tiberianum*, secundo autem *Metaurense* : *Strabo* autem eadem in prolatione idem explicat; loquens quippe de *Lucumone*, *Tarquinium Priscum* deinde vocatum fuisse declarat; tandem usus synonimorum, ad eundem indicandum locum, ejusdem loci va-
25 rietate nominum haud exposita, absolutè, & totaliter alienum est à Scriptorum omnium est more, præcipuèque in *Geographia*, ut jam dixi. Ponere autem *Senam* antè *Fanum*, ab *Occidente* ad *Orientem* eundo, mentionem deinde facere de *Senogallià*, tamquàm *Æsi* fluvio vicina (pluribus à *Metauro* distanti miliaribus, idem est, ac unicam, eamdemque urbem declarare, licet diversis nuncupatam nominibus. Oppositio equidem) juxtà meam, aliorumque sententiam) levis & vana.

Evacuastine adhuc solitarum oppositionum tuarum ærarium? Remansitne in eo pulcher aliquis ictus? Age quæso, nè tam citò fatigéris.

OPP. Sic equidem: Quò magis Equitis *Claramontii* Historiam perlego, eo magis in mea confirmor sententia, majoremque eamdem impugnandi rationem invenio; quodque verum sit, quod Eques *Claramontius* de basi Magni Trianguli extremorum totius *Italiæ* agrorum, totaque *Europæ* majorum, (omnia à *Polybio* sunt relata) loquens: in extremitate *Veneti* Littoris ponat *Senam*, littusque *Venetum* basem constituat Trianguli, qui ab *Apennini*, *Alpium*, *Germaniæ*, & littoris *Veneti* cursu formatur; atque in hujus basis angulo basem ejusdem littoris *Veneti* continente, & ad latus *Apennini* ponat *Senam*; hancque *Senam* esse *Cæsenam* & non *Senogalliam*, ostendere conetur: demonstratio quidem valdè procul à veritate.

DEF. Rationem expone tuam? Age: ne tibi tàm facilem esse suadeas:

OPP. Nunc tibi dubia aperiam: Scias in primis totam *Cisalpinam Galliam*, comprehendi regione, diebus his *Lombardia* vocata; illam tamen solummòdo citrà *Alpes* olim à *Gallis* possessam, in qua *Senogallia* reperitur: verum qui-
26 dem est *Galliam Cisalpinam*, jàm diù à *Cicerone* celebratam, aliam non fuisse, nisi illam *Togatam* nuncupatam; eo modo quò altera trans *Alpes*, *Comata*, vel *Bracata* dicta erat: de quibus sic ait *Volateranus*:

Romani Galliam *triplicem fecerunt*, Togatam, *&* Cisalpinam *in Italia*, *à* Toga *cum* Latio *communi:* Comatam, *quo nomine* (*ut ait* Plinius) *omnem* Transalpinam Galliam *vocabant ab effusis crinibus*, *ut* Lucani *etiam carmen testatur*

Crinibus effusis toti prælate Comatæ
Et Braccatam *olim quæ nunc* Harborensis.

Hæc autem verba *Volterani* sunt, quibus tres omnes describuntur *Galliæ*. In *Gallia* insuper *Togata* (à *Plinio* relata) *Senogallia* pariter continetur: dicit enim:

Jungitur his sexta regio Umbriam *complexa agrumque* Gallicum *circà* Ariminum, *ab* Ancona Gallica *ora incipit*, Togatæ Galliæ *cognomine*, Siculi, *&* Liburni *plurima ejus tractus tenuère*, *in primis* Palmensem, Prætutianum, Adrianum *agrum*, Umbri *eos expulère*, *hos* Hetruria, *hanc* Galli; Umbrorum *gens antiquissima existimatur* Italiæ, *quos* Ombrios *à* Græcis *putant dictos*, *quod inundatione terrarum imbribus superfuissent*, *trecenta eorum oppida* Thusci *debellasse reperiuntur*, *nunc in ora flumen* Æsis, Senogallia, Metaurus *fluvius*, *Colonia*, Fanum Fortunæ, Pisaurum *cum amne.* Quæ cum *Strabonis* dictis in lib. v. supracitato, mirabiliter conformantur, quando dixit: Umbri *propinqua tenent*, *ac deinceps* Sarsinam, Senam, Camarinum.

DEF. Impone semel finem molesto tuo discursui; verbis hisce tuis, ac auctoritatibus; Oppositionem tuam conclude: si aliquid boni à tot nugosis verbis extrahi potest: ut more tuo solito clarescat.

OPP. Festina lentè; sensim: ne irascaris: expecta modicum.

DEF. Expectabo: procede igitur:

OPP. Supposito ergo: *Galliam Cisalpinam* illam fuisse, quæ citrà *Alpes* existit, quæque *Anconam*, *Senogalliam*, *Ariminum*, similiaque *Umbriæ* loca complectitur; Equitem *Claramontium*, dum *Galliam Cisalpinam* prisca *Senogallia* excludit, eamque ab illa procul dicit, non benè scripsisse, satis clarè constat: quoniam si excludit *Senogalliam* à *Gallia Cisalpina* ab eodem in *Lombardia* posita, *Cæsena* quoque à *Gallia* minimè distabit, quæ in *Lombardia* non existit. 27

DEF: Absolvisti tandem! Laudetur Cœlum! sed dic mihi quæso hoc argumentum & hæc oppositio, quomodo ad propositum nostrum veniat? ad quid tot argumenta, adeòque longæ nugæ? nihil deinde concludentes? Quis duas, vel tres esse *Gallias* negat? *Senogalliam* in *Gallia Cisalpina* in sexta regione existere, hancque *Galliam Togatam*, illamque *Comatam*, alteramque *Braccatam* vocari quis dubitat? Ignosce mihi; Equitis *Claramontii* sensum, vel non intelligis, vel comprehendere noluisti: hoc quippe in loco, cum *Polybio*, de limitibus vastæ illius planitiei, nunc *Lombardia* nuncupatæ; tu verò perspicaci tuo ingenio, ordinem pervertis totique *Galliæ* eum applicas *Cisalpinæ*, quæ ejus districtus (ut satis clarè, sæpiùsque superius dixi) non solum usque *Anconam*, sed & quod ad imperium, (juxta *Ptolomæi*, *Plinii*, aliorumque denominationem) se se extendebat. Nunc verò ut te falsidicum, scriptaque Equitis *Claramontii* falsificantem ostendam: audi illius præcisa verba: dicesque deinde, quomodo tota *Gallia Cisalpina* ad rem nostram facit; quoniam de vastis illis *Italiæ* agris (de illa scilicet Planitie, nunc *Lombardia* dicta, à *Polybio* descripta) eadem sequentia *Polybii* verba profert:

Subjacent extrema campi totius, *omnisque* Europæ *maximi*, *&* *uberrimi*, *horum etiam forma triangularis apicem trianguli facit* Apennini, *&* Alpium *copulatio non longè à mari* Sardio *super* Massiliam *Latus*, *quod Septentrionem spectat* (*quemadmodum supra diximus*) Alpes, *faciunt quæ*, *duo millia & ducenta stadia protenduntur*, *Latus verò*, *quod ad Meridiem vergit*, *perficit* Apenninus, *hic ad tria millia & sexaginta Stadia protenditur*, *basis locum tenet latus ipsum Maris* Adriatici, *cujus magnitudo est à* Sena *usque ad intimum ejus maris sinum*, *duorum millium & quingentorum stadiorum spatio continetur.* 28

Opponens mi; ex his verbis; quomodo hìc ingredi potest *Gallia Cisalpina* & *Gallia Togata*; Hæc ad rem nostram non faciunt, in nugis narran-

randis nemini secundus es; pervertisti enim descriptionem & terminationem *Polybii* (ab Equite *Claramontio* relati) ut consuetam tuam ostendas amaritudinem, dolosamque personam apud omnes Literatos & intelligentes te declares.

OPP. Tua non est me judicare: esses enim adversarius, & judex:

DEF. Ad veritatem spectat, & ad me, veritatis defensorem.

OPP. Audi quæso; malum tibi superimminet, Clypeusque tuus fascinatus contra hunc ictum vanus erit: Duos alios gravissimos in Equitis *Claramontii* Historia invenio errores: *Primus* est in dicto *Polybii*, in describendis vastis Galliæ *Cisalpinæ* agris: Secundus in *Ptolomeo* in assignanda ultima *Sinus Adriatici* reflexione.

Quoad primum: *Polybius* in describendis magnis *Galliæ Cisalpinæ* agris, facit triangulum ex lineis non totaliter rectis, (& hoc eques *Claramontius* nihil referre dicit) *Alpium* latera, & *Apennini* lineam multò màgis longinquam à rectitudine formant, quàm litus *Senogalliæ* ad os *Fluvii* TIGLIAVENTO, seù *Tagliamento*; Eques nihilominus *Claramontius* ait: *Polybius* agris *Galliæ Cisalpinæ* assignasse simpliciter figuram Trilateralem tribus lineis rectis formatam: en hic primus error:

Secundus is est: assignat ipse pro ultima *sinus*
29 *Adriatici* reflexione (*Triestem*) *Ptolomeus* tamen ponit Flumen *Tigliavento*, vel *Tagliamento* pro extremo sinus Adriatici: hæc sunt ejus verba:

Adriatici Sinus.

Intimus Sinus in quo est Tilaventi ostium

Nationis fluvii ostia	35. 50. 44. 50.
Istria *similiter post flexum intimi* Adriatici *Sinus:*	34. 44. 50.
Tergiste colonia	34. 45. 44. 56.
Formionis Fluminis ostia	35. 44. 56.

Ex te ipso nunc noscis, quomodo *Triestes* ultimus recessus *Adriatici* sinus esse possit; Error igitur manifestus, ac ab Historiæ veritate valdè longinquus.

DEF. Festina lentè, Opponens mi; ne tàm efferatum ascendas equum, faciliùs enim dejicieris.

Circà primum à te falsè suppositum errorem, ut mendacio viam aperias, tuamque oppositionem insidiosè procedere facias; duobus ipsa modis & aufertur, & annihilatur: & primum ex dictis *Polybii*; is enim in hisce describendis agris Triangulum simpliciter format: Triangulus autem nihil aliud est, nisi figura ex tribus rectis lineis confecta; si lineæ quippe rectæ non sint, simpliciter Triangulus haud vocari potest, sed triangulus sphæricus, aut quid simile vocaretur. Hoc in loco adnotantur lineæ progressum *Apennini*, *Alpium*, littorisque maris formantes, & post revolutiones, curvitatesque locorum expositorum, & foràs illis relictis, à quibus (si attentè consideratur) rectitudo excluditur; per istas actiones, & circum actiones totius *Italiæ* figura haudquaquam mutatur: idcircò *Polybius* pro rectis posuit has lineas, totius extensionis *Apennini Alpium*, *Venetique* littoris: hæcque quoad *Polybium* sufficiant.

Circa verò dictum Equitis *Claramontii*, licèt
30 ipse dicat, *Polybium* agris *Gallæ Cisalpinæ* figuram Trilateralem tribus rectis lineis constructam assignasse, unde lineis modestam tribuit rectitudinem, modesta quoque equidem rectitudo ipsi tribuenda erat; quoniam si simpliciter ei assignantur lineæ curvæ, anceps prorsus est figuratio, ideòque ad exprimendam, ostendendamque rem aliquam inepta: quùm enim lineæ curvæ indeterminatæ sint, nulla, nisi rectis lineis medianti-

A bus, distantia assignari potest: & quando *Polybius* dicit simpliciter *Triangulum*, ibi modesta ingreditur rectitudo, ei tributa ab Equite *Claramontio*: verbum enim (*Triangulus*) simpliciter prolatum, tribus rectis formatus lineis intelligitur; Quapropter hoc sufficet ad ostendendum Oppositiones tuas pulchras primo aspectu, leves tamen, nullumque ad infligendum vulnus validas, esse mihi suadeo.

Ad secundam tuam nunc transeo Oppositionem à te Equiti *Claramontio* factam: sumit enim ipse (dicis) latus *Venetum* à (*Trieste*) tamquam ab initio, quod sumere debuisset ab ore fluminis *Ti-*
B *lavento*, vel *Tagliamento*, ut sumpsit *Ptolomæus.* Huic oppositioni tàm strenuæ me oppono, sic respondens. Quod si Eques *Claramontius* hoc latus à *Trieste* sumpsit, hoc fecit, ut rectà incederet à *Septemtrione* ad *Austrum*, juxta *Polybii* descriptionem, qui latus *Alpium* Septemtrionale ad *Austrum*, fecit & latus *Apennini* Australis; latus igitur, quod cum ducit rectè à Septemtrione ad *Austrum* procedere tàm certè debet, ut sub aliquo Meridionali circulo sit: talis igitur debet reputari linea à *Trieste* ad supradictum angulum facta, sicut in nostro *Cæsenæ* Territorio formare cernitur: Econtra verò linea tracta à Portu (*Ti-*
C *gliavento*, vel *Tagliamento*) ad *Senogalliam* talis non est, qualis ad nostrum tracta est *Territorium*,
à longitudine triginta quinque graduum ad trigin- 31
ta sex procedens, in quibus *Senogalliæ* longitudo consistit; undè linea illa, quæ lateralis deberet esse, per *Adriaticas* undas tracta (si sic fieret ut dicis) longiùs per viam extenderetur terrestrem, valdè plura enim terrestria milliaria numerantur. Ubi ergo nunc manent errores hi quàm graves (uti dicis) qui tanti te ipsum facis?

OPP. Ita quidem: errores gravissimi sunt; in summa enim Summarum dicendum est: *Senam* nunquam *Cæsenam* fuisse, benè tamen *Senogal-*
D *liam*; hæc omnia à *Polybio* extraho; ponit enim distantiam Basis figuræ Triangulari similem, quæ tracta à *Sena* ad extremum usque *Sinus Adriatici* recessum, duo mille & quingentos continet passus, quæ distantia verè sumitur à *Senogallia* ad ultimi *Sinus Adriatici* recessum, quùm ab hoc recessu ad *Cæsenam* ducenti mille passus desint: vide igitur ex hoc, quando *Cæsena*, esse umquam potuerit *Sena.*

DEF. Opponens mi, tibi idem feris, tibi idem metis? Quare distantia ea magìs *Senogalliæ* quàm *Cæsenæ* conveniret? dic mihi quæso? Immò totum contrarium: eò quià *Vincentius* ille *Cæsenas* in suis Thesibus contra *Hypodidascu-*
E *lum Ariminensem* (in subtilitate argumenti tui fidelem socium) mensuras eas *Cæsenæ* solummodò, & non *Senogalliæ* (ut asseris) convenire clarè ostendit. Justum quidem est, repræhensionis tuæ gratiæ, ipsas iterum adducere: sed antequàm ad hoc veniamus, *intervallorum* mensuras à *Polybio* ipso positorum meliùs considerabimus. Assignat ille *Apennino*, ubi inclinatur, stadia quingenta; eâdem igitur utens mensura quingentorum nempè circiter stadiorum, duas has esse flexiones invenio; quarum altera ad rupium fastigia *Cæsenam Ariminumque* versus, ut in tabu-
F lis geographicis *Magini*, acuratissimi in *Italiæ* 32
descriptione, *Ruscelli Rosaccii*, *Castaldi*; secunda ex *Norsia* super (*Ascoli*) ad mare, ac super *Anconam*; *Polybius* igitur assignando ab his flexionibus ad mare usque quingenta stadia, totidem ponit à fastigiis Rupium maris, quùm auctæ flexiones inæquali procul à mari sint distantia; Ea igitur scala adhibendo, metiendoque *Apennini* ad mare distantiam, ubi inclinatur, quinque, & plus mensuras numeratas reperio, qua-

rum quælibet quùm quingenta circiter contineant stadia; duo milliaria cùm quingentis circiter stadiis conficient, quanta debet esse basis trinangularis *Senam* usquè, prout in Tabulis *Magini*, ut & *Castaldi* apertè videtur. Quomodo ergo dicere audebis, mensuram, distantiamque eam *Senogalliæ* convenire, si rectè cadit in situm in quo *Cæsena* existit? Errorem insuper tuum tibi patefaciam, si scala illa milliarium utar, ubi fastigia Rupium maris *Ariminum* versùs, quadraginta circiter milliaria esse invenio, totidemque ex *Appennino* supra *Ascolim* pariter ad mare, eaque (inquam,) distantia ad metiendam *Cæsenam* à *Trieste* utendo, quinque mensuræ reperientur; quot equidem sunt à *Sena* ad ultimum recessum; quis enim ex hoc negare poterit, nunquam fuisse *Senam*, nisi passione, invidiaque captus, ut tu? Hoc etiam clarè legitur in *Vincentio Cæsenate* cive, in responsione ad *Ariminensem Hypodidascolum* missa; mensuras scilicet *Polybii*, *Cæsenæ* solummòdo, nullo modo *Senogalliæ* convenire, demonstrante eas ab initio esse *Italiæ* ex angulo, quem faciunt *Appenninus*, & *Alpes* circà *Marssiliam* Stadia MMMMCCCXLVIII. *Senogalliam* usque; quùm sit mensura à *Polybio Senæ* tributa MMMLX. Vide igitur, cui meliùs, *Cæsenæ*, vel *Senogalliæ* hæc adaptetur mensura.

33 Præterea quod, ad *Cæsenam* exactas equalitates minimè enumerabo, hæc enim stricta certitudo, ad *Geographos*, & *Theographos* potiùs spectat, quam ad *Historicos*, qui vicinitate tantùm, & propinquitate contenti sunt; & hic est defectus ille *Pediæ*, ab *Aristotele* repræhensus, dùm ab Oratore quæritur demonstratio, & à *Mathematico* admittitur probabilitas; ad subterfugia tollenda, & declinationem auferendam præsentis oppositionis à *Polybio* circa *Senæ* situm deductæ, pro præsenti sufficiat nobis totius *Italiæ* figura, crus repræsentans humanum, coxa terminante ad corpus, ut quidam ex Antiquis eam delineaverunt, ac inter hodiernos *Cluverius lib.* I. *cap.* IX. *de Antiquitate Italiæ*. *Lombardia* igitur unà cum *Liguriæ* parte, ipsi proxima, integram constituit coxam; Promontorium *Papulonium* (seù *Piombino*) genu format; Planities *Italiæ* ad *Calabriam* usque, anteriorem totius cruris partem; *Calabria* usque ad *Tapigium* Promontorium, vel caput *Otranti*, pedem cùm calcaneo, pulpa est cruris, ubi est *Ancona*; cruris flexionem, vel poplicem genu oppositam, ubi flectitur littus *Venetum*; ad finem verò tendit in coxam. Hæc igitur flexio est Angulus, quem litus *Venetum* cum cætero *Italiæ* littore constituit, versus Orientem incedentem per plagas *Arimini*, *Pisauri*, *Senogalliæ*, *Anconæ*, & *Apuliæ*; Angulus verò ille, quem *Polybius* limitem littoris *Veneti* facit, omnibusque Historicis notum, *Strabo* vèro ponit inter *Ariminum*, & *Ravennam*, *Leander Alberti* apud *Ravennam*, exactiùsque tamen *Polybius* ipse ponit ad *Senam*, id est, in suo agro, omnibusque Civitatibus eidem urbi proximioribus; rectitudo igitur littoris *Veneti*, ubi formatur Angulus, & flexio, & ubi rectitudo littoris *Italiæ* frangitur, est ea figura permanens, &

34 conspicua, ac ab omnibus colles nostros *Cæsenæ* ascendentibus videri potest: Nec ipsa contentionem, nec controversiam distantiæ patitur: Hæc figura situm priscæ *Senæ* ibidem esse ostendit, ubi nunc *Cæsena* extat, & non *Senogallia*, ut tu, Domine *Opponens*, totis viribus tuis, ac ferè violenter probare conaris.

OPP. Dimittamus ergo præterita; jocosi enim fuerunt ictus, ad alios tibi infigendos (absconditos forsan, potentioresque eis, quos usque adhuc sustulisti) accedam: Hi sunt: Ad ostendendum *Cæsenam* nunquam fuisse *Senam*, & *Senam* ipsam fuisse *Senogalliam*; *Sena* quippe semper ad littus maris ponitur, talisque est *Senogallia*, & non *Cæsena*: hoc optimè probatur per *Polybium* dicentem: *In ora maritima Sinus Adriatici*: ac per *Plinium* ipsum, qui non solum vocat *viros Cæsenates Mediterraneos*, sed insuper dicit; *intus Buxillum*, *Mutina*, *Parma*, *Placentia*, *opida*, *Cæsena*, *Clinterna*, *&* *Forum Clodii*. His etiam accedit *Appiani* auctoritas, loquentis de *Carthaginensibus* superatis à *Romanis*, qui in inimicitia persistere, novumque cum victoribus bellum inire maluerunt, quàm Patriam deserere *Carthaginensem* ad littus maris sitam, vel ut transferrentur, pati; atque ita Mediterraneam facit, distantem per octo à mare milliaribus, ut diebus hisce etiam est Urbs *Cæsena*: Eques verò *Claramontius* audet eam maritimam appellare, prout plurimis in locis *Polybius* vocat *Senam*: ait enim quodam in loco: *Ad mare Senam*: aliò in loco dicit: *Est autem ea Urbs*, *quemadmodum suprà memoravimus*, *in littore maris Adriatici sita*, *ubi Campi Italiæ nominantur*:) Ad quid igitur celebrium Auctorum testimonia quærere, si Eques ipse *Claramontius*, in sua Historia idem apertè dicit; & hæc sunt ejus verba:

Verum distinguere oportet, non parùm interesse inter descriptionem locorum ex Fluminibus, & Fluminum ex locis, loca enim mediteranea, ex fluviis distribuuntur, & fluvii ex ostio, & locis maritimis propriè designantur, non ex mediterraneis. 35

Eques *Claramontius* in *Rubiconis* descriptione ait, à pluribus nullam *Cæsenæ* mentionem factam fuisse, quùm Flumina ab ostiis, locisque maritimis, & non ab Urbibus à mare remotis, mediteraneisque, describantur; ex quarum numero *Cæsenam* esse apertè dicit; qua igitur de causa, nunc eam vocat maritimam, eamque *Senam* esse declarat, dicens: *quæ est ad mare*: sibi manifestè ergo non contradicit, ac consequenter falsum non supposuit? Si in primo enim apparatu, *Cæsenam* antiquam esse *Gallorum Senam* probare conatur, simulque cum *Polybio* ipsam in plaga *Adriatici* sinus ad littus maris ponit, ubi terminantur Campi *Galliæ* in base, continente ultimos totius *Italiæ* agros, in extrema planitie, *Pado* mundata, in confiniis littoris *Veneti*; non erit indè apertissima Equitis *Claramontii* contradictio in secundo apparatu dicere: quòd *Cæsena* sit Civitas mediterranea, non in loco maritimo, ac propterea Flumen *Rubico* ab illa minimè describitur? Certè si hæc non vocatur contradictio, nulla umquàm in Auctorum scriptis inveniri poterit.

DEF. Pulcherrimus equidem ictus, sed exterior tantùm; nullo modo absconditus (ut dixisti:) facilè evitari poterit: undè cum Poëta dicam

Questa (*diceva*) *al vincitor Maestro*
Il vinto schermidor risposta rende.

Verum quidem est, Equitem *Claramontium* in sua Historia dixisse, *Cæsenam* in ripa esse maritima; conclusit tamen Territorium ejus confinia habere cum mari, angulumque illum tàm celebrem *Italiæ* ad figuram universalem spectantem, in ejus existere Territorio, quæ Territorii pars hodierno die non procul est ab Urbe nostra (si per lineam rectam consideratur) plùs quàm septem milliaribus; Hæc linea, *Polybii* tempore 36 brevior esse debebat, nostrum enim littus quotidie augetur, quod a tempore *Strabonis* ad illud *Theodorici Gothorum* Regis, non procul à mare existebat, immò asserunt Historici, fundatam fuisse in mari, ut in præsenti Urbs *Venetiarum* est, ideoque *Ravennam* vocatam fuisse; nostris verò die-

diebus, tribus, vel quatuor milliaribus à mari distat: idem de nostro *Cæsenatico Portu* accidisse videtur: Senes enim reperiuntur homines, qui recordantur temporis quo mare Turrim Antiquam lambebat, nunc autem per semi quasi abest milliare: memini ego ipse, mare *Novam* tetigisse *Turrim*, nunc per catapultæ jactum distat: hæc igitur tuæ subtilissimæ sit responsio oppositioni. *Cæsena* jam *Sena* est, territorio suo mare tangit, cujus territorii pars Campus est, suoque cum littore hodierna die octo abest circiter ab eo milliaribus, atque in *Ravennæ* comparatione multò minor esse debebat. Hìc ergo nullam invenio contradictionem, nec dominum Equitem *Claramontium* sibi contradixisse video, quum ea septem, aut octo milliaria distet, suoque districtu, & agris mare tangat, & includat angulum figuræ *Italiæ*, prorsus perspicuum, ut maritima dici numcuparique non possit, eò magìs, quùm intrà ipsam & Mare, nec oppidum, nec terra, nec locus muris cinctus inveniatur, sed simpliciter territorium, agrique ejus limitentur mari. Sed, ut verum fatear, Domine Opponens (conscientiæ stimulo motus) inter nos duos, fraternam tibi facere correctionem, mihi opus est: Quare, Vir Docte, tàm libenter, frequenterque verbis uteris æquivocis, ut, verbi gratia, *magnum*, & *parvum*, de quibus *Aristoteles in libris de Prædicamentis tractat:* in capite, *de Quanto; spatium* (scilicet) *milliaris magnum* vocari potest, & *mons parvum* spatium: eodem
37 modo paucas esse in plateâ, licet centum existerent; multas esse domus, licet decem tantùm invenirentur: idem dici poterit de mediterranea fauce; Hæc vox (fauces) nihil aliud sibi vult, quàm (inter terras medium) id est illud, quod terra circumdatum est. Hoc ipso modo *mare* vocatur *Mediterraneum*, quia penetrans inter montem *Hispaniæ Calpem*, & *Montem Mauritaniæ Abilam*, dividit *Europam*, & *Africam*, *Asiam* usque pertingens. Hæc igitur vox *Mediterranea*, terræ quoquè applicata, omni latitudidi, longitudinique cujuslibet terræ, quæ ab omni conjungitur parte, à terra licet parva, & augusta, à mare segregata convenit. Civitas sic *Cerviæ Mediterranea* pariter dici poterit, milliare circiter à mare distans; *Senogallia* immò ipsa, *Mediterranea* dici potest, parva licèt terra à mari segregetur; sic nuncupata fuit à *Sebastiano Martio Durantino* de bello *Asdrubalis* libro secundo: audi ejus verba:

Est autem Sena *Urbs in* Senorum Gallorum Mediterranensis *inter novos* Picenos, *& in* Adriatici *maris littore olim à* Senonibus *ædificata.* Si ergo fateri renuis, Auctorem de urbe nostra *Cæsena* locutum fuisse, concedere saltem debes, *Senam* (quam vocas *Senogalliam*) propter distinctionem à me superiùs allatam, *Mediterraneam* dici posse; ut Eques *Claramontius* vocavit Urbem *Cæsenam*, sibique minimè contradixisse: Hac dein voce *Mediterranea* eccellentiori significatione sumpta, illud, quod à mare remotissimum est, indicatur, in hoc paritèr sensu sumitur à *Cicerone* dicente: *Mediterraneum mare esse non credunt:* Applicatione ex hisce omnibus facta, necessaria sequitur hæc conclusio, affirmans nempè, *Cæsenam* non esse *Mediterraneam*, quæ à Collibus ejus non tantùm, sed & ab agris ipsis mare intuetur; *Pisa* pariter urbs non est mediterranea, strepitum irati audiens maris: Hac verò voce propriâ significatione sumpta, *Pisa* est *Mediterranea;* littora
38 ejus, ostiaque non tantùm *Mediterranea* sunt, ac per ora, & non per loca *Mediterranea* (instar *Pisæ*) describuntur flumina; per quam Urbem non terminatur, nec describitur à *Ptolemæo Ar-*
A *nus*, licet valdè proximus sit mari. Quid dicis ad hæc, Opponens mi; Ubi hæ tuæ tàm notæ, palpabilesque contradictiones remanent? convictus non ne es? Aspice quàm debiles sint ictus, fragilesque oppositiones tuæ?

OPP. Responsionibus hisce tuis contentus minimè sum, nec mihi umquam persuadere possum *Cæsenam* fuisse *Senam*, fortissimum trahendo argumentum à sequentibus *Polybii* verbis:

Senam illam pridie à *Gallis* habitatam, iis eversis, relicto sibi veteri nomine, factam fuisse Coloniam à *Romanis.*

B Quod autem hoc de *Senogallia* intelligendum sit, idem confirmat, authenticatque *Plinius*, ponens *Cæsenam* in octava Regione, intrà oppida, & Colonias; apertè igitur ex ipso constat *Polybio*, *Senam* habitatam, ædificatamque à *Gallis*, non esse *Cæsenam*, sed *Senegalliam;* hoc idem refertur à *Silio Italico* de exercitu *Asdrubalis* mentionem iis carminibus faciente.

Pœnus *inundavit Campos*, *qua* Sena *relictum*,
Gallorum *à populis servant per sæcula nomen.*

DEF. Verùm est (minimè controvertitur) *Senam*, *Gallis* extinctis *Senonibus*, Coloniam à *Romanis* factam fuisse, sic quoque Genitor meus,
C (felicis memoriæ) in sua asserit Historia: Hunc tamen honorem à *Cæsena* auferre, & *Senogalliæ* tribuere, æquum mihi haudquàquam videtur; nulloque hoc permittam modo: Si autem benè recordaris (sed labilis mihi videris memoriæ) hujus tui ingressus initio, ut te in hanc mendicatam introduceres controversiam, *Cæsenæ* magnitudinem propalasti; eamque dixisti *Celebrem Urbem*, *Priscam Urbem*, *Antiquam Urbem*, antè *Romam* conditam, immò eam per *excellentiam* ab Auctoribus Classicis *Antiquam*, & *Priscam* vocatam: Equitem insuper *Claramontium* ipsam in 39
Umbris posuisse, ab eâque, nomine *Cæsenæ* ablato, illoque *Senæ* tributo, ejus prærogativas ab-
D stulisse dixisti: Nunc verò (hisce laudibus relictis) habitum mutans, teque instar bracteæ, à novo vento versatæ, volvendo, eam orbare tentas decore illo, *Coloniam* scilicet non extitisse *Romanorum*, ipsam parvulum vocando Oppidum tempore *Plinii*, tot annis post ædificatam *Romam* existentis, vivebat enim ipse *Titi*, & *Vespasiani* temporibus. Videntur ne tibi hæc pulchra dictu? Ego pariter, si priùs dixi Urbem *Cæsenam* celebri tuo calamo devinctam esse; nunc me mentitum de te fuisse fateor; Conqueri ipsa potiùs de te deberet, namque sursum deorsum deturbare eam in profundum conaris; privans enco-
E miis ei anteà præstitis atque ex celeberrima Urbe in parvulum reducendo Oppidum: Verum equidem est: quod, *nullum violentum durabile*, *Ficta laus statim mutatur*, ut *Proteus* fecit; idcircò cecinit Profeta.

La lode del nemico anco è sospetta.

Enim verò, ut, te eam deprimere nescivisse, oppositionemque tuam, (more solito) debilem, fundamentoque carentem, ac consequenter vanam esse ostendam; Audi; ecce tui Argumenti vis hæc est: *Polybius* asserit *Senam* coloniam *Romanorum* fuisse; *Cæsena*, *Plinii* auctoritate, Op-
F pidum est; ergo *Cæsena* non potest esse *Sena*, & per consequens, nec *Romanorum* Colonia.

Non benè rationes tuas collegisti, *Opponens* mi, quare *Cæsena* Colonia haud esse possit, licet à *Plinio* inter Oppida numeretur. Pulchra (re vera) consequentia, optima conclusio? Hoc verbum *Oppidum* decus Urbi non aufert, nullumque ipsi infert damnum; Ab omnibus autem priscis, scriptoribus vocabulum *Oppidum* pro *Urbe* sumitur, immo unum, & idem est: de hoc fidem nobis præstat *Plautus*, qui, nomine Urbis, *Eleu-* 40

tipoli dato, vocataque *Urbe:* subjungit postea: *Urbem* Eleutipolim Persæ *cepêre in* Arabia *plenum bonorum rerum, antiquum Oppidum:*

Idem etiam à *Sylvio Sulpitio* servatur: in Epistola enim Consolatoria ad *Ciceronem* in morte *Tulliæ*, multis celebribus Urbibus nominatis, pàrtim ab hostibus, pàrtim à terræmotibus destru- ctis, ait: „*Quæ oppida quodam tempore florentissi-* „*ma fuêrunt:* Et tandem apud *Ambrosium Calepinum*, ubi invenitur (*Oppidum*) *Urbem* etiam significat; ibique opponitur vox *Græca* πόλις, quæ quoque *Urbem* indicat. Vides ergo quantæ sit vis hoc tuum argumentum? quare igitur *Cæsena* Colonia esse haud poterat?

Quod ad carmina verò *Silii Italici* de *Asdrubalis Carthaginensis* exercitu loquentis; summoperè tuum admiror ingenium; adducentem quod contra sententiam directè cadit tuam; & in favorem est *Cæsenæ*. & ut tibi rem apertè dicam; agis, ut Medicus ille, qui formulas remediorum in saculo gestans, ægroto, ex iis unam porrigebat, dicens: *Deus sit tibi propitius:* tu pariter, dummodo folium impleas, vel malè, vel benè, aliud non quæris. Audi: Quomodo umquàm *Asdrubal*, militibus suis *Senæ* agros inundare poterat, si ea, *Senogallia* (ut dicis) fuisset; clarum enim, immò & evidentissimum est in omnibus Auctoribus, hunc disponentibus eventum, atque à temetipso confirmatum (si benè recordaris) *Asdrubalem* nunquam transire *Metaurum* potuisse ad eam partem, ubi sita est *Cæsena*; immò ad ejus *Metauri* ripas, (debellato ejus exercitu) occisus remansit; nomen adhùc locus servat, eventusque reliquiæ apparent, Monsque, ad plagam Fluminis Occidentalem, vocatur *Ossai:* Argumentum verò concludens, & necessarium, istos, nempè, agros *Senæ*, ab exercitu *Carthaginensi* inundatos fuisse ad *Senam* illam, citrà *Metaurum*, versùs partem *Occidentalem*, non autem ad *Senogalliam* ad *Orien-*
41 *tis* plagam, ubi nunquam id accidit, & ab altitudine riparum Fluvii, atque à *Romanis* copiis (quæ posteà eum destruxerunt) impeditus nunquam pervenit *Asdrubal*. Invito te igitur, nulla alia ad illam partem existente *Sena*, præter *Cæsenam*, *Carthaginensem Cæsenæ* agros, & non illos *Senogalliæ* inundasse concludendum est.

OPP. Non Domine; Verum equidem non est; quodque nunc dicis impugnabo: Agitur enim hic de *Sena* ad *Metaurum* sita, quæ est *Senogallia*, & non *Cæsena: Asdrubal* quippe, superatis *Alpibus*, venit ad *Metaurum*, ibique occisus fuit; undè nunquam *Cæsenam* venit; hoc ex Auctoribus colligo, nec ex mente mea prodiit sententia hæc; inter quos *Etropius* ipsam probat hisce verbis:

Deinde desperans Annibal Hispanias *contra* Scipionem *diutiùs posse retineri*, *fratrem suum* Asdrubalem *cum omnibus copiis in* Italiam *evocavit; is*, App. Clau. Nerone, & M. Livio Salinatore *Coss. ex Hispaniis per* Galliam *in* Italiam *veniens*, *magna secum auxilia* Hispanorum, Gallorum *sumpta deducit*, & *cum maturato adventu descendisset*, *jam ex* Alpibus *Consulibus proditus fuisset ab exercitu Romano*, *ignorante* Annibale, *apud* Metaurum *fluvium in insidias compositas incidit*, *strenuè tamen pugnans occisus est.*

Si postquam ex *Alpibus* descenderat, ad *Metaurum* accessit, moratus igitur fuit penès *Senogalliam* propè *Metaurum* existentem, & non ad *Cæsenam*, per quinquaginta distantem milliaria. *Livii* pariter de hoc loquentis, sequentibus boc confirmatur verbis:

Ad Senam *Castra alterius consulis erant* (de Consule *Salinatore* loquitur) *quingenti fermè passus* Asdrubal *abierat his anxius curis*, *extinctis ignibus*, *vigilia prima*, *dato signo uti vasa taciti colligerent; signa ferri jussit in trepidatione*, & *nocturno tumultu duces parùm intente asservati alter in destinatis jam inde ante animo latebris subsedit*, *alter per vada nota* Metaurum *Flumen tranavit*, *ita desertum à ducibus Agmen*, *primò per Agros palatur*, *fessique aliquot somno*, & *vigiliis*, *sternunt corpora passim*, *atque infrequentia relinquunt* 42
signa, Asdrubal *dùm lux viam ostenderet ripa fluminis signa ferri jubet*, & *per tortuosi amnis sinus*, *flexusque quum errore obiens haud multùm processisset*, *ubi prima lux transitum opportunum ostendisset transiturus erat*, *sed quùm quantum à mari abscideret*, *tantò altioribus coercentibus amnem ripis*, *non inveniret vada*, *diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti.* Nero *primum cum omni equitatu advenit.*

Ex verbis hisce igitur *Titi Livii* colligitur, *Asdrubalem*, exercitum à littore circa *Senam* per ripas *Metauri* ducentem, per quod tota nocte erravit, non valdè ab hoc flumine procul, castra sua posuisse. *Metaurus* autem quùm à *Cæsena* quinquaginta milliaribus distet, & à *Senogallia* tredecim tantùm; *Senam* illam, penès quam Consules *Romani* cum agminibus fuisse narrantur, à quibus centum solummodo passibus aberat *Asdrubal*) non *Cæsenam*, sed *Senogalliam* fuisse, certum erit.

DEF. Opponens mi; hæc formas argumenta, eaque irrevocabilia vocas; non ne te pudet? Syllogismos Tyro (re vera) similes non faceret: Audi quàm pulchrum argumentum: *Asdrubal* transactis statim *Alpibus* ad *Metaurum* pervenit, sed *Metaurus* est propè *Senogalliam*, (quùm tredecim tantùm milliaribus distet) ergo *Asdrubal* venit *Senogalliam*, non *Cæsenam*, quinquaginta distantem milliaribus: Subtile quidem argumentum.

Heu! Opponens mi, ubi honor, ubi decus tuum est? si *Virgilius* sic dixit:

—— —— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames —— ——

Idem de te, sed sequenti modo, dici posset:

—— —— *Quid non mortalia pectora cogis.*
Fandi sacra fames —— ——

Argumentum tibi ipsi contrarium construis: superatis quàm primùm *Asdrubal Alpibus* pervenit ad *Metaurum*, ibique (velociter pugnando) occisus fuit; Quo igitur modo *Senogalliam* perve- 43
nit, tredecim indè distantem milliaribus, si *Metaurum* superare haud valuit: dic mihi quæso (verba eadem *Eutropii* retinendo:) Ex *Hispaniis* (nempè) per *Galliam* in *Italiam* veniens: Quomodo ex *Gallia* in *Italiam*, & ad *Metaurum* pervenire possumus, antequàm *Alpes*, *Pedemontem*, *Lombardiam*, *Romaniam* denique transeamus. Qua vi munitus fuit *Asdrubal*, ut transactis quàm primum *Alpibus*, *Metaurum*, (locis mediis minimè tactis) accederet? quæ est virtus, spiritibus Angelicis tantùm concessa (ut Theologicæ testantur scholæ) ab uno ad aliud extremum (intacto medio) transire; licet illud verbum (*statim*) à te verbis *Eutropii* additum, & non ab Auctore expressum sit; voce enim illa (*jam*) usus est ipse, ut cernitur:

Virtute tamen hac supposita, *Asdrubali* uni minimè tribuenda esset; tu (qui omnia præposterè agis) hoc affirmare minimè velles; *Simeonis* forsan celebris illius *Magi*, artem calluit (ei magis adæquatam) volitu per aëra à Demonibus transvehi; si verò unum ferre non potuerint isti (sinuerunt quippe eum cadere) quomodo tot portassent agmina, agros inundantia, totque equos, & elephantes, singulo certè foveam implevissent: Non, non, breviter, fuit unus ex illis *Farpharellis Spiritibus*, ex *Malagigiis* (qui à po-

ste-

ſterioribus equum *Doralicis* ingreſſi, eum per aëra ad *Arlim* uſque tulerunt, locis mediis intactis) unus, inquam, ex iis Spiritibus fuit, qui hunc per aëra tranſvexit exercitum; undè ſic cecinit *Arioſtus:*

Quel Ronzin, come il Diavol ſe lo porta,
Doppo un gran ſalto ſe ne và con quelli,
Che pur grida ſoccorſo in tanta fretta,
Che non l'haurebbe gionto una ſaetta.

Abſurdum quidem: unus tantam non habuiſſet
44 vim: Nunc autem, *Opponens* mi, hujus volatus veritatem inveni: Confusè ſimul omnes ſuper navim, (qua utuntur *Sagæ*, quaque *Ganum Magantiæ*, ad ſuum eunt concilium) per aëra volantem, veliſque per *Junonis* agros, (ſcopulis ſpretis) velociter incedentem, aſcenderunt, undè ſic rurſus idem Poëta cecinit:

Portati alcuni in gran navi di vetro,
Da fier Demoni cento volte, e cento
Con mantici ſoffiar lor facean dietro,
Che mai non fù per l' aria il maggior vento.

Et alibi:

E verſo il Ciel ne và come per l' onda.
Suol Nocchier, che l' aura habbi ſeconda.

Nugas verò, fabulaſque dimittendi tempus eſt, & redeundi ad noſtræ pugnæ ſoliditatem, haſque tuas aëreas oppoſitiones diſcutiendi, adeò, ut evaneſcant.

Veriſſimum quidem eſt, quòd *Aſdrubal* (*Alpibus Italiam* à *Francia* ſegregantibus ſuperatis,) in *Pedemontem* deſcenſum, *Placentiam* in *Lombardia* (licèt in vanum) obſeſſiſſe; & ſic aſſerunt Scriptores: Quomodo igitur ex *Placentia* tàm ab *Alpibus* diſtante, (non ergo, *ſtatim ex Alpibus ad Metaurum*) ad hoc *Flumen*, centum nonaginta milliaribus remotum, mediaſque Civitates interpoſitas minimè tangens, venire poterat? & tamen (oh deteſtabilis perfidia!) ignoras ne, te in narrandis Mediterraneis locis, uſum fuiſſe *Itinerario Antonini*, quod ad ignominiam tuam hic repetam: Prima igitur Urbs, quæ invenitur à *Placentia* incipiendo, eſt

Florentiola Urbs m. p. 29	*Faventia* Urbs m. p. 10
Parma Urbs m. p. 15	*Cæſena* Urbs m. p. 20
Rhegium Urbs m. p. 18	*Ariminum* Urbs m. p. 20
Modena Urbs m. p. 17	*Piſaurum* Urbs m. p. 24
Bononia Urbs m. p. 25	*Fanum* Urbs
Imola Urbs m. p. 25	*Senogallia* Urbs m. p. 24

45 Quùm autem *Metaurus* ſit, ad quem pervenit *Aſdrubal* cum exercitu inter *Piſaurum*, & *Senogalliam*, quàm maximè neceſſarium erit, ſupradictas perluſtraſſe Civitates; & conſequenter per *Cæſenam* transiviſſe; Tu ipſe nunc ex hoc conclude; Vide, quò loquendi, ſcribendi, ac pingendi cupido trahit; tu telas in aëre conficiens, ut araneæ, muſcas captas; ut tibi verum fatear; decore periclitaris tuo: ac ſi Scriptorum ſenſum (licet optimè intelligas) haud quaquam perciperes: Hæc ſunt *Eutropii* verba:

Et cum maturato adventu deſcendiſſet jam ex Alpibus *apud* Metaurum *fluvium, in inſidias compoſitas incidit:*

Ex his verbis nullus (niſi prorſus ignavus ſit) conſtructionem, concluſionemque à te indè deductam, extrahere umquam poterit: quod ſcilicet, ſtatim ac *Aſdrubal Alpes* tranſivit, *Metaurum* pervenerit. Domine *Opponens*; Quoniam urbanitas tua verbis *Eutropii*, illud verbum *Statim*, addere non dedignatus eſt; acceptum tibi pariter ſit, commutare illud, *pervenit ad Metaurum flumen*, in, *transnavit*; quod in tui gratiam dixiſſet; Viri in ſtudiis conſumpti, ut tu es hæc Argumenta revera non ſunt. Ut verò te eamdem

A cum ſtercore habere qualitatem oſtendam; & ut univerſis palam faciam, quod qui in maledicentiæ labyrintum ingreditur, *Ariadnæ* filum, ut exeat, minimè reperit, immo eò magis ſe implicat; tuæ longæ, latæque oppoſitioni reſpondere mihi fas eſt; Verbis *Livii* ſiniſtrè perceptis, pejùs applicatis, & pro amaritudine expreſſis, ſine concluſione adductis ad probandam pertinaciſſimam propoſitionem tuam uteris; *Cæſenam*, ſcilicet, nunquam fuiſſe *Senam*, & *Senam*, ubi caſtra tenebant Conſules *Romani* contra *Aſdrubalem* fuiſſe *Senogalliam* & non *Cæſenam*.

Ignoro quidem quo ficto colore adferas *Plinii*
B verba, oppoſitionibus eadem adoptans tuis: *Livius* enim præcisè de *Cæſena* loquitur: quòd verum 46
eſſe ita patet: *Sena Livii*, ubi agmina ſervabant Conſules *Romani*, à qua quingentis paſſibus diſtabat *Aſdrubal*, non erat ex parte *Metauri* verſus *Orientem*, ſed ex parte *Senogaliiæ Occidentalis*, & ex parte *Metauri* verſus *Cæſenam Orientalem*; ex parte autem *Metauri*, Occidentem versùs, Conſules caſtra habebant penes *Senam*, ad Occidentalem *Metauri* Fluvii plagam: Hæc ipſa *Cæſena* erat, & minimè *Senogallia*. Omnia à me adducta vera ſunt; nugas non profero, ut tu, ponderemus quæſo verba *Livii: His anxius*
C *curis, extinctis ignibus vigilia prima dato ſigno:* cum ſequentibus: *ſpatium dedit ad inſequendum ſeſe hoſti.* Nero *primus cum omni equitatu advenit.* Satis clarè igitur conſtat, Conſules ſequutos eſſe *Aſdrubalem*, quando cum ſuis agminibus, ut *Metaurum* tranſiret, iter ſuſcepit; & ſic Conſules, & *Aſdrubal* citrà *Metaurum* morabantur. Quod verò *Metaurum* nunquam tranſire poſſet *Aſdrubal*, & Vadum invenire, hoc idem *Livius* explicat, dicens: *Sed quùm quantum à Mari abſcederet, tanto altioribus coërcentibus amnem ripis non inveniret Vada.* ubi ſtrenuè pugnans, tamen occiſus fuit. Idcircò quomodo *Livii* verba ad rem tuam faciant
D ignoro, quoque modo, *Cæſenam* nunquam fuiſſe *Senam* probent; ſi penes *Cæſenam* in caſtris morabantur in facie *Aſdrubalis*, qui fratri *Annibali* in *Apulia* ſe jungere cupiebat. Quid reſpon- 47
debis ad hæc domine *Opponens?* Tu qui omnia præpoſterè agis, ut ille Doctor Juris, qui contra propriam cauſam judicem informabat, exiſtimabatque (tàm doctus erat) ſecundam obtinere ſententiam, hoc dignè meritò concludere poſſum cum *Taſſo:*

Credimi huom forte, e riconoſcer voglia
Me per tuo vincitore, e la ragione.

OPP. Omnes vires meas expergefacio, & col-
E ligo; magiſque in mea confirmor ſententia: Locum ſciliet, quo Conſules in caſtris morabantur, fuiſſe *Senogalliam*, nullo modo *Cæſenam:* ratio ad confirmandum hoc axioma, oppoſitionemque meam movens, hæc eſt: *Aſdrubal* ſcilicet (ſi quingentos paſſus à *Cæſena* diſtaſſet) tàm brevi temporis ſpatio ad *Metaurum* pervenire nunquam potuiſſet, & eò magis armis, ſarcinisque militaribus impeditus, viarumque ignarus, ductoribus carens, tali modo, iter hoc quinquaginta milliarium non paucis horis, ſed tribus integris diebus vix abſolvere potuiſſet: Quod autem Eques *Claramontius* in ſua refert Hiſtoria, à
F *Cæſena*, ſcilicet, ad *Metaurum* facilè commodumque iter, artificialis diei tempore perſolvendum; ipſe enim duodecim horarum ſpatio lento equi greſſu abſolviſſe aſſerit; nulla quippe facienda eſt comparatio inter equum, laboribus aſſuetum, ac exoneratum, quo Eques *Claramontius* utebatur) & pavidum exercitum, majori ex parte Peditum, nocte fugientem, ſarcinis oneratum, & hoc nocte unâ, ut in *Livio*, qui de unâ tantum modo nocte loquitur, nullum infra-

po-

positum diem indicans; nihilominus Eques *Claramontius* suum defendendo errorem dicit, secunda accidisse nocte; hoc est; prima nocte tacitè fugam arripuit, secunda verò ad *Metaurum* pervenit, orto jam sole: antèquam Consules ejus perciperent discessum, minori enim decem horarum spatio persolutum fuit.

48

Has refert nugas, ut falsam suam defendat propositionem: ac si *Romani* mente capti fuissent, ac exploratoribus carentes, qui de discessu exercitus eos certiores redderent; præsertim quùm tam numerosus extiterit, inundabat enim agros per quingentorum circiter passuum extensionem; iter facientis noctu, tumultuosè itinerantis, non audiebatur forsan rumor silentio noctis, qua strepitus licet minimus auditur? Consulesque tantum illis temporis spatium concederent, ut quinquaginta milliarium iter, viginti quatuor horis, ductoribus orbati, noctu, non conscii viarum, à sarcinis militaribus detenti, absolvere potuissent iter, quatuor equidem diebus, totidemque noctibus magno cum labore absolvendum. Eques tamen *Claramontius* ineptias has refert; Si legisset quid *Plutarchus* in *Camilli* Vita scribit, siluisset: Narrat enim ipse, quod eodem modo *Roma* fugiente *Brenno*, tota nocte sexaginta tantùm stadia absolvit; quæ tantùm octo sunt milliaria: hujus igitur iter *Asdrubalis* itineri applicato; discedens iste *Cæsena Metaurum* versus, quinque vix dierum spatio iter hoc complere potuisset, ita ut non *Cæsena* sed *Senogallia* discessisse dicendus sit. Verum insuper non est, quod Eques *Claramontius* ait, quod *Appianus* asserat claris evidentibusque verbis, *Asdrubalem* sollicitatum fuisse à fratre, ut *Sena* discederet, sua agmina cum eis, quæ ipse ducebat, uniendi gratia: licet Auctor is tantùmmodo indicet, *Asdrubalem* hoc mandatum in *Hispania* recepisse ingrediendi *Italiam*, ad exercitum ejus augendum, ut clarè patet ex verbis illius, libro de *Hispaniarum* bellis:

49 Asdrubal Amilcaris *filius, qui militibus ad* Oceanum, *Septemtrionem versus, conscribendis intentus erat, à fratre* Annibale *accersebatur, & flagitabatur, ut quamprimùm in* Italiam *transiret. cum igitur id clàm* Scipionem *haberet, per* Pireneos *montes, quà magìs Septemtrionem spectat, cum iis, quos colligerat* Celtiberis *iter fecit, atque hoc pactu* Romanis *id ignorantibus*, Asdrubal *magnis itineribus in* Italiam *contendit.* Quo modo his verbis mentionem faciat *Appianus*; *Asdrubalem* vocatum à fratre fuisse in *Apuliam*, licet in castris intra *Senogalliam* maneret, & *Metaurum?* Hoc fundamentum, & conclusio rei est; an *Annibal* recesserit, & *Romanis* obviare evitaverit; finis ejus primarius fuit, certamen cum illis haud inire, & ideo tutum fluminis vadum non quæsivit; secundarius verò, per brevius iter transire, ac per tutiorem ad fratrem in *Apuliam* venire, ut sese illi conjungeret.

Asdrubal ergo à *Senogalliæ* limitibus fugiebat, primùm, ut evidens, imminensque periculum ab exercitu *Romano* ei comminatum, evitaret; ideoque flumen medium hostibus (maritima possedentes loca) tantum obstaculum interponere studuit; atque, ut ab eorum insidiis tutior evaderet, per mediterranea, ex parte Orientali, ripam à *Romanis* minimè occupatam, incedere; sicque rectè iter prosequi suum (secundò nempè ejusdem hic fuit scopus) studuit: Quis autem hunc esse exercitus statum haud affirmabit. *Romani* Orientalem fluminis plagam *Senogalliam* versus possidebant, *Carthaginenses* verò Occidentalem illam *Metauri*, medium percurrentis exercituum; sic per loca eminentiora fluminis (ut rectè ad fratrem accederet) viam sibi parare curabat *Asdrubal*: Sic igitur nunquam verum fiet, quin immò propositio Equitis *Claramontii* falsa est; iter nempè milliarium quinquaginta, decem vel duodecim horis commodè equite confici posse: & si ille ipse Eques de hoc fidem præbet, ei ipsi hæc fides remaneat: quoad me eamdem prorsus veritati oppositam puto; quùm contrarium probaverim. 50

Finem non ne adhùc nugis tuis hisce tàm longis, tædiosisque imposuisti?

OPP. Haudquaquam: ad fortiora accedo, Equitemque *Claramontium* spoliato non nisi tegmine relinquam.

DEF. More quidem tuo solito; effutire igitur loquacitatem tuam, continuò eadem repetentem.

OPP. *Asdrubal* insuper, prima verspertina vigilia, fuga arrepta, castra quasi fugientia movit, dubiaque luce ea ad flumen pervenit. (*Dum lux viam ostenderet*) Fluvius ergo non procul erat ab exercitu *Carthaginensium*, penès quem *Senogallia* existebat, tredecim solummòdo milliaribus à dicto fluvio distans, non autem *Cæsena* quinquaginta milliaribus à *Metauro* procul sita; Timor insuper fugæ, metus perpetui socius, initia fugæ præstat velociora; juxtà dictum illud:

Pedibus Timor addidit alas:

Exiguo autem tempore deficientibus, tarditatem fugientibus suggerit metus: undè dictum olim fuit:

Che per troppo spronar la fuga è tarda.

Mille rei hujus reperiuntur experientiæ: sine metu enim ambulans, majùs, citiùsque iter perficit, illo equitante; & scopum citiùs pertingit, qui absque metu incedit; is quippe metu, nimiaque captus sollicitudine, primo milliari fatigatur.

Asdrubal præterea, ab hostibus discedens cum equestri non tantùm militia, sed & pedestri, itineris inscius, armis, impedimentisque bellicis gravatus, lentè incedere cogebatur.

DEF. Tace, quæso (*Opponens*) has tuas sæpiùs repetitas rationes summoperè fastidio; easque magìs audire nequeo: concludamus ergo.

OPP. Ut mea plus justificaretur sententia, persequi cupiebam: Haud verosimile esse *Asdrubalem* discessisse *Cæsena* primo crepusculo, silentio tàm exacto nec auditum fuisse à Consulibus; idemque iter, paucis horis confici potuisse tacitè, ideòque *Senogallia* ipsum discessisse credendum est; eòque magìs, quod si Consules *Romani* insequi debuissent *Asdrubalem* à *Cæsena* ad *Metaurum* cum equitibus, & peditibus; duorum dierum spatio, lassi ab itinere tanto, ordine incedere, ac pugnare, hostesque profligare (ut fecerunt) haud valuissent. 51

DEF. Siste, semel rogo; quomodo tot congregare nugas, tot proferre inconvenientias, tot adducere contrarietates, tot vana afferre argumenta, Auctorumque dicta distrahere, tot ridiculas exprimere oppositiones, eamdemque semper rem concludere, coneris, (doctissime vir, qui eminentes ascendisti Cathedras, totque in lucem edisti opera) persuadere mihi nequeo. Antequàm autem tibi debitam responsionem faciam (licet verbis *Cajetani* ad *Picum Mirandulanum* uti possim, dicentis: *Unica tantum solutione aufertur longissima series argumentorum.*) nihilominùs hanc tuam dicendi prolixitatem, ad sua reducere capita, ne mea confundam responsa, congruum judicavi: nempè:

1. *Asdrubalem Cæsena* discedentem ad *Metaurum*, sub primi vesperi haud potuisse crepusculo pervenire.

2. Verùm minimè esse, quod Eques *Claramontius* affirmavit, à *Cæsena* scilicet ad *Metaurum* duo-

duodecim horarum tempore pervenire posse, dùm ipsemet per passus equitando eodem confecisse tempore asserat; te contrarium fuisse expertum.

3. Haud verum esse (ut dicit ipse) ex verbis *Livii* colligi posse, secundam, non primam extitisse noctem, quoniam de una tantum loquitur nocte, & de nullo alio die mentionem facit.

4. Incredibile, immò absurdum esse, affirma-
52 re, Consules *Romanos Asdrubalis* discessum, vel per exploratores, vel per tumultuantis exercitus strepitum, quingentis tantùm passibus distantis, haud audivisse.

5. *Asdrubalis* exercitum quinque dierum spatio *Metaurum*, *Cæsena* discedendo, vix pertingere potuisse: *Brennum* autem (ut dicit *Plutarchus*) octo tantum milliaribus unica nocte, fugientem *Camillum*, progredi potuisse.

6. Falsum esse, *Appianum* nunquam retulisse, *Annibalem* cum festinatione fratrem à *Sena* evocasse, sed quidem ex *Hispania*, ut ex verbis superiùs expressis patet.

7. Consules *Romanos* (si insecuti fuissent *Asdrubalem Cæsena* discedentem) duobus diebus, agminibus ad pugnam dispositis, eò non pervenisse, falsum est.

OPP. Verissimum quidem; capitibus hisce tàm bene collectis, ea haud magìs repetere opus est, & hæc sufficiant.

DEF. Respondendo igitur ad primum Caput, & oppositiones tuas, Equitem *Claramontium* defendens dico; quòd ille ipse in Historiæ suæ apparatu, hoc sibi argumentum fecit, hocque sibi proposuit dubium: idque ex verbis *Livii*, qui *Asdrubalis* scilicet agmina adeò propè *Sænam* fuisse collocat, ut paucarum horarum primæ noctis spatio ad *Metaurum* quiverint pervenisse, quùm *Cæsena* quinquaginta ab illo fluvio distet milliaribus; Iter equidem quod tàm exiguo tempore, à velocissimis Dromedariis vix confici possit.

Verba autem *Livii* hanc proximitatem indicantia hæc sunt: *Asdrubal anxius curis*, & deinde, *Nero primùm cum omni equitatu advenit.* Huic objectioni, sibi ipsi factæ (quam tuam vocas, & ut tuam supra maximam basim fundatam adducis) sic respondeo; Iter *Cæsena* ad *Metaurum* decem,
53 vel duodecim horarum spatio equis ambulantibus, & non currentibus commodè absolvi potest; idem iter dicto temporis spatio Eques *Claramontius* complevit, & ideò impossibile minimè videtur, *Asdrubalem* (instar fugientis progredientem) *Cæsena* crepusculo vespertino relicta, *Metauri* ripas attigisse, orto jam Sole: *dum lux viam ostenderet*.

OPP. Hoc jàm negavi, hocque iterum nego, dicens: falsam esse Equitis *Claramontii* suppositionem, ac nunquam veram fore, ut spatio tàm exiguo, tantùm confici possit iter; palpabileque mendacium, falsumque ejus testimonium est, hoc complevisse iter; contrarium enim ego ipse expertus sum.

DEF. Dicis (*Opponens mi*) sed nimis securè dicis; tu ipse erras; duobus quippe modis hoc à *Cæsena* ad *Metaurum* confici iter potest; primus modus est (ut fecit Eques *Claramontius*) insidendo equis huic assuetis itineri, decem aut duodecim horis id conficientibus: secundus, *Asello* insidendo, humilitatis ergo, ut tu fecisti; hoc equidem modo contrarium experitur; si enim *equis* insidendo decem impenduntur horæ, insidendo *Asellis*, viginti consummabuntur; sic verum erit Equitis *Claramontii* testimonium, quod ego ipsemet confirmo; idem enim absolvi iter sub *Libræ Æquinoctio*, *Cæsena* discedens hora quartadecima, *Fanum*que circà vigesimam quartam ingressus fui; verum quidem est, me cum sollicitudine quadam

A equitasse, hanc tamen duabus horis (quibus propter negotia mea *Pisauri* moratus fui) compensavi.

OPP. Agedum; iter hoc, equo fortiter incedenti, fieri posse concedo: considerandum tamen est, hoc ab *Asdrubale* numquam compleri potuisse, Equites enim non tantùm, sed & magnam Peditum copiam secum ferebat.

DEF. Arduum quidem tibi videtur, hoc iter supradicto tempore pedibus perfici posse; quotidie tamen cernis id fieri, quod Rusticis non 54
tantùm nostris, ad *Lauretanas Ædes* tendentibus, consuetum est, sed & Civibus, devotione, vel voti gratia ad hunc sacrum locum peregrinantibus,
B summo enim illi surgentes mane, facile executioni dant.

OPP. Comparatio benè incedit; discrimen tamen magnum est inter celeres, ac absque impedimentis proficiscentes, & exercitum sarcinis militaribus, cæterisque bellicis instrumentis oneratum; impossibilitatem enim inferre mihi videtur.

DEF. Quare igitur impossibile erit? *Philippus Macedoniæ* Rex (ut refert *Titus Livius*) magno Equitum, Peditumque exercitu, armis, sarcinisque militaribus comitantibus onusto, unius diei spatio sexaginta absolvit milliaria, belli occasione, & necessitate urgente; ejus tamen non erat fuga,
C nec fugæ instar, sed cum hoste certandi celeritas.

OPP. Nec *Titus Livius* hoc dixit, nec umquàm hoc repertum fuit.

DEF. Jure meritò nunc dicere possum: *Contra negantes prima principia, non est disputandum.* Sanè tua semper peculiaris fuerit cura negandi, quæ tibi haud prosint, ac vertere scripturas & ad tuam trahere voluntatem; Quomodo *Titum Livium* hoc retulisse haud verum est? Proh mendacium! Audi illius præcisa verba, *in initio libri vigesimi octavi.*

D Ipse *Philippus una die Placidis Ecatiam sexaginta ampliùs millia contendi.* Unum mihi sufficere exemplum nolo; diceres quippe, *unus flos non facit Ver*, uti dicit Proverbium: mille tibi adferre possem, omni tempore, omnique ætate nota. Quatuor solummodo ex iis, ex quibus haud impossibile esse Exercitui, hoc perfecisse iter, pateat, uti volo. Primum igitur erit illud, tàm Universo notum, atque à tot scriptoribus celebratum, à *Plu-* 55
tarcho præsertim, & *Suetonio*, illud (inquam) erit, *Cæsaris Dictatoris*, qui post Occasum Solis, discedens (spectaculis enim *Ravennatibus* adfuerat) repentè, facibus carens, errans via, *Ariminum* tamen
E pervenit, ac ante ortum Solis eamdem ingressus est Urbem; triginta quinque tamen numerantur milliaria, hocque hyemali tempore, viis pessimis, ac lutosis, mora etiam ad *Rubiconem* facta, an illud pertransire deberet flumen, vel recedere, anceps.

Secundus verò pulcherrimus eventus est illius Consulis *Romani Neronis*, qui plusquàm quadraginta milliaria quoque die absolvebat. Mirum nunc tibi videtur hoc exequi potuisse *Asdrubalem* exercitu suo, laboribus militaribus, longisque itineribus assueto? *Vegetius* idcircò scribens *de Re Militari lib.* I. *cap.* XXIII. ait: *Non enim longitudo ætatis,*
F *aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed potius exercitium, nam in pugna solet usus ampliùs prodesse quàm vires.*

Tertium celebre, ac memorandum exemplum est strenui illius *Gastonis de Fois* exercitui *Gallico* in *Italia* Imperantis, ut referunt Historici, inter quos *Guicciardinus*, qui de hoc eximio bellatore loquens, ait, *cum ferocitate, celeritateque sua, summoque decore suo, Exercitum Ecclesiasticum*, Hispanum*que* Bononiæ *mœnia deserere coëgisset*, Joanne*que* Paolo Baglioni *in prælio superato cum aliquibus* Venetorum *agmini-*

bus, Brixia*que urbe recuperata*, Finalem, *cum confœderatorum exercitu dimicaturus, accessit:* Omnia hæc in libro decimo pag. 297. reperiuntur: Ex
56 verbis hisce quinquaginta circiter milliarium iter absolvisse colligitur: coactus quapropter fuit idem Auctor subjungere (adeò, ut universali sententia confirmaretur) multis ab hinc sæculis in operibus bellicis in *Italia* similia audita fuisse atque passim accidisse; eximia quippe celeritate, ferocitateque tantas obtentas fuisse victorias. Ultimum tamen exemplum est illud *Alexandri Forcii*, qui *Italorum* Ducum fuit gloria, *Farnesiæ*que familiæ splendor, ut refert *Henricus Catherinus Davila* lib. XII. bellorum Civilium *Franciæ* pag. 777. ubi æquale, majusque iter ad *Rhotomago* auxiliandum absolvisse videtur: ecce illius verba: *Relicta repentè* Rua, *ubi morabatur*, *ostensione potiùs facta*, *quàm ulla adhibita cura Fortalitium obtinendi*, *victualibusque munitus*, *transitoque fluvio* Somma, *loco* (le Tacche bianche) *vocato*, *quò ille minùs rapidè se extendens*, *valdè diminutus erat aquis*; *sex castrensibus commeatibus propè* Rhotomagum *se se contulerunt*; *paucisque his diebus idem perfecerunt iter*, *in quo præterita vice triginta consumpsêre dies:* Quare igitur *Asdrubal* (tali incedens pede, ac quasi fugiens, ut dicit *Livius*, *iter simile fugæ*) die una cum duabus noctibus iter à *Cæsena* ad *Metaurum* non fecisset, si unica die multò longiùs perfici potest iter?

OPP. Ad rem hæc exempla haud faciunt nostram; vias enim non callebat *Asdrubal*; & solummodò, penes *Metaurum*, derelictus fuit à ducibus.

DEF. Non Domine; non benè loqueris: Duces enim habebat suos *Asdrubal*, & non procul à *Metauro* ab illis desertus fuit, ut refert *Livius*; *dux per vada Metauri transnavit:* Quid dicis ad hæc? Video te optimè gesta bellica callere, teque pessimè neglexisse historias: de similibus ergo obstupescis itineribus? Proh! quot possem
57 tibi adducere exercituum exempla, ad frontem hostis exstructa quasi acie existentium, qui recesserunt; ita ut illud non animadverterint hostes, nisi longè post illorum recessum: Domine *Opponens:* discessus ii tacitè fiunt, absque strepitu, in altiori hora quietis, extinctis luminibus, ut fecit *Asdrubal* expertissimus dux, taciturnum maxime jubendo silentium, ut expressè ex verbis colligitur *Livii*: *His anxius curis*, *extinctis ignibus*, *vigilia prima dato signo*, *uti vasa taciti colligerent*, *signa ferri jussit*; simile in Historiographis de Consule *Nerone* habemus exemplum; qui, qùum ad frontem esset *Annibalis* Ducis expertissimi; (jam à vigesimo ætatis suæ anno militiam perfectè callentis) absque ejus animadversione unâ cum exercitus parte discessit, atque exercitum suum cum illo collegæ *Livii* conjunxit; sicuti inter alios scriptores, Vitarum Hominum Illustrium Auctor refert: ecce ejus verba: *sed* Claudius Nero, *qui in* Apuglicum Annibalem *castrum conjunxerat*, *relicta in castris exercitus parte*, *cum dilectis ad* Asdrubalem *properavit*, *sese* Livio *collegæ apud* Senam *conjunxit*. *Livius* insuper ait: Ignorante factum id *Annibale*. Aliud, non discrepans invenitur exemplum apud *Plutarchum*, in *Furii Camilli* Vita, quando *Brennus Gallorum* Rex; (qui *Cæsenæ* suæ ditionis primam fundaverant sedem) is inquam Rex, Muris *Martiæ Romæ* prius expugnatis, à *Camillo* dein semivictus, atque ad sua castra in conspectu hostis reversus, noctu nihilominus, sarcinis militaribus collectis ignibusque extinctis, tacitè evasit; & nisi sponte sua moratus, pugnandi causa constitisset (ut re vera fecit octo jam illinc milliaribus) *Camillus* eum nunquam consequi potuisset; discessum

A sum enim ejus minimè animadverterat: ecce *Plutarchi* verba: *Noctu dato signo uti taciti omnes vasa colligerent urbem reliquit*, & *iter sexaginta stadiorum profectus haud longè* Sabina *via consedit*; *postquam dies illuxit*, Camillus *egregio cum exercitu* Brennum *petit*. Ne ab Auctoribus supracitatis recedam; tibi alterum inter hodiernos (relictis quam plurimis aliis, quæ tibi adducere possem) exponam. & hoc à *Guicciardino* refertur lib. III. pag. 58
84. quando *Ferdinandus Neapolis* Rex, obsesso ferè *Francorum* exercitu, & in pessimum statum redacto, catapultæ ictu ab iis solummodò distabat;
principio nihilominus noctis tacitè surrexit *Gallo*-
B *rum* exercitus (*Ferdinando* haud animadvertente) & viginti quinque milliarium iter confecerunt; manè itaque insequens eos *Ferdinandus*, nec illos consequi valens, castra sua munivit.

Ut autem quatuor tantùm tibi afferam exempla, ut superiùs dixi; est ultimum illud, quod ab eodem *Davila* narratur in persona supradicti *Alexandri Farnesii*, à Rege *Henrico* Quarto, eodem ferè modo obsessi (in *Penzola di Caux*.) proximè castra ejusdem tamen Regis unà cum toto exercitu noctu *Fluvium Senam* (illo non animadvertente) transivit, sicque ab eminenti Periculo se
C se in tuto posuit: hæc leguntur *l.* XIII. *de Bellis Civilibus Franciæ* pag. 789. Quare igitur incongruum, & increbibile erit, *Romanos* quingentis distantes passibus, recessum non audivisse *Asdrubalis*?

Ut ergo prosequar; nescio an mihi respondendum sit tertio Oppositionis tuæ Capiti (verè prorsus ridiculæ; (quæ à puero in cunis jacente vix proferretur) vel potiùs, ne tibi afferatur pudor, sileam; sed ut meliùs dicam, si te non puduit eam adducere, me quoque eam confutare haud pudebit; ut tandem animadvertas te dicere ea, quibus, re vera, quale imponendum sit no-
D men, ignoro. Ostendendi, probandique causa, *Opponens* mi, quod in tàm paucis horis simile iter, quale fecisse dicitur *Asdrubal*, fieri haud possit, nec à quoquam confectum esse, (quod tamen me superiùs satis clarè demonstrasse puto) exemplum adducis *Brenni*, uti reperitur in *Plutarcho* in vita *Furii Camilli* (à me pariter contrà tuam adductum oppositionem) qui *Roma* fugiens, octo tantùm milliaria, hoc est sexaginta stadia, una nocte confecit; hoc exemplum cum illo *Asdrubalis* comparat; quoniam *Plutarchi* verba cum 59
illis à *Livio* prolatis, in initio concordant: dicit *Plutarchus*: *Nocte dato signo uti vasa colligerent*, *Urbem reliquit*; & *Livius*: *Vigilia prima*
E *dato signo*, *uti vasa colligerent*, *signa ferri jussit*. Hæc tibi igitur verborum similitudo ad tuam probandam sententiam sufficit? Oh Pulcherrimum Ingenium! Oh strenuum Argumentatorem? *Brennus Roma* discedit ad congregandos, dirigendosque solummodò milites suos, moraturque, ut iterum pugnet (prout fecit) contrà *Camillum*; eodem modo ratiocinatur de *Asdrubalis* recessu, neque considerat discessisse illinc *Asdrubalem*, non ut pugnaret, sed ut, prælium evitando, fratri jungeretur, ejusque mandata re-
F ciperet; Quomodo hæc conveniunt? verè tandem (Opponens) verificatur axioma illud; *adducere* (nempè) *inconveniens*, *non est solvere Legem:*

Infelix *Asdrubal*, qui maximè properatis incedens gressibus, relicta ex parte *Oceani* Septemtrionali *Hispania*, *Pirenæis* superatis montibus, parte *Franciæ*, *Avenionis* Statu, *Sabaudiâ*que percursâ, monte *Argentæ Saxosæ* superato, in *Pedemontem* descendens, *Lombardia*, deinde *Romania* perlustrata, castrisque apud *Senam* tàm brevi tempore positis; infelix (inquam) *Asdrubal*, nunc

nunc octo tantùm per diem milliaria conficere vales! scio, quod *Annibal* hoc expectabat auxilium, à fratre tanta cum efficacia petitum, eò magis propter verba ea *Appiani* a te adducta; (& quorum oblitus es) quasque pro confusione tua denuò proferam: *A fratre* Annibale *accersebatur, & flagitabatur, ut quàmprimum in* Italiam *transiret :* & inferiùs: Asdrubal *magnis itineribus in* Italiam *contendit.* Tali equidem incedere debebat gressu, quum, plùs quàm mille cum quadringentis milliaribus distaret: quare igitur (*Opponens*) verbum illud *Magnis*, in *Paucis* non vertisti, si octo tantum milliaribus per diem progredi debebat? Nostrorum exercituum Duces, incessibus militum Pedestrium non adhuc laboribus assuetorum, quattuor milliaria singulis tribus horis (per modum quasi quietis)assignant; milites verò illi
60 veterani, armorum usui nati, sudoribus, calamitatibusque *Martis* assueti, plusquàm octo milliaria per diem conficere non potuerunt? Pulchra quidem dictu!

OPP. Quicquid dicas, metum, qualisque sit proficiscentis cum metu, timorem, ignoras; ut nuper dicebam; licèt enim primo intuitu validè incedere videatur; fatigatus deindè minùs confecit iter tali, qui lentè, metuque solet carere dum incedit. De hoc quotidiana enim nobis constant experimenta.

Asdrubal itaque *Hispania* recedens, maximis incedebat itineribus, atque metu carebat; quando verò ex castris intrà *Metaurum* fluvium, & *Senogalliam* (ut ad *Metaurum* rediret, exercitum *Romanum* à tergo habens) eruperat, necesse erat parvum conficere iter, propter timorem, ut fecit *Brennus* ille, apud *Plutarchum*, ut superiùs exposui.

DEF. Infelix *Asdrubal*, qui, qùum maris littora percurrisset, illam Cancri acquisivit proprietatem, retrogradi scilicet, ut *Apuliam* accederet; tibi dico, *Senogalliam*, & non *Metaurum* versus, redire illi opus erat; Pulcherrimum quidem experimentum, fundatumque argumentum; Quid agis, Proh pudor! rectè exclamare possum: *A Logica oppositione libera nos Domine:* Urbanitas tua, (*Opponens* mi) tuæ addita ambitioni, tibi nocet. *Qui vento nutritur, fumum spirat.* Oppositiones tuæ instar sunt Aquæ vitæ, in nihilum quippè resolvuntur. Jam vèro *Livius* dicit, unica nocte, à castris, (in quibus morabatur) discedentem, *Metaurum* attigisse.

OPP. Sic equidem est: *Livius* de die aliquo, nullam facit mentionem, sed tantùm de prima vigilia, de prima luce, diem præcedente, loquutus est.

DEF. Ne quoque irascaris; sed antèquam *Livii* verba ponderemus (super quibus omne tuum ponis fundamentum) hanc audi considerationem: Paulò antè, *Asdrubalem* plùs quàm octo millia-
61 ria per diem conficere haud potuisse dixisti (ut fecit *Brennus* à *Plutarcho* adductus) metu, formidineque pulsum: nunc a prima vigilia usque ad primam diei lucem tredecim, immò plùs eum conficere milliaria dicis, qùum ipse per ripas *Metauri* fluvii aliquantum insuper oberraverit: minus quidem die tempus hoc est: Vide igitur quo ingenii tui subtilitates te ducant. Verba *Livii* aliquantum ponderemus: si locus adeò proximus fuisset illi, quo *Asdrubal* ad *Metaurum* castra tenebat, & si iter à prima vigilia ad primam tantùmmodo lucem peregisset, ad quid dixisset: *fessi somno, & vigiliis*, atque, *frequenter relinquunt signa:* strenui, fortesque re vera fuissent *Asdrubalis* milites, qui ne quidem octo, aut duodecim horis ambulare potuissent, eo tempore laboribus itineris, & somno non fatigati, nec se

A ipsos in terram prosternentes: Historias tamen plenas exemplorum legimus, de exercitibus, diebus, noctibusque integris proficiscentibus, somno procul, & sine cibo, quadraginta per diem milliaria confecisse: Nec me mentire sinit *Plutarchus* in Vita M. *Antonii* pag. 347. qui rediens à bello contra *Parthos*, quùm viginti septem ab hostibus secutus esset diebus, & viginti duobus ex iis cum eis assiduè dimicasset, & quidem semper victori, licet ferè nunquam quievisset, deposuissetque arma, talem sustinuit laborem. Audi ipsa *Plutarchi* verba: *Iverunt igitur à* Phraartis *septem & viginti dierum iter, prælia duo de viginti contra Parthos inierunt:* plus, puto, esse
B quàm uno die, unâque nocte ambulare. Qui Auctores haud legit, erroribus iis subjectus est; unica immò nocte triginta cum duobus, per asperos montes, arduasque vias ambulantes confecerunt milliaria. Vide jam contrarium ei, quod de *Brenno* adduxisti: Audi ejus verba: *Ducentorum enim, & quadraginta stadiorum iter confecerant.* Similis casus conscribitur à *Davila* lib. 11. pag. 690. de bellis *Franciæ*. Dux *Parmæ* recto in
Flandriam itinere sumpto, Regem, velociter 62
incedens, sequebatur; nunc ad ejus erat frontem, nunc ad latus manebat, nunc eum à tergo
C premebat, sæpè audacibus die noctuque infestabat pugnis, exercitumque ejus circumdabat; eodemque mòdo à die tertiadecima usque ad vigesimam quintam *Novembris* iter peractum fuit: Computas ne hoc pro die nocteque una? Ponderemus pariter sequentia: *per tortuosos amnis sinus flexus quum erraret abiens, haud multum processit, ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat* (quod longitudinem temporis & horarum denotat) & posteà: *non inveniret vada diem terrendo, dedit spatium ad insequendum se se hosti:*

Prætereà, tàm procul à mare, non invenire
D vadum, timere diem, hostibus tempus pro se insequendo tribuere; omnia hæc tàm paucis minimè absolvenda erant horis; indiciaque sunt, & confirmant Equitis *Claramontii* dicta; probabiliùs, nempè, de secunda, quàm de prima intelligendum esse nocte, ex verbis *Livii* ipsis: magnum enim est discrimen inter crepusculum vespertinum, & primam noctis vigiliam (quod tu invicem confundis) ratio immò ipsa nos idem credere cogit; *Asdrubal* enim in prima noctis vigilia tacitè fugam arripuit; *Romani* verò, nisi die sequenti, orto jam sole, ejus discessum percipere haud potuêre: ita ut à discessu *Asdrubalis*
E ad insecutionem *Consulum* decem ad minimum interpositæ fuerint horæ: concludendum igitur est quòd illud, *non inveniret vada*, illud, *diem terrendo*, illud *spatium dedit*, màgis quàm diem, & noctem unam præ se ferat, illudque *fessi*, ac illud *prosternunt corpora passim*, intelligendum esse de longo itinere: verosimile igitur erit *Livium* de secundâ, & non de primâ loquutum fuisse nocte, quando ad *Metaurum* pervenit *Asdrubal*. Quantum verò ad id, quod contra Equitem *Claramontium* affers; hæc ejus sunt verba: *Tum quod recessisse à* Sena Asdrubalem, *ut ad fratrem proficisceret disertis*
verbis Appianus *testatur:* Tu hoc negas; posteà 63
F subjungis, nullam umquam Auctorem mentionem fecisse de *Annibale* fratrem à *Sena* vocante, benè tamen ex *Hispania* in *Italiam*, verbaque ejus affers, & hoc sextum tuæ Oppositionis caput vocatur.

OPP. sic equidem est, illud adduxi; pura enim veritas est.

DEF. Rectè, rectè: nunquam magis aliquid ad rem dixisti, denique *qui totum amplectitur, nihil tenet; & qui nimis loquitur, sæpè mentitur:* Posi-

to (ut in Logica ajunt ratiocinatione) ast non concesso, hoc ab *Appiano* haud relatum fuisse, dic mihi quæso; ratio, & æquitas hoc non petit? Vocabat enim Fratrem *Annibal* in sui imminuti exercitus auxilium; primus quippe ille dux erat, à consilio, directioneque minor natu regebatur Frater: si autem mandatum non dimicandi acceperat, nisi priùs junctus cum eo fuisset; mirum idcirco non est, si à certamine fugiebat, pugnare enim nolebat. Quæ nunc valida ratio est tua; si *Asdrubal* eo consilio ex *Hispania* discesserat, quare eamdem per viam quoque mentem servare haud debebat, magis immò custodienda ei erat ad fratrem accedenti: eo modo, quò grave, ad centrum tendens, fortiter currit, ac ab interna illa propensione pulsum, acriùs, velociùsque descendit. Dic mihi (quæso) *Opponens mi*, si Pontifex te *Bononia Romam* vocaret ad remuneranda eximia illa opera, quæ Typis mandas; si *Bononia* terminus est *à quo*, & *Roma* terminus *ad quem*, quare etiam pariter *Cæsena* esse diù antèa non potuit? media utique diriguntur ad finem, immò ad consequendum eum disponuntur: hæc satis: Tandem argumentum tuum, Domine *Opponens*, falsum est: immò totum contrarium probat.

Nunc autem ad ultimum Oppositionum tuarum
64 caput accedam, quod venenosæ *Hydræ* tuæ septimum est, licet ad eam interimendam, nec *Alcide*, nec ignea virga opus sit, farinacea enim clava contacta vel minimo ictu ejus fragilia capita cadent in terram. Hæc est argumenti tui substantia; quod exercitus *Romanus* tàm pedestris quàm equestris, sarcinisque militaribus onustus, si duobus consecutivis diebus incedere coactus fuisset, fessus illùc ac fatigatus pervenisset; nec tàm benè dispositus, ut prælium potuisset capessere, statimque certamen inire, id enim (ut putas) minimè facere valuisset.

OPP. Verum est: & Eques *Claramontius* callidè verba *Livii* adducendo, tantùmmodo retulit hæc: Nero *primum cum omni Equitatu advenit*. sub silentio autem transivit reliqua hæc: Porcius *deinde assecutus cum levi armatura, qui quum fessum agmen carperent ab omni parte, incursarentque, & jam omisso itinere, quod fugæ simile erat, castrametari Pœnus in tumulo super fluminis ripas vellet, advenit* Livius *peditum omnibus copiis, non itineri modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis, armatisque.*

Sic ex hac *Livii* Auctoritate colligitur, immò quod superiùs dixi, probatur; iterumque dico, quòd si per totam primam diem, noctemque proximam incessisset exercitus absque quiete, & somno, Pedites armis onerati, *Carthaginenses* persequendo, altera die fessi adèo fuissent, ut nec bene dispositi, nec ad certamen parati extitissent. Necesse quapropter est concludere, quod non à *Cæsena*, sed à loco quodam non procul à *Metauro* existente, discesserint.

DEF. Argumentum hoc corona verè operis nuncupari potest: indissolubile quidem mihi videtur, Agedum, Lætare; præmium jam meritus es: Opponens mi, res bellicas valdè parùm calles, minùsque in Historiis versatus es. *Romanum* exercitum continuè sub armis per diem, noctemque unam successivè (quasi fugientem avide) indefessum, robustum, ac certamini dispositum
65 incessisse mirum tibi videtur? Exercitus (inquam) is, qui ex fronte exercitus *Annibalis* ex *Apulia* discesserat, qui sollicitudine quàm maxima, ad prohibendam *Asdrubali* viam (ne *Annibali* fratri jungeretur) procurrerat; qui eadem celeritate (ut referunt Historici, quos brevitatis causa sileo) recessit, projecto in *Annibalis* castra capite *Asdrubalis* fratris; qui mortem fratris rescivit, antequàm discessum, & adventum inaudivit Consulum: digne meritò igitur dixit *Livius*: (*Ignorante Annibale*) Tibi miranda, impossibilisque res videbitur; quod die tantùm una cum nocte, vel paulo plùs incesserint, nec fatigati sint, ac pugnæ ordinem servantes ad illum pervenerint? Historiæ tamen similibus impletæ sunt exemplis. Audi quattuor, quæ tantùm ex iis, brevitatis ergo, tibi exponam.

Dictator *Cæsar*, ex *Ægypto* magnis discedens itineribus in *Syriam*, omnique imaginatione majori usus celeritate, *Pharnacis* expectationem præcucurrit, prælioque illicò inito, victor evasit, licet tàm longum cum exercitu, semper ordinàtim incedente, absolvisset iter: aliud fùit hoc, quàm unius diei, noctisque iter complere, uti actionum ejus scriptores referunt, immò & ille ipse in suis Commentariis, Triumphans idcircò, scripsit *Veni*, *Vidi*, & *Vici*; ut celeritatem itineris, pugnæ, & victoriæ indicaret. Quapropter celebris *Achillinus* ad ostendendam celeritatem, qua *Ludovicus* ille *Magnus*, *Franciæ* Rex, tumultus *Italiæ* sedavit, *Hispanorum*que arma coërcuit; sic cecinit:

Ceda le Palme sue Roma *à* Parigi,
Che se Cesare *venne, e vidde, e vinse*;
Venne, e vinse, e non vidde il Gran Luigi.

Secundum illud est *Constantini Magni*, qui cum exercitu suo exiens secundò contra hostem *Maxentium*, mirandumque illud signum in aëre videns inscriptum, *In hoc signo vinces*: tanta celeritate, nulla militibus quiete concessa usus est, 66
ut ad *Milvium* Pontem cum aggressus fuerit, vicerit, & fugaverit: sic narrant Historici.

Tertium est illud ipsum de *Alexandro Farnesio* suprà adductum, quod narrat *Davila* lib. XII. pag. 777. qui superiùs narrato itinere peracto, ut *Rhothomago* succurreret, eadem die exercitu in ordine pugnæ disposito Urbi sese ostendit: ecce Auctoris verba:

Dux Parmæ *cum exercitu ad certamen disposito eadem die apud* Rhothomagum *pervenit.*

Ultimum exemplum est hoc strenui illius Comitis *Gottifredi* de *Popinaim* (ut asserit *Bisaccionus* in suis Memoriis Historicis *pag.* 383.) qui ut ad prælium penes *Lutzen* contra Regem *Sueciæ* adesset, celeriter ex *Italia* discessit, & tempore opportuno (uti fecit) militibus suis quiete negata, pervenit; tantoque itinere absoluto, statim prælium iniit: hæc sunt præcisa verba: *Comes à* Popinaim, *qui omni iter acceleraverat studio, primos aspexit fugientes, ac in momento rebus omnibus perceptis, antè omnes se posuit Cæsareos, eisque statis, bonoque in ordine dispositis, inimicis obviam venit.*

Vides igitur ex his omnibus, an impossibile sit, *Romanum* Exercitum sequi ordinatim potuisse inimicos, illicòque ad pugnam accedere, si iste cum celeritate magna procul veniens, aggressus fuit exercitum victoriosum, jam *Campaniæ* dominum, adeòque pugnavit, ut victoriam retulerit.

Nunc, *Opponens mi*, pro totius à te jam dicti, tuarumque Oppositionum conclusione, æquum mihi videtur de te dici posse, quod universaliter dicitur: *Parturierunt montes, & natus est ridiculus mus.* Tot demum dixisti nugas, tot evomuisti errores, ut mentem ingeniumque tuum haud fatigare aliter magis potuisses; sententia enim Equitis *Claramontii* in suo statu, propositio- 67
que illius in primo suo robore manet: *Senam* scilicet à *Livio* descriptam, ubi castra tenebant Consules *Romani*, nullo modo *Senogalliam* esse posse, quùm iste gravissimus Auctor eam declaret *Occidentalem Metauri*, *Senogalliam* verò *Orientalem*: Quod

Quod autem *Senogallia* ex parte *Metauri* extet
Orientali, per se ipsam adeò clara res est, ut cæ-
cus, vel ignorans, quid sibi velit *Orientalis*, aut
Occidentalis pars, optimè sciat; constans ergo ma-
net Equitis *Claramontii* propositio, quod *Sena*
Livii, *Occidentalis Metauri* sit, clarùm exindè est
Asdrubalem transire voluisse *Metaurum* (ut dixi)
ut in *Apuliam* veniret; non solùm autem transi-
tus negatus ei fuit, sed ad ripam *Occidentalem* vi-
ctus, debellatus, occisusque remansit; de hoc
insuper testimonium reddit locus ille, hodierno
die *Campo dell' Ossaia* vocatus; unà cum loco al-
tero *Firmiano* vel *Firmano* nuncupato, quo mo-
ratus, & profligatus *Asdrubalis* exercitus fuit:
Quod si à *Senogallia Metaurum* versus veniens, de-
structus fuisset *Asdrubal* ad partem Orientalem:
non invenisset Vada: hìc autem pulcherrimam
tuam admiror subtilitatem, ubi dicis, *Asdrubalem*
Vadum ibi invenire haud *curasse*; Quid ergo eum
juvabant duces? *Duces parùm intenti*, & *asserva-*
ti &c. Nunc (*Opponens mi*) si *Asdrubal* vadum
fluvii reperire non valuit, quomodo per dimidium
milliare *Senogalliæ* appropinquare potuit, *Metau-*
ro non superato? Hic argutias, speculationesque
tuas denuò pondero: Tu asseris, quod *Asdrubal*
transivit *Metaurum*, *Senæ* appropinquavit, eun-
do ad locum unde aberant Consules quingen-
tis tantùm passibus quodque vadum retroce-
dendo superavit. Audi quæso venustatem hujus
tuæ Oppositionis. Si *Asdrubal* semel *Metau-*
rum transivisset, ad quid ei duces denuò opus
erant? Crassus non ne error est, Exercitum
nempè adeò vastum, numerosumque tàm citò
68 oblitum Vadi fuisse, paulo antè superati? Nec
subjungere satis est, quod noctu ad fluvium per-
venerit, atque in tenebris eum invenire nequive-
rit; *Livius* quippe clarè testatur, *Asdrubalem* ad
Metaurum pervenisse lucescente jam die: *dum lux*
viam ostenderet. Et tu paulò antè *Asdrubalem*,
more Cancrorum, recessisse, & vadum reperire
haud potuisse affirmasti; dicis deinde, sic dispo-
sita fuisse Exercituum agmina: *Romanum* (nem-
pè) ad Orientalem partem, *Carthaginensem* ve-
rò ad Occidentalem fuisse partem, mediumque
Metaurum utrosque pro securitate sua habuisse.
Si ad partem erat Occidentalem *Asdrubal*, retro-
cedens igitur, Vadum invenit; & sic indè vel
te mendacium adferre, vel *Livium* errorem
commisisse concludo, scribendo: *Dùm non inveniret*
vada: Si *Asdrubal* insuper erat apud *Senogal-*
liam, in *Apuliam*que concedere cupiebat, opus
ei non erat (ut ad *Metaurum* rediret) scilicet ut
inveniret (sicut dicis) super ripas illius Medi-
terraneas, transitum ab exercitu *Romano* haud
custoditum, cur à mare non discessit, par-
temque *Senogalliæ* Mediterraneam quæsivit.
Ad quid toties ire, & redire, tempusque hosti-
bus præbere, inserviebat? Nunc errores tuos te
cognoscere mihi persuadeo; Quare ad Consulum
terga non transivit *Asdrubal*, & in *Apuliam*
viam ad Fratrem non sumpsit? Impossibile haud
illi erat; hoc jam ad *Senam* vel *Cæsenam* exequu-
tus fuerat, ut Eques testatur *Claramontius* in sua
Historia pag. 115. Idem fecit nostris ferè diebus
Alexander ille *Farnesius*, dum in *Franciam* pene-
travit, ut *Parisiensibus* succurreret, qui quùm ab
Henrico Quarto, (*Magno* cognominato) ejusque
exercitu via, transituque prohiberetur, aliquot die-
bus in fronte exercitus hostilis moratus, subito su-
per collem proximum adscendens, deinde à ter-
go Regii exercitus descendens, statim potitus fuit
Lagni; motusque is Castrorum die non noctu con-
69 tigit (quùm noctu ille *Asdrubalis*) inspectante
strenuo Duce, potentissimoque exercitu; *Parisiis*
deinde succurrit, ac à dira hanc obsidione libe-
A ravit Urbem, pugna cum hoste minimè inita: sic
refert *Davila* lib. 11. In summa summarum (Do-
mine *Opponens*) quo magis Oppositiones tuas con-
sidero, eò magis obstupesco; nihil in eis repe-
riens præter pueriles rationes; verum equidem
est; *bis pueri senes.* Veritas tamen rei est, quod
Asdrubal nunquam *Metaurum* transire potuerit,
ut fratri sese conjungeret; & est historica veri-
tas, non solùm à verbis *Livii* deducta, sed ab
omnibus Auctoribus de hoc scribentibus eventu.
Plutarchus eandem tuetur sententiam dicens: *ibi*
Consules ambo junctis copiis propè Metaurum *flu-*
men, Asdrubalem *adorti*, *severissimo prælio confli-*
B *xerunt:* Meliùs verò *Appianus:* & *per loca palu-*
stria, *ripasque fluminis vado carentis*, *cum errore*
abiens, *non multùm processit:* Clariùs etiam *Sabel-*
licus in suis *Ænead.* lib. 5. de *Asdrubale* loquens:
Ut ad Metaurum *ventum est*, *dum in reperiendo*
Vado, *quo copias trajiceret retardasset*, Nero *prior*
cùm equitatu adfuit. Omni igitur dubio procul,
Asdrubalem Metaurum transire haud potuisse, ap-
paret, & quum extinctus est ab altera ripæ parte;
Senogalliam nunquam pervenit: idcircò cecinit
Poëta.

Testatur factum sublimi in colle Metaurus;
Ostenditque ducis tumulum, *multoque cruore*
C *Sparsit aquas*, *retinent atrum de cæde cruorem.*

Clarior, veriorque res esse haud potest: Ve-
xilla tibi colligenda, lituique in saccum tibi po-
nendi sunt tui; victus, pudore correptus rece-
dere tibi fas est: Livoris, amaritudinisque inter-
næ tuæ contra Equitem *Claramontium* exhalatæ,
ac in fumum transmutatæ, damna tibi patienda
sunt: Instar quippe Auri purissimi, æruginem,
ignemque non pavet, ac sub invidiæ, maledi-
centiæque malleo, sæpè probati, purior, illustrior-
que evadit *Claramontius*, ut in tot doctissimis in-
genii ejus partibus, virtuosisque contentionibus
clarè Universo ostendit.

D OPP. Nunc immò celebris instar *Anthei* Ter- 70
ræ filii, audacior resurgo, majorique vi ad pu-
gnam redeo, magis, magisque pertinax, & con-
stans ad tutandam sententiam meam Cæsenam
semper fuisse Cæsenam, & *nunquam* Senam; *sem-*
perque Senam *extitisse* Senogalliam, *aut* Seno-
gallicam: *unicam semper fuisse* Senam, *posteà* Se-
nogalliam *nuncupatam:*

Ad hæc omnia probanda ad rem meam facit
Ptolemei Auctoritas, apertè asserentis (ut idem
Eques *Claramontius* adnotat) *Senam Senonum citrà*
Rubiconem ad Occidentem minimè fuisse; *verùm qui-*
dem ad Orientem, *inter Anconam scilicet*, & *Ru-*
E *biconem:* Idem à *Catone de Originibus* confirma-
tur, dicente:

Gallia *Flamina à* Ravenna *ad* Ariminum *à Co-*
mitibus Herculis *conditum*, *à quo cognominatur*; *ab*
eo ad Anconam Senogallia *à* Senonibus *dicta pul-*
sis Hetruscis, *nunc* Gallia Togata: Quibus testi-
monium additur *Sempronii* dicentis: Flaminià *à*
Bononia *ad* Rubiconem *amnem anteà* Felsina *à*
Principe Hetruriæ *missis Coloniis* Senonibus *à* Ru-
bicone *ad* Anconam Gallia Togata *dicitur:* cui
adhæret *Plinius: Ab* Ancona Gallia *ora incipit*
Togatæ Galliæ *cognomine.* Nec hoc obstat illi
quod ab Equite *Claramontio* adducitur; *Senones*
F quippè ad partem etiam *Rubiconis Occidentalem*
sedem habuisse; hoc à *Plinio* clarè demonstratur,
ponit enim ipsam in octava *Italiæ* Regione his
verbis: *Octava Regio determinatur* Arimino, Pa-
do, & Apennino: subjunxit posteà, *in hoc tra-*
ctu, *interierunt* Boji, *quorum tribus* CXII. *fuisse*
Auctor est Cato, *item* Senones *ceperunt* Ro-
mam.

Hæc mea est ratio: quia non solum *Plinius*
testimonium laudat *Catonis*, *Senones* ab *Ancona*

71 ad *Senogalliam* ponentis, sed quia dum *Plinius* ponit quoque *Gallos Senones*, *Thuscis* expulsis, unà cum *Senogallia*, & Fluminibus *Æsi*, & *Metauro* in sexta Regione, sibi contradicere haud potuit, nisi quoad eum tractum, quo *Boji*, *Senones*que defecêre, non tantummodo regionem inclusit octavam, sed totam illam terræ plagam, in quo tùm *Boji* octavam habitantes regionem, tùm *Senones*, qui sextam, comprehendebantur; combinatæ quippe regiones eæ intelligendæ sunt, & non confiniis distinctæ.

DEF. Eja? Eja! Video te jam ad metam pervenisse.

OPP. Siste parùmper, & sile: major namque exsistit *Catonis* Auctoritas, testimonio, quo utitur *Plinius*, etsi diversus esset *Plinii* sensus, *Cato* enim (ut temporibus *Gallorum* proximior;) certiorem de his habuit notitiam; nec contrariatur ei, quod adjungitur à *Plinio*, dicente: Senones *ab* Ufente *flumine ad* Ethesim *fines habuisse*; Idcircò *Sigonius* hunc corruptum esse locum demonstrat; & ex antiquis *Codicibus* legendum esse ait: *ab Utente* (nempè) sivè *à Vite flumine ad Æsim:* quum fluvius *Vitis* à *Plinio* relatus sit iis in locis: denique quia & *Boccacius* alium refert fluvium (præter flumen *Phantum Volscorum*, ad *Terracinam*, in *Tyberim* defluentem) ejusdem nominis in *Gallia Cisalpina*, inter quem fluvius exiitit *Adice* vocatus; ponit non solum *Senones*, *Hisesones*que, qui *Romanos* ad flumen *Riomossum Sabinæ* superarunt: undè error ab eo in *Livii* Codice adnotato, loco *Senonum* (ipsum emendando) *Hisesones* nominandos esse putat. Quùm tandem antiquissima fuerit *Cæsena*, à *Senonibus* ædificata fuisse haud potuit, nisi ejectis ab *Umbria Thuscis*, dùm sedem & inter *Anconam* & *Senogalliam* habuerunt, ditionemque suam ad fluvium usque (*Adicem*) auxerunt. Omnia ex *Catone* colliguntur: dicente: quod primum *Senonum* imperium ab *Arimino Anconam* usque limites habuerit: licet posteà suum ampliaverint dominium: testatur nihilominus, *Senogalliam*
72 primi sui imperii limites habuisse inter *Ariminum* & *Anconam* (*Cæsenæ* regione exclusa) Sic à *Senonibus* (*Thuscis* ab ea expulsis regione) nuncupata fuit Regio illa, à *Plinio* in sexta, & non in octava numerata, in qua ponitur *Cæsena* hocque eò magis, quo nemo gravium, priscorumque Auctorum de ulla (in *Senonum* Imperii amplitudine) *Sena* mentionem facit: si autem *Cæsena* priùs *Sena* vocata fuit, & à *Senogallia* distincta; *Cato* absque dubio primam *Senonum* sedem sub silentio haud posuisset, *Senogalliam* tantummodò considerando; nec parùm distat à *Catonis*, *Sempronii*que sententia, istos quippe Auctores tempora *Senonum* posteriora tantùm inspexisse putandum, quibus *Senogalliam* ædificarunt, & non ea quibus *Cæsenam* condidêre; quod probatione carens, Eques *Claramontius* urbanitate sua recepit: *Cato* enim, & *Sempronius* de *Gallia Togata* loquuntur *Senonum* terminata *Rubicone* ad *Anconam*, quo *Cæsena* ipsa non clauditur.

Concludendum igitur est; *Cæsenam* antiquiorem esse, amplificatione sua, non solùm *Senonum* Imperio, sed etiam tempore, antequam ii *Italiam* ingrederentur: vocata enim fuit *Flavia Curva Papia*, à *Flavio Papio*, *Thuscorum* Rege, antèquàm *Gallorum* natio, *Alpes* transivisset; ut in vita *Sancti Severi*, ac in *Manuscriptis* hujus urbis ab ipso *Claramontio* adductis, legitur: Dum autem Antiquitati fidem negat, ornatus, honoresque, ab illo eidem attributos (ipsam enim ædificatam à *Senonibus*, eorumque sedem Regiam dixit) majores (inquam) ornatus ab ipsa aufert: Namque (ut ille ipse dicebat) ejus antiquitatis ornamenta, passim ab Auctoribus Classicis celebrantur: dicentibus eam *Urbem Antiquam*, & *Priscam:* In Auctoribus insuper nec in *Manuscriptis* ullis invenitur, *Cæsenam* umquam vocatam fuisse *Cesam Senam*, ut Eques *Claramontius*, ex ancipiti conjectura, vult pro certo affirmare verbis hisce: *Accisio fortè*, *& excisio* Senæ *novo nomini occasionem præstitit.* hancque suam opinionem præferre *Manu-* 73
scriptis, à Rege *Thuscorum* ædificatam coloniamque factam esse dicentibus: idem in *Sancti Severi* vita legitur, ipsam, scilicet, *Flaviam Curvam Papiam* nuncupatam fuisse. Sed quare nullus Priscorum Historicorum mentionem facit de ulla alia *Sena* à *Gallis Senonibus* ædificata, eorumque vocatâ nomine, *Senâ* tantùm, vel *Senogalliâ* aut *Senegallia* (ut superiùs dixi) Nullus insuper duas fuisse *Senas* in *Umbria* ædificatas à *Senonibus* refert, præter Equitem *Claramontium*; qui propria innixus auctoritate hoc sibi confirmare, in suaque Historia (urbanitate tamen solummodò sua) inserere audet; omnia hæc talibus affirmans verbis: *Florentes ergo* Senones *amplitudine Imperii*, *& rerum gestarum gloria interim quiescebant &c.* Ut igitur semel concludam, pariter eadem facilitate negantur, quæ, probatione deficiente, gratis dicuntur, prout egit eximius Eques *Claramontius.*

DEF. Laudetur Cœlum: hæ fastidiosæ, affectatæ, confusæque Oppositiones tuæ finem tandem invenerunt; aliud enim non intendunt, nisi ad internum cordis tui odium propalandum; quod non nisi falsis mendicationibus vindictam sumere scit, canem contra Lunam latrantem imitando: Defendenti autem causam injustam, falsamque, rationibus quoque propositionibusque falsis uti opus est; indèque falsa necessariò sequitur conclusio, ut tu (Domine *Opponens*) falsis oppositionibus usus contra Equitis *Claramontii* Historiam fecisti.

Debilibus hisce rationibus tuis iterùm respondere superfluum, vanumque judico; satis quippe superiùs ad eas dixi, millièsque ipsas confutavi: Quis enim *Ptolemei* auctoritatem, *Senogalliam* ad partem *Rubiconis* Orientalem, & inter *Anconam* ponentis, negabit? Quis abnuet *Cato-* 74
nem, haud posuisse *Senogalliam* inter *Ariminum*, & *Anconam*, atque in *Gallia Togata?* Quis non confirmabit *Sempronii* dictum, à *Rubicone* nempè ad *Anconam*, *Galliam Togatam Senonum* extitisse? Quis veram haud fatebitur *Plinii* auctoritatem, dicentis à *Senonibus Galliam Togatam* fuisse vocatam? Quis abnuet *Cæsenam* non extitisse ad partem *Rubiconis* Occidentalem, & partem hanc existere inter *Ravennam* & *Rubiconem*? Nullus equidem auctoritates ab ille adductas comprobabit, *Cæsenam* scilicet citrà *Rubiconem*, *Senam* haud extitisse? Sed quid? Audi tubas te antè Tribunal Judicis vocantes, ut præmium victori detur, coroneturque qui strenuè certaverit, victusque propter invidiosam temeritatem, suam dignam accipiat condemnationem.

OPP. Eamus ergo, præmium hujus mei conspicui laboris (pro laudibus huic vetustissimæ Urbi tributis) accepturum me minimè despero.

DEF. In pertinacia adhùc persistis tua; Avertat Deus, ne fortè talis casus in hæresim te inducat, propter quam combusto ad palum, absque dubio tibi esset moriendum. Hæc verò encomia à te *Cæsenæ* præstita tecum maneant; tantus enim labor tibi gratuitò sumendus non erat: *Latet anguis in herba.*

JUDEX

75 JUDEX SENTENTIAM PROFERT.

Quoniam (ô viri Nobiles) ad Tribunal nostrum nostramque Auctoritatem parati primo Tubarum nostrarum sonitu vocati accessistis; sententiam nostram, justissimumque nostrum audite Decretum: Nos itaque *Judex* hujusque Pugnæ *Præfectus*, consideratis simul utriusque ictibus, propositionibus, responsis, objectionibus, defensionibusque examinatis (prolato in antecessum infrascripto proëmio, consideratione vera & reali) absque ulla animi passione, nostram hoc modo proferimus sententiam.

Verissimum quidem est *Senones Italiam* ingressos fuisse; an verò soli, à primorum exemplo invitati vel excitati (ut vult *Titus Livius*) vel aliis adjuvantibus sociis: (ut *Diodorus*, *Trogus*, *Polybius*que putant) accesserint, hoc parvi nostra refert: sufficiet solummodò nobis, ultimos hosce penès Mare moratos fuisse; id asserit *Plinius* lib. II. *Ultrà* Padum, *quæ circà* Apennini *sunt loca. Primo* Ananes, *deindè* Boji *tenuerunt*, *post hoc ad* Adriaticum *Mare versus* Ligones, *postremi omnium ad Mare* Senones *tenuêre.* Sed & *Livius* Imperii *Senonum* terminos clariùs his verbis explicat: *Tum* Senones *recentissimi Advenarum ab Utente flumine ad* Æsim *fines habuêre:* & *Cluverius* eosdem iis tribuit terminos, asserens, *Bojos* quinque milliaribus citrà *Bononiam* ad fluvium *Adicem* limites habuisse: *Ligones* ab *Adice* ad *Utentem* usque, (qui & *Vite* nuncupatur) ut *Sigonius* auctoritate *Plinii* testatur, & hodie (*dal Ronco*) *Roncus*, ut asserit *Rubeus*, ab hoc autem flumine *Vite* usque ad Mare imperium habuerunt *Senones*, immò ultrà dictum fluvium morati sunt supra collem quemdam Mari proximum, ut videre est apud *Diodorum Siculum*
76 lib. IV. his verbis: *Quo tempore* Dionysius Rhegium *premebat arctissima obsidione*, Galli Transalpini *validis copiis* Alpium *angustias trangressi*, *Regionem inter* Alpes, & Apenninum *montem sitam*, *occupaverunt*, Thuscis, *quia ea loca incolebant*, *ejectis.* Addit posteà: *Quùmque terram in singulas gentes distribuissent*, Senones *remotissimum collem apud mare acceperunt:* Superato igitur *Vite* nullum alium Mari viciniorem invenio Collem, intrà *Sanium*, & *Rubiconem*, ubi fundaverint *Senam*, præter collem *Garampi*, supra quem revera *Cæsena* ædificata est: Collis diebus illis (ut superiùs dictum est) Mari vicinior, littore hoc aliquot milliaribus aucto longiùs nunc abest. Hunc autem Collem illum fuisse, ubi *Cæsena* ædificata fuit, clarè exposuit *Cluverius* lib. primo cap. XXIX. *Italiæ Antiquæ*, verbis his: *De certo quia incertum est aliasne quas urbes*, *sive vicos etiam tunc incoluerint* Senones *præter* Senam, *aut* Cæsenam: vocando ipsam duobus hisce nominibus, *Senam*, ut vocat *Strabo*, seu *Senam Isapi*, & *Rubiconi propinquam*; dein *Cæsenam* ex emendatione mala *Casauboni*, qui loco *Senæ*, legit *Cæsenam.* Hic igitur primus extitit locus, ubi *Senones* suam primam posuerunt habitationem, & ubi suam erexerunt sedem, hæcque fuit portio eis in communi divisione contingens; Hoc veritate *Polybii* confirmatur, ut refert *Perottus: Inter* Apenninum *rursus*, *&* Padum *primo* Ananes, *post* Boji, *indè* Ligones, *postremò* Senones, *qui juxtà Mare* Adriaticum *extremi omnium* Gallorum *Collem incoluerunt.* Quod autem Collis iste, vel *Senonum* sedes, ubi *Cæsena* erat, extiterit, sequentibus ejusdem *Polybii* verbis declaratur: *Principio dumtaxat eam regionem tenebant*, *posteà plerosque ex vicinis audacia eorum deterritos sibi ascive-*
77 *re:* Hi fuêre *Ravennates*, & *Ariminenses* dicto

A Colli viciniores: Nec celebris ille Historicus *Rubeus* me mentiri patietur, scribit enim: Ravennates, Ariminenses*que vicinorum* Senonum *viribus perterriti sese illis submisêre*, *& quùm eorum sedes in ipsorum medio sita esset*, *eos tamquàm Principes & Dominos venerati sunt.* Quod autem ex hoc loco, atque ab eorum prima sede Imperium ad fluvium usque *Æsim* ampliaverint, loco supracitato iis verbis exprimit *Diodorus: Is cum nimio æstu gravaretur incommoditate loci*, *offensi* Galli, *aliò transferre sedes decreverunt*, *& juventutem armis instructam ad novas sedes querendas emittunt.* Non solum enim ad *Æsim* usque suum dilatarunt Imperium; cum *Venetis* quippe bellum gerentes, victoriisque obtentis, ad *Adicem* fluvium usque pervenerunt: *Calepinus* idcircò, *Veronam* à quo-
B dam *Brenno*, *Senonum* Duce, harum victoriarum cursu, ædificatam, nomineque suo *Brennonam* nuncupatam fuisse dixit. Ex iis igitur una cùm tot Auctorum testimoniis jure meritò Eques *Claramontius* (basibus solidissimis innixus) sequentia protulit verba:

Florentes ergo Senones *amplitudine Imperii*, *& rerum gestarum gloria*, *interim*, *quas tenebant*, *captaque loca cultu exornabant*, *& ædificiis. Montes* Pisauri, *atque* Anconæ *Mari imminentes duo promontoria efficiunt*, *interque jacens æquata planities quadraginta milliarium*; *in ejus medio*, *ad mare*, *novam Civitatem excitaverunt*, *deque suo nomine vocavêre: verum ad differentiam prioris*, *ad gloriam*
C *gentis*, *non* Senam *tantùm*, *sed* Senogalliam *dixerunt.* Nullus igitur eum ampliùs derideat, dictumque ipsius protervè spernat, pura enim veritas est. Clarè constat, locum, quo priùs *Senones* morati fuêre, extitisse illum, ubi erat *Cæsena*, mirum indè non est, si ab eis vocata fuerit *Sena:* eorum mos enim fuit acquisita loca & sedes suas *Senæ* nomine decorare; immò verbis Equitis *Claramontii* (dicti *Polybii* defensoris) adhærens, *Senones* ampliasse *Cæsenam*, mœniisque cinxisse, minimèque eam ædificasse apertè ostendit, dicens: quòd *Senones* qui citrà *Vitem* versùs *Adriaticum* Mare pro- 78
pè *Rubiconem* morati sunt, quædam habitaverint Oppida, vicosque, muris minimè munita; ex quo
D apparet, quod licet *Thuscorum* Dux oppidum ædificaverit, *Flavius*que *Papius* Rex illud ampliaverit, coloniamque reddiderit, *Senones* tamen posteà (*Thuscis* ejectis) Urbe ea majore facta, mœniisque munita, sibi illam in Regiam, primamque auctoritate sedem erexisse: Hic fuit Equitis *Claramontii* sensus: ampliatam, scilicet, restauratamque, nulloque modo ædificatam ab eis fuisse narrantis. Ex quibus, Auctorem hunc Patriæ suæ splendorem & gloriam nunquam adimere studisse colligitur (ut tu amaritudine plenus eidem objicis) immò potiùs eamdem Historiarum veritate honoribus auctam voluisse, enim dicit *Cæsenam* illam
E fuisse *Senam* de *Romanis* triumphantem: atque omni proculdubio pedem ibi stiterunt *Senones*, ibique habitarunt *Brenni*, qui *Martia* mœnia expugnarunt, Arcesque *Capitolinas Gallico* obsederunt milite. Sic judicamus, & pro hac veritate stamus. De omnibus quoque hisce evidentissimum testimonium, clarissimumque immò speculum antè oculos nostros ponit *Diodorus Siculus* lib. *primo*, cap. IX. audite ejus præcisa verba; indèque an *Cæsena*, an verò *Senogallia* discesserint *Senones*, quando *Romam* aggressi fuêre, cognoscetis. *Hi* (*Duce* Avinte) *ex via qua postmodum sæpè* Romani *exercitus transgressi sunt per* Sapignam *Tribum*, *qua*

circà

circà Sapis *fluvii fontes aquæ sunt calidæ*, Apenninum *montem transierunt*, *juxta* Aretium, atque Cortonam *versus* Clusium *contenderunt*. Notemus quæso in his dictis hæc verba, (*Sapignam Tribum*) (vulgò *Bagni di santa Maria* ait *Cluverius*) locus is est propè *Forum Saracenum* super *Cæsenam*, dividens *Sanium* ferè medium; Alia insuper sequentia verba; *Circa Sapis fluvii fontes aquæ sunt calidæ*. Nequaquam sanè constat, quòd *Senogallia Romam* eundo, ista *Sapigna* Tribus, Balneaque
79 ea calidarum aquarum *Sanctæ Mariæ* reperiantur? Id verò bene scimus, quòd discedendo *Cæsena* ad *Alpium* transitum, ut *Romam* pervenias, *Sapigna* inveniatur Tribus, calidaque hæc *Balnea* per *Sanium* defluentia, hujusque fluminis proxima fonti. Si ergo *Senones* per hæc transierunt loca *Romam* euntes, non ne manifesta temeritas, obdurataque mens est, dicere *Cæsenam* primam *Senonum* sedem, *Senam*que nuncupatam fuisse?

Concludimus ergo, & rectè sententiam ferendo dicimus: Præmium ad Equitem Defensorem spectare, ipsum hujus certaminis victorem declarando, tamquam ille qui egregiè scopum tetigit, & validè ictus reparavit, eique assignando, atque tribuendo omnes honores præeminentiasque, legitimè certanti, puramque veritatem defendenti debitas. Te Equitem Opponentem è contrà non solummodo victum publicamus, sed quantum nostra extenditur Auctoritas, tibi inhibemus, ac expressè mandamus, ne in posterùm armis falsis, lanceis non legitimis, ictibusque dolosis in repagulum ingredi audeas, ut in præsenti certamine egisti, te extrà hastiludium vocamus, eodemque tempore te Equitis titulo privamus; justè enim,

Chi tira contro il Cielo, ò sasso, ò strale.
Spesso viene à cader sopra il suo capo.

Verum pariter est quod cecinit Poeta:

Fu il vincer sempre mai laudabil cosa
Vincasi per fortuna, ò per ingegno.

Non verò (dixit ibi) per fraudem, aut dolum; tua enim erat voluntas in omnibus sequi strenuum illum equitem *Martinum*, qui falsis armis alienas obscurare glorias tentabat: unde sic cecenit Poeta:

Colui, che in dosso il non suo cuoio havea
Come l' Asino *già quel del* Leone,
Chiamato se ne andò come attendea
80 *A* Norandino *il loco di* Grifone,
Quel Rè cortese intorno esgli leva.
L'abbraccia, il bacia, e a lato se lo pone,
Enon basta honorarlo, e darli loda,
Che vuolch' il suo valor per tutto s'oda.

Turpe quidem hastiludium ingredi (ubi armorum omniumque rerum aliarum æqualitas esse debet, armis dolosis, lanceis inæqualibus, falsisque ictibus, ut tu (Opponens) fecisti; Quod autem verum illud sit, audi:

Lancea non justa, ictusque falsus fuit tua prima Oppositio, quando te non puduit affirmare *Romæ* Epithetum *Priscæ* & *Antiquæ* non fuisse attributum, quod optimè Eques Defensor ostendit, hæc insuper pauca nihilominùs verba ad confusionem tuam addere volo: Quomodo audes affirmare *Romam* non gavisam fuisse *Antiquæ*, & *Priscæ* titulo, ut *Cæsena*; quùm totum contrarium sit, ex testibus celebribus, gravibusque Auctoribus, inter quos eximius est ille Poëta, qui Lauro æterna *Apollineum* caput coronari meruit, Illustris (inquam) ille *Petrarcha*; Hic enim Carmine illo quod incipit. *Spirto gentil*, sic ipsam vocare sustinuit.

L'Antiche mura ch'ancor teme, & ama.

Annius pariter in *Berosi Chaldei* Commentario, ubi res peculiariter tractat *Mameli* XVII. *Assyriorum* Regis, sub nomine *Romanessi*, ostendit hoc nomen

A occultum extitisse *Romæ*, Deique illiùs Urbis Tutelaris, quod revelans *Valerius Soranus* punitus hac de causa fuit; nomenque hoc (*Romanesso*) à matre habuit *Roma*, quod sublimitatem indicat, & *Nesso* quidem interpretatur (fortis) à quo nomine *Romani* Imperii augurium pendebat, quod octingentis plusquam annis antè *Romuli* ortum, evenit. Idem in expositione *Caji Sempronii* in *Italiæ* divisione de nomine *Romæ* loquentis; communiter omnibus absconditio, Sacerdotibusque
tantùm revelato, qui illud nomen (ne hostibus 81
innotesceret) effutire prohibebantur: Ex omnibus autem iis quanta *Romæ* antiquitas fuerit, colligi-
B tur, ab *Italo* scilicet habitatam fuisse octingentis antè *Romulum* annis, in *Aventina Capena*, atque à *Roma*, ejus filia, in *Colle Palatino*; trecentisque antè illam annis à *Saturno*, ubi nunc *Saturni* Templum ad *Collis Capitolini* pedem existit, habitatam fuisse. Idem à *Fabio Pictore* confirmatur his ferè verbis: Supra originem *Romæ* aliqui inconsideratè scribunt: initium nempè à *Romulo* sumpsisse, habitata enim à *Saturno* fuit mille & centum annis antè *Romulum*. *Italus*que *Capenam* in *Aventino*, *Roma*que ejus filia *Romam* in *Palatino* ædificarunt; unde subjungit *Annius* falsò *Romam* à *Romulo* derivari, idque duobus nixus argumentis fal-
C sum esse subjungit: Primò, quia ejus proprium nomen *Romulus* haud fuit, sed *Rumulus*, id est, *Mammillarius*. *Thusci* dixerunt, *Rumam*, quam *Latini*, *Mammam*, ideò *Faustus* eos vocavit *Rumulum*, & *Rumum*, mammam enim Lupæ suxerant. *Servius* lib. VIII. *Æneid.* super hæc verba *Rumore secundo* scribit: *Rumore pro* Rumone *posuit. Nam* (*ut supra diximus*) Rumon *dictus est*, *undè & Ficus* Ruminalis, *ad quam ejecti sunt* Remus & Romulus. Si autem, quod dicit *Berosus*, verum haud esset, *Cajus Sempronius*, *Fabius Pictor*, *Annius*, *Ovidius*, pluresque alii Auctores, hujus antiquissimæ *Romæ* originis (quod illi non concedo) non memi-
D nissent; nec verum etiam esset quod *Justinus*, *Solinus* aliique asserunt Auctores, *Romam* fundatam à *Romulo* fuisse, ab eoque accepisse nomen; *Roma* nihilominùs *antiqua* nuncupari meritò potest, & *prisca*; *antiquior* etiam, & *vetustior*, temporum ratione, Astronomia, Olympiadibus, Monarchiisque, sequenti modo; Quoad rationem inprimis temporum, per *Astronomos*, ex radicibus
(*Apochis Græcè* dictis) & illis quidem *Ptolomei* an- 82
tiquissimis, qui ad primum *Nabonassaris* annum id factum revocat; iste autem à *Joanne Lucido* dicitur *Salmanassar*; ex hisce igitur radicibus *Ro-*
E *mam* antiquiorem extitisse judicandum est; quapropter ejus negare antiquitatem, insanæ esset mentis. Quod *Roma* verò ante dictum *Nabonassaris* annum extiterit, cum eodem ostendo *Ptolomeo* lib. III. (vulgariter *Almage* nuncupato) cap. VIII ubi ab initio Imperii *Nabonassaris* ad illud *Augusti*, septingentos & octodecim numerat annos, *Augusti* autem Imperium anno septingentesimo vigesimo quinto (vel secundum *Dionem* quinquagesimo secundo) ab initio *Romæ* primordia sumpsit. *Roma* igitur ædificata fuit septem ante *Nabonassarem* annis; Anni enim *Ptolomæi* anni sunt *Ægyptii*, vel constantes diebus tercentis sexaginta quinque; illi autem *Dionis* sunt anni
F *Juliani*, dies trecentos sexaginta quinque & sex horas continentes; juxtà vulgarem computum, anni *Juliani* annos includerent *Ægyptios* septingentos viginti quinque, cùm centum & octoginta & uno diebus; idcircò secundùm horum annorum computum, annis septem, cum centum octoginta & uno diebus priùs *Roma* ædificata fuit. *Joannes Lucidus* non valdè ab hoc computo differt, *Romam* hîc antiquiorem quatuor tantùm annis constituit dicto anno *Nabonassaris*, quem ille

ille vocat *Salmanassarem*. Computus igitur *Lucidi* est, *Romam* ædificatam fuisse anno primo *Achazis* Regis *Judæ*, & quinto anno *Achazis* primum ponit *Salmanassaris* annum, qui fuit *Nabucdonassoris* vigesimus nonus; ex quo etiam, anno *Nabucdonassoris* vigesimo quarto, ædificatam fuisse *Romam* sequeretur.

Quod ad secundam verò rationem temporum per *Olympiades*, quæ apud *Græcos* celebriores existunt temporum mensuræ, à *Latinis* pariter admissas: deridendus, re vera, esset ille, qui id quòd temporibus primis Olympiadum extitit, haud antiquum vocari posse, affirmaret; Antiquissimi quippe *Philosophi*, celebriorumque rerum gestarum memoria, earum numero atque cursu includuntur. *Chalites*, scilicet, trigesima quinta floruit Olympiade, annis (nempe) CXL. post earum initium. *Pythagoras* Auctor *Italicæ Philo-*
83 *sophiæ* (secundum quosdam) octuagesima tertia floruit *Olympiade*, id est annis trecentis triginta duobus ab earum exordio, alii plùs, minùsve putant; Qui autem super cæteros antiquiorem eum reddit, *Plinius* est, numerans eum in quadragesima secunda *Olympiade*, annis centum sexaginta octo post initium. A tanta primarum *Olympiadum* antiquitate, triginta solummodo & octo *Romæ* ædificatio distat annis: Illi verò qui minus adhuc computant; vigintiquatuor tantùm numerant. *Solinus* vigesimo quinto ejus anno ponit exordia Olympiadum, id est anno primo *Olympiadis* septimæ: Civitas autem, vetustissimum tangens *Olympiadum* initium, *prisca*, & *antiqua* non erit? Vetustissima non ne nuncupari debet Urbs tàm remotis antiquitatibus vetustior?

Quod ad rationem verò temporum tertiam per *Monarchias*, *Justinus* quinque ponit *Monarchias*; *Assyriam*, *Medicam*, *Persicam*, *Macedonicam*, & *Romanam*, quarum antiquissima *Assyria* est; secunda, antiquitate, est *Medica*. Ædificatio autem *Romæ* non solum illa *Macedonica* vetustior est, sed & *Persica*; ab *Alexandri* morte, monarchiaque ejus ad *Augusti* tempora usque ducenti nonaginta quatuor numerantur anni, ut constat ex *Ptolomeo* lib. III. cap. VIII. à *Nabonassare* ad *Alexandrum* quadringenti viginti quatuor elapsi sunt anni. *Persarum* monarchia, cui finem imposuit *Alexander*, annis ducentis cum triginta perduravit, ita ut initium sumpserit annis centum nonaginta quatuor post *Nabonassaris* principium; atque centum & nonaginta novem post initium *Romæ*, quod tempus Monarchiæ *Medorum* regno adscribitur: *Roma* igitur circà mediam *Medorum* primæ antiquitatis Monarchiam ædificata fuit: Nosce igitur errorem tuum, qui negare audes *Romam antiquam* & *priscam* esse atque vocari ab Auctoribus, eademque cum Urbe *Cæsena* possidere attributa Antiquitatis summæ. Lancea equidem haud justa, falsusque ictus ille tuus pariter fuit dum corrumpis auctoritatem *Plinii*, *Senones* qui *Romam* ceperunt, in octava, *Senogalliam*que in sexta regione ponentis; Tu enim falso vis, quod ille omnem terræ intelligat tra-
84 ctum, utramque continentis regionem, integrumque illud caput *Plinii* simul connecti debere, nulloque modo ab invicem esse distinguendum.

Lancea iterum non justa, falsusque ictus, dùm dixisti; (supposito quod *Plinius* illius extitisset sententiæ) *Senones* qui *Romam* cepere, fuisse in octava Regione, ubi est *Cæsena*, & fidem ei minimè habendam esse, benè autem *Catoni*, tamquàm temporibus *Gallorum Senonum* propinquiori; utrique enim par debebat esse notitia, licet unus alterum ortu præcesserit, uterque enim centenis ab illo sæculo procul annis vixit; si hoc locum haberet, prædecessorum temporum even-
A tus, præteritasque historias meliùs tu ipse calleres quàm *Eques Defensor*, quùm tu proximior sis temporibus illis, quam ille qui quadraginta minor est natu annis, manibus nihilominùs propriis contrarium palpavimus, tu tamen quò situs sit nasus tuus ignoras.

Lancea non justa, falsusque ictus fuit ille, quod *Catone Sempronio*que *Senogalliæ* tantùm mentionem facientibus, ipsamque inter *Ariminum*, & *Anconam* Urbes, inter *Rubiconem* & *Æsim* Fluvios ponentibus, eam indè trahis consequentiam, *Cæsenam* nunquam fuisse *Senam*, quoniam in illo tractu ejus mentionem haud faciunt; illam scilicet adducere
B opus non erat, quando de *Gallia* sermo erat *Togata*.

Lancea non justa falsusque ictus fuit ille; quod in Illustribus familiis, eximiisque *Cæsenæ* literatis memorandis, novum fecisti *Chaos*, quatuor invicem miscendo elementa, noctemque diei permiscendo.

Lancea non justa, ictusque falsus fuit ille, *Cæsenam* antiquitùs vocatam fuisse *Flaviam Papiam* à nomine *Flavii Papii Thuscorum* Regis; ac deinde semper nuncupatam fuisse *Cæsenam* à parvulo suo fluvio *Cæsi* scribentis; hæc itaque indè sumitur consequentia, si *Cæsena* nempè à parvulo suo Flu-
C violo *Cæsi*, vel *Cæsuola*, semper sic dicta fuit, ergo non semper dicta fuit *Flavia Papia*, sed si 85
Flavia Papia, etiam fuit dicta, quæ quidam ratio impossibilitatis erit, ipsam cursu temporis *Senam* quoque à *Senonibus*; (qui suam ibi fundarunt sedem) post eorumque dein excidium *Cæsam Senonum*, tandemque *Cæsenam* vocari haud potuisse?

Lancea non justa, falsusque ictus fuit ille; *Cæsenam* ampliatam à *Thuscorum* Regibus fuisse, coloniamque factam, eorumque nomine vocatam; negare dein, *Cæsenam* fuisse (longo interposito tempore) *Romanorum* coloniam, si *Thuscorum* anteà colonia extiterat.

D Lancea non justa, ictusque falsus fuit ille; *Cæsenam Româ* dicere vetustiorem, ipsamque (per Excellentiam) *Priscam*, & *Antiquam* nuncupare; temporibus deinde *Plinii* (tot annis à fundatione *Romæ*) parvum *Oppidum* dicere, insufficiensque ad recipiendam *Romanorum* coloniam declarare: quùm diebus tamen illis celeberrima esset urbs, Episcopali dignitate, prærogativisque aliis urbibus præstantibus tributis jam tum quoque gaudens.

Lancea non justa, falsusque ictus fuit ille; quòd una tantùm semper extiterit *Sena*, & quòd idem sibi velit *Sena* ac *Senogallia*, vel *Senogallica*, nulloque modo duæ, quæ novitas licet satis profliga-
E ta, & contrarium quamvis satis abundè ab *Equite Defensore* probatum sit, æquum tamen nobis videtur hanc addere considerationem, pro *Cæsena*, eam nempè *Senam* fuisse: Quod scilicet re vera *Cæsena* primo dicta fuerit *Sena* nullo modo dubitamus, satis enim clarè constat utroque diù gavisam fuisse nomine; fidem de hoc facit certam Synodus Papæ *Melchiadis*, *Romæ* habita, cui intervenit *Florianus*, *Cæsenæ* Episcopus, quod anno CCCXIII. evenit: qui *Florianus*, *Baronius*, & *Milevitanus* eum Episcopum *Cæsenæ* appellant, his verbis: *Florianus*, *Episcopus Cæsenæ: Carolus*
F autem *Sigonius* lib. III. *Occidentalis Imperii* pag. 45. hujus Synodi mentionem faciens vocat eumdem *Florianum*, *Senæ* Episcopum: *Florianus*, *Senæ Episcopus:* Eusebius pariter *Cæsenæ* Episcopus, qui *Concilio* intervenit *Chalcedonensi* inter 86
alios Episcopos, quique ipsum subscripsit; habitum hoc Concilium fuit anno CCCCLXVIII. hoc modo signavit: *Eusebius Episcopus Senæ*. Et si quis hoc de *Siena* in *Hetruria* intelligendum esse putavit, auctoritate *Orlandi Malavoltæ* Civis *Se-*

nenſis in prima parte Hiſtor. *Senenſium* lib. II. pag. 17. ei reſpondeo: Quod Urbs ea, tunc temporis, Epiſcopali dignitate carebat; ideòque dicit, *Ordinatus fuit Vitilianus ſolo anno DCLXXVI. Primus Epiſcopus:* Si autem de *Senogalllia* intelligeret; reſpondiſſet potius verbis ejuſdem Concilii tom. II. pag. 489. in quo his verbis ſe ſubſcripſit, Epiſcopus *Senogalliæ. Venantius* Epiſcopus *Senegalliæ: Euſebius* igitur Epiſcopus *Cæſenæ* ſe ſubſcripſit, *Senæ:* Sic ex vita *Divi Mantii* Chriſti domini diſcipuli, Epiſcopique *Eboræ* colligitur; miſſus quippe fuit in illam Urbem à Sancto *Petro*, ut Antiqui *Piſæ* Annales his verbis referunt: „Anno (nempè) quadrageſimo ſexto ſalutis no„ſtræ Princeps Apoſtolorum miſit *Piſam* pro Epi„ſcopo *Petrinum Romanum*, *Mantium*que *Cæſena„tem Romandiolum* pro *Eboræ* Epiſcopo:" Hac de cauſa Sanctus is nùnc *Cæſenæ*, nunc *Senæ* duobus iis nominibus Epiſcopus vocatus fuit; *ut in Brev. Burgen:* hoc modo: *Sanctus Mantius, natione Romandiolus, Patria Cæſenas*; & aliundè: *Mantius Senæ* in *Flamin.* natus. Ex eo quod ſupra dictum eſt neceſſaria ſequitur concluſio, duas extitiſſe *Senas*, *Cæſenam*, ſcilicet, & *Senogalliam*, quòd dignè explicitum à *Silio Italico* fuit his verbis:

Et Senonum de nomine Senæ:

Duas extitiſſe *Senas*, nominando eas in plurali numero, & non in ſingulari; ſi enim unica fuiſſet *Sena* dixiſſet:

Et Senonum de nomine Sena.

Lancea non juſta, falſuſque ictus fuit ille,
87 quando pertinaciter defendere voluiſti, *Conſules Romanos* penès *Senogalliam* caſtra habuiſſe, *Aſdrubalem* verò quingentis ab eis paſſibus, licet falſum ſit totum, ut manu etiam palpari poſſit. *Sena* ea, ubi quidem *Romanorum* agmina morabantur, *Cæſena* fuit, quòd non ſolùm patet ex rationibus rectè ponderatis ſuperiùſque ab Equite Deſenſore adductis: ſed etiam expreſſis *Lucii Flori* verbis *lib.* 11. ſuæ Hiſtoriæ de Bello *Carthaginenſium* ſecundo, temporibus *Neronis*, & *Livii* Conſulum, loquentis ita: Nero *in ultimo* Italiæ *angulo ſummovebat* Annibalem, Livius *in adverſiſſimam partem*, *& in ipſas naſcentes* Italiæ *fauces ſigna converterat. Nero* in ultimo exiſtebat *Italiæ* angulo contra *Annibalem*; *Livius* exercitum contra *Aſdrubalem* ad partem magis oppoſitam duxerat: Hoc in loco loqui haud poterat de *Senogallia*, ad partem magis oppoſitam non exiſtente; *Fanum* enim, & *Ariminum* (jàm Colonia à *Romanis* in *Piceno* declaratum) eum occupabant locum; ut refert *Titus Livius*. *Ariminum ex Piceno Colonia.* Auctorem igitur de *Cæſena* parte màgis oppoſita, ac ultima *Italiæ* locutum fuiſſe, neceſſe eſt: clarè enim ipſe ſequentibus id explicat verbis: *Et in ipſas naſcentis* Italiæ *fauces*. Quænam ergo Civitas (niſi *Cæſena*) ad fauces *Italiæ* naſcentis ſita eſt? Clarum eſt *Rubiconem* temporibus illis terminum *Italiæ*, *Galliæ*que extitiſſe, cujus memoria ſequenti etiamnum ſervatur Diſticho:

Hic licet unda brevi Gallorum *terminus olim*
Auſoniæ*que fuit* Puniceus Rubicon.

Prima autem *Galiæ* Urbs, *Rubicone* tranſgreſſo ad *Romanum* pertinens fuit Imperium, ipſiuſque pariter *Italiæ* fuit *Cæſena*; & quidem jure merito ſcriptor is fauces naſcentis *Italiæ* ipſam dicere debebat, tamquam ea, ad quam ejus terminus extendi jam incipiebat; ſi volumus enim præciſiùs hoc ſumere verbum *fauces*, ſummam id gulæ denotat partem illam, nempè linguæ contiguam, undè ſic cecinit *Virgilius*:

88 ——— *Linguaque faucibus hæſit*

Quis ignorat *Cæſenæ* ſitum extremum eſſe *Galliæ*, tamquam baſem Triangularem magni *Italiæ*

A Agri, qui ſe deinde extendit ad magnum campum *Lombardiæ*, quaſi magno capiti per illam conjunctæ? Si verbum inſùper illud *fauces* pro principio conſideratur, ut à gravibus ſumitur Auctoribus: undè *Virgilius* cecinit:

——— *Ad fauces gravè olentis* Averni

& alibi:

Ad fauces ortu:

Ubi alterum pro principio ſumitur Inferni, pro diei initio alterum: ſic & intellexit *Boccacius* dicens:

*A le fauci d'*Averno *& d'*Acheronte

Plurimi alii Auctores ſumunt itidem *fauces*
B pro principio, ut ad *fauces montium*, *ad fauces vallium:* ideò Poëtæ huc alludentes, ut *Virgilius*, *Arioſtus*, pluresque alii, vocant *Canem* Inferni cuſtodem, *trifaucem*, tamquam in ejuſdem loci introitu poſitum. Meliùs explicare haud poterat *Lucius Florus* ſitum *Cæſenæ*, locumque ubi *Conſul*, & *Aſdrubal* caſtra ſervabant, quùm fuerit pars magis oppoſita, ubi morabatur *Nero*, principiumque naſcentis *Italiæ*, de die in diem extrà *Rubiconis* limitem ſe dilatantis: pro veritate immò infallibili pono, Conſulem occupaſſe hunc terrarum ſitum, ad inhibendum *Aſdrubali* iter, erat enim per *Tribum Sapignam* iter exercitibus *Ro*-
C *mam* euntibus ac redeuntibus conſuetum, ut ſuprà *Eques* Defenſor expoſuit, verba *Diodori Siculi* adferens, atque *Cluverii* ipſius *lib. primo cap.* IX. Eòque magis tranſitum hunc *Romani* inhibere tenebantur *Aſdrubali*, dum ipſum in inſidias, ei apud *Metaurum* paratas, impellere curabant; ut *Livius*, *Eutropius*, aliique graviſſimi Auctores referunt: *In inſidias compoſitas apud* Metaurum *incidit.*

Veritas itaque eſt adeò lucida, Conſulem *Romanum* apud *Cæſenam* caſtra habuiſſe, eamque *Se*- 89
nam extitiſſe, ut nulla inveniri poſſit contradictio; ſicuti inter infinitos tot Scriptores, *Franciſcus*
D quoque *Pamfilius* & *Villegias*, ubi celebrant exitium *Aſdrubalis* apud *Cæſenam* ponunt, & ab ejus repentino inde diſceſſu, excidium atque cladem exponunt: ſequentia quidem illius ſunt carmina:

Hic Cæſena *vices* Cannis *ſic reddidit æquas*,
Urbs retulit Tyrio *præmia digna Duci.*
Nam quot Romulidæ Cannenſis *rivus ademit*
Tot Cæſena Tyri *ſuſtulit unda viros.*

Villegias verò in vita *Joſiæ* Regis *Judæ* pag. 56. de *Chartaginenſi* Bello diſſerens, Conſules non ſolùm acies ſuas penès *Senam* (id eſt *Cæſenam*) habuiſſe; ſed *Asdrubalem* in *Lombardia* tàm à *Senogallia* procul, contiguaque *Cæſenæ* terra cæſum fuiſſe
E teſtatur: Si igitur hæc (ut ſuperiùs declaratum fuit) eſt baſis illius vaſti *Lombardiæ* Campi (*Italiæ* maximi) quàm forſan opinionem ſecutus eſt *Annius* hiſce verbis: Galli *occuparunt Imperium* Thuſcum *ad* Alpes, *univerſamque* Lombardiam; *vocati deinde fuêre* Boji Inſubri, *&* Senones, *qui multis nomen mutarunt urbibus. Villegias* ergo de *Lombardiæ Sena* egit, huicque excidium tribuit *Asdrubalis.* Teſtimonia omnia ſunt in *Cæſenæ* favorem. Audi quid dicat *Villegias*, qui (de *Claudio Nerone* loquens) ait illum, relicta exercitus ſui parte, contrà *Annibalem*, tacitè una cum ſex millibus ex ſelectioribus militibus contendiſſe magno
F itinere *Senam* uſque, ubi erat *Marcus Livius Salinator*, ad pugnandam cum *Aſdrubale Annibalis* Fratre, qui potenti exercitu ſe ſe jungere *Afro* illi ſtudebat: duos (ait) Conſules eum agreſſos fuiſſe, & debellaſſe; *Aſdrubale* ipſo cum quinquaginta ſex millibus hominum occiſo, captivis minimè numeratis. Idem mox ſubjungit: Rebus intereà ita geſtis, audiiſſe *Romanos* occiſum fuiſſe *Aſdrubalem* in *Lombardia* à duobus Conſulibus *Nerone*, & *Salinatore*. Decerne igitur; quomodo am-

90 umquàm fieri potuit, *Asdrubalem* ad *Senogalliam* pervenisse, ibique tenuisse castra, si strages, mortemque ejus tàm procul ab ea evenisse testentur Auctores.

Lancea non justa, falsusque ictus fuit ille, quando dixisti, quod si *Romanæ* acies, *Cæsena* ad insequendum *Annibalem* discedentes, per duos integros dies, (nulla interposita quiete) iter fecissent, fessæ, fatigatæque, atque non ad pugnam dispositæ, illùc pervenissent; Insigni ingenio tuo tale iter immerito impossibile videtur. Licet enim *Eques Defensor* tot tibi superiùs adducendo inconvenientias, satisfecerit, duo alia majoris claritatis gratia iis addere volui.

Primùm: *Cæsar* quippe quùm *Ariovistum*, *Germanorum*, Ducem aggredi vellet, per quinque dies integros agmina sua, pugnæ ordine disposita, ad certamen illicò iniendum parata habuit; *ut in lib. primo de Bello Gallico* pag. 31. ipse ait, ecce ejus verba: *Ex eo die dies continuos quinque* Cæsar *pro castris suas copias produxit, & aciem instructam habuit, ut si vellet* Ariovistus *prælio contendere, ei potestas non deesset.*

Secundum hoc est: Magnus ille *Henricus Quartus*, ut refert *Davila* lib. 11. pag. 672. ut *sancti Dionysii* suburbium (quæ pars est *Parisiorum* præcipua) subjugaret, quadraginta successivis horis super equum sedit, continuasque cum exercitu suo, bellicas egit actiones, nec umquàm, nisi priùs acquisitione consummata, victorque factus, quievit. Noscis jam, (Domine *Opponens*) an hoc impossibile fuerit exercitui tàm strenuo, continuò sub armis, ut iter tàm longum pugnandi gloria subiret, pro occupando hoste, eumque (ut fecit) debellando.

Lancea injusta ictusque falsus fuit tandem ille, dum risu & contumeliis excepisti verba Equitis *Claramontii* super mutationem *Senæ* in *Cæsenam*, sic dicentis: *Accisio fortè, & excisio novo nomini occasionem præstitit, quasi scilicet* Cæsa Sena *tùm diceretur in* Cæsenam, *nàm duæ voces coaluerunt:*
91 Quùm sit hæc vera, & fundamentalis occasio mutationis *Senæ* in *Cæsenam:*

Cæsena illa fuit *Sena* à factione *Syllæ*, & *Marii* destructa, & non *Senogallia*, ut ex supracitato *Appiano* distinctè videre est: ejus attendite verbis: *Sed primò statim vere ad* Æsim *flumen à mane usque meridiem acerrimè conflixerunt* Metellus, *&* Carinis Carbonis *Legatus* (lib. primo de Bello civili) *quo profligato, finitima loca defecerunt ad* Metellum *à Consule* (Carbone *scilicet, qui Consul erat.*) Metellum *verò* Carbo *assecutus obsidebat, donec cognito collegam magno prælio ad* Præneste *esse victum, copias suas reduxit* Ariminum, Pompejo *tergo hærente, & in eum incursante in agmen extremum* (dein addit) Pompejus *quoque* Marcium *devicit circa* Senam *urbemque ipsam diripuit.*

Ex hoc igitur *Appiani* maturè ponderato textu, manifestum est, Auctorem hunc loqui haud potuisse de alia *Sena*, nisi de *Cæsena*: *Pompejum* quippe *Senogalliam* depopulasse (dominum illorum omnium agrorum existentem) integrique *Piceni* subjectione fruentem, verosimile haud quaquam videtur: quapropter *Plutarchus* in *Pompeji* Vita ita scribit: Pompejus *hac tempestate apud* Picenum *divertebatur, possidebat illic agros, præterea quod majus erat, benevolentiam & amicitiam Civitatum, quam à Patre sibi relicta consuetudine suæ præsentiæ adaugebat*; & paulò post: Picenum *igitur omne commovit, pertentans virorum animos; sed hi avidè paruere, proque* Carbone *profectos haud admisêre:* Hocque omni caret dubio.

Si igitur omnes illas *Piceni* urbes amore prosequebatur *Pompejus*, reciprocèque ab illis diligebatur, adeò, ut illius ergo, hostes se *Marianis* declararent, nullos se se accedentes (qui ad *Carbonis* eos favorem attrahere studebant) admittendo: si tanta, inquam, in *Piceno* gaudebat auctoritate, ut ejus omnia obedirent nutui: (*Picenum omne commovit*) quomodo fieri potest, *Senogalliam* in medio *Piceni* sitam, sibi ipsi contrariam, adeòque inimicam invenisse, ut ad eam depopulandam cogeretur: *Qui totum dicit nihil excludit, Logici* sic asserunt, & *Juristæ.*

Certum insuper est indicium, *Senam* à *Pompejo* devastatam, *Cæsenam* fuisse, & non *Senogalliam*, quod & hæc adhuc fortiùs suadet ratio; quùm clades *Marii*, ad *Prænestem* accepta, ad *Carbonis* venisset aures, qui *Metellum* obsederat, confestim ille urbibus *Piceni*, ut *Pompejo* amicis, diffidens, *Ariminum* confugit. Terga *Carbonis* insecutus est *Pompejus*, continuisque molestiis usque ad ultima penès *Ariminum* castra, ipsum affecit: *Copias suas reduxit Ariminum* Pompejo *tergo hærente, & in eum incursante in agmen extremum.* Verbum hoc (*incursante*) cum sit frequentativum ab *incurso*, frequentes incursiones agere significat. *Pompejus* igitur frequentibus aggressibus *Carbonis* exercitum insecutus est, eum *Ariminum*que usque persequens: Si *Ariminum* venit, *Senogalliæ* proculdubio haud mansit, *Marcium* non vicit, urbesque non destruxit; consequens erit *Senam* illam destructam, *Cæsenam* extitisse: quoniam patet, quod *Pompejus*, relicto à tergo *Metello*, continuò posteriora exercitus *Carbonis Ariminum* usque infestavit: ut ex *Appiani* his constat verbis: *Tergo hærente, & in eum incursante in agmen extremum:* Quò castra movens *Carbo*, ut *Clusinum* (*Chiusine*) pervenerit ubi plures ejus morabantur milites, amicæque legiones, tamquàm in locum aptum ad auxilia *Mario* in tàm urgenti periculo mittenda (ut sæpiùs quoque misit) sicque per *Senæ*, vel *Cæsenæ* transivit viam, à *Senonibus* stratam, tunc quando perrexerunt *Romam*, ut testatur *Diodorus*, qualia itinera sæpiùs à *Romanis* agminibus peracta sunt: *Ex via, qua postmodùm sæpè Romani exercitus transgressi sunt per* Sapignam Tribum, *qua circa* Sapis *fluviis &c.* Hinc relicto *Marcio* cum agminum parte, viribus *Cæsenæ* (*Galliæ Cisalpinæ* propugnaculi, quæ *Marcianam* adjuvabat factionem) confisus non tantùm ad ea defendenda confinia, sed & ad ejus incursiones à tergo evitandas, moratus est: Accedens autem *Pompejus* cum toto exercitu *Marcium* superavit, utque metum reliquis Urbibus incuteret, *Senam*, ideft *Cæsenam* 93
destruxit. Appropinquans deinde (*Chiusi*) *Clusio*, ubi *Carbo* morabatur, in auxilium *Mario Prænestem* versus cum octo legionibus, denuò missus fuit; Et *Pompejus* victoriosus per *Umbriam* rediens, iterùm *Marco Crasso* conjunctus, *Marcium* prælio justo debellavit, illas enim octo legiones in auxilium *Marii* ducebat: *Appianus* itaque quando dicit: Pompejus *quoque dejecit* Marcum *circa* Senas, *Cæsenam* intelligere voluit; quæ cum in duas dividatur partes, longiorumque oppidorum instar sit (cujus hodierno etiam die quædam antiquæ apparent reliquiæ) ideo plurali numero explicit *Senas*.

Mirum tibi (*Opponens*) videbitur; quod Eques *Claramontius* in magna apud Literatos omnes æstimatione habitus, à præcipuis orbis Academiis celebratus, in ultramontanis partibus adeò insignis, *Atlas Cœli Peripateci* vocatus, nostrorum temporum *Phœnix*, totque aliis encomiis ornatus, qui tot suis operibus, Typis mandatis, Famam haud fatigavit, semperque admirationem peperit, Monstruosum (inquam) videbitur tibi, amaritudine repleto interna, gloriæque ejus invido, sensum, sententiamque exposuisse suam in re tàm facili, & evidenti, super auctoritatem illustrium, cele-

celebriorumque Auctorum fundata; & Tu ipsum spernes, ipsique illudes? Solidis fundamentis, validisque responsionibus potiùs, & non nugosis verbis, neque filorum aranearum ligaminibus, animum tibi erige, essentialibus rebus minimè oblitis; dicendo, *Græcum est*, *bibitur*, *& non legitur:* Magis quid requiritur, quàm *tendere retia grillis:* Tanti viri auctoritatem negas, & dein rationum tuarum (insidiosam rabiem indicantium tuam) Heroem te ipsum constituis. *Catonem* eum cum illo suo fragmento, apud omnes pro mendaci habitum, immò prorsus apocryphum, ipsum inquam, te sequi æquum fuisset:

A Rè Malvaggio consiglier peggiore.

94 *Cato* (inquam) ille, qui in describendis *Italiæ* Urbibus, *Cæsenæ* nomen siluit, nè (tamquàm *Romanus*) antiquos innovaret pudores, Urbem illam adducendo, ex qua prodière *Brenni*, & *Senones*, qui primi *Romam* ceperunt, ac de illa triumpharunt, coëgeruntque eam charam sibi redimere libertatem (sed non honorem) auro, non virtute; Undè victor Rex occasionem habuit exclamandi: *Væ victis.*

Romani equidem *Senonum* nomen semper prosequuti sunt odio, totisque viribus eorum prorsus delere memoriam conati sunt: Æraria enim (data opera) ad coërcendos *Gallos* servabant opulenta; quæ *Cæsar* postea diripuit, militibusque distribuit, tamquàm ille, qui Patriæ suæ opprobrium, (ut ait *Appianus*) primus deleverat: *Acerrimi Romanorum hostes* vocantur hi à *Dionysio*, ut jurati, inflexibilesque inimici. Mirum equidem non est, si jam in initio *Senonum* nomen delere, adque ad nihilum reducere (ut re vera fecerunt) conati sunt ad ruborem, ignominiamque suam vindicandam; ne scilicet, ut refert *Lucius Florus*: *quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romanam Urbem gloriaretur:* *Lucanus* quoque cecinit:

Et damnata diù Romanis Allia *fastis.*

Suetonius autem inter majores honores *Drusorum* Prosapiæ in vita *Tiberii* cap. III. enumerat factum *Drusi* cujusdam, qui aurum *Senonibus* pro tributo datum, Patriæ suæ *Romæ* restituerit. *Traditur*, *& eo Proprætore ex Provincia* Gallia *retulisse aurum* Senonibus, *olim in obsidione Capitolii datum:* Juremeritò igitur delere, & perdere *Senones* studuêrunt. Non sic cum *Bojis*, & *Insubribus* (juxtà *Dionysium*) egerunt; juventute enim priùs perempta, aliòs deinde paulatìm (ut asserit *Strabo*) perdiderunt; Ea de causa odiosum semper *Romanis* fuit *Senonum* nomen; vocabant enim eos gentem, cujus nomen ipsum esset execrabile, *Infandi* 95 *Senones:* idcircò sic cecinit *Poeta:*

— — *Socciata examina desunt*
Infandi Senones.

Libro insuper sexto:

Allia, *& infandi* Senones.

Verbum eodem sensu à *Virgilio* lib. II. *Æneid.* sumptum:

Infandum Regina jubes renovare dolorem.

Mirùm igitur ne videatur, si Urbem quoque, cui cedere coacti fuêre, ejusque etiam nomen odio prosecuti fuêre: *Cato* idcircò eam silentio transivit, ne ipsi meritas tribueret præëminentias, tamquàm ei, quæ de *Roma* triumphavit. Diebus tamen illis *Cæsena* existebat; *Cluverius* immò miratur, quod Oppidum à *Procopio* dictum fuerit, nec inter celebriores Urbes ab eodem sit relatum. En ejus verba: *De cætero miror à* Procopio *adpellari* Frurion, *idest* Castellum, *cum ab* Agathia *dicatur Urbs* πόλις, *id que magìs miror, quod jàm* CLXX. *fermè annis antè* Ptolomæum Antoninus *bis in duobus diversis itineribus*, *Civitatem adpellet*, *quod ille*, *non nisi principibus urbibus attribuit*; *undè etiam in* Tabula Itineraria *dignum primariæ Urbis nomen ei adpictum est.*

Aldus Manutius in sua Ortographia de *Cæsena* loquens, ait: Strabo *certè lib.* V. *eo loco*, *quem supra recitavimus*, *inter nobiles Civitates* Cæsenam *numerat.* Antiqua inscriptio CÆSENAM Civitatem fuisse, Romanorumque Coloniam *testatur*, *nec ullum umquam Oppidum inter* Romanas Colonias *annumeratum fuisse apud quemquam legimus:* Audite antiquam ab ipso relatam inscriptionem:

A. LVCRETI HISTORICI, AC POETÆ
CONDITORIS VERISSIMI,
CVI OB EXCELLENTIAM INGENII, STATVA CONDONATA
A CIVITAT. CÆSÆNÆ
ROM. COLONIÆ DEDVCTÆ
IN HOC SACRO MONTE DICATA.

Tibi hæc jam sufficiant *Domine Opponens*, atque interim meliora pro stabilienda auctoritate opinionis tuæ collige.

FINIS LIBRI PRIMI.



CÆSE-

97
CÆSENA TRIUMPHANS.
LIBER SECUNDUS.

DEFENSIO SECUNDA.



Strenuus, Victoriosusque Dux ille, qui hostium conatibus, impetibusque hebetatis, bellatoribus dejectis, exercituum adversorum lateribus fractis, ordinibus dissipatis, agminibus fugatis, inimicisque profligatis, Campi semper Dominus remanet, gladium facilè in vaginam condere potest, victoriosisque aciebus suis ultimam operi manum imponere, perfectæque victoriæ præmium & Triumphum adipisci. Unde benè Poëta cecinit:

All' hor si ferma rimirar Rinaldo
Ove drizzi gli assalti, ove gli ajuti,
Mà dè Pagan non vede ordine saldo,
Mà li stendardi lor tutti abbatuti,
Qui pon fine alle morti &c.

Mihi pariter sufficere posset, quod, audacia tua nimia depressa, impetibusque tuis coërcitis, à Judice victor, & Campi pugnæ dominus declaratus sum: dignè meritò quidem jam quiescere, veritatique ultimum (ut in Literatorum aspectu ad metam perveniret,) cursum relinquere possem;
98 eò magis, quò præcipuarum oppositionum tuarum vexilla in terra prostrata jaceant, dolosarumque propositionum tuarum ordines sint dissipati; ac indè stragibus finem imponere, hoc est, ad pueriles nugas tuas coercendas, suppositaque tua falsa reprimenda, insidiosasque calumnias tuas frænandas, latum, spaciosumque mihi aperire Campum juxta celebre axioma: *In uno mendax semper præsumitur mendax.*

Sicut omne id scriptum invenitur, *l. qui falsò ff. de Test.* atque *l. eos.* C. de Test. ubi non solùm dicitur; quod, *qui dicto uno inventus est falsus, in reliquis pariter non solùm falsus præsumendus est, sed tanquam adulterator sit reprobandus.* Tu, qui non uno falsus repertus es dicto, sed & in omnibus oppositionibus tuis mendax, existimas quemquam inventum iri tàm imprudentem ingenioque privatum, qui corde suo te falsum, mendacemque non sit declaraturus?

Non ne insuper in secunda à te posita controversia, (scilicet, *nemo dat quod non habet*) attribuendo Urbi *Cæsenæ Annulorum Hospitalitatis Columnam*; falsam, mendacemque sententiam dixisse apparet? Quis ignorat eam semper *Turentino* Foro, sive *Bertinoro* adscriptam fuisse? Propositio adeò contraria, & dolosa, ut silentio obrui potiùs quàm reponsione digna censeatur; ipse Auctor autem, qui eam suscitavit, solus ea fruatur? Nimis usque adhuc percussum, vulneratumque à venenoso invidiæ dente, te palàm reddidisti; nimis odium cordis tui internum jam propalasti, lucerna *Diogenis*, quærens ubique occasionem captandi, alteriusque opera vulnerandi. Quàmvis autem (tumidorum Terræ filiorum instar) montes fictarum suppositionum, & errorum maximorum super montes erigere tibi haud satis fuit, quod tandem à veritatis fulminibus percussus, in verecundiæ, & ruboris abyssum præcipitatus
A descenderis. Silere (re vera) possem; *os enim falsa tuentis facilè obturatur*; sed quoniam rectè, meliusque jam opus incepi, idem ipsum ad finem ducere, eidemque ultimam imponere manum mihi opus est.

Dimidium facti qui benè cæpit habet. 99
Alio modo ait *Guerinus:*
Chi ben comincia hà la metà dell' opra.
Ego autem prosequens dicam.
Nè lasciarò la tua follia impunita.

Victoriosum igitur cursum meum prosequendo, integram mendicatarum, ac somniatarum oppositinum tuarumperagam destructionem, quibus Equitis *Claramontii* Historiam callidè subvertere studuisti: Tamquàm *Talpa* enim, lumine orbatus, in eam subrepisti, ut fraudulenter pulchrum illustris ejus structuræ ambitum penetrares, formosioremque
B plantam, ad Cœlum usque sese extollentem, superbosque *Cæsenæ* gloriæ ramos ad sydera dilatantem, arroderes.

Tu tandem occasione ea uteris attribuendi, adscribendique Urbi *Cæsenæ Annulorum Hospitalitatis Columnam*, generaliter à Scriptoribus *Foro Truentino*, (*hodiè Bertinoro*) assignatam, suppositum quidem falsum, palpabileque mendacium; basim quippe tuam ponis super verbis cujusdam *Joannis Hollandieri*, ignoti Ultramontani (hac vice re vera, *Palatinorum* ossa reperiisti) qui diebus suis nec *Cæsenam* Urbem, nec *Bertinorum* vidit; si verò has inspexisset urbes (hæc dicturum fuisse haud credendum est. (*Ibi quùm publicorum diversoriorum*
C *nullus pænè esset usus*) certè contrarium veritati pronunciasset. Urbs enim *Cæsena* semper, ac in qualibet illustrium Historiarum ætate, publicis in ædibus splendidè, Duces, magnos Principes, Cardinalesque, temporibus præcipuè priscis, hospitio recepit. Si testimonio credimus *Polybii*, agenti de *Romaniæ* Provincia, Urbibusque in publica sitis via, tanta illæ rebus pro victu necessariis gaudebant copia, ut viatores paucis lautè lætèque viverent ibi expensis: audi præcisa ejus verba: *Hi viatoribus* 100
honorificè acceptis, & omnibus ad victum necessariis abundè subministratis, non ampliùs quàm siliquam (hoc est oboli tertia pars) id prætium rarò excedunt.
D *Jam verò quam particularium etiam rerum, quæ ad victum hominis spectant, in ea Provincia copia sit, ex hoc licet intelligere, quod viatores, cum in hospitia divertunt, nunquam de rebus, quas sint accepturi; particulàtim paciscuntur., quod cæteris in locis fieri consuevit.* Ex quibus vides, quomodo fieri potuerit, quod *Hollandieri* temporibus, *Cæsenæ nullus fuerit usus publicorum diversoriorum*, si *Polybii* ætate, hodiernisque diebus ibidem tanta extent copia, ut quilibet Magnates lautè hospitio recipere possit; ea idcircò non opus habet liberalitate, & magnificentia, viatores quippe numquam hospitii difficultatem invenerunt. Necessariò igitur (ut superius dixi) concludendum est, *Hollandierum* hanc numquam vidisse urbem; si verò *Truentinum Forum* hac utebatur liberalitate, *Columnam*que in *Foro Hospitalitatis Annulis* servabat, necesfariò

sariò hoc facere debebat; mos quidem qui temporibus etiam nostris consuetus Urbibus, locisque est exterioribus, ac à viis publicis remotis, per quas raró transeunt viatores, & peregrini quùm ibi sit parva, vel nulla hospitii occasio; quià apud habitantes ibi Cives ferè semper commeatuum est inopia. Excusationem verò meretur Auctor ille ultrà montes, ab iisque partibus procul natus; *ignarus*, & per consequens situs *Cæsenæ* haud conscius, conjecturis enim tantummodò rerum, quas legit, & non vidit, fidem præbuit.

Legerit fortassis ille Historiam *Frederici* Imperatoris in *Italiam* transeuntis, qui *Cæsenæ Arces* restaurari curavit simul & *Bertinori*, quod *Cæsenæ* Imperio submisit, in conventionibus immò cum *Romano* Pontifice has duas Arces pro se se, tamquàm loca deliciis repleta, sibique pergrata servare cupiebat, ac propterea Auctor iste earum præëminentias confudisse, & miscuisse,
101 vel Urbi Dominatrici tribuisse credere fas est: Legerit forsan ille quando *Malatestæ* Prosapia iis dominabatur locis, *Cæsenam* Metropolim, præcipuamque sedem super omnia loca, Terras, Urbesque quibus imperabant, constitutam fuisse, inter quas *Bertinorum*, aliaque numerabantur loca, ut clarè videtur, ac adnotari potest in plurium Gubernatorum Syndicatu, clarumque de hoc testimonium reddit Eques *Claramontius* in sua Historia in fine libri XVI. pag. 775; diebus etiam nostris aliquam sibi servasse Superioritatem *Cæsenam* apparet ex obligatione concurrendi ad effossionem, conservationemque *Cæsenatici Portus*. Quapropter Auctor iste, unico hoc motivo perductus, unius ejus membri magnificentiam capiti tribuere voluit: quemadmodum varia in Historiis leguntur exempla, Capiti Provinciarum, vel Regnognorum præeminentias, excellentiamque urbium subjectarum, attribuentibus; hocque de propria tantum scriptoris liberalitate, certitudine, Historiæque veritate carentibus. Tu autem, *Opponens* mi, excusationem mereris nullam; supradictam enim auctoritatem (si scriptam reperiisti) candelæ lumine perscrutatus es, aut *Galilei* oculo inter minutas arenas maris, ut aditum tibi ad illas Oppositiones parares, quibus solidas Historiæ *Cæsenæ* bases evertere tibi persuaseras.

Quod autem usque adeò mihi persuadere non potui, nunc fateri cogor, te, scilicet, hoc sumpsisse opus, ut sententiæ scriptorum *Ariminensium* faveas, qui *Cæsenam* fuisse *Senam* pati haud possunt, hoc enim posito, antiquior, illustriorque Colonia *Arimino* existisset, atque sacræ Vacationis privilegio, aliisque præeminentis distincta: immò *Arimino* ipsi dominata fuisset: ut clarè supe-
102 riùs verbis *Rossi*, *Cluverii*, gravissimorumque Auctorum ostendi: Te autem magnam habuisse partem in constructione *Rubiconis Ariminensis*, (in qua plurimos convenisse Architectos, velut ad *Turrim* Mœniaque *Babylonis*, & *Memphis* erigenda nullus dubitat) atque tui esse inventus, sordidum illud *Epitaphium* (vera operis corona) dignum quidem potiùs poni sub effigie tua (quam tàm generosè in fronte operum tuorum splendescere facis) quàm ad Columnam, sivè memoriam restauratam, & erectam à Papa *Paulo* III. & à Papa *Clemente* VIII. in suo transitu approbatam, prout *Torsanus* ipse *Ariminensis* in postrema Oratione in laudem *Cæsenæ* ab ipso habita, confirmat.

Veritate hac supposita, non te pudet, benemereri velle, gratitudinemque ab Urbe *Cæsena* poscere, dùm glorias ejus diminuere, illasque æmulæ Civitatis augere studueris? Tempora jam mutata sunt: Catulorum aperti sunt oculi, nigrumque ab albo segregant: Fecisti, ut aliquan-

A do agere solent Oratores, *Laudant*, ut *vituperent*. Pulchrum quidem laudare, vituperandi gratia, odiumque ex talibus petere vituperiis? Non: Ne timeas illos, qui fluxum aquarum sequuntur, quique vel ingenii defectu, vel fictarum, eximiarumque laudum blandi calami splendore obcæcati, Patriam produnt: Sed hæc sufficiant, Intelligenti sat dictum.

Si mens tua (*Domine Opponens*) recta cogitasset, si justum & æquum nutrivisset propositum Urbem laudandi *Cæsenam*, & non Historiam Equitis *Claramontii* oppugnandi, absque dubiò laudes ab *Hollandiero* præstitas, non tantùm fictas 103
B sed & fabulam ab illo ipso inventam, dixisses; si enim illud quod ab ipso scribitur, verum esset, *Italici Historici*, nostræ præsertim Provinciæ, id haud siluissent; has immò præeminentias, excellentiasque nostræ Urbis, illustria ejus acta canendo, celebrassent, *Foroque Truentino* nequaquam adscripsissent. Inter priscos Auctores sic egit *Plinius*, ac inter hodiernos, *Blondus*, *Rossus*, & *Doglio* unâ cum *Dante*, qui in comœdia sua, hanc liberalitatem, splendoremque *Bertinoro* tribuit.

O Bertinoro, *che non fuggi via*,
Perche gita se n'è la tua famiglia,
E molta gente per non esser ria.

C *Christophorns Landini* idcircò in horum *Dantis* Carminum explicatione hanc *Annulorum Hospitalitatis Columnam Bertinoro*, & non *Cæsenæ* adscribit, sequentem subjungens rationem: *Columnam in Foro erigi fecerunt, circùmque eam tot poni* Annulos, *quot extiterant Patres familias, cuique suum ad id traderere anulum curarunt: Adveniens verò advena, aut prerigrinus, equum ad unum ex dictis* Annulis *eis ligare consueverat; Pater vero familias cujus nexus erat anulus, peregrinum secum domum ducebat, ac splendidè accipiebat.*

Undè *Frater Leander Alberti* in *Italiæ* descriptione, & præsertim Urbium *Romaniæ*, sententiam *Landini* sequendo, Columnam *Bertinoro*,
D (*pag.* 274.) & non *Cæsenæ* tribuit; si verò *Cæsenæ* hæc quoque prius extitisset Columna, & inde *Bertinorum* translata fuisset (ut ais) palam fecisset, eo modo, quo ipso de aliis agit Memoriis; de parva Columna (puta) super *Rubiconem* posita, cum Populi *Romani* interdictione; uti de copiosa abundantia; de ejus Territorio; de ejus antiquitate; nobilibusque aliis præeminentiis. Memo- 104
rat enim insuper lapidem quemdam antiquissimum, positum in Altari gloriosi Sancti *Mauri* supra *Montem Sacrum*, ubi miranda extat Ecclesia illa P. P.
E *Cassinensium*. Quomodo igitur, *Cæsenam* numquam *Columna* usam fuisse *Hospitalitatis*, (si communiter à tot Auctoribus nihil de hoc refertur sed *Bertinoro* solummòdo adscribitur) dici potest? Si *Plinius* propter sua grata vina laudat *Cæsenam*, ea dicendo generosa, & *Mecenatia*, quæ laus est præcipua; si autem hac gavisa esset *Columnæ* prærogativa, vinorum præstantiam commendando, magnificentiamque hanc, & splendorem silendo, injuriam *Cæsenæ* Urbi attulisset.

Sileam laudari *Cæsenam*, propter salis, salinarumque Territorii sui abundantiam, nec eam de majori hac illustriorique generositate celebrari;
F sunt & tot prisci scriptores de *Cæsena* mentionem facientes, eique varia impertientes epitheta, nullus tamen eorum hanc *Columnæ* laudem ei tribuit: *Panetius Bellus*, Antiquus Philosophus, *Cæsenam* propter generosa laudat vina, dicens. *Cùm autem supra mari* Pretutia, *&* Anconitana Palmesia *optima sint*, *non inferioris sunt generositatis in* Gallia *Mediterranei* Cæsenatis. *Joannes* verò *Caramanius*, *Fanusius Campanus*, *Gabinus Letus*, & *Melissus Sabinus*, vocant Urbem *Cæsenam*, eique *Magnificæ*, *Nobilis*, *Bellicosæ*, *Doctæ*, *Fœcundæ*,

dæ, *Fructiferæ*; *Officiosæ*que titulum tribuunt: Quodnam autem pulchriùs illi attributum, eique meliùs impertiri poterant, illo hujus Columnæ magnificentia? In hoc quippe uno omnes ejus gloriæ compendiatæ fuissent; nullus tamen eorum (falso hoc existente) de hoc memoriam fecit.

Relictis verò antiquissimis hisce scriptoribus, ad recentiores transeamus. Legi Orationem quandam à Patre *Torsano Ariminensi*, *Ordinis Servorum*, in laudem Urbis *Cæsenæ* prolatam, in qua ipsam *Antiquitatis*, *Nobilitatis*que laudibus effert, *illustrem*que eam dicit propter celebrem *Rubiconem*, con-
105 spicuam propter *Patrum Franciscanorum* Bibliothecam, & mille aliis præeminentiis gloriosam; ejusque insuper fertilitatem, fæcunditatemque agrorum, olei, vini, granorum, fabarum, fructuumque aliorum omnium copiam extollens, ac celebrans verbis sequentibus: *Nullus est propterea ager feracior*, *uberiorque agro* Cæsenati, *tantum enim habet fæcunditatis ut omnes stupeant &c.* Ad quid ergo Columnam reticuisset Annulorum? Si suis temporibus, vel vetustioribus habuisset? In summa summarum, concludendum est, circa hoc *Hollandierum* somniasse, vel deceptum fuisse; ut superiùs adnotavi, nemo Scriptorum, quantùmvis vetustissimorum, hodiernorumque pariter, hanc *Cæsenæ* præstitit laudem: Poëta is in hujus Urbis Laudibus, ipsam copiosam pariter, abundantissimamque sulphure reddit, dicens:

Perque tuas solet Baccus *albergare Colinas*
O quantum Cæsena *facis sulphure guadagnnm*

Ripa quoque in *Iconologia sua* in *Romaniæ* Provinciæ descriptione, ex vinorum præstantia, fæcunditateque Collium *Cæsenam* laudat. *Guillielmus Laurus* in Commemoratione, sivè plurimarum *Italiæ* Urbium Descriptione, magnas adscribens *Cæsenæ* laudes, nullàm quidem de hac *Hospitalitatis Columna*, (quæ ex minimis haud fuisset) mentionem fecit; dicendo:

Quidquid habent Urbes multæ tenet una Cæsena.

In altera pariter Urbium *Italiæ* descriptione à *Thoma Eduardo Anglo* facta, præstantia, dulcedineque vinorum fælix celebratur hæc Civitas, nec verbum quidem de hujus *Columnæ* generositate loquitur.

Dulcia fælicem cingunt vineta Cæsenam.

Bonaque ergo consequentia, omnique scrupulo procul, concludi potest, fabulam puram esse, nostræ huic Civitati hanc (qua semper caruit) *Columnam* tribuere velle.

Solidiora dictorum meorum veritatis indicia, ad falsitatem suppositionis erroneæ comproban-
106 dam haud possem invenire testimoniis illis, tot *Cæsenatum* Auctorum tàm priscorum, quàm hodiernorum; qui, investigantes Patriæ suæ notatu digna (ut posteris memoriam relinquerent) nec adnotarunt, nec hanc suorum concivium generositatem (admiratione quidem dignam) celebrarunt. Irrefragabile idcircò argumentum est; attributum, nempè, ab *Hollandiero* atque à te ipso *Cæsenæ* gratis datum (ut ad tuos præfixos fines pervenias) & veritate carens. *Titus Calicensis* integrum de rebus *Cæsenæ* notabilioribus scripsit Tractatum (licet incendio quondam exusta fuère ejus scripta) in iis tamen, qui flammis supervixère nulla de hac *Columna* memoria reperta fuit.

Antiquissimus pariter illius *Tiberti* familiæ *Poeta Darius* illustriora monumenta Patriæ suæ scribens, de hac *Columna* nihil protulit. *Jacobus* ille *Mazzoni* Urbis *Cæsenæ* splendor, & gloria, in exponendis verbis illis *Dantis de Inferno*, *Cantu* XXVII. ita de *Cæsena* cecinit:

A *E quella à cui il* Savio *bagna il Fiancò.*
Cosi come ella sò, *è trà il piano*, *e i Montè*
Trà tirannia si vive in stato franco.

Aliisque in locis, quibus suæ Patriæ mirabilia adnotat, de hac concivium suorum liberalitate nihil dicit; & tamen in strenua sua Comædiæ *Dantis* Defensione, super hæc verba:

O Bertinoro, *che non fuggi via.*

Hoc generositatis exemplum (si verè extitisset) Columnamque hanc priorem in Patria sua sedem habuisse, demonstrare tenebatur. *Cæsar Brescius* in sua *Cæsenæ Chronologia* Pontifici *Clementi* VIII. inscripta, ubi agit de magnitudine,
B excellentiaque Urbis suæ; quare hunc præcipuum ejusdem columnæ morem siluit? si splendoribus splendores, honoribusque (in Patriæ suæ Relationibus) honores addere studuit?

Eques ille *Claramontius*, qui omni exactitudi- 107
ne, & studio ab imo *Lethis*, tenebrarumque abyssu Patriæ suæ splendores, præeminentiasque extrahere curavit, quique, instar Apis industriæ, à tot Manuscriptis flores veros, & puros libavit, non ne gravissimè errasset, tàm insignem, memorandamque notitiam (si vera fuisset) silendo. Rationem tibi certam, eum vituperandi, tamquàm occultatorem, atque Patriæ suæ charæ glo-
C riarum usurpatorem, porrexisset. Eodem modo Pater *Bernardinus Manzionus* Urbis *Pisæ*, *Sienæ*que Inquisitor Generalis, in *Chronologia sua*, in qua ad memorabiliora *Cæsenæ* invenienda diù laboravit, nullam de hac *Columna* mentionem fecit.

Reverendissimus Pater Definitor, & Abbas *Divi Celsi Rosinus in Collectaneis suis*, in quibus minutìm se illustriora Patriæ suæ decora collegisse, ac integræque *Cæsenæ* historiæ suppleviſſe asserit; nullam tamen de hac *Columna* nobis notam reliquit: licet aliundè encomiis ei debitis, nulla usurpatione alienorum splendorum adhibita, Patriam suam Universo claram, illustremque reddidit.

D Hinc corroborata fuit sententia mea, falsum quod dixisti existit (*Opponens*) dum in tot aliis nostris Manuscriptis antiquis, & hodiernis nec minima quidem de hoc *Annulorum Columna*, (eam scilicèt in nostra fuisse Urbe) mentio facta est.

Nec *Petrus* ab *Aquarola* (sua ætate *illustris Notarius*) inter alia nobis de rebus hujus Urbis notabilioribus relicta, hujus *Columnæ* memoriam scripsit.

Alterum pariter vagatur Manuscriptum, Canonici cujusdam Regii, Archipresbyterique Oppidi *Sancti Thomæ*, in quo nulla, nec de *Columna*,
E neque de *Annulis* memoria reperitur.

Inter Doctoris *Josephi Parthi* Collectanea, qui 108
prisciores, illustrioresque, non tantùm Urbis *Cæsenæ* sed & ejusdem Urbis Prosapiarum origines scripsit *Cæsenam* nunquam peregrinorum hospitem talem extitisse refert. Idem apparet in iis à *Joanne Baptista Brescio* Medico, ac Philosopho celeberrimo, atque in iis à Reverendo *Antonii Ragonensi* confectis.

Hoc supposito, (attributum, scilicèt encomiumque à *Joanne Baptista Hollandiero Cæsenæ* adscriptum, falsissimum esse) te pariter patet falsum in primis, ultimisque tuis oppositionibus, nulli
F in dubium revocandum erit. Pro certo igitur habendum est *Columnam Annulorum Hospitalitatis semper apud Bertinorum extitisse*; ut Prisci, hodiernique Auctores omnes simul asserunt; & quod magìs est, scriptores nostri *Cæsenates*, eis adhærentes, eamdem tuentur sententiam: Quemadmodum *Antonius* ille *Cæsarius*, primarum *Cæsenæ* antiquitatum, ejusque nobilium, illustriumque præeminentiarum inventor; *Cæsaris Brescii* norma, ac ferè ille, qui *Ariadnes* filo à tenebrarum *Labyrinto* eam evexit, atque in lucido veritatis

Cælo

Cælo posuit, cujusque tot scriptores insignes sequuti sunt labores; ipse (inquam) hujus Columnæ gloriam non *Cæsenæ*, sed *Bertinoro* adscribit.

Ulteriùs incedam, ut tibi, Orbique ostendam, te (Vulpis instar) in hanc ingressum fuisse controversiam, callidè incedentem (tamquam alterius gloriæ invidum) idem quærentem, uti ille, qui *Deli* incendit Templum, ut super illius cineres abominandum suum nomen redderet immortale.

Primo igitur tuo jam diruto fundamento, quod, *Joannes Hollandierus* (Columnam hanc *Cæsenæ* adscribendo) approbare debuerat, nec præsumendum erat, tantum Auctorem fabulas, mendaciaque exponere; Quam verò procul à veritate sit hæc sua propositio, & quàm veritati contrarietur, qui ejus sequitur verba, nimis clarè constat: utrum-
109 que quippe falsum mendacium est.

Ad secundum ergo accedam fundamentum à te, ad Oppidorum tuorum in nubibus ædificia erigenda, jactum: necessarium (nempè) esse hanc *Hospitalitatis Columnam Cæsenæ* priùs, & non *Bertinori* extitisse; *Cæsena* enim antiquior, nobiliorque est *Bertinoro*, immò Urbs celebrior, *Bertinorum* quippe *Landini* tempore Oppidum erat. Argumentum verò nullius roboris; subsistentia enim, vi, conclusioneque caret: Argumenti tui probatio subtilitatem ingenii tui indicat: Audi ejus vim:

De *Cæsena* loquuntur *Strabo*, *Plinius*, *Ptolomeus* aliique gravissimi, vetustissimique Auctores: de *Bertinoro* solummodò *Plinius*, *Blondus*, *Dantes*, *Landinus*, & non *Ptolomeus*: *Cæsena* ergo antiquior est *Bertinoro*.

Hoc facis argumentum, Domine *Opponens*? Hanc inde infers conclusionem? Quod justè possem dicere, sileo; Lectori relinquo cætera. videamus tantùm quò hæc tua subtillissima tendat propositio, quaque hoc tuum argumentum vi munitum sit. *Plinius* mentionem facit de *Cæsena*, & non *Ptolomeus*. Ergo *Cæsena* antiquior est. His in rebus subtilitatibus *Scotti*, locisque *Aristotelis Topicis* ad respondendum haudquaquàm indigemus: Historiæ tantùm, superiùsque allata Manuscripta, ad pudorem tuum excitandum (nisi vultu tecto incedas) sufficiunt. Si *Plinius* tempore *Titi* & *Vespasiani* vivebat, si *Ptolomeus* fuit tempore *Adriani*, & is *Adrianus* sexaginta post *Titum* & *Vespasianum* vixit annis, mundus retrogradè incedit; Audi quæso, Domine *Opponens*, *Bertinorum* diebus extitit *Plinii*, atque de eo mentionem facit, qui sexaginta annis antè *Ptolomeum*
110 fuit: ergo *Bertinorum* diebus non fuit *Ptolomei*, quià de ipso mentionem non fecit; sexaginta tamen annis post *Plinium* fuit. Puerile quidem argumentum, tanto viro haud dignum; derisionem verè meritus es: Dato autem, & non concesso, quod tua ridicula sequeretur conclusio; quandam scilicèt Urbem temporibus *Biscicoli* extitisse, quæ ejus tamen pro nepotum ætate haud subsisteret; quomodo ad rem veniret, atque consistere, hæc alia posset consequentia, *Cæsena* antiquior, nobiliorque est *Bertinoro*, usus igitur *Columnæ* priùs *Cæsenæ* extitit, deindè *Bertinori*, immò *Cæsena Bertinorum* translata fuit. Quomodo autem hæc debilis tueri propositio, quomodòque hæc inde sequi conclusio possit, ignoro.

Domine *Opponens*: A magnitudine, vel Urbis antiquitate *Hospitalis* usus haud provenit; sed quidem ab Hospitiorum, publicorumque locorum defectu in recipiendis itinerantibus, ac peregrinis processit. Ubi enim diversoria abundant, eò libenter viatores conveniunt; ubi verò nulla adsunt Hospitia, si fortuitò ibi accedunt peregrini, eorum defectu, Hospitalitate indigent.

A In maximum (*Opponens* mi) errorem incidisti; si enim Antiquioribus urbibus tribuenda est, quare *Arimino* hanc non attribuisti *Annulorum Columnam*: diluvium enim ipsum universale origine sua præcessisse (ut *Ariminenses* testantur Auctores) gloriatur: vel potiùs (si magnitudo consideranda est) urbi *Ravennæ*; fuit enim urbs maxima totius *Romaniæ*, immò tres ipsa continuit civitates, *Ravennam*, scilicèt, *Classim*, & *Cæsaræam*.

Neque Antiquitas igitur, neque magnitudo, neque Urbium magnificentia ad erigendam *Annulorum Columnam*, ubi copia Hospitiorum est, spectatur; Mos autem is in urbibus, locisque à
B publicis viis procul asservatur, uti in *Bertinoro*, 111
quinque milliaribus à communi via, penès montem sito, Hospitiorum usu, locisque ad peregrinos recipiendos ferè carenti; congruum ea de causa erat, ut hanc exerceret liberalitatem, ut *Lamberti*, *Landinus*, pluresque alii scriptores testantur. Hujus igitur generositatis, magnificentiæque gloria, cui justè debetur, remaneat; quisque ornatibus, decoribusque suis illustratus incedat.

Cæsena Cornicis imitatione non indiget, quæ alienis mendicatis pennis ad lætitias pomposè accedere publicas haud metuit: Tantis gaudet ipsa præeminentiis, ut aliena mendicare ei mi-
C nimè opus sit; & quamvìs *Hospilitatis Columna* ad *Bertinorum* jure meritò spectet, ipsa quoque hujus Antiquitatis vestigiis fruitur, ac de hoc cives gloriantur sui. Rejicere tamen haud studeo, nec repudiare liberalitatis honores, quibus triumphat, prodigèque abundat intrà generosa mœnia illa ergo Dominos, & Amicos, quorum ergo apertæ, paratæque manent domus suæ: multò minùs diminuere, at delêre generosam hujus urbis magnitudinem, Universo jàm satis notam. O quam libenter Amici, Dominique ad *Cæsenatica* concurrunt Hospitia, in quibus tàm humanitèr recipiuntur, ac prodigè tractantur. Quid autem
D dico? Consuetis hisce limitibus haud sistitur *Cæsenatum* generositas; sed magìs, ac magìs se se extendit.

Quoties Pontifices Maximos, Imperatores, Reges, Duces, Cardinales, maximique nominis viros hospitis suscipere ausa est? Quò autem illustrior fuit hospes, eo magìs eorum hospitiorum splendor eluxit.

Magnanima nonne generositas fuit illa privatæ unius *Cæsenatis* familiæ, quæ domi suæ, propriisque sumptibus *Fredericum Primum*, Imperatorem recepit, quam animi magnitudinem obstupuit *Cæsar*: Hujus prosapiæ nepotes eam adhùc ser- 112
E vant memoriam; Imperialem enim Aquilam in suis gentilitiis ferunt.

Splendor ne igitur, nobilisque magnificentia haud fuit illa? quando *Cæsenæ*, *Ferdinandus* Rex *Neapolis*, adeò splendidè receptus fuit, ut ipse inter primas ab Urbibus *Romaniæ*, sibi præstitas liberalitates hujus numeraverit; hoc evenit in ejus transitu contra Dominum *d'Obegny* & Comitem de *Gaiazzo*, exercitus *Caroli* VIII. Ducibus, cujus adhùc claræ memoriæ in Annalibus Urbis reperiuntur.

Liberalitas ne ergo, & munificentia extitit illa? quando *Cæsenæ* tàm lautè receptus fuit *Fredericus*
F III. Imperator, *Roma* rediens, accepta ibi priùs *Romani* Imperii Corona à Papa *Nicolao* V; quùm præter sumptuosum Cæsari præstitum convivium, pannum etiam sericum auro contextum, dono datum ipsi fuit; hæc pariter Memoria in Urbis Annalibus legitur.

Pompa igitur notatu digna nonne fuit illa? *Cæsenæ* moratus fuit Dux *Urbini* cum Aula numerosa ac præcipua sui Ducatus nobilitate, *Bononiam* transiens, ut Imperatorem *Carolum* veneraretur,

retur, utque ejus coronationi à Pontifice Summo *Clemente* VII. factæ intereſſet: hoc pariter in publicis *Cæſenæ* memoriis aſſervatur.

Splendor igitur, magnaque liberalitas non fuit illa? quando in urbe *Cæſena*, bis ſucceſſivè, tanto apparatu, ſumptuoſè, lautèque recepti fuêre Magni Duces *Coſmus*, & *Ferdinandus*, Pater & Filius, à ſanctis *Lauretanis* ædibus redeuntes, qui in ſuo diſceſſu tantam urbanitatem admirati fuerunt? hoc etiam in publicis reperitur Annalibus.

113 Magnitudo igitur, & ſplendor non fuit ille Familiæ *Tibertæ*, quando propriis impenſis receperunt domi ſuæ *Hungariæ* Regem cum tota ejus Aula, qui tantam admirans generoſitatem, *Oſtaſium Tiberti* ſecum duxit, illumque Equitis titulo inſignitum, in Patriam poſteà honoribus doniſque oneratum dimiſit?

Pompa igitur, liberalitaſque ſingularis haud extitit illa Dominorum Comitum *Roverelli*? qui domi propriæ hoſpitio ſuſcepêre *Alfonſum Ferrariæ* Ducem in ſuo per *Cæſenam* tranſitu, *Romam* ad Pontificem *Gregorium* XIII. tendentem, atque numeroſa ſui Ducatus nobilitate comitatum?

Pompa pariter, ac munificentia non fuit illa Colonelli *Joſephi Martinelli*, quando domi ſuæ ſuſcepit ſplendido ac generoſo convivio Ducem *Parmæ* cum ſuo Comitatu, qui tantàm admiratus generoſitatem, *Martinellum* dignis muneribus honoravit. Splendor, magnificentiaque digna notatu non fuit illa *Thomæ Martinelli* celebris Doctoris juris, quando domi ſuæ excepit Dominam *Olympiam Aldobrandini* unà cum Eminentiſſimo Cardinali, Principe, & Principiſſis, *Clementis* VIII, (felicis memoriæ) Nepotibus, ad *Medolæ* Status tranſeuntibus?

Quot Eminentiſſimi Cardinales, Duces, Principes, Viri que Magni, apud cives noſtros non ſplendidè recepti fuere? Quot ſanctæ Eccleſiæ Generales, qui ſi mihi numerandi eſſent, infinitus ferè eorum eſſet numerus.

Teſtimonium inter alios reddere poſſet Cardinalis *Joannes Franciſcus* de *Bagni*, vir tot virtutibus ornatus, qui aliquot diebus præſentia ſua Pa-
114 triam decorare dignatus eſt, ut ſuorum civium forſan generoſitatem experiretur, qui invicem ſe æmulati, tantum Hoſpitem ad fruendum ſplendore, ſumptuoſitateque animi & opum invitabant, tantique Herois præſentia domus ſuas illuſtrare cupivêre; uti inter cæteros eminuêre Domini *Martinelli*, *Venturelli*, *Locatelli*, *Maſini*, plurimique alii, quos, brevitatis gratia, omitto; Diſcedens itaque, generoſitates à *Cæſenatibus* Dominis receptas Cardinalis is omnibus propalavit.

Pompa, ac liberalitas adeò magna, ut nullus umquam extitit Legatus, aut Præſes, qui multis ab hìnc annis hanc *Romaniæ* Provinciam rexerit, quin Dominorum *Cæſenatum* generoſitatem miratus ſit, ac publica de ea teſtimonia præbuerit.

Certam præſtare poteſt fidem felix memoria Eminentiſſimi *Rivarolæ*; quoties non, data opera, *Cæſenatum* Hoſpitiis fruebatur: illis præcipuè Dominorum *Roverelli*, Comitis *Fantaguzzi*, *Martinelli*que, præ cæteris, illis *Ludovici Manzini*, qui pro Eminentia ſua Hoſpitium erigi curavit, ædeſque inſuper per medium milliare *Cæſena* procul conſtruxit, ad quas quolibet æſtivo tempore ſæpè ſe conferebat Cardinalis is, deliciis *Cæſenatum* fruens; ſic igitur Æſtatis, Hyemiſque diebus, hoſpitiis, lætitiiſque eorum, non ſine magna liberalitatis *Cæſenatum* admiratione, gaudebat.

Hoſpitium Eminentiſſimo *Antonio Barbarino* *Romaniæ*, *Bononiæ*, ac *Ferrariæ* Legato, urbis *Cæſenæ*, illiuſque Magiſtratus cura in *Portu Cæſenatico* præſtitum opus coronabit; qui in conviviis
A ſæpè ſplendore urbis, excellentiaque ciborum laudata; diſceſſu tandem ſuo, adſtantibus omnibus 115
Provinciæ, Legationiſque Nunciis, *Cæſenam* tanquàm *Generoſiorem*, cæteriſque *Romaniæ* urbibus *ſplendidiorem* celebravit. Quo majus verò deſiderium *Cæſenatibus* naturale ineſt ſuam generoſitatem, liberalitatemque augendi, eò magis vicinorum invidia, & odium erga eos excitatur, audiendo magnificentiam *Cæſenæ*, tanti Herois laudibus, cæteris urbibus præferri.

Parùm dixi, ò dilecta Patria mea, & infrà parvos limites glorias, magnitudineſque tuas redegi? ſplendidior, illuſtrior, liberaliorque vocari
B deberes, tu, quæ tàm ſplendidè, & generoſè hoſpitia tot ſummis *Romanis* Pontificibus præparaſti: Civitas, quæ generoſitate & magnificentia cum *Roma* ipſa concurrere, eamque æquare, nec in minimo quidem concedens, non timuiſti: de his inſuper fidem præſtant *Eugenii* IV. memoriæ, quandò poſt *Henrici* IV. obitum, *Conradique* ejus filii, in *Italiam* rediens (invitatus ac excitatus pluribus diebus à *Cæſenatum* munificentia) magnanimitate, ſplendoreque hujus urbis Hoſpitiorum frui non dedignatus eſt; ipſamque deinde, amoris paterni, contentique animi teſtimonio, multis muneribus decoravit, de quibus ipſa urbs gloriatur, quæque
C ibi uti rara dona, hodierno etiam die aſſervantur.

Ubi ergo ſummi Pontificis *Julii* Secundi memorias relinquo? qui in ſua expeditione, quùm contra *Joannem Bentivolum* perrexiſſet, pro recuperanda *Bononia*, *Cæſenatum* generoſitate hoſpitiorumque ſplendore attractus, aliquot apud eos diebus moratus eſt, Arce *Cæſenæ* pro domicilio ſibi electa; alios Pontifex ibi non curavit cibos, præter eos, qui abundantèr, & ſplendidè ab obedientibus *Cæſenatibus* filiis ſuis, parabantur: Reditu
pariter ſuo glorioſo *Bononiâ*, fructibus eorum mu- 116
nificentiæ frui voluit, hoſpitium enim in urbe ſumpſit, atque in *Cæſenatico Portu* ſub ejuſdem
D Civitatis juriſdictione exiſtente.

Quid referam de *Paulo* III. Pontifice Maximo, qui viſitando urbes Imperio Eccleſiaſtico ſubjectas, occaſione, qua *Bononiam* tendebat, hoſpitia *Cæſenatum* non dedignatus eſt, atque hujus urbis ſplendore, & generoſitate adeò contentus fuit, ut in ſuo diſceſſu Eminentiſſimo Cardinali *Farneſio*, nepote ſuo, urbem *Cæſenam* eximiè commendaverit, quæ hujus commendationis effectus, perdurante ejus vita, maximè experta fuit.

Generoſiſſimæ tamen liberalitatis hoſpitiorum *Civitatis Cæſenæ* immortale ſit teſtimonium illud, Summo Pontifici *Clementi Octavo* præſtiti hoſpitii
E in reditu ſuo *Romam* (Ducatu *Ferrariæ* priùs Eccleſiæ Sanctæ adjecto) adeò enim ſplendidum, magnificum atque excellens fuit, ut ad *Non plùs ultrà* pervenerit; ſingulares enim memoriæ de hoc pariter aſſervantur; Si autem in primo ſuo tranſitu Civis unus *Cæſenas* admirationem haud attuliſſet animo iſti magno, generoſo, ac Pontificio, (hoſpitio quippe ſuſceptus fuit cum tota ſuæ Beatitudinis Aula, propriis ſumptibus in *Portu Cæſenatico* à Domino *Anſelmo Dandini*, Protonotario Apoſtolico ex *Participantibus*, utriuſque ſignaturæ Referendario, qui quatuor annis ſanctæ Sedis, Sanctitatiſque *Gregorii* XIII. Nuncii in *Gallia* apud
F *Henricum* III. ſedit;) Si, inquam, tàm ſplendidè receptus non fuiſſet *Clemens* VIII. à Cive uno *Cæſenæ*, magìs proculdubio ſplendorem, Munificentiamque *Cæſenaticam* admiratus fuiſſet. Nihilominùs adeò ſplendidè, humaniterque ſe receptum fuiſſe faſſus eſt, ut *Cæſenam* urbem præ cæteris Civitatibus recentibus privilegiis (*Emphiteoticis* præcipuè) decoraverit. Mirùm quapropter
haud videatur, ſi (ne ab hoc antiquiſſimo ſplendo- 117
re, generoſitateque degenerent) eadem ſemper

hæc Illustrissima Domus usa fuerit magnificentia, publicumque omni tempore tot Eminentissimis Cardinalibus, Principibus, aliisque Magnatibus hospitium suppeditaverit; quoque hodierno etiam die magis quàm unquam utitur Illustrissimus Comes *Hercules Dandini*, ejus nepos.

Si autem sub silentio transirem Dominos Comites *Roverellios*, & domum præcipuè illustrissimam Comitis *Lelii*, quæ paucis abhinc annis Purpuras, Sceptra, & Coronas hospitio humanissimè suscepit; si hoc (inquam) silerem, obscurare esset splendorem illius veritatis, ad quam in hoc vasto Mundi Theatro popalandam, encomiis exhaustam fama se se esse fatetur. Cursum augustarum laudum suarum in hac parvula charta minimè complecti cogito, objectum enim subtilioris ingenii, eruditiorisque est calami. Omnibus solem aspicere, admirarique licet, non omnibus tamen datum est, tributa præconiorum ei adferre, applausumque debitum accenso thure debito dare.

Comitum *Fantaguzziorum* Illustrissima Domus non ne hospitio generosè accepit Principem *Savellium*, totque Eminentissimos Cardinales, atque Magnates alios, Principemque *Poloniæ* per *Cæsenam* transeuntem? ipse hodierno etiam die eamdem servat liberalitatem tàm in Urbe, quàm extrà, in vico suo *Torricella* nuncupato Dominus Comes *Josephus Fantaguzzi*.

Antiquum quoque Hospitium fuit Dominis Principibus *Estensibus*, Principissæque *de Venosa*; aliisque Dominis Palatium Dominorum Comitum *Fattiboni*; hanc hodierno etiam die exercet liberalitatem Dominus Comes *Mutius Fattiboni*.

118 Illustrissima *Locatelli* domus semper Hospitium fuit Dominis Principibus *Aldobrandinis*, plurimisque Eminentissimis aliis Cardinalibus, & Magnatibus: Nunc Fratres, Comes *Joannes Antonius*, *Josephus*, *Georgius*que *Locatelli*, in eadem perseverant hospitalitate, nec in Urbe tantùm, sed & Rure in delicioso eorum loco *Montaletto* vocato; qui, ut se se hujus germina ostenderent Plantæ (quæ per totam ferè *Italiam* generositatis suæ fructus dispersit) non tantùm humaniter hospitalitatem exercent, sed heroicis actionibus se se mirandos adeò reddunt, ut tot excitentur linguæ ad eorum generosa propalanda gesta, quot ad glorias trium horum Heroum admirandas stupefacta remanent ora?

Sub silentio forsan transirem *Albizziorum* Illustrissimam Domum? Quæ in Historiis inter Illustres *Italiæ* Familias numeratur? Gloriosa semper extitit Bellatoribus sæculis præteritis, celebris virtuosis in præsens germinibus, Eminentissima hodierno die Purpuris Eminentissimi Cardinalis *Francisci* de *Albizzis*, qui merito virtutum suarum ad supremam Mitram viam sibi parat? Illustrissimus Dominus *Joannes Baptista*, dignus ejus filius, qui usque adhuc, & *Marti*, & *Palladi* deditus, illustrioribus belli muneribus (à Pontifice, aliisque Principibus ipsi collatis) fruitus est; non ne est ipse Equitum aliorum speculum, Familiæ suæ splendor, ac Patriæ honor? Quid de Reverendissimo Abbate ejus fratre dicam? non ne (Purpurata Patris vestigia sequens) non ne singularium progressuum profert indicia? Qui Domum, Aulamque suam *Romæ* tenens, aliam tamen Dominis, & Principibus hàc transeuntibus semper apertam *Cæsenæ* servat; licèt eis minimè deficeret illa Doctoris *Petri Arcani* ejus Generi, qui per
119 se ipsum, ac Eminentissimi sui Soceri gratia, hospitia generosè semper præstavit.

Error notabilis esset si domum negligerem Illustrissimi Domini *Alexandri Thomæ Martinelli*, qui vivente Patre meo (*gloriosæ memoriæ*) concesso sibi

A nascentis Congregationis *sancti Philippi Nerei* pondere, tanta subiit onus pietate, ut mundi honoribus spretis, optimis se se exemplum præbuerit: licèt in sua jàm florente ætate, vitæ commodis omnibus frui potuisset; Cardinales quoque, Principes, Dominosque suscepit hospitio, decore illo, quod ei ab ortus nobilitate suppeditabatur: A quo non abest Illustrissimus *Thomas* ejus Filius, qui hodie totus ad Patris, Avique gloriam sibi procurandam deditus est, illius præcipuè *Jacobi Mazzoni* semper in ore Famæ narrantis. Vidi ego ipsum Domi *Scipionis Claramontii*, Patris mei, teneris adhuc annis, studiis Rhetoricæ, non sine
B magno deditum progressu, Magnorum hospitum hospitem fieri cupidum, Ideis nobilibus generosisque adeò fruentem, ut ad maxima natum esse judicandum sit.

Nec exponam hospitia, data ab Illustrissimo Domino Equite *Dionysio Lancetti*; omnibus enim nota sunt: non tamen silere mihi licet Illustrissimam celebremque hanc esse Familiam; ut Dominus *Petrus Bonaventura*, *Flaminius*que, *Marcellini*, noscentes merita, pro Vicario, tamquàm *Atlantem* ad Cœlum Gubernationis sustentandum, elegerint dominum Abbatem, & Canonicum *Franciscum Lancetti*, qui nobilitati sangui-
C nis, morum splendori, vitæque exemplo, meritum eximiarum virtutum suarum addendo, pulchram adeò constituit mixtionem, ut omnium oculis conspicuus, ac illustris appareat.

Prolixus quidem nimis essem, si dominorum 120
Cæsenatum liberales Familias hùc adferre vellem; illas, nempè, Dominorum *Genasi*, *Angelini*, *Marzoli*, *Fracassi*, milleque alias, semper Viatoribus, licet Maximis, apertas; absque alia *Hospitalitatis Columna*, *annulos* splendoris in corde, *columnam*que hanc, generosis suis animis insertam gerunt: jurè quidem meritò super omnium *Cæsenatum* januas, quod super quasdam legitur,
D scribi posset.

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.

Vel

Subeant audaciter Amici.

Nec extrà rem erit; liberalitas enim hæc *Cæsenatibus* innata est, præcipuè verò erga Advenas, quod ferè incredibile videretur, nisi hanc à prima eorum origine in cordibus suis ferrent. *Alexius Gelandius lib.* XX. *de Originibus Urbium totius orbis*; *Joannes Caramantius* lib. IV. *de Antiquitatibus Orbis*, & *Fanusius Campanus lib.* III. *de Familiis Italicis cap.* X. Urbi *Cæsenæ* titulum *Nobilissimæ*, & *Cæsenatibus*, *Nobilissimorum*, *Generosissimo-*
E *rum*que nomen tribuunt. *Gabinus Letus*, qui Rector *Galliæ* fuit anno decimonono post *Christum* natum, Urbem *Cæsenam* (generositatis ejusdem Urbis gratia) *Nobilem*, & *Magnificam* vocavit: *Melissus Sabinus lib.* II. *de Urbibus Europæ*, animi magnitudine, urbanitateque erga peregrinos inspecta, vocat *Cæsenates*, *Belligeros*, & *Officiosos*.

Splendor is, generositas, *Cæsenatum*que urbanitas erga advenas confirmatur, & approbatur ab ore gloriosi *Sancti Petri Martyris*, in Foro enim *Cæsenæ* concionando, eidem *Magnanimæ*, & 121
Liberalis erga peregrinos titulum tribuit.

F Spiritum Sanctum, addictorum suorum ore loqui clarè apparet; hocque semper comprobatum fuit, magnarum præsertim solemnitatum magnificorumque apparatum occasione, & postremò in gloriosorum Sanctorum *Severi* & *Mauri* corporum translatione; tanto splendore magnificentiaque peracta, ut nulla reperta fuerit domus, (quantùmvis humilis) qui suos sibi haud procuraret hospites: *Cæsenates* omnes in tanto populorum concursu mutua æmulatione, & quantitate, & qualitate, majorem in domum suam advenarum

rum copiam attrahere conabantur, ut generosiùs suæ innatæ liberalitatis effectus exercerent, utque pro vero Sanctorum suorum (quos Urbs *Cæsena* præcipuè veneratur Patronos) propalarent pronosticon.

Tanto ergo splendore, liberalitate, magnificentiaque Urbs decorata, Civitatis *Bertinori* glorias sibi adscribere opus habebit? Usurpatrix ne fiet ipsa honorum eorum, quos Auctores *Bertinoro* attribuêre? *Qui splendoribus indiget, has quærere occasiones ei fas est*; Qui autem propriis fulget splendoribus propriisque emicat gloriis, ab aliis mendicare non debet lumen illud, suo ipsius minus clarè coruscans: *Qui præeminentiis caret, ab aliis mendicare tenetur.* Civitas *Cæsenæ* tot prærogativis, præeminentiisque per se ipsam gaudet, ut easdem communicare aliis possit, atque ab aliis eas abripere minimè necesse habeat. *Solem* à cæteris Luminibus nitorem rapere haud decet, sed radiorum suorum fulgorem potiùs in umbrarum tenebris latentibus communicare, luceque indigentibus elargiri tenetur.

Urbs ergo *Cæsenæ* tot mirandis dotibus, splendore præsertim, liberalitate, ac magnificentia, insignita, hoc pati, sententiæque illorum, (falsè alienos ornatus ei attribuentium) annuere debebit?
122 Minimè profectò; Ergo ex hoc tandem amaritudo quærentis, publicantisque ipse finis agnoscitur: Alia investiganda fuissent media ad falsarum oppositionum suarum introductionem faciendam: quamvis,

Nube di Marzo passa, & poco dura.

Te quæso (*Opponens* mi) antequàm ad extremam hujus controversiæ conclusionem accedam, excellentiarum, prærogativarumque Urbis *Cæsenæ* Epilogum audire ne tædeat; Quæ tot Antiquitatibus, Nobilitatibus, Privilegiisque nulli *Romaniæ* Urbi secunda vocari potest; Tu ipse deinde concludes, an error fuerit, ipsi tribuere, ejusque splendorem per vim augere velle, *Columnam Annulorum* (tàm à veritate procul) ei adscribendo. Ut ergo à prærogativa antiquitatis incipiam, minimi nobis hoc erit laboris (hoc enim Universo innotescit) per Excellentiam quippè vocata fuit *Civitas antiqua*, *Urbs prisca* ab innumeris Auctoribus, à *Volaterrano* præcipuè, *Magino*, *Torsano Ariminensi*, *Landino*, à Patre *Leandro Alberti*, & à te ipso quoque confirmatum fuit, concludentibus unâ, tantam ejus extitisse antiquitatem, ut de illius Fundatore nulla certa reperiatur memoria. Mirum quapropter ne videatur, si celebres scriptores huic Urbi varios tribuant fundatores, legitimis verosimilibusque fundamentis innixi. Si verò *Beroso*, *Manethoni*, *M. Catoni*, *Cajo Sempronio*, *Dennio*, aliisque, ab ipso *Annio* interpretatis fides habenda sit Auctoribus, qui apud celebres ingeniososque Scriptores universaliter pro fictis, Apocryphisque habentur, eximium haberet Auctoritatis fundamentum Manuscriptum nostrum in notabilibus *Cæsenæ* memoriis relatum à *Tito Calisese*, ejusdem Urbis nobili Cive, & ab aliis pariter scriptoribus citato, nempè: Cæsenam *fundatam fuisse à* Cam Noëmi *filio* Camo *nominato*, *ac ab ejus nomine* Camesenam *dictam:* Huic pro-
123 positioni magnam præstarent vim duæ ille *Camesenæ*, à dicto *Cam* fundatæ; quorum altera sita est in *Latio* penes *Zaniculum*, in *Umbria*, altera in principio montis, in fine *Apennini*, vel in ejusdem Montis principio; apud *Fani* montem hanc scilicet extitisse *Cæsenam*, has habentem prærogativas, quas ego attentè consideravi: sed quia, fundamentis ablatis, totum ruit ædificium horum Auctorum (pro Apocryphis habitorum) nullaque ideò iis propositionibus adscribi potest certitudo, multo minùs conjecturis quantumvis alias solidis. Putant aliqui, quod ubi hodierno die *Cæsena* existit, à quodam Duce ædificatum fuerit oppidum: variant tamen Auctores, cujus fuerit nationis. *Gabinus Letus Tyrrhenorum* Ducem eum dicit, *Melissius Sabinus Umbrorum* Ducem putat, quidam *Tanigenum*, alii *Thuscorum*: unâ tamen asserunt omnes, ampliatam, Coloniamque factam fuisse à *Flavio Papio Thuscorum* Rege, ab eoque *Flaviam Papiam* nuncupatam, ut *Trogus Pomponius*, *Julius Frontinus*, *Gabinus Letus*, *Alexius Gelandus*, *Silius Italicus*, *Panetius Bessus* & *Plinius*, Hoc etiam confirmatur per commemorationem hujus prisci nominis *Flaviæ* in gloriosi *Sancti Severi* vita. Comprobatur insuper per antiqua numismata, in quibusdam reperta ruinis nomine *Flavii* insignita, ut refert *Joannes Baptista Bessius in suis Collectaneis:* à *Gallis* (nempè) *Senonibus*, *Thuscis* ejectis, ampliatam, *Senam* vocatam, eorumque præcipuam sedem extitisse, ex eaque *Brennum* prodiisse illum, à quo capta fuit *Roma*; ut superiùs satis abundè probatum fuit, *Strabonis*, *Silii Italici*, *Diodori Siculi*, *Polybii*; totque aliorum Auctorum testimoniis, quos iterum hùc adducere superfluum esset: nisi quod juvet *Trogi Pomponii* 124
Auctoritatem addere, qui *libro de bellis inter* Romanos *&* Gallos *ait*; *quod quùm* Galli *plurimas* Thuscis *eripuissent Urbes*, *inter quas* Flaviam, *in ea sui Ducis sedem posuerint*, *ipsam suo vocando nomine.* Panetius Bessus *lib. sexto de Urbibus à* Thuscis *ædificatis*, scribit: *ad Collium pedes*, *propè* Sanium *Fluvium*, *Urbs restaurata fuit à* Flavio, *postea à* Gallis *ampliata.*

Ipsam quoque *Romanorum* fuisse Coloniam, *Gallis Senonibus* ejectis, tot privilegiis ditatam; Coloniamque dein extitisse *Senensem*, à *Pompejo* destructam, in Bellis Civilibus intra *Marcum*, & *Syllam*, verbis *Appiani*, conjecturisque à nobis superiùs adductis, satis superque ostensum fuit: quod autem restaurata, iterumque *Romanorum* Colonia constituta fuerit, non solum supra probavimus, sed etiam addi potest Auctoritas *Procopii*, ubi agit de pluribus à Populo *Romano* ductis Coloniis; dicens, *Cajum Marium* Juniorem Coloniam veterum militum *Cæsenam* misisse, ubi sedebat Proconsul; *Trajani* insuper Imperatoris temporibus in prædicta Urbe decimæ Legionis milites moratos fuisse asserit.

Idem ab *Antonio Buonfino lib.* IV. *suarum Historiarum* affirmatur: Cæsenam *nempè à multis annis magni habitam fuisse à Populo* Romano, *quia in ea sedebat Proconsul*, *ibique decima habitabat Legio.*

Ad hoc corrobandum, & *Cæsenates* aliquandiù Imperatorem eum, *Adrianum*que ejus successorem sequutos fuisse in bellis, numismatibus priscis duobus sub Colle *Garampo*, in quodam vetustissimo fundamento, occasione novæ conserendæ vineæ repertis, clarè demonstratur: ex una enim parte, hujus Imperatoris Armati erat effigies, & ex altera, Mulier quædam Cornucopiæ manu tenens, armis ad pedes depositis, duobusque literis S. C. & sub pedibus *Colonia* inscribitur; licet modicum à tempore consumptæ sint figuræ, bene tamen distingui possunt, apud me quippè servantur ambo.

Mos is vetustissimus servatur semper à *Cæsenatibus* urbem *Cæsenam* repræsentantibus, super 125
Arcus Triumphales, superque mœnia exponere certo quodam tempore, solemnibus festivitatibus quoque super publicum Plateæ Fontem, magna accurrente populorum copia, Cornucopiæ, ad magnitudinem Urbis, omniumque rerum ad humanum victum requisitarum abundantiam non tantùm alludentes, sed & belligerum *Cæsenatum* cor, armis illis ad hujus figuræ pedes positis, indicantes. Hæc

autem quoad nostræ *Cæsenæ* urbis, dilectæ Patriæ meæ, gloriam dicta sufficiant.

Quod autem ad Strenuitatem, bellicosumque *Cæsenatum* animum attinet, addere possem, quod *Spartianus* Historicus ait; pugnante (nempè) *Gordiano* Imperatore contra *Bonosum*, *Hispanum*, unum ex triginta Imperii Tyrannis, penès *Cæsenam*, ipsoque Imperatore certamine ferè inferiore existente, bellica *Cæsenatum* strenuitate subveniente, de hoste celebrem reportatam victoriam: undè sic quidam cecinit:

A parte il Cesenate esser si gloria.
Se fù al vincer compagno, anco alla gloria.

Ad rem quoque faceret quod *Paulus Diaconus* refert: Imperator (scilicet) *Constantinus Magnus* Veteranorum militum *Cæsenatum* secum adduxit Legionem, qui eidem in omnibus bellicis rebus strenuè servierunt; quique ab eodem Imperatore muneribus, privilegiis, decoribusque honorati fuêre: Urbs quapropter *Cæsena* gratitudinis ergo tanto Heroi Columnas, Arcusque Triumphales erigi curavit; quorum usque in præsentem diem firmæ, veræque asservantur memoriæ; ideò scriptum fuit:

E le memorie degl' alteri essempi
Vivon sù i marmi ancora à i nostri tempi.

Ut autem ad ejus Nobilitatis præeminentiam transeam, in ea ostendenda nullus mihi erit
126 labor, à primordiis enim ejus, mediis ætatibus, ac hodiernis quoque temporibus has semper servavit Dotes, declarata enim, & celebrata fuit, tamquàm *Thuscorum* Colonia (nobilissimæ conditio Urbis) sedes insuper, Regiaque *Senonum*, *Ravennæ*, *Arimini* vicinorumque locorum dominatrix, sed à *Vite* usque ad *Æsim* fluvios, ab *Æsi Terracinam* usque, ab eodem immo usque ad *Adicem*, ipsaque, tanquàm Caput, Primum Ducem, hospitio suscipiebat, ibique Bellicum manebat Concilium, ipsamque *Archontes* auxilium petituri accedebant. Colonia posteà extitit *Romanorum*, privilegio sacræ vocationis ornata, Residentia Proconsulis, ac Legionis decimæ Domus: *Romanis* grata, Imperio eorumdem ad usque imminutionem obediens. Ecclesiæ sanctæ matri semper devota, Vicarii *Jesu Christi* ancilla fidelis, de dignitate Episcopali à prima ætate in *Philemone Græco*, gloriosi Principis Apostolorum temporibus gloriatur; De *sancto Mancio* ejusdem *Christi* Discipulo in terra existentis, ad omnia Redemptoris nostri miranda opera, ad Cænam usque extremam, pedumque lotionem præsenti teste se jactat. Quæ & ipsa Civitas constanter *Diocletiani* persecutionem pertulit, totque animas Cœlo edidit, ut *Julius Capitolinus* in suis refert Historiis; diruta immò ferè tota fuit à *Juliano Apostata*, quia perfidis ejus Mandatis obtemperare recusavit, ut *Ammianus Marcellinus* asserit: quoties autem persecutiones passa fuit, quot pertulit labores? ut fidem servaret *Ecclesiæ*, temporibus præcipuè *Gregorii* VII, qui injurias *Henrici Quarti* Imperatoris, Archiepiscopique *Ravennæ*, (ut testatur *Petrus Ghorardi*,) pertulit. Diù
127 ipsa in libertate vitam duxit, formamque Reipublicæ, locis vicinis imperando, servavit, usque ad *Cerviam*, *Bertinorum*, *Sexitini*que Parochiam, usque dum *Leo* X. dictam *Sextini* Parochiam *Florentinis* concessit. Metropolis plurium fuit Urbium, locorumque, temporibus, quibus *Malatestæ* Prosapiæ Dominio subdita erat.

Temporibus quoque *Ducis Valentini*, quænam urbs major *Cæsena* nobilitate fuit? Caput enim Metropolisque omnium *Romaniæ* urbium, & *Marchiæ* declarata fuit: sedem quippe suam in Arce posuerat, Rotamque *Cæsenæ* erexerat, ubi præcipuæ agitabantur lites.

A Quot Urbibus, locisque non diù Dominati sunt *Cæsenæ* Gubernatores? eorum quippè Dominium usque *Foliam* extendebatur.

Quot insuper nobilissimæ, vetustissimæque Prosapiæ numeri quasi infiniti, *Cæsenam* nobilitarunt urbem? illæ puta, *Galloninorum*, *Tibertorum* à *Monte Giuttono*, *Hippolitorum*, *Viscontorum*, *Lambertorum*, *Mazzolinorum*, *Ghellorum*, *Palazzinorum*, *Artechinorum*, qui caput factionis suæ extiterunt, *Dominorum à Montiano*, *à Pauca Terra* vocatorum; *Agossellorum Linaræ* Dominorum; *Dominorum* à *Talamello*, Dominorum à *Borello*, Dominorum à *Roverano*, Dominorum à *Falcino*, Dominorum à
B *Monte Feltro*, Dominorum *Calisesium* factionis *Guelphæ* Capitum, *Malisardorum*, ex quibus prodiit *Cæsenæ* Episcopus *Malisardus Malatestæ* familiæ affinis, *Finchorum*, *Zugagnoliorum*, *Ubaldinorum*, Dominorum à *Monzia*, *Adolphorum*, *Ottardorum*, totque aliorum, præcipuarum Prosapiarum, factionumque Capitum: Successit deinde *Martinellorum* familia, factionis caput contra illam Dominorum *Tiberti*, & contra eandem denique illæ *Masinorum*, *Venturellorum*que alia 128
Guelfæ factionis Capita.

Inter conspicuas alias familias gaudet *Cæsena* Illustrissimo Comite *Cunio Rampollo*, strenui il-
C lius Ducis *Alberici Barbiani* germine, qui armatum hominem equo locare clausis galeis primus invenit, qui sancti *Georgii* societatis Princeps fuit, qui peregrina arma ex *Italia* ejecit, ex quo nobilissimæ duæ illæ Prosapiæ primordia sumpsêre, *Forzescæ* nempè, & *Bracescæ*, cujus Generale vexillum unus ex *Tibertis Cæsenatibus* gessit, qui tandem in *Gallia* in bello contra Anglos obiit.

Gloriatur prætereà *Cæsena* inter suas Illustres Familias de illa Domini à *Montefeltro*, *Gibellinæ* factionis Capite, magnæ gravitatis viro, quæ in Domino Comite *Guido Antonio* finem invenit: tumulu Illustrissimæ hujus Prosapiæ sub porticu
D Patrum *Observantium Cæsenæ* hodierno etiam die videtur.

Quot adhuc Illustres familiæ priscis temporibus, sicut & præsentibus nostram decorant Urbem, *Albiziorum* scilicet, *Bagnorum*, *Dandinorum*, *Malatestarum*, Comitum *Roverelliorum* à *Molione*, & *Montenovo*, Comitum *Roverelliorum* à *Sorivolis*; nostris etiam diebus defecit stirps Comitum *Agossellinorum* à *Linara*, *Cacciagnerræ* à *Riversano*, atque *Negosanctorum*.

Servat tamen hodierno etiam die Prosapias Dominorum *Tibertorum*, Comitum *Iseorum*, Comitum *Fantaguzzorum*, Comitum *Masinorum*, Domi-
E ni Comitis *Honesti*; innovatam iterum inter nobiles Familias suas, antiquissimam domum Comitum à *Massetta*, in persona domini Comitis *Julii Cæsaris*.

Inter suos nobilissimos Cives insuper numerat Familiam Dominorum *Spada*, nunc claram in persona Domini *Marchionis Gregorii Spada*, nuperrimè Capitis Magistratus, de præsenti etiam inter *Bononiæ* Justitiæ Vexilliferos adscripti. Urbs quidem nobilissima, & celeberrima, quæ plures Eminentissimos, Illustrissimosque ad jura Civitatis petenda attraxit: Eminentissimum scilicet *Tonti*, Consiliariis enim additus fuit; *Laurentium*
F item *Tonti* ejus nepotem, & maritum felicis memoriæ Dominæ *Franciscæ Niccolucci*, mihique tertiæ uxoris: Illustrissimumque *Robertum*, sub Eminentissimi *Antonii Barberini* Legatione *Romaniæ* Prolegato.

Caput quoque Magistratus extitit Princeps Ex- 129
cellentissimus *Joannes Georgius Aldobrandini*, felicis memoriæ *Clementis Papæ* Octavi nepotis, declarati etiam nepotis per affinitatem cum excellentissima pariter Nepote, felicis quoque recordationis

dationis *Gregorii* XV; in cujus ingressu urbs celebrem ei præbuit hastiludium, ab Equitibus *Horatio Masini*, & *Bernardo Aldino* die prima *Maji* exhibitum: tàm strenuè (re vera) certarunt ii duo *Heroes*, ut lanceas in aream ab iisdem erectas summoperè admiratus fuerit Princeps ille.

Quoad Privilegia, nulla inveniri potest Civitas adeò privilegiis ornata, ut *Cæsena*, quibus tot ipsa fruitur, ut egregiè Eques *Claramontius* in sua indicat Historia, adeò, ut plures circumvicinæ urbes, supplices libellos Summo porrexerint Pontifici, eadem, ac quibus *Cæsena* gaudet, petentes privilegia. Indè Nepos *Sixti Quarti*, felicis memoriæ, anno MCDLXXV. *Cæsenæ* Gubernatoris, (cujus locum tenens erat Dominus *Fiescus* Genuensis) majoribus privilegiis, ac auctoritate gaudere *Cæsenam* Gubernatore ipso, dicere solebat.

Singulare quidem Privilegium Academia est nostra, propriis non solum filiis æternarum gloriarum, immortaliumque decorum viam aperiens; sed & omnes *Romaniæ* urbes ad sese sapientia sua elevandas excitans, & invitans. Mirum idcircò non est, si tot *Faventiæ*, *Imolæ*, *Ravennæ*, *Fori-Livii*, *Ariminique* Cives, Doctorali *Cæsenæ* laurea condecorari haud dedignati sunt.

130 Ubi igitur relinquam privilegium illud vetustissimæ *Potestatis*? qui honos adeò distinctus est, ut non tantum à Provinciæ Dominis sed à præcipuis, remotarumque *Italiæ* partium, viris olim desideraretur: hoc clarè ab Equite *Claramontio* in sua Historia demonstratur: diebus pariter hisce tanti est decoris, ut præcipui urbium vicinarum immò & *Romæ* ipsius Laureati, ea functi sint dignitate, uti legitur in Urbis Annalibus; Frater *Clementis* VIII. inter cæteros, *Paulus*que à *Castro*, totque alii eximii ingenii viri eadem frui non recusarunt.

Hastiludii privilegium illud antiquissimum gravibus armis, veri certaminis instar, inter præcipua numerandum est, nulla enim alia urbs de tali pugnandi modo gloriatur. Admirationis quapropter singularis ergo, quidam *Gallus*, prosapiæ *Bullioneæ*, lancearum frustra in *Galliam* detulit, fidem quippe excedebant humanam, testimonium quoque idcircò authenticum secum ferre judicavit.

Dictum hastiludium quidem Cardinalis *Bonifacius Cajetanus* adeò admiratus est, ut lanceas moderari curaverit.

Hastiludium tandem, quod, Serenissimis Magnis *Thusciæ Ducibus*, *Cosmo*, & *Ferdinando*, Patri, & Filio, totque aliis præcipuis *Florentinis*, suos sequentibus Dominos, tantam attulit admirationem, ut in suo ambulacro, inter miratu digna, alteram ex priscis, alteramque hodierni hastiludii lanceam poni curaverint.

Splendorem pariter prædicti hastiludii testatus est Cardinalis, *Cæsenæ* sacratus Episcopus, qui illud tamquàm insigne prodigium admiratus est, hocque (uti rem mirandam) toto tempore, dum *Cæsenæ*, *Romæ*; *Ferrariæ*que Patriæ suæ vixit, haud celebrare destitit.

Considera igitur (*Opponens* mi) an Urbs tot ornata præeminentiis, pro fundamento *Columnas* 131 tenens *Herculeas*, pro vigiliis virtutem, pro scopo Gloriam, *Columnam Hospitalitatis Bertinoro* adscriptam, usurpare opus habeat: Non, non (Domine *Opponens*) quisque decoribus, magnitudinibusque fruatur suis.

O Felix Patria, quæ tot merita es encomia ab Eminentissimo Cardinali *Sfortia*, olim *Romaniæ* Legato, qui in Medio Foro *Fori-Livii*, adstantibus omnibus Provinciis Nunciis ita fatus est: Cæsena *est virtutum Hortus*, *eximiorum literatorum Receptaculum*, *illustrium virorum*, *omniumque scientiarum Productrix*, & *Obstetrix*.

De quibus Eminentissimus Cardinalis *Bonifacius Cajetanus*, (felicis memoriæ) ait: *Fortunata* Romania, *si cæteræ ejus urbes subjectos aleret*, *quibus* Cæsena *fruitur*; *Provinciarum Regina jure meritò vocari posset*.

Dicebat idem ipse sæpiùs publicis in congressibus, quod, quando ipse publicam *Cæsenatibus* præberet audientiam, semper evaderet doctior; solatiumque hoc ei esse maximum.

Quàm falsæ extiterint oppositiones tuæ, *Orbi toto innotescit*; *Atque urbem* Cæsenam *priscam fuisse* Senonum Senam; Columnam*que* Annulorum Hospitalitatis *semper ad* Bertinorum *spectasse* (*quod fuit & est sententia mea*) *à nemine ampliùs in dubium revocari debet*.

Heu! quid non agunt in homine mali animi affectus & passiones? quæ si inter aggeres rationis (instar rapidi torrentis) haud constringuntur, limites transeundo, in nugas, stultitiasque sese effundunt.

FINIS SECUNDI ET ULTIMI LIBRI.



INDEX
RERUM NOTABILIUM.

FINIS.

PHILIPPI ANTONINI,

Sassinatis,

SASSINA ANTIQUA,

SEU

DESCRIPTIO

Antiquissimæ Urbis UMBRORUM Veterum, SASSINA *olim*, *nunc* SARSINA *dictæ*; Cujus cum Vetustas & Fata, tum Marmora Antiqua, atque alia Monumenta, Publica & Privata, eruuntur.

Latinitate donavit

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS,

Qui & Præfationem, & Indices, Notasque adjecit.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S.

Sassinam, cum alia multa, tum natus ibidem *Plautus*, ille facetus Togatæ Gentis alter *Aristophanes*, egregie nobilitavit. Ex quo, ſicut famam ſatis nobilem nacta eſt, ita experta tamen eſt talem, qui jocis ſuis plebem potius *Romanam* oblectaret, quam de Patria ſua quid memorabile poſteritati proderet. Nam ſane, ſicut iſta quidem ætate recenti adhuc *Umbrorum* virtute, *Piſonis*que clara audacia, qui *Annibalem* ultro petere auſus fuit, in ore omnium ſatis nobile erat Municipium; ita tractu temporis, quo omnia in tenebras projiciuntur, ſuis ipſa incolis, exiguo numero, ſi ad veterem reſpicias felicitatem, ſatis ignorata fuit.

Nobili itaque auſu, a Patria ſua ſibi Nomine indito, *Philippus Antoninus*, Patriæ etiam ſuæ glorioſum extollere Nomen voluit. In hoc an illum vel vires vel fortuna defecerint, vix inſpecto opere facile *Æquus Lector* judicaturus eſt. Me certe plurimum delectavit variæ & remotæ Antiquitatis hic veſtigia cognoſcere, rudera ſcrutari, Monumenta & Inſcriptiones, magnam partem, ipſi *Grutero* incognitas, venari, omnium denique rerum permutationem, in hac etiam Univerſi particula obſervare.

Scito autem diligenter nos operam noſtram poſuiſſe, ut expeditus Tibi ad Monumenta hæc eſſet aditus, & curate ſubnotaſſe, quibus Inſcriptionibus, ex Auctore noſtro *Gruterianus Theſaurus* augeri poſſet.

En quoque, dum hæc ſcripturio, Veterem Inſcriptionem, nec *Grutero*, nec ipſi *Antonino* noſtro (vel

ante ejus tempora ablata forsan, vel post inventa) observatam, eamque nec ignobilem, nec illepidam. Obtulit autem mihi sese commodum in Epistolis *Thomæ Reinesii* ad *Casp. Hofmannum*, & *Christ. Adam. Rupertum* pag. 331. & hoc modo ex Schedis *Piccarti* depingitur:

Apud Sarsinam, in Mola Sorbani:

BAEBIVS GEMELLVS SARSINAS MVNICIPIBVS SINGVLEIS INCOLEISQ.
LOCA SEPVLTVRAE O. S. P. DAT EXTRA AVCTORITATEIS.
ET QVEI SIBI LAQVEO MANVS ATTVLISSENT, ET QVEI QVAESTVM
SPVRCVM PROFESSI ESSENT SINGVLIS IN FRONTE P. X. IN AGRVM
P. X. INTER PONTEM SAPIS ET TITVLVM SVPERIOREM QVEI EST
IN FINE FVNDI FANGONIANI IN QVEIBVS LOCEIS NEMO HV-
MATVS ERIT, QVEI VOLET, SIBI VIVOVS MONVMENTVM FACIET.
IN QVEIBVS LOCEIS HVMATI ERVNT, EI D. T. QVI HVMATVS
ERIT POSTERISQVE EJVS MONVMENTVM FIERI LICEBIT.

Ad Auctorem adhuc nostrum quod attinet, de compluribus Familiis, *Appea*, *Cæsia*, *Tettia*, *Bæbia* &c. ut & ipso *Plauto*, singulares promittit Dissertationes, ut videre est pag. *Edit. Vet.* 41. atque ad illas sæpenumero nos ablegat; verum an ediderit, ego quidem nescio, certe nondum ad manus meas pervenerunt. Dissertationes autem huic opusculo *Italo* etiam Idiomate elaboratas, de *Triumpho Romanorum & Triclinio*, extra oleam visum fuit, si adjicere voluissem, utpote ad *Italiæ* proprie *Antiquitates* non pertinentes.

AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

DOMINUM,

DOMINUM CARDINALEM ALDOBRANDINUM.



i isto gauderent fato Libri Veterum tanta olim cum cura conscripti, ut hodieque superessent omnes inter posteros, nihil jam desideraretur; quin & accurata illarum rerum, quæ ad recte instituendam Vitam Humanam desiderantur, notitia, plenissime quoque inde hauriri posset. Verum heu! quum tanta hac ope frustrati simus, operam multi Viri Docti adhibuerunt, ut pro virili remedium aliquod huic damno afferrent, prout & fecere præclare satis.

Ego quoque, secundum propositum meum, quod & alias publice declaravi, vestigiis tan-

tantorum virorum, licet longe & non æquis passibus, insistere volui, simulque exhibere combinationem ANTIQUITATUM SASSINÆ, Patriæ meæ, & RITUUM ROMANORUM, præ reliquis eligens, & priori loco ponens, maxime nobiles & frequentatas duas partes, de TRIUMPHO & TRICLINIO eorumdem.

Et hæ quidem, madidæ adhuc a prælo, oculis sese hominum ingerunt, verum ipse, quum a prima felici illa die, qua auspicatò V. S. ILL. suscepit Sassinæ *&* Meldolæ *curam, Statusque regimen, cum subditorum bonorum omnium applausu maximo, positus in solitudine hac, & quasi extra conspectum generis humani, semper desideravi summo modo, ut fidelissimus Vasallus, ita & humillimus cognosci servus, quod assequi posse videbar protectioni V. S. ILL. commendatis humillime his Opusculis meis; Quæ quidem, quum id præcipue curæ mihi fuerit, eruere ex terræ (ut ita dicam) visceribus honoratas Memorias Antiquæ Patriæ, membri sane primarii Status V. S. ILL. certo spero grata fore; tanto quidem magis, quoniam materia ista, quam tracto, plurimum abest a plerorumque notitia, adeoque curiositatem quandam secum adfert, quæ, ut spero, delectationem afferet V. S. ILL. aliisque qui eadem lecturi sunt.*

Excitatus etiam magis magisque in hoc ardore meo sum, cogitans Urbem hanc, exiguam licet, ubi sub regimen V. S. ILL. felicissimum & EXCELL. DOMUS ALDOBRANDINÆ venit, non habitam fuisse pro re neglecta & vili, verum ut inter pretiosissima carissimam, prout omnibus horis manifestissima ejus amoris visuntur indicia.

Ut autem SASSINA per omnia protectionem, favorem, curamque SPLENDIDISSIMÆ FAMILIÆ ALDOBRANDINÆ experitur, ita securus sum, hunc quoque ingenii mei partum, inter Alpes *natum, hospitium apud Cives inventurum, duce & comite favore Nominis Gloriosæ V. S. ILL. Cujus quidem primo ego Adventui, quo hac beamur die* XXV. Septembris *Anni* MDCVII. *in patria nostra, comitante ILL. Domino Cardinale* S. Cæsario, *non ut olim Antiqui Principibus suis solebant, Altaria atque Statuas voveo, Monetamve percutio, aut Sacra facio mactatis Victimis, verum omisso omni Superstitionis scrupulo, in communi hac Subditorum tuorum lætitia apprecor ab ALTISSIMO DEO Vitam felicissimam, hocce simul munusculum offerens DISSERTATIUNCULAM hanc meam, imo & meipsum, qui summa cum animi reverentia sum*

V.S. ILL. & REV.

Humillimus & Fidelissimus

Vasallus & Servus

PHILIPPUS ANTONINUS, SASSINAS.

PRÆFATIO AUCTORIS.

LECTORI SALUTEM.

Si forte, ut fieri solet, in hoc Opere inveniantur sphalmata quædam, sive typorum, sive mea, oratum volo benignum LECTOREM, cum aliis ut agat, prout secum agi velit. Quantum vero ad Impressionem pertinet, ea melior exhibebitur in sequentibus DISSERTATIONIBUS. Quarum sicut in media cura exaratus hic liber meus est ANTIQUITATUM SASSINÆ, & de TRIUMPHO ROMANORUM, atque TRICLINIO ANTIQUO, tanta quantum fieri potuit circumspectione, conformiter regulis Editoribus præscriptis, ita subjicio me censuræ S. M. Ecclesiæ, & Dominorum Superiorum, permittens plane hæc omnia revisioni & correctioni illorum.

In cujus rei fidem mea manu subscripsi,

PHILIPPUS ANTONINUS, SASSINAS.

INDEX

Auctorum, qui citantur, notantur, illustrantur.

F I N I S.





1 # PHILIPPI ANTONINI SASSINATIS
ANTIQUITAS SASSINÆ,

Ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

D. CARDINALEM ALDOBRANDINUM.



mnia quæ in inferiori hoc Mundo sunt, & sua habent tempora, in quibus sumunt incrementum, atque ad perfectionem evadunt summam, & illa, in quibus dejecta culmine suo misere concidunt, atque sub ruinis suis sepeliuntur. Neque naturales modo res & artificiosæ huic vicissitudini subjectæ inveniuntur: Bonarum literarum studium, quod in *Italia* tantopere floruit, pariter viguit cum Imperio *Romano*, verum cum illo & cecidit; ubi enim Reginam Orbis in servæ modum contumeliose tractarunt *Barbari*, infiniti simul boni libri flammis feralibus absumti sunt, innumeri etiam luctantes cum tineis, blattis, atque ipso squallore carceris sui, interierunt. Verum quid de libris disputamus? ipsa Marmora atque solido pondere æra, decora Veterum servantia *Quiritium*, Inscriptiones insuper & alia venerandæ vetustatis pignora, quanto non numero ab illis ipsis feris immanioribus hominibus dejecta in terram fuerunt, ex Nominis *Romani* odio dissipata atque male mulctata? Quantam dein earumdem deliciarum vim fornaces & scalpra cæmentariorum, cælatorum, similiumque hominum, quos verissime a *Barbaris* istis originem sumsisse dicas, non consumserunt, & vilissimis usibus, jaciendis fundamentis ædium, conflandis tormentis bellicis,
2 similibusque destinarunt? Non certe hisce usibus provida Antiquitas curas artemque suam destinaverat. Neque sane quamdiu aliqua superfuisset materia similis, cessasset hæc rabies, nisi centum illis abhinc annis, quibus *Italia* tamquam ex sopore longo, caput ex errore suo erexit, inventi fuissent Viri (quibus dein repleta tota est) qui certatim obviam eundo furoribus istis, pristinam patriæ reduxissent felicitatem.

At vero si usquam Terrarum magna felicitas & felix magnitudo ad extremas recidit miserias, illud Patria mea *Sassina* experta est, quæ & forsan adhuc talis æstimanda reliquis longe infortunatior est Civitatibus; a multis namque annis, quibus incolis rursus frequentari cœpit, præter Ædificiorum ruinam, Statuas omnes deperditas, majoremque item Inscriptionum partem destructam, nullum invenit Scriptorem, qui ejus misertus, res ejus posteritati suisque tradiderit, quantumvis cognitione dignissimas. *Livius*, qui de eadem uberius forsan egit in Decade Secunda, nusquam apparet. *Chronicum Sassinate*, quod a fide dignis accepi fuisse in Archivio Episcopali, nemo jam ubi locorum sit, sapit. Pauci reliquorum Scriptorum ejus mentionem faciunt, quæque nobis supersunt Marmora Antiqua, Privilegia & Instrumenta vetera, tanquam ex miserabili naufragio, honorifica quidem valde sunt, sed tamen ad Historiam non multum adjumenti adferunt.

Ne itaque penitus interiret, quidquid ejus generis superest, ego, quum viderem destitutam hanc me quidem aptioribus provinciam, memor aureæ istius sententiæ apud *Ciceronem* Libro I. de Officiis: *Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partemque amici sibi vindicant*, in ejusdem Patriæ meæ honorem & commune beneficium, publice (quantum in me per divinum foret beneficium) prodesse statui, & colligere tanquam in unum fasciculum, quæ sese de Antiquitatibus *Sassinæ* obtuleruut, quæ quidem lubuit ad meliorem intellectum in sequentia hæc Capita distinguere.

CAPUT I.

An Sassina Urbs olim, quidve fuerit.

Urbem jam olim fuisse *Sassinam*, ut alia mittamus argumenta, vel illud convincit, quod illi primis Christianismi temporibus Episcopus datus fuerit, quod non factum fuit locis, quæ Urbem non efficiebant. Illum enim morem observarunt Apostoli, ut, ubi Gentiles habuissent Flamines suos, ibidem Episcopos, Archiepiscopos vero & Primates instituerent in majoribus Civitatibus, ubi fuissent Archi-flamines & Proto-flamines. Apparet hoc ex Sacris Canonibus *in illis Dist.* LXXX. ex Tomo I. Conciliorum Epistola S. *Clementis* Papæ ad *Jacobum* Fratrem Domini, hisce verbis: *In illis vero Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Primi Flamines eorum, atque Primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates, vel Patriarchas Beatus Petrus poni præcepit, qui reliquorum caussas Episcoporum, & majora negotia in fide agitarent; in illis autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores esse tenebant, quam memoratos Primates, Archiepiscopos institui præcepit: in singulis vero reliquis singulos, & non plures Episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantum*
4 *vocabulum sortirentur.* Subjungit S. *Clemens* in eadem Epistola: *Hoc tamen prævidendum instituit, ne in Villis, aut Castellis, vel modicis Civitatibus instituerentur Episcopi, ne vile eorum nomen fieret.* In eundem sensum scripserunt *Anacletus* & *Lucius* Pontifices primis temporibus in Capitulis, *Episcopi* &c. *Urbes*, Distinctione eadem.

Apparet itaque clare satis Urbem fuisse *Sassinam*, quoniam Episcopus illi datus fuit, ut probabimus, ubi acturi sumus de *Sassinæ* Episcopis, in extremo hujus Dissertationis. Quum autem loco *Flaminum* substituti fuerint Episcopi, eosdem hic fuisse probamus ex Marmoribus Antiquis, in quibus hoc titulo laudantur *Lucius Pudens* & *Tettius Sabinus*, aliique Cives *Sassinates*, de quibus agemus in Dissertatione de *Religione Antiqua*.

Verum illud non est transeundum, Veteres *Civitatis* & *Urbis* habuisse appellationes, quarum priori demonstrabant civium unionem, namque nihil aliud est civitas (secundum *Ciceronem* in *Somnio Scipionis*) quam *concilia cœtusque hominum jure congregati*; secundum *Aristotelem* etiam Lib. III. de *Polytica*, *Civitas est civium multitudo*, apud quem plenius ita legas *Oeconom.* Lib. III. *Civitas est domorum pluralitas, agro & pecuniis sufficienter abundans ad bene vivendum.* Ut ita sub isto nomine non modo comprehendantur illi, qui publicis inclusi sunt mœnibus, sed & qui foras habitant in agris, castellis & prædiis, quoniam cum illis, qui intus sunt, unum corpus efficiunt, quod ex eodem constat *Aristotele*, quum citato Libro III. *Polytices* ita scribat: *Civitas non est una propter eosdem muros, sed propter eandem polytiam.* Et hinc per Urbis *Romanæ* cives, seu vocem *Cives Romanos* seu *Quirites* (ut jam non loquar de privilegiis Municipiorum similiumque locorum) non intelliguntur modo illi, qui intra pomœrium Urbis & distinctum mœnibus locum sua omnia habent, sed & qui in prædiis suis & agro sunt, qui ut plurimum maxime erant nobiles ex *Romanis* ipsorumque Optimates. *Cæsar* insuper Libro I. *Belli Gallici* asserit omnem *Helvetiorum* Civitatem in quatuor distinctam esse pagos. Quibus
5 ipsis verbis indicare videtur potius, regionem habitatam per varias partes a Natione quadam, prout hodieque *Helvetiorum Cantoni* sunt, quos eosdem cum *Cæsarianis* illis esse volunt, quam peculiarem aliquem locum muro clausum.

Loci dein mœnibus cincti, si majores essent & nominis alicujus, a *Latinis* altera ex istis ap-
A pellationibus vocabantur, *Urbis* scilicet, ut dictum est, voce. Quod licet idem sæpe significet cum *Oppido*, appellationem habet ab *Urvo*, quod significat ambitum illum, qui fieri solet in designandis fundamentis mœnium publicorum, & tam sumitur pro ipsa Civitate ejusque ædificiis, quam ipsis incolis atque civibus, unde ita a Doctis definitur: *Urbs est tectorum conjunctio, locis, manuque septa, delubris & spatiis communibus distincta, in qua sit cœtus hominum juris consensu & utilitatis communione sociatus.* Neque alio significatu de ipsa *Roma* accipitur, quæ passim sine adjecta alia notione *Urbis* vocabulo censeri solet.

B *Sassinæ* autem *Civitatis* appellatio data fuit propter incolarum civiumque multitudinem, quod recte probatur ex *Polybio*, qui, ubi describit copias auxiliares, qui præsto fuere *Romanis* adversus *Gallos* & *Hannibalem*, inter alia dicit: *Post hos Umbri & Sassinates Appennini accolæ ad viginti millia coacti.* Prout & illi in Marmoribus nostris laus fortitudinis in bello, Magistratuum & Sacerdotiorum in pace tribuitur.

Quod autem æque *Urbis* appellatione celebrata fuerit, ut alios præteream, *Martialis* docere potest, qui Libro VII. Ep. XCVI. ita Libellum suum alloquitur:

C *Nosti si bene Cæsium libelle*
Montanæ decus Umbriæ Sabinum.

Amandat enim ibi Epigrammatum libellum *Sassinam*, ad *Cæstium* quemdam *Sabinum*, civem *Sassinatem*, ubi postquam dixit, occupatum quantumvis *Cæsium* adeat, frequentiam bene habitatæ Urbis ostendit, dum commemorat Palatia, Theatra, Templa, Compita, Porticus & Tabernas, aliaque publica *Sassinæ* loca, ita pergens:

Te convivia, te Forum sonabit,
Ædes, Compita, Porticus, Tabernæ:
Uni mitteris; omnibus legeris.

Quod id ipsum adeo, quæ hodieque supersunt, 6
D demonstrant vestigia Templorum, Balnearum, pavimentorum, aliarumque structurarum antiquarum. Verum solidissimum pro utraque appellatione argumentum est, utrumque Consulem *Romanum* venisse cum exercitu ad subigendam (ut inferius dicemus) *Sassinam*, neque enim quadraginta secum adduxissent militum millia, nisi bene munita operibus virisque fuisset, & *Urbis* adeo atque *Civitatis* nomine dignissima.

Notandum quoque est, quod licet Urbs fuerit *Sassina*, *Populi* tamen nomine, quod non ita fieri solet in aliorum locorum incolis, cives ejus appellentur. Ubi enim Historici de Urbium lo-
E quuntur incolis, derivato a habitationis loco nomine eosdem appellant in plurali numero, ut *Ravennates*, *Florentinos*, *Peruginos* similesque, quod tantundem in omnibus illis sonat, ac *Ravennæ*, *Florentiæ*, *Perugiæ* cives. At merito *Populi* nomine Civitas *Sassinæ* censetur, quoniam ager Urbis tam amplus fuerit, & tot extra Urbem in prædiis habitaverint vicisque, qui tamen ad Civitatem ipsam pertinuerint, & simul *Populum* constituerint, distincti in Plebem Rusticam & Urbanam, præter Decuriones aliosque primi ordinis. Ita *Roma* & Populus fuit & Urbs. Cives erant, & qui habitabant in Urbe divisi in qua-
F tuor Tribus, Plebsque Urbana dicta, & qui foras Rustica Plebs nominabantur, distincti in Tribus triginta cum una. Utraque autem Plebs, quæ simul efficiebat xxxv. Tribus, pariter & una Populum constituebat *Romanum*.

Sassina itaque Urbs seu Civitas fuit, & quidem eodem in loco sita, ubi nunc est, prout edocent Fabricæ antiquæ, Marmora, & ruinæ, quæ ibidem inveniuntur. Extendit autem se ad dextram atque sinistram ripam *Savii*, spatio satis longo, tali tamen, ut mensura ejus jam accu-

rate

A rate iniri amplius non possit, neque tuto affirmari, quum esse pristina ejus gloria desierit. Quod si rite ineamus Templorum aliarumque veterum Fabricarum positionem rationemque, dicendum forte erit, muris caruisse, & pro iis circumjacentes sibi undiquaque habuisse montes, locumque ipsum habuisse pro munitionibus, animos vero pro mœniis, prout veteres *Spartanos* atque *Sabinos*, ex quibus ultimis hic loci forsan sedem fixere quidam, prout videbimus, ubi de civibus quibusdam nostris agemus inferius, quibus *Sabinorum* hæsit cognomen.

7 Extra mœnia autem olim seu Urbis ambitum, B prout hodieque, habitabant circum undique per aliquot milliaria Castella Vicosque bene multos, quorum incolæ omnes, quum solam *Sassinam* caput agnoscerent, *Sassinates*, & universi simul *Populus Sassinatis* dicti sunt. Ut autem cognoscamus amplitudinem regionis, propter quam *Populi* nomen *Sassina* accepit, consideremus, quod a *Sextino* usque, loco antiquo sub *Isauro* Fluvio, qui *Pesaro* postea jungitur, illique nomen dat, si pergamus per quadraginta circiter milliaria per eosdem montes iter usque *Mutilianam*, prope quam antiquus locus *Mutilus* fuit, rursusque incipiamus ab *Appennini* vertice atque *Tiferno*, & *Aretii* sinu C usque ad Mare *Adriaticum*, multis jam a *Savio* Fluvio milliaribus, qui omnis ager olim Tribus *Sapinia* vocabatur, inveniamus nullam ibi aliam a Veteribus Urbem memorari præter *Sassinam*. Nam quod ad *Cesenam* attinet, ad illam forte referenda est ætatem qua, *Gothi* in *Italiam* venerunt, & quis nobis dicet, an ante J. C. in Orbem adventum nomen aliquod habuerit, Foraque illa, quæ dein sequuntur, a *Romanis* fuisse exstructa nomenque indidisse, postquam loco cessere *Boji*. Nullo etiam præjudicio *Cesenæ* facto aliisque locis, qui bene habitatæ jam Urbes sunt nobilesque, relinquentesque regionem illam ab initio Collium usque Maris littus, prout ager discri- D minabatur *Bojorum* & *Sassinatium*, si *Umbros* a Mari usque (ubi jam olim habuere Portum) recenseas, res est clara, istius agri ambitu quadringenta seu quingenta, ne dicam plura, fuisse Castella seu Vicos, sive qui olim exstiterint, sive hoc adhucdum numerentur tempore, prout alia occasione brevi demonstraturi sumus.

Ista autem distinctio, qua sicut aliæ quædam Urbes, *Populus* appellatur *Sassina*, agnoscitur apud *Silium Italicum* Lib. VIII. Secundi Belli *Punici*, ubi enumerans *Umbriæ* loca, quæ in armis contra *Hannibalem* fuerunt, partim *Urbes*, partim E *Populos* vocat. Ita Urbes dicit *Arnam*, *Mevaniam*, *Hispellum*, *Narniam*, *Iguvium*, cui ultimo etiam additur vs. 461.

—— Patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

8 Plane, prout superius dixi, *Sassinam* etiam debuisse concipi. Sequuntur dein vs. 462.

—— His Populi fortes, Amerinus, & armis
Et rastris laudande Camers, his Sassina dives
Lactis, & haud parci Martem coluisse Tudertes.

Fuit itaque, ut diximus, & Urbs & Populus *Sassina*, quæ apud omnes Gentes usurpantur no- F mina, loca sua dividentes in *Urbes*, *Populos*, *Civitates*, *Oppida*, *Castra*, *Pagos* & *Villas*. Postquam autem sub *Romanorum* fuit ditione, qui nomen locis dabant Municipii, seu Coloniæ, Præfecturæ, Loci aut Conciliabuli; *Municipii* titulo nota fuit *Sassina*, prout discere est ex Inscriptione a Plebe Urbana dicata *Sexto Tettio Sabino*, qui in eadem dicitur PATRON. MVN. & melius adhuc ex illa *Tito Veturio Longo* dicata, cui & Statuam aliamve similem memoriam erexerunt DECVRIONES MVNICIPESQVE, præter Marmor illud *Potentis Florentini*, qui in eodem appellatur MVN. SASS. & tot Marmora, in quibus agitur de Collegiis, quæ dicuntur MVNIC. SASSI. quæ omnia demonstrant locum illum esse *Municipium*, prout & statim videbimus, ubi primam hanc Dissertatiunculam absolverimus.

Quid autem *Municipii* & similium locorum appellatione intellexerint Veteres alibi dicemus melius, sufficit nunc adjungere, quod *Martialis* agens de *Sabino*, ejusdem cum *Aulo Pudente Sassinate* Civitatis, Libro VII. Epigr. citato mandet libello suo ut eat ad

Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli Municipem mei Pudentis.

Neque nobiliora aut meliore conditione in Imperio *Romano* loca ulla erant, quam *Municipia.*

CAPUT II. 9

Ubinam sita fuerit Sassina.

Sita *Sassina* in *Umbris* fuit, id enim passim apud omnes constat. Ita locat *Plinius* in Regione Sexta; & *Silius Italicus* in *Umbris* Libro VIII. versu citato; ut & *Festus Pompejus*, atque *Eusebius*, qui in Chronico agens de *Plauto*, dicit: *Plautus Umber & ex Umbria Sassinas.* Difficultas autem illa, quam movere videtur *Polybius*, quum Libro II. agens de militia, quæ pro *Romanis* stabat contra *Bojos* & dein contra *Annibalem*, dicat, *post illos erant Umbri & Sassinates, inhabitantes Appenninum, collecti simul ad numerum viginti millium*, item *Plautus* noster, dum ait in *Mostellaria* III: II: 83.

Quid, Sassinatia ecqua est? si Umbram non habes?

Ex quibus apparet, quod ubi ab *Umbris* dividantur *Sassinates*, illa difficultas ex varia ratione temporis proveniat; *Plinius* enim, *Silius Italicus*, *Festus* & *Eusebius* post *Augusti* tempora fuerunt, unde & secuti sunt distinctionem illam *Italiæ* in undecim, quam ille fecerat, Regiones, de qua & ipse *Plinius* agit Lib. III. Cap IV. quamque ipse *Titus* cum Patre *Vespasiano* sunt secuti in censu suo. Verum *Polybius* & *Plautus* longe ante floruerunt, & isto tempore, quo *Italia* alios habebat terminos, atque alia rerum vocabula.

Quum itaque ab *Appennino* usque *Bononiam* atque *Ravennam*, omnia tantum non a *Gallis* essent occupata, non videbatur illi locus aliquis dandus *Umbris*, collocando illos ab altero *Alpium* latere, verum quum is illi memoraretur populus, qui adhuc intactus erat a *Gallis*, & validis iisdem obsistebat viribus, hinc *Polybius* separatim illos commemorat, quum appellat *Umbros* & *Sassinates*. Vel ideo forsan, quod gestum in regione illa bellum contra *Bojos* magis ad *Sassinates* quam alios pertinuerit, ut qui viciniores eosdem haberent hostes, reliqua jam omni regione occupata præter *Sassinam*, præcipue *Umbros* & *Sassinates* expressit, ut qui majorem belli excepissent molem majoremque militum collegissent manum, ita ut accedentibus reliquis *Umbris*, numerum effecerint viginti millium. Quodque ibidem addit *Polybius* stationem in collibus istis habuisse, atque 10 inde fecisse excursiones in *Bojorum* agros, de solis *Sassinatibus* debet intelligi, utpote vicinis & contiguis.

Sed & tertia subit ratio, cur dicat *Umbros* & *Sassinates* idem *Polybius*. Victi ante *Sassinates* aliquanto prius a *Romanis* erant *Umbri*, prout apparet ex Historicis, & præsertim *Livio*, Libro IX. & X. ut adeo Domini *Umbriæ* essent *Romani*. Verum *Sassinates* muniti *Appennino* suo, & ipso locorum situ tuti, vindicaverant sese per aliquod tempus a *Romanis*. Quoniam autem olim sub *Umbria* fuissent comprehensi, dum illa sese extende-

A ret usque ad Mare *Adriaticum*, postquam *Umbriæ* pars *Gallia* facta esset, aliaque ejusdem pars in *Romanorum* concessisset dominationem, restabat *Sassina* neutris subjecta, nomenque jam antiquum Regionis *Umbriæ* relinquens, per se ipsam novam efficiebat Regionem *Sassinatem* dictam, quæ cognomine a Fluvio accepto *Tribus Sapinia* appellabatur. Postea vero temporis & ipsa a *Romanis* victa atque detriumphata, post reliquam *Umbriam*, secuto subito Bello *Punico* primo, quod simul *Gallico* comitabatur, aliquo modo dividebantur adhuc ab *Umbria* sua, unde divisim *Umbra* & *Sassinatia* commemorantur *Plauto*, sicut *Polybio* pariter *Umbri* & *Sassinates*. Et quando jam *Umbri*
B & *Sassinates* rursus fuerunt conjuncti, ut prius, tamen posteriores illi propter regionis amplitudinem facile a *Polybio* pro Regione & Populo separato seu peculari numerari potuerunt. Satis autem vetus est mos ille, quo Regna atque Regiones occasione bellorum & statuum permutatione discerpta a se invicem atque divulsa fuerint, neque facile unita rursus, nisi ubi ad unum caput cuncta redacta fuerint membra. Quod & ipsum apparet in distributione Provinciarum *Romanarum*, de quibus alibi disertim agemus, videbimusque quomodo duæ & tres ablatæ a Regnis fuerint Diœceses &
C peculiarem fecerint Provinciam, cui & vicina loca
11 unita fuerint atque incorporata, relictis Regnis suis, quæ & ipsa postea in Provinciarum formam redacta fuerint. Sed & morem hunc confirmat ritus quidam, qui ducentis quinquaginta abhinc annis fuit in usu; in electione enim Præsidis *Romaniæ* facta a S. Ecclesia *Romana*, in Privilegiis suis & Bullis nominantur iidem *Rectores Flaminiæ, Comitatûs Britonorii, & Massæ Trebariæ*, ubi non ponitur pars postquam totum ejus est nominatum, verum quoniam loca illa paullo ante ad ditionem & obsequium S. Ecclesiæ redierant, appellatio illa abinde incepit duravitque per aliquod tempus,
D prout *Rossus* affirmat, agens de *Britonorio*, in Historiis suis *Ravennatibus* ad annum MCCCLII. de *Massa Trebaria* autem antiquæ Scripturæ quædam consuli possunt, quæ in illis Annalibus occurrunt.

Adjungere mihi insuper liceat non fuisse in *Umbria* populum, qui aperto Marte separatim contra *Romanos* decertavit, præter *Sassinates*. Reliqui enim, prout patet ex *Livio*, Libro IX. & X. *Thuscis* magis in auxilium fuere, quam caput quoddam belli. At non ita *Sassinates*, qui duobus simul exercitibus obviam hosti processerunt. Atque ita, etiamsi nulla fuisset separatio, in laudem illorum atque honorem, digito velut mon-
E strans, bellicosissimos *Umbrorum*, ultro separat, ubi dicit *Umbri & Sassinates*, tanquam illi, qui soli ex omni *Umbria* fortitudine resistendi & virtute sua, tribus Consulibus *Romanis* Triumphum procuraverint, quod signum sane est, quantum reliquis *Umbris* prævaluerint, de quibus nec Triumphus *Romæ* contigit nec ovatio.

Quod autem revera primitus ab *Umbris* distincti & separati fuerint *Sassinates*, certum me facit *Plauti* adducta auctoritas, qui, ut ibidem natus, errare non potuit, juncta *Polybianæ*. Credere autem liberum unicuique est, prout ipse probet,
F donec certius quid inveniat. Constitutis certe dein rebus, *Umbriæ* locus *Sassina* habita fuit, quod loco citato affirmat *Martialis*, ubi agit de *Cæsio Sabino Sassinate*, atque ita scribit:

12 *Nosti si bene Cæsium libelle*
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli Municipem mei Pudentis.

Nunc quidem permutatis *Italiæ* Regionibus, & nomen Provinciarum adeptis, ab ætate *Longobardorum* & *Caroli Magni* usque hanc, partes illæ atque Regiones, quæ Mari *Adriatico* cinguntur, *Appennino* item Monte, *Isauro* Flumine & *Scultenna*, quæ etiam *Panara* dicitur, *Romaniæ* titulo appellantur, quod illis nomen est datum propter fidelem operam Imperio & Ecclesiæ *Romanæ* navatam, abolitis quasi priscis nominibus, *Æmilia, Flaminia*, *Gallia* quidem in locis planis, *Umbria* vero in montanis. Unde & *Florentinorum* illud dominium, quod nunc habent ab hac parte *Appennini*, vocatur *Romania Florentina*.

Alluit porro antiquum *Sassinæ* situm Fluvius *Savius* a *Latinis Sapis* dictus, qui ab *Appennino* ad *Adriaticum* usque Mare currit, ejusque dividens agrum prope *Sassinam* labitur, quæ etiamnum habitatur; unde & olim, ut docuimus, omnis ille tractus *Tribus Sapinia* fuit dictus, cujus bis meminit *Livius* Decade quarta, ubi memorat Consules quosdam *Romanos*, quum ad debellandos *Bojos* irent, transiisse per *Tribum Sapiniam*.

Ab hac forte Tribu nomen accepit *Sapigno*, quod Castellum est satis fertile bonumque Dominorum *Aldobrandinorum*, & dicere vult *Sapinium*, estque in agro *Sassinæ*, quæ ipsa Urbs prope est & e regione, interfluente *Savio*, quique locus præterea nobilis est apparitione temporibus nostris in Parochia ejus facta gloriosissimæ Matris Dei, confirmata gratiis & miraculis infinitis, quæ abinde usque hoc tempus apparuere, mortalibus beneficio, & ex quorum oblationibus exstructa ibidem est Ecclesia satis celebris, titulo *della Madonna di Romagnano*, in cujus honorem exigua hæc digressio lubenter a me est facta, gaudenti tam venerabilem locum inveniri in Parochia Castri seu Castelli illius *di Sapigno*, cujus quidem Ecclesiæ cura ante duodecim annos mihi commissa fuit, ubi & bonam partem horum scriptorum in ordinem redegi.

CAPUT III. 13

An aliud etiam habuerit nomen Sassina.

Pauci numero sunt loci, qui per longam ætatem pristinum servarunt nomen, quum sæpissime acciderit, ut cum novis Dominis etiam appellationem suam mutaverint. Ita *Byzantii* nomen commigravit in *Constantinopolim*, & *Felsinæ* in *Bononiam*, nunc *Bolognam*, sicut *Forum Cornelii* nunc dicitur *Imola*, ipsam etiam *Romam* aliquando *Neronianam* Imperator suus vocari voluit, quam, ut de novo ædificaretur *Agrippinæ* ille filius incendit, sicut *Colonia Commodiana* in alterius monstri adhucdum Nummis appellatur. Imo & ex *Gothis* voluit *Ataulphus* reædificatam post *Alarici* fœdam ruinam *Gothiam* appellari. Verum vana illorum omnium fuere desideria pro recepto nomine & antiquo novum indere volentium.

Permutatio etiam nominum contigit aliquando vitandi mali ominis (ut credebatur) gratia; ita *Romani* nomen *Maleventi* commutarunt in *Beneventum*, sicut & *Nequini* in *Narniam*, & multa alia similiter.

Longinquitas ipsa temporum insuper linguarumque & Sermonis commutatio permutationem talem haud raro effecit. Ita nos *Pesaro* appellamus Urbem *Latinis* olim *Pisaurum* dictam; *Modenam* similiter *Mutinam*, ut & *Fossombrone*, quod olim erat *Forum Sempronii*, & denique *Padoam* vetus *Patavium*.

Nostra vero *Sarsina* prout hodieque dicitur pro vetusto *Sassina*, ita enim Lapides Antiqui *ss*. geminum pro *rs*. agnoscunt, a *Saxis* quidem meo judicio derivatum habet nomen, quæ Regioni nostræ subjacent, siquidem in hac voce nihil a *Latina* lingua prisca *Umbrorum* discrepaverit. Licet autem *Saxum* scribant passim *Latini*, unde *Saxina* deberet dici *x*. pro *s*. Marmora tamen contrarium nihil docent, quæ geminum *ss*. scribunt,

x. enim

x. enim litera pristinis illis temporibus apud *Latinos* in usu non fuit, sed pro illa scribebant *Romani* vel geminum *ss.* vel *gs.* vel *cs.* ut patet ex *Varronis* analogia, apud quem non scribitur *Dux*, *grex*, *Phryx*, *crux*, prout postea recepta litera *x.* est factum, verum *Ducs*, *gregs*, *Phrugs*, & *crucs*, abjecta litera *e*, quæ ante inseri solebat, quum exprimerent ita, *Duces*, *greges*, *Phryges*, *cruces*, prout & dixerunt *trabes*, aliaque similia casu recto & numero singulari; scribit etiam *Quintilianus* Institutionum Lib. I. Cap. IV. *Nostrarum ultima x. qua tam carere potui-*
14 *mus, quam si non quæsissemus.* Sed & nomen adipisci hoc Civitas a conditore suo potuit, aliave occasione, ex lingua ibidem patria tum temporis atque usitata, de quo quidem certum quid affirmari non potest.

Posterioribus sane sæculis (prout in Scripturis quibusdam Antiquis vidi) nomini huic litera *x.* inseri cepta est pro gemino *ss*, alludendo forsan ad illam a *Saxis* originem, unde dicta tum fuit *Saxina* & *Saxena*, & corrupte magis *Saxxena*. Apparet hæc scribendi ratio in Privilegiis aliisque Instrumentis, ab anno millesimo post *Christi* nativitatem usque ad MCCCC. atque adeo per quadringentos annos; antiquiorem enim invenire scripturam mihi non licuit.

Habeo autem penes me sigillum antiquum ex ære, quod ad unum ex *Henricis* quondam Episcopis *Sassinæ* pertinuit, quorum alter vixit anno MLVIII. alter MCCC. in quo exprimitur Episcopalis quædam figura, S. *Vicini*, ut arbitror, Protectoris hujus Civitatis, in circuitu autem hæ sunt literæ S. HENRICI EPISCOPI SAXENATIS. est autem tali forma:



In campana etiam Cathedralis *Sassinæ*, quæ refecta est aliquot retro annis, artifice *Andreotto* quodam *Pisano*, hæ scribebantur literæ: TEMPORE D. HENRICI ARCHIDIACONI SAXXENATIS. Annus ibi notabatur MCCXXI.

Post sæculum vero MCCCC. nominis scriptionem mutatam rursus invenio, repositis *rs.* pro *x.* quæ usque nostra tempora obtinet, ubique enim in talibus scriptis *Sarsina* appellatur. Tantaque violentia ista nova scriptura defensa est, ut, exceptis Marmoribus Antiquis & *Martiale* Lib. V. in Epigrammate de Villa *Faustini*, ubi *Sassina*, cum duabus *ss.* literis legitur, plurimi ex Antiquis Libris corrupti sint a descriptoribus reposito *r.* pro *s.* atque inde in permultis *Polybii*, *Martia-*

A *lis*, & *Plinii* codicibus *Sarsina* legitur pro *Sassi-* 15
na; quæ tamen mala correctio omnino animadverti & emendari debet ab illis, quorum cura libri isti recuduntur, idque auctoritate laudatorum nostrorum Marmorum. Similis vero hæc permutatio est illi, quam subiit Urbs *Marsilia* nunc dicta, olim vero *Massilia* primum, dein per longum tempus *Maxilia*.

Aliud etiam *Sassinæ* nomen datum fuit, *Bobio* scilicet, quo titulo diu Episcopatus *Sassinæ* venit, unde in scripturis talibus *Episcopatus Bobiensis*, & Episcopus ipse *Episcopus Bobiensis* appellatur, aliquando etiam, ut in *Ravennatensibus* exstat *Bom-*
B *binensis*, in aliis etiam *Boibensis*. Antiquissima, quam vidi, charta, in qua appellatio ista occurrit, *Concilium* est *Romanum*, quod factum est circa quintum post N. C. sæculum, Pontifice Summo *Symmacho*, ubi *Sassinæ* nostræ Episcopus dicitur *Laurentius*, *Episcopus Bobiensis*, plus una vice. Hanc vocem quum non intelligeret pro *Saxenate* excellentissimus alias vir *Carolus Sigonius*, quum *Bobio* in *Lombardia* assignare nequiret, quod nondum titulum tum Episcopatus haberet, corruptam putans in *Bononiensem* mutari voluit, dans supernumerarium ita *Bononiæ* Episcopum.

In Privilegio *Conradi Suevi* Imperatoris, quod
C datum fuit Ecclesiæ Urbis *Sassinæ*, & in multis Instrumentis, quorum contentum in ultima nostra perlustratur Dissertatione, sæpissime fit mentio Comitatus *Bobii*, ita ut & *Commune*, & *Territorium*, & *Vallis* adjungatur.

Credidere quidam separatos primo Episcopatus fuisse verum dein unitos simul *Sassinam* & *Bobium*, appellatum vero *Bobium* fuisse locum, ubi jam est *Galleata*, quæ nunc *nullius Diœcesis* dicitur, atque jurisdictionem Abbatiæ gloriosi S. *Ellari*, quæ jam est in possessione Domini Cardinalis *Aldobrandini*. Verum non sane ita est, *Bobium* enim ipsa fuit *Sassina*, cum tota sua temporali jurisdictione, totaque sua Diœcesi, quum olim utriusque
D fori esset Episcopatus; *Bobiensis* vero cognomen erat Episcopi *Sassinatis*, prout *Feretranus* vocatur Episcopus S. *Leonis*, ita dictus a Provincia seu Regione, quæ *Monte Feltro* appellatur, quod 16
alias ipsum etiam fuit nomen Ecclesiæ S. *Leonis*, prout Illustris Dominus *Julius Vulpellus* mihi olim asseruit, & ipse postea *Montem Feretrum* locum illum dictum inveni *Gothorum* tempore a *Procopio* in Historiis suis.

Illud vero *Bobium*, quod quondam unicum corpus constituebat Civitatis cum tota sua Diœcesi, quamdiu Episcopus ejus Dominus universæ Regionis in temporali etiam fuit, distractione
E postea in varias venit manus, atque ablatum fuit Episcopatui & in varias divisum partes, quæ tamen omnes *Comitatus Bobiæ* appellabantur, præcipue vero Castella illa, quæ remanserant sub Episcopi ditione, quorumque hodieque partem adhuc tenet, dicta sunt *Comitatus Bobii*, atque Episcopus ipse dictus inde fuit & adhucdum dicitur *Episcopus Sassinæ & Comes Bobii.* Quin & *Sassina* ipsa cum Castellis aliquot, quæ subjecta illi in temporali ablata dein fuere ab Episcopi jurisdictione, per longum temporis spatium venit nomine *Comitatus Bobii*, non tantum ubi fuit sub ditione Rev. Cameræ Apostolicæ, sed *Ordelaffio-*
F *rum* & *Malatestarum* temporibus.

Ut autem pateat *Sassinam* & Diœceseos ejus Castra seu Castella *Comitatus Bobii* dicta fuisse, alia jam mittam argumenta, & nunc modo proferam duas Scripturas, quæ in Archivis Episcopi *Sassinatis* sunt, ut demonstrem quænam illa fuerint loca.

In altera quidem conscripta anno post N. C. MCCLXXV. invenio, quod anno MCCLXVI. Commune *Cesenæ* cum *Philippo* tunc *Ravennæ* Archi-

chiepiscopo *accesserunt in Bobium*, ut vindicarent mortem *Guidonis* Electi *Sassinatis*, & illos, qui ipsum occiderant redigerent in potestatem atque obedientiam Archiepiscopi istius *Ravennæ*. Ut Commune vero & loca *Bobii* ibidem commemorantur, ubi cum exercitu venerant, *Montesorbo*, *Ciola*, *Musella*, *Atteggio*, *Saxina*, *Calbano*, *Monte dell' Abete*, *Cerfoglio*, *Prugnano*, *Sorbano*, *Montepetra*, *Sapigno*, & qui erant *della Canonica di Sarsina*, ut & *Apozzo*, *Casal Vecchio*, *Facciano*, *Sagliaccio*, *Valdagneta*, *Turrita*, *Valbiano*, aliique loci vicini; ut autem *Bobii* loca nominantur *Taibo*, *Mongiusto*, *Massa*, *Monte Guidone*, *Linara*,
17 *Rivoschio*, *Fontana Fredda*, *Pratella*, *Terra di Saracino* & *Colonnata*.

Scriptura altera anno MCCCLXXIII. fuit composita occasione impositionis solidi per singulos caminos ad fabricam Castelli *di Faenza*, ibique ut loca Comitatus *Bobii* nominantur *Sarsina*, *Galbano*, *Turrita*, *Atezzo*, *Casal Vecchio*, *Sorbano*, *Monte Castello*, *Finocchio*, *Apozzo*, *Caresto*, *Musella*, *Cerfoglio*, *Mont' alto*, *Sourapiavola*, *Ciola*, *Montepetra*, *Bucchio*, *Castel Novo*, *Castagneto*, *Mercurio*, *Civoro*, *Rivoschia dell' Abbate*, *Rivoschia del Vescovo*, *Rulato*, *Ranchio*, & *Petrella*.

Legi insuper in Statutis *Sorbani* satis vetustis, multisque Instrumentis ab anno MCCCC. usque annum MD. locos, quos usurparunt *Florentini* in ista Diœcesi, appellari *Vallis & Comitatus Bobii*, etiam postquam jam ad novum illud transierant dominium. Verum liquido magis apparebit quænam fuerint loca *Bobii* istius, quando recensebimus *Sassinam* cum centum pluribusque Castellis, quæ in isto Comitatu uno eodemque tempore Episcopo ejus cuncta subjecta fuerint.

Fuit itaque *Bobium* seu *Bobio* dicta *Sassina* ipsa cum tota Diœcesi sua. Sed, quum huc pervenimus, enarrare oportet occasionem, qua hæc appellatio fuerit introducta, atque unde hæc nobis nata fuerit difficultas. Appellatio ipsa & communis opinio est, habitasse *Bojos* hasce Regiones (unde & *Tribus Sapinia* una habetur ex *Bojorum* illis centum & viginti) atque adeo Regionem hanc ab illis cognomen sumsisse *Bojorum* seu *di Boio*, unde corruptum *Bobio* & *Boibo* postea est natum, prout reliqua Regio pariter *Gallia* fuit appellata ab iisdem, qui ex *Gallia* advenerant. Et certe si semper apud omnes victores iste fuit mos (ut fuit) victos cogere relicto pristino nomine novum a se impositum recipere, pariter id & *Romani* & ipsi *Galli* aliorum exemplo fecerunt.

Sed ut verum fatear, valde dubito, an pro indubia veritate sit recipienda ista opinio, neque id absque rationibus, ut opinor. *Galli* certe *Boji* ducentis ante N. C. annis fugati inde atque pulsi sunt, nomenque *Bobii* quingentis demum post Sanctissimam eandem J. C. Nativitatem primum invenitur, illa enim ejus mihi maxime vetusta mentio occurrit; *Gallorum* dein ætate & aliquot post sæcula nusquam *Bobium* illud appellatur, verum *Sassina* passim Urbs & Regio a *Plinio*, *Martiale*, *Silio Italico* aliisque vocatur. Quum ita non immerito mihi conjectura nascatur, a *Romano* quodam homine nomen illud mutuari potuisse,
18 & sicut *Bœbiani* isti *Ligures*, qui in coloniam deducti fuerunt a quodam *Bœbio Romano*, ita & in mentem mihi venit *Bœbii* istius *Gemellini*, qui *Cetraniæ Severinæ* fuit maritus, & binis vicibus in Marmoribus nostris nominatur, a quo & ipso nomen accipere potuit hæc Regio, sive per donationem, sive per venditionem ipsi ab Imperatore factam (qualia quandoque acciderunt) sive per aliam quandam occasionem mihi obscuram; & nominari Ager, Regio, Jurisdictio, & postea Comitatus *Bobii*. Imo ipsum nomen illud datum forsan fuit his locis post *Sassinæ* ruinam, sive a locis quibusdam nobilioribus adhuc tum residuis, quæ jam amplius non exstant, sive ab aliquo restauratore aut possessore istarum reliquiarum. Destructa autem *Sassina* ex opinione nostra fuit longe ante, quinto sæculo post *Natum Christum*, sive in destructione *Italiæ* per *Alaricum*, primum *Romæ* vastatorem, vel *Odoacrum*, quo tempore tantas calamitates experta est *Italia*.

Verum quoniam ego primus hasce protuli novas opiniones, atque altera illa vetus in omnium quasi animis alte fixas radices egerit, satis mihi fuit istud movisse dubium, meamque sine aliorum præjudicio, donec verius quid suboriatur, proposuisse sententiam, cuicunque liberum relinquens, utrum a *Bojis*, an *Bœbio*, an vero *bobus* aliisve vocibus deductam appellationis credere velit originem. Habenda tamen erit ratio, ut omne tollatur dubium, illorum quæ paullo superius protulimus, quod quantumvis *Tribus Sapinia* ad ditionem pertinuerit *Gallorum*, quam subjectam sibi habuerunt in planicie nunc temporis *Romania* dicta, olim vero *Gallia*; nihilominus loca illa in radicibus Montium, ubi nostræ Urbis ager erat usque ad *Appennini* jugum, quæque pariter *Tribus Sapinia* appellabantur, nusquam legerim *Gallis* patuisse, in quo corroboratus sum ex *Triumpho de Sassinatibus*, in quo nulla *Gallorum* est mentio, qui alias nominantur inter populos illos, qui aliquo modo ad eosdem pertinuerunt.

Adjungam denique aliud insuper nomen *Sassinæ* a *Volaterrano* aliisque quibusdam tributum fuisse, qui ex auctoritate ut ajunt Tabularum quarundam nomen illi affingunt *Farsinæ*; Verum plane erronea hæc est opinio. Et si quidem illi 19
per Tabulas intelligant Inscriptiones Antiquas, in quibus *Farsinam* legisse sese commemorant, respondeo illis, *Romæ* in *Capitolio*, ubi memoria Triumphi de *Sassinatibus* exstat, & in Marmoribus nostris, plus quater, imo sexies scribi *Sassinam* & *Sassinates*, & ne una quidem vice *Farsinam* aut *Farsinates*. Si vero per Tabulas intelligant scripta Auctorum, qui collegerunt nomina Urbium, & loca maxime memorabilia Provinciarum, prout fecerunt *Plinius*, *Ptolemæus*, *Strabo* & alii; fateor excusari aliquo modo *Volaterranum* posse, non vero defendi. Ante oculos forsan habuit *Plinii* quendam codicem, Libro III. Cap. XIV. ubi inter populos sextæ Regionis ponuntur *Farsinates*, quos intellexit de *Sarsinatibus*; verum non attendit errorem esse descriptorum, quem receperint typographi, quum *Plinius* solitus sit loca ordine alphabetico enumerare, ex qua observatione facile verum emergit, illi enim *Farsinates*, qui ibidem leguntur, & medii ponuntur inter *Setinates* & *Spoletinos*, necessario ejiciendi sunt, & reponendi *Sassinates*, pariter enim vitiose paullo post leguntur *Festinates* pro *Sestinatibus*, quos debuit nominare, quosque posuit ipse *Plinius*. Ortus autem omnis iste error est ex similitudine literarum vocabuli initialium, quibus utebantur descriptores.

In Latinis itaque scriptis meis, vel citationibus Auctorum Veterum, Marmoribusve Antiquis, *Sassinam* inscribam Urbem, prout ratio Scripturæ exigit, quam præbent Inscriptiones; ubi vero *Italo* sermone utendum erit, non abscedam a vulgari usu *Sarsinam* eandem appellans.

CAPUT IV.

Quando sub Romanorum devenerit Dominationem Sassina, & a quibus devicta fuerit.

Quum sibi aditum gradumque ad Summum Orbis Imperium pararent *Romani*, devicta prius omni circum *Italia*, longum illis & grave cer-

certamen fuit cum *Sassinatibus* non modo, verum & reliqua etiam *Umbria*. Ubi enim *Hetruscum* atque *Romanum* ortum est bellum, circa annum C. U. CCCCXLIII. opposuere sese tum etiam *Umbri* armis *Romanorum*, illorumque jugum detrectantes varia fortuna permultos cum iisdem
20 belligerarunt annos, neque ante certamen cum *Umbris* finitum fuit, quam universæ *Italiæ* domini facti fuerint *Romani*, ultimique illorum ditioni accesserunt *Sassinates*, quadraginta scilicet & quatuor annis postquam bellum *Umbricum* primum fuerat excitatum. Tum demum coacti fuere honestis conditionibus componere bellum, *Romanos*que agnoscere superiores, quum simul urgerent ab alia parte *Galli*, qui universæ *Italiæ* hostes illorum terris imminebant, perque illas ulterius viam, ipsam *Romam* versus, affectabant.

Quod autem dixi, honestis conditionibus compositum fuisse bellum, non sine ratione a me factum est, factum enim tum Municipium *Sassina* fuit, ut superius probavimus; id est, permansere in sedibus suis antiqui habitatores, donati insuper Civitate *Romana*, & suis viventes legibus.

Nec sane pati voluerunt *Umbri* coloniam in terras suas deduci, idque patet ex anno CCCCL. post C.U. quum magno in timore essent *Romani*, ne ad ipsam Urbem pergerent omnia circum deprædantes *Umbri*, fierentque continue excursiones ab armatis aliquot in spelunca quadam, coacti enim tunc fuere ferro & flammis ejusdem speluncæ occupare aditus, prout scribit *Livius* in initio Libri X. Annus itaque U. C. CCCCLXXXIV. nobilitatus fuit bello mere *Sassinate*, eoque tam gravi, ut quantumvis a Consule *Romano*, *Cneo Cornelio Scipione*, qui advenerat cum exercitu, victi isto anno fuerint, atque detriumphati *Romæ*, prout in *Triumphis* annotat *Panvinius*, qui confirmat idem fragmento Marmoris *Capitolini*, quod resartitum ab illo hujus est sensus:

CN. CORNELIVS SCIPIO ANNO CD. XXCIII. COS. DE SASSINATIBVS.

secutum nihilominus fuerit alterum per quatuor continuos annos gestum bellum, usque dum simul adunatis exercitibus venerit uterque Consul *Decimus Junius Pera*, & *Numerius Fabius Pictor*, anno CDXXCVII. qui bello isti finem imposuerunt, & *Sassinates* in deditionem acceperunt, ita ut alter Consul de iis triumphaverit Septembris die XXVI. alter V. Octobris. Quod sane magnum argumentum illorum fuit virtutis, quod victi jam & detriumphati, jugo tamen subdere collum noluerint, utrumque vero Consulem descendere *Roma*
21 ad novum bellum novasque victorias coegerint. Ita enim legitur in *Triumphis Capitolinis:*

D. IVNIVS. D. F. D. N. PERA. COS. AN. CD. XXCVII. DE. SASSINATIBVS. V. K. OCTOBRIS.
N. FABIVS. C. F. M. N. PICTOR. COS. AN. CDXXVII. DE SASSINATIBVS. III. NONAS OCT.

Ut autem appareat hujus belli moles, ad quod uterque Consulum excitatus fuit, satis nobis, tacentibus Historiis, erit *Vegetii* testimonium, qui de *Re Militari* conscripsit librum: ejus enim verba sunt Libro III. Cap. I. hæc: *Veteres autem, qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numerosos, quam eruditos armis exercitus habere voluerunt. Itaque in levioribus bellis unam legionem, mixtis auxiliis, hoc est, decem millia peditum, & duo millia equitum, crediderunt posse sufficere; quam manum Prætores, velut minores Duces, ad expeditionem sæpe ducebant. Quod si magnæ hostium copiæ dicerentur, Consularis potestas cum viginti millibus peditum & quatuor equitum, tanquam comes major mittebatur. Quod si infinita multitudo ex gentibus ferocissimis rebellasset, tunc nimia necessitate cogente* (talis autem fuit casus Belli Po-

A puli *Sassinatis* nostri) *duo Duces, & duo mittebantur exercitus, cum ejusmodi præcepto: Provideant, ne quid Respublica detrimenti capiat, Consulum vel alter, ambove.*

Patet autem ultimum istum numerum, & utrumque Consulem cum quinquaginta millibus armatorum, vel minore aliquanto numero pro quatuor legionum sociorumque definitione, venisse ad debellandam Regionem nostram; tantusque ejus belli apparatus, tantaque *Romanorum* fuit victoria, ut non modo *Sassina* sed & universa simul *Umbria* in deditionem recepta fuerit, unde forsan haud male in *Epitome Liviana*, respectu il-
B lius belli, absque *Sassinatum* mentione, legimus: *Umbri & Sallentini victi in deditionem accepti sunt.* Nihil autem rerum isto tempore gestarum apud *Livium* invenitur, neque apud alios Auctores istius belli descriptionem legi. Et sane pro magno nostro duco infortunio, nullam accuratiorem nobis istius temporis relictam memoriam, cujus vel ipsius victoriæ nulla superesset mentio, nisi Consulum exstarent nomina in Fragmentis *Capitolinis*.

Quoniam vero duplex nobis subministratur ab 22
Auctoribus ratio, qua in potestatem victorum, seu *Romanorum*, transibant victi, ut scilicet vel
C *potestati Romanorum*, vel *fidei sese committerent*, cujus rei exemplum in *Faliscis* commemorat *Valerius Maximus* Libro VI. Cap. XX. qui post crebram rebellionem armis *Romanorum* contusi, coacti fuerunt sese dedere *Quinto Lutatio* Consuli, anno U. C. DXII. & quum instigante vindicta fremeret Populus *Romanus*, acriter castigandos esse toties rebelles, ubi percrebuit *fidei* sese Populi *Romani* commisisse, deposito odio & procul ab omni victoriæ jure illorumque meritis, benignum sese illis exhibuit; Hinc, inquam, argumentari possumus, habitos *Sassinates* ab iisdem *Romanis*, tanquam qui sese *fidei* illorum commi-
D sissent, licet jam ter victos atque detriumphatos, atque inde nec locum mutasse incolas, nec alia sæva belli victoriæque expertos, imo Civitate insuper *Romana*, atque jure suffragii donatos fuisse. Quod licet vel nulla adsit alia auctoritas, tamen abunde Municipii appellationi includitur.

Addere lubet *Plautum* Comicum, qui *Sassinas* fuit, & paullo ante Triumphum de *Sassinatibus* natus, Civis fuit *Romanus*, prout & nomen ejus & prænomen demonstrant, nosque in Secunda diximus Dissertatione.

Sed adhuc unum contra me videtur (quod modo mihi subvenit) militare argumentum; *Sassinam* scilicet non statim obtinuisse *jus suffragii*, quo-
E niam invenio, prout dicam, ubi de *Pisone* & *Cajo Appio* erit agendum, *Sassinates* socios appellari *Romanorum*, & militasse in bello sub illorum ducibus, qui appellantur *Præfecti Sociûm*, si vero suffragii habuissent jus, inter legiones *Romanorum* ipsas, ut Cives decebat, adscripti fuissent. Verum parvi momenti hæc est difficultas, si subeat, multos *Italiæ* populos jus suffragii una cum Civitate *Romana* habuisse, atque antiquissimis quidem temporibus distributos fuisse inter legiones *Romanas*, verum postea conscriptis legionibus ex illis tantum Civibus, qui in ipsa Urbe
F habitabant, locisque maxime vicinis, ut illis ex Tribu XXXV. quam *Livius* Libro VII. ad annum U. C. CCCCIV. appellat Urbanam & Rusticam juventutem, nihil mirum, si subito decem legiones quatuor millium atque ducentorum peditum, 23
& trecentorum equitum collecti fuerint per singulam Tribum, aliquot præterea Præfecturæ, ut *Cumana*, *Acerrana*, *Attellana*, qui omnes Cives *Romani* erant, & *in legione merebant*, ut dicit *Festus* in voce *Municeps*. Alii autem, qui veniebant sub *Latinorum* Sociorumque numero, tot

A tot dabant milites, quot exigerentur ab illis, prout videmus apud Hiſtoricos, totiesque id fiebat, quoties miles eſſet conſcribendus *Romæ*, quando duas pluresve colligerent legiones Conſules, tunc enim *imperabant Sociis Latini nominis* tantum militum numerum, quantum ipſi ex ſuis conſcripſiſſent. Inter *Latinos* vero jam tales erant, qui Civitatem *Romanam* cum jure ſuffragii habebant, prout & *Sabini* inter eosdem. Docet id *Vellejus* Libro I. Hiſtoriarum. *Polybius* tamen Libro II. dividit a legionibus Urbanis *Latinos* atque *Sabinos*, aliosque populos, qui non leguntur temporibus iſtis adſcripti fuiſſe legio-
B nibus, prout ediſſeremus forſan uberius, meliori oblata occaſione.

Poſterioribus autem temporibus (illis inquam Cæſarum) cohortes Prætoriæ atque Urbanæ conſtituebantur paſſim ex militibus *Umbriæ* atque *Hetruriæ*, ut & *Latii Veteris*, prout dixit *Cornelius Tacitus* Libro *Annalium* IV. non longe ab initio, leguntur que ex variis partibus, in Marmoribus, qui inter legiones meruerunt. Verum etiam non omnes tunc legiones ex *Romanis* conſtabant, fuit enim & *Germanica* una, & ſic aliæ ex aliis populis, perieratque mos ille auxiliorum ex *Italiæ* ſeu *Latii* Sociis, quum jam omnes legionarii
C indiſcriminatim fieri ſolerent.

Reſtat itaque ut dicamus *Saſſinam* poſt deditionem mox honorifice receptam atque tractatam fuiſſe a *Romanis*, & conſtitutam Municipium, eodem jure quo & reliquæ *Umbriæ* Civitates gratiam iſtam ſunt nacti, ut ex illis complerentur Tribus *Romanæ*, prout clare ſcriptum reliquit *Cicero* in Oratione pro *Muræna*, his verbis: *Multæ Tribus ex Municipiis Umbriæ conficiuntur.*

CAPUT V.

Quænam Memoriæ reſtent de Saſſina.

D Paucæ quidem ſunt ſed inſignis pretii Memoriæ *Saſſinates*, quæ adhucdum ſuperſunt. Præter enim *Triumphos Capitolinos*, ut & *Epitomen* (quam commemoravimus) *Livii*, Victorias atque Triumphos *Romanorum* celebrantes de *Saſſinatibus*,
24 Libro ſuo II. eosdem *Saſſinates* commemorat *Polybius*, ubi agens de *Romanorum* viribus, quibus *Hannibalem* ſunt aggreſſi, & contra *Bojos* ſeſe armarunt, loquitur de viginti millibus militum ex *Umbria* atque *Saſſina*, de quibus jam ſuperius egimus. *Martialis* etiam, Epigrammatum Poëta, ſæpius mentionem facit *Cæſii Sabini*, quem *decus Umbriæ* appellat, ut & *Auli Pudentis*, utriusque
E *Saſſinatis*, Lib. VII. *Ad Librum ſuum*, in primo, & quinto *de Encolpo*, ſexto, ſeptimo, octavo, nono, *Ad Aulum. Ad Pudentem. De Aulo*, & decimotertio Libro, *Cattæ*, bis etiam *Claudiam Ruffinam*, uxorem *Pudentis*, commemorat, Libro IV. *De Nuptiis Pudentis & Claudiæ*, undecimo, *De Claudia Ruffina.* Libro item nono *Ad Nympham*, de Nympha *Regina* agit, quam *Saſſinates* venerabantur, & cui Templa atque Balnea exſtruxerat *Cæſius Sabinus*, ubi pariter *Saſſinæ* præſtantiſſimarumque ejus aquarum mentionem facit. Laudat idem Silvam *Saſſinatem*, præſtantiſſimoſque Regionis iſtius caſeos (quales *lactantes metas* ap-
F pellavit Lib. I. Ep. XLIV.) qui *Bajos* uſque *Neapolitana* in Regione advecti erant, Lib. V. in Epigrammate *de Villa Fauſtini.* Laudat etiam *Saſſinam* S. *Hieronymus* in *Chronico Euſebii*, ut patriam *Plauti* Poëtæ, ſicut & Coſmographi quidam, velut *Plinius* jam citatus, in ſexta *Italiæ* Regione, *Plautus* item ſæpius laudatus, Poëta noſtras & Civis, in Comœdia ſua *Moſtellaria* dicta; *Silius* denique *Italicus*, qui citato item ſuperius loco *lactis divitem* & *fortem populum* commendat, Libro VIII. ubi *Saſſinates* inducit pugnantes ſub *Piſone* contra *Hannibalem.*


Horum Auctorum ipſis verbis citandis jam ſuperſedeo, utpote notis, atque maximam partem ſuis locis a nobis in Diſſertatiunculis hiſce inſertis. Verum haud minorem lucem rebus Patriæ noſtræ Antiqua dant Marmora, quæ reſidua adhucdum ſuperbiunt nominibus & honoribus Civium noſtrorum. Et quoniam hæc ipſa maximum mihi fundamentum atque præſidium in conſignandis hiſce literulis præbent, neceſſarium pulchrumque duxi, peculiari Capitulo jam enumerarare atque apponere, ita ut ſimul adnotarem, ubi locorum inveniantur, ſubjectis ipſis Inſcriptionibus (ut brevius quandoque literarum compendio conceptis) Explicationibus meis, quibus integer illarum ſenſus patere poteſt, ut facilius intelligi poſſint ab iis, qui parum in hiſce Antiquitatibus verſati ſunt, Commentariolo eorum, quæ nobis in iis proponuntur, ſuis locis reſervato.

ANTIQUÆ INSCRIPTIONES 25

SASSINATES,

una cum figura Marmorum, & locis ubi inveniuntur.

Saſſinæ in Foro.


SEX. TETTIO
SEX. F. [1]. PVP
MONTANO
CAESIO. SABINO
EQVO. PVBLICO
AED. PONTIFICI
FLAMINI. [2] TRAIANAL
PATRON. MVN
PLEBS. VRBAN
H. R. I. R

Sexto Tettio Sexti Filio Pupinia Montano Cæſio Sabino Equo Publico Ædili Pontifici Flamini Trajanali Patrono Municipum Plebs Urbana. Honore recepto impenſam reſtituit.


De hac Inſcriptione conſulendum eſt initium Diſſertationis Quintæ.

Ibidem

---

1. PVP) Male PVB. apud *Grut.* p. CCCCLXXIV. 2.
2. TRAIANAL) Grut. TRAIANALI & dein PATRONO MVNIC. in MS. *Pighii* altera litera alteri ſuperponitur ita I/L


Ibidem in Foro.



Lucio Appæo Lucii Filio Pupinia Pudenti, Primipilo Tribuno cohortis duodecimæ urbanæ, & decimæ prætoriæ Flamini Flaviali Patrono . . .
Plebs . . . . .

Consule primam partem Dissertationis Tertiæ.


26 In Episcopalis Sedis impluvio.



Magno, & fortissimo Principi Imperatori Cæsari Marco Aurelio . . . Pio Felici Augusto . . . .

Agemus de hac Inscriptione in Dissertatione VII.


Ibidem.



Diis manibus Caji Gigennii Festivi Collegium Centonariorum Municipii Sassinatis bonæ memoriæ.

De hoc Marmore videbimus in Dissertatione Octava.


In Horto Episcopali.



Apollini Sacrum Cajus Cæsius Sabinus.

Reperitur hæc, cum sequentibus duabus, quæ de *Jove* & *Deis Publicis* agunt, in Dissertatione Quarta.

In eodem Horto Episcopali. 27



Sexto Afidio Caji filio Pupinia Nepoti, patri suo Cajus Afidius Sexti filius Geminus, testamento poni jussus, vel *jussit.*

Consuli potest Caput sequens Primæ hujus Dissertationis.

In Horto Archidiaconi *Sassinatis.*



Jovi Optimo Maximo sacrum Cajus Cæsius Sabinus.

Consule Dissertationem Quartam.

In

1. PATRON.....PLEB....) Apud *Grut.* p. CCCLIX. 4. PATRONO SASS...... & inferius in Notulis hæc leguntur in Editione posteriore.
PLEBS. VRBANA.
PR. MI. S. D. D.
Sic hanc Inscriptionem supplevit ex *Ligorio Gudius*: cum in *Grutero* desiderentur tres ultimi versus, lapide post *Ligorium* mutilato

2. MAGNO) Abesse videtur a *Grutero* Inscriptio hæc.


3. D. M. Exhibetur a *Grutero* CMXIII. 3.

4. APOLLINI) Exstat apud *Grut.* p. p. XXXVIII. 18.

5. SEX. AFIDIO) Exstat apud *Grut.* p. DCCXXIII. 18.

6. JOVI) apud *Grut.* p. CVI. 3.


In eodem Archidiaconi Horto.



Deis Publicis ſacrum Cajus Cæſius Sabinus.

Inſpice initium Diſſertationis Quartæ.

28 In Cathedrali *Saſſinæ*, in Capella S. *Mariæ Magdalenæ* Familiæ *Capellorum*. Inſervit baſi ſeu cippo Altaris, & quum quadratum ſit Marmor, in fronte habet Inſcripta nomina *Cetraniæ* maritique ejus, ad dextrum vero latus effigies ejusdem ſculpta cernitur, ad ſiniſtrum vero Teſtamentum ejusdem, ubi propter loci anguſtias I. pro T. expreſſa cernitur in ipſo Marmore, ea, qua expreſſimus forma.



Deis Manibus Cetraniæ Publii Filiæ Severinæ Sacerdoti Divæ Marcianæ Titus Bæbius Gemellinus Auguſtalis conjugi ſanctiſſimæ.

Caput ex teſtamento Cetraniæ Severinæ. Collegiis Dendrofororum Fabrum Centonariorum Municipii Saſſinatis ſeſtertia ſena milia nummum dari volo. fideique veſtræ Collegiati committo, uti ex reditu ſeſtertium quaternum milium nummum omnibus annis pridie Idus Junii die Natali mei oleum ſingulis vobis dividatur, & ex reditu ſeſtertium binum milium nummum Manes meos colatis. hoc ut ita faciatis, fidei veſtræ committo


Agi-

[1]. DEIS) Apud *Grut.* p. CVI. 3.
[2]. COLLEGIAII) *Gruterus*, qui Inſcriptionem nudam adfert pag. CCCXXII. 3. 4. legit hic COLLEGIALI.

29




Agitur de hac in Dissertatione Sexta, ut & de sequenti hac, quæ invenitur in Foro.



30 In Capella appellata Episcopi *Galeacii.*

Altare jam est; retro autem quadrati hujus Marmoris equus nudus insculptus visitur, dextrum vero atque sinistrum latus nec figuras nec literas habuit.




Diis Manibus Sexti Tettii, Sexti Liberti, Herme, sex viri, patroni Collegii Centonariorum, municipii Saffinatis. Torasia, Caji, Filia, Sabina Conjugi incomparabili & sibi viva posuit. Have Herme Homo bone.

Vide Quintam Dissertationem nostram.

[1] V. P.) Absunt duæ hæ literæ a *Grutero*, qui Inscriptionem profert pag. CCCCLXXIV·I.


In eadem Cathedrali, in pavimento olim prope Sacristiam.



Publius Potens Florentinus, Municeps Saffinas, contubernali bene de se meritæ.

Dicemus ad hoc Marmor quædam sequente Capitulo.

In pavimento marmoreo ante Chorum dictæ Cathedralis. 31



Diis Manibus Saffinatiæ Asiæ Lucius Saffinas Facultalis, conjugi sanctissimæ, & Chrysogonus filius, matri pientissimæ bonæ memoriæ.

Una cum aliis in sequenti exponitur Capitulo.

[2] P. POTES) Abest Inscriptio hæc a *Gruteriano* Opere.


[3] D. M. SASSINATIAE) De Gente hac Auctor agit sequenti Capitulo, pag. 9. Edit. Vet. Inscriptio autem hæc apud *Gruterum* non exstat, verum alia ejusdem Gentis, quæ ad Auctoris nostri oculos manusve non videtur venisse; est autem talis, pag. DCCCLXXXIX·9.

Sassina, in *Flaminia*, ad radices *Apennini*, in Palatio Episcopi, Ara Marmorea.

D. M.
SEX. SASSINATIS
GRATI
P. PETRONIVS
PROCVLVS. ET
SEX. TETTIVS. STEPHAN
HEREDES
HOMINI. ET. AMICO
OPTIMO

P. A. Sassinas.


In dicta adhuc Cathedrali, prope fontem S. Lavacri seu Baptismatis.



Diis manibus Mattienæ Myrallidis Quinctus Comeatro, Quincti Libertus, Exoratus, conjugi plus de se meritæ, quàm titulo scribi potuit.

Etiam hæc cum reliquis sequenti Capitulo materiam præbebit.

Olim erat etiam in Ecclesia Cathedrali, prope Altare Gloriosissimi Patris *S. Vicini*, in pavimento.



Ampliatæ. vixit anno uno, mensibus quatuor, diebus tribus, Tisufatia, Caji Liberta, Faventina, mater.

Hanc etiam sequenti Capitulo reposuimus.

1 D. M. MATTIENAE) Non exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum*, ut nec subsequentes sex, quibus Thesaurus iste augeri potest.

2 AMPLIATAE) Abest Inscriptio hæc a *Grutero*.


A In Muro Hortorum Dominorum Canonicorum *Sassinatium*. 32

T. VETVRIO. T. F
LONGO. EX
SEN. . . NS
DEC. . NES
MVNICIPES. QVE

B *Tito Veturio, Titi Filio, Longo, ex Senatus Consulto Decuriones, municipesque.*

Amplissime de hac agemus Dissertatione Septima.

Galbani in muro hæredum *Cecchii Tonetti*.



C *Diis manibus Variæ Victoriæ, conjugi sanctissimæ, castissimæ, & incomparabili, quæ vixit annis viginti sex . . .*

De hac etiam proximo agemus Capitulo.


D *Sassinæ*, supra portam domus, dotis nomine datæ *Ludovico Massæ*, cognato Auctoris.

T. TITIO. ADIVTOR.
ET
TITIAE. THAIDI
T. TITIVS. GEMELLVS
FECIT

E *Tito Titio Adjutori, & Titiæ Thaidi Titius Gemellus fecit.*

Hoc etiam Marmor perscrutamur Capitulo sequente.


In Molendino Dominorum Canonicorum *Sassinatium*. 33



F *Diis manibus Mutteiæ Lucii Filiæ Gusæ Lucius Sassinas Deuter, matri pientissimæ, & . . tumia . . . .*

In

In Muris Abbatiæ *Montalti* dictæ olim S. *Salvatoris da Sumano.*



A

B

C


Antellæ, Lucii filiæ, Priscæ, & Lucio Tasurcio, viro ejus, Antella Laduena, & Lucius Helvins Valens.



Aulo Fuficio. . . .
Aulus Fuficius . . .
Secundus. . . . . .

De hisce etiam consulendum Caput sequens.

Sorbani, Castro seu Castello, quod abest *Sassina* dimidium milliare, hoc exstat quadrum, quod ab altero latere urceum, ab altero pateram habet. 34



Deis Manibus Marcanæ, Caji filiæ, Veræ, Titus Cæsius Lysimachus, conjugi sanctissimæ, & sibi vivos posuit.
Ver tibi contribuat sua munera florea grata,
Et tibi grata comis nutet æstiva voluptas,
Reddat & Autumnus Bacchi tibi munera semper,
Ac leve hiberni tempus tellure dicetur.

Vide Dissertationem Quartam, ubi inter alias Inscriptiones Gentis *Cæsiæ* illustratur.

1. D. M. MARCANAE) Exstat nuda Inscriptio apud *Gruterum*, pag. DCCCIV. 5.

Sorbani item.


[1]

. . . . . .
BRIS
AVFIDIVS
VERVS
PATR· PIISSIM

. . . . . *bris Aufidius Verus Patri piissimo.*

Vide Caput sequens.

35 In littore Fluvii *Savii*, prope *Saſſinam*, ſequentia duo ſunt Marmora, inventa ante aliquot annos, in agro meo *da Pian di Bezzo.* Utrumque a lateribus urceum ſeu cantharum habet atque pateram, in ſummo vero nucem pineam.



Deis Manibus Lucii Vafrii Nicephori, Medico, Patrono Collegii Centonariorum Municipii Saſſinatis, Flavia Pieris, Marito optumo, & ſibi viva poſuit.

Conſule Caput ſequens.



Diis Manibus Caji Cæſi, Caji liberti, Chreſimi, Sexviri Auguſtalis, Patrono collegii Centonariorum Municipii Saſſinatis, Tingetana Liberta.

Vide Diſſertationem Quartam.

[1] BRIS AVFIDIVS) Non inveni apud *Gruterum*, ut nec pulcherrimas duas ſequentes.

36 *Romagnani*, in ædibus hæredum *Antonii Capelli.*

[2]

. . . .
. . . . P. DAT
. . . . ATEIS. ET
. . . . EO. MANV
. . . . ET. QVEI
. . . . SPVRCVM
. . . . . . SENT. SINGVLEIS
. . . . E. P. X. IN AGRVM. P. X
. . . NTEM SAPIS. ET. TITV
. . VPERIOREM. QVI. EST. IN
. . VNDI. FANGONIANI
. VS. LOCEIS. NEMO. HVMA
. ERIT. QVI. VOLET. SIBEI
. VOVS. MONVMENTVM. FA
CIET. IN. QVIBVS. LOCEIS. HV
MATI. ERVNT. EI. D. T. QVEI
. VMATV. SERIT. POSTEREIS
. . E. EIVS. MONVMENTVM
. . . I. LICEBIT

. . . .
. . . . *p. dat* . . . . *ateis, &*
. . . . *eo. manu.* . . . . . . *& quei*
. . . . *ſpurcum* . . eſſent *ſinguleis* in fronte *pedes decem, in agrum pedes decem inter-frontem Sapis, & titulum ſuperiorem, qui eſt in* finibus *fundi Fangoniani,* quibus *loceis nemo humatus erit qui volet ſibei vivous monumentum faciet, in quibus loceis humati erunt, ei dumtaxat, quei* humatus *erit poſtereis*que *ejus monumentum* ſequi *licebit.*

Inter Funebria a nobis Illuſtratur, Diſſertatione Sexta.


37 In Eccleſia Parochiali, *Romagnani*, milliare unum extra *Saſſinam.*

D · M
MVRCIAE
ATHENAIDIS
SASSINAS
SECVNDVS
CONIVGI
B. D. M


Diis manibus Murciæ Athenaidis Saſſinas Secundus, conjugi bene de ſe meritæ, vel, *bonæ dicavit memoriæ*, vel, *bonæ, dulcis memoriæ.*

Hel-

[2] . . . P. DAT) Fruſtra quoque Fragmentum hoc in *Grutero* quæſivi, nec inveniri ibidem puto. Abſunt quoque Inſcriptiones ſequentes tres.



Helvia Caji liberta Arbuscula annorum viginti trium.




C. Marcano Caji filio Pupinia.

Tres etiam hæ Inscriptiones ad sequens pertinent Capitulum.

A In Arce *Meldolæ*, inter alia, tria hæc inveniuntur Marmora, ex *Sassina* illuc advecta. 38


B



C

Deis Manibus Gigenniæ Verecundæ Collegium Centonariorum Municipii Sassinatis bonæ memoriæ.

D



E


Deis Manibus Marco Valerio Fausto Vetilia Euterpe Conjugi optumo.

Diis

F 1. D. M. GIGENNI) Producitur ex *Manutio*, eodem more ut hic, apud *Grut.* pag. DCCCLXXII. 14. verum ibidem pag. CCCCXVI. ipse lapis effigiatur, additurque in fine ex Codice *Smetii*:

HEV· MORS.
INVIDA.
. . . .
. . . .

2. D. M. M. VALERIO) Abest a *Grutero*.



Deis Manibus Lucii Destimii Epigoni Augustalis Collegium Centonariorum Municipii Sassinatis bonæ memoriæ.

---

1 DESTIMI) *Grut.* pag. CCCCII. 2. legit DESTINIO. Ad eundem *Destimium* seu *Destinium* ejusque filium spectat elegans Inscriptio apud *Gruterum*, a Nostro Auctore non animadversa, est autem pag. DCLXXX. 8. & talis.

In Arce *Meldunensi*, & *Sassina* eo translatum, in Tab. Marm.

FLORENTEM. SPECIEM. RAPVERE. NOVISSIMA. FATA

FORMA. RVDI. PVERVM. PRISCVM. AGNOMINE. QVONDAM

QVEM. GENITOR. CIVES. CVNCTI. FLEVERE PROPINQVI.


L. DESTINIVS EPIGONVS
PATER INFEL.

FIL. SVO DVLCISSIMO. INNOCENTISSIMO

Testaturque *Gruterus* habere se e MS. Codice *Smetii*.

A In Parochiali Ecclesia Nundinarum seu *Mercati Saracini*, dicto *di* S. *Damiano*. Inservit lavacro S. *Baptismatis*. 39

B



Deis Manibus Caji Sabinii Valeriani, vixit annis decem & septem, mensibus septem, diebus sexdecim, Sabinia Justina mater, & Sabinius Victorinus Avonculus.

Inter alia sequenti de hac Inscriptione Capitulo agitur.

C

Romæ, in *Triumphis Capitolinis* de Triumpho *Sassinate* hæc verba leguntur:

D. IVNIVS. D. F. D. N. PERA. COS
AN. CDLXXXVII. DE SASSI
NATIBVS. V. K. OCTOBR

D *Decimus Junius, Decimi filius, Decimi nepos, Pera Consul anno* 487. *de Sassinatibus. Quincto Calendas Octobris.*

N. FABIVS C. F. M. N. PICTOR
COS. AN. CDXXCVII. DE
SASSINATIBVS. III. NONAS. OCT


E *Numerius Fabius, Caji filius, Marci Nepos, Pictor, Consul, Anno* 487. *de Sassinatibus tertio nonas Octobris.*

---

2. D. M. C. SABINI) Non exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum*.

Fuit

40 Fuit olim in S. *Bartolo*, Ecclesia Urbis *Arimini*.



Cajo Galerio Caji Filio Aniensi Juliano Equiti Romano Quæstori, Duumviro, Curatori Sassinatium, Curatori Solonatium, Flamini, Patrono Coloniæ Augustæ Ariminensium, Advocato publico, Amantissimo Decurionum, Amantissimo Civium, Splendidissimus Ordo Ariminensium meritis fidei, bonitatis, innocentiæque ejus.

Consule Dissertationem Quintam, ut & Caput sequens.

---

1 C. GALERIO) Exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum* MXCV. 2. ut & *Josephum Malatestam Garuffium*. in *Lucernis Lapidariis Accensis*, Edit. nostræ, in Collectione hac pag. 12. A. B. ibi pro ANI. *Grut.* legit AN. *Garuff.* ANNIENSI. pro EQ. R. *Grut.* EQVITI. P. *Garuff.* EQVITI ROMANO. pro DVVMVIRO *Grut.* IIVIRO *Garuff.* DVMVIRO. Mox uterque SOLONATIVM pro SASSINATIVM. Mox uterque rursus ARIM. pro ARIMIN. omisere quoque illa, AMANTISSIMO DECVRION & pro BONITATIS habent BONITATI. Aversam partem a latere omittit *Gruterus*, alter vero legit MEGETI. MEGETI. . . .

41

CAPUT VI.

Quæ Sassinam Familiæ & Cives antiqui nobilitaverint.

In Civitate tam potente atque bellicosa, qualis *Sassina* nostra fuit, necessario credere debemus, omni, quo floruerit, tempore, maximum fuisse numerum ornatissimorum virorum atque immortalitate dignissimorum. Verum omnes illorum notitias tantum non penitus consumsit, quod cuncta mortalia absumere solet, edax vetustas. Remansere tamen, licet vixdum, nomina quorundam, quos quidem, paucos illos præ tanto quondam numero, Marmoribus istis Antiquis, quæ præcedente Capitulo retuli, debemus.

Æquum itaque judicavi, ad singulas illas Inscriptiones, & nomina magnorum istorum homi-

A num, brevem dare explicationem, ita tamen, ut insigniores ex iisdem reservem reponendos in loco honoratiore, suisque Dissertationibus, quæ erunt de *Poëta Plauto*, de Familia *Appea*, de *Cæsia*, de *Tettia*, de *Bœbia*, una cum *Cetrania*, *Veturia*, *Destimia*, *Valeria* atque *Gigennia*.

Verum, antequam ad illos pergam, liceat mihi differere de viginti istis *Sassinatium* atque *Umbrorum* millibus, qui postquam aliquamdiu a *Bojis* patriam defendissent, contra *Hannibalem Carthaginensem* ducti, temeritate *Varronis*, Consulis *Romani*, ceciderunt ad *Cannas*, una cum Duce suo B *Pisone*, prout fides illorum laudatur a *Silio Italico*, cui Poëtæ, ut haud fabuloso, credere decet.

Sassina igitur victa atque detriumphata a *Romanis*, coacta fuit, pro reliquorum populorum more, ubi usus & res postularet, certam militum manum *Romanis* adducere. Factum id, ut

A minus necesse, non legimus Bello *Punico* Primo, quod non longe post Triumphum de *Sassinatibus* secutum fuit. At vero usus illorum fuit bello *Gallico*, quod non longe ab Urbe, in *Tribu Sapinia*, contra *Bojos* fuit gestum. Hi enim una cum *Insubribus* tenentes *Galliam Cisalpinam*, haud contenti tam fertili agro, veritique ne quandoque accrescens *Romanorum* potentia damnosa sibi esset, prout vicini illorum *Senones* erant experti, sumta audacia ipsam *Romam* opprimendi, ex *Gallia*
42 *Transalpina* acciverunt Reges *Aneroestum* & *Congolitanum*, cum validissimo exercitu, transmissisque *Alpibus*, recta *Romam* versus perrexerunt, ferro atque flammis late omnia vastantes, victo-
B que jam præsidio eorundem in *Hetruria*, perfecissent forsitan cogitata, nisi cum exercitu *Æmylius*, Consul *Romanus*, anno U. C. DXXVIII. illos recedentes animose a tergo fuisset adortus, *Atilius* vero, collega ejus, cum exercitu suo occurrisset ab alia parte, circa *Telamonem*, Promontorium *Hetruriæ*, quo pacto inter duos Consules atque exercitus inclusi *Galli*, amissis cum ipsis Regibus quinquaginta militum millibus, debellati sunt, post quod prælium, avectis ex *Bojorum* agris ingentibus prædis, prospere finitum idem bellum fuit.

C Sequentibus annis omnem armorum vim converterunt *Romani* in *Insubres* aliosque *Gallos Cisalpinos*, neque ante cessaverunt, quam occupata tota illorum terra, anno U. C. DXXXI. triumphans de *Gallis* Consul *Marcellus* spolia opima retulerit, Duce ex hostibus *Virdomaro*, sua manu cæso *Chiesteggii*, quod tum temporis *Clastidium* appellabatur. Hoc in bello præsto *Romanis* fuere *Sassinates*, qui una cum *Umbris*, collecta viginti millium manu, ut primum intellexerunt *Appenninum* transiisse *Gallos*, jussi juga *Appennini* occupare, multum incommodi excursionibus suis *Bojorum* agris intulerunt. Per idem tempus ubi *Hannibal* in *Italiam* advenisset, finito bello *Galli-*
D *co*, una cum aliis, ut Antiqui appellabant *sociis* (nos *collegati* diceremus, ejus autem *Latini* vocabuli explicationem uberiorem alibi dabimus) convenere ad defendendam *Italiam* a *Pœnorum* aggressione. *Polybius* autem, Auctor antiquissimus & gravissimus, Libro II. Cap. XXIV. loco sæpius citato, grandem istum numerum *Sassinatium* nostrorum, aliorumque, qui pro *Romanis* stabant, recensens, admiratur haud leviter, quomodo *Hannibal* cum tam parva militum manu tantos aggredi ausus fuerit exercitus, seque summæ illi *Romanorum* opponere potentiæ, ita ut ad extremum discrimen res illorum adduxerit.

E Non supersunt autem nobis peculiares res gestæ *Sassinatium* nostrorum in hoc bello, usque ad memorabilem illam stragem *Cannensem*, in qua narrat *Silius Italicus* una cum *Umbris* pugnasse
43 *Sassinates* sub Duce illorum *Pisone*; in quo prælio omnes affirmant Auctores majorem *Romanis* quidem numerum fuisse militum, quam in ullo alio; unde canit *Silius* ille Libro VIII. vers. 354.

Non alias majore virum, majore sub armis
Agmine cornipedum concussa est Itala tellus.

Idem, quod *Polybius* dicit Libro II. Cap. XXIV. viginti millia ex *Umbris* atque *Sassinatibus* venisse,
F melius adhuc & clarius exponit in catalogo Populorum istorum, qui isti prælio interfuerunt hisce versibus, qui incipiunt vers. 448.

Sed non ruricolæ firmarunt robore castra
Deteriore, cavis venientes montibus, Umbri.
Hos Æsis, Sapisque lavant, rapidusque sonanti
Vertice contorquens undas per saxa Metaurus;
Et lavat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum; Narque albescentibus undis
In Tibrim properans, Tiniæque inglorius humor,
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Senæ:
Sed Pater ingenti medius illabitur amne
Albula, & immota perstringit mœnia ripa.

Subjungit dein *Umbrorum* Urbes vers. 458.

His Urbes Arna, & latis Mevania pratis,
Hispellum, & duro monti per saxa recumbens
Narnia, & infestum nebulis humentibus olim
Inginum, patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia.

Post Urbes autem sequuntur Populi vers. 462.

—— *His Populi fortes Amerinus, & armis,*
Et rastris laudande Camers, his Sassina dives
Lactis, & haud parci Martem coluisse Tudertes.

Nominat ibidem Ducem illorum *Pisonem*, cui ut & copiis suis, haud exiguam tribuit laudem 44
vers. 465.

Ductor Piso Viros spernaces Mortis agebat
Ore puer, puerique habitu, sed corde sagaci
Æquabat Genium, atque astu superaverat annos:
Is primam ante aciem pictis radiabat in armis
Arsacidum, ut fulvo micat ignea gemma monili.

Necesse autem est, in illorum numero, qui ad *Cannas* contra *Hannibalem* præliati sunt, quos ultra LXXXVII. volunt fuisse millia, magnam ex nostris fuisse partem, qui jam ante etiam contra *Gallos* militaverant. In dispositione autem exercitus Consularis, quum prælium jam jam esset ineundum, equites *Romani* collocati sunt in dextro cornu, prope ripam Fluvii *Vulturni*, dataque illorum cura est *Æmylio Paullo* Consuli, post illos autem pedites; Equites vero Sociorum, sub cura *Terentii Varronis*, in sinistro cornu positi fuerunt; ante omnes denique mediam tenuerunt aciem levis armaturæ milites, quibus præfecti sunt superioris anni Consules, & in primis *Servilius*. Inter hosce autem dicit *Silius* stetisse *Pisonem* cum *Sassinatibus* atque *Umbris*. Ab hostium parte *Paullo* Consuli & equitibus *Romanis* oppositi fuerunt equites *Galli* atque *Hispani*, præposito *Hasdrubale*, in cornu illorum sinistro; pedestris autem acies in medio sequebatur, inter gravem *Afrorum* armaturam. Equites *Numidæ* dextrum tenebant cornu, sub ductu *Hannonis*, seu, ut alii volunt, *Maherbalis*; Mediam denique nostrisque oppositam aciem ipse tenebat *Hannibal*, quum animadverteret peditatu superiores esse *Romanos*. Neque *Hannibalem* provida fefellit cura, majorem ibi belli molem fore, namque inclinati, superiore hostili cornu læso, equites *Romani*, hinc pedite, illinc flumine obsistente, frustra spectabant auxilium, canente *Silio*, Libro IX. vs. 271.

At campi in medio (namque hac in parte videbat
Stare ducem Libyæ) Servilius obvia adire
Arma, & Picentes, Umbrosque inferre jubetur.

Unde tam atrox ortum fuit prælium, ut pergat hoc modo Poëta vers. 322.

— — — *& jam galea horrida flictu*
Adversæ ardescit galeæ, clypeusque fatiscit
Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense,
Pes pede, virque viro teritur; tellusque videri
Sanguine operta nequit, cœlumque, & sidera pendens
Abstulit ingestis nox densa sub æthere telis.

Tanto quoque ardore tantaque animorum vi præ- 45
lium iniere nostri, ut ipse *Hannibal* una cum *Gallis* atque *Hispanis* loco cedere coactus fuerit, non ante cessantibus insequi nostris, quam ubi succedente peditum *Afrorum* turma, fessis jam cum integris novum certamen ineundum fuit. Tunc etiam pari utrimque fortuna pepulissent hostem, nisi redingratis ordinibus *Galli* atque *Hispani*, in geminum cornu diductis copiis, nostros circumvenissent, atque ita inclusos ursissent vehementissime, & licet haud pauci ex suo caderent numero, ingentem stragem edidissent. Cecidere ibi inter alios Consul ipse *Paullus*, *Servilius* etiam atque *Atilius*, tantaque cædes inter *Romanos* edita est, quum præter hostem, & ventus & sol adversi

versi & fluvius permerent, ut ex illis atque eorundem sociis ceciderint plus quam quinquaginta hominum millia, reliquisque captis, vix tria peditum millia cum centum non amplius evaserint equitibus.

In tanta strage tamque memorabili a nostris edita pugna, licet apud hostem fuerit victoria, insignem tamen virtutem & æternitate dignissimam laudem *Pisonis* nostri commemorat *Silius*; narrat enim, quomodo vulneribus telisque obrutus, & tantum non sepultus sub iisdem ac semimortuus, viso *Hannibale* exsultante victoria, & calcante pedibus equi sui cæsa *Italorum* corpora, vi animi adhuc residua connixus in hastam suam equi ejusdem ilia suffoderit, inque ipsum *Hannibalem* equo excussum subito irruerit, verum ab illo fuerit præventus, qui rapide collecto corpore ab ictibus integro, fessum tot vulneribus atque ægrum obtruncaverit, miratus ejus animum quod vel jam mortuus bellum ipsi faceret. *Silii* carmen Lib. X. vs. 251. hoc est:

Tum vero incubuit Libyes super ipse citato
Ductor equo, qua flatus agit, qua pervius ensis,
Qua sonipes, qua belligero fera bellua dente.
Obrutus hic telis ferri per corpora PISO
Rectorem ut vidit Lybiæ, connixus in hastam
Ilia cornipedis subjecta cuspide transit:
46 *Cui Pœnus, propere collecto corpore, quamquam*
Cernuus inflexo sonipes effuderat armo,
Umbræne Ausoniæ rediviva in bella retractant
Post obitum dextras, nec in ipsa morte quiescunt?
Sic ait, atque ægrum cœptanti attollere corpus
Arduus insurgens totum permiscuit ensem.

Tam vero luctuosa fortissimi hujus *Pisonis* mors *Romanis* accidit reliquis, qui *Canusium* profugerant, tamque damnosa est habita, ut inter primos illorum qui ceciderant Duces, vehementissime defleverint. Ita enim canit idem *Silius* libro eodem vs. 404.

Interdum mœsto socios clamore requirunt.
Hic Galba, hic PISO, & letho non dignus inerti
Curio defletur, gravis illic Scævola bello:
Hos passim; at Paulli pariter ceu dira parentis
Fata gemunt.

Verum pergamus jam ad illos, quorum memoria in nostris servatur Marmoribus, quique floruerunt, antequam discussis tenebris, & pulso Idolorum cultu, *Christiana* fides melioris lucis radios in hisce terris sparsit, ita ut relicta superstitione ad veram religionem transierint; quique pertinent ad primum ævum & dimidiam secundi partem post Natum Servatorem, vel antiquiora aliquantum tempora.

Memoratur itaque hic *Lucius Vafrius Nicephorus*, Medicus, Patronus (*Protettore* nos diceremus) Collegii Centonariorum Municipii *Sassinatis*, id enim denotant literæ ejus sepulchrales C. C. M. S. Uxorem habuit *Flaviam Pieridem*, quæ marito suo defuncto nobile hoc Monumentum excitavit ex marmore albo, adscripto Epitaphio. Forma est quadrata, specie aræ antiquæ, & in summitate ejus nux est pinea, pariter ex marmore. Repertum fuit hoc Marmor in agro meo, dicto *Pian di Bezzo*, non longe extra Urbem *Sassinam*, ad ripam *Savii*, ubi sepeliri solebant olim nobiliores *Sassinates*. Rapido Fluminis impetu detectum fuit anno MDXCII. translatumque fuit, ubi nunc visitur, ad illum locum Fluminis ab altera parte. Quoniam vero non adest seu Patris, seu Patroni nomen, cognomen vero istius *Nicephori* externum sit, cogitavi quandoque ex *Græcia* forte hunc *Nicephorum* huc habitatum
47 venisse, ut artem suam ostenderet, quæ temporibus Imperatorum in pretio haberi cœpit, præsertim post *Cæsarem* Dictatorem, qui, ut pensaret numerum octoginta millium Civium *Romanorum*,

A deductorum in varias Colonias transmarinas, liberaliter Civitate *Romana* donavit omnes Medicos atque alios Liberalium Artium Magistros, prout in *Vita* ejus annotat *Suetonius* Cap. XLII. Unde factum est, ut posterioribus temporibus Medici, qui pristinis illis non valde erant nobiles, in tantum venerint honorem, ut, præter jus Civitatis *Romanæ*, annuam nacti fuerint pensionem, quandoque usque ad scutatorum septem mille & quingentos; quidam etiam inventi fuerint, qui pro exiguo duxerint annuam pensionem quindecim millium scutatorum, prout quosdam commemorat *Plinius* Libro XXIX. Capitulo I. *Historiæ Naturalis.*

B *Sassinæ* autem Civitatem *Romanam* acquirere potuit hic *Nicephorus*, atque inde assumere nomen atque prænomen alicujus Civis, qui ipsi illam procuraverat, ut per *applicationem* istis temporibus facere solebant, prout docet *Cicero* in Libro *de Oratore*, qui dicit ibi, id fieri solitum, *quando aliquis peregrinus se ad aliquem quasi Patronum applicabat*, quale factum legitur apud eundem, *Verrina III.* de *Græco* homine *Cajo Sulpitio Olympo*, qui in Civium *Romanorum* ordinem allectus erat per *Cajum Sulpitium* Sacerdotem, *Siciliæ* Prætorem; ut & in I. *Commentariorum Caji Cæsaris*
C quidam *Gajus Valerius Caberna* civis factus legitur per *Valerium Flaccum*, in *Ciceronis Epistolis Familiaribus* Civitatem a *Cæsare* narratur obtinuisse *Dolabellæ* favore *Publius* quidem *Cornelius Mega*, qui propterea & *Cornelii* nomen, & prænomen *Publii* a *Dolabella* sit mutuatus. Ut autem liberti obligati erant Patronis suis dimidiam bonorum suorum partem ex testamento relinquere, ita hic sextam reliquit, prout docet *Hadrianus Turnebus* Lib. XXIX. Cap. XXXII. *Adversariorum* suorum, & confirmat *Ciceronis* idem auctoritate ex *Verrina* modo adducta.

Familia, seu ut magis proprie loquamur, Gens
D *Flavia*, ex qua *Pieris* fuit, *Nicephori* hujus uxor, nobilissima fuit, atque facta Domus Imperialis, postquam progenuit *Vespasianum*, *Titum*, atque *Domitianum*. Patrem *Titi Flavii Petronii*, qui *Reate* habitabat, ex narratione quorundam *Suetonius* Cap. I. ait fuisse *mancipem operarum*, *quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solerent*, unde apparet Gentem hanc 48
originem & commercium habuisse cum regionibus hisce *Adriatico* Mari vicinis: *Constantinus* etiam *Magnus*, *Theodosius*, *Justinianus*, multique alii Imperatores, ut & Reges *Gothorum*, a *Flaviis* sese oriundos, saltem nomine *Flavii* æquari iisdem voluerunt.
E Et forsan ipsa *Pieris*, peregrina æque ut maritus, prout ex cognomine apparere videtur, nomen illud assumsit *Romanum*, a familia quadam nostra, quæ hodie in aliis Marmoribus non apparet.

In Marmore hoc *Nicephori* insculpitur urceolus seu cantharus ab altera parte, vasculum altum, ansatum, ore non admodum lato, ut fere nunc ex argento aliave materia fieri solent vasa illa, ex quibus aqua manualis superfundi solet, cujus figuram superius in Marmore ipso contemplari licet. *Præfericulum* appellat *Choulius* in Libro suo de *Religione Veterum Romanorum*, ex *Festi* auctoritate, qui dicit: *Præfericulum, vas æneum,*
F *sine ansa, patens summum, velut pelvis, quo ad sacrificia utebantur.* Ab altera vero parte, quæ ad sinistram est, patera, seu lanx non admodum grandis apparet, ex illarum genere quibus uti solebant in Sacrificiis, ut vinum, lac, aliumve liquorem altari infunderent, pro vanæ istius Religionis more. Pinea nux, quæ ad imitationem forte *Scipionis* Monumenti adhibita fuit, ablata inde alio commigravit. Quod si fides recentioribus quibusdam adhibenda sit, flammæ symbolum apud Veteres Pinea nux fuit, animique significavit immortalitatem

tem, unde legitur in ipsa Inscriptione conceptus titulus *Diis Manibus* L. VAFRI NICEPHORI MEDICO; quæ quidem constructio secum videtur pugnare, sed tamen non sine mysterio est, & satis usitata apud Antiquos, qui Animis sub *Manium* titulo honorem immortalitatis habebant, dativo casu, genitivum tamen in ipso adhibebant nomine, prout & videmus in *Torasia* nostra *Sassinate* in *Hermete* suo, & *Exorato*, in conjuge *Mattiena Myrallide*, multisque aliis Monumentis, quasi alluderent ad *Ciceronis* illud: *Te habeto non esse mortalem, sed corpus hoc; nec enim es quem forma ista declarat; sed Mens cujusque is est quisque; non ea figura, quæ demonstrari potest.* ita enim loquitur in *Somnio Scipionis*, de *Centonariis* autem similibusque Collegiis eorumque Patronis alibi dicendi erit locus.

49 *Sassinatia* etiam *Sassina* oriunda nobilis fuit Familia, nomen a Civitate & Patria sua adepta, forte quoniam majores publici fuerint liberti, seu peregre advenientes, ibique domum figentes, ab hac velut Patria nominari voluerint, non aliter, quam *Demaratus Corinthius*, postquam *Tarquiniis* habitavit, Genti *Tarquiniæ* nomen inde nasci voluit, quæ dein ad tanta rerum incrementa *Romæ* pervenit. Ita a Patria *Sentino* nomen accepit satis nobilis Familia *Sentinatia*, cujus memoria exstat in Marmore ab *Aldo Manutio* descripto in explicatione H. A. I. R. inter *Notas Antiquas*. Inscriptio autem hæc est: L. SENTINATI. L. F. LEM. VERO. IIII. VIR. QVINQ. IVR. DIC. ORDO. ET. PLEBS. SENTI. H. A. I. R. Neque mea hæc est opinio primumve inventum a Patria nomen mutatuatos quosdam, longe jam enim ante *Varro* affirmavit, Libro VIII. *Alii nomen habent ab Oppidis, alii autem non habent, aut non, ut debent, habent; habent plerique Libertini a Municipio manumissi.*

Hujus Gentis fuit *Lucius Sassinas Deuter*, cujus mentio exstat in lapide mutilo, qui in Molendina est, quam Canonici nostri habent ad Flumen *Savium* prope *Sassinam*. Epitaphium hic posuit in memoriam *Muttejæ Gusæ*, filiæ *Lucii Muttei*, matris pientissimæ, id enim indicant literæ M. P. quæ ibidem exstant.

Sassinas Secundus pariter ex eadem fuit Gente, & sculpi in Marmore curavit memoriam *Murciæ Athenaidis*, uxoris suæ, quæ hodie legitur in muris Ecclesiæ (cujus superius fecimus mentionem) Gloriosæ Virginis *di Romagnano*. Literæ autem illæ B. D. M. interpretari possunt *Bene de se meritæ*, vel, *Bonæ dicavit memoriæ*, *Bene dedit merenti*, aut simile quid.

Lucius Sassinas Facultalis maritus fuit *Sassinatiæ Asiæ*, sicut ejusdem fuit filius *Sassinas Chrysogonus*, ex eadem cum prioribus Gente. Epitaphium ejus servatur in Ecclesia Cathedrali *Sassinæ*, in pulcherrimo isto pavimento marmoreo, quod ibi est ante superiorem Cathedram, ex quo apparent & notari debent varii illi tituli, qui
50 matronis a filiis atque maritis dari solebant. *Facultalem* enim maritus appellat *Sanctissimam*, prout & affectum suum erga *Cetraniam Severinam* testatus est *Bœbius*, & *Lysimachus* erga *Marcanam*, uxores suas. *Incomparabiles* suas alii, alii *benemeritas* dixerunt. Filii autem, matres *pientissimas*, patres *piissimos* dixerunt. Patrem vero *Sextum Afidium Nepotem* filius *Cajus Afidius* simpliciter modo *suum* appellat.

Notari etiam debet, qua forma matronarum *Sassinæ* olim extulerint appellationem, *Sassinatia Sassinatiæ* enim dicebatur, quæ a nobis forsan Latine *Sassinas Sassinatis* diceretur, prout virorum nomenclatio est, unde apparet legi apud *Plautum* loco citato debere:

Sassinatia ecqua est, si Umbram non habes?

Nec alio modo *Ravennæ*, *Cesenæ*, *Tiferni*, *Osi-*
A *mi* similium Civitatum nomina matronarum patronymica, nisi contrarium quis memet doceat.

Helvia Arbuscula, liberta *Gaji Helvii*, Marmor suum habet prope eandem Ecclesiam *di Romagnano*, est illud ipsum crassum satis atque magnum, verum, in parte superiore, ornamento parva quædam labes & diffractio, prout cerni potest, accessit, atque ibi fuere forsan solitæ illæ literæ D. M. id est, *Diis Manibus*, quæ passim indicant, in memoriam defuncti & sepulturæ occasione Marmora hæc facta esse. Infra Inscriptionem vero, quam forsan ipsa sculpi jussit XXIII. annos agens, clausa apparet porta, quam ego quo
B referenda sit nescio, nisi ad mortem, post illam enim clausum retro aditum omnino opinabantur Veteres, ignari prorsus beatæ, quam nos credimus & speramus, resurrectionis mortuorum; & hinc alludens ad illa Poëtæ Æneid. VI. vers. 127.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
Sed revocare gradum superasque evadere in auras,
Hoc opus, hic labor est.

irritam retro viam docens *Helvia*, clausas sculpi curavit januas; nisi forte magis placet ab illa viva adhuc exstructum hoc Monumentum, optante adhuc aliquot annos in superum luce versari, clausamque ideo fecisse portam, quasi nondum adhuc sibi
C sepulcri sui pateret maneretque clausa *Ditis* janua.

Nam certe Veterum sepulchra januas suas ha- 51
buisse, quæ aperiebantur inferendo novo funeri, satis nota res est. Satis id docet *Pedo Albinovanus* in *Consolatione Liviæ*, quam *Ovidio* nonnulli assignant, vers. 88.

Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro,
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est,
Perficit officium funeris ecce soror.

Pergit dein vers. 73.

Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra;
Claudite; plus justo jam domus ista patet.

Cleopatra etiam, ultima *Ægypti* Regina, victa
D una cum M. Antonio, a *Cæsare Octaviano*, prout narrat *Dio* Libro LI. cum Eunucho & duabus ancillis Monumento sese inclusit, cujus, ut ibidem pergit *Dio*, portæ semel clausæ, nulla rursus arte aperiri poterant.

Quando etiam ante aliquot annos in agro meo *di Pian di Bezzo* paullum extra *Sassinam*, inveniretur Monumentum *Gaji Cæsii Cresimi*, ibidem sub duabus tabulis marmoreis, quæ pro basi inserviebant Marmori, in quo Inscriptio exstabat, de qua uberius agemus in Dissertatione Quarta, quadrum quoddam erat excavatum, seu ædicula undique muris septa, duos pedes cum dimidio alta
E atque longa, lata vero tres circiter pedes, ad hanc patebat aditus apertis basibus istis Inscriptionis istius. Advertebam vero introspiciens per porticellam quandam, contineri intus cineres, carbones atque ossa, quæ sine dubio istius fuere *Cæsii*, & forsan etiam aliorum ex Familia sua; quæ quidem dicenda putabam super ritum illum de Portis Antiquorum Sepulcrorum, de quibus alias uberius acturi sumus; nunc iter institutum pergamus.

Antella Prisca, filia *Lucii Antelli*, uxor fuit *Lucii Tasurcii*, morientes ambo curam habere Monumenti sui jusserunt *Antellam Laduenam* & *Lucium Helvium Valentem*, qui fecere idem ex
F Marmore pulcherrimo, in quo super ipsam Inscriptionem in lateribus duos sculpi curaverunt leones, in summo autem mediove, caput quoddam, tanquam *Medusæ*, inferius vero duos arietes & arborem exstinctam sine frondibus; quæ
cuncta ornamenta variis de causis veteribus Mo- 52
numentis affixa sæpius videmus. Leones enim adhibuerunt, ut animal intrepidæ fortitudinis atque vigilantiæ, & tanquam custodem Templorum Ædificiorumque veterum nobiliorum, quare & hodie-

dieque idem passim in superbioribus structuris observatur. Ita enim sæpius ad Ecclesias majores videmus sculptos leones ex marmore aliove duro lapide, ita ut singula latera habeant unum, qui columnæ velut basis inserviat, & introitus sit ornamentum quoddam, vel medio tenus inserti tanquam muris portarum conspiciuntur, quasi innuentes majestatem loci, quem non omnibus adire liceat. Pariter olim in Monumentis sepulcralibus sculpti visuntur ad deterrendis illos, qui ausi fuerunt vexare vel violare locum. *Medusæ* capitis eadem erat ratio, quod & præterea symbolum erat mortis, quoniam viso isto capite (ut narrant fabulæ) saxei reddebantur spectatores, non aliter quam frigere mortui solent homines, & lapidea mole sepulti operiri. Agni illi duo seu arietes, vel denotant, mactanda hæc ad sepulti Monumentum animalia (prout *Jacobonius* ad *Cæsiorum* Monumenta annotat) vel fabulosum illum respiciunt *Jovem Ammonem*, qui hoc animali designari solebat, & sæpius humana facie, capite vero cornubus ornato arietis, depingi. Quare autem *Jovem* hunc in Sepulcralibus Monumentis expresserint Veteres, hanc rationem dat idem *Jacobonius*, quoniam *Deus Soter* seu *Salutaris* olim appellaretur, & *Ammonis* voce inter Salutationes uterentur. Sæpissime vero in Sepulcris tales occurrunt salutationes, ut in Marmore *Tettii Hermæ* nostri, ubi hæc verba scripsit uxor, HAVE. HERME. HOMO. BONE. Arbor extincta & ipsa mortem significat, quæ cuncta vitali spiritu privare solet.

Verum hæc omnia recentiorum sunt inventa, & dicere forsan præstat pro ingenio atque lubitu sculptorum, eorumve, qui posuerunt, varias adhibitas fuisse imagines, tanta enim illorum observatur varietas, ut ad singulas interpretandas
53 altero *Pierio* cum *Hieroglyphicis* suis opus sit.

Fuit & moris veterum, arma defuncti atque insignia Monumento insculpere, ut & fabrilia quandoque & similia operarum instrumenta, sive vitæ rationem exprimentia; quo pacto tuba in sepulcro tubicinis, tibia tibicenis, secures atque fasces in illo lictoris exprimuntur, prout *Romæ* videri potest. Ita jam olim, apud *Virgilium*, *Miseno* sepulto *Æneas* Lib. Æn. VI. vers 233.

— — — — ingenti mole sepulcrum
Imposuit, suaque arma viro, remumque tubamque.

Atque ita quædam ex hisce figuris studium etiam mortui denotare potuit.

Antella Familia non modo olim fuit nobilis, sed & hodie talis exstat apud *Florentinos*, dicta ita a loco quodam extra mœnia, unde forsan antiquæ isti Genti nomen est. Marmor vero nostrum cernitur in muris Ecclesiæ, quæ vocatur Abbatia S. *Salvatoris di Mont'Alto*, milliare unum *Sassina* distans. Quam quoniam majores semper nuncuparunt Abbatiam S. *Salvatoris da Summano*, prout & ex bene multis vetustis Instrumentis apparet, *Summanum* autem Gentiles *Plutonem* vocaverint, qui velut *Summus* est *Manium*, unde & *Plautus* suum *Summanare*, pro devorare format, & quoniam præterea hæc Abbatia in profunda admodum est valle, subvenit mihi, potuisse olim hunc locum *Plutoni* dedicari, ubi autem invaluit purior Religio, meliori usui addici, prout sæpissime olim est factum in Basilicis & Templis antiquis Idolorum cultui dedicatis.

Eodem in loco Inscriptio est, quam *Aulus Fuficius Secundus* alteri fecit *Aulo Fuficio*, cujus sculpta humeris tenus visitur ibidem imago inberbis & sine cæsarie, capite nudo. Hinc Monumentum hoc ad prima Imperatorum tempora pertinere existimo, prout forsan alibi latius dicemus.

Gens antiqua *Fuficiorum* occurrit in Marmoribus *Assisianis* apud *Manutium* in *Orthographia*, in

A voce *Fuficius.* Fuere olim etiam *Arimini* multa Marmora reperta, prope Portam S. *Andreæ*, quorum, ut & ejusdem Civitatis aliorum, copiam mihi fecit Illustr. Dominus *Joannes Malatesta da Sogliano*, cum multis aliis Antiquitatibus, inter quæ inter alia sunt duo hæc:

FVFICIAE. Q F.
TERPNAE. Q. FVFICI. PRISCI. II. VIR 45
AVGVRIS. VXORI. L. D. D. D.
&
Q. FVFICIO
Q. F. PAL. AVG. II. VIR. L. D. D. D.

B *Gajus Sabinius Valerianus*, filius *Sabinæ Justinæ*, & nepos *Sabini Victorini*, juvenis est mortuus post *Antonini Pii* tempora; in Parochiali enim S. *Damiani* Marmor ejus est in arcæ figuram sepulcralis, quæ hodie pro S. Baptismatis est Lavacro, oportuit autem, ut *Sabinius* ille, non crematus, in illo Marmore olim sepultus fuerit, prout jam solebat illis seculis fieri. Operculum vero ejusdem, pariter marmoreum, asserunt esse in eadem Ecclesia mensam illam, quæ in vicino est altari.

C Hujus Parochialis Ecclesiæ, quæ valde antiqua, & prima hujus est Diœceseos, & olim (quod de nulla alia hujus Diœceseos, Cathedrali excepta, legitur) Collegiata fuit quatuor Canonicorum; Archipresbyter nunc est Dominus *Nicolaus Glanderinus*, Protonotarius Apostolicus, cognatus meus, ex *Mercato Saracino*, loco hujus Parochialis Ecclesiæ Parochiæ satis celebri propter mercatorum frequentiam, ut quasi portus sit locorum horum montanorum. Conditorem locus hic habet *Saracenum Albericum de' gl' Honesti*, possessorem ejus, circa annum Domini MCC. atque ab illo nomen suum accepit, prout uberius in Annalibus nostris demonstrabimus. Illa quidem, quæ

D nunc diximus, sufficient ad demonstrandum *Mercatum Saracenum*, non ita a *Saracenis* ut vulgus putat atque *Mauris*, unde & *Maurum* seu *Æthiopem* pro insigni incolæ habent, dictum, verum a Domino quondam suo & possessore *Saraceno Alberico de' gl' Honesti.* Locus autem hic, qui dicitur *Mercato Saracino* a nobis, una cum aliis octo novemve subjectis castellis (ibi enim Commissarius ita dictus, *delle terre del Podere*, residet) sub ditione jam est Illustrissimi Domini Cardinalis *Aldobrandini*, utpote pertinens ad rationes Ecclesiæ Metropolitanæ *Ravennatis*, fuitque illa jurisdictio jam ducentis abhinc plus annis sub tutela ejusdem Illustrissimæ Familiæ.

E *Aufidius Verus* patri suo Marmoream fecit Inscriptionem, quæ quondam conspiciebatur *Sorbani*, loco prope *Sassinas*, nec longius inde distans dimidio milliaris. Ablatum autem ab aliquo inde reor, jam enim ab multis retro annis frustra, 55
in quo quondam videram loco, quæsivi. Habetur in illa vox *Piissimus*, quæ tantopere a *Cicerone* exagitata fuit, postquam usus illa fuisset inimicus ejus *Marcus Antonius*; sola autem inter Marmora nostra in hac apparet Inscriptione, quum *pientissimus* seu *pientissima* sæpius in illis occurrat. Ex nobilissima olim Gente hic *Aufidius* fuit, satis

F celebri apud Antiquos, & cujus præcipue mentionem facit *Cicero* in Libris Philosophicis; magis adhuc ex *Veri* cognomine, quod acceptum nonnulli deferunt Familiæ *Hetruscæ* nobilissimæ, *Veræ* etiam dictæ, ex qua nasci gloriæ fuit atque laudi *Marco Aurelio* Imperatori, prout Auctores Veteres tradunt.

Fuit & *Sassinæ* præter Gentem *Aufidiam* Familia etiam *Marcana*, cum eodem *Veri* cognomine, ex qua fuit *Marcana Vera*, uxor *Cæsii Lysimachi*, cui pulcherrimum istud Marmor erexit maritus,

 de

de quo dicturi sumus in *Cæsiis*, quodque superius a nobis est allatum. A

Noscebatur & in Urbe nostra *Gajus Marcanus*, pater forsan, aut frater *Marcanæ* istius. Marmor ejus diruptum atque lacerum conspicitur prope sæpius laudatam Ecclesiam *Romagnani*, noscitur autem, testante Inscriptione, fuisse ex Tribu *Pupinia*, atque adeo nobilissima, verum reliqua honorum pars cum ipsa illa Marmoris inferiore periit. *Marcanæ* autem istud laudatum modo Monumentum *Sorbani* conspicitur, loco, ut diximus, valde prope *Sassinam*. Dicitur *Margana* hodie *Romæ* familia esse admodum antiqua & nobilis, quæ forsan originem hisce *Marcanis* debet. B

Tisusatia Faventina parum absfuit, quin idem experta fuisset fatum cum *Aufidio Vero*, ablata enim ex pavimento Cathedralis *Sassinatis*, ut alii lapides magis idonei reponerentur, tempore isto, quo ornamentum factum est Gloriosi Patris S. *Vicinii*, projecta jacuit in via *Cesenam* versus, cum aliis lapidibus non inscriptis. Conspicatus ego forsan, quod tunc Vicarius essem Generalis Domini *Angeli Peruzzi*, b. m. & Episcopi tunc *Sassinatis*, meique Domini, tolli inde imperavi & reportari, cum præcepto *de non discedendo*, locum autem illi assignavi Archivium Episcopatus, ubi nescio, an jam amplius existat, an non; quoniam confinium ibi diruerunt; ex Familia parum celebri fuit, nominari tamen, non vero præteriri debuit. C

56 *Publius Potens Florentinus* Municeps *Sassinas*, qui Contubernali suo sepulcrum fecit, in cujus inscriptione laudat ejus erga se benevolentiam, cognoscebatur in pavimento Ecclesiæ Cathedralis prope Sacristiam, constans tota ex fragminibus marmoreis diruptis, quæ quantum fieri potuit, conservandæ memoria veteris gratia, conjuncta rursus fuerant, verum præteritis annis, quum instaurarent pavimentum, ablata inde hæc fragmina, & nemine colligente disjecta atque dissipata fuerunt, ita ut jam amplius non exstent; bene vero factum, quod ante illud fatum descripta illorum a me fuerit memoria. *Contubernalis* titulo veniebat pellex, seu mulier, quæ pro uxore alicui sine legitimis nuptiis cohabitabat, unde servorum conjunctio *Contubernium* fuit appellatum, prout clarissime legitur *Lege* XIV. *Digest. De Ritu Nuptiarum.* Sed & *Columella* Lib. I. *de Agricultura*, monet, ut unicuique villico adjungatur *Contubernalis*, *quæ illum contineret*, & talis erat *Latinæ* atque Peregrinæ conditionis, Civi *Romano* conjuncta, inter quos non erat *Romano* more verum connubium, neque legitimi, qui ex illis nascebantur liberi, prout probabimus pluribus Dissertatione Sexta. D E

Notari autem debet sæpe a Veteribus neglectam in Monumentis fuisse literam *n.* sequente *s.* unde in Marmore illius *Potentis* scriptum erat POTES. pariter ita in Lucerna antiqua scriptum repperi CRESCES. & in altera CLEMES. quod nomen pari modo in Marmore *Romano* invenitur. Quod idem faciebant in vocabulis *Consul* & *Censor*, scribendo COS. & CES. Reverendissimus Dominus *Joannes Andreas Caligari*, Episcopus *Bertinori*, singularissimus meus Dominus, certiorem etiam fecit me, hodieque *Romæ* satis crebro subticeri in sermone literam istam solere, dicendo *costat* pro *constat*, & similia vernaculo forsan in locis & regionibus istis vitio sermonis. F

Mattiena Myrallis, quam tantopere laudavit *Quintus Comeatro Exoratus* maritus, ut in Inscriptione dicat melius de se meritam plusque *quam titulo scribi potuit*, locum nunc habet in ornatu S. Lavacri ejusdem Cathedralis. Per multa olim

57 secula sepultum hoc jacebat Monumentum in pavimento ejusdem Ecclesiæ, inverso Inscriptionis latere, ita ut non cognosceretur. Verum cura mea factum est, ut hodie legi possit & cognosci. Gens *Mattiena* antiquissima & satis nobilis fuit, Magistratibus etiam satis honorificis *Romæ* functa, prout docet *Livius* Decade IV. & ab illa forsan originem traxit Domus *Matteia* nobilissima hodie atque ditissima.

Titiæ Sassinatis mentio in quodam exstat Marmore, quod in mea est potestate, venditum mihi a quodam villico, qui agrum suum fodiens, id invenerat extra *Sassinam*, jussi autem muro inseri supra januam domus illius, in qua nasci mihi contigit. Produxit Gens hæc *Sassinæ* nostræ atque Municipio *Titum Titium Adjutorem*, atque *Titiam Thaidem*, quibus *Titus Titius Gemellus* hanc consecravit Memoriam. Hæc autem, prout inserta reliquis Civitatis nostræ Marmoribus superius cerni potest, duas res habet singulares, quibus a reliquis discernitur omnibus. Primo quidem, ad latera singula manubrium, quasi quo sustineri possit, habet; secundo, apices quosdam super syllabas quasdam, quibus denotatur productio soni / in quibusdam ejus literis, scilicet ADIVTORI THAIDI FECIT. Neque forsan ingratum hac occasione erit breviter dicere, quidnam hi apices apud Veteres fuerint, & unde traxerint originem. Diversimode Veteres proferebant vocales longas a brevibus, cujus contrarium hodie obtinet, vocalis enim longa in tono duplex prolatione sua occupabat tempus vocalis brevis, ut autem id & in scriptura posset observari, duplicatione literæ vocalis, præterquam *i*, expresserunt, quando eadem scilicet longa esset. Hinc in Marmoribus quibusdam, Monetis, atque Tabulis æneis legimus scriptum VAARO. AHALA. MVVCIVS. IVVS. POOPVLVS. VOOX. FEELIX. SEEDES. pro *Varo*, *Ala*, *Mucius*, *Populus*, *vox*, *felix*, *sedes*. Sed & *Quintilianus* Lib. I. *Institutionum* de *Orthographia* ita loquitur: *Usque ad Accium & ultra porrectas Syllabas, geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt.* Retentum ab hoc more etiamnum volunt, quæ hodieque usurpantur voces, *præhendo*, *cohors*, *vehemens*, quæ con- 58
servarunt vocalis duplicationem, quæ interferi incipitur in proloquendo. Postea temporis autem, *Ciceronis* scilicet & *Augusti* ætate, omittere duplicationem istam vocalium inceperunt, ponentes pro illa apicem desuper literam illam, cujus tonus produci debebat; unde *Terentius Scaurus* scriptum reliquit: *Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas noluit, quum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis vel brevitatis nota posset ostendi.* Quod autem non super omnes longas sed significantiores tantum soliti fuerint appingere hanc productionis notam, docet *Quintilianus* hisce verbis loco citato: *Ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimæ natura ipsa verbi, quod scribitur, patent, sic interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta aut producta est, facit.* Exemplum dein profert in voce *malus*, cujus prima significatio intendit arborem pomumve, secunda, id quod non est probum bonumve, & in vocibus primæ declinationis nominum, quæ in casu recto ultimam literam brevem habent, longam vero in ablativo, quod observavimus in vocalibus quatuor modo superius adductis. Vocalis *i.* autem, longa licet, nunquam recipiebat apicem, verum ubi protrahi sonus deberet, longior solita pingebatur, prout exhibent Marmora nostra in *Cetraniæ Severinæ* Testamento, in vocibus COLLEGIS & IDVS. Qualem autem figuram talis habuerit apex, demonstrare conatur *Isidorus*, quando dicit: *inter figuras litterarum & Apices Veteres duxere: est autem*

autem linea jacens super literam, æqualiter ducta. A quod quidam interpretantur, tanquam capiendum sit de linea transversa & plana hoc pacto super vocalem producta Ā. Ē. Ō. V̄. qua nos utimur, significaturi literam N debere inseri, ut & M, quo pacto & in majori & minori literarum forma docemus legi debere AN. AM. EN. EM. ON. ut & OM. VN. vel VM. atque hinc volunt corruptiones illas natas esse in Inscriptionibus Antiquis vocum CONIVNX. QVOTIENS. TOTIENS. VICENSIMVS. & similium, quæ scribi debebant CONIV̄X. QVOTIĒS.
59 TOTIĒS. VICĒSIMVS. Iidem addunt, id in B sculpendo adverti ab operis debuisse, quod talis nota vicem literæ N. suppleret, non vero Apicem.

Verum haud levi difficultate penes me laborat hæc opinio illorum, neque enim hanc figuram transversam Veteres pro Apice habuisse, ex ullo mihi comprobari potest Marmore aut Inscriptione Antiqua. Adverti equidem, solere hanc notam poni super numeros exprimentes literas, prout in infinitis ejusmodi Memoriis observari potest, præsertim in Marmoribus nostris, in Inscriptionibus *Lucii Appæi Pudentis*, ubi legitur TRIB. COH. X̄II. VRB. ET. X̄. PRAET. in *Gaji Cæsii Cresimi*, ut & *Sexti Tettii Hermæ*, in quibus legitur C VI. VIR. AVG. & VI. VIRI, ut & Monumento Sepulcrali *Gaji Sabinii Valeriani*, ubi exstat VIXIT. ANN. X̄V̄II. M. V̄II. DIEBVS X̄VI. Nota eadem in Marmoribus nostris posita super literas M. & S. designat *Municipem Sassinatem*, prout discere est ex Marmoribus *Nicephori* Medici, *Gigenniæ Verecundæ*, atque *Dextimii Epigoni*, & nominati modo *Cæsii Cresimi*, atque *Gigennii Festivi*, in quibus omnibus privilegium illud Urbis *Sassinæ* ita exprimitur M̄. S̄. In Testamento autem *Cetraniæ Severinæ*, ubi similis nota super literas M. & N. ponitur, adverti figura D ejus lineæ debet, ut non planæ, seu rectæ, sed aliquantum in inferiore atque superiore parte inflexæ atque incurvæ, unde ibidem denotat MILIVM NVMMVM, aut simile quid. Quantum vero pertinet ad Apices illos, productionis vocalium gratia appictos, licuit tantum oculis usurpare Inscriptionem unam hoc modo notatam, in Marmore *Titii* nostri, qui quidem super vocalem incipiunt a finisteriori parte, & subtiliter ad dexteriorem in altum pergunt hoc pacto: Á. É. Ó. illosque dico veros esse Apices *Ciceronis* & *Augusti* tempore usitatos, quod ut affirmem, inducor E Marmore quodam, quod *Romæ* est in Colle *Pinciano*, in Hortis Serenissimi Magni Ducis *Hetruriæ*, & incipit, LARIBVS. AVGVSTIS. IMP. CAESARE. AVGVSTO. X̄IIII. M. PLAVTIO. SILVANO. COS. ubi Apices illæ in hisce conspiciuntur vocibus, IASÓ. PRINCÉPS. FÚRIVS. SANDALÍARI. quæ sequuntur; est & in Capitolio ærea tabella, in qua residuum est Legis cujusdam sancitæ temporibus *Vespasiani* & *Sanctio* appellatur, ubi pluries Apices occurrunt F super hæc verba FÉCIT. FÉCERIT. prout in-
60 super in aliis bene multis Marmoribus apud *Manutium* in *Orthographia*, qui, ut & alii Viri Docti in Collectionibus suis, notam nostram, prout descripsimus, non vero mediam transversam pro Apice acceperunt. Quæ quidem dicta sint pro opinione mea, non pro lege, quam aliis pangere velim, qui suis oculis plures ejusmodi usurpaverint Inscriptiones authenticas, cum alia forsan Apicis figura.

Verum ut ad Gentem *Titiam* nostram redeamus, sciendum est, nobilem satis illam *Romæ* fuisse, cujus etiam cum honore sæpius faciat mentionem *Cicero* in *Familiaribus*, atque Antiquæ Inscriptiones apud *Manutium*, in laudata *Orthographia*, titulo *Titius*.

Ultima sese inter Marmorum nostrorum Memorias obtulit *Varia Victoria*, utpote paucis abhinc annis invento lapide, qui nunc *Galbani* est, Castello *Sassinate*, in novo quodam muro. Antiqua fuit Gens *Varia*, quin &, postea temporis, Imperatoria quoque, ex illa enim fuit *Heliogabalus*. Nescitur mariti nomen, mancum enim Marmor est, laudat nihilominus in residuis literis uxoris indolem, vicem debiti amoris reddens, dum titulis ornat *Sanctissimæ*, *Castissimæ* & *Incomparabilis*, quæ revera raræ sunt laudes, in talibus præsertim hominibus, qui vitam in tenebris destituti veræ lucis usu agunt.

Non tam sero commemorandus nobis veniebat *Sextus Afidius Nepos*, utpote inter nobilissimos Municipii nostri viros, prout demonstrat Tribus *Pupinia*, quæ agnoscitur in ejus Marmore, ex literis PVP. verum non aliam nobilis hujus viri memoriam reliquit filius *Gajus Afidius Geminus*, quam Monumentum hoc, prope ejusdem sepulturam, ex Testamento structum atque locatum, quod quum perdiu inservierit basi, seu cippo Altaris prope Sacristiam Cathedralis *Sassinæ*, invenitur nunc in Horto Episcopali, quo illud transferri curavit Dominus *Angelus Perutius*, Episcopus olim *Sassinæ* b. m. una cum illo *Apollinis*; quem quidem hortum ille pro deliciis suis habuit atque exornavit, prout & Successores ejus: tribus enim vicibus dilatatus est, totusque arboribus altisque muris incinctus. Verum ego jam brevis ero, id modo addens, hunc *Afidium Nepotem* eundem forsan fuisse *Nepotem*, cui tantum amicitiæ pignus 61
fuit cum Poëta *Martiale*, ut pluries ab eodem celebretur, præsertim vero Epigrammate isto Lib. VI. Gens autem *Afidia* alia fuit ab *Aufidia*, etiam *Sassinate*.


Lucius Statorius Silvanus, licet nec ipse nec patria ejus nobis nota sit, poni tamen non indignus videtur inter *Sassinates*, quoniam inter illos Memoria ejusdem inventa est. In quadro enim æreo subtili, & longiusculo, in cujus altera parte est annulus digito inserendo, ab altera parte hæc visitur Inscriptio, plane eo modo, prout nunc in loculis typothetarum nostrorum impressoriis literæ stanneæ aliusve materiæ eminere solent; qui ipsi lineolam ejusdem circumducentes magnitudinis, ambitum & formam sigilli apte expresserunt hoc modo:

L·STATORI
SILVANI

Hæ voces, quæ nobis *Lucium Statorium Silvanum* commemorant, ita positæ in hac lamina, locum faciunt dubitationi, an non ars typographica, quæ Orbis universi maximo commodo ante CXXX. seu CL. circiter annos inventa est, aliquo modo cognita antiquis fuerit, quum etiam ab multis retro seculis, ante inventam a *Germanis* artem hanc, seu publicatam potius, novi Orbis incolæ quidam eandem tenuerint, prout affirmavit mihi Ill. Dominus *Petrus Gaddi*, *Forolivienfis*, Nobilis, vere nobilibus ornatus virtutibus, & nunc Vicem agens Excellentissimi Domini *Aldobrandini* in hisce Statibus *Romaniæ*. Dixit enim mihi *Germanos* doctos ibidem hanc artem, ut suum dein inventum publicasse in *Europa*, quando, ante occupatas a *Turcis* partes *Europæ* complures

res, facilius, nondum præclusa via, iisdem cum
illis populis commercium fuit, quam deinde; do-
nec rursus alia marium via inventus aditus ad eos-
dem est populos, non modo ut videremus, sed
& subjiceremus nobis, atque Christianam præci-
pue ibidem doctrinam disseminaremus.

Inveniuntur insuper in agro nostro *Sassinate*
complures ejusmodi annuli ærei, qui laminam
cum Inscriptione signatoria habent, & nomina
antiquorum civium continent. Penes me quoque
62 ejusmodi duos conservo, quorum alterum dona-
vit mihi *Cæsar Donatus*, Canonicus *Sassinæ*, cu-
jus & ipse ille laudatus modo *Lucii Statorii* est.
In hoc autem meo



literæ, quæ inveniuntur, eas pariter ut superiora
nomina, ad civem quemdam refero *Sassinatem*, qui
pro prænomine *Gaji* vel *Caji* solam literam C. ha-
bet; secundam vero & tertiam S. & V. pariter
solas, pro nomine atque cognomine, prout supe-
rius est videre in Inscriptionibus *Apollinis* & *Jo-
vis*, inter Marmora nostra *Sassinatia*, ubi *Gajus* seu
Cajus Cæsius Sabinus initiales tantum nominis sui
habet literas C. C. S. Si vero cum hujus Sigilli
literis singulas Inscriptiones nostras conferamus,
proxime ad illas accedunt *Cajus Sabinius Valeria-
nus*, vel avunculus ejusdem *Sabinius Victorinus*,
nominati in Marmore S. *Damiani* superius allato.
Verum de hoc limatiora aliorum disquirant inge-
nia, mihi curæ fuit conservare annuli hujus me-
moriam, & publicæ luci Sigillum hoc exponere.

Tertium item ex ære Sigillum, etiam anti-
quum, atque donatum mihi a *Glanderino*, cogna-
to meo, Archipresbytero S. *Damiani*, simile fe-
re figura Sigillo *Lucii Statorii*, etiam tres initia-
les veteris cujusdam civis nostri literas exprimere
videtur. Figura autem ejus hæc est.



In hoc, punctum illud, quod post literam P.
est, satis longum apparet, & utraque linea lite-
ræ F. longitudine & proportione cum puncto suo
convenire cernitur. Prima autem litera Præno-
men *Publii* designat, duæ reliquæ dicere possunt
Fabium seu *Fulvium*, & *Deuterem* aut *Dorsonem*,
vel simile quid, difficile enim est talia certo affir-
mare.

Hac autem occasione, quum tria antiqua hæc
sigilla hoc in loco proposuerim, illorumque pro-
priam expresserim figuram, duplex antiquitatis
observatio non videtur esse prætermittenda.

Altera quidem hæc est. Inter reliquas supersti-
tionis nugas bona præsertim & læta rerum nomi-
na, tanquam futurorum nuncia captabant Vete-
res. Ita in militia & militari testamento inprimis
eligebant *Valerii*, *Victorii*, *Statilii*, *Lucretii*; pro-
ut uberius ostendemus in Dissertatione de Mili-
63 tia. Quod si igitur *Statorius* noster miles fuerit
(quod quidem in obscuro est) habuerit, probabile
est, gradum aliquem insigniorem in militia; ne-
que enim timidus & fugax credi debuit, utpote
ex *Statoriis*, quæ sane Gens inter *Romanos* belli-
cosa fuit. Legitur apud *Livium* Lib. XXIV. Cap.
XLVIII. *Quintus* quidam *Statorius* Centurio, in-
ter Legatos a Consule *Romano* ad *Syphacem*, Re-

A gem *Numidiæ* missus, ut fœdus cum eodem jun-
gerent, permansisse apud illum Magister rei mi-
litaris, atque brevi tempore ita ad bellum gen-
tem ejus instruxisse, ut acie *Carthaginensibus* par
esset.

Altera ad Sigilla atque Annulos antiquos per-
tinet. Sciendum vero est, vel respectu dignitatis
gestos fuisse a *Romanis*, quomodo aureis distin-
guebatur Ordo Equestris a plebe, quæ ferreos
habebat, prout suo loco magis apte dicturi su-
mus; vel ad obsignandas res, unde signatorio An-
nulo Sigilli nomen venit. Hisce insculptæ erant
literæ quædam seu characteres, quæ imprimi re-
B bus custodiendis, ut suppellectili cujuscunque ge-
neris, præsertim cellis vinariis, aliisque solebant.
Huc respicit *Tacitus* in initio Libri II. *Anna-
lium*, ubi narrat quomodo a *Parthorum* quodam
Rege *vilissima utensilium annulo clausa irrideban-
tur*. Poëta noster *Plautus* dicentem *Cleostratam*
matremfamilias inducit *Casina* II: I: 1.

Obsignate cellas, referte Annulum ad me.

& alibi, in *Persa* scilicet, II: III: 15. triparcos
quosdam & avaros irridet, qui

——— *salinum servo obsignant cum sale.*

Quintus etiam *Cicero* ad *Tyronem* Lib. XVI. Epist.
C Fam. inter illas fratris *Marcii Tullii*, scribit, obsi-
gnare solitam fuisse matrem suam lagenas etiam
vacuas, ne, si forte quis servorum furtim aliquam
evacuasset, dicere posset vacuam fuisse. Ob mul-
titudinem vero servorum, quos omnes fere alebant
Plinii tempore, *cibi potusque*, ut verba ejus sunt Lib.
XXXIII. Cap. I. *Annulo a rapina vindicabantur*.
Ex eodem obsignatoriorum Annulorum genere ille
ejus servi fuit, quo apud *Apulejum* Lib. X. saccu-
lum auri plenum obsignatur, infame pretium potus
somniferi, quem pro veneno jusso comparaverat
dominæ amicus ille, qui rem totam postea in Se-
natu aperuit; ut & apud *Valerium Maximum* Lib.
VII. Cap. ultimo, quo conabantur falsum quendam
D hæredem pro vero, testamento intrudere. Talis
quoque Annulus fuit, quem *Marcello* cæso abstulit
Hannibal, & quo literas quasdam obsignavit, fru- 64
straque *Salapianos* decipere conatus est, jam ante
a Consule *Crispino* fraudis venturæ admonitos.

Characteres autem istorum Annulorum varii
fuere generis. Sæpius in iisdem nomina erant pa-
tronorum, ut in nostris hisce tribus. Sæpe pos-
sessorum imagines, unde *Plautus* in *Pseudolo*
I: I: 53.

Ea caussa miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex Annulo suam imaginem.

Quod tandem & fecit *Augustus*, qui prius Sphyn-
E gis, dein *Alexandri Magni* imagine usus, postre-
mo sua ipsius obsignare solitus est, prout & se-
quentes fecere Imperatores, notante *Suetonio* Cap.
I. Quum & quidam majorum suorum adhibue-
rint imagines, unde dicit *Cicero* in Oratione III.
in *Catilinam*, avi sui, viri Clarissimi, imagine
obsignare literas suas *Lentulum* fuisse solitum. Et
de *Scipione*, filio *Africani* agens *Valerius Maxi-
mus* Libro III. Cap. V. Titulo, de iis qui dege-
nerarunt, dicit, cognatos ejus *detraxisse e manu
ejus Annulum, in quo caput Africani sculptum erat.*

Fuere denique, qui pro lubitu suo variis imagi-
nibus & sigillis usi fuerunt, Sphynge, ut modo
F dixi de *Augusto*, atque *Alexandri Magni* imagine;
quomodo *Sulla* (secundum *Plutarchum* in *Mario*)
Jugurthæ proditionem a *Boccho* factam, in Annulo
gestavit. In Annulo autem *Plautino* in *Curculione*
III: I: 54. Thrasonis istius militaris a Sycophanta
surrepto, *Clypeatus cum machæra elephantum diffi-
cens*. Apud quem eundem Auctorem inducitur *Am-
phitruo* habuisse pro Sigillo, cum *quadrigis exorien-
tem Solem*, in Scæna *Qui me alter*, seu I: I: 66.
In Sigillo insuper *Neronis*, quod adfert *Choulius*
in Libro de *Rom. Relig.* ubi de *Apolline* loquitur,
nomen

A nomen poſſeſſoris adſcriptum fuit, in circuitu enim *Marſyæ* ab *Apolline* excoriati legitur, NERO CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS. P. MAX. TR. P. IMP. P. P.

65 Habuere & alios Annulos ſignatorios Antiqui, ſine ullis literis, imaginibus quibuſdam exornatos, prout penes me fuit antiquus quidam æreus, in quo inſculptum eſt caput quoddam lauro coronatum, aut ſimili fronde, quem miſi *Bononiam* ad Dominum *Angelum Peruzzi* b. m. Epiſcopum quondam *Saſſinatem*, quum ille *Saſſinæ* Statuam *Plauto* vellet erigere, cujus caput Annulo illi inſculptum videbatur.

B Superſunt & aliqui alii ex *Saſſinatibus* noſtris, de quibus agendum eſt; præſertim *Hermes* quidam, *Fortis*, atque *Creſcens*, aliique, quorum exſtant nomina in Lucernis Antiquis quibuſdam, inventis in eorundem Sepulchralibus Monumentis. Verum quoniam nihil niſi nudum illorum exſtat nomen, ſilentio prætereundi veniunt. Illud modo dicere lubet, ad demonſtrandam animi immortalitatem, quam & quidam ex Gentilibus credidere, ab iiſdem campos Elyſios, Tartarum, atque alia loca depicta in Monumentis fuiſſe; ab aliis vero, qui negabant iſtam alio in loco vitam, Lucernas haſce figulinas in Sepulcris ſuis fuiſſe
C collocatas, jam viventibus adhuc exſtructis, perpetuum ita quærentibus ignem, prout inventæ ſunt ejuſmodi Lucernæ, quæ ſervaverant lumen atque flammam mille plus annis, quod quantumvis videatur incredibile, verum eſſe mihi aſſeverarunt, qui ipſi oculis ſuis viderunt. Inter alios autem, qui id ipſum oculis ſuis viderunt, magnum mihi eſt teſtimonium Illuſtriſſimi Domini *Pandulfi Spranii Ceſenatis*, qui quum forte hoc penes me cerneret Opuſculum, rem hanc de Lucernis iſtis & ore & ſcripto mihi affirmavit, teſtatusque eſt, ſe quum Scolaris adhuc eſſet *Peruginus* anno MDLIX. quum forte Monumenta quæ-
D dam detegerentur *Hetruſca*, vidiſſe in Reginæ cujuſdam Sepulcro talem Lucernam, exſtinctam quidem, ut primum immiſſus aër eſt, veruntamen aliquid fumi adhuc emittentem. Uno tantum loco accendebatur Lucerna hæc, qui tectus erat deſuper, in media autem, infundendo oleo, viſebatur foramen quoddam, in fundo autem ejus ſcriptum erat nomen illius, cujus juſſu adornata erat; qualem ipſe habeo *Fortis* cujuſdam, inventam in agro meo *da Pian di Bezzo*, ſimilem vero
66 cum nomine *Creſcentis* ſervat *Leonellus Laurentinus* civis meus *Saſſinas*, in alio quodam ſepulcro inventam. Figuram vero earundem uſumque, quem in ſuperſtitione habuerint Gentilium tem-
E poribus, alia occaſione melius demonſtraturi ſumus.

Neceſſe eſt multos alios viros claros *Saſſinam* illuſtraſſe, quorum jam non amplius exſtant Marmora, deleta atque amiſſa tot centenis annorum numeris, incuria atque deſidia noſtrorum civium, quum etiam, ut ſuperius modo dixi, viginti his annis proximis tres quatuorve perierint; vel quæ ignota adhucdum terra jacent ignobiliter obruta. Sunt enim & fragmenta quædam Marmorum, de quibus agendum mihi non putavi, quoniam neque
F vel integra in iis reperiuntur nomina, ut illud *Saturninæ* filiæ *Caji* cujuſdam, quod in muro eſt Cœmiterii Cathedralis; Flaminis etiam cujuſdam, cujus nomen deſideratur, cui *Publius Toranus* quidam ſeu *Toraſius* pulcherrimum erexit Marmor, cujus etiam fruſtum quoddam modo reſtat in prædicta Cathedrali.

Habitarunt & *Saſſinæ* Collegia quædam, dicta *Dendrophororum*, *Fabrorum*, *Centonariorum*, quæ artes quædam erant, de quibus agemus plenius Diſſertatione VIII. Noſcebantur & ibidem Flamines *Trajani* atque *Veſpaſiani*; Sacerdotes etiam Divæ *Marcianæ*, Pontifices, Ædiles, Sexviri, Auguſtales quoque, de quibus agemus Diſſertatione IV. & V.

Curatores etiam ibidem fuere Reipublicæ, prout talis inter alios deſcribitur *Cajus Valerius Julianus*, in Marmore ſuo, quod *Arimini* exſtitit in Eccleſia *S. Bartoli*. De hiſce autem Curatoribus agit *Capitolinus* in Vita *Marci Aurelii*; in Marmore quoque *Veſbini*, apud *Aldum*, in *Orthographia* ſua, verbo *Deſidero*, talis *Curator* nominatur *Reipublicæ*. *Valerii* autem noſtri Marmor habuit inter alios Ill. Dominus *Conſtantinus Malateſta Soglianus*, ſeu *da Sogliano*. Miſit vero ad me Inſcriptionem Ill. Dominus Eques *Claudius Paci Ariminenſis*, diligentiſſimus Antiquitatum obſervator, qui idem advertit me, non certo ſeſe ſcire, ubi locorum nunc inveniatur.

Mittebantur quandoque Curatores hi Reipublicæ ex Urbe *Roma*, ab Imperatoribus, etiam ex Or- 67
dine Senatorio, prout docet citato loco *Capitolinus*, cujus verba ſunt: *Curatores multis Civitatibus, quo latius Senatorias tenderet Dignitates, a Senatu dedit.* Longe autem alii erant Curatores Annonæ. Suntque definiti a *Cujacio* ſupra Lib. X. Codicis, Lege XXX. *De Decurionibus*, his verbis: *Curator & Procurator Reipublicæ idem eſt. Is judex eſt, & Cenſor rerum ad Civitatem pertinentium, & ideo Logiſta appellatur, & eſt ex Decurionibus; Prædia publica & vectigalia locat, pecuniam publicam tractat, opera & loca publica curat, cauſſas Reipublicæ agit apud Præſidem.* Quæ cuncta confirmat ibidem ex auctoritate Legis tertiæ, Codice *de Modo Multarum*, Lege ultima, Digeſtis *De Off. Adſ.* Lege *Ad Curatores*, Digeſt. *De Damno Infecto*, & Lege III. Paragrapho *Plane*, Lege V. §. *Item ait*, & § *Hæc Verba*, Digeſt. Titulo, *Quod vi aut clam*, ut & Lege II. & III. Digeſt. *De Adm. rerum ad Civit. pertinent.* Apparet denique ex eodem Titulo Legis IX. Curatorem Reipublicæ electum fuiſſe a Præſide per inquiſitionem, ut adeo non conſuetum fuerit ſemper, ab Imperatore ipſo mitti ex Ordine Senatorio. Erant autem ejuſmodi Curatores plures in Antiquis Rebuspublicis, in quibuſdam enim locis Legum adductarum Collegæ fit mentio. Unus etiam eidem Curator Reipublicæ pluribus præeſſe poterat Civitatibus, unde & ipſe *Valerius* noſter Curator etiam fuit *Solonatum*, quos in Sexta Regione ponit *Plinius*, quique habitarunt forſan in loco nunc *Sogliano* dicto, nobili Caſtro Dominorum *Malateſtorum*, in confiniis Diœceſeos *Ariminenſis*.

Sicut autem ad Urbes nobiliores ab Imperatore Senatores *Romani* pro Curatoribus mittebantur, ita & *Valerium* noſtrum, Equitem *Romanum*, neſcio cujus dicam Municipii vel Coloniæ fuiſſe, niſi forte *Ariminenſis*, ubi fuerit Coloniæ patronus ſeu protector, ſive ab Inperatore, qui tum imperabat, miſſus, ſive ex uno ex quatuor *Italiæ* Conſularibus electus ad illam dignitatem, & forſan ab ipſa *Saſſina*; de quo quidem jam ſatis dixiſſe videmur, reſervantes quæ ſuperſunt, vel præterea dicenda occurrent, ad Diſſertationem de Magiſtratibus.

Fuere præterea *Saſſinæ* viri belli bene periti, Ordinis Equeſtris, qui publicum equum habuerunt, prius a Rep. *Rom.* dein ab Imperatoribus datum, ut *Tettius Sabinus*; alii fuere Centuriones, Primipilares etiam, & armorum quidem peritia gradum 68
iſtum adepti, ut *Aulus Appeus Pudens*, Tribuni alii Cohortium Urbanarum & Prætorianarum, ut *Lucius Pudens*, Præfecti alii Sociorum, ut *Cajus Appeus* & *Piſo*.

Deſcripti dein *Saſſinates* noſtri *Romæ* fuerunt & adſignati Tribui *Pupiniæ*, honoratæ ſatis, licet pauperi, fuit enim Ruſtica, & ſuffragia dabat a

Populo *Romano* determinanda. Tribum autem suam *Sapiniam* habuit ita dictam a Fluvio *Savio*.

Fuere ibi *Templa Jovis*, *Apollinis*, *Deorum Publicorum*, *Plutonis*, *Marcianæ*, *Reginæ Nymphæ*. Hæc autem & plurima alia uberius pertractabimus in Dissertationibus nostris edendis de Nobilioribus nostris *Saſſinatibus* antiquis, qui singuli pro studio suo magnam patriæ suæ claritatem attulerunt; ut ingenii amænitate *Marcus Plautus*, cujus etiamnum perdurant lepidæ & docti salis plenæ Comœdiæ, laudatæ ab omnibus, tam a Veteribus quam a Recentioribus. Belli vero laude & armorum studio, Gens *Appea*, quæ *Cajum Appeum* produxit primum, dein *Lucium*, inde *Aulum Pudentem*, nominatos jam aliquoties supra, qui per prudnctiam suam honores atque opes sibi patriæque suæ acquisiverunt. Nobilitate generis, & Sacrorum, vanæ tum quidem Religionis, cura, *Cæsium Sabinum* dedit, multosque alios *Cæsios*, ut & *Tettium Montanum*, non minus *Romæ*, quam in patria sua, quorumque primus quidem *Umbriæ* quondam honor dictus fuit, alter vero celebris etiamnum est ex consecratis illi in Marmore suo titulis. Sed & sequioris sexus haud vulgaris est memoria, siquidem tantis laudibus inter matronas ornatur *Cetrania Severina*, quantas honestas & probitas generosi capit animi. Quum & *Claudia Rufina*, Regii ex Britannia seminis, *Saſſinam* nobilitaverit, splendori ejus coruscatione lucis suæ addita.

CAPUT VII.

Quibus Dominis ab initio hodie usque paruerit Saſſina.

Restat dicere quibus paruerit Dominis *Saſſina*, ab eo tempore, quo primum inclaruit, usque ad nostram ætatem. Id nos breviter perstringemus, tum, quia ipsa notitia prisci ævi hac in re valde parca est, tum quia hæc omnia postrema
69 nostra Dissertatione uberius persecuturi sumus.

Quando equidem condita fuerit *Saſſina*, nescitur, neque ullibi invenitur. Illud certum est exstare ejus, ut detriumphati memoriam anno CCCCLXXXVII. post U. C. in Marmoribus Capitolinis, quorum superius sæpius fecimus mentionem. Accidit itaque illud ante mille octingentos septuaginta annos, qua sane ætate vix ullam indubiam loci alicujus, quæ nunc in *Romania* sunt, mentionem factam invenies. Neque ullum est dubium, quin jam longe ante fuerit condita. Antequam enim ipsa *Roma* ad expugnandum hujus gentis robur fuit habilis, centenis aliquot annis crescere debuit. Antiquissima certe ejus sunt exordia, & tanto antiquiora, quanto reliquis *Umbri* vetustate præstant; hi enim, ut affirmat *Plinius* in *Italiæ* regione Sexta, quod & alii Scriptores dicunt, antiquissimi *Italiæ* fuere populi, dicti ita ab *imbre*, quoniam ad Diluviana usque pertinerent tempora, habitantes Regionis istius maxime eminentia loca, & antequam aliæ partes depressiores incolerentur; quo ipso argumento usi sunt *Scythæ* contra *Ægyptios*, de antiquitate Gentis cum iisdem disputantes.

Tria consideranda veniunt tempora, ut intelligamus ad quos Dominos pertinuerit *Saſſina*. Horum primum numerare decet ab illo, quo pertinuere ad *Romam* Urbem, bello devicti, usque ad *Longobardorum* ætatem seu illis proximam. Isto quidem tempore sub *Romana* ditione, ut ejus pars, subque ejusdem Magistratibus fuit; de quo hic non dicemus plura, quoniam uberius pertractanda eadem nobis venient, ubi in Dissertationibus nostris agemus de ratione Imperii *Italici*, Municipiis, eorumque Magistratibus. Secundum a *Lon-*
A *gobardorum* temporibus usque ad hæc sese extendit. Tertium vero tempus, antequam de *Saſſina* & *Saſſinatibus* triumpharunt *Romani*, complectitur.

Antequam itaque sub *Romanorum* ditionem venit *Saſſina*, nulli subjecta fuit, nec ulli, vel Regi, vel populo externo paruit, quod vel inde patet, quod ipsa per se caput belli *Romanis* in *Umbria* fuerit. Quum itaque vel Regnum fuerit ante id tempus, vel Respublica, duplex ratio me impellit, ut prius credam. Dicit enim *Justinus* Lib. I. initio: *In principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes Reges erat, intra suam cuique*
B *patriam Regna finiebantur.* Quibus par illud *Sal-* 70
lustii in *Catilin.* Cap. II. *Regum in terris nomen primum fuit.* Licet autem non semper procedat argumentum a generali ad particulare, credo tamen *Saſſinam* in initio, ut dixi, Regnum fuisse, & Regi suo paruisse. In qua & opinione secundum me argumentum confirmat, quod scilicet patrum temporibus, quum ipse admodum puer essem, a villico quodam, nomine *Antonio Capello*, in *Morginaglie*, loco Parochiæ *Saſſinatis* (prout & tunc dictum fuit, atque non tantum huc usque fama tulit, sed & ipse ex oculatis in inventione testibus percepi) inventa fuerit Corona aurea, cum
C carbunculis aliquot tanta luce coruscantibus, ut etiam de nocte radios spargerent. Verum inventor non intelligens pretium thesauri sui, octo decemve scutatis vendidit *Judæo* cuidam, qui stationem suam habebat prope S. *Agatham*, locum non longius quatuor milliaribus *Saſſina* distantem. Locus autem, ubi illud acciderat, idem ipse est, qui dicitur *Pian di Bezzo*, quique sub ejusdem ædibus erat, ubique sæpenumero inveniuntur Marmora & Sepulchra, similesque Antiquitates. Repertum etiam ibidem asserunt Marmor olim quoddam, unde liqueret esse illum locum, ubi sepelirentur Nobiles *Saſſinates*, inter Flumen *Savium*
D & fundum *Fangonianum*, cujus quidem agri bene magna pars mihi hujus libelli Auctori inter patriam obvenit hæreditatem a majoribus meis.

Neque sane mirum videri debet *Saſſinates* Regem habuisse, quoniam & ex *Virgilii* relatu *Latinus* atque *Turnus* parvarum Urbium fuere Regnatores, & agri exigui domini, ita comparato antiquissimi temporis more. Neque tam cæcus amore sum Patriæ, ut istas ducam consequentias, *Saſſinæ* Corona Regia inventa fuit, ergo Regem habuit *Saſſina*, fuitque Regnum, ut credat aliquis *Saſſinam*, hodieque sat amplam, bene habitatam, agrique late patentis, nomine isto Regni
E olim longe majores fines fuisse amplexam. Sed sicut æquum judicavi proferre, quæ scio ipse & credo, ita cuicunque suum liberum relinquo judicium.

At vero, quando jam bella tractaret cum *Romanis*, Rempublicam, non vero amplius Regnum fuisse, duplex ratio suadere videtur. Prior est, quoniam post ejectos Urbe *Tarquinios* perosum apud omnes fere *Italos* nomen fuerit Regium; nec, nisi rarissime, occurrat mentio Regis 71
alicujus in *Italia* post annum CCC. Urbis Conditæ. In bellis etiam, quæ *Romani* cum tot *Italiæ* gessere Populis, passim hostilis exercitus duces
F vocari solent *Dictatores*, *Prætores*, aliusve Magistratus nomine, ut apud *Livium* aliosque Auctores videri potest. *Hetrusci* etiam Anno U. C. CCCL. ægre tulerunt Regem recepisse *Vejentes*, postquam post *Lartis Tolumnii* mortem plus viginti sex annis libertate gavisi fuissent, idque *odio Regni & Regis*, unde decretum apud illos est factum, *Auxilium Vejentibus negandum, donec sub Rege essent*, prout dicit *Livius* in initio Libri V.

Posterior, quæ me impellit, ut Remp. putem *Saſſinam*, prout alios *Italiæ* populos, tum temporis fuisse,

fuisse, ratio hæc est, quod in Triumpho de *Sassinatibus*, cujus mentio in *Capitolinis* Marmoribus est, nullum Regium nomen exstet, quod sane avidi gloriæ non omisissent *Romani*, si ita fuisset, qui Reges ipsos eorumque spolia, prout Memoriæ Antiquæ testantur, in Triumphis suis soliti fuerunt ostentare.

Verum quodcunque tum fuerit Imperium, sub *Romanis* eodem modo administrata Urbs fuit, ut reliqua ejusmodi *Italiæ* loca a suis Magistratibus, temporibus Consulum & Imperatorum *Romanorum*.

Sub *Gothorum* denique & *Longobardorum* Dominatione, qui *Italiam* diu tenuerunt, præsertim vero hasce ejus partes, *Ravennæ* ut plurimum sedem suam habentes, Exarchos habuit. Istorum temporibus, inter reliquas *Italiæ* communes ruinas, quas *Gothorum* præcipue bellis est experta, qui maximo cum furore Urbes diruere, atque vetera cuncta destruere Monumenta, pro pulchro ducebant, verosimile est, & dirutam fuisse *Sassinam*, prout infinita in aliis Urbibus occurrunt exempla apud *Procopium*, aliosque Belli *Gothici* Scriptores, ut qui ipsi Urbium Reginæ *Romæ* haudquaquam pepercerint. Quomodo autem, qua occasione, & a quibus id fuerit factum, in obscuro est, quum neque constet, a *Gothis* fueritne id factum, an a *Longobardis*, an aliis, qui ab illorum stabant partibus. Sola fama est *Ravennates* fuisse, qui facinus id perpetraverint (forte quod inter militiam istorum numerati fuerint, illorumque in isto bello socii) imparatam opprimentes milite Urbem, utpote, qui alia via *Ravennam* profectus
72 erat, ut ipsam pro mutua inimicitia opprimeret.

Credam equidem factum id fuisse ante bellum, quod describit *Procopius*, ubi enim ille *Cesenam* & *Monte Feltro* commemorat, *Sassinam* silentio involvens, innuere videtur desolatam jam tum fuisse *Sassinam*. Verum transeat & hoc cum cetera Urbis nostræ infelicitate.

Secuti postea Reges *Italiæ* sunt, ex Domo *Caroli Magni*, qui in *Italia* per multos annos dominatum exercuerunt, incipientes ab VIII. post N. C. seculo. Illis temporibus *Sassina* nostra aut sub gubernatione fuit Episcopi sui cum omni, vel certe majori parte Diœceseos suæ, etiam in temporali; vel a generali Provinciæ gubernatione fuit separata, & data Episcopo post ruinam suam, ut parvi momenti, ab Imperatoribus, Regibus, aut Exarchis; quod certe novum haud est, quum similia multa occurrant exempla; vel denique privatis Dominis atque Comitibus divisim Oppida & Castra ejus Regionis accesserunt, quod præ omnibus probari potest ex instrumentis variorum Compatrum, quæ diversis temporibus facta sunt in Ecclesia *Sassinate*. Et quoniam istis temporibus multi exsistebant Tyranni, qui male mulctabant illos, qui invalidi fortioribus illis resistere non poterant, hinc Episcopi *Sassinates* protectionem sibi elegerunt atque conciliarunt Imperatorum, qui sæpius in *Italiam* venire erant soliti, privilegiaque illis donabant, quæ dicebantur *Mundburgi*, prout exstat in Privilegio *Conradi Suevi*, facto anno MXXVIII. & concesso *Uberto* Episcopo *Sassinati*, ad intercessionem Imperatricis *Giselæ*. Verba ipsa ejus Privilegii hæc sunt: *Noster fidelis Ubertus Episcopus Sanctæ Saxenatis Ecclesiæ humiliter postulando nostram adiit Majestatem, quatenus prædictæ Ecclesiæ omnes res immobiles & mobiles seque moventes, seu etiam Castella, sicut a nostris Prædecessoribus recepta sunt, ne a pravis hominibus vastarentur, sub nostri juris tuitione reciperemus.* Pariter ducentis post annis liberalis erga illum fuit Imperator *Fredericus* II. qui sub Imperiali sua protectione recepit Episcopum *Albericum* & Castella sua, quæ cuncta etiam nominantur. Anno autem MCCXX. factum id est, & duodecim post annis confirmata eadem Concessio fuit a *Gregorio* IX. Pontifice, qui literas ad Urbis 73
Sassinæ Nobilitatem & plebem, ut & Diœceseos ejusdem scripsit, in quibus jussit, *ut Episcopo Saxinæ de temporali jurisdictione ab Imperatoribus Ecclesiæ prædictæ concessa plene respondere curarent.* Quod factum fuit Pontificatus ejus anno IX. anno autem V. eundem Episcopum *Frederico* prædicto scriptis literis commendaverat. Assumptio autem hæc Ecclesiarum cum Castellis & agris suis sub protectione Imperatoris, exordium sumsit, ut ajunt, a temporibus *Othonis* I. viri justi & probi, qui exstincta tyrannide *Berengarii*, qua diu misere vexata fuerat *Italia*, tantam erga Imperiale nomen excitavit benevolentiam, tantumque sui amorem accendit in animis hominum, ut apud nullos *Italiæ* populos fuerit Episcopatus, aut Monasterium, Collegium, vel denique Civitas, quæ non Privilegium aliquod ab *Othone* isto I. desideraverit; atque ita insequentium Imperatorum assidue favorem captare soliti fuerunt.

Restabat ergo in pace & quiete *Sassina*, ejusque Diœceseos gubernator Episcopus, adjectis etiam jurisdictioni ejus locis *Appennini*, anno MCCLIX. a *Thoma Foliano* Comite *Romaniæ*, cum auctoritate Apostolica & Imperiali (iste enim titulus tum erat, pro quo nunc *Presidenti* apud nos dicimus) ususque quiete ista est, usque dum anno MCCLXVI. per mortem *Sassinatis* Electi *Guidonis*, omnia turbata sunt. Venit enim, ut superius diximus, in Regionem hanc *Ravennæ* Archiepiscopus *Philippus Fontana*, una cum *Communi Cesenæ*, atque violenta coactione obligarunt (quod dixere illi *facere citadinantiam*) *Communi Cesenæ* fidem multorum locorum Comitatus *Bobii*, prout diligenter illorum enumeratio a nobis facta est superius, ubi ostendimus Cap. III. *Bobii* nomine etiam venisse *Sassinam*. Compositis deinde rebus, jus suum rediit ad *Sassinæ* Episcopum, licet difficulter, & hic illic demembratum aliquo modo, coacto Episcopo *Henrico*, & dein Episcopo Fratre *Ugutio*, sæpius comparere ante Curiam *Romanam* & Judices Apostolicos, ad discernendas litigantium rationes reddendasque *Sassinatibus* res suas, designatos.

Dein, ubi *Avenionem* translata fuit Sedes Apostolica, occasio invadendi *Italiam* superiorem nata est Tyrannis, præsertim autem *Nerio*, filio magni istius *Uguzzonis Faggiolæ*, qui propter privilegia, sibi concessa a *Ludovico Bavaro*, qui vin- 74
dicabat sibi Nomen Imperatorium, aliquot Episcopatus loca occupavit. *Franciscus* etiam *Ordelafus da Forli*, multorum usurpavit Castellorum dominatum, inimicitias exercens cum *Francisco da Calbolo*, Episcopo *Sassinate*, persecuto a *Francisco dell' Abbete*, Archidiacono suo, qui exercitum contra illum duxit, illique Castella eripuit. Episcopus hic tamen postea fortitudine sua recuperavit *Sassinæ* aliorumque quorundam locorum dominatum.

Postea autem circa annum MCCCLXIX. magno damno affectus est Episcopus a propriis suis Officialibus atque ministris, quibus commiserat gubernationem dicti Comitatus *Bobii* in Ecclesia sua *Sassina*. Per illorum enim artem (quam in singularibus accurate descriptam non inveni) ablata illi quoad temporalem jurisdictionem fuit *Sassina*, atque Ecclesiæ *Romanæ* subdita; unde necessario contigit lis Episcopo *Joanni Nomao* cum Camera Apostolica, quæ determinata fuit sententia juris æqua, ex cujus vi Episcopus ille *Sassinas* recepit *Fezzum*, *Pozzum*, *Sorbanum*, *Ciolam*, *Cerfolium*, *Musellam*, *Finochium*, *Carestum*, *Castellum Novum* & *Montepetram*. Confirmata autem hæc sententia & exsequi jussa est a Pontifice *Gregorio* XI. in literis suis; verum per haud longum tempus

duravit sententiæ istius effectus & confirmatio, nec pro parte, nec pro toto. In subsecutis enim istius temporis Instrumentis invenio, Episcopo facto Fratre *Benedicto da Todi*, utrosque *Ordelaffios*, *Ciccum* & *Pinum*, de novo *Sassinam* una cum aliis ejusdem Comitatus locis, sub ditionem suam redegisse, ista forsan occasione, quod vacaret Sedes Episcopalis mortuo *Joanne Nomaio* anno MCCCLXXXV. Domini enim Regionis hujus fuerunt illi anno MCCCLXXXVIII. adeptaque auctoritate Apostolica, Vicarii S. Ecclesiæ facti sunt anno MCCCXC. atque ita per duodecim annos, non modo *Sassinæ*, aliorumque ejus Comitatus locorum Domini facti fuerunt, sed & *Fori Julii*, ut & *Forlimpopoli*, aliorumque, a *Bonifacio* IX. Pontifice, prout *Rossus* (seu *Rubeus*) narrat in *Historia Ravennate*; mortuo etiam Fratre *Benedicto*, ditionis suæ fecerunt *Ciolam*, atque alia, quæ adhuc
75 restabant Episcopatus hujus loca, per occasionem Sedis vacantis, quod per aliquod tempus duravit, prout videre est ex Instrumentis Investituræ ejus temporis ab Oeconomis, confectis ubi mentio fit *Ordelaffiorum* istorum, qui in initio *Ciolam* gubernaverunt ut Episcopatus rem, postea ut propriam, ipsi jam *Sassinæ* domini facti, aliorumque ejus locorum, usque ad annum MCCCC.

Sed non tamen omnia loca sua Episcopalis Sedes recuperavit, imminuta licet *Ordelaffiorum* dominatione, propter usurpationem, quæ tum accidit, a *Florentina* factam Republica, spoliando præsertim Comitem *Petrum da Romena*, rebellem illorum, ditione sua, in qua erant & complura loca ad *Sassinæ* Episcopatum pertinentia, quæ Nobilibus *Fagiolis* & *Monte-Oriolis* idem abstulerat. Atque hoc pacto quasi dimidium hujus Comitatus ad se rapuerunt *Florentini*.

Sassina autem cum multis Castellis ante Mensem Februarium anni MCCCCVI. sub *Malatestorum Cesenæ* venisse invenitur dominium, atque ita illis primum, dein & *Ariminensibus* paruit, usquedum *Pandulfus* à *Roberto* ejectus fuit *Arimino*, quæ Civitas anno MDI. venit sub Ducatum *Cæsaris Borgiæ*, *Valentinum* dictum. Verum mortuo Pontifice *Alexandro* VI. ipsius *Arimini* domini facti sunt *Veneti*, permutatione quadam facta cum prædicto *Pandulfo*, a quo etiam nacti sunt *Sassinam*, tenueruntque usque annum MDIX.

Loca vero illa quæ sub *Malatestis* fuerunt, in initio ad annum præsertim MCCCCLI. tempore *Malatestæ Novelli*, Domini *Cesenæ*, sequentia hæc suut: *Saxina*, *Turrita*, *Pozzo*, *Finocchio*, *Cerfoglio*, *Linaro*, *Ciola*, *Musella*, *Monte-Petra*, *Perticaglia*, *Ugrigno*, Remansere *Animino* ex hisce illa: *Saxina*, *Turrito*, *Perticaglia*, paucaque alia. *Ciola* enim, *Finochio*, *Cerfoglio*, *Pozzo*, & *Musella* redierunt ad Episcopatum; *Monte-Petra* autem & *Ugrigno*, cum quibusdam aliis ablata fuerunt ab *Urbini* Duce *Frederico*, in bello, prout existimo, quod habuit cum *Sigismundo Malatesta Ariminense*.

Fuit autem *Arimini* conjuncta quasi *Sassinæ* possessio ab illo tempore, quo sub dominatu fuit *Venetorum*, usque dum data fuit *Alberto Pio Carpensi* a Pontifice *Leone* X. per Privilegium suum *Romæ* concessum die Novembris prima, anno MDXIX. frustra obnitente, ne privaretur hac possessione, *Communi Ariminensi*.

76 Aliquanto post ad inter-regnum *Malatestæ* exiguo pertinuit tempore, qui, quum sub dominatu *Piorum* esset, in transitu *Borbone Romam* versus ditione sua illos spoliavit, usque dum *Leonellus*, frater *Alberti*, rursus illam recuperavit una cum *Meldola*, & quamdiu vixit, tenuit, atque moriens *Alberto* II. filio suo reliquit; cui anno MDLXXX. successerunt *Rudolfus* & *Leonellus* filii, qui propter ætatem minorennem quinque annos sub tutela fuere Dominæ *Hippolitæ Rossæ*, matris suæ. Verum *Rudolfus*, ubi ad ætatem imperio maturam pervenit, matrem a rerum habenis exclusit, & insecuta morte fratris anno MDLXXXVI. solus remansit Dominus multis annis; in quibus magnos pertulit labores, & denique, postquam maximo cum populi favore rebus præfuisset Domus sua per LXXX. prope annos, hic *Rudolfus Sassinam* una cum *Meldola* earumque agris, possessionibus, atque reditibus, vendidit centum quadraginta septem millibus Scutatorum Illustrissimis Dominis *Petro* Cardinali, *Joanni Francisco* & *Olympiæ*, *Aldobrandinis*, nepotibus Felicis Memoriæ Pontificis *Clementis* VIII. in quorum nomine Rev. Dom. *Joannes Andreas* Episcopus *Bertinori* sacramentum a *Sassinatibus* exegit decimo die Julii, anno MDXCVII. a quo jam die concepta animis Civium firma fuit spes recuperandæ pro parte pristinæ magnitudinis atque honoris, & ætatis feliciter exigendæ longissimo tempore, magno cum animi gaudio, sub clementissima dominatione Familiæ ALDOBRANDINÆ; quæ licet semper gravissima S. Ecclesiæ obierit munia, atque etiamnum in illis occupetur multum, maximo tamen cum benignitatis affectu in hanc venit Regionem, & infinita illi publica atque privata attulit commoda, nunc statuta dans subditis honesta simul & utilia, modo tributorum atque impositionum minuens onera, modo vi magna pecuniarum ex suo etiam subveniens, ut Nomen illius nunquam non sine publici beneficii memoria civibus subvenire possit; denique ante omnia curans, atque providens, ut integri a corruptione, atque ab extorsione alieni sint Judices & Magistratus, boni remunerentur, mali puniantur, pax & abundantia rerum omnium floreat; unde vicini 77
populi atque accolæ laudantes *Sassinæ* felicitatem, indies majorem illis augurantur adhuc fortunam.

Hac itaque de caussa plurimum lætatur *Sassina*, emergere sese cernens ex illa, quam mille fere annos toleravit, infelicitate; licet & tribus tamen in istis quoque temporibus rebus glorietur *Sassina* eadem, quod scilicet, quantumvis egena, exigua, destructa, & quasi annihilata, semper tamen Episcopalis manserit Civitas. Quod (secundo) semper pristinum suum nomen retinuerit, sine qua forsan jam situs ejus ignoraretur, & applicari illi posset *Flori* illud de *Samnitibus* atque *Vejentibus*, ubi dicit: *Quæritur in Samnio Samnium, nec inveniri potest; & laborat Annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.* Quod denique Fluvium habeat *Savium* saluberrimum, clarissimum per se apud Historicos, clariorem vero adhuc, Tribu *Sapinia*. Quibus denique addi potest, quod *Tibris*, non nomine, sed re, Rex Fluviorum, quoniam Reginam Urbium *Romam* alluit, fontem suum habeat in Diœcesi *Sassinate*, ibique ordiatur atque cursum suum inde aliorsum extendat.

CAPUT VIII.

Quousque Ager Sassinæ pertinuerit.

Ad antiquos terminos Urbis, ejusque agros, seu jurisdictionem demonstrandos, nulla melior est regula, prout optime dicit *Vincentius Borghinus*, in Libro suo de *Origine Florentiæ*, quam eosdem exigere ad Episcopatus fines atque jurisdictionem Spiritualem. Ordo atque usus Ecclesiasticus stabilis est, securus atque cunctis idem temporibus, idque apud omnes Gentes; unde fit, ut loci ad Ecclesiam spectantes difficulter dominio suo moveantur, fines vero Diœcescos semel stabiliti nullo unquam tempore levi de causa permutentur.

In initio, quidquid singula Civitas possideret in Temporali, ejus etiam Episcopo in Spirituali fuit

fuit assignatum, finesque hoc pacto singulis assignati Episcopatibus perlongo tempore stabiles permanserunt, quum enim communis omnium locorum domina esset *Roma*, nihil in causa erat, ut huic ademptum quid loco, alteri assignaretur. Postquam vero bellis quassata est *Italia*, ita ut Status permutati fuerint, & quotidie novam experirentur commutationem, Episcopatus tamen ut neque Diœceses mutationem ullam subierunt. Si tamen forte, quod raro accidere solet, invenitur locus quidam nunc hujus, nunc illius Diœceseos, fa-
78 ctum id est, occasione novi cujusdam conditi Episcopatus, propter populi accrescentem multitudinem; aut nonnunquam etiam ex negligentia ipsorum Episcoporum, qui in loco suo non resederunt; cui opponi debet sollicita vicinorum suorum Episcoporum diligentia. Inveniuntur & loca quædam ablata alicujus Episcopi Jurisdictioni, non tamen translata ad illam alterius Episcopi, verum exceptionis quadam occasione a Summis Pontificibus Monasteriis aliisque locis concessa, atque ita libera, & (ut dicere solent) nullius Diœceseos.

Affirmamus itaque *Sassinam* pristinis istis temporibus, & longe etiam post, omnia illa saltem loca possedisse, seu pro territorio suo habuisse, quæ in Spirituali ad ejusdem Episcopum jure suo pertinent.

Neque temeritatis credo convinci me posse, si dixerim *Montefeltro* Diœceseos *Sassinatis* fuisse ante Urbis ejus ruinam, vel Sylvam saltem illam *Sassinatem* fuisse, de cujus *meta lactis* loquitur *Martialis* Lib. III. Epig. LVIII.

Metamque lactis Sassinate de Sylva.

Doleo equidem, nullas me vidisse Memorias istorum temporum, ex quibus appareat, vel Urbem fuisse vel Episcopatum, nunc autem temporis deprehendere e contrario, Diœcesem *Montefeltri* fines suos jungere cum Parochia *Sapigni*, aliquanto plus quam unius milliaris iter distante a *Sassina*, quod certe nequaquam ita esse potuit nondum destructa Urbe *Sassina*. Verum silere de illis debemus, quæ ignota nobis sunt, propterea etiam nihil dicemus interim de *Galeata*, quæ hodie nullius vocatur Diœceseos, licet Episcopus *Bertinori* ad suam contendat pertinere Jurisdictonem, quoniam Pontifex *Paulus* I. in Bulla quadam sua, *Territorium Populiense* appellat, aliisque, quas profert, de rationibus; quamvis & ipsa fuerit forsan *Sassinatis* Jurisdictionis temporalis, nondum destructa Urbe. Id vero nullo modo extorqueri nobis sinemus, locum *Bagno*, qui & ipse Diœceseos respectu, titulo *Nullius* jam venit, Diœceseos olim fuisse *Sassinatis*. Locus enim iste cum omnibus subjacentibus, sibi Ecclesiis, ex Scripturis Antiquis, Sententiis, & Privilegiis Summorum Pontificum, in Diœcesi *Sassinati* reponitur. Ex illis etiam apparet, Parochialem *Bagni* Ecclesiam, quæ nunc *Abbatia* vocatur, cum aliis pariter *Sassinatis* Ecclesiæ Parochialibus, ut ad illam pertinentem recenseri. Castella etiam *Plebatus* ejus, seu Jurisdictio-
79 nis (prout lubet appellare) comprehendebantur sub Comitatu *Bobii*; spatium Diœcesios ejus *Bobii*, quod, ut superius uberius diximus, nunc est *Sassina* (dicebatur enim olim *Bobium*) una cum *Plebatu Bagni*, omnia illa amplectebatur loca, quæ comprehenduntur tribus illis Episcopi *Sassinatis* Privilegiis, quæ superius a nobis sunt commemorata, datis ab Imperatoribus *Conrado* & *Frederico*, ut & illa loca, quæ sub ditione fuerunt *Thomæ Foliani* Comitis *Romaniæ*, suntque ad centum & novem, seu undecim loca; quæ tenentur jam, partim a variis dominis, partim a *Florentinis*, qui quidem longo tempore, usque dimidium fere milliare ab Urbe *Sassina*, loca illa omnia sub ditionem suam quondam redegerunt. Ecclesia etiam
A *Romana*, non pauca, quasi Exarchatus *Ravennatis*, ad se loca rapuit, cum ipsa Urbe *Sassina*, quæ postea cum parte Castellorum illorum, quæ ad Episcopatum *Sassinatem* olim pertinuerant, concessa fuit, ut demonstravimus, Dominis *Piis*, a quibus postea temporis omne jus suum venditione transiit ad Excell. Dominos *Aldobrandinos*, quorum jam felix est possessio.

Urbini quoque Duces, & præsertim *Fredericus* I. quædam loca sua fecerunt, quæ quidem partim sibi retinuerunt, partim concesserunt in feudum Dominis *Fregosis* & Comitibus *di Massa*. Multa etiam cepit Archiepiscopatus *Ravennæ*, quæ *Vis-*
B *contado* & *le Torre del Podere* dicta sunt. Nullum vero ex illis recuperavit Episcopus *Sassinæ*, licet olim ad Ecclesiæ suæ rationes pertinuerint. Verum quædam sibi adhuc retinet Episcopatus *Ravennæ*, quædam locavit Dominis *Aldobrandinis*, Marchioni *a Balneis*, seu *da Bagno*, Comitibus *Manfredis da Valdinoce*, *Honestis da Falcino*, *Cioninis da Sarsina*, *Naldis da Faënza*, *Riciardellis da Rimini*, *Bianchis da Città di Castello*, *Fattibuonis*, & *Fantaguzzis da Cesena*, & *Lignanis da Bologna*, qui omnes hodie loca illa tenent.

Ut autem constet, quænam fuerint illa loca centum atque novem seu undecim, quæ olim in-
C ter *Sassinatis* Episcopatus loca numerata fuerunt in Privilegiis istis; eorum hic referam nomina, non quidem eo ordine, prout ibidem exstant, sed prout jam cognoscuntur unita & juncta variis illorum, quos superius nominavimus, Jurisdictionibus.

Immediate sub *Sassinate* Episcopatu sunt *Ciola*, *Monte Sorbo*, *Musella*, *Cerfoglio*, *Finocchio*, *Pozzo*, *Fossa di Canna*, *Piandogna*, *Monte dell' Abete.*

[1] Decem adhuc sunt ejusdem quoque Episcopatus, verum variis concessa dominis, qui, prout 80
nos dicimus [2] *da quello li riconoscono con pagamento*
D *del canone*, *e con investitura*. *Cigno* scilicet, *Seguno*, *Bucchio*, & *Pezzolo*, quæ pertinet ad Dominos *Aldobrandinos*, ex alia enim investitura illorum est quoque *Pondo* & *Spinello*. *Fontana-Fredda*, *Rivoschia* & *Monte-Ladtoni*, cum dimidio *Petrellæ Ubertinorum*, seu *de gl' Ubertini*, Marchionis *a Balneis*, seu *di Bagno* est; alteram enim partem istius *Petrellæ Ubertinorum* habent *Manfredi da Valdinoce*, *Ricciardelli da Rimini*, & *Lignani da Bologna* una cum sulphurariis, quæ ibidem sunt. *Falcino*, pro duabus tertiis partibus ad *Cioninos da Sarsina*, *Fantaguzzos da Sesena*, & *Naldos Faëntinos*, pertinet, reliquam tertiam partem tenent
E *Honesti* ex prædicto loco; *la Piavola* autem *Fattibonorum da Cesena* est, & *Bianchorum da Castelle.*

Alia quinque loca pariter ad rationes Episcopatus *Sassinæ* pertinebant, sed jam a paucis aliquot annis habentur a Reverenda Camera Apostolica, *Monte Gottone* scilicet, quod in Scripturis *Mons Guidonis* appellatur, & *Baciolino*, quæ ambo nunc ut feuda habent *Tiberti da Cesena* per spatium CCXIII. & plurium annorum; *Linaro*, *S. Romano*, *Monte Rodolfo*, quæ feudalia quoque ab Episcopatu habent *Angaselli da Cesena* aliique, dominium illud adepti ab Episcopis *Sassinatibus*

1. *Decem adhuc*) Novem hisce nunc primum (addiderat in *Indice* Auctor) accesserunt X. & XI. quæ sunt *Fossa di Canna*, & *Piandogna*, concessa ex auctoritate Apostolica Mense *Augusto* anni præcedentis MDCVII. Ill. Domino *Alfonso Montecatino* Nobili *Ferrariensi*, pro pretio quinque millium scutatorum pro investitura per Episcopatum, & CCC. (*di laudemio*) pro investitura facta a Reverendiss. Domino *Nicolao Brantii*, Episcopo *Sassinate*.

2. *Da quello*) Vult dicere dominia hæc feudalia certo locari pretio, ita ut investituram cogantur petere ab elocantibus.

per investituram, & concessionem continuatam per quadringentos annos.

Habet & eadem Camera tria pariter alia, jam a longissimo quidem tempore *Mongiusto* inter illos fuit, verum *Civorio* atque *Monte Arsiccio* tantum a viginti quinque annis.

Novem tenet *Archiepiscatus Ravennæ*, quæ sunt *Mercato Saracino*, *Colonnata*, *Monte-Splano*, *Paderno*, *Piaglia*, *Massa*, *Taibo*, *Monte-Sasso*, *Mastro*.

Quadraginta duo jam sunt sub Magno Duce *Hetruriæ*, videlicet *Sorbano*, *Attezzo*, *Rulato*, *Liciola*, *Valbiano*, *Faciano*, *Sagliaccio*, *Valdagneta*, *Caresto*, *Atto*, *Monte-Oriolo* Superior, *Monte-Oriolo* Inferior, *Monte-Corbo*, *Monte-Agiusto*, *Rocchetta di Catone*, *Castello del Priore*, *Cotolo*, *Coloréo*, *Nasseto*, *Corneto*, *Orvereto*, *Pastorale*, *Metato di Giusto*, *Pian di Colombo*, *Terra di Marsione*, *Pereto*, *Viezza*, *Valbonosa*, *Rocca di Vessa*, *Vessa*, *Chianatro*, *Selva-Piana*, *San-Salvatore*, *San-Stephano*, *Donicillo*, *Latrune*, *Mazzo*, *Sant' Angelo*, *Papatrice*, *Vergareta*, *Monte-Cornaro*, *Alfaro*, *Monte della Cella*, *Villa di Trivio*.

81 Duo ad *Urbini* pertinent Ducem, *Monte-Petra* & *Rontagnano*.

Unum habuerunt ab *Urbini* Ducibus Domini *Fregosi da St. Agata*, illud videlicet, quod *Rivolpaia* dicitur.

Quinque eorundem in dominio sunt Comitum *Bernardinorum dalla Massa*, videlicet *Massa*, *Casalvecchio*, *Pagna*, *Bianzano*, & *Sigutano*.

Tredecim in ditione sunt Dominorum *Aldobrandinorum*, videlicet *Sarsina*, *Galbano*, *Turrita*, *Sapigno* Superior, *Sapigno* Inferior, *Portolo* (extra Comitatum enim *Bobii* est *Perticaglia*) *Ranchio*, *Campiano*, *Monte-Castello*, *Casalbuono*, *Casursola*, *Torricella* & *Sommavilla*, præter quæ ad Episcopatum pertinent.

Quinque habet Dominus Marchio *de Balneis* (*da Bagni*) scilicet *Giagnolo*, *Monte-Mercurio*, *Petrella dell' Abbate*, *Monte Castagneto*, *Alfaro*, præter feudatarias (*gl'enfiteotici*) jam enumeratas.

Sunt insuper septem in prædictis Privilegiis, quæ quoniam destructæ sunt, situm suum hodie certo non indicant, suntque *Prugnano*, *Massa di Balneolo*, *Massa Clena*, *Massa Liciniana*, *Gapta*, cum septem vicis, *Moncassiano*, & *Massa di Tarso*.

Licet vero quædam horum locorum exigua jam sint Oppidula, attamen non tam parva credi debent fuisse tum, quum confecta sunt hæc Privilegia. Fuere enim olim valida satis Castella, jam destructa, & bellorum istis in regionibus occasione, quæ prioribus seculis gesta sunt, prout in *Annalibus* dicemus; & exigua cura, quæ hodie muni-
A tis locis adhibetur, quum omnia tranquilla pace gaudeant in *Italia* nostra, Principumque potentia, qui tot Arces non curantes, quædam ex munitioribus tantum servant. Ita periisse vidimus *Faciano*, ubi ante paucos annos & præsidium & Gubernatores erant, ita *Monte Oriolo*, & plurima alia loca, quorum vix vestigia observantur, mutatis primo Castellis in ruinas eorundem, & dein in Villas, quæ adhucdum ægre locum suum servant, nisi in agro fertili sitæ sint, quum familiæ inhabitantes sæpius ad locum meliorem sese conferant.

B Ut ut tamen sese res habeat, meritas Deo gratias debet *Sassina*, quod quidem satis arcto, præ incolarum numero, loco inclusa, in fertili tamen sit sita regione, atque ea admodum amæna pro-
pter arbusta varia, oliveta, vineasque, quæ ibi- 82
dem inveniuntur, quum nullis, ullo in loco, fertilitate concedant agri *Sapigni* & *Perticagliæ*, quæ Potestatis hujus Castella sunt, unde & hæc loca plurimum incolis frequentantur.

Ut autem ad propositum redeamus, si jam ante annos ter centum & quinquaginta, possessa ab Episcopo suo *Sassina*, sub se habuit centum &
C amplius Oppida seu Castella, atque adeo ista ætate, qua paulo melior, vel forsan pejor ejus, quam nunc est, fuit status, quid dicemus de pristino illo tempore, quo, antequam destrueretur, floruit? Nihil aliud certe, quam quod jam ab initio diximus, ab *Sextini* confiniis usque illa *Mutili*, & a vertice *Appennini*, atque *Tiferno*, nunc *Città di Castello*, ad littus usque Maris *Adriatici* loca tenuisse *Sassinates*, unde *Populi Sassinates* dicti sunt, & *Tribus Sapinia*, excepta ista possessione, quam occuparunt postea *Galli Boji* & *Senones*, extendentes sese *Ariminum* & *Anconam* versus. Et tribus quidem
D firmor rationibus in eo. Quod ædificatæ sint Urbes & loca, quæ nunc ibidem inveniuntur post Triumphum, quem de *Sassinatibus* egerunt *Romani*; Quod *Sassinatum* Regio distincta ab aliis nominetur, ut superius *Plauti* & *Polybii* docuimus auctoritate, id quod monstri esset simile, respectu temporum illorum, in territorio minus augusto; Quod denique inveniam Portum *Umbrorum* dici vicinum Mari *Adriatico* penes Auctores, quod si *Umbri* tam prope Mari sunt, sunt etiam & *Sassinates*.

Et quantum quidem ad ultimum hoc, sit meum
E illud proprium, cui assensum præbeat, qui probet rationes easdem, quibus ego impulsus idem affirmo; quod vero ad reliqua, nemo controversiam mihi moveat in illis, quæ confirmata Imperatorum Privilegiis tuto a me affirmari potuerunt.

IO infrascritto faccio fede, in libro intitolato DELL' ANTICHITA DI SARSINA non ritrovarsi cosa alcuna contro la Fede, o buoni costumi, anzi esser' opera molto utile alla cognitione, delle vecchie historie a lei 28. d'Agosto 1605. *Jo. Bartolomeo Gasparino.*

Die 10. *Septembris* 1605. *Attenta dicta attestatione, Conceditur facultas imprimendi dictum Librum* De Antiquitate Civitatis Sassinæ *servatis aliis servandis. In quorum fidem &c.* F. Petrus Maria de Urgano *sacræ Theologiæ Magist. & Inquisit. Faven.*

F I N I S.



IN-

INDEX
Rerum & Verborum Memorabilium.

Mat-

FINIS.

JOSEPHI MALATESTÆ GARUFFII,
Bibliothecæ Ariminensis Custodis,

LUCERNA LAPIDARIA,

Quæ
TITULOS, MONIMENTA, EPITAPHIA, INSCRIPTIONES, AC SEPULCHRA,
Tum Gentilium, Tum Christianorum,
VIA FLAMINIA & ARIMINI
Scrutatur.

SIGEBERTUS HAVERCAMP
Recensuit, Varias Lectiones, Præfationem & Indices adjecit.

Editio Novissima, Auctior ac Emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTI HAVERCAMPI
PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NEMO, ut opinor eſt, quin facile viſurus faſſuruſque ſit, quantum, non tantum Ornamenti, ſed quod longe eſt præſtantius, utilitatis hic & ſimiles Libelli, ob raritatem conquirendi & bonitatem laudandi, Pulcherrimo huic Operi ſeu THESAURO conferant.

Diligentiſſimam Operam poſuit Auctor, ut INSCRIPTIONES non tantum Antiquas, quarum, ut diligenter notavimus, maxima pars *Grutero* etiam, quanto Heroi! incognita fuit, ſed & Recentiores, quæ ſane maxime ad Hiſtoriam Reipublicæ Literariæ faciunt, diligentiſſime colligeret. Nec nude poſuiſſe contentus, ad Ingenii ſui Lucem LUCERNAM LAPIDARIAM accendit, multaque abſtruſa Lectorem ſuum docuit.

Merebatur certe ARIMINUM, ne fruſtra in hiſce Voluminibus quæreretur, Urbs, de qua vere quondam & eleganter *Julius Cæſar Scaliger* ita cecinit.

PRiſca fui quondam civilis meta furoris:
Sed non fortunæ meta futura fui.
Non tum arma togæ, non ceſſit laurea linguæ.
Cæſaris eſt facere, haud ſub Cicerone loqui.

Merebantur Antiqui Lapides ex tanta ruina ſuperſtites, Novique, ſed ignoratis in tenebris ſepulti, talem Virum, qui ſitim illam reſtingueret, quam accendiſſe vix dici poſſunt Viri Docti, qui Urbium & Locorum Inſcriptiones collegerunt.

Sed tamen quum apud *Laurentium Schraderum* in *Monumentis Italiæ* pag. 285. ut & *Nathanem Chytræ-*

um, in Libello, quem inſcripſit *Variorum in Europa Itinerum Delicias*, pag. 204. paucula quædam, ſeſe nobis obtulerint, quæ neſcio qua de cauſſa apud *Garuffium* non appareant, ea hic ſubjicienda curavimus.

In Publici Palatii Cœnaculo quodam, in parietibus circumquaque Hiſtoriæ Depictæ viſuntur, cum ſubjectis Inſcriptionibus.

I. Ariminum *à Comitibus* Herculis *conditum.* Cato *de* Orig

II. Lucius Auſaponius *bonus civis, deduxit coloniam* Ariminum.

III. Annibale *victore, Imperium populi* Rom. *ſtetit* Ariminenſium *ſubſidio, inter* XVIII. Rom. *Colonias.*

IV. *L.* Sempronius *Cos. compoſitis* Siciliæ *rebus, oram* Italiæ *legens*, Ariminum *pervenit.*

V. C. Cæſ. *militibus præmiſſis, mulis ad vehiculum junctis, nondum die illuceſcente* Ariminum *occupavit.*

VI. *Inter meliores, ditiores, pulcriores* Italiæ *civitates*, Ariminum *à* III. *Viris militibus in prædam conceſſum.*

VII. Auguſtus Cæſar, *quò Urbs faciliùs adiretur*, Arimino *tenus* Flaminiam *munivit.*

VIII. Veſpaſianus & Titus Cæſares Arimini *invenere* M. Aponium C. & L. Tertalam CXXXVII. *annos vixiſſe.*

IX. *In* Ariminenſi *agro, in villa* Galerii, *loquutus eſt gallus gallinaceus.*

X. *Concilium, cui Beatus* Hieronymus *interfuit*, Arimini *eſt celebratum.*

XI. Ariminum *à* Gothis *obſeſſum, per* Belliſarium & Narſetem *Duces* Juſtiniani *liberatum.*

Miror autem hoſce viros tantum diſcrepare; *Schraderus* enim ita variat. Num. II. *Aſaponius* III. *Arimineus in duo de viginti Rom. Colonias ſubſidio Pop. Rom. ſtetit.* Hæc tantum ibi. IV. *compoſitis Siciliæ Rebus* abſunt. V. tranſponit *Illuceſcente die.* VI. *inter clariores ditioreſque Italiæ*, & abeſt *viris militibus.* VIII. *Cæſ.* & *M. Aponum & L. Tertalam* CXXXVII. *vixiſſe.* IX. ponitur hoc Num. XI. X. *Arimini celebratur.* XI. *liberatur* ſed ponitur Numero IX.

Inſcriptio FONTIS hæc ponitur ibidem pag. 205.

PAULI III. P. M. MUNUS.

In COEMITERIO, ut ſcribit *Schraderus* pag. 285.

TEMPUS ET LOCUS TACENDI.

Commemoratur in Editione Noſtra pag. 38. E. Epitaphium *Sigiſmundi Malateſtæ*, qui *Pandulphi* fuit filius.

filius. Commemorat idem *Schraderus* loco citato, verum hanc addit SACELLI DEDICATIONEM.

SANCTE DICATA TIBI HÆC ÆDES ET CONDITA SOLI,
SIGISMUNDE PIIS ADDITE COELITIBUS.
QUIVE TUUM SERVAT NOMEN MALATESTA SUPERBUM
ÆTERNUMQUE TIBI MARMORE STRUXIT OPUS

Diximus ad pag. 39. A. Inſcriptionem illam *Græcam* ita fœde in Veteri Editione corruptam fuiſſe ut vix reſarciri atque in aliquem ordinem redigi a nobis potuerit. Vidi poſtea & *Schradero* & *Chytræo* animadverſam quoque fuiſſe, qui in reliquis Lectionibus nobiſcum conſpirantes, in hiſce diſcrepant.

℣. 1. ΜΑΛΑΤΕΣΤΑΣ ita *Schrad.* ſed ΜΑΛΤΕΣΤΑΣ. *Chytr.*

4. ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΟΥΤΩΣ &c. *Schrad.* ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΟΥΤΩΣ ΠΡΑΧΘΕΝΤΩΝ *Chytr.* ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΟΥΤΩΣΕΙ ΠΡΑΧΘΕΝΤΩΝ.

6. ΤΟΝ ΝΕΩΝΤΟΣ &c. *Schrad.* ΤΟΥ ΝΕΩΝΩΣΕΝ ΤΗ ΑΥΤΗ ΠΕΡΙΣΤΑΣΕΙ ΤΟΙΧΩ ΝΕΥΞΑΜΕΝΟΣ *Chytr.* ΩΣ ΕΝ ΤΗ ΑΥΤΗ ΠΕΡΙΣΤΑΣΕΙ ΤΥΧΩΝ ΕΥΞΑΜΕΝΟΣ. & mox uterque ΑΝΑΛΟΣΑΣ ΗΓΕΙΡΕΝ.

Hæc paucula dicenda habebam. Vale.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. FRANCISCO GARAMPA,
Nobili, ac Patricio Ariminenſi.
INCLYTO, HUMANISSIMO VIRO
AMPLISSIMO ATQUE EXORNATISSIMO MÆCENATI
LUCERNAM LAPIDARIAM,
Joſeph Malateſta Garuffius
Accendit, dicit, vovit,

ILLUSTRISSIME DOMINE.



ELUCUBRATUM hoc de SEPULCHRIS, tum Gentilium, tum Chriſtianorum Opus, mihi in lucem emiſſuro, quo Nomine, inquirendum diu minimè fuit. Tuum VIR ILLUSTRISSIME ipſi Operis fronti, omni abjecta cunctatione inſcribendum putavi. Nec ſtudio dumtaxat incenſus, & officio id expetii; ſed tantum in eam ſpem veni, fore, ut ne Te quidem invito aditus Operis hoc Titulo ſplendeſceret. Quoties ego inter Patriæ noſtræ Sepulchra oberro, ſubit animum infœlicitatis humanæ juſta recordatio, atque terminos fœlicitatis ejuſdem video, vento, ſomnioque perſimiles. Etſi enim quidpiam in ea eſſe poterit, illud totum in Divinorum Operum contemplatione, & admiratione poſitum eſt. Opera

sane divina nemo non novit esse illorum Hominum studia, qui vel Scientiis, vel Armis sese dederunt. Horum scilicet, quamvis artus solvantur in pulverem, adhuc tamen in Cineribus immortale perennat nomen, diu duraturum, atque ut Phœnix per sæcula redivivum in Ætatum memoria. Nonne Lapides Sepulchrales (hoc ad exemplum dico) quibus forinsecus D. Francisci *Templum ornatur, nos docent nomina, & actiones* Themistii, Valturii, Basinii? *Exceptionem sentit dictum illud Chrysostomi,* circui Tumulos, & maximas Hominum fortunas ulterius Cinerem videbis nihil esse, *quoties Heroum inspicimus Facinora, quorum Testimonium vel ad Posteros migrat. Hæc igitur Tibi, ILLUSTRISSIME VIR, dicare statui, cum tui capacia sint Animi, cumque omnia hæc sint, & notatu digna, & observatu utilia, LUCERNA LAPIDARIA mihi hæc detegit, ejusdem adhuc perseverante lumine hæc Tibi offero, ut nobiliora, grandioravè in Dies, & Annos durent. Sub tui Nominis protectione Heroum stant Umbræ, Domus, & Templa, qui Architectonica delectaris voluptate, quique Publicis Ædificiorum magnificentiis assistis, ut ea Marmora usque ad admirationem surgant, quæ diu Arcus sustinuere Pontis illius, quem ad nostrum posuit* Rubiconem Lepidus, Flaminii *Collega,* M. Æmilii *Filius. Devotionis, atque obsequii erga Te, VIR PRÆSTANTISSIME, fidum, æternumque pignus hæc sunto. Suscipe ergo animo hilari, quo etiam ego hujus Operis provinciam suscepi, ut Tibi fælicitatem inaugurarem. Vale, diu vale. Anno ab Incarnato Deo M. DC. XCII. Ætatis meæ XXXVII.*

L E C T O R I

CENOTAPHIUM HONORARIUM.

LECTOR


Hunc tibi positum Titulum cerne, luge, disce.
Impares nascimur, Pares morimur;
Unicum omnium nostrum Patrimonium Sepulcrum est
Omnibus enim eamdem pereundi Legem
Mens dixit Æterna:
Sola Virtute Cinerum nescia.
Hinc
LUCERNA hac LAPIDARIA
Saxa Sepulchrorum scrutatus sum,
Ut in iis,
Si non Homines in Pulverem resolutos,
Saltem eorundem inspicerem
Superstitis Famæ Umbram immortalem.
Ne me spernas diu morantem inter hos Lapides.
Quandoquidem
Ultimam habent vel Marmora diem,
Quam Literatorum nesciunt Opera.
Disce tandem:
Si obtrectatione mordes, jam tibi parentavi;
Si benevolentia parcis,
Et flores ætatis, & vividæ indolis lætitiam
Nullibi meliorem, quam tuis in Aulis
Exopto.

OPERA AUCTORIS TYPIS COMMISSA.

Poëtici Musei Tessellatio. Disticorum Centuriæ. Forolivii.
Sphingis Cœna Ænigmatica. Arimini.
Lucerna Lapidaria. Arimini.

OPERA EJUSDEM TYPIS COMMITTENDA.

Templum Malatestarum à calumniis Vuadingii vindicatum.
Lexicon Concionatorum; & Lexicon Politicorum.
Notæ in Divinam Scripturam.
Tractatus Magnus de Sepulturis.
Tellus Medicorum incognita.
Artificium, quo Theologia Moralis memoriæ facile retinetur.
Babilon Philosophorum.
Commentaria in quosdam Chemicos Caracteres insculptos in Orificio Ollæ sub Terris inventæ.
Indicem Operum idiomate Italico, quæ in lucem jam dedit, & dabit in posterum Auctor, videat Lector in *Vita di S. Giosеppe*, Venetiis hoc Anno prælo donata.



I N-

INDEX AUCTORUM

Qui citantur aut illustrantur.



Monu-

. . . . *Monumenta fatiscunt*

Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Auson.

Non norant hæc Monumenta mori.

Mortales sumus, sed tamen quodam naturæ nobilioris instinctu immortalitatis avidissimi. Quo fit, ut fugientem vitam perennare jubeamus in nomine quantum possumus; Nomen verò vel Æri, vel Marmori committamus: Sed, & his invidet temporis injuria, neque tantum nobis licet esse beatis, ut ejus dentes possimus evadere. Supertius in Selectis Christiani Orbis Deliciis.

JOSE-



JOSEPHI MALATESTAE GARUFFII
LUCERNAE LAPIDARIAE ACCENSAE

Ad Titulos, Monimenta, Inscriptiones, & Sepulchra Gentilium *visenda.*

CAPUT I.



OBSOLETAS Lapidum memorias in lucem revocare, haud parvi momenti est. Redivivæ enim Antiquitatis videmus secula, quotiescumque priscarum Ædium, vel Monumentorum rudera scrutamur; Ætatumque fragmenta conspecta, ea Ingenium nostrum implent cognitione, qua facilius per transacta æva spatiatur. *Gothorum* rabiem multis in Regionibus Statuæ, Tituli, Æra, Sepulchra, Ædificia, quæ vel structuræ elegantia admirationem conciliabant, subiere, atque sauciæ latinitatis vulnera adhuc hianti ore illacrimantur. Verum aliquos Lapides, ac pretiosiora Marmora squallore obducta, injuriaque fere deleta, Viri de re literaria optime meriti effoderunt, atque effossa, vel genuine, vel ingeniose interpretati sunt.

INnumeris conspersa Sepulchris via *Flaminia* prope *Ariminum* transactis videbatur temporibus. Mos enim, quo *Romana* consuevit Antiquitas celebrioribus viis, Virorum, ac Familiarum illustrium Sepulchra ob oculos viatorum exponere, hic etiam observabatur. Ibi plurima, via *Appia*, quæ apud omnes cæteris viis tunc temporis erat celebrior, adhuc adnumerantur; eamque refertam Sepulchris conspexit *Cicero*, quorum ipse meminit in suis potissimum *Tusculanis Quæstionibus: Antu*, inquiens, *egressus Porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum Sepulchra vides, miseros putas illos?* Hic pariter multa, via *Flaminia*, qua iter est *Romam*, conspiciebantur. Cum enim *Ariminum*, antiquissima Civitas, Caput olim *Senonicæ Galliæ* in littore Maris *Adriatici*, duabus semitis, viisque celeberrimis, *Æmiliæ* scilicet, & *Flaminiæ* pro confinio inserviat, imitatione *Romanorum* Rituum Sepulchra, & Inscriptiones per hanc viam Civium pietas disseminavit.

Via *Flaminia* (ut legentibus fiat satis) à Porta *Flumentana* Urbis *Romæ* initium habuit, & nomen * a *Cajo Flaminio* iterum Consule, qui ad
10 Lacum *Trasimenum* cum quindecim millibus ab *Annibale* cæsus est. Sunt qui dicant à Filio *Flaminii* stratam, sed *Panvinius* censet a Patre cœptam

* Raderus *ad* Mart. *lib.* IV.

A à Filio perfectam. Ab Urbe per *Tusciam*, & *Umbriam Ariminum* usque pertinebat; Et hac via tota *Roma* spectari poterat, *teste* Martiale *lib.* X. *ep.* VI.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

Æmiliæ vero fuerunt duæ; altera *Flaminiam* excipiebat; altera, quam stravit *Scaurus* per *Pisas*, & *Lunam*, & *Sabatias* usque. De prima hic nos agimus; hanc *Marlianus lib.* VII. *cap.* XIII. ita nobis sternit. *Æmilia*, inquit, Via à *Lepido Flaminii* Collega strata, ut quorumdam est opinio, ab *Æmilia* Regione *Bononiam* usque: Cujus vestigia multis in locis cernuntur. *Lepidus* is fuit, ex *Strabone*, *Marci Æmilii M.* Filius, Pontifex *Maximus*, iterum Consul, Censor, & Princeps Senatus sexies lectus.

B His ita expositis, operæ pretium duxi singula Sepulchrorum *Ariminensis* Vetustatis, ac Titulorum vestigia recensere, ut studioso Lectori transactas præbeam memorias, atque fragmenta, quibus jam diù hujus nostri ævi parentavit dolor. Sunt quisquiliæ, fateor [ut verbis utar *Stephani Zamosii* ad gen. Virum *Wolffangum Kovachocium* in *Analectis, Lapidum Vetustorum*] has tamen dum scrutamur, veluti rimatores quidam arenæ, gemmas non leves inde eruimus.

C

LVCERNÆ LAPIDARIÆ

Ad Sepulchra Antiquorum Ariminensium *invisenda.*

Ἀνακήρυξις.

[1] P. FLAVIO P. L. ANTAE ELPIS FLAVIA L. P.
FLAVIVS FVSCVS P. P. FLAVIVS HYLA
FILI....

Hoc est: *Publio Flavio Publii Liberti Antæ Elpis Flavia libens posuit, Flavius Fuscus Præses Provinciæ Flavius Hyla Filius.*

D *Publius*, Prænomen apud *Romanos* usitatissimum, ut in antiquis Lapidibus videre est. Hoc prænomen illorum præcipuè fuit, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent. *Sert. Ursat. de Notis Rom.* Honoris causa prænomina præponebantur nominibus, ac XXX. fuisse ex *Varronis* sententia tradit *Valerius. Vide Thesaur. Linguæ lat. v. Prænomen.* De hoc fusius paulò infrà dicemus.

Prope Divi Gaudentii *eadem via* Flaminia *sequentes adspiciebantur Lapides.* LI-

1 P. FLAVIO] Non exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum*.

J. M. Garuffius.

[1] LICINIA M. F. SALVE

Nempè: *Licinia Marci Filia Salve.*

11 CN. ATINIVS CN. F. RVFVS.

Hoc est: *Cnæus Atinius Cnæi Filius Rufus.*

Cnæus prænomen in Notis, & Monumentis duabus inscriptum literis, ad differentiam prænominis *Cajus*, quod unica tantum in iisdem insculptum reperitur.

D. M.
CN. ATI. ARR. PAVL.
VIXIT AN. XXV. M. VI. DIEBVS XXIV.
PARENTES INFELICISS.

Dis Manibus. Vulgatissimus Sepulchralium Lapidum titulus. Putabant Veteres *Manes* esse Deos Inferos, eosque inter Numina læva numerabant, placabantque sacrificiis, ne nocerent. Alii putant hoc nomine appellatas fuisse Animas a Corpore separatas, in qua sententia fuit *Apulejus*: *Manes*, inquiens, *animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore nostro Genii dicuntur, corpori renunciantes.* Sunt etiam qui asserant, *Manes* eosdem esse, quos Antiquitas Genios appellavit; duosque *Manes* corporibus ab ipsa statim conceptione assignatos fuisse, qui ne mortua quidem corpora desererent, consumptisque corporibus Sepulchra inhabitarent. Hinc qui Sepulchra demoliebantur, *Deos Manes* violare putabantur, & apud *Ciceronem* II. de Leg. *Deorum Manium jura sancta sunto.* Eandem ob causam *Manes* pro ossibus ipsis, & Sepulchris ponuntur. *Pers. Sat.* 5. versu 151.

Indulge Genio, carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis: cinis, & Manes, & fabula fies.

Quandoque etiam *Manes*, dicuntur pœnæ, seu inclinationes. *Virg.* VI. *Ænead.* versu 743.

Quisque suos patimur Manes.

Arrius. Diaconus, & *Manutius Arriam* Gentem plebejam licet faciant, clarissimam tamen reddidit *Arria* illa *Patavina*, *Cæcinæ Peti* Viri clarissimi uxor, quam *Plin. Secund. Epist. Lib.* III. *Ep.* 16. mirifice extollit. Gentilium hoc nomen quandoque pro cognomine usurpatum observat in aliquibus Lapidibus *Sert. Urs.* in quibus non tantum legitur *L. Corn. Arrius*; sed etiam *Q. Tamudius Q. F. Arrius*, &c.

KARINAE EVFROSINAE Q. KARIVS
IVSTINVS MATRI PIENTISSIMAE.

Karinæ. Antiquitus multa nomina scribebantur litera K pro litera C, quod etiam in Lapidibus sepulchralibus aliquando observabatur.

D. M.
T. HEONI APOLINARI
C. FVRIVS.

12 *Dis Manibus.* Hujus notæ, cæteroqui communis, non adeo religiosi observatores se præbuerunt Antiqui, quin eam sæpe insignioribus vel in Lapidibus omiserint, ut apud *Gruterum*, aliosque Inscriptionum Collectores. Quod si hujusmodi quandoque literas immutarunt, earum vice has quidem posuerunt I. O. M. vel I. O. M. D. vel I. D. I. M. S. aliasque consimiles. *Car. Cæs. Malvasia expos. leg. Æliæ Læliæ Crispidis.*

Item eodem in loco.

SABINA IVSTINA
SIBI. ET VLIO IRENEO ALVMNO
VIVA POSVIT.

Item in quadam Columna.

Q. AELIENVS. PET. ET CAEFIDIA
MATER SVA PICENTES SALVETE

---

1 LICINIA] Omnes has Inscriptiones, quæ ad octo usque sequuntur, frustra apud *Gruterum* quæsivi: hisce itaque & aliis ex hoc Opusculo Thesaurus illius augeri potest.

A *Picentes*, qui & *Piceni*, dicuntur Populi in quinta Regione *Italiæ* ad Mare *Adriaticum* siti. De origine hujus gentis ita *Plin.* lib. III. cap. XIII. *Orti sunt a Sabinis, voto veresacro.* Et *Strabo* Lib. V. *Umbricas Urbeis, inter Ariminum & Anconem sitos Picentinus sequitur ager. Ipsi Picentini ex agro Sabino in ea loca migrarunt, pico ave iter ducibus monstrante, unde nomen genti*, &c. Cæterum *Picentes credo*, ait *Cluverius* lib. II. cap. VIII. *postquam & ipsi in Piceno suo apud Mare diu appellati fuerint Sabini; tandem discordia inter eos exorta, sese à communi Sabinorum corpore, ac nomine separasse, novo adsumpto* Picentium *vocabulo.*

B HAVE EVFROSINA. C. STATIVS PHORMIVS, ET SENTIA SATVRNINA. PARENTES FILIAE PIENTISS.
VIX. ANN. XII. D. XXVI. VALE.

C. Statius. Hæc unica litera C. cæteris nominibus præponebatur, ad significandum, vel *Cajum* si viris, vel *Cajam* si fœminis Lapis erigebatur, igitur Prænomen, sive fuerit primum, sive proprium nomen, ut ait *Plutarch. in Coriolan.* sive nomen commune, ut videre est apud *Halicarnasseum Antiq. Rom. lib.* III. illud erat, quod
C nomini gentilitio differentiæ causa præponebatur. *Sigon. de Nom. Rom.*

Cajum a parentum gaudio dici volunt *Val. Max. Panvin. Sigonius, & alii:* Verum *Christian. Bekman. de Orig. Ling. Lat.* huic sententiæ contradicit, cum inquit: *Cajus* ab antiquitate Γαίος scilicet à terra, quasi *Gajus*. Nam sicuti apud *Athenienses* αὐτόχθονες, & apud *Thebanos* ἀσπαρτοί; ita apud *Latinos* a venustate, & opici, & indiginæ *Caji* dicti sunt. 13

Prænomen, *Cajus*, quamvis omnibus utriusque sexus *Romæ* commune fuerit, imo adeò exoptatum apud *Romanas* Mulieres, ut Ominis boni
D causa frequentarent nubentes; *Fest. de verb. signif.* attamen *Cæsares* omnes, quibus *Caji* prænomen fuit, ferro periisse, jam inde ab eo, qui *Cinnanis* temporibus sit occisus, ait *Sueton. in Calig. cap.* LIX.

Dicitur Prænomen, ex *D. Isid. Orig. lib.* I. *cap.* VI. quod nomini præponitur. Insuper dicebatur etiam *primum Nomen*, quia primum proferebatur. Verum si spectetur origo, fuit, ut infra dicemus, secundum.

Hic vero, ne inter æquivoca Prænominis, Nominis, & Cognominis sese confundat, qui hac nostra LUCERNA eruditionem scrutatur, sciat,
E ab ipsa Urbis conditæ infantia *Romanos* unico usos esse nomine, nempe gentilitio, quod Gentis dicebatur. Gens enim erat Personarum quantitas eodem nomine in diversas distincta familias, sicque Gens *Ælia* appellatur, quæ ex multis familiis conficitur, scribit *Fest. Pomp. de verb. signif.*

Antiquorum Historiæ Gentem *Corneliam*, *Valeriam*, *Terentiam* recensent, in quibus omnes de Gente *Cornelia Cornelii*, de *Valeria Valerii* indiscriminatim appellabantur. Quapropter quotquot de eadem erant Gente, unicum, & idem nomen
F habebant. Hinc factum est, teste *Varrone de Ling. Lat. lib.* VIII. ut cum essent duo *Terentii*, aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant; forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is *Manius* esset, qui Luci *Lucius*, qui post Patris mortem *Postumus*: hæcque nomina ab ipsis antiquis Prænomina dicebantur. Verum Gentium incremento, quæ in multas emanabant familias, cum sæpius eveniret, ut in eadem Gente duo, vel tres, immo aliquando plures idem haberent Prænomen, totus frustrabatur ordo, nisi eadem necessitas, quæ Prænomen in-

invenit, dediſſet & Cognomen, quod tertium A Nomen dictum fuit. Unde *Auſon. in Ter. Num. Edil.* IV.

Martia Roma triplex Equitatu, Plebe, Senatu,
Hoc numero Tribus, & ſacro de Monte Tribuni.
Tres Equitum turbæ, tria nomina Nobiliorum.

Haud tandem ſilendum duco, antiquos aliquando ad denotandum Prænomen *Cajæ* mulieris, eandem literam C, ſed inverſam inſculpſiſſe Marmoribus, hoc modo Ɔ, & ſemper ſcripſiſſe *Cajum* per literam C, licet pronunciarent per G. Ait *Quintil. Inſtit. Orat. cap.* VII. *Gajus* C. Litera notatur, quæ inverſa Ɔ mulierem declarat. Exempla de hac re non affero, cum apud *Gruterum* B extent variis in locis, ſed præcipue *pag.* 256. *num.* 11.

Ad Portam Divi Andreæ.

14 LEPIDIAE. L. F.
PROCVLAE
SACERDOTI DIVAE
FAVSTINAE
AVG. ET
DIVAE MATIDIAE
[1] AVG. D. D. D.
PECVNIA AB EA
REMISSA.

Hoc eſt: *Lepidiæ, Lucii Filiæ, Proculæ, Sacerdoti Divæ Fauſtinæ Auguſtæ, & Divæ Matidiæ Auguſtæ, dono datum publice. Pecunia ab ea remiſſa.*

Lucii prænominati erant, qui prima luce, (ut diximus) oriebantur. Prænomen hoc, licet frequentiſſimum, ad ignominioſam memoriam obliterandam *Romanis* repudiatum fuit. Etenim, teſte *Sueton. in Tib. Claudia* Gens Patritia cum Prænominibus, Cognominibuſque variis diſtingueretur, *Lucii* Prænomen conſenſu repudiavit, poſtquam e duobus Gentilibus eo præditis, alter latrocinii, alter cædis convictus eſt. Aliquando etiam Prænomen iſtud Nominis Gentilitii, & Cognominis loco poſitum eſſe ſaxa docent. *Sert. Urſat.*

Cœterum *Fauſtinam*, & *Matidiam* nemo non ignorat, illam fuiſſe Matrem *Antonini* Cæſaris, a quo *Fauſtinianæ* Puellæ alimentariæ in honorem Matris ejuſdem fuerunt inſtitutæ: hanc vero Sororem illius *Sabinæ* uxoris *Adriani*, quæ ſervilibus injuriis ab eo affecta adiit mortem voluntariam.

Dono datum publice; quod etiam poteſt legi *Dedicatum*; ſeu *Decreto Decurionis poſitum.* De hoc alibi. Hunc Lapidem vide apud *Gruterum pag.* 1088. *num.* 11.

Prope eandem Portam Divi Andreæ.

[2] C. ANTIAE
L. F. SATVRNINAE
MATRI COLON.
FLAMINIACAE
SACERD. DIVAE PLOTINAE
HIC. ET FORO SEMPRONII.
D. D.
PVBLICE.

15 Nempe: *Cajæ Antiæ, Lucii Filiæ, Saturninæ, Matri Coloniæ Flaminiacæ, Sacerdoti Divæ Plotinæ. Hic, & Foro Sempronii Dedicatum Publice.* Hunc Lapidem refert *Gruterus cit. num.* 15. modo ſequenti.

CANTIAE L. F. SATVR
NINAE MATRI. COLON.
FLAMINICAE. DIVAE
PLOTINAE. HIC. ET
FORO SEMPRONII
D. D. PVBLICE.

Verum tam apud *Clementinum* Hiſtoriæ *Ariminenſis* Scriptorem ſolertiſſimum *lib.* 1. *pag.* 34. quam in Manuſcriptis pervetuſtæ, & nobiliſſimæ Bibliothecæ *Gambalonghiæ*, de quibus in mea Hiſtoria prælo committenda ſub tit. *Annali di Rimino*, punctum interponitur inter *C*, & *Antiæ*; propterea non *Cantiæ* ut placuit *Grutero*, ſed *Cajæ Antiæ* legendum puto. Adhæſit fortaſſe hic eruditiſſimus Vir opinioni illorum, qui fœminas Prænomine, & Cognomine caruiſſe dixerunt, inter quos teſtatur *Robortellus de Rom. Nom.* mulieres a Nomine Gentis vocatas fuiſſe, & uno tantum Nomine. Hunc vero, & hujuſmodi auctores ipſiſſimis verbis *Voſſii lib.* 1. *de Analog. cap.* VII. audacter, ſed vere impugno, quod ſcilicet, *quemadmodum in eo falluntur multi, quod fœminas Prænomine caruiſſe exiſtimant, ita in illo quoque lapſi ſunt, quod eas Cognomen habuiſſe non arbitrentur.* C Quod enim fœminæ habuerint apud antiquos nedum Prænomen, ſed etiam Cognomen, videſis apud *Sert. Urſat. Monum. Patav. Malvaſiam Ælia Lælia Criſpis cap.* IX. & apud alios ab ipſo citatos.

Sacerdoti Divæ Plotinæ. Plotina Trajani Cæſaris Conjux omnibus, quæ in muliebrem ſexum cadunt, virtutibus celebrata. Hæc tonſo capillo virum mentita Conjugem comitata eſt in exilium euntem.

Ventum eſt ad Orientalem Portam, quæ aliquando dicta eſt Porta S. Geneſii, *hodie vero* S. Bartholomæi: *cum enim uno, eodemque die amborum celebretur Martyrium, Eccleſia, quæ hic erat* D. Geneſio *dicata, vetuſtate collapſa, reædificata eſt ſub tit.* D. Bartholomæi, *retento eodem ſolemnitatis die. Igitur inter hanc Portam, & Arcum magnificentiſſimum* Octaviani Auguſti *ſequentes olim adſpiciebantur Inſcriptiones.* D

[3] TITO MESTRIO
C. F. AN. SEVERO
EQVO PVBL. PONT.
II. VIR. QVINQ. TRIB.
COH. CIVIVM ROM. 16
T. MESTRIVS CALISTVS
CVM T. MESTRIO SEVERO
CALISTIANO FILIO
L. D. D. D.

E

Hoc eſt: *Tito Meſtrio, Caji Filio, Annienſi, Severo, Equo Publico, Pontifici, Duumviro Quinquennali Tribuno Cohortis Civium Romanorum, Titus Meſtrius Caliſtus Cum Tito Meſtrio Severo Caliſtiano Filio. Lapis Datus Decreto Decurionum.*

Duumviri, & *Quatuorviri* in Coloniis pro magnitudine, & parvitate earum, primi erant, atque in eis Conſulum majeſtatem repræſentabant, F ut fuſe indicant *Panvin. Sigon. Vuolfang. &c.*

Quinquennalis vocatur, eo quod penes eum per quinquennium adminiſtratio fuerit.

Lapis Datus, ſeu *Locus Datus Decreto Decurionum*; hoc erat vulgatiſſimum in Lapidibus, in qui-

1 AVG. D. D. D.] *Grut.* pag. MLXXXVIII. Num. II. legit D. D. P.

2 C. ANTIAE] *Gruterus* & Scaliger in *Indice* bis CANTIAE legunt non C. ANTIAE pag. ſcilicet CCCXXII. 2. & MLXXXVIII. 15. poſteriori loco male dividitur hæc Inſcriptio, ſed utroque loco apud *Gruterum* legitur FLAMINICAE pro FLAMINIACAE, quod hic eſt, & mox ipſe Auctor notat.

3 TITO MESTRIO] Abeſt a *Grutero* notabilis hæc Inſcriptio.

J. M. Garuffius. A 2

quibus Loci de publico dati in Colonia, vel pro monumenti loco, seu Statuæ erigendæ, aut voto solvendo fit mentio. *Sert. Ursat.*

[1] FLAVIO T. F
NI. MAXIMO
EQVO PVBLICO
TESTAMENTO.

Quod ita lego: *Flavio Titi Filio Nifridio Maximo, Equo Publico, Testamento.*

[2] C. CORNELII C. F. QVIRIN.
FELICI ITALO IVRID.
PER FLAMIN. ET VMBRIAE
PROV. ACHAIE PRAET. OR.
PL. QVES. PROV. SICIL.
PATRONO COLONIAE VICANI
VICORVM VIII. ET COLEG. FABR.
CENT. DENDR. VRB.
IVRIDICATVS EIVS OB
EXIMIAM MODERATIONEM
ET STERILITATEM ANNONAE
LABORIOSAM ERGO IPSO
17 FIDEM ET INDVSTRIAM
VT ET CIVIBVS ANNO
SVPERESSET
ET VICINIS CIVITATIBVS
SVBVENIRE...
L. D. D. D.

Hoc est: *Caji Cornelii, Caji Filii, Quirinalis, Felici, Itali, Juridico, per Flaminiæ, & Umbriæ Provinciam Achajæ Prætoris ornato Plebis Quæstoris Provinciæ Siciliæ Patrono, Coloniæ Vicani Vicorum* 8. *& Collegii Fabrorum Centurioni Dendrophoro Urbis, &c.*

Juridici dicebantur, qui *Italiæ*, seu per *Italiam* Juridicundo a Principe erant Præfecti. Hos sub *Hadriano* Imperatore, qui primus hoc munus instituit, Consulares dictos facile est ex *Spartiano* cognoscere, dum scribit, eum scilicet *Hadrianum*, *quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituisse.* Hos postea *Juridicos* appellatos diverso nomine, sed non diversa auctoritate sub *Antonino* Philosopho ex *Jul. Capitolino* his verbis intelligitur: *Datis Juridicis Italiæ consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.* At *Juridicos* non tantum per *Italiam*, sed etiam extra missos, saxa indicant, in quibus mentio est *Juridici* per *Ægyptum*, *Assyriam*, &c.

Quæstor erat ille, qui comitandæ rei militari primum creabatur, quem nunc thesaurarium bellicum vocamus. Cum Imperatoribus enim Populi *Romani* mittebantur Quæstores, id est, cum Consulibus, & Prætoribus ad administrandam rem pecuniariam, & prædam, & manubias in rationes publicas referendas, ut videre est apud *T. Livium.* Creatos, regnante *Romulo*, Quæstores *Ulpianus* prodidit a *Junio Gracchano* traditum in iis libris, quos de Potestatibus inscripsit; idem tamen hæc subjungit: *Sicuti dubium est an Romu-*

A *lo, & Numa regnantibus Quæstor fuerit, ita Tullo Hostilio rege, Quæstores fuisse certum est.*

Dendrophororum Collegium materias ad bellicas machinas construendas deferebat. *Laurent. Amalthea Onomast.*

Vicani sunt qui in Vico rustico inhabitant. *Cic.* 1. *de Divin.*

[3] L. SEPTIMIO LIBERALI
VICANI VICI CERMALI OB
MERITA EIVS QVOD DECVRIO.
ET VICANIS VICOR. VII. SING.
IN ANNOS XIII. IN PERPET. REI... 18
B ET IN EAM REM FVNDOS XXI.
OBLIGARI IVSSIT QVORVM
PARTEM VI LEGIS FALC.
NOMIN. DEDVCTAM AB
TVTORIBVS SEPTIMIAE
PRISCAE MATRIS SVAE
LEPIDIAE SEPTIMIAE
POPVLO CONCESSIT.

Nempe: *Lucio Septimio Liberali, Vicani Vici, Cermali, ob merita ejus, quod Decurionibus, & Vicanis Vicorum septem, singulis, in anno decimotertio, in perpetuum rem, & in eam rem fundos vigintiunum obligari jussit, quorum partem vi legis Falcidiæ nominatim deductam ab Tutoribus Priscæ Matris suæ Lepidiæ Septimiæ Populo concessit.*

C *Falcidia Lex* plebiscitum est, cum eam *P. Falcidius* Trib. pleb. *Augusti* temporibus, scilicet ab Urbe condita DCCXIV. tulerit. Hæc modum legatorum constituit: hac enim sancitum est, ut scribit *Dio lib.* XLVIII. ut hæres quartam partem bonorum sibi relictorum, si graviter oneratus sit legatis, accipiat, cætera legatariis relinquat. Itaque *Falcid.* sæpe pro quadrante hæreditario passim ponitur, quia ab hærede, a quo supra dodrantem legatum fuit, retinetur. Vide Indicem Legum Roman. *Paul. l* 1. *ff. ad Leg. Falcid. & Euseb. in Chronicis.* D Estque hæc propria verbi significatio. Sed & pro ea portione verbum hoc usurpatur, quam hæreditatem restituere rogatus, hæres ex Senatus consul. *Treb.* retinet *l.* 1. §. *inde Neratius l.* LVIII. §. *omnes ad SCtum Trebell.* Ideoque, & *Falcidiæ* commodum, ea portio appellatur *l.* 2. *in fin. ff. Si quis aliq. testar. prohib.* Quarta, quæ per *leg. Falcid.* retinetur *l.* LV. §. 1. *ff. ad SCtum Trebell.* Quin etiam portio liberis debita in bonis Patris appellatur *l.* 1. §. *unde ff. de inoff. testam. l.* 11. *C. eodem.*

[4] L. BETVTIO PAL. FVRIANO
E P. P. LEG. IN ITAL. II. VIRO
QVINQ. II. VIR. I. D. III. VIR
AEDIL. CVR. PONTIF.
FLAMINI DIVI NERVAE
PATRONO COLON. COLLEG.
CENTONARIOR. AMANTISSIMO
PATRIAE
L. D. D. D.

Hoc

---

1 FLAVIO] Et hæc desideratur apud eundem.

2 C. CORNELII] Conferri debet *Gruterus*, qui pag. MXCIII. 3. legit THRALLO pro ITALO, & in aliis etiam differt. Ego illud PRAET. OR. PL. pro quo apud *Grut.* est PRAET. TR. PL. ita explico: *Prætori tricies, pluries Quæstori &c.*

3 L. SEPTIMIO] Totam Inscriptionem ita constituit & legit *Gruterus* pag. MC. 6.

L. SEPTIMIO
LIBERALI
VI. VIR. AVG.
VICANI. VICI. GERMALI. OB.
MERITA. EIVS. QVOT. DECVRION.
ET. VICANIS. VICOR. VII. SING.
IN. ANNOS. XIII. IN. PERPET. REDD.
ET. IN. EAM. REM. FVNDOS XXI.
OBLIGARI. IVSSIT. QVORVM.
F PARTEM. VI. LEGIS. FALC. NOMIN.
DEDVCTAM. AB. TVTORIBVS.
SEPTIMIAE. PRISCAE. MATRIS.
SVAE. LEPIDIA. SEPTIMINA.
POPVLO. CONCESSIT.

4. L. BETVTIO] Priorem partem ita constituit *Grut.* pag. MXCI.

L. BETVTIO. L. F.
PAL. EVRIANO.
P. P. LEG. III. ITAL. II VIRO
QVINQ. II VIR. I. D. III VIR
AEDIL. CVR. PONTIF.

Sed in Notulis dicitur in Exemplari *Gruteri* ipsius extare FVRIANO.

19 Hoc est: *Lucio Betutio Palatino Furiano, Patri Patriæ, Legato, in Italia Duumviro Quinquennali, Duumviro Juridicundo, Triumviro, Ædili Curuli, Pontifici, Flamini Divi Nervæ, Patrono Coloniæ, Collegium Centonariorum amantissimo Patriæ. Locus Datus Decreto Decurionum.*

Coloniis, pro magnitudine, aut parvitate earumdem, *Duumviri*, *Triumviri*, & *Quatuorviri* Juridicundo præfuere, qui Principum loco habebantur. Hinc *Apulejus* pro se ipso: *Splendidissima Colonia sumus, in qua patrem habui loco Principis Duumviralem cunctis honoribus perfunctum.*

Romæ Ædilium tres fuere ordines: Plebei alii, alii Curules, aliique Cereales nuncupabantur. Plebejorum Ædilium dignitas principium habuit, cum Plebs Tribunorum Plebis Magistratum impetravit; tunc enim flagitavit, ut duo de Plebe quotannis crearentur, qui sacrarum Ædium, publicorum Locorum, & Annonæ curam gererent. Curules (de quibus sermo est in hoc Epitaphio) introducti fuere eo anno, quo primum Consul unus ex Plebe creatus est; quorum munus erat Templa, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curiam, Basilicas, atque Mœnia reficere, ornare, & custodire. Curulium *Ædilium* loco apud nos sunt illi Viri, qui *Deputati* dicuntur; quibus convenit curare, ut viæ, atque publica *Ædificia* salva conserventur, & in ea parte, qua diruuntur, restaurentur. Tandem *Cerealium Ædilium* vices gerunt Cives illi, qui destinantur ad copiam frumenti assidue procurandam; *Arimini*, atque alibi nuncupati *Abbondanzieri.*

Locus datus Decreto Decurionum. His verbis, ut jam diximus, publici Sepulchri honos explicabatur. Nam loco publico sepeliri omnibus non concedebatur. Præterea *Romæ* de Republica præclare meritis S. C. Sepulchri Locus dabatur: in aliis vero Civitatibus Decurionum Decreto fiebat.

C. SENTIO C. F. PAL. VALERIO
FAVSTINIANO II. VIRO [1] III. VIRO
AVGVR. VICANI VICORVM VII.
COLLEGIA FAB.
ET CENTONAR. EX AERE CONLATO
QVOD IN II. VIRATVS
INDVSTRIÆ ADMINISTRATO
OMNIBVS PLEBIS DESIDERIIS
SATISFECIT
L. D. D. D.

20 *Numa* Rex, ut factiones, & dissidia, quæ oriri poterant in Civitate ex duabus conflata Gentibus, tolleret, Civitatem, ut tradit *Plutarch.* divisit per artes Tibicinum, Aurificum, &c. fecitque ex omnibus Collegium unum; collegiaque, & concilia, atque sacra cuique sectæ decentia tribuit. Itaque *Collegia Fabrorum* erant illa, quæ nos sodalitia, (vulgo *Confraternite*) vocamus. *Sert. Ursat. Monum. Pat. lib.* 1. *sect.* 7. Verum, ut notat *Vegetius*, & *Pomp. Læt.* illi omnes, qui ad quæcumque fabrilia officia, etiam ad cuniculos subterraneos in expugnatione Urbium agendos adhibebantur, *Collegium Fabrorum* constituebant.

Lapides sequentes sparsim in Civitate reperiebantur; & primò in D. Bartolomei, *seu D.* Genesii.

C. FAESELLIO C. F. AN.
RVFIONI EQ. PVBL. [2] L. L.
CVR REIP. FORODR. PATR.
COL. ARIM. [3] ITEM QVI CANORVM
VICORVM VII. ET COLL. FAB.
ET CENT. OPTIMO ET RARISSIMO
CIVI QVOD LIBERALITATES
IN PATRIAM CIVESQ. A MAIORIBVS
SVIS TRIBVTAS EXEMPLIS SVIS
[4] SVPERAVIT DVM ET ANNONAE
POPVLI INTER CÆTERA BENEFICIA
SEPE SVBVENIT. ET PRAETEREA
SINGVLIS VICIS
MVNIFICENTIA SVA
S-S. XX. N. AD EMPTIONEM
POSSESSIONIS CVIVS DE REDDITV
DIE NATALIS SVI [5] SPORTVLAE
DIVISIO SEMPER [6] CELEBRETVR
LARGITVS SIT
OB CVIVS DEDICATIONEM
S-S. N. IIII. VICANIS DIVISIT
[7] VICANI VICI
DIANENSIS.

Quod sic audeo interpretari: *Cajo Fæsellio, Caji* 21 *Filio, Annio Rufioni, Equiti Publico, Libertis Libertabus, Curatori Reipublicæ, Forodruentinorum Patrono Collegii Ariminen. Item qui Canarum Vicorum septem, & Collegii Fabrorum & Centonariorum optimo, & rarissimo Civi, quod Liberalitates in Patriam, Civesque a Maioribus suis tributas exemplis suis superaverit, dum, & Annonæ Populi inter cætera beneficia sæpe subvenit, & præterea singulis Vicis munificentia sua sextertiis viginti nummorum ad emptionem possessionis, cujus de redditu die natalis sui Sportulæ divisio semper celebretur largitus sit, ob cujus dedicationem sestertios nummum quatuor Vicanis divisit. Vicani Vici Dianensis.*

Quantum valuerit *Sestertius* ex *Festo* habetur: *Sestertius dicitur quarta pars denarii, id est, dupondius, & semis.* Sestertii auctum fuisse pretium demonstrat *Plin. Hist. Nat. lib.* XXXIII. *cap.* III. ubi ait: *Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore asses unciales facti; placuit denarium* XVI. *assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis.* Sed hoc extra militaria stipendia, nam statim subdit: *In militari stipendio semper denarius pro decem assibus datus*; quod forsan, & de *Sestertii* pretio accipiendum est.

Verum *Sestertius* masculini generis erat quarta pars denarii, *Budæi* auctoritate, valebatque, ut ipse ait, *decem Turonicis denariolis, & semisse. Sestertium* autem generis neutrius mille *Sestertios* masculini generis, parvos dictos, valebat. Ideo mille *Sestertii* unum *Sestertium* erant: Sestertium vero vigintiquinque Coronatos, seu Philippicos recipit, ut observare licet ex computationibus *Budæi*, *Justi Lipsii*, & aliorum.

Vicani Vici Dianensis. Dividi Urbes in Vicos nemo non novit. Vicus ex domibus constat, inquit *Varro.* Hinc *Vicus Cyprius*, *Vicus Africus*, *Vicus Sceleratus*, &c. *Vici Romæ* fuisse dicuntur quadraginta. Suos etiam *Ariminum* habuit *Vicos*, sicut & hodie; sed eorum nominibus ex integro mutatis, ut enucleatius dicam in mea Historia, *Annali di Rimino.* Habuit enim *Vicum* Her-

1 III. VIRO] Delet hæc *Gruterus* pag. CCCCLXVII. 1. & in sequentibus legit COLLEG. FABR. & mox IN HONORE II. VIRATVS. INDVSTRIE.
2 L. L. Abest a *Grutero* pag. MXCIV. 2.
3 ITEM QVI] *Grut.* ITEM QVE. & pro CANORVM idem CANORVRVM. & mox FABR.
4 SVPERAVIT] *Grut.* SVPERAVERIT.
5 SPORTVLAE] *Grut.* SPORTVLARVM.
6 CELEBRETVR] *Grut.* CELEBRARETVR.
7 VICANI VICI DIANENSIS] Plenius *Gruterus* VICANI VICI DIANENSIS POSVERE.

Herculis, *Vicum Martis*, *Vicum Cæsarianum*, &c. Hodie vero habet *Vi um Patarenum*, *Vicum Cajanum*, *Vicum D. Archangeli*, *Vicum malorum passuum*, &c.

Quoniam vero etiam *Vici Rustici*, sive rurium extabant, quum simul Villæ, quæ pagi dicuntur, hoc est, plures rusticanæ domus conjunctæ sunt, & aliquo spatio remotæ ab Urbe: propterea in Agris *Ariminensium* multi *Vici* reperiebantur, nempe *Vicus Tubarum*, *Vicus Floræ*, *Vicus Jani*, *Vicus Regius*, *Vicus Dianæ*, &c. Hinc *Vicani* hujus *Vici* Lapidem posuere *C. Fæsellio*.

In Mœniis Civitatis prope eandem Ecclesiam sequens affixa legebatur Inscriptio.

22 [1] L. FAESTELLIO L.F. AN.
SABINIANO PROC. PANTOM.
AVG. PII. Ͻ. V. PAN.....
PROC. XX. VIR. REGION.
CAMP. APVL. CALABR.
EQVO PVBL. AVG. III. VIR.
....IIVIR. QVINQ... AL.
PATRONO COL.
COLLEG. CENTON.
PATRONO OPTIM.ET RARISSIM.
HONOR. ACCEP.
IMPENS. REMISS.
L. D. D. D.

Hoc est: *Lucio Fæstellio*, *Lucii Filio*, *Anniensi Sabiniano*, *Procuratori Pantomimorum Augusti Pii*, *Clarissimo Viro Pantomimo*, *Procuratori viginti Virorum Regionis Campaniæ*, *Apuliæ*, *Calabriæ*, *Equo Publico*, *Augustali Triumviro*, *Quadrumviro*, *Quinquennali Patrono Collegii. Collegium Centonariorum Patrono Optimo*, *& Rarissimo. Honore accepto*, *Impensam remisit. Locus Datus Decreto Decurionum.*

Lucio Fæstellio. De Gente *Fæstellia* Inscriptiones nullas invenio, nec apud *Gruterum*, nec apud *Reinesium*; ideoque credo ipsam suam habuisse originem a loco ubi lapis repertus est. Hoc magis, magisque credendum puto, ex eo, quod si *L. Fæstellius* fuisset externus in hac Inscriptione ejus Patria exprimeretur. Nemo tamen non videt, ipsum fuisse Virum Nobilissimum, cum non solum *Pantomimorum Augusti* vocetur *Procurator*, sed etiam *viginti Virorum Regionis Campaniæ*, &c. Erant autem *Pantomimi* Personarum omnium imitatores, effictoresque, qui in Scenis personas per singulorum actuum simulationes saltando ostendebant. Ita dicebantur ex πάντων, *omnium*, & μίμος, *simulator*.

Adeo crevit existimatio, ne dicam insania, *Pantomimorum* apud antiquos, ut qualibet in aula, potentumque domo eorumdem chorus repeririretur; eo fere modo, quo hodie Cantores, Spadonesve in Aulis nutriuntur. Hinc *Plin. Junior. lib.* VII. *Ep.* XXIV. de *Numidia Quadratilla*, quæ inter primas Urbis sui temporis fœminas, dignitate, divitiis, auctoritate eminebat, ita scribit: *Habebat illa Pantomimos*, *fovebatque effusius*, *quam principi fœminæ conveniret*,

Insuper quod Vir nobilis fuerit *Fæstellius* dedu-
23 citur ex eo, quod ipse legatur adscriptus in Collegio Sacerdotum *Augusti*, qui *Augustales* dicebantur; quodque ei Collegium *Centonariorum* (de quibus vide apud *Reinesium in Indice v. Centonarii*) erexerit propriis expensis Statuam, ipso honorem acceptante, sed impensas remittente.

---

1 L. FAESTELLIO] Non exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum*.
2 ANNIENSI] *Grut.* p. MXCV. 2. AN.
3 EQVITI ROMANO] *Grut.* legit EQVITI. P.
4 DVMVIRO] *Grut.* II. VIRO. posticæ partis lectio a *Grutero* abest.

A *Locus datus Decreto Decurionum.* Erat enim *Ariminum Romanorum* Colonia, Municipiumque, ideoque suos habebat *Decuriones*, quorum officium, & dignitas erat *Romani* Senatus vices gerere in Coloniis; unde *Valla lib.* VI. *In Municipiis*, inquit, *idem est Decurio*, *qui Romæ Senator.*

Item eodem in loco sequens inspiciebatur Epitaphium.

C. GALLERIO C. F. [1] ANNIENSI
IVLIANO [2] EQVITI ROMANO
QVAESTORI [3] DVMVIRO
B CVRATORI SOLONATIVM
FLAMINI PATRON. COL. AVG.
[4] ARIM. ADVOC. PVBLIC.
AMANTISSIMO CIVIVM
SPLENDIDISSIMVS ORDO
ARIMINENSIVM
MERITIS FIDEI
BONITATI INNOCENTIAEQVE
EIVS.

In parte posteriori ejusdem Lapidis hæc duo verba legebantur.

MEGETI.. MEGETI...

C *In Mœniis veteribus Civitatis prope Portam D.* Andreæ.

[5] Q. PVPIVS
SALVIVS MINERVAI
V. S. L. M.

Hoc est: *Quintus Pupius Salvius Minervæ votum solvit libens merito*; seu, *voto soluto libero munere*; vel etiam, *voto solemni libero munere*, quod plerumque exprimebatur ab Antiquis in saxis votivis.

D *In Plumbeo Aquæductu prope eandem Portam.*

M. ARRECENI CLEMENTIS.

In alio Aquæductu.

SEX. MODIVS RESTITVTVS.

In quodam Lapide.

[6] DIS MANIBVS
SEPIENAE C.F. ISAVRICAE 24
PETRONIA C. FIL.
CAPITOLINA MATER PIA.

E *In Domo olim* Petri Gentilis de Arnulphis.

D. M.
SABINIA EVFODIA
CONIVGI. ET COLIBERTAE
OPTIMAE
RARISSIMÆ IVVENE

In antiquo Monasterio Monialium olim B. M. V.

C. GALERIVS P. FLAM.
DVO VIR QVINQ. DVO VIR
F ID. AVG... D. P. S. LOCO SVO.

Hoc est: *Cajus Galerius Publicus Flamen Duumvir Quinquennalis Duumvir. Idem Augur*, sive *Idibus Augusti de pecunia sua loco suo.*

In pariete ejusdem Monasterii.

GE-

---

5 ARIM] *Grut.* ARIMIN. posterioris partis.
6 Q. PVPIVS] Abest a *Grutero*, una cum duabus sequentibus.
7 DIS MANIBVS] Hæc Inscriptio una cum sequentibus duabus pariter non invenitur apud *Gruterum*.

A [1] GENIO LARVM
HORROI PVPIANI
L. LEPIDVS POLICVS
C. PVPIVS BLASIVS.

In Episcopio duo sequentes Lapides reperiebantur.

D. M.
[2] MARTIAE CATANAE
P. AELIVS CHALADEVS
CONIVG. SANCTISS.
ET MESTRIAE SABINAE S.M.F.
ET SIBI VIVENS POS.

B Nempe; *Diis Manibus. Martiæ Catanæ Publius Ælius Chaladeus Conjugi Sanctissimæ, & Mestriæ Sabinæ suæ Monumentum fecit, & sibi vivens posuit,*

SENTIAE IVSTINAE
CONIVGI PETVLI PAVLINIANI
VIVA SIBI POSVIT
ET PITILICAE PAVLINAE
NVRVI SVAE Q. V. A. XVII.

25 *Dum extruebatur Ecclesia* D. Juliani, *olim* D. Petri, *in Civitatis Suburbiis sequens repertum fuit Marmor cum hac epigraphe.* C

GENIO ARIMINENSIVM.

Mos fuit omnium Civitatum, quæ in Colonias apud *Romanos* accipiebantur, præter formas Magistratuum *Romanorum*, Ritusve Sacerdotales, seipsas sub particulari alicujus Numinis tutela conlocare, *Minutius Felix in Octav.* ita scribit: *Per universa Imperia, Provincias, Oppida, videmus singulos sacrorum ritus Gentiles habere, & Deos colere Municipes, ut Eleusinos Cererem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum. Astartem Syros,* D *Dianam Taurios, Gallos Mercurium, Universa Romanos.* Hæc vero Numina *Genium* fuisse Locorum omnibus pro comperto est, cum fere in omnibus Coloniarum Marmoribus sculpta adinveniantur.

Genium autem *Ariminensium* fuisse *Herculem* sequens docet Lapis, repertus prope fundamenta Turris Ecclesiæ Cathedralis, & his litteris notatus.

DEO HERCVLI INVICTO.

Sub cujus auspiciis Civitatem *Arimini* exordium habuisse dicitur. E

Prope eumdem Lapidem, Genio Ariminensium *inscriptum, Lapis alius cum hac Inscriptione repertus fuit.*

D. M.
FELICIONI SERVO BENEMER.
VIXIT ANNO XXXI.
POSVIT
AELIA MATIDIA
DOMINA.

Hoc Marmor cum aliis fragmentis repertum, dum anno MDXL. antiquissima D. *Juliani* Ecclesia reædificabatur; adservantur in Domo olim *Petri de Melgiis.* F

Domi olim Joannis Baldigara, *qui discessit an.* MDXC.

SENIO
DOMINICO
ZOLLAE VILIC.

Domi olim Sanctes de Cattolica *prope Ecclesiam S.* Georgii Veteris.

HIC EGO SVM 26
POSITA IRENE
QVÆ VIXI...... XVIII. KAL.
HAVE MEI MISERERE
POSVERE AVRA PARENTES
INFELICISSIMI AVG. LIB.
ET FVRFVLANA IRENE.

In quodam Lapide prope Forum.

[3] TVLLIVS ZOTICVS
VI. VIR. AVG. AD
LIBERVM PATREM
CVM REDIMICVLO
AVRI III. ET IRSO
ET CANNARO ARG.
PIIS TESTAMENTO.

Hoc est: *Tullius Zoticus Sexvir, Augur, vel Augustalis, ad Liberum Patrem cum Redimiculo auri* III. *& Irso, & Cannaro Argentario, piis Testamento.*

Magistratus Sexvirorum *Romæ* cre abatur quoties aliquod munus difficile Reipublicæ impendebat, in quo præcipua aliquorum opera, fidesque exquirebatur, ubi multum studii, curæque opus erat, ait *Alex. ab Alex. Dierum Gen. lib.* III. *cap.* 6. In Coloniis etiam, & Municipiis *Sexviros* electos esse ostendit *Panvin. Antiquit. Veron.* X. *lib.* II *cap.* XII. Immo apud ipsum legitur *Sexvir senior, Sexvir junior, Sexvir urbanus*; & inter Sacerdotes Municipales, & Coloniarum apud eundem reperiuntur, *Sexvir Augustorum, Sexvir Augustalis, &c.*

D. M.
[4] VALERIAE M. F.
SEPTIMINÆ M. VALERIVS M. L.
HERMA PATER
ET VTILIA M. F.
MIRTALE MATER
FILIAE PIENTISSIMAE
POSVERVNT EX IVG. X.
IN FRONTE P. XXX. VII.
IN AGRO P. L.
V. F.

Hoc est: *Diis Manibus. Valeriæ Marci Filiæ* 27
Septiminæ Marcus Valerius, Marci Libertus, Herma Pater, & Utilia Marci Filia Mirtale, Mater Filiæ Pientissimæ posuerunt ex jug. decem in fronte pedes triginta septem, in agro pedes quinquaginta, viventes fecerunt.

Antiquis temporibus ipsa defunctorum Sepulchra, tanquam loca, quæ religiosum cultum redolerent, Ædificiis occupare, aut colere nulli omnino fas erat: quinimmo certis hæc terminis, ac li-

---

1 GENIO LARVM] *Gruterus* pag. MLXXIV. 15. ita legit:

GENIO LARVM
HORREI PVPIANI
L. LEPIDIVS. POLINCVS
C. PVPIVS. BLASIVS
D. D.

2 MARTIAE] Hanc Inscriptionem, ut & sex subsequentes frustra quæsivi apud *Gruterum.*

3 TVLLIVS] Inscriptio hæc ita constituitur apud *Gruterum* pag. LXVII. 2.

T. VIBIVS
ZOTICVS. VI.
VIR. AVGVSTAL.
LIBERVM PATREM
CVM REDIMICVLO
AVRIFIC. ET. THYRSO
ET CANTHARO. ARG. P.II. S. &
TESTAM. PONI. IVSSIT.

4 VALERIAE] Desideratur Inscriptio hæc apud *Gruterum.*

limitibus a reliquo agri totius ambitu distinguebantur. Hinc est quod in perantiquis frequenter Inscriptionibus, sepulchrorum termini his plane verbis indicantur : *In fronte pedes*, *&c. Aringh. Roma Subt. lib.* I. *cap.* I.

In Conventu Monialium S. Sebastiani *sequens legitur Inscriptio.*

[1]SALVTI EX VOTO
Q. PLAVTIVS IVSTVS
AEDIL. ARIM.
N. S. ET CASSIAE TREPTHE
S. ET Q. PLAVTI VERECVNDI
F. S. AEDEM
S. A. DED.
H. A. S. A. H. L. L. Q. D. R. I. H. A.

Id est : *Saluti ex voto. Quintus Plautus Justus Ædilis Ariminensis nomine suo*, *& Cassiæ Trepthæ suæ*, *& Quinti Plautii Verecundi Fratris sui Ædem sibi ædificatam dedicavit*, *&c.*

Literas, quibus ultima componitur linea hujus Inscriptionis ad ingenia perscrutantium torquenda forte exaratas, atque insculptas, LVCERNA mea intueor, atque ita interpretor; nempe: H. A. S. A. H. L. L. Q. D. R. I. H. A. *Hanc Aram Saluti Ædificatam Heredes Liberti*, *Libertæ-Que Denuo Restituere in Honorem Ædificantium.* An vero hæc sit genuina interpretatio, ab antiquitatum studiosis judicium expectandum.

Extant multæ formulæ apud antiquos, quæ tantum per literas initiales exprimebantur, sed omnes sunt sepulchrales & insculptæ Lapidibus, sub quibus extent cadavera, non vero cippis, & aris, ex voto, Numini, seu Numinibus erectis; ut in hac, quam *Plautius* erexit, videre est. Sepulchrales sunt, exempli causa: H. M. H. N. S. hoc est, *Hoc Monumentum Heres non sequitur.* Insuper H. S. E. S. T. T. L. nempe, *Hic Situs Est. Sit Tibi Terra Levis*, & aliæ hujusmodi apud *Gruterum*, *Ursatum*, & alios emunctæ naris auctores. Hinc *Persius Trevus*, qui idem est, ac *Petrus Servius*, in suis *Juvenilibus Feriis*, quæ *Antiquitatum Romanarum Miscellanea* continent, *cap.* VII. sequentem ponit Lapidem.

28 [2]*D. M. S.*
AP. AVRELIAE AP. F LVPERCILLAE
ANNOR. XXXXVIII.
P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.

Quem sic interpretatur : *Diis Manibus Sacrum. Appiæ Aureliæ Appii Filiæ Lupercillæ*, *Annorum duodequinquaginta. Ponendum jussit sibi. Hic sita est. Sit tibi terra levis.*

Quod si ab isthoc, vel simili scribendi formulas sepulchrales modo discesserint antiqui, nullus audet divinare literas, haud amplius sepulchrales, sed ænigmaticas. Extat in *Monumentis Patavinis Sert. Ursat. Lib.* I. *Sect.* I. hic Lapis.

[3]*VXORI.*
M. ALLIO M. F. FESTO
FILIO
HOSTILLIAE C. L. SEVERAE
N. F. F. N. S. N. C.

In quo septem ultimæ literæ (ait idem *Sertorius*) *cum Scaligero penitus ignotæ sunt mihi.* Quapropter in *Indicibus* ad *Gruterum cap. de Notarum*, *ac Literarum Singularium*, *& Vocum Abbreviatarum Interpretatione*, eas inexplicatas reliquit. Quid ergo mihi post tantum Virum? In hoc tamen ea interpretandi libertate usus sum, quam meo præbent animo idem *Sert. Ursatus Marmi Eruditi Epist.* VII. & *Petrus M. Kanina*, *Faventia Rediviva pag.* 126. ita edoctus a *Val. Probo.*

Liberti, *Libertæque.* Erant ii, quos Domini ex justa servitute solvebant, ac manumittebant. Eorum tria genera fuisse refert *Ulpian. Inst. tit.* I. nam alii Cives *Romani*, alii *Latini Juniani*, alii *Deditiorum* numero erant. Cives *Romani* (ut idem scribit) dicebantur illi *Liberti*, qui vindicta, censu, aut testamento, nullo juro impediente, manumittebantur. *Latini Juniani*, qui ex *Lege Junia* inter amicos manumissi erant. *Deditiorum* numero, qui pœnæ causa vincti erant a Domino, quibus vestigia, aliquibusve stigmata, scripta fuere, qui propter noxam torti, nocentesque inventi sunt, quive traditi sunt, ut ferro, aut cum bestiis depugnarent, vel in custodiam conjiciebantur, deinde quoquo modo manumittebantur.

In Patronorum autem Libertis, observat *Turneb. Adversf. lib.* XVIII. *cap.* III. ordinem quendam fuisse, & quosdam primos, quosdam secundos vocatos fuisse, quod alteri apud Patronum priorem locum obtinerent, alteri proximum, *Martialis lib.* I. *Epigr.* IV. scribit.

Libertum docti Lucensis quære secundum. 29

Id etiam testantur veteres Inscriptiones, quarum in una sic inscribitur.

[4]*SOSTONIA. D. L. TERTIA*
SIBI ET P. SEXTILIO PRIMO.

Et in quadam alia, quam refert *Turn. cit.*

. . . .
. . . . . [5]*FECIT. SIBI*
ET PETIAE COLLIBERTAE
PRIMAE. VXORI.

Quod vero in Lapidibus, aliisque antiquorum Monumentis, sæpius Libertorum, Libertarumque nomina inscripta videantur, evidens hæc est ratio: Cum is, qui servus erat, factus fuisset liber, familiæ quodammodo uniebatur illius Patroni, qui ipsum ad libertatem per manumissionem perducebat; ut communis esset locus, & Patronis, & Servis in eodem sepulchro; unde illa sepulchralis formula : *Libertis*, *Libertabusque suis*, *Posterisque eorum.* Qua innuitur nedum illius sepulchri participes esse tam Libertos, quam Libertas, sed etiam eorum Posteros, eo fere modo, quo erant omnes Descendentes illius, qui in servitutem ipsos obtinuerat.

Fuerunt apud *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* III. *Liberti admissionum*, gratiosi scilicet Liberti, qui homines ad Principem admittebant, admissionibusque præerant.

M.

1 SALVTI] Et Inscriptio a Collectione *Gruteriana* abest.

2 D. M. S. AP.] Tanquam in *Hispania* exstantem citat Inscriptionem hanc *Gruterus* pag. MCXXXXVII. 3.

3 VXORI] Apud *Gruterum* exstat pag. DCLXVII. 4.

4 SOSTONIA] Apud *Gruterum* ita concipitur pag. CCCCLXIX. 6.

SAFRONIA
D. L. TERTIA.
SIBI. ET. P. SEXTILIO
PRIMO. HARVSPICI
SEVIR. AQVINI
ET. SVIS. IN. F. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

diciturque ibidem exstare *Aquini.*

5 FECIT SIBI] Integra Inscriptio ita effertur apud *Gruterum* pag. DCXXXI. 5.

M. SERVILIVS. M. L. RVFVS.
LICTOR. SE. VIVO. FECIT. SIBI. ET
PETIAE. C. L. PRIMAE. VXORI. ET
MARCIAE. 7. L. FELICI. CONCVBINAE.
OBITAE
SERVILIAE. M. L. APATE. VXSORI. SVAE.

diciturque exstare *Romæ*, in platea *Judæorum.*

[1]M. VETTIO M. F. ANI.
VALENTI
MIL. COH. VIII. PR. BENEF. PREF. PR.
DONIS DONATO BELLO BRITAN.
TORQVIBVS ARMILLIS PHALERIS
EVOC. AVG. CORONA AVREA DONAT.
7. COH. VI. VIG. STAT. 7.
COH. XVI. VRB. 7. COH. II.
PR. EXERCITATORI EQVIT. SPECV
LAT. PRINCIP.
PRETORI LEG. XIII. GEM. EX NEC
LEG. VI. VICTOR. DONIS DONATO
30 OB RES PROSPER.
GEST. CONTRA ASTVRES
TORQ. PHAL. DON.
TRIB. COH. V. VIG. TRIB. COH. XII.
VRB. TRIB. COH. III. PRAET.
LEG. XIIII. GEM. MART.
VICTOR. PROC. IMP. CAESAR. AVG.
PROV. LVSITAN. PATRON. COLON.
SPECVLATOR. X. H. C.
C. LVCIO TELESINO
C. SVETONIO PAVLINO COSS.

Hoc est : *Marco Vettio*, *Marci Filio*, *Anniensi Valenti*, *Militi Cohortis octavæ*, *Præfecto beneficiario Præfecturæ primæ*, *donis donato Bello Brittanico*, *Torquibus*, *Armillis*, *Phaleris*, *Evocato Augusti*, *Corona aurea donato*, *Centurioni Cohortis sextæ*, *Vigili Stationario Cohortis* XVI. *Urbanæ Centuriæ Exercitatori*, *Equitum Speculatori Principi*; *Pretori Legionis tertiæ decimæ Geminæ*...... *Victori donis donato ob res prospere gestas contra Astures*, *Torquibus*, *Phaleris donato*, *Tribuno Cohortis quintæ Vigilum*, *Tribuno Cohortis duodecimæ Urbanæ*, *Tribuno Cohortis tertiæ Pretorianorum Legionis decimæquartæ Geminæ Martiæ Victori Procuratori Imperatoris Cæsaris Augusti Provinciæ Lusitaniæ*, *Patrono Coloniæ Speculatorum decimæ*. *Hæredes curaverunt*. *Cajo Lucio Telesino*, *&* *Cajo Suetonio Paulino Consulibus*.

Cujus dignitatis, ac militaris strenuitatis fuerit hic *Vettius*, clare patet discurrenti per singulas hujus Epitaphii formulas.

Torquibus, *Armillis*, *Phaleris*. *Torques* solitæ virtutis fuerunt præmium. *Veget. lib.* II. *cap.* VII. *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* II. *Budæus*, *&c.* Originem ab *Hebræis* traxisse, haud difficile est creditu. Eo enim militiæ signo usus est *Jonathas*, cui *Antiochus* dedit potestatem bibere in auro, & esse in purpura, & fibulam auream ferre. I. *Macab.* II. *Romanis* vero duplex erat Torques, Collaris scilicet, & Brachialis. *Flav. Vopisc. in Aurelian. Trebell. &c.* Hinc *Torquati*, & *Duplicati* erant Milites, torquium ornamentis, ut illi corniculis decorati, quibus & duplex plerumque stipendium, annonæve duæ dabantur, unde *duplares* dicti sunt, *simplares* vero *Torquati*, quibus una. *Theod. Hoping. Insign. cap.* II. *n.* 488.

Armillæ, proprius etiam ipsæ Militum ornatus, collatæ victoriæ causa Militibus ob Armorum virtutem; & cum Virorum tantum fuerint, *Viriolæ* quondam a primitivo *Viria* dicebantur. *Fest. v. Armilla. Tertull. de Pallio cap.* IV. Fuit Armilla tegumentum humeri in brachia defluxum, ab *ar-*
31 *mis*, hoc est humeris denominata Græcis Βραχιονιςηρία *Prisciano*, *Brachialia* : ex auro potissimum, argentoque olim fiebant, & ab *Augustis* donabantur iis, qui res preclare gessissent, tanquam laudabilium operum præmium, ut indicat *Adamant. &c.* Gestabantur vero *Armillæ* potissimum sinistro brachio, unde *Brachiales* appellatæ. Et quia postea etiam in dextro, *Dextralia*, & *Dextrocheria*. *Li-*
A *vius lib.* I. Narrat *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* III. solere suo ævo Auxiliares Torquibus aureis donari : at Cives non nisi argenteis : sed contra Armillas civibus dabant, quas non habebant externi : & quod mirum, Coronas ex auro civibus dederunt, sicut & habuit *Vettius*. Causas vide apud *Steuvech. comm. ad lib.* II. *Veget. cap.* III. *de Re Milit.*

Phaleræ equitum nobilium ornamentum dicebantur. *Livius* tradit Comitia *Flavii Ædilitia* tantum habuisse indignitatis, ut plerique nobilium aureos annulos, & phaleras deponerent.

B *Centurionis Cohortis sextæ*. Primo hic nobis videndum est, quare apud antiquos hæc nota 7. Centurionem indicabat; ratio est, quia *Romanorum* Centuriones manu vitem gerebant hac notula 7 expressam in Sepulchralibus Lapidibus. Hinc apud *Tacit. Annal. lib.* I. *Lucillus Centurio*, qui appellabatur *Cedo alteram*, quia *fracta vite in tergo militis*, *alteram clara voce*, *ac rursus aliam poscebat*. In castigandis ergo Militibus Centuriones vite usi fuerunt, teste *Livio*, & eo præsertim, si ipsi pigre, & lente Aquilas Romanorum insignia sequerentur, sed in Civibus tantum. Nam exteri fuste cædebantur. Hinc *Juven.*
C *Satyr* VIII. de *Mario* olim gregario Milite sub Centurione.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

In antiqui denarii adversa parte *Romæ* caput signatum est, in aversa Centurio vite bifida militem scutatum, & hastatum genibus flexis tanquam supplicem verberans, cum his verbis T. DEIDI. Hoc est, *Titus Deidius*, seu *Didius*. Vitis ergo Centurionatus insigne, hac nota 7 expressum, cum vitis obliqua, & retorta nascatur. In vitium laudem *Plin. lib.* XIV. cap. I. Scribit:
D *Quia quod insertæ Castris summam* (Vites) *rerum imperiumque continent ? Centurionum in manu vitis*, *&* *optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit Aquilas*, *atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat*. *Lentas* dicit, sed *lætas* legendum putat vir Antiquitatis apprime doctus, cum quia de lentis ordinibus primum dixisset; tum quia re ipsa lætæ, & lætificantes ob præmia, ut ait, opima. Non enim dignitas solum, sed opes adjunctæ, & ideo hoc sensu *locupletem* dicit Aquilam *Juvenal. Satyra* XIV.

Ut locupletem Aquilam sibi sexagesimus annus 32
Adferat.

E Videsis apud *Theod. Hoping. Insign. cap.* XVII. *num.* 296.

Evocato Augusti. Hic quærendum videtur qui sint *Evocati*, quos *Cæsar lib.* III. *de Bello Civili*, & a Militibus, & a Centurionibus distinguit, sic scribens : *Cum horum omnium ratio haberetur*, *ad duorum millium numerum ex Pompejanis concidisse reperiebamus*, *Evocatosque*, *&* *Centuriones*, *quamplures*. Et libro primo : *Militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur*, *quadraginta in singulos jugera*, *&* *pro rata parte Centurionibus*, *Evocatisque*. Igitur *Evocati* sunt homines militia perfuncti, & emeritis stipendiis; qui tamen rur-
F sus militatum evocantur. Hoc totum declaratur a *Dione* sic scribente *lib.* XLV. Ἐκ τέτων δὲ τῶν ἀνδρῶν, καὶ τὸ τῶν ἠϐοκάτων σύςημα (ὓς ἀνακλήτες ἂν τὶς ἑλληνίσας ὅτι πεπαυμένοι τῆς ςρατίας ἐπ᾽ αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη. Hoc est : *Ex his hominibus Evocatorum numerus constitit*, *quos* ἀνακλήτες, *id est revocatos*, *Græce vocare possis*, *quod militia perfuncti ad eam rursus revocarentur.*

Evocatorum autem, addit *Turneb. Advers. lib.* I. *cap.* IX. honestus erat ordo in re militari, & in multis Inscriptionibus : *Evocatum Cæsaris*, aut *Au-*

[1] M. VETTIO] Confer *Jani Gruteri* laborem, qui in quibusdam lectionibus ab hac scriptura abit & discrepat, pag. MCII. 4.

Augusti fuisse ambitiose incisum videmus. Hoc ideo scribendum putavi; quo eos qui vocem hanc parum notam habent, certiores facerem, quæ sit huic verbo vis, & potestas subjecta.

Sed in hoc audiamus etiam oportet *Justi Lipsii Comm. ad Polyb. lib.* I. *dial.* VIII. „*Evocati* sæpe „exercituum robur. Ii ex civibus, è sociis; ex „equite, ex pedite sumebantur; sed rogatione, „& precibus, atque ideo *Evocati* dicti. Veterani „enim fuerunt, gnari, prudentesque militiæ, „qui expletis stipendiis sponte in gratiam Consu-„lum, aut Ducum militiam sumebant. Et quia „sæpe literis, aut nunciis nominatim evocaban-„tur, inde habuere nomen.

Militi Cohortis VIII. *Prætoriæ. Cohors* pro Comitatu, & Satellitio, & Familia Magistratus, qui ibat in Provinciam antiquitus accipiebatur; unde *Cohors Prætoria*, quæ Consuli, aut Prætori semper presto erat, quasique latus ejus cingebat *Cic. ad Q. Frat.* Observat *Just. Lips. de Militia Rom. lib.* II. *dial.* IV. *Prætorias Cohortes* fuisse quasdam velut extra ordinem edecumatas, & grandes. Earum originem ab *Scipione Numantino Lipsius*, & *Appianus* judicat, *Festus* vero a *P. Scipione*. Per Bella Civilia Cohortes istæ auctæ, & unus aliquis plures habebat; quo exemplo *Augustus* denique *Romæ* circa se habuit novem *Prætorias Cohortes*, firmamentum Imperii, & postea pestem. *Lipsius cit.*

De numero Cohortum addit *Lipsius cit.* certum est decem Cohortes in Legione fuisse. Itaque
33 plena, & justa Legionaria Cohors homines *quadringenti, & viginti*. Quod si pleniores Legiones, plenior etiam ipsa, atque ita *quingenarias*, & *sexcenarias* legimus. Insuper Cohortes omnes in Legionibus æquales. Sed miraris fortasse, quia dignitas aliqua *Primæ* tribuitur, ut apud *Cic. ad Attic. lib.* V. *Epist.* XX. qui ut magnum refert, *Bibulum* amisisse totam Cohortem primam. Moneo non a numero hoc, sed a splendore, & primatu fuisse. Eminebat cæteris ideo, quod primi in ea Centuriones generis cujusque: fortasse, & flos aliquis, & electio virorum.

Astures Hispaniæ Populi, quorum Regio equis abundat, unde *Asturcones* dicti, qui tamen minus apti ad Bellum: nam iis non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. *Abrah. Golnitz Geograph. lib.* II. *cap.* II.

C. Lucius Telesinus, & *C. Suetonius Paulinus* fuerunt Consules anno *Mundi* MMMMXV. post *Christ.* LXVI. Urbis DCCCLVII. *Æræ Hisp.* CIII. *Augustorum* XCII. *Nerone* Imperante. Apud *Seth. Calvisium. & Ricciol. Chronol.* notantur hoc modo *Coss. C. Suetonius Paulinus. L. Pontius Telesinus.*

Lapis extat in *Appendice Magistratuum* apud *Gruterum pag.* 1102.

AVRELIAE CALIGINAE
TIB. SABINIANI
PVDICISSIMAE
HONORIFICENTISSIMAEQ.FOEMINAE
COL. FAB. SPLENDIDISSIMAE
CIVITATIS ARIMINENSIVM
OB MVNIFICENTISSIM. IN SE
.... TRISQ. COLLATAM
L. D. D. D.
DEDICAT. IDIB. IAN.
Q. SOSIO PRISCO SENECIONE
P. COELIO APOLINARE COSS.
CVIVS DEDICAT. SING.
DD. HS. N. IIII.

Hoc est: *Aureliæ Caliginæ*, *Tiberii Sabiniani pudicissimæ, honorificentissimæque fœminæ, Collegium Fabrorum Splendidissimæ Civitatis Ariminensium, ob munificentissimam in se.... collatam. Locus datus Decreto Decurionum. Dedicatus Idibus Januarii. Quinto Sosio Prisco Senecione*, *Publio Cælio Apolinare Consulibus. Cujus Dedicatione singulis dono datis sestertiis nummum quatuor.*

Idibus Januarii. Faustus fuit hic dies *Romæ*, 34
quippe quo primum *Octavius* dictus est *Augustus*, Provinciæ quoque sunt in formam redactæ. Tibicines igitur, & Præcones ad voluptatem muliebri habitu incedebant, atque ita Urbem lustrare dicebantur.

Q. Sosius Priscus, & *P. Cœlius Apollinaris* Consules fuere anno Mundi MMMMCXVIII. *Æræ* vero *Christianæ* CLXIX. quo anno Imperatores assumpserunt *Tribunitiam* potestatem, *Marcus Aurelius* vigesimam tertiam, & *Lucius* nonam. Olimpias item CCXXXVII. acta fuit, eratque annus Olympiad. DCCCCLXV. Victor Stadii *Eudæmon Alexandrinus.*

[1]EVFICIAE Q. F. TERPINAE
Q. FVFICII
PRISCI II. VIR
AVGVRIS VXORI
L. D. D. D.

Item alio in loco.

[2]C. VOLVSENO
L. F. IVSTO
AEDILI QVAEST.
SESTINI
DECVR. ARIM.
TITINIA M. F. IVSTA MATER
L. D. D. D.

Hoc est: *Cajo Voluseno*, *Lucii Filio*, *Justo Ædili*, *Quæstori Sestini Decurioni Arimini*, *Titinia*, *Marci Filia*, *Justa*, *Mater. Locus datus Decreto Decurionum.*

Domi olim Joannis Antonii de Rigatiis *Medici.*

D. M.
NANSVET. VIX. AN. X.
DIEB. XII.
AEMILIVS ENTELLVS
DEDICATO.

E quibusdam fundamentis non procul ab Episcopio.

M. SVASANO SERVATO. VI. VIR. 35
M. SVASANVS DED.
.... VI. VIR.
MAESIA IANVARIA
ALVMNO
OBSEQVENTISSIMO
D. D. D.

Hoc est: *M. Suasano Servato*, *Sexviro*, *Marcus Suasanus dedicavit......... Sexvir*, *Mæsia Januaria Alumno Obsequentissimo dono dedit, dicavit.*

Eodem in loco.

M. AELIO AVRELIO THEONI AVG.
IVRID. DE INFINITO PER. FLAM.
ET VMBRIAM PICENVM SODALI
ADRIANALI PRETORI TRIBVN. PLEBIS
ADLECTO INTER [3]QVAESTORES
TRIB. MILITVM LATI
CLAVIO LEG. XI. [4]CLAV·
ITEM TRIBVNO MILITVM LATICL.
LEG. XII. [5]FLVMENTANAE DECEM
VIR. [6]SING. LITIBVS IVDICANDIS
OB SINGVLAREM ABSTINENTIAM
INDVSTRIAMQ. EXHIBITAE. [7]IVDICAT.
PATRONO.

Hoc

1 EVFICIAE] Legendum arbitror FVFICIAE. Inscriptio hæc a *Grutero* abest.

2 C. VOLVSENO] Nec hanc, nec sequentes duas apud *Gruterum* inveni.

3 QVESTORES] *Gruterus* pag. MXC. 13. legit QVESTORIOS.

4 CLAV.] *Gruterus* legit CLAVD.

5 FLVMENTANAE] *Grut.* FVLMINAT.

6 SINE LITIBVS] *Grut.* STLITIBVS.

7 IVDICAT PATRONO] Auget ita *Gruterus* IVDICAT ORDO ARIMINENSIVM PATRONO.

Hoc est: *Marco Ælio Aurelio Theoni Augusto Juridico de Infinito per Flaminiam, & Umbriam, Picenum Sodali Adrianali, Pretori, Tribuno Plebis adlecto inter Quæstores, Tribuno Militum Laticlavio Legionis undecimæ Claviæ. Item Tribuno Militum Laticlavialis Legionis duodecimæ Flumentanæ Decemviro singulis Litibus judicandis, ob singularem abstinentiam, industriamque, exhibitæ judicationis Patrono.*

Ibidem.

36 [1] M. VETTIO M. F.
AN. VALENTI
CAESARIS NERV.
TRAIANI OPT. AVG. GER.
DACICI PART. II. VIR. QVINQ.
PRAES. FLAMINI AVGVRI
PATRONO COLONIAE
VICANI VICI AVENTIN.
OPTIMO CIVI
PATRONO SVO.

Hoc est: *Marci Vettio Marci Filio, Anniensi, Valenti, Cæsaris Nervæ Trajani, Optimo Auguri, Germanici, Dacici, Parti Duumviro, Quinqueviro, Præsidi, Flamini, Auguri, Patrono Coloniæ, Vicani Vici Aventini, Optimo Civi, Patrono suo.*

His positis interpretationibus, quantum ad has duas Inscriptiones *M. Ælio, & M. Vettio* erectas, advertendum, quod *Juridici*, a dicundo jure, præfecti *Italiæ*, ab *Adriano* Principe instituti, apud *Capitolinum*, annotante *Egnatio*, intelligendi sunt; sed de his jam diximus *pag.* 17.

Lati clavi meminit *l.* XLIII. *ff. de donat. inter vir. & l.* IX. *C. de test. milit.* Fuit hoc Senatorum ornamentum. *Augustus* liberis Senatorum quo celerius Reipub. adsuefcerent, protinus virili togæ latum clavum inducere, & Curiæ interesse permisit, ait *Sueton. Aug. cap.* XXXVIII. *Tacit. Annal.* XIII.

Tribuno Militum. Tribuni Militares, seu Militum (Græcis χιλίαρχοι) alii dicebantur *rufuli*, inquit *Asconius*, qui in exercitu creabantur, alii *comitiati*, qui *Romæ* comitiis designati erant. Officium eorum fuit, uti milites armis bene muniti, atque exercitationis usu, & disciplina eruditi incederent: Item officium erat eorumdem, milites in castris continere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare; fraudem messorum coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, & hujusmodi. *Thesaur. Lingu. Lat. v. Tribunus.*

Causam vero quare Tribuni Militum olim Consulari potestate promiscue ex Patribus, ac Plebe creati fuerint, assignat *Pompon. de Orig. Juris l. Necessarium.* Quum, inquit, post aliquos annos Plebs contenderet cum Patribus, & vellet ex suo quoque corpore Consules creare, & Patres recusarent, factum est, ut Tribuni Militum crearentur, partim ex Plebejo partim ex Patribus, Consulari potestate: hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Hinc *Lucanus lib.* I. *versu* 177.

37 *Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni.*

Legionis undecimæ. Legio fiebat ex Cohortibus, atque iis denis; etenim *Legio* dividebatur in decem Cohortes; Cohors in quinquaginta manipulos; Manipulus in vigintiquinque milites pro unoquoque manipulo. Vocata est *Legio*, ait *Plutarch. & Varro*, quod lecti ex omnibus essent milites. Invenit, fecitque *Romulus*, sed tunc temporis quantam? Trium millium, ut *Varro*, *Dionysius*, & *Plutarchus* tradiderunt, cum sumeret ex singulis tribubus singula millia, atque ex tres erant. Aucta tamen haud longe post, vel a *Romulo* ipso, vel a *Tullo Hostilio*, de quo *Flor. lib.* I. *cap.* III. *sic ait: Hic omnem militarem disciplinam, artemque bellandi condidit,* Vide *Just. Lips. de Mil. Rom. lib.* II. *dial.* V. & *Veget. de Re Milit. lib.* II. *cap.* II.

In quavis *Legione* erant; ætas prima triariorum, altera principum, tertia hastatorum, ultima velitum; quæ, velitibus exceptis, dividebantur singulæ in decem Centurias; singulis autem centuriis primarii Curiones præerant.

Legionis duodecimæ. Cuique Consuli adtributæ erant duæ legiones. At postea crescente Imperio, & Prætoribus creatis, qui in Provincias mitterentur, & sæpe ad Bella, notum, testatumque est, plures Legiones scriptas fuisse. Sub initium liberatæ Urbis, *M. Valerio* Dictatore *quantus nunquam exercitus* (ait Livius *lib.* XI.) *decem legiones effectæ.* Insuper Bellis Punicis, atque adeo post cladem *Cannensem*, civibus tam multis illic, & alibi amissis, sociis partim deficientibus, legitur, apud eundem *Livium lib.* XXIII. duodeviginti legionibus rem gestam, & *lib.* XXIV. summam trium, & viginti Legionum effectam. *Pompeji*, & *Cæsaris* Bello, sparsæ variis in locis plusquam quadraginta Legiones adnotantur. In *Mutinensi*, & *Philippensi* supra quinquaginta. *Just. Lips. de Mil. Rom. lib.* I. *dial.* III.

Decemviro singulis litibus judicandis. Viros illos decem quos Prætor *Urbanus* in consilium diebus Cognitionum adhibebat *Decemviros litibus judicandis* appellatos fuisse notat ex *Sex. Pomp. & Val. Probo* Cujacius III. *Obs.* XXXII. *Pomponius* vero *l.* II. *§.* XVI. *D. de Orig. Jur.* Deinde, ait, quum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, *Decemviri litibus judicandis* sunt constituti.

Hi ergo cum aliud, quam decem Judices, non significent, liquidum videtur, quinque Senatores, & quinque Equites *Decemviros* olim litibus judicandis appellatos fuisse; nimirum sub *Augusto* decem (si *Dioni* credimus) Senatores, sub *Antoninis*, & *Alexandro* quinque Senatores, & Equites *Romanos* totidem.

Flamini. Unius Dei Sacerdos *Flamen* est; hinc *Cic. lib.* II. *de Leg. Divis aliis alii Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto.* 38
Flamines a *Dionysio* στεφανοφόροι vocantur, Flaminesque dictos vult ὑπὸ τῆς φορήσεως τῶν πιλωτῶν καὶ στεμμάτων; hoc est, *quod gestarent galeros, & infulas*, στέμματα enim dicit *filum* quod apici circumdabatur. *Servius* dicit eos habuisse pileum, quem cum per æstum ferre non possent, nec capite intecto eos esse liceret, capita filo religare soliti sunt.

Hi ergo *Flamines* cognominabantur a *Diis*, quibus sacra faciebant, erantque permulti, scilicet: *Flamen Augustalis*, cui Sacerdotes Augustales subjecti erant, Sacerdotium etiam Augustalium Sodalium postea institutum fuit; ait enim *C. Tacit. lib.* I. *Annal. Idem annus* (loquitur de *Tiberii* tempore) *novas cæremonias accepit, addito Sodalium Augustalium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Tatios instituerat, sorte ducti è primoribus Civitatis unus & viginti.* Ad hunc locum notat *Lipsius*, quod id exemplum placuit deinceps in omnibus Imperatoribus, qui facti sunt Divi. Ita *Sodales Flavii, Hadrianales* (hos inter numerabatur *M. Ælius Aurelius Theo*, de quo Inscriptionem retuli) *Æliani, Antonini*, &c.

Insuper erant *Flamen Dialis*, hoc est *Jovis*; qualis *Julius Cæsar* adolescens adhuc fuit. De

1 M. VETTIO] Exstat apud *Gruterum* pag. MCII. 5.

hoc *Flamine* scribit *Gellius lib.* x. *cap.* xv. *& Diali Flamini jurare nefas erat*. Et *T. Livius Flamen Dialis jurare in leges non poterat.* Ideo ait, quia (addit *Turneb. adverf. lib.* xxvi. *cap.* vii.) Magistratui in leges jurandum est, se eas observaturum, neque violaturum. Est &, in *Varrone lib.* iv. *de Ling. Lat. Flamen Falacralis* a divo *Falacre* dictus, sed Deus iste, ait *Turneb. cit. lib.* vi. *cap.* v. in vasto quodam latere obscuroque, & caliginoso chao videtur tacitus, & ignotus, neque cuiquam qui sit, proditus. Refert quoque idem *Varro Flaminem Furinalem*, divæ ut ipse ait *Furinæ*, sed quæ sit ista *Diva Furina*, sollicite, anxieque quærunt Antiquarii. Turnebus arbitratur *Erinnym* esse, & *Furiam*. Item reperiebantur *Flamen Martialis*, *Palatinalis*, *Quirinalis*, &c.

Quoniam vero diximus singulis *Diis Flamines* assignari; non est hic prætereundum, quosdam etiam fuisse Deorum omnium, ut in hac antiqua inscriptione: II. VIR. QVINQ. FLAM. DIVOR. OMNIVM. Erant tandem *Flamines* in magna veneratione, primumque locum post Regem Sacrificulum in conviviis tenebant. *Prat. & Lexic. Jurid. Kahl. v. Flamines.*

[1]M. VETTIO M. F.
AN. VALENTI
QVAESTORI PROVINC.
MACED. QVAESTORI PLEB.
SEVIRO EQ. ROM. PRAET.
39 LEG. PROV. NARBONENS.
.... LO PROV. BRITAN.
LEG. XV. APOLLINAR.
PATRONO.

Nempe: *Marco Vettio*, *Marci Filio*, *Anniensi Valenti*, *Quæstori Provinciæ Macedoniæ*, *Quæstori Plebis*, *Seviro*, *Equo Romano*, *Prætori Legionis Provinciæ Narbonensis ...... Provinciæ Britaniæ Legionis decimæquintæ Apollinaris Patrono.*

[2]P. TREPTVS. M. F. ATTIVS
7. LEG. X. 7. LEG. XII.
EQVO PVBL. TRIB. LEG.
. . . .
. . . . . . PR. . . . . . . II.

Publius prænomen *Romæ* valde familiare tum viribus, tum mulieribus. Dicebantur *Publii*, teste *Probo*, & *Sigonio de Nom. Rom.* qui prius pupilli facti erant quam prænomina haberent: ut diximus *pag.* 10. alii ominis causa a *Pube*. *Festus* vero illi qui populo gratus fuit, *Publium* prænomen esse existimat; ideoque *Chrift. Bechman. de Orig. Ling. Lat. lit. L.* observat *Publium* a cultu populi dictum. Ab hoc pronomine, putat *Sigon. & Panvin.* originem habuisse gentem *Publiam*, quæ *Romæ*, licet Plebea, fuit Prætoria, Consularis, Censoria, ac Triumphalis *T. Liv. Hist. lib.* II.

Quoniam inexplicatum reliquimus, quid sibi vellet *Equus Publicus* in Inscriptione *T. Mestrii pag* 15. *P. Flavii pag.* 16. *&c.* idipsum hic exacte dicemus.

Equo publico. Equus publicus erat, quo Equites *Romani* merebant, eis a Censore assignari solitus. Quid autem fuerit *Equus publicus*, audiamus oportet *J. Lipsium lib.* I. *de Mil. Rom. Dial.* v. Sciendum est, ait, ipsorum Equitum duplex corpus fuisse; alios *Equo publico*, alios sine eo. Illi vetustissimi, & proprie, ac soli *Equites* olim dicti. Hinc *Plin. lib.* xxiii. *cap.* I. scripsit: *Anuli plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inseruere, & quod ante milites equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt.* Festus: *Equitare antiqui dicebant, equo publico merere.* Et *Cicero Philipp.* vi. in Antonium: *altera statua est Equitum Romanorum Equo publico.*

Rei originem *T. Liv. lib.* v. *cap.* vii. sic aperit: *Cum repente quibus census equestris erat, Equi publici nondum erant assignati, Senatum adeunt, facta dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* 40 Atque addit, gratum id Senatui fuisse, & *equis certum numerum æris assignatum; tumque primum Equis merere Equites cœpisse.* Accipiebant ergo pecuniam è publico, & ad emendum equum, & ad alendum; illam semel, hanc annuam; estque utraque summa a *Livio* in censu *Serviano* (tam vetus res est) sic expressa lib. I. cap. xliii. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data; & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.*

Habita equi publici origine, sciendum venit: Non temere, aut omnes, ut ait *Lipsius cit.* ad equum publicum rescriptos fuisse, sed cum delectu, & examine etiam morum. In excerptis *Glossarii veteris* legitur: *Dicente quodam esse sibi substantiam equestris dignitatis, sed cum equum publicum peteret, prætermissum se esse; securum crimine quod ipsi concitaverunt: Hadrianus dixit, qui equum publicum petit, emendatus esse debet, cætera autem vitæ suæ ipse probabis.* Itaque non Consul, aut Imperator, sed Censor olim eum dabat; Judex scilicet morum. In *Livio lib.* xxxix. de *Sex. Ebutio*, cui prœmii loco vacatio data: *Ne invitus militaret, neve Censor ei equum publicum assignaret.* Atque ille ipse Censor, cum jam haberent, recognoscebat, & si quid vitii in iis, adimebat. *Livius lib.* xxiii. *His, superioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant:* quod de Censoriis notis narrat.

Atque hæc de equo publico, (concludit *Lipsius*) quem confectis stipendiis restituebant, & reducebant ad Censorem. Ejus mentis *Varronianum* hoc fragmentum arbitror: *In castris permansi, inde caballum reduxi ad Censorem.* Et de hoc ritu *Plutarch. in Pompejo* inquit: *Mos est Romanis equitibus, ubi legitima stipendia impleverint, ducere in forum equum suum ad Duumviros, quos Censores appellant, & commemorantes Imperatores quosque, sub quibus meruerint, militia solvi.*

L. LEPIDIO L. F. AN.
PROCVLO
[3]AEDIL. LEG. V. MACEDON.
7. LEG. EIVS D. 7. LEG. EIVSD. II.
7. LEG. [4]XV. VICTRICIS
7. LEG. XV. APOLLINARI
PRIM. LEG. XII. GEMIN.
DONIS DONATO AB
IMP. VESPASIANO AVG.
BELLO IVDAICO TORQVIBVS
ARMILLIS PHALERIS
CORONA VALLARI 41
SALINATORES CIVITATIS
MENAPIORVM
OB MER. EIVS
SEPTIMINA [5]F. REPONEND.
CVRAVIT.

Hoc est: *Lucio Lepidio*, *Lucii Filio*, *Aniensi Proculo*, *Ædili Legionis quintæ Macedoniæ*, *Centurioni Legionis ejusdem*, *Centurioni Legionis ejusdem secundum*, *Centurioni Legionis decimæquintæ Victricis*, *Centurioni Legionis decimæquintæ Apollinaris*, Pri-

1 M. VETTIO] *Gruterus* paucula aliter scribit pag. MCII, 3. quem vide.
2 P. TREPTVS] Non videtur extare apud *Gruterum.*
3 AEDIL.] *Gruterus* pag. MXCVI. 4. legit. MIL.
4 XV. VICTRICIS] *Grut.* VI. VICTRICIS.
5 F. REPONEND.] Pro F. apud *Gruterum* P. legitur.

Primipilo Legionis duodecimæ Geminæ, donis donato ab Imperatore Vespasiano Augusto, Bello Judaico, Torquibus Armillis Phaleris Corona Vallari, Salinatores Civitatis Menapiorum. Ob merita ejusdem Septiminia Filia reponendum curavit.

De *Centurionum* origine, dignitate, & hujusmodi, vide quæ diximus supra *pag.* 31. Eadem de Ædilibus vide *pag.* 19.

Legionis quintæ. Genera militum, seu discrimina diffusa per plerasque partes, & sub certis signis, ac ducibus distributa quatuor erant, Velites, scilicet, Hastati, Principes, Triarii. *Polybium* ex interpretatione *Justi Lipsii lib.* 11. *de Mil. Rom. dial.* 1. sic lege: *Tribuni Romæ cum Sacramento milites dixerint, diem, & locum cuique Legioni denunciantes in quem conveniant, idque sine armis, tunc quidem dimittunt. At ii cum adfuerint die dicta, horum juvenes, & pauperes maxime Tribuni seligunt in* Velites; *istis proximos in* Hastatos; *ætate florentissimos in* Principes; *ætate maximos in* Triarios. *Tot enim, & talia discrimina apud eos sunt, & appellationum, & ætatum, & armorum in quaque legione. Dividunt autem in hunc modum, ut maximi ætate quos* Triarios *dicunt, sint sexcenti*; Principes *mille ducenti*; *totidem* Hastati; *reliqui, & ætate minimi* Velites.

Refert *Ælianus*, *Velites* levissime omnium armantur, unde & expediti nuncupantur, non enim ocreas, aut loricam induunt, sed tantum jaculis, & fundis utuntur. *Velites* ut plurimum in fronte exponuntur hosti; unde *Liv.* VI. *Bell. Pun.* sic ait: *Et ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato Velites desiliunt. Hastatos Varro* vult dictos, quod primi pugnabant *hastis.* Et *Ennius.*

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Verum *Polybii* ævo, atque etiam ante, Hastati pilis, & gladiis pugnabant, hastæ vero jaculatoriæ, seu *velitares* apud *Velites* remanserant. Quapropter *Liv. lib.* XXXVIII. eos tripedalem parmam
42 scribit habere, & in dextra hastas, quibus eminus utuntur. *Principes Varro* derivat, qui a principio gladiis pugnabant, & post commutata re militari, minus illustres sumuntur. Verum *J. Lipsius* asserit ita dictos esse, quia *Principes* a *principio* pugnabant, unde & nomen; postea alii minus illustres sumpti in eum locum. Hos inter adnumerabimus *M. Vettium, M. F. An. Valenti*, de quo Lapidem exposuimus supra pag. 29. Tandem *Triarios* sic dictos ait *Varro*, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponuntur. Vel quia tribus vexillis constare ait *Kahl. Lex. Jur. v. Triarii.*

Primipilo Legionis duodecimæ. Cum Legiones eo modo dividerentur, quo vidimus; sciendum venit, singulas dividi in decem centurias. singulis vero centuriis primarii Centuriones præerant, eæque in *Triariis*, ita appellabantur, *Primipilum, Secundum pilum, Tertium pilum*, & deinceps usque ad decimum; sic etiam in *Principibus, primus Princeps, secundus Princeps*, &c. Et in *Hastatis, primus Hastatus, secundus Hastatus*, &c. Duces appellabantur *primi Primipili Centurio, primi Principes Centurio, primi Hastati Centurio*, &c.

Corona Vallari. Coronæ diversorum generum fuerunt apud *Romanos* in magno pretio; qualis erat *Triumphalis, Obsidionalis, Civica, Muralis, Vallaris*, quæ & *Castrensis, Navalis*, & *Ovalis.* Quarumcumque *Coronarum* absolutissimus Catalogus invenitur apud *Aul. Gellium lib.* v. *Noct. Attic. cap.* VI. Nos hic dicemus de *Vallari*; quod scilicet, ea erat, qua donabatur is qui primum hostium Castra pugnando introiisset; cui insigne erat ex auro vallum.

Menapiorum. Populi erant qui ad utramque *Rheni* ripam habitant, juxta *Nervios*, sed ad ma-

A re proximi, qui hodie vocantur *Geldrenses*, sive ut alii volunt, *Juliacenses. Strab. lib.* IV.

Dum resarciebantur Muri Civitatis sub temporibus Pauli III. *Pontif. Max. sequens Marmor repertum fuit, haud longe ab Ecclesia* Capuccinorum.

[1] M. LIBVRNIVS L. F.
M. VETTIVS M. F.
EX D. C. MVRVM
FAC. CVR.

Nempe: *Marcus Liburnius, Lucii Filius, Marcus Vettius, Marci Filius, Exdecuriones Murum faciendum curaverunt.*

B *Exdecuriones.* Omnibus illis, qui apud antiquos aut deponebant, aut dignitatem mutabant, ad hoc exprimendum, dignitati, quam antea habuissent, particulam *Ex* adjunxere. Ita me docuit *Mar. Marcellinus Hist. lib.* XXVIII. ubi sic ait: *Nobilitatis decreto legati mittuntur Prætextatus Exurbi Præfe-* 43
cto, & Exvicario Venustus, & Exconsulari Minervius, oraturi, ne delictis supplicia sint grandiora. Imo *Jul. Capitolinus*, qui *Constantini* temporibus floruit, Imperatorumque aliquorum gesta literis mandavit, non solum usus est *Excomite, Expræfecto*, &c. Verum etiam unico nomine plura expressit, ut videre est in iis, quæ scripsit de *Gor-*
C *diano* III. *Post hæc Veterani ad curiam venerunt: ut discerent quid actum esset. Ex quibus duo ingressi Capitolium, quum illic Senatus ageretur, ante ipsam aram a Gallicano Exconsulibus, & Mæcenate Exducibus interempti sunt.* Ubi notandum est *Exconsulibus*, & *Exducibus.* Ad hæc, *Claud. Salmasius* antiquitatum amore ductus, consideranda, in hæc verba prorupit: *Novum est illud genus loquendi, Exconsulibus, pro Consule, sive Vir Consularis, Mæcenas non Dux, sed qui Dux fuit.*

Cœterum, *Expræfectus, Exconsul, &c.* Illi erant qui Præfecturam, Consulatum, &c. posue-
D rant, ut clare constat apud eundem authorem *Hist. lib* XXII. in quo enarrans illius *Palladii* obitum, qui sub *Gallo* Cæsare *Juliani* Imperatoris fratre, Officiorum Magister fuit, ita scribit: *Et Palladium primum Exmagistro Officiorum in Britannos exterminarunt suspicione tenus insimulatum, quædam in Gallum composuisse apud Constantium dum sub eodem Cæsare Officiorum esset Magister.* Quod cum ita sit, opinioni illorum scriptorum adversantur, qui asserunt *Trebonianum* in Aula *Justiniani* Imperatoris fuisse *Exquæstorem*, non quod illud Officium, quod ad tempus auferebatur, deposuerit; verum quia Quæstorum Princeps
E erat, & caput in aula illius; citantque *Alciatum lib.* IV. *Dispunct. cap.* III. asserentem: *Ex, particula est non privantis tantum, sed & augentis.*

Audiant hic amabo quid scribat *Salmasius* vir antiquis literis eruditus, ad illa verba: *Helii Lampridii in Alex. Severo*, quæ sunt: *Fecit Romæ Curatores urbis quatuordecim*; *sed Exconsularibus viris.* Notat Salmasius: *Viri Exconsulibus sunt Consulares, & Expræfectis Præfectorii, & similia; sic Græci ἀπὸ ὑπάτων dicunt qui sunt Exconsulibus: Consulares autem, & Exconsulibus diversi illa ætate; nam Exconsulibus qui Consules utique fuere,*
F *Consulares, qui Provincias Cæsaris jure Consulari administrarent, etiamsi Consules nunquam fuissent.*

Viget hodie hic mos, præcipue in summis Religiosorum dignitatibus; dicuntur enim post functa officia, & dignitates, *Exgenerales, Exprovinciales*, &c. Excepta tamen *Dominicanorum*, sive *Prædicatorum* Religione, & *Jesu Societate*, in

B 3 qui-

1 M. LIBVRNIVS] Frustra quæsivi apud *Gruterum.*

quibus Generales, quo usque vivunt, dignitates sustinent, summa probitate, & exemplo.

Prope Mœnia Civitatis, ad Portam Divi Andreæ *olim sequens extabat Lapis.*

44 [1]L. BETVCIO L. F.
PAL. FVRIANO
AEDILI. CVR ET CVRVLIS.I.D.ET
PLEBEIA MANDATA
ET PLEBS VRBANA
EX AERE CONLATO
OB HONOREM AB EO
INTEGRE ET SINE
AMBITIONE
ADMINISTRATAM.
L. D. D. D.

Ædili. Jam diximus *pag.* 19. curam *Ædilium* fuisse ædificia publica, & privata curare; quod ex *Plat. lib.* VI. *de leg.* colligitur; & *Arist. lib.* VI. *Politic. cap.* III. de ædificatione decenti curam ad *Ædiles* spectasse tradit, qui ἀγορονόμοι ab ipsis *Græcis* vocantur. Templorum item ædificandorum curam gessisse, docent *Dion. Halicarnass. lib.* VI. & *Cic. in* I. *in Verr. act.* Theatra ut construerentur, *Fenestel. de Magist. Rom. cap.* XIV. Fora, *Suet. in Cæs. cap.* X. ubi etiam porticus ædificare, & Basilicas, & Capitolium exornare. Verum ab *Ædilibus* (ait *Marcel. Donat.* apud *Gruterum Lamp. Art. Lib. tom.* VII. *cap.* XXXVI. *in Suet.*) *Augustus* hoc munus avocavit, & ad particularem magistratum transtulit, uti plures essent qui Reipublicæ administrandæ partem caperent, sicque ipse nova officia excogitata pluribus impertiendo, sibi eos devinciret.

Item eodem in loco.

C. MEMMIVS C. F. AN.
MARIANO FLAM. DIVI [2]CLAV.
[3]II. VIR. III. VIR.
CVRATORI AEDIVM.
[4]Q. A....... ICA.....
VICANI VIC. [5]VELAB.
PATRON. OB [6] MEM. EIVS
CVIVS DEDICAT. [7]SINGVL.
N. VIII. DED.
L. D. D. D.

45 Hoc est: *Cajo Memmio, Caji Filio, Anniensi Mariano, Flamini Divi Claudii, Duumviro, Triumviro, Curatori Ædium.......... Vicani Vici Velabri, Patrono, ob memoriam ejus, cujus dedicatione singulis nummos septem dederunt. Locus datus Decreto Decurionum.*

Vicani Vici Velabri. Velabrum locus erat in Urbe juxta *Aventinum* montem, velis obtensus, sub quibus oleum, & similia vendebantur. Hinc *Horat. Satyr.* III. *versu* 229.

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant.

Evidentissime patet (addit *Jacobus Villanius Arim. Rub. pag.* 150.) *Ariminum* Urbem in ampliorem situm, longeque majorem, quam his temporibus, olim extitisse. Id probat vetustas Lapidum, demonstrantque ipsi adhuc, quanta fuerit dignitas, & amplitudo Civitatis. Distributa enim fuit in septem præcipuos Vicos, ut ex eisdem Inscriptionibus perclare dispicitur, quarum complures memorantur VICANI VICORVM VII. ex

A quibus III. etiam in diversis insculpta nomina (jam supra retulimus) visuntur.

Velabrum, Germalus, Aventinus partes erant Urbis *Romæ.* Ad hujus igitur (ut innuit *Cluverius*) exemplum *Ariminenses* suam quoque Urbem in VII. parteis divisisse videntur.

Post mortem Q. Fabii Maximi Ariminenses *in honorem ipsius, ejusdemque gestorum sequentem erexere Inscriptionem, quæ extat in* Historiis Arim. Cæs. Clementin. *lib.* I.

[8]Q.F.MAX. DICTATOR BIS COS.V.CENSOR INTEREX II. AED. CVR.
B Q. II. TR. MIL. PON. AVGVR. PRIMO CONSVLATV LIGVRES SVBEGIT. EX IIS TRIVMPHAVIT TERTIO ET QVARTO.
HANNIBALEM CVM PLVRIBVS VICTORIIS FEROCEM SVBSEQVENDO COERCVIT. DICTATOR. MAGISTRO EQVITVM MVNIT..... IVS POPVLVS IMPERIVM CVM DICTATORIS IMPERIO ADEQVAVIT ET EXER. PROFLIG. SVBVENIT. ET EO NOMINE AB EXER. MVNITIAN. PATER APPELLATVS EST
C COS.V.TARENTVM COEPIT.TRIVMPHAVIT. DVX AETATIS SVAE CAVTISS. ET REI MILIT. PERITISS. HABITVS EST PRINCEPS IN SENAT. DVOBVS LVSTRIS FACTVS EST.

Notum est apud omnes *Fabium Maximum* Consulem fuisse cum *C. Julio Cæsare*, anno ab Urbe DCCIX. Mundi MMMCMV. & ante Christi adventum XLIII. Hic idem *Fabius* in *Hispania Pompejanos* vicit. *Hispaniasque* per deditionem accepit. Hujus vitam, & res gestas eleganter scribit *Plutarch.* 46

Item post mortem C. Marii *sequentem erexerunt Inscriptionem* Ariminenses, *ut videre est apud* Clementin. *cit.*

D [9]C. MARIVS COS. VII. PR. TR. PL.
Q. AVG. TRIBVNVS
MILITVM EXTRA SORTEM BELLVM CVM IVGVRTA REGE NVMID. QV... GEST. EVM COEPIT TRIVMPHAVIT IN II. CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT. III. COS. ABSENS. CREATVS EST.IIII.COS.TEOTONORVM EXERCITVM DELEVIT. V. COS. CIMBROS FVDIT, EX ILLIS ET TEOTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT. REMP.
E TVRBATAM SEDITION. TR. PL. ET PRAE. V. QVI ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERVNT VI. COS. VENDICAVIT. POST LXX. AN. PATRIA PER ARMA CIVIL. PVLSVS CIMBRIS ET TEOTONIS AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PATRICIIS
MELATIVS M. F. FECIT.

Cajus Marius vir strenuus fuit ex municipio *Arpinate* humili loco natus. Hic per ordinem primis
F honoribus functus, Consulatum adeptus *Jugurtham* captum ante currum egit, tantamque fortitudinis suæ opinionem *Romanorum* animis infixam reliquit, ut imminente *Cimbrorum, Teutonum*que terrore, quinque continuos Consulatus ei detulerint.

---

1 L. BETVCIO] Confer *Gruterum*, qui L. BETVTIO legit pag. MXCII. I.
2 CLAV.] *Grut.* p. MXCVII. 2. CLAVD.
3 II. VIR] *Grut.* III. VIR.
4 Q. A..... ICA...] *Grut.* Q. ALIM. AD. ARICAS.
5 VELAB.] *Grut.* VELAT. & Schedæ Pighii IVLAB.
6 MEM.] *Grut.* MER.
7 SINGVL] *Grut.* SINGVLAT. H. N. VIII. DEDIT. L. D. D. D.
8 Q. F. MAX.] Exhibet *Gruterus* pag. CCCCVI. 7
9 C. MARIVS] Confer *Gruterum* pag. CCCCXXXVI. 3

rint. Sextum Cos, cum *Catulo* factus, *Cimbros* in *Gallia* apud *Aquas Sextias*, *Teutonas* in *Italia* vicit, deque his triumphavit. *Lex. Hist.* A

---

47 J. M. GARUFFII

LUCERNAE

LAPIDARIAE ACCENSAE

Ad Titulos, & Inscriptiones Imperatorum C. Cæsaris, Octav. Augusti, *&c.* Arimini *visendas.* B

CAPUT II.

HUcusque scrutati sumus hac nostra LUCERNA LAPIDARIA Titulos, Inscriptiones, Monimenta, Cenotaphia, Vota, Heroum, vel Militarium, vel cæterorum, qui Ethnicis dignitatibus, tam Belli, quam Pacis, antiquis floruere temporibus. Olim Marmora omnia, quæ recensuimus, extabant *Arimini*, præter nonnulla, quæ extra Civitatem surgebant per viam *Flaminiam*. C Quæ erant *Arimini*, videbantur in Pomœrio, atque in eo præcipue, quod a *Porta Orientali*, sive *D. Genesii*, ad *Portam Meridianam*, sive *D. Andreæ*, longiori, & ampliori loco extendebatur. Quondam consueverunt *Hetrusci* in condendis Urbibus locum, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrare. Hoc spatium, neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id; Pomœrium *Romani* appellarunt, & in Urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. *Thesaur. Ling. Lat. v. Pomœrium.* D

DE *Pomœrio* sic loquitur *A. Gellius lib.* XIII. *cap.* XIV. *Pomœrium quid esset, Augures Po. Rom. qui libros de Auspiciis scripserunt, istius hujusmodi sententia definierunt: Pomœrium est locus intra agrum effatum per totius Urbis circuitum pene muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii. Antiquissimum autem Pomœrium, quod ab Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur, sed id Pomœrium pro incrementis Reipub. aliquoties prolatum est, & multos, editosque colles circumplexum est.* Ita *Gell.* Habuit ergo *Ariminum Pomœrium*, & in eo Sepulchra, E &c.

Visis ergo Sepulchris, Marmoribus, Cippis, &c. quæ privatorum erant, videamus modo aliqua, quæ Imperatorum fuere, & primo

48 LUCERNAE LAPIDARIAE

Ad Inscriptiones Imperatorum invisendas.

Ἀνακήρυξις. ε.

In Columna in Foro posita, quæ olim dicitur inserviisse pro stylo Simulacro Herculis, *sequens extat Inscriptio.* F

C. CAESAR DICT.
RVBICONE SVPERATO
CIVILI BEL. COMILIT.
SVOS HIC IN FORO
AR. COLLOCVT.

SVGESTVM HVNC
VETVSTATE COLLAPSVM
COSS. ARIM. MENSIVM
NOVEMB. ET DECEMB.
M. D. LV. RESTITVT.

AMILIO PASSAREL.
EXCOSS. PROCVRAN.

Legitur ergo hæc Inscriptio tribus in partibus dictæ Columnæ; nempe in parte, quæ respicit Populum: *Cajus Cæsar Dictator Rubicone Superato, Civili Bello Commilitones suos Hic in Foro Arimini Collocutus.* E regione vero, seu in parte, quæ propinquiora respicit ædificia; *Sugestum hunc vetustate collapsum Consules Arimini, Mensium Novembris, & Decembris* 1555. *Restituere.* Circa Epistylium, *Camillo Passarello Exconsule Procurante.*

Dictator ille erat, cujus in Urbe summum jus, ac plane regia potestas fuit, lege lata, ut opinor, *T. Lartio Flavio* II. *Q. Clœlio* Coss. sine provocatione creatus, & de Consularibus lectus. Cum ergo de Consularibus eum legi Lex juberet, sequebatur, ut de Patriciis crearetur. Consules enim tunc, & per annos deinde multos, Patricii fuerunt, nec prius de Patriciis legi Dictator desiit, quam creari duo Consules Patricii desierunt; non enim Consul Patricius Dictatorem quemquam de Plebe dixisset. Itaque primus de Plebe Dictator 49
fuit *C. Marcus Rutilus*, qui a *M. Popilio Lænate* Consule Plebejo dictus est; atque ita communicata est Plebi Dictatura anno Urbe condita CCCXC. *Thesaur. Ling. Lat. v. Dictator.*

Dictatura igitur extraordinarius, & summus Magistratus erat, ad quem non nisi in maximo periculo, velut ad sacram Anchoram, & ultimum remedium confugiebatur. In hunc enim quicquid *Romanæ* ditionis esset transfundi consuevit; adeo ut non alii Magistratus interim essent. Qua ratione, & duæ secures, præcedentibus lictoribus, & cætera regia insignia illis attribui solebant. *Oldrad. apud Kahl.* Dictaturæ spatium semestre fuisse, nec longius esse per leges potuisse, satis constat. Duo tamen, propriam potentiam legibus, ac libertati anteponentes, *L. Sylla*, & *C. Cæsar*, uterque Patricius, perpetuam dictaturam armis invasere. Verum *Sylla* modestior, Dictaturam sponte deposuit, solusque, aut cum paucis comitibus in publico versari solitus est. *Thesaur. cit. Cæsar* illud sæpe in ore habuit: *Sylla* nescivit literas, cum ejus inscitiam, imprudentiamque in omittenda Dictatura notaret. *Manut. lib. de Leg. Rom.*

Rubicone superato. Quod autem *Rubico* Fluvius fuerit prope *Ariminum*, deducitur primo, & præcipue ex testimonio *Vib. Sequestri*, qui post *Itinerar. Antonini* circumferri solet in tract. *de Fluminibus*, ubi sic ait: *Rubicon Galliæ, juxta Ariminum, olim dividens Galliam ab Italia.* Deducitur secundo ex circumstantiis itineris, quo *Cæsar Ravenna Ariminum* contendit, & *Rubiconem* pertransivit.

Cæsarem Ravennæ constitisse die antequam *Rubiconem* transiret, & *Ravenna* discessisse omnes fatentur; hora vero discessus hæc perhibetur per Historicos, qui sunt *Suetonius*, *Plutarch.* & *Appianus.* Audiamus singulos. *Deinde post Solis occasum mulis è proximo pistrino ad vehiculum junctis occultissimum iter modico comitatu ingressus est, & cum luminibus extinctis, decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto per angustissimos tramites pedibus evasit, consecutusque Cohortes ad Rubiconem Fluvium, qui Provinciæ ejus finis erat, paululum constitit.* Ita *Suet. in Cæs. cap.* XXXI.

Plutarchus item sic ait: *Paululum ante Solis oc-* *ca-*

1 C. CAESAR] inter Spuria retulit *Gruterus* pag. 4. & pro COLLOCVT. legit ADLOCVT.

casum adhibita corpori modica refectione, & una discumbens in convivio, & brevi cum convivis commoratus cœnavit, jamque advenientibus tenebris surrexit &c. Ingressus primo quandam aliam viam, postea versus Ariminum convertit. Tertius, nempe *Appianus Civil. lib.* II. sic: *Ipse vero de sero, etiamsi corpore fatigatus, discessit è convivio; & bigam ascendens versus Ariminum sequentibus quodam intervallo equitibus, festinanter pervenit ad Rubiconem flumen, quod terminat Italiam, stetitque paulisper, & in fluentem aquam intuens, &c.*

De itinere vero a *Rubicone Ariminum* sic testa-
50 tur *Suetonius* cit. cap. XXXII. *Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximia magnitudine, & forma, in proximo sedens repente apparuit arundine canens, ad quem audiendum cum præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & Æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen, & ingenti strepitu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, eatur, inquit, quo Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Jacta est alea. Atque ita trajecto exercitu, adhibitis Tribunis Pleb. qui pulsi supervenerant pro concione, fidem militum, flens, ac veste a pectore discissa, invocavit.*

Qua hora *Ariminum* ingressus sit, dicemus in notis ad sequentia carmina *M. Annæi Lucani Pharsalia, sive de Bello Civili Cæsaris, & Pompeji lib.* I. *versu* 183.

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Cœperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci patriæ trepidantis imago
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui: Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa viri? Si jure venitis,
Si Cives, hucusque licet, &c.

Cæsar igitur, e *Transalpina Gallia* reversus, *Ravennæ* agebat, bello vindicaturus, si quid de Tribunis Pleb. intercedentibus pro se, gravius a Senatu constitutum esset. Itaque noctu perveniens ad *Rubiconem* fluvium, qui *Italiam* a *Gallia* citeriore disterminat; ipsi cunctanti, & cogitabundo ostentum factum est, quod supra narravimus cum *Suet. in Cæs. cap.* XXXII.

Ad hujus fluminis ripas prope Pontem, cujus vestigia adhuc videntur non procul ab Ecclesia *SS. Viti*, & *Modesti*, quam in dies suis vorat undis *Rubico*, hodie *Luso*, Marmor his verbis ex Senatus decreto inscriptum advertunt *Joann. Sulpitius*, & *Phil. Beroaldus comm. in Lucan.* nempe:

IMP. SIVE MILES SIVE TYRO ARMATVS QVISQVIS SISTITO VEXILLVM ARMAQVE DEPONITO
NEC CITRA HVNC AMNEM ARMA SIGNAVE TRADVCITO QVISQVIS CONTRA FECERIS HOSTIS DIIVDICABERE POP. ROM.
ACSI ARMA CONTRA PATRIAM PENATESVE DEOS ABSTVLERIS.

51 Olim in *Palatio*, publico hujus Senatus Consultus, quo cautum est, ne cui ultra hos fines arma proferre liceret, extabat Inscriptio in hunc modum: *Jussu, Mandatuve P. R. Cos. Imp. Trib. Mil. Tyro Consil. Armate Quisquis es Manipularie, Turmæve, Legionarie. Hic sistito, Vexillum sinito, Arma deponito. Nec citra hunc Amnem Rubiconem signa, Exercitum, Comeatumve traducito. Si quis hujus Jussionis adversus præcepta ierit feceritve, adjudicatus esto Hostis Pop. Rom. ac si contra Patriam arma tulerit, Penatesque ex sacris Penetralibus asportaverit.*

Prosequitur *Lucanus* gestorum *Cæsaris* ad *Rubiconem*, & *Arimini* narrationem. *versu* 213.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas:
Perque imas serpit valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis,
Tunc vires præbebat hyems, atque auxerat undas.

Credunt aliqui, quod *Rubicon* dicatur *Puniceus*, quod habeat undas, & arenas puniceas, hoc est ruffas, unde nomen accepisse videtur: ego vero cum *Farnab.* & *Grotio* dico allusum esse ad Etymon. Alii legunt *Pumiceus*. Hic igitur fluvius, ut diximus, *Togatam Galliam* ab antiqua *Italia* separabat; nam ultima *Italiæ* Urbs *Ariminum* erat, & prima *Galliæ Ravenna*.

Cæsar, ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis & constitit arvis,
Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo;
Te fortuna sequor; procul hinc jam fœdera sunto.
Credidimus fatis, utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, & torto Balearis verbere fundæ
Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta:
Vicinumque minax intravit Ariminum, ut ignes
Solis lucifero fugiebant astro relicto.

Cæsar postquam *Ravenna* discessit, concionatus apud tertiam decimam Legionem, quam solam secum habebat, omnes inimicorum in se injurias commemoravit: illi, clamore sublato, cum responderent, paratos se esse ad Imperatoris sui, Tribunorumque injurias defendendas; *Ariminum* cum ea Legione paulo ante Solis ortum intravit. Hinc *Plutarchus* in *Pompejo*, p. 651. & *Cæsare* p. 723. ἀνεῤῥίφθω κύβος ὥρμησε πρὸς τὴν διάβασιν καὶ δρόμῳ τὸ λοίπον ἤδη χρώμενος, εἰσέπεσε πρὸ ἡμέρας εἰς τὸ Ἀρίμινον, καὶ κάτεσχε. Hoc est: *Jacta est alea, & se ad transitum incitavit. Celeriter itaque fortuna utens Ariminum pervenit, paulo ante diem, illudque in suam potestatem redegit.* Idipsum confirmat *Appianus*: lib. II. *Bell. Civ.* Ὁ κύβος ἀνεῤῥίφθω, δρόμῳ δ' ἐντεῦθεν ἐπιὼν Ἀριμίνοντε αἱρεῖ περὶ ἕω, id est: *Jacta est alea, & ce- 52
leriter perveniens* Ariminum, *illud occupavit circa Solis ortum.*

Cum igitur *Cæsar* ingressus fuisset *Ariminum*, ipsumque secuti essent CCC. Equites, & Militum quinque milia; jussit, occupato foro, classicum canere. Tunc *Ariminenses*, qui longa pace, altove sopore dormiebant, exciti, suspensa è domesticis parietibus rapuere arma, & in hos questus prorupuere: *O Urbem nostram male sitam contra Galliam, & in cardinibus Italiæ expositam omnibus, qui Italiam invaserint*, &c. Reliqua vide apud *Lucan. cit. Suet. Appian. &c.*

Quod vero *Rubico* sit idem, ac flumen, quod hodie vulgo dicitur *Luso*, dicam in mea Historia *Annali di Rimino*; ibique evidentissimas rationes adducam. Si quis interim earum aliquas videre cupiat, legat *Ravinam, Faventia Rediviva. Clementinum Hist. di Rim. lib.* I. *pag.* 83. *Villanium Ariminensi Rubicone*, & *Manuscripta extantia, tam in Bibliotheca Gambalonghia Arimini, quam Malatestarum Cesenæ.*

Cœterum, portentum illud, quod enarrat *Sueton.* quodve nos supra *pag.* 50. retulimus, figmentum credo. Fortassis *Cæsar*, qui Ethnicis superstitionibus devotos viderat populos, portentum excogitavit, sibique visum effinxit, ut armatos milites secum adversus *Romanam* fortunam traheret, vimque reluctantibus faceret.

Camillo Passarell. Familia *Passarella* summe olim *Arimini* resplenduit. Inter cœteros ejusdem viros *Jacobum Passarellum* Episcopum *Ariminensem* Innocentius VIII. ad *Brittanniæ* Regem de rebus gravissimis legavit; ubi cum apud illum Regem plurimam

rimam gratiam collegisset, ab eodem promer ui *Britannici* Regis stemmatibus insigniri; in cujus rei memoriam, sequens Distichon voluit supra Sepulchrum extare.

Est Rosa, sunt Pardi, sunt Lilia munera Regis
Britanni, meruit hæc mea magna fides.

Videsis apud *Ferd. Ughell.* tom. II. *Ariminen. Episcop.* pag. 443. & apud *Clementin. Hist. di Rim.* &c. Dictus *Jacobus Sixto* IV. Pontifici familiaris fuit, dum purpuram gestaret, a quo *Imolensem* Sedem impetravit, multaque eodem Pontifice Ecclesiastica negotia consulte promovit. Ab *Innoc.* VIII. an. MCCCCLXXXVIII. delatus fuit ad *Ariminensem* Ecclesiam, quæ suum vidua Pastorem lugebat *Joannem de Rosano*, sive *de Rosa*. Consulum *Arim.* Mensium *Novembris*, & *Decembris* an. MDLV. nomina vide in hujus Operis *Appendice* post *cap.* III.

53 *Inter Civitatem, & Suburbium D.* Juliani *Pons extat, & in Spondis ejus sequens videtur Inscriptio.*

[1] IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIF. MAXIM. COS. XIII. IMP.
XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII.
P. P. TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F.
DIVI IVLII N. AVGVST. PONTIF.
MAX. COS. IIII. IMP. VIII. TRIB.
POTEST. XXII. DEDERE.

Qua Fluvius *Ariminus* (qui diversa appellatione *Marecchia* hodie nominatur) Muros occidentales Civitatis lambens Mare subit, Marmoreum Pontem *Octavius Augustus* cum Filio *Tiberio* ædificavit. Pons *Flaminiam* viam cum *Æmilia*, atque Urbem ipsam cum Suburbio D. *Juliani* conjungens, totus quadrato Marmore, & quino fornice constat, supraque spondis utrinque ad ornatum, & transeuntium securitatem. Longus est CXX. pedes, latus vero quindenos. In utraque parte, tam scilicet in sponda sinistra, quam dextera, legitur Inscriptio, quam supra adnotavimus, quamque divisam per medium in utraque insculptam male asserit *Joan. Blaeu. G. F. in suo Theatro Civitatum, & Admirandorum Italiæ.*

De hoc Ponte egit *Andr. Palladius libro* III. *Architecturæ cap.* XI. ubi adamussim delineatum exprimit, hoc tamen errore notandus. Ait ipse; *Al diritto de' Pilastri ne' lati del Ponte sono alcuni Tabernacoli, ne' quali anticamente dovevano essere Statue:* Etenim nedum Statuarum vestigia videntur, verum nec ipsas ibi unquam fuisse facile colligitur ex eo, quod dicta Tabernacula sint ex Tabulis Marmoreis ita dispositis, ut nullas admittere possint Statuas, nec etiam ipsas, quas vulgo dicimus, *di basso rilievo.*

Pontem hunc delineatum typis commisit *Eques August. Martinellus*, *Romæ Anno* MDCLXXXI. postquam concordi prece, & calculo Civium Ariminensium vocatus, eorumdemque expensis, qua parte ruebat, reparavit brevi temporis intercapedine, ac summo omnium plausu.

Verum, ut notam aliquam *Romanæ* Eruditionis nostra hac *Lucerna Lapidaria* inspicientem doceamus, sciat: Hoc nomen, *Imperator*, positum in principio antiquarum Inscriptionum ante quodcumque aliud nomen, dignitatem illam significare, quam sibi *Cæsar* vindicavit, *Rubicone* superato, quando *Romam* intravit, ibique Urbis, ac Orbis Imperatorem se fecit. Positum vero post cœtera nomina, Ductorem Exercituum apud eruditos viros exprimit. Duces enim Militiæ,

1 IMP.] Exstat apud *Grut.* p. CLX. n. 2. sed legitur ibi AVG. PONT. MAX. COS. XIIII. & mox pro XXXVII. XXXVIII. Notaturque ab altero latere esse partem Inscriptionis, quæ de *Tiberio* agit. ubi legitur AVG. PONT.

2 COS.] Non puto exstare apud *Gruterum.*

A vel erant proprii, ut Centuriones in Manipulis, 54
vel communes, ut Legati, & Imperatores. Supremus ergo Ducum erat Imperator, à quo Cives, Socii, Equites, Pedites, denique omnes, & omnia pendebant. *Just. Lips. de Mil. Rom. Dial.* XII. Insuper Imperatores dicebantur, nedum qui Senatus, & Populi *Romani* jussu ductabant Exercitus, verum etiam, qui Provincias administrabant, & singuli duos Legatos habebant (apud *Polybium*) interdum plures. Legati erant consilii causa adjuncti, & auxilii ad imperandum. *Lips. cit.*

In Arcu ad Portam Orientalem D. Bartholomæi B *subsequens Inscriptionis Fragmentum legitur.*

[2] ..... COS. SEPT. DESIGNAT OCTAVO.....
....
CELEBERIMEIS ITALIAE VIEIS.......
.... SENATVS POP.

Ad Portam Civitatis, quæ Orientem respicit, & qua *Pisaurum* exitur, conspicitur vetustissimus, ac structura eleganti, Arcus Marmoreus ab *Octaviano Augusto* magnificentissime extructus. Fuisse hanc Civitatem à *Romanis* Imperatoribus sumptuosissimis exornatam Ædificiis, rudera etiam nunc extantia testantur. Arcus, de quo hic loquimur, licet *Gothorum* rabiem passus sit, adhuc tamen suæ C magnitudinis signa transeuntibus præbet. Vides enim, si summitatem excipias, Marmora quibus constat, temporum injurias sustinere, & spectantibus esse pro admiratione.

Quod ex Fragmento hujus Inscriptionis deduci possit *Octavianum Augustum* jussisse Arcum hunc construi, patet, quia ipse post septimum Consulatum disignabatur octavo, ut videre est *apud Suet.* in vita ejusdem.

Ad fornicis summitatem hujus Arcus prostant duo Capita, quorum unum ex uno latere exprimit Bovem, alterum ex altero Buculam. Quatuor insuper in hoc Arcu videntur insculptæ Imagines D Deorum, [3] ad instar Numismatum, nempe *Jovis*, *Bellonæ*, *Neptuni*, & *Veneris*. Quid hæc exprimant Numina, quidve Civitati promittant, audiatur Dialogus cujusdam antiqui Poetæ, in quo loquitur Viator cum his quatuor Imaginibus. Refert hunc Dialogum *Raphaël Adimar. Sito Riminese lib.* II. *pag.* 36.

V. *Juppiter ipse feras quid præstes muneris Urbi?* 55
I. *Imperium.* V. *Anne aliud?* I. *Justitiam, atque fidem.*
V. *Quid Bellona ferox?* B. *Artes, Sophiamque decoram.*
E V. *Nil ultra donas?* B. *Ingenium docile.*
V. *Tu Neptune Pater quid spondes?* N. *Munera ponti.*
V. *Præterea?* N. *Cingo flumine utrinque latus.*
V. *Quid Cytherea Venus?* V. *Formam.* V. *Quid denique?* V. *Amorem.*
V. *Quos perament?* V. *Cives.* V. *Quipote?* V. *Se mutuo.*

Dialogi Epilogus.

Jupiter Imperio, Bellonaque viribus auget,
Flumine Neptunus, Cypria amore Venus.

In Parietibus Palatii Communitatis *sequens extat Lapis.*

F [4] C. CAESAR AVGVST. F.
COS. VIAS OMNES
ARIMIN.
STERNIT.

Occasione constructionis Pontis, de quo supra,

3 *Ad instar Numismatum*] In Re Antiquaria Clypei appellantur, quales multi apud *Begerum* aliosque.

4 C. CAESAR] Exhibet *Gruterus* pag. CXLIX. n. 2. sed legit AVGVSTI, & post STERNI docet reliqua temporis injuria deleta, sic. . . . . .

pra, *Tiberius* ad Viarum Civitatis straturam animum applicuit.

Sequens olim extabat Inscriptio in Muris Civitatis, qua parte Arcus, de quo supra, insurgit.

[1] IMP. CAESAR DIVI F. AVG. PONT. MAX.
COS. XIII. TRIB. POT. XXVII. PP.
MVRVM DEDIT CVRANTE L. TVRNO
SECVNDO APRONIAN. PRAEFECT.
VRB. F. ACTERIO. V. C. CORECTORE
FLAMIN. ET PICENI.

Apud *Clementinum*, *Historia di Rimino*, extat alia Imperialis Inscriptio *lib.* I. *pag.* 30. quam hic referre non audeo, cum multis scateat mendis; videat eam Lector, & puriori legat oculo.

---

56 J. M. GARUFFII

LUCERNAE

LAPIDARIAE ACCENSAE

Ad Titulos, & Inscriptiones, & Epitaphia Christianorum *in Templis visenda.*

CAPUT III.

SAt dedimus *Ethnicorum* Monumentis; quod reliquum hujus parvi Voluminis superest, demus *Christianorum* Sepulchris. Consuetudo sepeliendi mortuos intra Civitates, & Oppida post Legis Euangelicæ promulgationem vigorem obtinuit: Imo in nullo locorum congruentius hoc fieri poterat, quam in Ecclesiis; ibi enim Fideles, cum sæpe ad orandum conveniant, videntes Propinquorum, atque Charorum Sepulchra, pro ipsis ad orandum moventur. Multum ergo decuit Corpora Defunctorum in Ecclesiis, aut Cœmeteriis Ecclesiarum tumulari. Gentiles autem non in Templis Deorum, sed in Agris, & Montibus suorum Cadaveribus Sepulchra erigebant, quia nihil utilitatis judicabant ea in Templis sepeliri, cum nec ipsi pro mortuis exorarent. *Abulen. in Exod. cap.* XIII. *quæst.* XI. Gentilium immanitati *Christianorum* pietas quam bene successit!

Apud *Gentiles*, & *Judæos*, Cadavera extra Castra & Templa sepeliebantur, propter mundificationem Castrorum ab infectivis exhalationibus, & ut loca sacra Sepulchrorum essent semota ab omni fece banausarum operationum. Verum Pia Mater Ecclesia, quæ potius lucrum curat Animarum, quam Corporum, Cadavera suo in sinu sepeliri permittit; quoniam licet aliqua inconvenientia ex tumulatione Cadaverum in Ecclesiis & Cœmeteriis occurrerint; majus tamen bonum est, quod ex hoc sepeliendi modo consequitur, quam quod inde provenit damnum: Totus enim status *Christianorum* futuræ in nobis vitæ post resurrectionem imago quædam, & via est. *Abulen. in Levit. cap.* 10. *quæst.* IX.

Sit ergo nobis *Lucerna Lapidaria* ad manus, qua nedum Sepulchrorum Epitaphia, sed etiam Inscriptiones sacras, vel etiam Piorum Monumenta in Ecclesiarum Parietibus, vel alibi exstantia discurrendo videamus.

57 LUCERNAE LAPIDARIAE

Ad Christianos Inscriptiones invisendas.

Ἀναχήρυξις. γ.

In Cathedrali Ecclesia Divæ Columbæ V. & M. *dicata*, *quæ Martyrium apud* Sennonas *in* Gallia *Virginitatis Flore coronavit*; *Nosque ejus Festo* A *ultimum claudimus Anni diem*; *sequentes Inscriptiones*, & *Epitaphia inspiciuntur. Et primo*

I.

Inscriptio ponenda in Tabula Marmorea existen. supra Janua majori ejusdem Ecclesiæ.

Vetustum D. Columbæ Templum in hanc formam redactum
Pietate, & sumptibus Frid. Card. Sfortiæ
Arim. Episcopi.

In Sacello B. Joannis *insculptum legitur in Icone ad Sepulchrum ipsius, in quo incorruptum ejus Corpus veneratur, summa Civium, & Canonicorum devotione.*

B Beato Joanni Canonico Ariminensi.
Sanctissime obiit Anno D. M. CCC. XX.
Kalendas Decembris.

E regione ipsius B. Joannis *legitur in Marmore Parieti adfixo.*

D. O. M.
Jul. Cæs. Salicino Bononiensi
Qui
In Patr. almo Gymn. Interp. LL.
Scientia mire claruit.
In Urbe Orbis Arbitra Capitol. Collat.
Sanctæque Inquisit. Consult. ac Judex.
Justitia, & Integritate emicuit.
C In Arim. Eccl Episcopus, ubi Cler. Regul. induxit
Pietate, & Religione floruit.
In Æmil. Proleg. Prudentia splenduit,
In Hisp. Nunc. des. opt. de se spem dedit.
Ubique omnia Titulis, æque ac Cœlo digna 58
Edidit.
Petrus, & Pompejus pro Patr. Pient. PP.
Obiit Ann. Sal. M.DC.VI. Æt. LXVI. VI. Id. Oct.
Quo die Justa annua soluere Can. P. C.

Eodem in Pariete.

D. O. M.
Julio Parisano Tolentinati Arimini Episcopo qui excellens ingenium, moribus, doctrina
D Excoluit, Ecclesiamque suam multos annos summa
Integritate gubernavit. Obfuit nemini, profuit
Multis. Canonici Ariminen. quibus moriens sui
Desiderium reliquit Poss.
Vixit Ann. XLI. Men. IV. Dies XVI. ob XII.
Kal. Aprilis CIↃ. IↃ. LXXIV.

In Pariete dextro Sacelli Mortuorum extra hoc Marmor.

D. O. M.
Aspice Hospes, & Suspice
Sex Viros
Non tam sanguine, quam probit. Germ.
E Cypriano Arim. Episc.
Petro Pauli V. & Greg. XV. Præfec. Cubic.
Jo. Ant. Can. S. Petri in Urbe
Julio Equiti S. Jacobi Pauli V. Vigil. Rect.
Ac demum
Card. Burghesii Præfect. a Secretis
Hieronymo primo nato pauperum Patri
Franc. Lud. Card. Ludovisii à Secret. Præfec.
Ingentis animi virt. ac morum suavitate
Spectabili
Anna Maria, & Alexander de Pavonis
Patribus, & Patruis PP.
F Hos Lapides perpetui amoris testes
Anno Dom. M. DC. XXXV.

E regione sequens cernitur Epitaphium.

Joannes Baptista Castellus
Bononien.
Episcopus Ariminensis Eccl. 59
Hujus sacris, & pretiosis rebus
A se auctæ
Et in formam hanc restitutæ
Elegantiorem
Aureos etiam C. T. L. G.
Ut VI. Kal. Sept.

Per-

---

1 IMP. CAESAR.] Inscriptionem hanc pleniorem, sed ut falsam & confictam inter spuria recenset *Gruterus* pag. VI. 4. in fine Operis.

Perpetuo suo Funere Anniversaria
Justa solvantur.
Obiit Parisiis
S. Sedis Apostolicæ Nuncius.
M. D. LXXXIII.

In Pavimento Sacelli B. Virginis Coronatæ *extat sequens Epitaphium.*

Angelus Cesius Romanus,
Episcopus Arimini,
Frequentioribus Cleri, Populique
Ac devoti Fœminei Sexus
Precibus se commendatum cupiens,
Hoc loco sibi Monumentum
Vivens elegit.
Obiit
A. D. M. DC. XLVII.
XII. Kal. Octobris.

E regione ipsius in Pavimento Sacelli Sanctissimi Sacramenti.

Thomas, ex Comitibus Carpineis,
Clericus Regularis
Post quadraginta Annos
Per omnia ferme sui Ordinis Munia
Non semel summa cum laude peractos,
Ab Alexandro VII. ad hanc Ecclesiam,
Ipso etiam renuente,
Evocatus,
Biennio nondum expleto,
Relicto cunctis ingenti sui desiderio,
Diem obiit extremum. Anno M. DC. LVII.
Ætatis suæ LX.
Uldericus S. R. E. Card. Carpineus
Fratri Cariss. P.

60 *In Pavimento ante Altare S.* Joseph. *Virginis* Mariæ *Sponsi.*

D. O. M.
Sepulchrum hoc
Anno Mundi Redempti
M. CCC. XLV.
Ab Avorum de Benciis Pietate positum,
Nepotes
Anno Templi Renovati
M. DC. LXXIV.
Instaurarunt.

Sub Altare Majori quatuor extant Corpora Sanctorum Martyrum Concivium Ariminen. in Capsula Marmorea cum hoc Titulo.

Hæc sunt Nomina Sanctorum.
Felicitas, Peregrinus,
Facundinus, Jucundinus.
Ego Agnellus Peccator Ep. Sanct. Corpora
Sanctorum, &c.

Verba, quæ sequi debent, legere non valui, cum alteri parti Capsulæ sint insculpta. Adest sub hoc eodem Altari alia Arca Marmorea cum Inscriptione, &c. de qua videat Lector in mea Historia nuncupata *Santuario di Rimino.*

In Parietibus exterioribus S. Priscæ legitur.

Ann. Dom. MCCCXL. Dom. Gotius de Battagliis Vir utriusque Juris Professor S. R. E. Card. fecit fieri hanc Capellam, & de suo proprio eam dotavit.

Extra Cathedralem, in Pariete Turris Sacræ ejusdem, Orientem versus, sequens Memoria in Marmore legitur.

Michaeli Angelo Tonto Civi Ariminen.
Qui ob insignem Virtutem, & maximas
Animi dotes intra XL. diem Nazarenus
Archiepiscopus Cardinalis & Prodatarius
A Paulo V. Pont. Opt. Max. creatus est
Canonici Ariminen. Patrono Meritiss.
DD. A. D. CIↃ. IↃ. IX.

Prope Cathedralem in Templo noviter erecto, atque B. V. dicato, extat Titulus sequens. 61

Virgini Deum Enixæ
Emin. Card. Dom. Maria Cursius
A Lat. Legatus, & Arim. Episcopus
Templum hoc à fundamentis D. D.
M. DC. LXXXXII.

II.

In Templo D. Francisci, *quod* Sigismundus Pandulphus *incepit; sed morte præventus consummare non potuit, sequentes Tituli, Inscriptiones, & Eitaphia extant. Et Primo*

In Templi Fronte sub Peristilio hæc verba ejus jussu exarata leguntur.

SIGISMVNDVS PANDVLPHVS MALATESTA PAN. F. V. FECIT. ANNO GRATIAE. M. CCCC. L.

Littera V. in hac posita Inscriptione, atque Nummis, quos ea occasione conflari ex auro, argento, æreque jussit, id Voto fecisse indicat. De hoc fusius in meo Opusculo, cujus Titulus est: *Templum Malatestarum Vindicatum à Calumniis Lucæ Vuadingii.*

Duo ex dictis Numismatibus extant *Arimini*, alterum ex auro apud Nob. Virum *Franciscum Garampa*, cui hoc Opus dicavimus, alterum ex argento apud Comitem *Cæsarem Gambalongam de Blanchettis.* Addit. *Vghellius Ital. Sac. tom. II. pag.* 440. Nummum hujusmodi ex ære *Corinthiaco* in *Francisci Gualdi* Equitis *Ariminensis* Musæolo inspexi, cui simillimum insculpi fecimus ad Principis hujus consecrandam memoriam, qui regio cultu hoc nobilissimum Templum Cathedralis loco, ni sententia revocasset, futurum condiderat. In istis Nummis *Sigismundi* effigies in parte altera insculpta cernitur, adjectis in ordine literis SIGISMVNDVS PANDVLPHVS MALATESTA PAN. FILIVS. Ex adversa vero Templi imago expressa, literis circumpositis: PRAECLARVM ARIMINI TEMPLVM ANNO GRATIAE V. F. M. CCCC. L.

Excessit *Sigismundus* ex hac mortali vita die nona Octobris Anno MCCCCLXVIII. Conditum est ejus Corpus in hac Ecclesia, non in magnifico illo Tumulo ab ipso excitato in Sacello B. V. ab *Aqua* nuncupato, sed in altero è saxo elaborato, ad dexteram Templum introeuntium partem; atque Epitaphii loco Distichon incisum.

Sum Sigismundus Malatestæ è Sanguine Gentis 62
Pandulphus Genitor, Patria Flaminia est.
Vitam obiit VII. Idus Octobris Ætatis suæ LI.
Men. III. D. XX. M. CCCC. LXVIII.

Ad Sepulchrum vero miro artis lenocinio elaboratum hæc verba cernuntur insculpta.

Sigismundus Pandulphus
Malatesta, Pandulphi Filius,
Ingentibus meritis probitatis
Fortitudinisque,
Illustri generi suo, Majoribus,
Posterisque.

Imagines, quæ in hoc Marmore cœlatæ conspiciuntur, cum interpretatione dignæ sint; videat Lector *Opusc. cit.*

Antequam Templum introeamus, insculpta Marmora, quæ foris sunt, legamus oportet.

In Tabula Marmorea, quæ in exterioribus ex Marmore Parietibus collocata est, transeuntibus objicitur sequens Titulus Græcis Characteribus insculptus è regione Seminarii *Domus.*

T. A.

[1] ΣΙΓΙΣΜΟΥΝΔΟΣ ΠΑΝΔΟΥΛΦΟΣ ΜΑΛΑΤΕΣΤΑΣ
ΠΑΝΔΟΥΛΦΟΥ ΠΛΕΙΣΤΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΜΕΓΙΣΤΩΝ
ΚΙΝΔΥΝΩΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΙΤΑΛΙΚΟΝ ΠΟΛΕΜΟΝ
ΠΕΡΙΣΣΩΘΕΙΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΟΥΤΩΣ
ΕΥΠΡΑΓΕΝΤΩΝ ΑΝΔΡΕΙΩΣ ΚΑΙ ΕΥΤΥΧΩΣ ΘΕΩΙ
ΑΘΑΝΑΤΩΙ ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΤΟΝ ΝΕΩΝΤ ΩΣ ΕΝ
ΤΟΙ ΑΥΤΙ ΠΕΡΙΣΤΑΣΕΙ ΤΥΧΩΝΕΥΖΑΜΕΝΟΣ
ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΩΣ ΑΝΑΛΩΣΑΣΙ ΕΓΕΙΡΕΝ ΚΑΙ
ΜΝΗΜΑ
ΚΑΤΕΛΙΠΕΝ ΟΝΟΜΑΣΤΟΝ ΤΕ ΚΑΙ ΟΣΙΟΝ.

Hæc verba e *Græco* in *Latinum* vertit *Alexander Lucidus Senenſis*, hoc ſenſu.

Sigiſmundus Pandulphus Malateſta, Pandulphi Filius, plurimorum, & maximorum periculorum in Bello Italico Supremus Victor, de rebus ita geſtis fortiter, & fideliter, Deo immortali, Civitati, ac Commilitonibus, utpote qui in eodem curſu Fortunæ fuerunt magnanimi, ære proprio erexit, & monumentum reliquit clariſſimum, & ſanctum.

63 Marmoreas Capſas, quæ foras inſpiciuntur, atque Sepulchralibus Titulis notantur, ne credas Cenotaphia. Primæ enim quatuor continent Cineres Virorum literis Illuſtrium, quorum Cadavera ſummis impenſis *Sigiſmundus* a longinquis Regionibus optavit, & obtinuit.

(1)
Baſinii Parmenſis Poetæ
D. Sigiſmundi Pandulphi Mal. Pandulphi F.
Tempeſtate vita functi condita
Hic ſunt oſſa.

(2)
Juſtus Orator Romanus Juriſque
Conſultus D. Sigiſmundo Pandulpho
Malateſta Pan. F. Rege hoc Saxo ſitus eſt.

(3)
Gemiſtii Bizantii Philoſophor. ſui Temp.
Principi Reliquum Sigiſmundus Pandulphus
Mal. Pan. F. Belli Pelop. adverſus Turcor.
Regem Imp. ob ingentem Eruditorum, quo
Flagrat, amorem huc afferendum, introque
Mittendum curavit. M. CCCC. LV.

(4)
D. O. M. Que.
Roberti Valturii, qui de Re Militari XII.
Libris ad Sigiſmundum Pan. Mal. accuratiſſime
Scripſit, quique Roberto Mal. Filio, Comitate,
Inſigni facundia, atque fide charus extitit
Pandulphus Mal. Roberti F. Sigiſ. Nepos
Adhuc impubes Officii memor hoc
Monumento B. M. Oſſa Condi juſſit. Vix.
An. LXX. M. VI. D. XVI.

(5)
Gentili Arnulpho, Philoſopho, ac Medico
Rariſſimo, Juliani Arnulphi, Mathematici,
Philoſophi, Et Medici Pont. Max. Alexandri VI. Filio
Qui Vixit Annis LXXIII. Obiit M. D. XLVI.
Juliano Arnulpho Philoſopho, ac Medico
Magnæ expectationis Gentilis F. Juliani Nepoti
Qui vixit Ann. XXXIII. raptus M. D. XLVII.
Petrus Melgius I. V. Doctor Socero, & Sororio.
B. M. Fecit. M. D. L.

(6)
Sebaſtiano Vancio V. C. & Acutiſſ. I. V.
Interpreti, quod Patriam Civeſque ſuos ampliſſ.
Meritis proſecutus ſit, & accurate ab ſe
Scriptos Juris Commentarios ediderit,
Quodque lites publicas valde graves, &

A Diuturnas, tandem diligentia, ac Studio
Diremerit, Romæ adhuc viventi, hunc
Monumenti Locum inter præcell. Viros S. P.
Q. Arimin. dand. aſcrib. que cenſuerunt. L. D.
D. D. Id. Feb. M. D. LVII. Pauli. IV.
P. O. M. A. II.

(7)
Hoſpes Bartholomæum Traphighettum hic 64
Tumulatum ſi noviſſes, vivum optares, &
Fleres neutiqam ſolus.
Ægros viſitans aliis vitam adaugebat
Scriptiturans edita in omnem poſteritatem ſibi
Iminuebat. augent hæc, & minuunt inſignis
B Jacturæ mœrorem Flaminio, ejus Filio,
Bartholomæoque Nepoti, in quem avita,
Paternaque Profeſſio propagatur Medicinæ,
Doctoribus omnibus
Avo Filio Nepote. Obiit An. Ætatis LVI.
Salutis CIↃ. D. LXXIX.

Templum Introeuntibus ob oculos Lapis Sepulchralis objicitur cum hoc Epitaphio.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.
Hic habitabo quoniam elegi eam.
Tranſeuntium precibus
Se, ſuoſque commendat
C Franciſcus Fagnanus, I. V. D.
An. M. DC. XXV.

Inſuper recto pergentibus tramite objicitur alter Lapis.

Heic Villanii venietis
Parate Viam Domino

Linea eadem pergentibus legendum item venit in quodam Lapide.

Leonardelli
Hic Reſurrectionem expectant.

Spatio haud parum diſtanti inſpicitur Sepulchrum DD. de Hippolytis *cum hoc Titulo.*

Hanc Domum quam oſſibus meis paravi
D In noviſſimo Die Spiritus viſitabit.

In Sacello D. Sigiſmundo *dicato, ſubter ejuſdem Simulacrum, in coronis marmoreis ſequentia leguntur Carmina.*

Sancte dicata tibi hæc Ædes, & condita ſoli
Sigiſmunde piis addite Cœlitibus.
Quive tuum ſervat nomen Malateſta ſuperbum,
Æternumque tibi marmore ſtruxit Opus.

In Pavimento ejuſdem Sacelli.

D. O. M.
Andreas Olphius V. I. D. Sepulchrum
Auræ Factoriæ, Conjugi Defunctæ, & ejus Familiæ
E Præparatum Sibi, Suiſque complevit.
A. D. CIↃ. IↃC. XXX. Kal. Septemb.

Ante Sacellum B. V. de Aqua. 65

Sepulchrum hoc quietam Corporum ſedem
Odoardo Marcheſello, Patruo,
Virtute amabili, in Patriam fide ſpectato
Sibi, Suiſque Poſt. æternam Requiem precantes,
Eques Annibal, & Carolus Blanchellus Frat.
I. V. Doctores reficiendum curavere, A. D. MDCL.

In Pavimento Sacelli ejuſdem.

D. O. M.
Sep. Hoc ab Antiquiſſ. Rigatiorum
Arimin. Familia in Clauſtris
F Olim ſibi conſtruct. & vetuſtate
Delapſum Dulciſſ. Parent.
Joan. & Rigatio Philoſoph. &
Bartholomææ Bentiæ Franc.
Huc transferendo lugens
Reſtauravit.

In Pavimento Sacelli B. Roberto Malateſtæ *dicati*

1 ΣΙΓΙΣΜΟΥΝΔΟΣ] Tam fœde Inſcriptio hæc Græca in Veteri Editione eſt contaminata, ut vix in ordinem redigi potuerit. Pro ΤΟΝ ΝΕΩΝΤ etiam neceſſe eſt aliquid aliud in lapide legi, neque enim Interpretationi reſpondet, ΣΥΜΜΑΧΟΙΣ ſcilicet vel ſimile quid.

cati, *extat Sepulchralis Lapis cum hoc brevi Epitaphio.* A

Malateſtarum Domus.
Heroidum Sepulchrum.

E regione hujus Sacelli, in eo ſcilicet, in quo D. Michaelis Archangeli *Simulacrum veneratur, grande inſpicitur Sepulchrum ſuper duorum Elephantum dorſum his verbis notatum.*

D. Iſottæ Ariminenſi B. M.
Sacrum M. CCCC. L.

Magnum affert ſcandalum hoc Epitaphium oculis *Lucæ Vuadingii.* Verum ſi piis obtutibus ipſum inſpicere voluiſſet, mitiori calamo in *Sigiſmundum Malateſtam* hujus Sepulchri Conditorem ſe exhibuiſſet Scriptorem. Videat Lector Opuſculum meum prælo datum, cujus Titulus eſt, ut alias dixi: Templum *Malateſtarum* a calumniis *Lucæ Vuadingii* vindicatum. B

In Pariete, à cornu Euangelii Sacelli D. Hieronimo *dicati Marmorea conſpicitur Effigies* Sebaſtiani *Epiſcopi* de Vantiis *cum hac Inſcriptione.*

Sebaſt. Vantio Arim. & Epiſcopo Urbevetano
Ac I. V. Inter. Olim Curiæ Cauſar. Ca. App.
Generali Locumt. S. D. N. PP. Referend. C
Sacrique Palatii App. Cauſarum Auditori
Deſig. Viro ſuæ Ætatis claro, & inſigni,
Qui Capellam hanc dotavit, exornavitq.
Vixit An. LXII. Obiit de An. M.D.LXXXI.

In Tabula Marmorea, ad latus, quo via eſt ad Cellulam D. Antonii de Padua *extat Inſcriptio ſe-*
66 *quens Sepulchralis.*

D. O. M.
Franciſcæ Malateſtæ Arimin. Franciſci Bencii
Vxo. quæ poſt Ann. LX. Æta. ſuæ ut Franciſcum
Malateſtam, & Viridam Mamphedorum Nobiliſſ.
Familiæ ejus Parentes viſeret, in Cœlum aſſumpta
Creditur. X. Kal. Jul. M.D.LXII. Bencius de Benc. D
Matri Dul. Mœſt. P.

In Pavimento Eccleſiæ, qua parte exitur in Cœmiterium, extat alia Marmorea Tabula, in qua inſculpta eſt Archiepiſcopi Effigies cum hoc Epitaphio. Videſis apud Ferdinandum Ughellium Italia Sacra *tom.* III. *Archiep.* Piſani *pag.* 552.

Hic animo, moribus, ſenſu, virtute, ſenecta
Conſiliiſque potens Ludovicus ſtirpe Boneto
Agrigentinæ Siculæ Telluris, ut ipſe
Ingenio clarus, ſic dignitate ſerenus,
In Sacro famam, Romanæque Tarentum
Præbuit Eccleſiam per mille pericula Papa E
Gregorio ſub vera tenens fuit uſque ſecutus.

Quid exprimant hi verſus, curve hic Archiepiſcopus *Arimini* functus ſit, videat Lector *Ughellium loco cit.* Obiit An. MCCCCXIII. fuitque funebri Oratione a *Joan. Dominico Cardinali Raguſino* laudatus.

Prope Cellulam D. Antonii de Padua *Marmor extat cum hoc Titulo.*

D. O. M.
Blanchetto Julio de Blanchettis
Genitorum delicio, ſed nimium brevi!
Quia gratioſæ vitæ beneficio vix luce delibata F
Mortis acerbioris ingenio. Idibus Maji A. D. 1677.
Peracto Ætatis Menſe XIII.
Terris erepto, reddito Cœlis,
Quibus auſpicato nomen dederat
Ab Eleonora Gonzaga Imperatrice
Luſtrali è Fonte ſublatus
Ut vitæ fugientis inter anguſtias max. geminatæque
Felicitatis compendia exequeretur.
Cæſar Gambalonga, Falcini Comes
Bononiæ, Arimini, ac Piſauri Patritius,

Nec non Anna Tereſia de Balduciis
Ordini ſupremo Cruciferum, & Aulicis Familiaribus
Ab eadem Auguſta aggregata
Primogenito Parentes Amantiſſimi 67
Hoc Monumentum poſuere
Ut qui tenerioris ætatulæ vix obivit exordia
Coronidem impleat æternitatis;
Et Cœlitibus vivens, æque ſuorum ob oculis
Quorum habitat in animo, vel perennet extinctus.

In Parietibus Sacelli S. M. in Trivio, *ſeu ad* Nives, *à cornu Euangelii Altaris Majoris legitur.*

Camillus Veraldus Cæſenas Eques
Pont. ac Orator Clariſſ. hic ſitus eſt.

In Parietibus Sacriſtiæ, qua parte ducitur Myſta ad manus lavacrum.

D. O. M.
Ad. R. P. Magiſtro Octavio Magno, Ariminenſi
Procuratori Ordinis Generali, Romæ Defuncto,
Hujus Sacræ Ædis Benefactori,
Hanc perpetuam Memoriam grati animi ergo
Fratres Conventus unanimes poſuere.
An. Dom. M. DC. LIII. Die X. Maji.

In Clauſtro primo extat Lapis Sepulchralis cum hoc Titulo.

Ad Requiem, & ad Reſurrectionem
Sibi, & Suis additum faciliorem
Franciſcus Raſus paravit
A. D. M. DC. LXXVI.

Quare *facilior aditus* dicatur *paratus*, grandior Lapis, ac difficile mobilis ſub Imagine B. V. poſitus, proque Sepulchro *Raſis* olim inſerviens indicat. Extabant inſuper ſub eadem V. Imagine ſequentes verſus, quos temporis injuria delevit.

Quam rapuit Patri Fornix evecta quietem,
Æternum implorans reddidit hic Genitus.
Sic Raſi Mundo abraſi ſtant Marmore clauſi,
Precibus ut veſtris Spiritus Aſtra colat.

Sciat Lector, circa Statuas, quæ in Columnis Capellæ B. V. de Aqua *poſitæ ſunt, quæque aliquas ex Sybillis, aliquoſque ex Prophetis repræſentant, ſequentes Inſcriptiones inſculptas legi. Sex ſunt à cornu Epiſtolæ, tres aliæ à cornu Euangelii.*

1 Ipſa ...... inſipiens gens tuum Deum non intellexiſti ludentem Mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti.
2 Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, vocabitur nomen ejus Emanuel.
3 Et tunc ab Inferis regreſſus ad lucem veniet primus Reſurrectionis principio revocatus oſtenſo.
4 Ad Cibum autem Fel, & ad Sitim Acetum 68 qui dederunt, inhoſpitalitatis hanc monſtrabant Menſam.
5 Templi vero Velum ſcindetur, & medio die nox erit atra nimis in tribus horis, & morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto.
6 Dabit vero ad verbera ſimpliciter Sanctum Dorſum, & colaphos accipiens tacebit.
7 In manus Infidelium poſtea veniet, dabunt autem Deo alapas manibus inceſtis, & impurato ore deſpuent.
8 Ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio à diebus Æternitatis.
9 Jugum noſtræ ſervitutis intolerabile ſuper Collum ejus poſitum tollet, & leges impias ſolvet, vinculaque violenta.

Sub Imagine B. V. legitur hic Titulus.

Dia Parens miſeris ſummo tu conſule Cœlo.

De his omnibus fuſius dicam, & enucleatius in meo Opuſculo contra *Vuadinghium.*

Super Januam Bibliothecæ Antiquiſſimorum Ma-

 late-

lateſtarum *in hoc Cœnobio erectæ, olim ſequens legebatur Titulus. Ut videre eſt apud* Clementinum Hiſt. de Rim. *tom.* II. *lib.* VIII. *pag.* 221. *& Adim. lib.* II. *pag.* 155.

Principe Pandulpho Malateſta ſanguine cretus
Dum Galeotus erat ſpes, Patriæque Pater.
Divini eloquii interpres Barotte Joannes
Sum tua cura ſita hoc Bibliotheca loco.
M. CCCC. XX.

III.

In Eccleſia S. Dominici *RR. Patrum* Prædicatorum, *quæ antiquitus D.* Cataldo *dicata, extat ſequens Epitaphium in Pariete Portæ Majoris.*

D. O. M.
Alexander Hilarius Omnibenius
Margaritæ Benciæ Conjugi Dulciſſimæ
Et ſibi
Ne etiam morte disjungeretur
Superſtes Poſ.
Id. Jun. M. DC. V.

Super hoc Sepulchrum Phœnix inter flammas conſpicitur, cum lemmate: *Sic juvat ire ſub umbras.*

In Pavimento Eccleſiæ Sepulchrale Marmor inſpicitur cum hoc Titulo Gothicis *Characteribus expreſſo.*

69 Hic jacet Venerabilis Pater Dominus Fr. Laurentius de Balacchis Ord. Prædicatorum Dei Gratia Epiſcopus Ariminenſis, qui obiit Anno Domini M. CCC. Menſe .. Die ...

In eodem Pavimento prope D. Hiacinthi *Sacellum.*

Joanna Marinotta, & Filius Franciſcus Melgius Juſtum Judicem hic ulcionis expectant. Eſtote Memores. M. DC. LXXVI.

In Clauſtro ejuſdem Conventus Arca muro adfixa cernitur, cum hoc Titulo Gothorum *Characteribus inſculpto.*

Iſta Arca eſt Nobilis Militis Domini Alexandri quondam Lotti de Agolantis, qui obiit anno Dom. M.CCC.LXI. Die X. Decembris.

Ante Januam Majorem Tumulus inſpicitur cum Marmorea Effigie, hoc Titulo Gothicis *Characteribus notato.*

Sepultura Nobilis Dominæ Dominæ Joannæ, Filiæ Petri Bonfantini de Bonfantinis de Florentia, quæ fuit Uxor Prudentis, & Excellentis Viri .... Bau..... M. CCC. XXXII. Die XX. Auguſti .... requieſcat in pace. Amen.

Aſcendentibus per Scalas Sanctiſſ. Inquiſitionis Domus, ſequens objicitur Inſcriptio.

Salutaris Sæculi XVII. Biſſextile XXII. Innocentii XI. P. O. M. An. XII. Dom. M. Tit. S. Euſt. Diac. Card. Curſii Æmiliæ Legati Epiſ. Arim. II. RR. PP. Antonini Clocche Ord. Præd. Mag. Gen. & Thomæ Mazza Forliu. Comiſs. S. Off. Urbis II. & VII. in quo ab Æmiliano Terremotu Civitas hæc immunis D.G. & B.V.M. Stitit. F. Franciſcus Octavius de Oreſtis Nicia Taurinen. S. Th. M. Inquiſitor Arim. XXXIII. An. ſuo Labente II. elucubrata, expeditaque in Urbe Molinoſia cauſa, ad exercitium ſui Muneris
Licentiatus
Neceſſitati, Libertati, Commoditati, Venuſtati Inquiſitionis, Fratrum, Sæcularium, Civitatis
Conſulendo
Ex Penetralibus Cœnobii S. Tribunal huc Transferre ſatagens, priſcis lateralibus Muris Reſtauratis, reliqua omnia ære S. Off. Suo, Conventus, Piorumque ſupplemento extruere Adorſus, poſt triennium incoluit, meditans Ampliora. Deo Gratias.

(§)

In Eccleſia Patrum Servorum *B. V. ſequentes reperiuntur Inſcriptiones. Nempe prima à cornu Euangelii Altaris Majoris.*

D. O. M.
Ludovico Equ. & Commendatario Hieroſol.
Jo. Galeatio Eq. & Commend. S. Stephani,
Fratrib. de Belmont.
Qui in Armata Claſſe Crucis Inſign. ferentes, 70
Profligatis Crucis Hoſtibus,
Sub Crucis Vexil. cum Chriſto Rege, quod ſperatur,
In Cœl. Regno triumphant.
Petrus pro S. R. E. Dux Militum
Belmontes I.C. Rot. Peruſin. Lucen. Genuen. Ferr.
Olim Aud. nunc Bon. Prætor
Meritiſs. Patruis PP. Anno Domini M. DC. LV.

Secunda à cornu Epiſtolæ ſequens eſt.

Valerio Nanno Conjugi Cariſs. Pont. atque
Cæſ. I. Conſultiſs.
Ob admirabilem Generis, IngenI, Juriſprudentiæ,
Probitatis, Magnificentiæ,
Omniumque aliarum Virtutum Præſtantiam
Qua Patriam, & Gentem honeſtiſſime decoravit
Eliſabetha Marcheſelia Conjux Mœſtiſs. P.C.
Vix. An. LVIII. ObIt An. Salut. CIↃ. DↃ.
XI. IX. Kal. Oct.

Ante Altare B. V. nuncupatæ è Septem Doloribus *legitur hoc ſequens Epitaphium.*

D. O. M.
Hic lege, hic luge, qui funeri ades
Quin læte venerare lethum in mortalitatis
Triumphum Annæ Mariæ Tingulæ Ariminen.
Patriciæ celebris, Cœlibis inclitæ,
Quæ vere Anna Protoparentem Virginem,
Ni utero, mente concepit, peperit exemplo,
Pietate fovit, ſibi Filiam fecit, quam dotis,
Et ſortis ſuæ reliquit Hæredem.
Agnoſce Mariam Virginem pariter, & fœcundam
Servorum Ord. ſimul Matrem, & Filiam,
Quæ quorum induit Habitum opibus ſuis
Adoptavit in filios. obiit XV. Kal. Auguſt.
M. DC. LXXX. Ætatis ſuæ Annor. LII.

In Parietibus, quibus Turris dictæ Eccleſiæ Servor. *B. V. ſuſtinetur ſequens legitur Sepulchralis Inſcriptio.*

Deo Optimo.
Raphaeli Branchaleoni Raphaelis F. Viro
Nobili, & Patri Incomparabili, Poſteriſque
Ejus. Branchaleo, & Malateſta Filii.

(§)

In Pariete Templi D. Joan. Euangeliſtæ *Patrum* Eremitarum *S.* Auguſtini, *prope Januam Majorem, Sepulchrum alte poſitum inſpicitur ſequenti Epitaphio notatum.*

D. O. M. 71
Joan. Bapt. Arimin. Illuſt. Gener. Pacio eximiis
Meritis ornato Viro, S. Stephan. Equiti
Commendatario, qui præclariſs. geſtis, Terra
Marique, Heros laudatiſs. famam extendit
Factis, Virtutis Opus. IV. Id. Sept. CIↃ.IↃC.XV.
Septuagenarius deceſſit. O Patriæ Decus!
Nicolaus Eques Sabaud. & Franciſcus,
Filii Pient. Poſs.

In eodem Templo prope Altare majus.

D. O. M.
Conſt. Urſus Sen. Bon. Eq. S. Jac.
Dum ad B. V. Laur. Ædem
Iter Hoſpes haberet, Arimini vita functus,
Peregrinum hinc animum
In Cœleſtem Patriam Soſpes reduxit
An. D. M. DC. XIV.
Fr. Alex. Eq. Hier. & Com. Fratri Opt.
Mœrens P. An. MDCXV.

In

A *In primo Claustro eorumdem Patrum D.* Augustini, *in Tabula Marmorea, Carmina sequentia leguntur.*

Aspice Marmoreum Lector nunc arte Sepulchrum,
Translatum hoc inde Virginis ora super.
Præclarisque scias Diotalevi hic esse Joannis
Baptistæ, & Matris Ossa sepulta simul.
Ornatum hoc Lapidis curarunt ære Parentis
Post obitum Nati, sic monuit Pietas.
M. D. LXXXV.

Supra hanc Tabulam extat Capsa Marmorea cum hoc Epitaphio.

B Sepulchrum Sapientis, ac Prudentis Viri
Domini Petri Judicis de Porta S. Genexii
De Arim. qui decessit Anno Domini M.
CCCC. LVIII. Die sextodecimo Augusti.

In eodem Claustro.

Siste gradum Viator, & perpetuam exim.
Sac. Soph. Doc. Sebastiano de Barberiis Arim.
Augustin. Viro Vita, & Moribus omnibus
Conspicuo precare Sal. qui cum præclariss.
hanc Domum prius obscuram, & nimia
Undique vetust. consumptam, ejus Pruden.
Fideique commissam, sing. dexteritate, ac
incred. solertia pluribus Annis sæpe rexisset
C Ei ornam. commodoque ita fuit, ut eandem
Ad hanc nobiliorem elegantioremque formam
Ejus opera redactam esse conspicias. Qui
Tandem dum in eam magis amplificandam
Exornandamque totus incumberet, cui rei
Gratia, sua sorte contentus, altiora sponte sibi
Oblata despexerat, ingentibus bonorum lachr.
Nec parva istius Domus jactura, Deo foel.
Animam red. A. D. M. D. LXII. XVI. Kal.
Nov. Ætatis vero suæ LXXIX.
72 Hoc autem Mon. Rev. P. M. Thadeo Perus. Gal.
Hisp. Lusitaniamque lustrante M. Tho. & Jo. Au. Pr.
A. G. S. CC. A. D. M. D. LXIII.

D *In secundo Claustro ejusdem Conventus antiquis literis insculpta hæc legitur Inscriptio.*

Hanc Domum ad usum Fr. Infirmorum ædificare
Fecit, & fulciri pro Anima sua, & suorum,
Domina Domina Simona, Filia quondam Magnifici
Domini Domini Malatestæ de Malatestis, quæ
Profecta est, Anno Domini M. CCC. LV.

In eodem secundo Claustro prope Puteum in quodam parvo Tumulo legitur.

Funere non æquo Puer immaturus obivi,
Marmoreisque meis his jaceo Tumulis.
Non potui Parvus puerilem implere juventam,
Nec vestire meam flore novo faciem.
E Nec senior capiti niveos mutare capillos,
At fato victus sorte Puer perii.
Heu crudele nefas! Quæ me generaverat hora,
Hæc eadem vitæ terminus hora fuit.
Non ego quod perii doleo, sed parvulus Infans
Quod cum plus caperem, spem merui dubiam.
Si vita incolumis potuisset vincere Fata,
Crevisset generis gloria magna mei.
Fortuna invisa est; Spes est frustrata jacentem,
Mors cuncta eripuit, dira quies hominum.

(§)

F *In Fornice Ecclesiæ S.* Marini *RR. Can. Regularium* Lateranensium *hæc Inscriptio conspicitur.*

D. O. M.
TERREMOTVS
immemorabili impetu, haud
Immemorando, quo Cives in Sacris
orantes Ædibus, summe deterruit, plures
peremit, Ædificia pene omnia, Dei Fana, ac
Turres elatiores, majori ex parte, aut solo æquavit,
aut disrupit, die XIV. Aprilis hora circiter XXI.
Anni elapsi. Anterior hæc picturatæ Fornicis pars pariter diruta, una cum lateribus ulnarum X. super singulos Parietes restaurata fuit cum sua Turri Can. Reg. Lat. Piet. & Expen. Anno Domini M.
DC. LXXIII.

In Claustro eorumdem Can. Reg. Lat. conspicitur 73
Puteus, quem creditur effodisse S. Marinus *transactis Sæculis, de quo in meo* Sanctuario Arimin. *Ad hunc Puteum hi versus leguntur positi Anno Restaurationis ejusdem.*

Sancte tuo effossus Puteus Marine labore,
Dulcibus, & puris semper abundat Aquis.
Forsan & Hebreæ Gentis Dux inclytus olim
Percusso tales extulit è Lapide.
Qui ne deliteat, nos instaurare vetustum,
Et decorare tuo Nomine juvit Opus.
Anno Domini CCC. Imperante Diocletiano.

(§)

In Ecclesiâ PP. D. Francisci de Paula *Arca conspicitur cum Epitaphio.*

D. O. M.
Marco Antonio Albano Neapolitano.
Qui hic jacet, hic nactus Patriæ dulciore Ligeis
Melpomeni carus, qui cunctis lætus amicis.
Favisti vivo? Requiem* ipse precare benignam.

In Pavimento ejusdem Ecclesiæ.

Ascanio Tortorino vinse il Genio.

Quid ipse *Ascanius*, qui Medicus erat, his verbis voluerit exprimere, ignoro. Divinandum.

(§)

In Ecclesia D. Bernardini *Patrum Minorum de Observantia.*

Candidissimis Brunis
Ex Nobilissima Parcitatorum Familia oriundis
Matthæo, & Camillo Patri, Filioque
Patris, Filiique sorte vel post Funera
Collætantibus, ut sanguine, sic & moribus, &
Sapientia conjunctissimis suis Majoribus, in
Opusculis, in Voluminibus edendis non minoribus,
Præstantissimo Physicorum pari,
Qui & sibi, & aliis perquam vitales extiterunt,
Hoc tamen discrimine, quod aliis mortalem, sibi
Vero immortalem vitam Operibus attulerunt
Quorum Pietas, & summa Religio,
Quemadmodum alibi pluribus in locis,
Ita hac in Ecclesia ad Sacellum construendum
Aureis ducentis datis decemque aliis
Annuis ex Testamento relictis mirifice elucet.
Fr. Franciscus Maria de Brunis hujus Conventus
Guardianus Avo, Patrique bene merentissimis
P. Anno Jubilei M. DC. L.
In ipso S. Pantaleonis Nobilis Medici Die Festo.

In Ecclesia Clericorum Regularium vulgo Teatini 74
D. Antonio de Padua *dicata, sequentia leguntur Epitaphia. Primum in Pavimento lateris illius, in quo Altare* D. Philippo Nerio *erectum est.*

Ne quos Deus, & Amor conjunxit
Mors ipsa separet,
Hic sibi, & Ursulæ Benciæ Uxori Dilectiss.
Scipio Battaglinus locum paravit
Anno M. DC. LI.

Secundum in Pavimento ante Altare D. Cajetano *dicatum.*

D. O. M.
Tumulata jacet hic Nobilis Violantes de
Clementinis in Stivivis, quæ ad æternandam
Etiam post mortem suam clementiam, imposuit
Per suum dilectissimum Virum, & Hæredem,
In perpetuum annuatim propriis sumptibus
Diem Festum solemniter agi B. Cajetani &c.

In Pavimento Ecclesiæ ante Altare Majus.

D. O. M.
Philippo Bresio Arim. I. V. D. C. & Eq.
Doctrina, Integritate, Munificentia claro
Clerici Regulares
Ad tanti Viri in Deo Ministros Pietatem testandam
PP.

PP. Anno Dom. M. DC. XLIIII.

In eodem Pavimento.

Antonio Brancuto Nobili Pisaurensi
Medicinæ Doctori Hæredes PP.
Anno Domini M. DC. LI.

(§)

In Ecclesia S. Crucis *Veteris* D. Antonio *Abbati dicata*, *quam olim Sodalitas* SS. Crucis *possidebat*, *hodieque Patres* S. Francisci *tenent Conventui adnexam*, *intus in Pariete Januæ majoris sequens Epitaphium ponere ex onere debebat dicta Confraternitas*, *prout exstat in MM. SS. Bibliothecæ* Gambalongiæ, *super Sepulchrum ad modum Depositi affabre factum.*

D. O. M.
Joan. Bassanus Arimin. Med. & Philos.
Post LXXX. cum bona valetudine transactos Annos
Sibi, & Claræ de Adimar.
Vivens posuit
Ut Concordes Cineres
Sub umbra Mortis ad Diem Magnam serventur.

75 *Intus prope Januam minorem ejusdem Ecclesiæ*, *quæ ducit ad* D. Joseph.

Pulcherrimæ Pudiciss. Fœcundiss. Arimin.
Elisabethæ Brunæ de Revertis Pagan. Uxori
Suaviss. Matthæus Brunus Medicus omni
Nunc arte sua, & supplici prece frustratus,
Luctu, & Lacrymis squallidus, non quod
debuit, sed quale potuit Monum. hoc dedit.
Vixit An. XLIIII. Menses VIII. Dies I.
Moriensque, horribile dictu! ut septenos
Ejusdem septem mortui superstites æquarent
Partus Amantiss. ex priori; vero Annorum
Sexdecim Filiam, quamque gelidam, prope
Etiam nunc sitam adservat, eodem die, & hora,
Ac temporis fere momento secum una ad
Cœlos rapuit intactam.
Vale fœlix Lector, & diram miserrimi Viri,
Matris, Filiorum, Fratrum, Sororisque, ac
Innumerabilium Affinium, & Consanguineorum mærentium sortem luge, planctuque, si
Humani quidpiam retines, associato.
M. D. LXVIII. Die XIII. Aprilis.

(§)

In Ecclesia Beatiss. V. de Paradiso, *quam Familia de* Gambalonghiis *ære proprio*, *ac Piorum exædificavit*, *Societas* S. Joseph *duo hæc ponit Epitaphia.*

D. O. M.
Julius Gambalonghius ego hic tumulor.
Quod Filium habuerim Alexandrum
Sat est ad Gloriam.
Sed ad æternam requiem miseremini mei
Saltem vos amici mei.
Anno Dom. M. DC. XXXI.

E regione ipsius.

D. O. M.
Tumulatus jacet hic
Alexander Gambalonghius.
Hic ille est, manibus date lilia plenis.
Nomen dixi, omnia dixi.
Hic ille est Domi, forisque notissimus.
Vos dicite illi, lux perpetua luceat ei.
Anno Dom. M. DC. XXXI.

In Pavimento ejusdem Ecclesiæ, in parvo Marmore
Pietà all' Anima del qui Sepolto.

76 Sciendum, quod hic sepultus jacet *Ludovicus Tingulus Ariminen.* qui moriens reliquit, ut dicta *Italica* verba in parvo Lapide cœlarentur, prohibuitque exsculpi quicquid Filiorum justa & unanimis Pietas ponere statuisset. Verum nomen, quod hic non adspicit Lector, perennat in *Literatorum*, & Civium memoria, tum ob felicitatem ingenii, tum ob profunditatem Artis Poëticæ, quam excoluit, quaque *P. Statium* imitatus Carmine *Italico* exæquavit. Obiit Anno MDCLXIX.

IV.

Insigne Miraculum de Sanctiss. Eucharistia, agnita ab Asina, Concionante *D. Antonio de Padua*, ad Hæreticos *Patarenos* in Platea Civitatis *Arimini*, hic, & non alibi evenisse demonstrat *Jacobus Villanius Ariminen.* Episc. *Calatin.* seu *Cajacensis*, qui obiit prope nonagenarius Anno Dom. MDCXC. Non. *Novemb.* Vivens multa edidit opuscula, moriens apud Hæredes reliquit MM. SS. *de Vitis Episcoporum Arimini.*

Ad perpetuum igitur grandis hujus Miraculi documentum (ait idem Vill. in opusculo edito *Arim.* An. MDCLXVII. Columna exstabat in Foro *Arimini*, ubi *Petrus Guidonis Rizzardelli* è Dominis de *Caminatis* ad jucundum etiam nunc in memoria spectaculum, ducentis & quinquagintis abhinc Annis, superædificavit Sacellum Octogonum, cui circumsistunt publicæ exculptæ literæ.

D. ANTONIO OLIM HEIC
CONCIONANTE EUCHARISTIAE
SACRAMENTO NON PAUCI AD
CHRISTI FIDEM DEDUCTI.

Columnam vero tamquam rem sacram inclusit in Ara. Ita *Villanius.*

Hodie prædicta verba desiderantur. Anno enim Terræmotus MDCLXXII. ruentibus hujus Sacelli Parietibus, eosdem ad marmoream formam Pietas, & sumptus Card. *Rospigliosi*, ac Civium *Arim.* restituere; culmenque laminibus plumbeis tectum fuit devotione eorumdem, d. verb. omissis.

De hoc Opere noviter elaborato sequens exstat memoria in Tabula Lapidea.

Ad Honorem Divi Antonii Ulysiponen.
Eminentiss. & Reverendiss. D.
D. S. R. E. Card. Jacobus Rospigliosus
In signum Protectionis, & Pietatis,
Ædem hanc antiquissimam,
Et celebri SS. Eucharistiæ Prodigio insignem
Sed Terremotu in Culmine deturbatam,
[1] Tegit statim, & instauravit Anno MDCLXXII. 71
Hinc Sodalitas ad honorem Eminentiss. Liberalitatis
Et Confratrum memoriam ut futuris sæculis
Sicut hodie, & quotidie pro Piiss. Benefact. orent.
Denuo posuit Anno MDCLXIII.

(§)

In Ecclesia Archiconfraternitatis S. Hieronymi, *quæ olim* Armenorum *Hospitale fuit*, *ut videre est apud* Clementinum, *&* Adimarium Hist. Arim. *Scriptores*, *non Lapides Sepulchrales*, *sed ipsius* D. Hieronymi *Vita*, *penicillo*, *& calamo picta & descripta ob oculos introëuntium exponitur*; *Picturæ sunt R. P.* Cæsaris Pronti Ariminen. *Ordinis* Eremitarum S. Augustini. *Inscriptiones vero Adm. R. P.* Joan. Ant. Spiritellii Soc. Jesu. *Cœteræ picturæ sunt* Francisci Centensis, Columnæ, *&* Metelli.

Accipe Ætas postera Doctoris Maximi
Non tam legenda, quam visenda Facinora;
Calamus hic, & Penicillus eximio Viro allaborant,
Qui nunquam laborem sensit, nisi ubi non
Laboraret: qui Plura scripsit, quæ faceret,
Majora fecit, quæ scriberentur.
Maxima pertulit, quæ solus feret.
Compendium hoc non aversatur,
Hoc etiam passus, ut Maximus describeretur in
Parvo. Cœtera, quæ ommittuntur, Nomini
Remittuntur: Hieronimus enim omnia
Supplet, & implet.

1 Stri-

---

1 *Tegit*] Forte *Texit.*

1 Stridone in Dalmatia naſcitur, cujus Patria mox evertitur, ut meliori omine in ſolo Hieronymo ſupereſſet.

2 Romæ baptizatus Hieronymus, quod eſt Sacrum Nomen, appellatur, ut exinde non niſi ſacris rebus incumbat.

3 Humanioribus dicatus literis, diviniora Gymnaſia luſtrat, Sepulchra nimirum Apoſtolorum, & Martyrum.

4 Declamationes agit plurimas, nobile confutandis Hæreticis tyrocinium.

5 Varias terrarum plagas peragratur, non enim ſedendo, & cunctando res literaria reſtituitur.

6 Nunquam minus ſolus, quam cum ſolus, omnem corporis afflictionem in ſolitudine ſociam adſciſcit.

7 Multa erigit Monaſteria, ut alienis virtutibus creſcat, qui cumulaverat proprias.

8 Cui Romæ homines averſabantur, in Syriæ Deſerto feræ ſervierunt.

9 Leone famulari utitur, cui ſpinam & feritatem extraxerat.

78 10 Tela nequiſſimi Hoſtis ignea ſaxo pectori adacto retundit.

11 Antiochiæ ab Epiſcopo Paulino Presbyter creatus divinis rebus affluentius recreatur.

12 Damaſo Pontifici a ſecretis Vaticana vaticinia aliis conſulit, præcipit ſibi.

13 Omnes, qui ante illum de Doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerunt, legit, ipſe legendus ab omnibus.

14 Eos, qui Aſellum Monaſterii furtim abduxerant, Hoſpitii, & Menſæ uſura muneratur.

15 Cilicia pro muneribus mittit Licinio, paupertatis, & quotidianæ ſymbola pœnitentiæ.

16 Mavult Pauli tunicam ex palmis contextam, quam Regum purpuram curis gravem, & vitiis gravidam.

17 Ob ſtudium Ciceronis flagellis cæditur, quo prophanam literaturam caſtigaret.

18 Ad Mortis, & Judicii recordationem contremiſcens pavere docet impavidos.

19 Humi cubans, & ſacco involutus mortem alacer opperitur, quam doctus timere, dedocetur timere.

20 Flexo genu Euchariſtia ſaginatur, non alio Viatico iturus ad Deum, quam Deo.

21 Moriturus, ſubita Luce, Angeliſque ſeptus, Chriſtum audit advocantem, & videt Advocatum.

22 Ejus Anima Hieroſolymis, Hipponæ, Turoni ab Angelis ad Cœlum geſtari viſa, quo ſequatur præcedit.

23 Cunarum Salvatoris dum viveret, & poſt mortem Inquilinus gratus reſurrectionem expectat.

24 Ejus Tunica ex ſacco ægrotis valetudinem, mortuis vitam, utriſque ſanitatem impertit.

D. Hieronymi Doctoris Maximi
Sanctitatem eximiam, atque omnigenam
Eruditionem, Penicillo, & Calamo adumbratam,
Non expreſſam vidiſti.
Pluſquam hominem vidiſſes,
Si Angelicum Ingenium Divinumque Animum
Penicillus exprimere, aut Calamus poſſet.
In Optimo meliora, majora in Maximo latent.

(§)

In Parochiali Eccleſia D. Agnetis *V. M. cujus Rector eſt Adm. R. D.* Andreas Baldaſinus *Amicus Optatiſſimus.*

79 Crudeſcente Terræ Tremore Anno M.DC.LXXII.
Clementi X. Pontif. Maximo
Hujus Templi D. Agnetis ruinas Ære ſuo reparanti

A Exſolvat Miſſam Parochus XIV. Aprilis.

In Eccleſia Parochiali S. Innocentiæ *V. M. & Protectricis Civitatis.*

Clementi X. Pontifici Maximo
Qui hujus Civitatis everſa Ædificia, pleraſque
Eccleſias terræmotu proſtratas, Anno M.DC.
LXII. Ære ſuo inſtaurare voluit, cujus
Beneficentia hoc D. Innocentiæ Templum in hanc
Faciem reſtitutum; ideoque pro Pontificis
Ipſius ſalute hic Anniverſarium Miſſæ Sacrificium
XVIII. Kal. Maji Sacerdos Parochialis
In poſterum exſolvat.

B Hujuſmodi Inſcriptiones extant etiam in quibuſdam aliis hujus Civitatis Parochiis, quas hic ommittere ſtatui, cum idem exprimant.

In Eccleſia Parochiali S. Vitalis *M. Sepultura extat hac Inſcriptione.*

Alexander Corbuccius Sacerdos, & Joannes
Franciſcus Fuſchius Propriis, & Hæredum
Oſſibus Terrenum hoc Habitaculum Cœleſt.
Vero Animabus eorum ſtatuerunt. Anno
M. DC. XXXXIIII.

In Eccleſia Parochiali S. Crucis *extat hæc Inſcriptio, quam* Ferdinandus Ughellius Italia Sac. *Tom.* II. *pag.* 446. *falſo in Cathedrali poſuit.*

D. O. M.
C R. in Chriſto Pater D. Jo. Baptiſta Caſtellus
Epiſcopus Ariminenſis Doctrinæ Chriſtianæ
Reſtaurator, & Conſervator acerrimus,
Congregationem in hoc Templo
Generalem ſingulis diebus
Dominicis fieri ordinavit.
Anno Domini M.
D. LXXIX.
Migravit Optimus Paſtor ad Deum Die XXII.
Auguſti, dum Sedis Apoſtolicæ Nuncius
Apud Chriſtianiſſ. Gallorum Regem degebat
M. D. LXXXIII.
D Societas Doctrinæ Chriſtianæ P.

In Parochiali Eccleſia S. Thomæ *Apoſtoli.*

D. O. M.
Dominici Faitani, & Rectorum ad Judicium
Uſque Tumba M. DC. L. Vixit Ann. XLVII.
M. VI. D. XXII. Obiit M. DC. LIII.
Fratrem Optimum hujus Ædis olim Rectorem
Philoſoph. ac Theol. D. Petrus Jo. Faitanus
Mœ. ſepelivit.

(§)

In Eccleſia D. Nicolai de Bario *PP.* Cœleſtinorum *ad Portum ſuper Januam majorem olim extabat.*

E Regente Friderico II. Imper. Anno MLXXII. 80
Guito Epiſcopo Emeritano, cum impellente pietate ex Oſſuario manum, Bracchiumque dextrum D. Nicolai Epiſcopi Mirentis, vulgo de Bario, ad ſuam Eccleſiam adſportandum ſuſtuliſſet, reluctante Maris tempeſtate ad Portum bis, & ſemel Ariminenſem projicitur. Agnito Dei nutu, ſacroque pignore in Ædicula hic ſub D. Laurentii tunc temporis invocante inter lacrymas, factoque enarrationis Depoſito voti compos inceptum iter placido Neptuno proſequitur. Obicius deinde nominis hujus III. Ariminenſis Epiſcopus cupiens
F uſque ad miraculum ſuper tanto certiorari negotio, accenſo igne, ubi & in præſens media hac in Eccleſia Columnella ſpectatur, interque flammas Bracchio Sacro injecto, mox vidente Populo, flammiſque recedentibus illæſum apparuit. Quod adſervandum in poſterum deſtinatur ſub vigilia Monachorum Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti, quibus Eccleſia hæc, atque Cœnobium ſub nomine, & tanto miraculo D. Nicolai à Benedicto XI. dein ab Eugenio IV. PP. OO. MM. conceſſa, & confirmata fuerat. Ne igitur rei memoria ætatibus deperiret, manuſque ſacra a qua Arii

impietas in Concilio Niceno fuerat alapa percussa, A magis, magisque venerationi Civibus esset, P. D. Purpurinus à Faventia Abbas hujus Monasterii suis cum Monachis amoris ergo, & devotionis monumento hoc advenis aperiri curavit Anno Dom. MDCXLXXXIV.

Super Januam, quæ ducit ad Mare.

S. P. Q. Arim. ut Civitatem suam novo tutamine
Muniret Magnum hunc Nicolaum
Sibi in Patronum adlegit Anno D. MDXXVI.

E regione ipsius super aliam Portam.

Locum hunc ad Nauticas vigilias à Frid. II. Aug.
Extructum, a Scoriati pro Peregrinis Terræ
Sanctæ observatum, B
A Bened. XI. & Eugenio IV. Cœlestinis Ord. S.
Benedicti Concessum, confirmatumque
A Venetiarum Republica annuali pensione
In D. Nicolai de Bario obsequium veneratum
Varia Fortunæ alea revolutum, sed a D.
Patrono protectum post CCC. Annos ex
Prioratu Abbatiali Dignitate illustravit
R. P. D. Abbundius Guzzius à Faventia Abbas
Gen. Cœlestinorum Anno D. MDCLXXXII.

(§)

In Ecclesia S. Juliani *M. unius ex quatuor Civitatis Protectoribus, in Suburbio olim* D. Petro, C *modo ejus nomini dicato extat sequens Inscriptio Sepulchralis. Ecclesiam hanc prius inhabitaverunt Can. Sæc.* S. Laurentii Justiniani, *hodie eam tenent Monachi* Cassinenses.

81 D. O. M.
Hieronymo Marinono
Vitæ innocentia, morum probit.
Summa erga Cives, Clientes, & Conjunctos
Liberal. studio, ac piet.
Insigni Congregationi Canonicorum Sæcularium
Beneficentiss. indigentium omnium parenti Opt.
Religionique deditiss.
Canonici hujus Ecclesiæ D
Perpetuum grati animi Monumentum PP.
Obiit Anno Dom. M. D. LXXXXII. Kal. Martii
Ætatis vero suæ LVI.

Super Hostium Ecclesiæ B. M. V. à Scala *nuncupatæ legitur.*

Ædem hanc D. O. M. sub Titulo
B. Virg. Mariæ a Scala Dicatam
Gregorius Maffonius Bonon.
Abbatiæ. & Paroch. Ecclesiæ S. Juliani
In Suburbiis Civitatis Arimini Prior
Ex proprii Collegii, Piorumque eleëmosynis
Erigendam à Fundamentis curavit E
Anno Dom. M. DC. XI.

Ab introëuntibus Ecclesiam D. Antonii de Padua *prope Portum, qua parte Civitas conspicitur, hæc verba in Marmore insculpta leguntur.*

Divo Antonio Patavino clamante
Huc confluxerunt Pisces
Verbum Dei audituri.
Quo Miraculo multi prava Hæresi
Desipientes resipuere.

Super Iconem Altaris ejusdem hi versus cernuntur.

Flumine Cœlesti, Antoni, dum verba revolvis,
Qui bibat, en Piscis protinus aure fidem. F

In Ecclesia S. Gaudentii *RR. PP*, Cistercienfium *duo Lapides inspiciuntur. Primus est.*

D. O. M.
Marchionissæ Medeæ Malatestæ
Caroli Felicis Malatestei
Narbonæ in Gall. pro Apost. Sede Præfecti,
Marchionis Roncofrigidi
Æneæ, Comitis de Bandis, Nobil. Arimin.
Illius Genitæ, istius Conjugi
Monachi S. Bernardi Ord. Cister.
82 Quosque vivens ut filios dilexit
Et moriens voluit in Hæredes
Beatam sibi Mariam Consolatricem
Sacrificio rogat viros perenni velut optime
Promerenti grati animi argumento Posuere
XII. Kal. Novemb. M. DC. LII.

Secundus è regione inspicitur.

Joannis Blanchetti Patritii Bononiensis
Vaticanæ Signaturæ Referendarii Prælaturæ
Gradibus insigniti
Eximiam Laudem Sana Consilia
Gubernia Congregationes Abbatiæ
Prædicant Promunt Pandunt
Hunc vita exanimem Bononia tenet
Hic animatum fama non peritura
Cœnobitæ S. Bernardi Ord. Cisterciensis
Illa habitatorem, iste benemerentem
A Cæsare Patre lustralibus Filii votis parente
Sacro incessaturo pro illius Anima
Collatis in idipsum redditibus
Retinebunt, Commendabunt
Amborum ergo pietati munificæ
Hic memoris animi Monumentum
DD. Patres PP. CIↃ. IↃC. LIII.

V.

In Palatio de Gambalonghis, *in cujus Parietibus exculto Marmore ornatis duplicem Tabulam item Marmoream cum lemmate conspicimus* : Non commovebitur in Protectione Dei Cœli; *publ. Bibliotheca extat, quæ quotidie aperitur ut omnium utilitati fiat satis. Hujus Literatorum Aulæ quinam fuerit Fundator sequens nos docet Titulus.*

Alexander Gambalonga, Patriæ Splendori natus,
Hanc Bibliothecam
Liberalibus Disciplinis, ac Publicæ
Studiorum utilitati fundator instituit, atque
Annuis attributis pecuniis Senatus auctoritate
Literis, & Monumentis amplificandam in
Perpetuum dedit omnibus bonarum Artium
Imitationem proposuit, pietate, ac
Magnificentia. A. D. CIↃ. IↃC. XIX.
Bernard. Pancratius Adm. in Titulum posuit.

Super Januam *interiorem ejusdem extant Insignia* Communitatis *his verbis notata.*

Senatus Ariminensis cui jure æterno Bibliotheca
Commendata est, Hieronymus Avanzolinus Bi- 83
bliothecarius Insignia conlocavit.
A. D. CIↃ. DC. LVIII.

(§)

In Parietibus Porticus Palatii Publici Communitatis *Tabulæ Marmoreæ* extant cum his Inscriptionibus. Prima est.

Lucæ Sempronio Civi Optimo Tipherni olim
Episcopo, quod singulari benevolentia, eximia
Humanitate, miraque alacritate
De Pub. Patriæ, ac privatis commodis
Nedum Opibus augendo, sed vel dignitatis
Splendore illustrando bene semper adeo fit
Meritus, ut jure quidem opt. fuerit omnium
Ore Pater Patriæ appellatus.
Et grati Animi, & Poster. Mem. ergo jussu fecit
Pub. & Lapidem hunc insculpend.
Sen. Con. Dec. Salutis Anno CIↃ. DC. XVI.
Prid. Kal. Mar.

Secunda, quæ ruentibus Parietibus Anno Terræmotus periit.

Michaeli Angelo Tonto, Civi Optimo, Cardin.
Nazareno, & Prodatario Vigilantissimo, ob
Eximiam virtutem, maximam prudentiam,
Et præclare Gesta, quibus Patriæ splendorem
Auxit, Cives Ariminenses ad famam,
Decusque perpetuum Posuere.
Anno Salutis M. DC. XII.

Tertia Inscriptio hæc est, quæ transeuntibus objicitur

Carolo Nembrino Anconæ Patritio

Præ-

Præſuli virtutum omnium ſplendore, & præcipue
A
Humanitatis præfulgidiſſimo
Meritis, niſi adhuc Purpura, Eminentiſſimo
Nunc Ferrariæ, nuper Æmiliæ Proleg. olim
hujuſce Urbis Guber. Solertiſſimo
Qui inter primarios ejuſdem Filios cooptatus,
Patrem ſe in Privatos, in Magiſtratus, in totam
DeniqueUniverſitatem Beneficentiſſ. præſtitit
S. P. Q. Arim. Beneficia in Marmore,
Velut in corde ſcribens P. An. Dom. CIↃ.IↃC.LI.
Quarta ſequentia exprimit verba digna ſcitu.
Mantii Franc. Regis Bungi, Michaelis Protaſii
Arimanorum Regis, ac Barptolomæi Omuræ
Principis, Juliani, Martinique Comitum ab
B
Japonor. remotiſſ. Inſulis ad D. Gregorium XIII.
Legatorum, ut jam ſuſceptam Chriſti Fidem
Profiterentur, Optatiſſ. Ariminum adventui XVI.
Kal. Julii, publico ſumptu, maximaque lætitia
Hoſp. M. D. LXXXV. Sixto V. P. O. M. Seden. S. P. Q. A. D.

84 *In Epiſtylio Palatii Publici, qua parte pro Horreis pub. inſervit.*
Dominico Archiep. Nazar. Gen. Card. Rivarolæ
Prov. Romand. & Exarch. Rav.
Jam per Novennium de Lat. Leg.
Quo juſte, pie, aliunde, optimeque illam regente
C
Arimin. Civit. Decoris ipſe non parum ſplendore
illuſtraverit
Platea quippe ...... facta dom... pen..
Inſulam oculis ſubjicien.... ſolo æquatis
Æneum Sanct. D. N. Pauli PP. V. Simulacrum
Ære pub. erectum hæcque tandem frumentariæ
Annonæ Horrei moles inſpic. vel à primi lapidis
Jactu conſtructa S. P. Q. A. animi diuturnæque
Memoriæ ergo Sc. C. Anno D. CIↃ.IↃC.XX.

(§)

In Parietibus Seminarii Arimini *è regione Domus de* Simbeniis *hæc legitur Inſcriptio.*
BartholomæusCochapanusPontif.Cæſareique
D
Juris Interpres Præſul Ariminen. poſt rurales
Erectas Domos, auctis jam exinanitis reditibus, has
Etiam Ædes per ipſum partas
Columbæ, Innocentiæque V. Martyribusque
Sacr. vetuſtate collapſas à fundamentis ædificavit,
Erexitque. Anno Sal. M. CCCC. LXXVII.
Re. Rom.

In Epiſcopio olim ſuper quodam Sepulchro ſequens extabat Epitaphium. Refert Clementinus Hiſt. di Rim. lib. pr. pag. 50.
Humano generi legem Natura creatrix
Hanc dedit, ut Tumuli membra ſepulta tegant.
E
Liberti Soboles Patri, Matrique Sepulchrum
Triſte miniſterium mente dedere pia.
Hic ſunt membra quidem, ſed famam non tenet Urna,
Nam durat Titulus, neſcia vita mori.
Rexit Romuleos Faſces currentibus annis,
Succeſſu parili Gallica jura tenens.
Hos non imbelli precio .... detulit alma
Auſoniæ Populis .... Cohors.
....
Diſpoſuit, ſanxit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente Pater. toto memorabilis ævo
Ter denis tris.... proximus occubuit.
F
O quantum bene geſta valent, cum membra recedunt
Neſcit fama mori, lucida vita manet.

85 *In publicis Civitatis Muris, qua parte rudera Amphitheatri adhuc conſpiciuntur ad latus Fluminis* Apruſæ *Tabula Marmorea extat hoc Titulo.*
Opus abſolutum Pecunia Pauli III.
Pontificis Maximi.
In ædibus DD. de Agolantibus.
Jacobus Agolantes Patritius Florentin.
Vejæ Dominus, &c.

A Guelphis expugnatus
Ariminum primo ſe recepit poſt Deum natum
M. CC. IX.
Mach. in Hiſt. Flor.
In Fortalitio ſuper Januam interiorem.
Sigiſmundus Pandulphus Malateſta Pan. F.
Molem hanc Ariminenſium Decus novam à
Fundamentis erexit, conſtruxitque ac Caſtellum
Suo nomine Siſmundum appellari cenſuit.
M. CCCC. XLVI.
Tempore vero Urbani VIII. ſuper Januam exteriorem hæc Inſcriptio poſita fuit.
Urbano VIII. Pont. Max. & Chriſtianæ Reip.
Cuſtodi Vigilantiſſimo Alexander Sacchettus
Rei Militaris in Æmilia Præfectus, Arcem
Hanc olim Sigiſmundam, nunc, Urbanam,
Inſtaurandam, & communiendam
Curavit, ne Rubico tranſeatur
impune. Anno Jubilæi
M. DC. XXV.
In Parietibus Palatii Communitatis noviter reſtauratis, hæc inſpicitur Inſcriptio.
Civitas hæc, & Curia
Terræmotus inclementia dirutæ
Anno Salutis M. DC. LXXII.
Civium calamitatibus diu ſuperſtites ingemuere,
Donec unam Regnatrix Clementis X. P. M.
Munificentia pecuniario ſubſidio Mœnibus
Suis deſtitutam erexit;
Alteram majori clade proſtratam
Publico Ære provida Senatus Magnificentia
Innocentio XI. Pon. Max.
Parente totius Orbis Optim.
Card. Dominico Maria Curſio
Antiſtite hujus Urbis Optatiſs.
Ac Æmiliæ Legato Vigilantiſſ.
Priſtinæ Majeſtati reſtituit
Anno Domini M. DC. LXXXVII.

J. M. GARUFFII 86

LUCERNAE

LAPIDARIAE ACCENSAE

Ad reliquos Titulos, & Inſcriptiones

APPENDIX.

Egimus Cap. II. de Arcu ab *Octavio Auguſto* Imperatore *Arimini* extructo. Modo in hac noſtra *Appendice* errorem aperiamus oportet, quo notandus venit *Henricus Salmuth*, qui Latinitati donavit Opera *Guidonis Panciroli* Rerum memorabilium, ſive Deperditarum, dicata *Carolo Emanueli* Duci *Sabaudiæ*. Extat ergo Tit. 28. in quo hæc habentur: *Non prætermittam Arcus Triumphales è Marmore inſtar trium Portarum ingentium Marmorei cujuſdam Palatii formam repræſentantium erectos. In his inſcribebantur eorum Facinora, quorum in honorem extruebantur. Romæ erant XXXVI. extra Urbem unus. Atque haud ſcio an Ariminii adhuc extent duo illi ſane magnifici, qui jam pridem perierint, niſi Celſitudo tua ſartum tectumque id præſtet, quod ab injuria pluviarum, & temporis adhuc eſt reliquum.* Opus typis mandatum eſt *Francofurti*, ſumptibus *Gothofridi Schonwetteri* 1646.

Nonne Legentibus apparet reparatum eſſe Arcum *Ariminenſem* à Regia Celſitudine Ducis *Sabaudiæ*? Audiamus Textum Italicum ipſius *Guidonis Panciroli*, & errorem *Henrici* detegamus: *Si facevano già gl' Archi Trionfali à guiſa di tre gran Porte, & à ſimilitudine di un ſontuoſo Palazzo di Marmo, & in eſſo intagliavano le prove di*

colui, in honor del quale erano fatti. Dentro di Roma ve ne erano XXXVI. *fuora, non sò, se ve ne sia salvo, uno in Rimini, e due molto magnifici, uno in Susa, l'altro sotto Augusta, che periranno, se V. A. con la sua diligenza non conserva quello, che resta, & avanza, all' ingiuria dell' acque, e del tempo. Panciroli* lib. I. cap. XXVIII. *Stamp.* in *Venezia* l'Anno MDCXII.

[1] * Hic ponenda est Inscriptio, quæ insculpta videtur in quodam Marmore Parieti adfixo prope Januam Viridarii Societatis S. *Hieronymi*. * * Item Inscriptio *Græca* existens ante Arcam D. *Juliani*. * * * Epitaphium Ænigmaticum Sepulchri in Ecclesia Societ. *S. Rochi*.

Franciscus Sweertius in suo Opere, cujus Titulus est: *Selectæ Christiani Orbis Deliciæ ex Urbibus, Templis, Bibliothecis, & aliunde*; verbo, *Ariminensia*, inter aliqua hujus Civitatis Epitaphia sequens adnumerat.

IBONIS COPVLI. I. C.

87 Nunc orbi, & viduæ, miseri nunc flete Clientes,
En jacet hic vester jure peritus IBO.
Post decus emeritæ, post benefacta senectæ,
Impia sanguineæ præmia mortis habet.
Oceanum frustra fugimus, Martemque cruentum
Si rapit imbelles Mors violenta Togas.

IBO, cum esset Jureperitus valde celebris, quandam litem coram *Malatesta Arim.* Principe, ac Judice sustinuit, ac defensavit. Hinc indignatus Princeps suis militibus tradidit *Ibonem* occidendum. Litis statum aperiam (digna enim scitu est) ejusque tempus, atque occasionem detegam in meo Tract. *de Sepulturis*, cujus Titulus est:

1 Inscriptio Caractere *Armeno* Insculpta in quodam parvo Marmore extante in interiori pariete ad Januam Viridarii Archiconfraternitatis S. *Hieronymi Arimini*, cujus Ecclesia, & Domus olim *Armenis* pro Hospitali inserviebat, prout docet in sua Historia Eques *Cæsar Clementinus*.

A *Jus Mortuorum litigandi cum Vivis*; atque etiam in mea *Historia di Rimino*.

Domi Ecclesiæ Parochialis S. Crucis, extat sequens Marmor repertum in Agris Ecclesiæ cum hac Ethnica Inscriptione:

[2] D. M.
SABINIÆ VENERIÆ
QVÆ VIXIT ANN. XXXI.
MENS. VI. DIEB. XII.
SABINIA AQVILINA MATER
FILIÆ DVLCISSIMÆ, ET PIENTISSIMÆ
CONTRA VOTVM SVVM POSVIT

B *Capsa, seu Sepulchrum Marmoreum inventum fuit Anno, quo Eminentiss. Card. Sfortiæ sumptibus in hodiernam formam redigebatur Ecclesia Cathedralis, cum hoc Titulo. Eadem hodie servatur in Domo Nobil. Viri Francisci Garampa.*

✠ Hic requiescit in Pace Dn. Martinus Dux. Qui obiit Die XXII. M. Aprilis Ind. XI. ✠ Et Filius ejus Agnellus, qui obiit D. XXV. M. Dec. Ind. XII.


In Templo D. Francisci *ad* Januam, *qua iter est ad Cœmeterium, super quendam Sepulchralem Lapidem legitur.*

Antiquæ Familiæ de Levizzanis
Mutinæ Oriundis.
C Arimini vero Humandis.
Anno Domini M. DC. XXVIII.

In Parietibus Porticus S. Crucis Veteris *Lapis conspicitur cum hoc Titulo* Gothorum *Caracteribus expresso.*

✠ M. CCC. XLIII. Arim........ in
LocoFratrumMinorum deArimino.....
dignis

Collocanda est in mea *Lucerna Lapidaria* pag. 86. in *Appendice* sub hoc signo *



Eadem Inscriptio Sermone Armenorum *sic venit pronuncianda:*

✠ i Tuvaganutian hinghariur karasunging,
ies Touma Isinieci Zpolorduns.

Ejusdem Inscriptionis genuina Interpretatio Latino Sermone hæc est:

✠ In Numeratione quingentesimi quadragesimi quinti (id est anni) ego Thoma
ædificavi totam Domum.

Hanc Interpretationem, quam dedit *Romæ Deodatus Nersecovick*, Episcopus *Trajanopolitanus*, atque ab Alumnis *Armenis* comprobatam scio, hic ponere statui, cum hac brevi adnotatione. Insculptam ipsam assero anno Domini DLV. Utique verum est apud emunctæ naris Scriptores, morem fuisse multarum

D Nationum, & præcipue Orientalium, atque etiam anteactis Sæculis *Romani* Orbis aliquibus in locis, absque Millenario numero seriem annorum adnotare in Inscriptionibus, in quibus ipsum subintelligi volebant. Extant exempla apud Gruterum, & alios. Verum in hac talis numerus non desideratur. Dicta enim Domus anno 1545. jam erat ædificata, jamque *Armenis* pro Hospitali inserviebat, prout docent Manuscripta extantia in Bibliotheca *Gambalonghia*, & antiquæ aliquæ memoriæ, quæ adhuc servantur in Archivio ejusdem Archiconfraternitatis, de qua fusius dicam in mea *Istoria di Rimino* prælo committenda. *Arimini Idibus Novembris* 1692.

Joseph Malatesta Garuffius Publ. Lector & Bibliothecarius.

Arim. per Symb. Sup. permis.

2 D. M.] Non exstat Inscriptio hæc apud *Gruterum*.

dignis sepulta sunt circa viginti quatuor centenaria Hominum Defunctorum naturaliter utriusque ætatis, & sexus, pro quorum animabus factum est hoc opus ad Honorem Sancti Antonii Abbatis.

88

In Parietibus Domi respicientis è regione Palatium novum Communitatis *ad vicum, qui olim dicebatur* de' Pontiruoli, *hodie vulgo dicitur* di Braveria, *Lapis inspicitur, in quo insculpta hæc videntur verba* Gothicis *Characteribus, quibus docemur in hoc vico aut sustinendum, aut abstinendum.*

M. CCC. LXXXXVII. Xpo ajuta Jacomo S.
Chi in questo Trebo cun tale, e quale
Patienza, e Fortezza haverai
Virtude, e la raccomandarai
Sarai note, e taxie
Se vuoi vivere in pase
Che il ben pure se taxie
Il male pure se dise.
Al bon Intendidor, & cetera.

In una ex Pyramidibus erectis ad Pontem Fluminis Aprusæ, quod vulgo dicitur Ausa *quodque muros* A *Orientales Civitatis lambit, hæc legitur Inscriptio.*

Ariminum ab Herculis Comitibus conditum
Romanorum Colonia, & Armarium,

In altera earumdem hæc verba leguntur.

Pontem hunc ad Aprusam Flumen
Ære publico instauravit An. Dom.
cIɔ. Iɔ. III. XIV. Kal. Maji Sen. Arimin.

Tandem extat Pyramis Sepulchralis erecta ex Marmore in Parietibus exterioribus Palatii Nob. Fam. de Marchesellis *in Suburbiis* D. Juliani *qua parte Viridarium conspicitur, Catello olim Dominæ* B *delicio, his versibus Italicis.*

Al Cagnoletto Belmontin qui diede
La sua mesta Signora Urna non vile
In premio di suo ingeno, e di sua fede.

LECTOR, hucusque inter Umbras Sepulchrales vagati sumus. Nunc denique, dum Canis Tumbam intueor, ad ejus latratus, rictusque
LUCERNAM
depono.

F I N I S.

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A.



Lucii

Tumuli

F I N I S.



JOANNIS FRANCISCI ANGELITÆ,

Recinetensis,

URBIS RECINETI ORIGINES, HISTORIA ET DESCRIPTIO.

Qua non modo rerum, quæ huic urbi, verum etiam quæ aliis Marchiæ urbibus evenerunt, memoria continetur.

Ex Italico Latine vertit, recensuit, Notisque nonnullis & Præfatione instruxit

JOANNES LAURENTIUS MOSHEIM.

Editio Novissima, indice locupletissimo aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

LECTORI OPTIMO
S. P. D.
JO. LAUR. MOSHEIM.

Non minori fide, quam diligentia, Recinetensis hæc Historia ab Angelita conscripta est. Usus est publicis urbis Annalibus, ex iisque secundum annorum seriem quæ patriæ evenerunt digessit. Viros etiam patriarum antiquitatum peritissimos, ipse omnis antiquitatis studiosus, diligenter consuluit: in quibus Nicolaum in primis Massuccium laudat, qui industriam suam multum adjuverit [1]. Quæ quidem, quod dixi, satis luculenter docent, nec fidem, nec diligentiam ipsi defuisse. Forte erunt, quibus in hac ipsa diligentia id minus bene factum videbitur, quod se temporum ordini ita alligaverit, ut series etiam narrationum interdum interrupta sit. Neque tamen dubito, quin iis facile excusatus erit, qui, quocumque in Historia scribenda ordine utaris, semper aliquid quod nonnullis displiceat esse cogitant. Et quis, quæso, crimini nostro dare potest, quod non Historiam, sed Annales patriæ conficere voluerit, quibus, quod GELLIUS ait [2], res gestæ plurium annorum, observato cujusque anni ordine deinceps componuntur? Scilicet ex instituti rationibus, non ex sensu nostro de aliorum laboribus judicandum est. Similiter id minime vituperandum esse duco, quod, ne litibus & odiis occasionem præberet, res nonnullas præterierit, ac ne nomina quidem eorum, qui contra leges aliquid admisere, expresserit [3]. Satius profecto est, prudenter quædam omittere & famæ civium parcere, quam aut male narrando posteris, aut odiose narrando viventibus fraudi & molestiæ esse. Cæterum non eo scripsit consilio, ut Historiam hanc, quæ majoris operis, de omnibus pæne Marchiæ urbibus pars tantum est, ederet, sed, ut ex Dedicatione Casparis Garbezzæ constat, ab hoc, inscio & invito illo, emissa est. Quod profecto tale est, ut omnium, si quæ sunt, macularum culpam ab auctore derivet. Fuit autem ex nobilissima Recinetensium familia natus hic Angelita ex qua multi viri illustres prodiere; inter alios Ludovicus Angelita, Clementis VIII. Pontificis summi cubiculo præfectus [4]. Proavum ejus Vannum Angelitam Fridericus III. Imperator, quum in Italia versaretur, cum omnibus posteris sacri palatii comitem creavit: qua idcirco dignitate noster etiam eminuit [5]. Pater ejus Hieronymus Angelita lingua Latina de Domo Lauretana librum edidit, tanto applausu exceptum, ut a filio denuo emitti debuerit [6]. Ipse noster qua eruditione, qua erga litteras elegantiores voluntate fuerit, vel ex eo intelligitur, quod museum omnis generis antiquaria supellectile, gemmis, numis, picturis elegantissime instructum possederit [7]. Muneri publico num fuerit præpositus non constat. Forte in erudito otio vitam duxit a molestiis munerum remotam. Hæc de ipso auctore novi: de libro quod moneam, adhuc unum restat. Ipse memorat additam esse ei urbis Recineti figuram, a Johanne Baptista Vitali, sculptore summo, expressam [8]. At hanc sine dubio editor libri omisit, quum Historiæ manu exaratæ adjecta esset: nec enim in ipso libro, qui Venetiis Anno 1601. in 4to apud Matthæum Valentinum exiit, reperitur. Idcirco vero hæc notanda fuere, ne quis aliquid, quod ad rem pertineret, a nobis prætermissum esse existimaret. De mea versione Notisque quæ dicam, perpauca habeo. Notæ illustrant & emendant auctoris nonnulla. Versio ita concinnata est, ut & indoli latini sermonis & perspicuitati consulerem. Quæ cura voces etiam barbaras, quibus uti interdum debui, excusabit. Cæterum quæ hanc in rem a me fusius in præfatione ad Chiarandæ Platiam dicta sunt, hoc loco repetenda erunt. Vale Kiliæ Holsat. Kal. Julii MDCCXXI.

1 Origine di Ricanati fol. 53. E.
2 Noctium Attic. Lib. v. C. XVIII. p. m. 199.
3 Vid. Dedic. Garbezzæ.
4 Origine di Rican. f. 55. E.
5 Loc. indic. f. 29. D.
6 Loc. indic. f. 13. C.
7 Ibid. f. 52. A.
8 Ibid. f. 53. D.



ILLUSTRISSIMIS DOMINIS PRIORIBUS
ET
CIVITATI URBIS RECINETENSIS
Patronis meis ſummopere colendis.

Ex quo jam a multis annis, nundinarum occaſione, mercaturam in hac urbe feci, tam benevole in ea exceptus ſum, ut multos mihi amicos & patronos conciliaverim. Quamobrem ſemper, qua ratione gratum ex parte ſaltem animum declararem, quæſivi, ſed, virium imbecillitate retinente, non inveni. Jam vero, quum Dominus *Jo. Franciſcus Angelita*, familiaris meus, Hiſtoriam omnium pæne urbium & commemorabilium *Piceni* locorum a ſe conſcriptam mecum communicaret, non deſtiti ab eo petere, donec urbis hujus *Recineti* Hiſtoriam extorquerem, cauſam interſerens, me per otium eam perluſtrare velle. At nactus eam ſummæ, quæ inter nos eſt, neceſſitudini confiſus, edere illam &, tamquam meum opus, Vobis, Illuſtriſſimi Domini & magnanimis civibus, conſecrare auſus ſum, ut, quum ſi minus liceat proprio, peregrino tamen labore publice teſtatum facerem, quam alte acceptorum beneficiorum memoria animo meo infixa ſit. Non dubito fere, quin hoc vobis donum haud injucundum futurum ſit, quoniam ex eo, velut in lucidiſſimo ſpeculo, dignitas urbis veſtræ, prudentiaque & magnanimitas ſenatorum conſpicitur. Quibus virtutibus id effecerunt, ut arbitri in belli paciſque totius provinciæ negotiis ſederent, nominiſque eorum fama ad exteras etiam nationes penetraret; maxime quod ſedis ſanctæ partes ſtrenue ſemper magna virtute tuiti ſint, totaque pæne *Marchia* deficiente ſoli *Ricenetenſes* fidem non mutaverint. Qua etiam de cauſſa *fidelium* nomen a Pontificibus adepti, multiſque ac eximiis immunitatibus donati ſunt. Reticuit quidem nonnulla Dominus *Angelita*, quod ipſe mihi retulit, quæ vicinorum forte odium excitare poſſent: ſed in iis tamen locis id præcipue factum eſt, quibus, ſalva narrationis perfectione, fieri potuit. Viſum eſt etiam ei, nomina eorum, qui facinora commiſerunt, ſilentio præterire, ne indignationem familiarum, ex quibus orti, commoveret. Nominavit quidem aliquos in recentiorum temporum Hiſtoria: verum id ideo factum eſſe dicit, quoniam tam recens eorum adhuc eſt memoria, ac omnes pæne tam luculenter de iis loquuntur, acſi rebus geſtis ipſimet interfuiſſent, aut hodie in conſpectu eorum illæ agerentur. At vos interea, Domini Illuſtriſſimi, læta fronte donum hoc accipite. Exiguum, fateor, eſt, ſi aut veſtra merita, aut mea debita reſpicere placet: at nihilo tamen minus magnum erit, ſi aut animi mei adfectum, aut naturam ejus conſiderare volueritis. Quod reliquum eſt, veſtra imploro officia, ad obtinendam temeritatis meæ a Domino *Angelita* veniam, ac cum perpetuæ felicitatis voto veſtro me commendo patrocinio. *Venetiis* Kal. Martii 1601.

Illuſtriſſimi Domini

Vobis omni ſtudio addictiſſimus
CASPAR GARBEZZA.

Scriptorum, ad quos in hoc libro provocatur, INDEX.

JO.



JOANNIS FRANCISCI ANGELITÆ

URBIS RECINETI

ORIGINES, HISTORIA & DESCRIPTIO.

4 RECINETUM, urbem *Marchiæ*, provinciæ *Italicæ*, quæ olim *Picenum* dicta fuit, e reliquiis *Ricinæ*, nobilissimæ quondam urbis & Romanæ coloniæ, in littore fluvii *Potentiæ* sitæ, decem prope milliaria ab urbe recentiori versus *Apenninum*, ædificatam esse, quidquid est scriptorum consentit. Videntur adhuc ibi quædam ejus vestigia, locusque ille *il passo* vulgo dicitur. Ut communis Historicorum opinio fert, testibus *Raphaële Volaterrano* eo *Commentariorum* suorum loco, quo de *Piceno* agit, *Blondo* in *Italia illustrata* & *Fratre Leandro* in *descriptione Italiæ*, *Gothi* hanc urbem *Ricinum* everterunt. Quamobrem ut tempus ædificationis *Recineti* quam curate fieri potest, probabiliter saltem, ut ita dicam, constituatur, paullo altius exordiendum, tempusque, quo *Ricina* destructa est, investigandum erit. Ante vero quam id fiat, haud inutile erit, si paullo plenius, ut iis satisfaciamus, qui fortassis de ea re dubitant, confirmemus, verum esse, quod affirmavimus, *Recinetum* a *Ricina* originem suam ducere. Et quoniam res, quæ indubitato demonstrari nequeunt, conjecturarum ope adstrui & impugnari, scriptoresque in subsidium vocari solent, quando de iis agitur, qui & diligenter & sine odio aut amore veritatem exquisiverunt, nihil ego etiam in medium adducam, quod in gravibus non invenerim scriptoribus, quorum scriptionibus communis eruditorum consensus veritatis & industriæ laudem tribuit, eorumque opiniones conjecturis & argumentis non spernendis communire studebo. *Ptolomæus* quidem, Geographorum princeps, *Ricinam* in *Geographia* sua haud commemorat, licet *Trajanæ* & *Potentiæ* mentionem faciat. Inde tamen urbem hanc in *Piceno* haud fuisse positam, colligi nequit. *Plinius* enim, scriptor gravissimus, in quinta *Italiæ* regione *Ricinenses* & *Osimanos* extitisse scribit, atque adeo hos duos populos non modo in *Piceno* collocat, sed & sibi vicinos facit, ut hodie adhuc sunt. RECINETUM vero à *Ricina* postea ortam esse, cum scriptores, quos jam indicavi, diserte testantur, tum conjectura ex nomine urbis petita valde confirmat. *Ricinetum* enim diminutivum est, ut cum Grammaticis loquar, nec aliud quidquam significat, quam *Ricineta*, quod est, *Ricina parva*. Parva nimirum ab initio hæc urbs esse debuit: si cum *Ricina* tum destructa compararetur, cujus incolas indicati jam auctores in va-

A rias discessisse colonias tradunt. Forte etiam, quod adjungendum erit, populus ipse ab urbe *Ricina*, *Ricinati* dictus est. Cujus nomen quum urbi ab eo exstructæ etiam inditum esset, factum est successu temporis, ut littera I cum A commutaretur, sicque vocabulum *Ricanati* emergeret. Quod vero, quum primum nasceretur *Recinetum*, *Ricineto* vocata fuerit, *Trissini* Poëtæ celeberrimi, testimonio constat, qui *Libro XXVI. Italiæ à Gothis liberatæ* sic loquitur:

Tollentia, Macerata & Ricanato
Quæ tum vocabatur Ricineto.

Aliud argumentum fortissimum sane ex eodem nomine *Ricinetum* nascitur, ut *Recinetum Ricinæ* B ortum suum debere probetur. *Gothorum* tempore non florebat *Recinetum*. Necessario igitur dicendum erit, eam ex quadam earum urbium, quibus *Gothi* exitium attulere, natam esse, nec e *Trajana*, aut *Potentia*, vicinis urbibus. Parum enim prudentes, minusque studiosi patriæ suæ primi illi ædificatores fuissent, si & adoptare & conservare voluissent nomen urbis nulla sibi necessitudine conjunctæ, patriæque suæ, *Ricina* forte antiquioris & nobilioris, nomen in oblivione reliquissent. Fallitur ergo recentior quidam scriptor, qui, dissentientibus tanti nominis viris, ostendere conatur; *Recinetum* non C a *Ricina*, sed a *Trajana* aut *Potentia* originem habuisse. Quam in rem nulla alia auctoritate, quam suo ipsius judicio, suspicioneque quadam tam infirma utitur, ut eam hic proponere & refellere, supervacaneum foret.

Quapropter quum jam satis probatum sit & illustrium scriptorum testimoniis, & idoneis rationibus, *Recinetum* e *Ricinæ*, a *Gothis* excisæ, reliquiis emersisse, restat ut tempus ædificationis ejus, id quod promisimus, investigemus. Est vero illud paullo obscurius, quod multis aliis urbibus, ipsique *Romæ*, licet ea innumerabilium fere scriptorum libris illustrata sit, evenisse no- D vimus. Fieri tamen haud poterit, ut quod volumus consequamur, nisi antea, quinam *Gothi Ricinam* everterint, exploratum erit. Constat enim eos ter diversis temporibus, sub diversis ducibus, diversis occasionibus *Italiam* invasisse.

Primo omnium, si *Eusebium* in *Chronico* & *Joh. Lucidum* in *Tabulis* suis audiamus, Anno Domini 407. Pontifice *Innocentio I.* *Gothi* in *Italiam* venerunt. Occasionem ipsis suppeditabat *Stilico*, Dux fortissimus, tutor & socer *Honorii* Imperatoris. Qui quum occidentis imperium in

Eucherium, filium suum, transferre vellet, consilio huic convenientissimum fore indicabat, si cuncta seditionibus & tumultibus impleret. *Vandalos* itaque, e quibus ipse ortus erat, secreto
5 sollicitabat, ut aliis sibi sociis adjunctis *Galliam* invaderent. Et ut eodem tempore aliis etiam in partibus res imperii turbarentur, efficiebat, ut *Gothis*, qui multos annos auxilio *Romanis* fuerant, injuriæ fierent: quo scilicet illi sumtis armis *Italiæ* bellum inferrent. Id quod ita, ut cogitaverat, accidit. *Gothi* enim, duce *Radagaso*, numero ducentorum millium, *Italiam* ingredientes incredibili eam damno, de quo postea exponetur: afficiebant.

Qui secundo *Gothos* in *Italiam* deduxit, *Theodoricus* fuit. Imperabat is huic genti in *Pannonia*, *Zenoni*que, Imperatori *Constantinopolitano*, in primis carus & acceptus erat, ita ut vita maxime tranquilla & quieta uteretur. Verum gens, in qua dominabatur, rapinis, bellisque adsueta, ab hoc vitæ genere abhorrebat, neque ei molesta esse desinebat, donec permissu Imperatoris, aut, quod alii volunt, ab eo excitatus & impulsus, expeditionem in *Italiam* suscipere promitteret. Placebat hoc consilium *Zenoni*, cui rebus imperii magis conducibile videbatur, si *Italia Theodorico*, amico suo, subjecta esset, quam si *Odoacro*, *Herulorum* Regi pareret, qui, posteaquam *Augustulum* imperio exuisset, eam occupaverat, quod *Procopius* refert. Id quod A. 485. salutis nostræ Pontifice *Felice* III. factum est. Bello itaque exorso, *Thedoricus* præliis quibusdam *Odoacrum* devicit, annoque 491. Rex, possessorque totius *Italiæ*, nemine obnitente, constitutus est. Successerunt ei alii Reges *Gothici*, *Italiæ*que dominati sunt, licet quædam ipsis lites ab imperatoris *Justiniani* ducibus intentarentur, usque ad *Alaricum* secundum.

Totila, eodem *Eusebio* teste, tertius Rex *Gothorum* fuit, qui magna hujus nationis multitudine stipatus *Italiam* adgressus est, plurimis urbibus cladem & exitium adtulit, omniaque ferro & igne devastavit. Quod *Justiniani* ejusdem tempore, Pontifice *Vigilio I.* anno 547. redemtionis nostræ contigit. Superato autem a *Longobardis*, qui sub *Narsete*, *Justiniani* ejusdem præfecto, militabant, & occiso *Totila*, *Teja* ei successit. Hoc etiam brevi tempore a *Narsete* victo & interfecto, anno domini nostri 554. regnum & vires *Gothorum* defecerunt: qui quidem sequenti anno *Italia* prorsus exturbati sunt.

Certum est hoc intermedio tempore, quod centum est & quadraginta octo annorum, *Ricinam* eversam & *Recinetum* extructam esse. Sed quo paullo curatius hujus rei tempus notetur, ob rationes, quas jam adducturus sum statuendum esse jubeo, tempore *Radagasti*, nec alius *Gothorum* Regis, *Ricinam* excisam, ædificationemque *Recineti* paullo post exorsam esse.

Quod *Totila Ricinæ* cladem non intulerit, ex iis, quæ *Sabellicus Libro IV. Octavæ Enneadis* scribit, manifesto efficitur: cum quo plures Historici consentiunt. Is vero refert, capta a *Narsete Roma* anno reparatæ salutis 553. *Tejam*, ultimum *Gothorum* Regem, qui *Totilæ* successerat, e *Lombardia* ad urbi *Arimino*, quam a *Narsete* sibi ereptum iri metuebat, opem ferendam processisse, immunem eam ab incursionibus Imperatoris in *Marchia* præstitisse, ex eaque *Cingulum* & paullo post *Ricinenses*, licet hi satis diu obstiterint, ad deditionem coegisse. Jam si *Ricinenses* non alii sunt quam cives *Ricinæ*, evidens est, eam a *Totila* destructam haud esse, quoniam *Tejæ* adhuc temporibus florebat, iisque prædita erat viribus, ut *Gothorum* Regi victori, quem potentissimus exercitus comitabatur, plurimum negotii
A facesseret. Pariter si per *Ricinenses*, cives *Recineti* intelligi debent, quod *Tarcagnottæ Historiæ suæ Parte secunda Libro VII. Abrahamo Ortelio* in *Thesauro*, aliisque scriptoribus, qui dum de rebus *Recineti* commentantur, incolas *Ricinenses* vocant, visum est, haud verisimile est, *Ricinam* a *Totila* excisam esse. Quod si enim *Recinetum*, ut ex testimonio *Sabellici* constat, quod *Tarcagnotta* sequitur. *Tejæ* tantum tempus restitit, munitam tum fuisse urbem & civibus copiosam, necesse est. Alienum autem a veritate est, *Totilam* brevi illo, quo summæ rerum præfuit, tempore *Ricinam* evertisse, ex hujusque reliquiis ejusdem Regis ævo *Recinetum* exstructam,
B eandemque tam exiguo spatio tantum roboris adeptam esse, ut *Tejæ*, successori *Totilæ*, tamdiu se opponere potuerit.

A *Teja* porro *Ricinam* non destructam esse, ex iisdem *Sabellici* verbis conficitur, qui *Ricinenses* se dedidisse narrat. Ex quo verisimile fit, conservatos eos fuisse. Nam si id haud factum esset, is sine dubio illud non tacuisset, ne imperfectam rerum, quæ tum evenerunt, narrationem relinqueret. *Tejam* vero ultimum *Gothorum* fuisse Regem, jam superius dictum est.

Theodoricus haud meliori jure *Ricinæ* eversor
C dici potest. Nam hic, quum in *Italiam* venisset, ut *Odoacrum* magno robore Regem ex ea expelleret, præliis eum superare studebat, duobusque apud *Aquilejam* & *Veronam* aperto Marte commissis, ingentem rebus ejusdem cladem adferebat. Postremo post trium annorum obsidionem *Ravennam* expugnabat. Quo facto universa *Italia* depositis armis ipsi sese subjiciebat.

Non est ergo, quod dubitemus, *Ricinæ* exitium *Radegasto* tribuendum esse. Qui quidem, licet paullo post quam advenerat & a præfectis Imperatoris & a fame in montibus *Fesulanis* magnam stragem accepisset: nihilo tamen minus,
D quum ducentorum millium exercitu, uti jam diximus, instructus esset, simulut *Italiam* attigerat, multas urbes fluminis instar evertit, testibus *Johanne Lucido* in *Tabulis*, *Jo. Nauclero* in Volumine secundo *Chronographiæ* & *Paulo Diacono Historiarum* Libro XIII. *Paulus Orosius* Lib. VII. Cap. XXVI. *repentino impetu Rhadagaisum totam Italiam inundasse* scribit (1). *Leonardus Aretinus* in *Historia Gothorum* disertius adhuc *Radagasum* urbem *Orbisaglia* evertisse narrat, quæ decem aut duodecim milliarium spatio tantum a *Ricina* distabat. Qua calamitate reliquas *Piceni* urbes & ipsam *Ricinam* eumdem adfecisse, cre-
E dendum est, quoniam belli ita flagitabat ratio, ut nullum alicujus momenti locum a tergo suo relinqueret. Licet vero nec *Aretinus*, nec alii Historici ullam omnium urbium a *Radagaiso* de- 6
structarum mentionem faciant, nostra tamen conjectura ex eo haud fit infirmior. Nam quum tot ille provinciæ hujus urbibus exitii caussa fuerit, *Ricinæ* hujus devastatio nulli alii tribui potest. *Alaricus* quidem paullo post cum alio magni numeri exercitu *Italiam* invadebat, ac imperatore *Honorio Ravennæ* præsente *Romam* occupabat. Verum quum is mox versus *Siciliam* navigaverit, marisque injuriis in littus *Calabriæ*
F ejectus *Cosentiæ* paullo post diem obierit: nullum *Piceno* damnum intulisse credi potest. *Athulfus* autem, qui in imperio eum excepit & secundo *Romam* expugnavit, precibus conjugis suæ *Placidiæ*, sororis imperatorum *Arcadii* & *Honorii*, mitigatus, pacem cum *Honorio* fecit, *Italia*que relicta in *Hispaniam* trajecit; ubi alii *Go-*

(1) Non cap. XXVI. sed XXXVII. Libri VII. *Orosii* p. m. 590. ed. *Mogunt.* 1615. hæc *Orosii* verba reperiuntur.

Gothorum Reges ipſi ſucceſſerunt, *Italia*que tum temporis a Barbaris liberata fuit.

Adfirmari itaque poteſt, ædificationem *Recineti* eo contigiſſe temporis ſpatio, quod a morte *Radagaiſi* uſque ad *Theodorici* irruptionem defluxit, quod octoginta prope annos complectitur. Nam, quum eo durante *Gothi Italia* abfuerint, cives *Ricinenſes* de nova ſibi ſede commode proſpicere poterant. Præciſe quidem tempus definiri non poteſt: credibile tamen eſt, non diuturnam eos moram interpoſuiſſe, eo quod ob patriæ cladem & ruinas omnibus vitæ neceſſitatibus carerent. Veritati igitur conſentaneum eſt maxime, quod, quum *Radagaiſus* A. 407. *Italiam* ingreſſus & brevi devictus & occiſus ſit. *Ricinenſes* A. 410. aut 412. antiqua patria, quæ in planitie ſita jamque everſa erat, derelicta in collem decem milliaria ab illa remotum ſe receperint, in quo ex quorundam ſententia exiguum ſed antiquiſſimum caſtellum fuit *Elia Servilia* aut *Ala Servilia* vocatum, ab illo fortaſſis *Ahala Servilio*, qui, ut patriæ *Romæ* beneficium præſtaret, *Spurium Melium*, tyrannidem adfectantem, de medio ſuſtulit, ibique *Ricinetum* hodie *Recinetum* exſtruxerint, antiquæ urbis nomine, quod ſupra diximus, retento. Quamquàm mihi prope magis perſuaſum eſt, *Trajanam* eo loco extitiſſe, de quo inferius exponam. Collis amœnitas, ſpatioſi circum eum jacentes campi, duorum fluviorum opportunitas, vicinia maris, facilitaſque ædificandi, eo quod collis hic arena, ſabulo, creta ad coquendos lateres aptiſſima, maximiſque ſilvis abundaret, facile *Ricinenſes* inducere potuerunt, ut hunc collem eligerent locisque vicinioribus præferrent, licet paullum remotior a *Ricina* eſſet, relictis exciſæ patriæ cæmentis & reliquiis iis, qui eos comitari nolebant: quos alias deinde civitates condidiſſe certum eſt. Qualiſcumque vero de ædificationis tempore ſententia obtineat, id dubio caret, quum *Ricinetum* a *Ricina* deſcendat, eam ſanguinis *Romani* propaginem eſſe. *Ricina* enim *Romana* fuit colonia, ut ex antiquo lapide colligitur, qui hodie adhuc *Maceratæ* conſervatur cum hac inſcriptione: IMP. CAES. L. VER. AVG. F. D. PII. NEP. D. ADRIAN. PRONEP. D. TRAJANI PARTH. ABNEP. D. NERVAE ABNEP. L. SEPTIMIO SEVER. PIO PERTINACI. AVG. PARTH. MAXIMO. ARABIC. ET ADI. ABEN. PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. XI. CON. III. P. P. COLONIA HELVIA RICINA CONDITORI SVO. Animadvertendum eſt in hac inſcriptione, quod licet colonia SEVERVM conditorem ſuum vocet, quod proprie idem denotat, quod *ædificator*, *auctor*, hyperbolem tamen id eſſe, ſeu adulationem, iſtis temporibus conſuetam. Veteres nimirum, quod *Leander* etiam libro jam indicato obſervat, *condere* ſæpe ponebant pro *inſtaurare*. Certum enim eſt, diu ante *Septimii Pertinacis* imperium eam fuiſſe conditam, quum *Plinius*, qui *Veſpaſiano* regnante floruit, populorum *Ricinenſium*, quod jam diximus, mentionem faciat. *Pertinax* autem ille, quod *Petrus Meſſias*, aliique, qui vitam ejus

A conſignarunt, commemorant, ſtudio magnificarum & ſumtuoſiſſimarum ædium exſtruendarum in primis ducebatur (1). Cui quidem præcipue obtemperabat, quum, ſedato bello & conjurationis a *Plancio* (2), filii ſocero, initæ periculo evitato, quaſdam *Italiæ* urbes inviſeret. Tam ſeſe humanum in hac viſitatione præbuit, ut minime mirandum ſit, quod, quum *Ricinam* veniſſet, colonia illa *Helviæ* prænomen ſumſerit, eumque hac inſcriptione honeſtaverit. Accedit his, quod, ſi hic Imperator urbem hanc ædificaſſet, Hiſtorici, qui egregii Imperatoris magnarumque rerum auctoris laudem ipſi tribuerunt, tanti
B momenti negotium non ſilentio præteriiſſent. Mentionem illi fecerunt *Septizonii*, quod, ut ſepulturæ ſuæ locus eſſet (3), condidit. Magnificum illud quidem opus erat, & ad *Sixti* V. uſque tempora duravit, qui illud dejici juſſit: non tamen erat comparandum cum univerſæ cujuſdam urbis ædificatione (4). Licet autem *Panvinius* in *commentariis* ſuis *Riciniam* in coloniarum *Romanarum* numerum haud referat, ex eo tamen non efficitur, eam coloniam non fuiſſe, quum ex jam adlata inſcriptione id perſpicuum ſit. Quam ſi ille vidiſſet, non dubito, quin & huic ſuum in coloniis locum adſignaſſet, quemadmo-
C dum urbi *Jeſi*, de qua dicit, non aliunde ſibi conſtare, eam fuiſſe coloniam, quam ex inſcriptionibus nonnullis, quas refert. Imbecillis eſt argumentatio, hic aut ille hujus rei mentionem non facit, ergo illa non fuit. Nemo enim unus omnia ſcire aut videre poteſt.

Hactenus a me demonſtratum eſt, quantum in tanta ſcriptorum obſcuritate licuit, quo tempore *Recinetum* fundatum eſſe potuerit. Jam ad ſitum ejus, res in ea notabiles, quæve illi acciderunt, regiminis formam, aliaque quæ ad pleniorem ejus notitiam pertinent, enarranda pergo. 7
Quæcumque vero expoſiturus ſum, ex optimæ
D fidei Hiſtoricis, chartis authenticis, ex nonnullis etiam maximorum Pontificum diplomatibus hauſi, quibus veritatis ſtudioſi contradicere nequeunt.

Sita eſt *Recinetum* in colle alto & longo, verum amœno, inter duos amnes *Potentiam* & *Moſcione*. Ab *Adriatico* mari quinque paſſuum millibus diſtat, a primis *Appennini* montibus prope viginti millibus. Figura non diſſimilis eſt Græcæ litteræ ξ. quoniam per collis dorſum ad mille & quingentos fere paſſus ita ſeſe extendit, ut variis modis incurvetur. Satis in quibuſdam locis lata eſt, at in nonnullis tam conſtricta, ut unicæ tantum viæ majori locum faciat, quæ ta-
E men ſatis ampla eſt & multas ex utraque parte vias minores habet. Spatioſæ autem ejus regiones, quæ & nomine & ſitu caſtellorum gaudent, pluribus viis abundant. Nihilo tamen minus quum ii, qui *Lauretum* commigrant, per viam primariam a porta epiſcopali ad portam maritimam tranſeant, exiſtimant, hanc unicam urbi viam eſſe, quæ tamen vix tertiam longitudinis ejus partem conficit. Quoniam autem tam late extenſa eſt, tredecim utitur portis, incolarum in primis opportunitatibus, quo agros poſſeſſioneſve ſuas commode viſitare poſſint, adcommodatis. Nam quum collis ille non unum vallem faciat,
F mul-

(1) De *Septimio Severo*, qui ſæculo ſecundo & tertio rebus Romanis præfuit, non de *Pertinace* hic agi, Hiſtoriæ periti facile intelligent. Adoptavit autem *Severus*, quum ad imperium extolleretur, nomen *Pertinacis*, eo quod milites ita vellent. vid. *Herodianus* Lib. II. C. x. p. m. 98. ed. *Bœcleri*. De ſtudio ejus ædificandi videantur ceterum *Dio* Lib. LXXVI. p. 740. in excerptis *Valeſianis* *Spartianus* in vita Severi c. XXIII. p. 190. *Zoſimus* Lib. I. Hiſt. p. m. 332. Pleni ſunt de ejus fatis Hiſtorici illius ætatis. Anno autem CCIV. ex eruditorum virorum computatione, *Severo* jubente, de medio ſublatus eſt.

(2) Hunc *Plancium* nullum alium eſſe quam celeberrimum in Hiſtoria *Severi Quintillum Plantianum*, principem imperatoris amicum, & *Caracallæ* ſocerum, facile apparet.

(3) Quo auctore id noſter referat neſcio. Id ſcio *Severum* non *Septizonii* ſed *Antoninorum* ſepulcro illatum eſſe. vid. *Spartianus* vita Severi C. XXIV. p. m. 191.

(4) Illuſtratur auctoris ſententia & maxime confirmatur ex eo, quod *Dio* in excerptis *Valeſianis* p. 742. 743. narrat, *Severum* inſtauratis a ſe ædificiis nomen ſuum inſcripſiſſe, acſi primus a fundamentis ea exſtruxiſſet. Quid mirum, ſi hoc verum, eum conditorem coloniæ *Ricinenſis* vocari etiam voluiſſe?

multi necessario exitus requiruntur. Turbulentis vero temporibus illæ ex his portis occluduntur, quæ peregrinis non inserviunt. Propter situs altitudinem omnibus fere ventis, quamquam non omnes partes ejus, exposita est, optimoque idcirco cœlo fruitur. Quare etiam provinciæ gubernatores, quando æstivo tempore loca quærunt amœna valetudinique salubria, aëre *Recinetensi* præcipue delectantur. Altera ex parte orientem spectat & deinde versus meridiem inclinatur, altera vero septentrionem ac deinceps occidentem versus vertitur. Latera urbis, quæ *Appenninum* spectant, Austri, Libanoti, & Favonii quæ mare, *Apeliotis*, Græci & Aquilonis flatus sentiunt. Poli ejus altitudo ex communi Cosmographorum & Astrologorum consensu est quadraginta trium graduum & fere dimidii. Quod ad meridianum vero attinet, non una omnium est sententia. Juxta *Petrum Appianum* habet triginta sex latitudinis gradus & quadraginta, ut vocant, minutas. *Ptolomæus* vero triginta septem gradus & quindecim minutas computat: tot enim *tertio Geographiæ* suæ *libro Potentiæ*, urbi antiquæ, sed jam destructæ, cujus vestigia in *Recinetensi* tractu ad maris littus quinque ab urbe milliaria adhuc conspiciuntur & ad nostrum usque tempus priscum nomen servant, tribuit. *Clavius Commentario ad Sphæram Anconæ* triginta octo gradus & triginta minutas longitudinis adscribit: unde sequitur, *Recineto*, quæ ad quindecim millia passuum orienti propior est, triginta octo gradus & triginta sex minutas adscribendas esse. At *Ptolomæus*, uti in *Germania* formis descriptus est, *Anconæ* non plus triginta sex gradibus & triginta minutis assignat. *Magini* in *tabulis motuum cœlestium* ex quorumdam, ut ipse ait, opinione, quadraginta gradus longitudinis *Recineto* tribuit: quamquam in *Ephemeridibus* suis *Appiani* computationem sequitur. Licet vero ita de meridiano urbis dissentiant, minimum tamen Geographi & Astronomi circa polarem ejus altitudinem consentiunt, aut certe parum inter se differunt, juxta quam climatum & parallelorum situs definiuntur. Sita est secundum hanc altitudinem urbs in medio quinti climatis, parallelo decimo quarto; unde efficitur, longissimam diem esse quindecim horarum & quintæ horæ partis, situm autem ejus temperatissimum. Collis, in quo posita est, asper & difficilis iis videbitur, qui *Romanam* viam tenent; verum ea ex parte, qua ad mare spectat, tam facilem habet descensum, ut planitiei nihil cedat. Ob eminentiam ejus pulcerrimus ex eo prospectus est, ita ut matutino tempore, aëre sereno, *Sclavoniæ* montes, terræque & urbes vicinæ per multa milliaria inde videri possint. Montes, mare, flumina, colles, planities tam virides sunt, tamque amœni, ut totidem bellissimas picturas referant. Tractus ejus a mari versus *Apenninum* in locis nonnullis duodecim, in aliis decem milliaria longus est: latitudo est septem, sex, quinque, quatuor milliarium, prout duo illa flumina, quæ diximus, aut viciniores sibi, aut remotiores a se interdum sunt. Hi fluvii maximam partem terminos limitesque ejus constituunt. Nonnullis tamen in locis etiam per medium tractum fluunt. *Recinetenses* enim incredibili sumptu & labore antiquos eorum fluxus immutarunt, flumenque *Potentiam*, quo portum construere possent, de quo dicemus postea, duo prope milliaria ab antiqua ejus sede derivarunt, *Moscionem* autem totidem milliaria a se, versus turrem *Aspensem* removerunt, quoniam in valles quosdam *Laureto* vicinos se præcipitando aërem corrumpebat. Habet ceterum hic tractus alios etiam, & quidem perennes, rivulos, multosque aquæ saluberrimæ fontes, qui & incolarum & animalium commodis serviunt. Totus fere est fertilissimus & agriculturæ aptissimus, paludibus etiam, si exiguos quosdam haud procul a mari excipias, plane vacuus. Planities tritici, omnisque generis frumenti ferax est, nec minus pratis fœnum producentibus abundat. Colles vallesque oleis vineisque sunt obsiti: unde quovis anno frumentum, vinum & oleum in alias regiones transmittunt. Vina alba plerumque sunt *Albanorum*que & *Centolensium Romanorum* non dissimilia: nonnulla etiam rubicunda sunt: quin & uvæ Apianæ admodum delicatæ ibi reperiuntur. Oleum est dulcissimum, ac *Tivolensi* nullo modo cedit: quare & magna ejus fama, magnumve in aula *Romana* pretium est. Fructus omnis generis optimo sapore præditi hic reperiuntur: sigillatim vero ficus, quas *Cori* vocant, commendantur. Licet enim non uno in loco provinciæ hujus illæ reperiantur, ex omnium tamen, qui gustu valent, sententia *Recinetenses* omnibus aliis præstant. Cortex est viridis, interius autem rubent, granulisque paullo grandioribus interstinctæ sunt, verum tam grati saporis, ut cum *Brogiottensibus*, *Romæ* adeo celebratis, certare possint: quibus quidem majores sunt & sæpius per totum mensem Novembrem in arboribus perdurant. Sed de harum ficuum, aliorumque hujus tractus fructuum præstantia & bonitate *Innocentius* VIII. Pontifex, testis est in peculiari diplomate, quod *Recinetenses* in tabulario suo conservant. Est vero hoc:

Dilectis filiis prioribus populi & Communi Civitatis nostræ Recanaten. Innocentius Papa VIII. Di- 8
lecti filii sal. & apostolicam benedictionem. Accepimus libenti animo fructus, quos ad nos misistis, & libentiori utemur illis, grati enim sunt saporis, & multum nobis conveniunt. Præterea a vobis mittuntur, quorum fidem & devotionis sinceritatem erga nos & S. R. E. probavimus semper. Itaque commendamus vos in Domino, sed non propterea absolvimus, & liberamus vos ab onere mittendi ad nos de ficubus vestris, quas alias sumus experti esse optimas, & inter alias ficus excellere, adhoc ut magis ubertatem agri vestri & fertilitatem laudare possimus, qui non unius tantum, sed omnis generis fructuum & quidem optimorum abundat. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 3. Februarii 1487. Pont. nostri anno 3.

Habet præterea hic tractus bonos melones, tantamque olerum copiam, ut vicinis terris de ea impertiat. Noxiorum animalium perpauca hic inveniuntur: lupi perrari sunt: vulpes non adeo multiplicantur, quoniam perpetuas eis insidias venatores struunt, qui canibus venaticis eximiis instructi sunt. Domesticorum vero animalium & volatilium quoque omne genus hic vivit. Non desunt pisces sive marini, sive fluviatiles: quorum, ut & fructuum, ingens copia a vicinis regionibus exportatur. Pagis tantum duobus urbs dotata est: attamen multæ passim habitationes hominum operariorum dispersæ conspiciuntur. Quibus labori non sufficientibus, alii ex monte ad vineas colendas, messemque colligendam descendunt. Sylvis, ex quibus ligna cædantur, minime caret; maxime tamen ligno utuntur oleaceo, cujus magna ibi est abundantia. Per totum tractum permultæ turres antiquæ, reliquiæ & vestigia castellorum suorum, hodie quidem destructorum, sed antiquum tamen nomen adhuc conservantium conspiciuntur. Duo tamen castella munita cum turribus suis integra perstiterunt. Quorum alterum ad mare, ubi flumen *Potentia* se exonerat, situm, *il Porto* dicitur, lignorumque, quæ eo loco appellunt, tuendorum caussa conditum est. Alterum *Montesiore* vocatum monti vicinum est finibusque defen-

fendendis inservit. Tribus ab urbe milliaribus est sanctissima domus beatissimæ virginis, matris Domini nostri Jesu Christi, de qua suo loco dicetur. Quinquaginta fere anni elapsi sunt, ex quo in loco quodam, *Montirone* dicto, mille & quod excurrit passus a *Ricenetovremoto*, quum arborum aut vinearum plantandarum causa fossæ fierent, locus sepulturæ hominis cujusdam ex gente *Lucilia* detectus est: cujus gentis *Fulvius* etiam *Ursinus* libro *de familiis Romanis* meminit. Adjectus erat lapis, qui, licet fractus, in domo Domini *Venieri Vinierii* hodie conservatur, cum hac inscriptione:

C. LVCILIVS. C. F. VEL. VINDEX. MILES. CHOR. VI. PRAET. VIXIT ANN. XXX. MILITAVIT. ANNIS. XII. PRINCIPALIS. BENEFICIARIVS. TRIBVNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA. HOC. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT. HONORIS. PIETATISQVE. - - - ET. C. LVCILIO. SECVNDO. PATRI. ET. LORE. - - - TI. MATRI. ET. - - - - AE. AVIAE. EX. H - S. ∞ ∞ PRAELEGATIS. Notandum est lapidi eo loco, quo puncta conspiciuntur, aliquid deesse: nec ullo modo partes amissæ recuperari potuerunt. Ubi vero nulla sunt puncta, ibi vera lapidis scriptura exhibetur. Retulit hanc inscriptionem *Panvinius* in *commentarios* suos, ubi de *Romanis* tribubus agit, in *Tribu Velina*. Verum nonnullæ in ea, uti is eam exhibet, voces desiderantur, nonnullæ, quæ hodie in ea non extant, ab eo integræ exprimuntur. Forte quo tempore ille scribebat omnes lapidis partes adhuc aderant: at nescio, quomodo aliæ illæ voces deficere potuerint. Qui certus hujus rei cupit esse, locum, quem indicavi, evolvat. Ego quidem inscriptionem non aliter sese habere, quam eam hic repræsento, certissimus sum, quoniam hac manu mea eam descripsi. *Pyrrhus Ligorius*, antiquitatum non minus peritus, in epistola quadam, quam manu ejus exaratam servo, paulo aliter eamdem refert, suoque eam proposito accommodat: sed de hoc, quando ad *Laureti* descriptionem venero, expositurus sum. Quædam ejus etiam *Justus Lipsius*, vir cujus pauci hodie similes sunt, recitat *Libro II. de militia Romana Dialogo octavo*, occasione verborum OPTIO IN CENTVRIA. Quod quidem hominum genus vicarios seu legatos centurionum fuisse ostendit. Patet ergo *Lucilium*, cujus hoc sepulcrum fuit, sextæ fuisse cohortis (quæ & *Chors* & *Cohors*, teste *Lipsio* ejusdem libri dialogo secundo vocata fuit) *Prætoriana* tum dictæ, eo quod prætori præsidii loco erat, militem fortissimum, qui magnam virtute sua famam adquisiverat, & ex Beneficiario centuriæ legatus factus erat. Ceterum de vocabulo OPTIO *Joh.* quoque *Rosinus Antiquitatum Roman.* Libro nono commentatur. Quod autem *Panvinius* & *Ligorius* ex voce VEL. concludunt, ex tribu eum *Velina* fuisse, non tam facile admittendum esse puto. Credi enim potest ob sequens vocabulum VINDEX, fuisse eum ex militiæ *Romanæ* velitibus, aut eorum defensoribus, VELITVM VINDEX. Qua vero ratione vox VELINA cum vocabulo VINDEX conciliari possit, equidem non intelligo. Sed hæc sufficiunt ad conjecturam faciendam, eam ibi urbem, de qua mox dicam, olim extitisse. Reperiuntur circa eumdem locum sæpe numero, & hodie adhuc, varia, eaque nobilissima antiquorum operum vestigia. Quæ quidem viro cuidam docto conjiciendi locum fecerunt, *Trajanam* urbem ibi quondam fuisse sitam, quam *Ptolomæus* tertio *Geographiæ* suæ libro inter mediterraneas *Piceni* urbes collocat, cuive longitudinis (ut Cosmographorum vocabulo utar) gradus triginta sex & minutas triginta, latitudinis quadraginta tres gradus, viginti minutas tribuit. Congruunt hi gradus fere cum longitudine & latitudine *Recineti*. Quod quidem effecit, ut pro certo prope habeatur, *Recinetum* reliquiis *Trajanæ* illius, cui *Ælia* illa *Servilia*, de qua superius diximus, vicina erat, superstructam esse. Ego 9
quidem lubens huic sententiæ adstipulor: Nam quum *Ptolomæus Trajanam* in *Piceno* ponat, nec ullus alius scriptor, quo loco ea sita fuerit, indicet, nihil est, ut ego sentio, quod nos certiores possit reddere, ubi ea steterit, quam Poli, cui subjacet, conditio.

Nonnulli etiam existimant, antiquorum montem, *Cupra* dictum, cui *Ptolomæus* longitudinis gradus triginta sex & triginta minutas, latitudinis gradus quadraginta sex & decem minutas adsignat, in hoc tractu extitisse. Quod si ita est, certe a *Recineto* non multum abfuit. Hanc autem opinionem maxime reddit probabilem, quod hodie haud procul ab hac urbe collis quidam inveniatur *Montarace*, olim fortasse *Mons Arcis*, dictus, cum multis antiquorum murorum reliquiis & vestigiis. Et quod magis adhuc observandum, exiguus quidam vallis, in quem collis iste desinit, hodie adhuc *Vallis Cupræ* nuncupatur, pars vero agri ei finitimi *il campo della piazza* dicitur. Ex quo intelligi debet, *Volaterrani*, quem *Maginus* sequitur, aliorumque opinionem haud stare posse, qui *Trajanam* & *Potentiam* unam eamdemque urbem fuisse volunt. *Ptolomæus* enim & sejungit eas, & diversam eis longitudinem & latitudinem tribuit: quin alteram, uti jam dictum, in mediterraneis, alteram in maritimis urbibus numerat. Quamquam & hoc verum est, collem illum *Montarce*, qui ad duo mille passus tantum porrigitur, non longe a reliquiis *Potentiæ* remotum esse. Quod suspicandi occasionem præbet, urbes hasce, licet primo separatas, postea conjunctas fuisse, ac in hoc colle propugnaculum earum, cui non dissimilis est, extitisse. Latine *Mons Arcis* dictum.

Nec alia antiquitatis monumenta in hoc tractu desunt. Pauci anni sunt, quum in agris nonnullis castello *Monte Fiore* vicinis numi quidam cuprei, quorum pondus paullo levius libra erat, reperirentur. Quorum quidem altera pars *Janum* ostendebat bifrontem, altera proram, sive puppim navis, cujus inventionem, *Fulvio Ursino Præf.* ad librum *de familiis Romanis* teste, quidam *Jano*, alii *Saturno* tribuunt (1). Libræ habebant pondus ejusmodi numi, quamquam hi, quod diximus, paullo leviores erant. Valor eorum assis erat, quod *Dionysius Halicarnassæus Libro I. Historiæ suæ* testatur. Quare & *Romanis* æs grave dicebantur, qui, *Livio*, illustri scriptore, referente *Libro quarto*, plaustris in ærarium eos deportabant (2). Inventi sunt etiam cum

(1) *Thuscos* insigne navis *Jano* tribuisse, æsque ita quondam signatum fuisse, ex *Macrobio Saturn.* Lib. I. Cap. VII. *Ovidio* Fastor. Lib. I. v. 229. S. *Plutarcho* Quæstionibus Romanis, Quæst. XLI. Tom. II. p. 575. aliisque constat. Id vero ideo factum esse, veterum erat opinio, non quod *Janus* naves invenerit, sed quod navigio in *Italiam* advectus sit. *Ovidius* Fastor. Lib. I. v. 239.

At bona posteritas puppim formavit in ære
Hospitis adventum testificata Dei.

Quamquam *Plutarchus* l. c. hanc rationem rejicit, aliamque. Sed longe minus verisimilem, adfert.

(2) Judicent, qui possunt, an ex verbis *Livii* Libro IV. C. LX. p. 182. ed. *Arnoldi*, quæ subjicio, recte colligatur, id numorum genus plaustris ad ærarium perlatum fuisse: *Patres*, inquit, *bene cœptam rem perseveranter tueri: conferre ipsi primi: & quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidem ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant.*

cum his alii numi dimidio minimum minores, signati ex altera parte capite laureato, ex altera eadem navis sive prora sive puppi. Nos utriusque generis in museo nostro adservamus, qui licet ea sint antiquitate, ut ad tempora *Romanorum* Regum ascendant, satis integri tamen & venusti sunt. *Romani* enim non ante tempus belli cum *Pyrrho* argentum signarunt, quod anno 480. post urbem conditam gestum fuit, testante *Plinio* Lib. XXXIII. Cap. III, annis 273. ante natum Servatorem, *Panvinio* in *Fastorum* libris notante, aut, ut alius quidam scriptor in *Chronologia* sua computat, annis 271. At horum numorum usus multis sæculis antiquior est. Ceterum quod ad explicationem eorum attinet, quoniam hic eam sistendi locus non est, lectorem remittimus ad *Guilielmum Choulium* libro *de antiquorum Romanorum religione*, ad *Antonium Augustinum Dialogis de numis* & *Budæum*, (1) qui copiose de iis commentatur. Nihilo tamen minus in curiosorum gratiam picturam eorum hic adponi curavi:

A



In eadem regione ante plures annos multi numi argentei *Diocletiani*, duodecimi *Romanorum* imperatoris, reperti sunt.

Sed ut ad ipsam urbem revertar, longe amplior olim ea fuit, quam quidem hodie est. Nam videbantur quondam & in hunc usque diem
10 videntur columnæ & arcus quinque vel sex portarum veteris urbis, quæ a portis urbis hodiernæ tantum distant, quantum sagittarius arcu aut bombarda consequi potest. Unde sine dubio efficitur, longe majorem olim eam fuisse & ex maximis & primariis totius provinciæ urbibus. Qua de causa etiam *Fridericus* II. Imperator tanti eam fecit, ut, quum ab obsidione *Hierosolymarum* reverteretur, quod A. 1229. factum est, ut ex privilegii tabulis constat, in tutelam imperii eam reciperet, seque libertatem ipsi conservaturum esse polliceretur: nec minus quæ ablata erant restitui curaret, omnique eam tributo, levi quadam pecunia, quovis anno solvenda, excepta, liberaret. Idem duo flumina *Potentiam* & *Aspi* urbi donavit, quorum hoc cum fluvio *Moscione* sociatum nomen amittit, ac in mare postea se præcipitat. Adjunxit his præterea portum & ripam maris illius, una cum aliis prærogativis longe nobilissimis: atque hæc se beneficia urbi præstitisse testatur, cum ob varia officia ab ea jam accepta, cum ob alia, quæ a civibus ejus in posterum expectet. Conservantur hæ Imperatoris litteræ, in membrana scriptæ, in urbis tabulario. Vetustas quidem eis aliquantum nocuit: verum non ita, ut non commode,

B quid velint, legi possit. Ego quidem ipsa earum verba idcirco adscribere nolui, quoniam, ne legentibus tædio futurus essem, verebar. Aureum ceterum ex iis sigillum pendet, cujus altera facies effigiem Imperatoris throno insidentem sistit, additis hisce verbis: *Fridericus Dei gratia Ro. Imperator semper Augustus*, altera arcis imaginem, hac cum inscriptione: *Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.* Inferiori in diplomatis parte peculiare signum ‡ est, his verbis adjectis:

Signum Domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper Augusti Hierusalem, & Siciliæ Regis gloriosissimi.

‡ Vide supra fig. sic (*) signatam.

C Sed ut omne de valore hujus diplomatis dubium tollatur, sciendum est, quod, quum *Gregorius Nonus Marcam* a præfectis hujus *Friderici* metu perculsis derelictam recuperasset, idemque Imperator, in gratiam cum sede *Romana* rediturus, pro illatis damnis magnam auri vim ei numeraret, hic Pontifex omnia, quæ Imperator urbi concesserat, non modo auctoritate sua confirmaverit, verum etiam majora adhuc beneficia, ad resarcienda, quæ a *Friderico* Imperatore *Entio*que filio ejus acceperat, detrimenta, ei contulerit. Sic enim ipsa diplomatis, curante Cardinale *S. Laurentii* in *Lucina*, Legati Pontificii *Marcæ* præfecti obtenti, sese habent:
D *Pro fide Racanaten. erga statum Ecclesiæ & pro damnis perpessis a Frederico dicto Imperatore, ac Entio filio dicto Rege & sequacibus Ecclesiæ Rom. persecutoribus, concedit Thomæ Bernardi Gozi & Bonaventuræ Aldejurandi scindicis communis Rachaneti*

(1) *Libro de Asse* sine dubio. Qui tamen de ære quidem veterum signato & non signato erudite commentatur, at de hisce numis, de quibus hic agitur, sigillatim haud verba facit. Sed & hoc fortasse vir eruditus haud dicere voluit.

neti portum in riva maris facere & operari & habere a flumine Aspiæ in flumine Potentiæ, & in ipsis fluminibus & ipsa flumina & Musionis fluvium conducere, removere, & derivare ad loca & per loca apta ad portum, non obstante alicujus contradictione, & quæ sequuntur. Hic ipse, quem dixi, Cardinalis, quum postea A. 1243. Pontifex maximus sub nomine *Innocentii IV.* creatus esset, denuo hoc privilegium auctoritate sua confirmavit. Hic ille fuit Pontifex, qui princeps Cardinalibus, ut purpureo uterentur pileo, concessit. Quoniam autem semel ad hanc rem delati sumus, id adhuc notandum est, A. 1339. tempore *Benedicti* XII. novum veluti splendorem hoc accepisse diploma. Qui tum enim provinciæ præpositus erat invento eo & perlecto peculiari illud decreto confirmavit. Jam desertum paulisper rerum narrandarum ordinem repetam. Temporibus igitur *Friderici* hujus II. Imperatoris & Pontificis *Gregorii* IX. detestandæ *Guelforum* & *Gibellinorum* factiones exortæ sunt, quorum illa sedi Pontificiæ, hæc imperio favebat. Quæ quidem factiones non modo *Hetruriam*, in qua natæ erant, verum totam *Italiam* multis calamitatibus afficiebant. Hinc & *Marca* generatim & sigillatim *Recinetenses* variis premebantur malis, præsertim quum & intestinis bellis, & externis cum *Osimanis* & *Anconitensibus*, cum quibus jam multos annos de finibus litigaverant, hi exercerentur. Inter hæc vero mala Deo optimo maximo placuit populum suum invisere, urbemque *Recinetum* incomparabili & numquam perituro thesauro beare. Curabat enim, ut A. 1294. die X. Decembris sanctissima domus beatissimæ & immaculatæ virginis, matris Christi, prodigiosa plane ratione in hujus urbis tractum a geniis transferretur. Valde memorabilis hic dies est *Recinetensibus*, quem etiam idcirco quotannis solemni ritu celebrant. Sed de celeberrimo hocce loco hic pluribus haud commentabor: maxime quod pater meus *Hieronymus Angelita* librum de eo peculiarem formis describi curaverit. Qui, quod Latina lingua consignatus esset, tanto cum adplausu ab omnibus gentibus exceptus est, ut editionis, quam ipse emiserat, exemplis deficientibus, ego procerum multorum rogatu denuo eum edere coactus sim. Post hunc *P. Horatius Tursellinus* de hac domo scripsit, qui nonnulla etiam de donis & miraculis, patris mei libro posterioribus, addidit. Ut sanctissima hæcce domus eo tutior, ac qui religionis caussa eo peregrinantur metu vacui essent, *Recinetenses* celebre illud castellum *Lauretanum* condiderunt. Et licet summi Pontifices paulatim jus eorum in hanc domum diminuere studuerint, nihilo tamen minus in hunc usque diem patroni & maximæ partis hujus domus & possessionum ejus exsistunt. Lites interea cum *Osimanis* non desinebant, donec A.
11 1300. tandem concordia restitueretur, pace in manus Cardinalis *Neapolione*, Legati *Marcæ*, stipulata. Conditiones pacis hæ erant: Injuriarum ex utraque parte illatarum memoriam plane delendam esse, ita ut hucusque diffidentes, bonorum instar vicinorum, in posterum viverent. *Recinetenses* in civium & incolarum suorum numerum homines *Osimanenses* & *Montefanenses* minime recipere debere: idem *Osimanenses* circa *Recinetenses* facturos. Sicarios & latrones utriusque partis comprimendos esse. Fructus aliaque, quæ ad victum pertinent, ab utraque parte sine ullius vectigalis solutione, tam mari, quam terra exportari posse *Osimanenses* in castello *Montefanensi*, qua ad castellum *Montagli* spectat, nihil novi ædificaturos, aut ut ab aliis ædificetur, permissuros esse: idem *Recinetenses* in castello *Montagli*, qua parte ad *Montefanum* spectat, observaturos esse. De possessionibus, quas cives alterius urbis in alterius tractu teneant, omnia tributa & vectigalia solvi debere, exceptis iis, quæ præteritis temporibus fuissent numeranda, a quibus utraque pars immunis esse deberet. Ab utraque parte melioris amicitiæ caussa juribus esse renuntiandum, quæ *Osimanenses* in castellum *Montagli*, *Recinetenses* in castellum *Montefano* habere dicantur. Et quo hæc omnia eo majori essent firmitate & constantia, fines utriusque urbis definiebantur, ita ut, hac litis occasione sublata, diu bonorum vicinorum & amicorum more vixerint. Interea *Recinetenses*, ob lites, quæ cum *Anconitensibus* ipsis intercedebant, partim finium caussa, partim quod altera civitas latronibus perfugium præberet ex altera parte turrim *Alpi* versus mare ædificabant, sicuti antea *Montefiore* castellum versus montes condiderant, propter finium, ut dicebant, defensionem: anno tamen 1302. exeunte his etiam litibus finis est impositus. Quum igitur non esset, in quo exercerentur, idem illis, quod *Romanis* olim, quum bella *Carthaginensia* desiissent, accidebat. Bellis nimirum intestinis ortum dabant; in quibus tantum factio *Gibellina* eminuit, ut, posteaquam omni injuriarum genere episcopum adfecisset, nec propriis pepercisset bonis, A. 1315. factionem *Guelforum* urbe prorsus expelleret, civitasque penitus ita in *Gibellinorum* potestate relicta esset. Erat hic idem ille annus, quo *Pisani* die trucidationis *Joannis Baptistæ*, ingenti *Florentinis* clade illata, *Montem Catinum* expugnaverunt: quod quidem ex antiqua quadam chartá manum exarata didici, cum qua *Tarcagnotta Historiæ* suæ parte secunda Libro XV. consentit. *Gibellini* igitur urbem tenuerunt usque ad A. 1322, ut ex rerum gestarum ibi serie colligitur. Nam A. 1317. Pontificis quidem exercitus castellum *Johannis* cepit, (quod eo loco erat, ubi hodie ædes ipsi dedicata est) & ad terras usque Episcopi penetravit: verum ulterius non poterat procedere, quoniam ingenti prælio, in quo multi occidebant equites *Marcæ*, fundebatur. Anno vero 1320. *Gibellini*, pacto cum *Lipaccio Osimanensi*, ejusve affeclis inito, in campo quodam non nimis ab urbe remoto & *S. Salvatoris* dicto, denuó exercitum Pontificium ingenti strage adfecerunt. Cujus rei ut memoria quædam extaret, templum eo in loco *S. Victoriæ* dicatum exstruxerunt. Quod licet hodie eversum prope sit, ita ut quædam ejus vestigia vix adhuc appareant, nomen tamen nihilo minus retinet. *Johannes* itaque XXII. Pontifex, *Avenione* residens, perceptis his successibus, *Recinetenses* & *Osimanenses* admonebat, & mensem ipsis concedebat, quo durante cum ecclesia in gratiam redirent. Interea vero sacellanus ejus, *Amelius*, qui *Marcæ* præerat, parum prudenter, si quid judico, *Pontium*, patruelem suum, *Mareschallum*, quem vocant, provinciæ, magno cum comitatu ablegabat, ratus, hunc auctoritate sua *Recinetenses* sedaturum, expulsosque *Guelfos* in patriam reducturum esse. Verum longe alius consilii hujus, quam quidem cogitaverat, eventus erat. *Gibellini* enim non modo *Pontium* trucidabant, verum etiam trecentos fere cum eo, partim ex iis, quos secum adduxerat, partim ex urbis ipsius civibus. Quin eo procedebant amentiæ nebulones illi, ut nec infantibus parcerent, nec virginibus Deo consecratis violentas adferre manus dubitarent. Tantum tamen scelus pœna sua haud caruit. Nam postquam sacrorum communitate ipsis interdixisset Pontifex, arma etiam in eos comparabat, vicinisque populis contra eos excitatis totam pæne urbem A. 1322. die tertio *Maji*, qui memoriæ inventionis sanctissimæ crucis consecratus est, incendio delevit. Quo ipso anno etiam, mense Aprili, comes *Fridericus Feltrius*, hostis Pontifi-

cis,

cis, a populo *Urbinati* trucidatus est. Meminit hujus excidii *Johannes Villani* in *Historia* sua, licet aliam ejus occasionem adducat. Verum evidens est, nullam aliam caussam interitum ei conciliasse, quam quod Pontificis partibus esset contraria. Quamquam, ut ex inferius dicendis patebit, non tota urbs criminis hujus rea fuit: quare etiam non prorsus excisa est. Familiæ enim *Guelforum* quæ supererant, quum omni ex parte Pontificis studerent commodis, ac imprimis, *Osino* a *Lippaccio* Pontifici erepta, illi obniterentur, instaurandi urbem licentiam adeptæ sunt. Quod quidem tanto cum ardore sequenti statim anno facere adgressi sunt, ut jam A. 1324. secundo post eversionem anno magna auxilia eidem *Amelio* contra seditiosos subministrare potuerint. Patet id dilucide ex sequenti ejusdem *Joannis* diplomate:

Joannes &c. *Dilectis filiis Regiminibus, & populo Racanaten. ecclesiæ Romanæ fidelibus. Multipliciter videmini memores ejus, quam sine improperatione proloquimur libertatis quam fracto dudum Hereticæ, ac Tirannicæ servitutis jugo vobis o filii laboribus anxiis, & immodicis sumptibus S. R. matre Ecclesia procurante multaque super hoc ostenditis gratitudinis vestræ signa dum inter cætera dilecto filio, Amelio abbati Monasterii Sancti Saturnini Tholosan. Capellano nostro Marchiæ Anconitan. Rectori immo & eidem Ecclesiæ contra rebelles ipsius fideliter assistitis & potenter, ex quibus censentes vos eo plus benevolentiæ nostræ, ac sedis Apostolicæ meritos quo magis vos accepti beneficii novimus esse gratos, de his vos plurimum commendamus in Domino, nihilominus, & vobis propterea gratiarum uberes referimus actiones, Universitatem vestram rogantes, &* hor-
12 *tantes attente, quatenus pro nostra & dictæ sedis reverentia, & statu pacifico terræ vestræ sic ferventer perseveretis in istis deprimendo viriliter adversarios vestros utique publicos ecclesiæ præfatæ rebelles, & hæreticos obstinatos, dictamque terram vestram custodiendo solicite. Datum ex Aven. Kal. Aprilis Pont. nostri anno octavo.*

A. 1328. etiam cum reliquis contrariæ factionis in gratiam rediit Pontifex, omnibusque generatim venia commissorum data, certoque quodam pœnitentiæ genere proposito, conditionibusque nonnullis pactis, cunctos restituit. Obsides tamen sibi dari jussit, ac quo conventis eo certius obtemperaretur, castellum *Montefiore* & turrim *Aspi* in potestate sua retinuit. Præterea ædem ipsis cathedralem non reddidit, quæ *Maceratam* translata erat: nec ante annum 1357. qui *Innocentii VI.* quintus erat, *Recinetenses* hæc jura recuperarunt, ope Cardinalis *Ægidii*, Legati Pontificii, de quo paullo inferius dicemus. Urbs tamen interea promissis fideliter stetit ac non minus potens postea, quam fidelis Pontifici fuit. Patet id ex variis Pontificum diplomatibus, in quibus ob hanc fidem *Recinetenses* admodum commendantur. Ut ex multis exemplis quædam adferam, quum *Urbanus V.* Rectorem in Marchiam ablegaret, in diplomate, quod ipsi dabat, id ei inprimis injungebat, ut cum *Recinetensibus, ut primariis & potioribus in fide*, quæ propria ejus verba sunt, conferret. *Gregorius XI.* & quum *Avenione* adhuc esset, & quum *Romæ* postea viveret, tanti urbem hanc faciebat, ut maximopere eam in fide sua retinere conniteretur, precibusque ejus numquam fere deesset: quod ex ejus constat diplomatibus. *Bonifacius IX.* deinceps, quo eam honestaret, numos signandi facultatem ei concessit: quæ licentia non nisi primariis urbibus magnique momenti tribui solet. Quid vero non *Gregorius XVII.* & *Johannes XXIII.* fecerunt, quo hanc urbem amicam sibi redderent? quod ex pluribus eorum di-
A plomatibus colligi potest. Tanta vero *Recinetenses* prudentia fuerunt, ut neutrum offenderent, donec magnum hocce schisma sublatum esset, novusque crearetur Pontifex: de quo inferius dicetur. Ex his jam satis intelligitur, quantopere *Boterus* erraverit in libro, quem: *Relationes universales* inscripsit, dum *Marchiam* describit & tamen, quum alias urbes minores commemoret, nullam *Recineti* mentionem facit. Quod quidem eo magis mirandum, quum hic ipse Jesuita in collegio hujus urbis satis diu vixerit, prætereaque credendum sit, eum, qui totius orbis notitiam dare ac judicium de eo ferre
B constituerat, non ignorasse, quam honorifice urbs *Recinetum* in *Stoesleri Calendario*, in *tabulis Ptolomæo* adjunctis & ante complures annos *Argentorati* excusis, in *Ptolomæo*, in *Magini ephemeridibus*, in *fabrica Ananiæ*, in *Theatro Abrahami Ortelii*, aliisque sexcentis scriptoribus præter eos, quos jam indicavi, nominetur. Neque ego scio, quomodo fides ipsi haberi possit in iis, quæ de locis remotissimis narrat. exempli causa, quod *Zeilan* insula, quæ tanto intervallo ab æquinoctiali linea distat, non alia sit, quam *Taprobana*, quæ sub hac ipsa linea a *Ptolomæo* collocatur, si in longe vicinioribus candor ejus desideretur.
C Sed ut ad institutum revertar, licet ob scriptorum penuriam & quod tabularium urbis *Recineti* igne ante complures annos periit, integra ejus Historia conscribi haud possit, pro viribus tamen res, quæ ei acciderunt, enarrare studebo: quantum quidem ex annalibus ejus, qui adhuc restant, haurire potero. Novæ vero post eas, quas dixi, lites inter *Anconitenses* & *Recinetenses* exortæ sunt, vectigalium potissimum caussa: quæ quum ex utraque parte non soluta semper essent, *Repressaliis*, ut vulgo vocant, ex utraque parte locum faciebant. Sed anno tamen 1330. pax denuo confirmata est. Sequentibus
D annis quietis impatientes *Recinetenses*, quum intelligerent, licet promissorum Pontifici *Joanni* datorum tenacissimi fuissent, sua tamen castella sibi non restitui, consilium Pontificis de restituendis illis compellarunt. Lite constituta non modo jus sibi in ea castella esse demonstrabant, crimenque urbi imputatum tum fuisse tyrannicæ civium nonnullorum primariorum dominationis, cujus populus nullo modo particeps esse possit, ostendebant, verum etiam vim adhibebant, ut ita votorum suorum compotes fierent. Post hæc urbs per multos annos summa tranquillitate fuisset usa, nisi eam incolæ pagorum
E *Montazano* & *S. Martini* aliquo modo turbassent. Illi enim quum a militibus Pontificiis Priores *Montefanenses* captivos abduci viderent, tamquam sanctæ ecclesiæ rebelles, seditionem excitarunt, convocatisque plusquam trecentis hominibus e militum eos manibus eripuerunt. Urbis igitur erat, quo subditorum istorum suorum saluti providerent, sacro consilio satisfacere ac ducentos aureos numos ex ærario numerare. Quum autem aliquot jam annis episcopo urbs caruisset, vivente adhuc *Benedicto XII.* maximopere jura ædis cathedralis recuperare studebat, eaque de caussa multa nobilitatis suæ testimonia
F publico examini subjiciebat. Nec dubium est, quin eventus votis respondisset, nisi mors intercessisset Pontificis: id quod ex quodam diplomate intelligitur, quo multis laudibus *Recinetenses* exornat, gratiasque eis pro auxiliis nonnullis Rectori *Marchiæ* in commodum *Romanæ* sedis præstitis agit, quin *particulares* suos *filios* eos vocat. Quum *Clemens VI.* Pontificatum gereret, litem urbi Rector *Marchiæ* intentabat, quod contra mandatum Pontificis certam frumenti portionem mari ad alia loca deportari curasset. Posteaquam vero

vero Syndicus privilegia Cardinalis *Sinibaldi*, legati, *Gregorii IX. Innocentii IV.* nec non *Friderici* Imperatoris produxiſſet, criminis abſolvebatur. Id quod adhuc facit ad oſtendendam privilegii hujus *Fridericiani* validitatem, de qua ſupra diximus. Hæc tamen lis animos optimatum ſenſim ab imperio Pontificio alienabat. Unde *Gibellinis*, qui cum *Gozzolino Oſimenſi* ſocietatem inierant, occaſio naſcebatur A. 1348. die feſto *S. Bartho-*
13 *lomæi*, clamando: *Vivat factio Gibellina & moriatur Guelfa*, urbem invadendi. Quam quidem trucidatis multis, qui contranitebantur, multiſque domibus combuſtis ſibi ſubjiciebant. Quamquam unus eorum, cui ſaxo crus ita percutiebatur, ut frangeretur, inclamante populo: Moriatur, moriatur, repente publice capite privabatur. Sed quum haud diu hæc factio urbem tum tenuerit, ea mox ſequenti anno, expulſis hiſce ſeditioſis, commiſſorum veniam obtinuit. Hos motus magni illi progreſſus fratris *Morialis* in *Marchia* conſequuti ſunt, quos *Matthæus Villani Hiſtoriarum Libro III. Cap.* CVII. refert. Licet vero is ibi nullam *Recineti* mentionem faciat, ex eo tamen, quod caſtellum urbis, *Monteſiore*, captum fuiſſe ſcribit, conjectura ferri poteſt, non fuiſſe eam ab hac clade exemtam. Niſi forte ea jam tum in poteſtate *Malateſtæ Riminenſis* fuit, cui A. 1354. menſe Januario a legato *Ægidio* rurſus erepta fuit: teſte eodem *Villani* Lib. IV. Cap. XLII. Huic vero multum hæc expugnatio urbis profuit. *Gentilis* enim quum urbem *Fermi* ſtratagemate cepiſſet, militeſque legati expuliſſet, hi quidem *Recinetum* ſe recipiebant. Quos quum idem *Gentilis* & *Malateſta* deinceps, adjuvante *Forolivienſi* præfecto, opprimere cogitarent, conatu exciderunt. At frater illius *Malateſtæ Galeotus*, anno ſequenti, poſteaquam *Recinetenſe* quoddam caſtellum, cujus nomen *Villani* reticet, expugnaſſet, ſuperatus captivuſque factus eſt. Turbis his ſedatis *Innocentius VI.* A. 1357, quod jam ſuperius dixi, ædem illis cathedralem reddidit, qua triginta quinque annis caruerant. Inter hæc capita illa factionis *Ghibellinæ* moriebantur, quæ tot ſcelera non modo contra dignitatem Pontificiam, verum contra ipſum Deum omnium bonorum datorem commiſerant. Quo mortis genere perierint, non quidem ſcriptum legitur. Non tamen dubitandum eſt, quin par vitæ finis ipſis obtigerit, niſi in tempore corde ob commiſſa peccata contrito Deum, omnis miſericordiæ fontem adierint, delictorumque pœnitentiam egerint. Quidquid vero id eſt, ea hi homines poteſtate fuerunt, ut non ante, quam vita functi erant, bona eorum venderentur, licet fiſco dudum addicta eſſent. Mors tamen horum, qui fœderis ſocietatem cum *Oſimenſi* tyranno habuerant, non perfectam urbi tranquillitatem peperit. Novis enim litibus cum *Oſimanis* exortis, variæ ex utraque parte turbæ naſcebantur, ut ex quodam mandato urbis, quod A. 1371. Syndico ſuo ad has lites dirimendas dederunt, colligitur. Aliis anno 1372. motibus occaſio dabatur. Quidam enim epiſcopi, cujus nomen *Olivieri*, aſſeclæ in ſuſpicionem veniebant, acſi, dum *Prioratus* fungerentur munere, litteras ad Pontificem *Gregorium XI.* aut ad Cardinales pro epiſcopo dediſſent, quo Pontifex, qui *Avenione* commorabatur, temporale dominium in urbem quamdam, aut ipſam forte *Recinetum* illi conferret. Purgabant ſeſe vero Priores ab hac calumnia, atque ſic diſcordia tollebatur. Eodem anno, quum *Recinetenſes* intelligerent, Pontificem urbem vicariatus titulo cuidam tradere velle, quod in multis aliis urbibus *Clemens VI.* fecerat, legatos *Avenionem* mittebant, qui civitatis nomine omni modo ab eo contenderent, ne alii Domino urbem tam eximia erga ſedem *Romanam* fide traderet. Quod quum illi non ſine laude feciſſent, peculiari diplomate Pontifex promiſit, ſe in alium urbis dominium haud derivaturum eſſe: quod quidem diploma adhuc extat. Populus igitur tum pacatus, ſedique *Romanæ* obſequioſus permanſit. Moliebantur quidem factioſi nonnulli res novas, quum *Gregorius Romam* reverſus *Britones* urbi præſidio eſſe juberet, quos nimirum expellebant. Attamen urbs ſtatim per legatos Pontifici ſeſe excuſabat, ac non modo admiſſorum veniam, verum etiam privilegium obtinebat, quo alias quidem Pontificis copias, ſed numquam *Britones* recipiendi facultas ipſi concedebatur. Sed hæc nimia forſan Pontificis clementia, ut nonnulli ea abuterentur, effecit. Quidam nimirum, quos faſtus & inferioribus imperandi libido vexabat, & in his legatorum jam memoratorum unus, tyrannidem in urbem adfectabant. Quam in rem, ope *Ridolphi Varani, Camertis*, imperatoris eo tempore *Florentini*, ſocietatem cum *Florentinis* inibant, omneſque, qui molitionibus ſuis ſe oppoſituri eſſent, trucidare conſtituebant. Facta igitur deliberatione, modoque, quo conſilium exſequi vellent, conſtituto, duo illorum, ſumtis in ea parte urbis, cui *S. Mariæ* nomen eſt, & in qua habitabant, armis, rumorem diſſeminabant, *Britones* urbi appropinquare, eamque, quod *Cæſenæ* urbi nuper contigiſſet, funditus evertere velle. Plebs ceterique timoris pleni, hac voce audita, ad arma convolabant, hoſque duos in eum locum, quo, ut cum ſociis ſeſe conjungerent, properabant, ſequebantur. Verum quum portam, quæ hodie nova vocatur, quæve, licet in ea parte urbis ſit, quæ *S. Flaviani* appellatur, partem tamen *S. Mariæ* dicatam tangit, occluſam reperiſſent, ſequi ulterius non poterant. Quo autem caſu occluſa fuerit hæc porta, non liquet. Interea ex altera urbis parte alii, ſigno audito, eodem artificio populum concitaverant, ingenteſque turbas dederant. Non vero conceſſit Deus, ut eventus conſiliis hiſce reſponderet. Plebs enim neſcio quo modo animadvertens falſa eſſe, quæ de adventu *Britonum* ferrentur, idque tantum agi, ut libertate privaretur, arma in conjuratos convertebat, majoremque eorum partem capiebat. Hac re ad Pontificem delata, juſſit in carcere eos ſecuri percuti, bonaque publicari: eamdemque præterea pœnam iis, qui fuga elapſi erant, dictavit. Urbi autem, quo gratum declararet animum, non hæc tantum bona donavit, verum etiam licentiam mille quotannis frumenti onera (1) mari exportandi conceſſit, quo & tot damnorum in bellis pro ſede *Romana* contra vicinos rebelles geſtis perpeſſorum reparationem aliquam haberent, & contra horum ſeditioſorum inſultus urbem eo melius communire poſſent. Dedit ei etiam omnia jura portus, ut ex duobus ejus diplomatis colligitur. In quorum altero hæc verba leguntur: *Attendentes magnæ fidelitatis conſtantiam quam demonſtratis* &c. Et poſtea: *Quoque occaſione guer-* 14
rarum, quæ per prædictos Eccleſiæ inſervetur multa & diverſa ſupportare onera non timetis. Eodem anno *Ridolphus*, cujus ſupra meminimus, cum Pontifice in gratiam rediit, qui copiis eum ſuis præfecit, ut ex diplomate bulla plumbea munito, quod ipſe Pontifex ipſi dedit, apparet. *Ricenetenſes* interea, licet his aliiſque beneficiis a Pontifice affecti, in defendendis ejus partibus haud ſegniores fiebant, nec ulli labori, aut moleſtiæ parcebant, aut vel ſuſpicionem ab antiqua fide

(1) Italice: *Mille ſome.*

J. F. Angelita.

fide deflectendi excitabant. Quo quidem tantam ſibi auctoritatem adquiſiverunt, animumque Pontificis ita obſtrinxerunt, ut hoc ad eos diploma mitteret:

Veſtræ devotionis & fidelitatis claritas, quam erga nos iſtis nubiloſis temporibus habuiſtis, claris patet operibus Deo acceptis, & humanæ laudis præconio commendandis, in conſpectu quidem ſedis Apoſtolicæ præcipuæ dilectionis locum vobis merito vendicaſtis, quando vicinis veſtris contra nos & Eccleſiam rebellionis cornua levantibus ſuper fundamentum veræ conſtantiæ radicati in devota fidelitate perſtitiſtis, nec ab ea vos aut adverſitatum aſperitas, aut ſeductorum fallaces blanditiæ removerunt. Pro quibus laudamus & commendamus vos exhortantes ut pro converſione Firmanorum qui extra ſinum eccleſiæ ſunt oppreſſi miſerabili ſervitute tyrannorum ſolicitam operam impendentes, & ad ipſos veſtro nuntios deſtinando &c. Multa alia ejuſdem generis narrari hic poſſent; verum hoc unum ſufficit ad fidem iis, quæ ſcripſimus, conciliandam. Obtemperabant vero *Recinetenſes* mandato Pontificio de *Fermanis*, cum quibus arcta eis erat amicitia, quæ in hunc uſque diem permanet, quo in libertatem eos vindicarent. Res etiam tam bene cedebat, ut tandem, *Raimundo de Monte viridi*, tyranno eorum, *Urbano VI.* imperante, occiſo, priſtinam libertatem recuperarent. His ipſis temporibus, vel etiam paullo ante, *Recinetenſes* bono conſilio caſtellum *portus* fortius communiverant, ac non modo, ut hoſtium ab altera parte incurſiones cohiberent, turrem in tractu, qui *Parignano* dicitur, exſtruxerant, verum etiam, magno numero militum conſcripto, fœdus cum *Anconitenſibus* fecerant. Poſtea, provincia in plures factiones diſtracta, iidem in unam ſocietatem cum *Fermanis*, *Aſculanis*, *Anconitanis* coibant: quum, ut ex quibuſdam mandatis perſpicere licet, *Eſini* aliæque in iſta regione urbes contrariam factionem conſtituerent. Cui ut eo melius reſiſterent, *Recinetenſes* denuo turrim caſtelli *Portus*, in qua ſufficiens ſemper præſidium die nocteque collocatum erat, novis operibus communibant. Quod eo quidem anno factum eſt, quo *Urbanus* Pontifex, cujus ſupra mentio facta, quinque Cardinales e ſeptem, quos captivos tenebat, in mare præcipitari juſſit: quos, *Platina* teſte, conjurationis contra ſe, cum Rege *Neapolitano* & *Clemente VII.* AntiPapa, initæ inſimulabat. Succeſſit juſto modo *Urbano* huic *Bonifacius IX.*: qui, quum *Recinetenſes* ſibi maxime addictos, nec umquam falſi Pontificis factioni faventes reperiſſet, facultatem eis dedit, quod jam ſuperius dixi, numos ſignandi omnis generis, argenteos, æreos, aureos; quin, majoris benevolentiæ teſtandæ cauſſa, diploma ſine ullo ſumtu ipſis dari juſſit. Extant adhuc ejus generis numi, & ego ipſe nonnullos poſſideo. Temporibus hujus Pontificis *Marchiam* peragrabat ſacerdos quidam, candido veſtitu amictus, qui ex *Alpibus* deſcenderat, tantamque & ore & ſermone modeſtiam præ ſe ferebat, ut ab omnibus pro ſancto haberetur. Unde non modo plebem, tam viros, quam fœminas, ſibi adjunxerat, ſed multos etiam proceres in opinionem ſuam pertraxerat. Hi omnes iiſdem, quibus ille, veſtibus tecti incedebant: ille vero manu crucem tenens, ſe hominum peccata deplorare, ſignificabat: qui perterriti uno ore magnaque voce miſericordiam Dei implorabant. Pontifex poſtremo fraudis aliquid ſubeſſe ſuſpicatus, *Viterbum* hominem accerſebat, cuſtodiæque mandatum igne tandem de medio tollebat. Qui de hoc negotio plura noſſe cupit, *Nauclerum* adeat in *Chronographia* & *Vincentium Speculi Hiſtor.* Parte IV. Libro XXXI. Mortuo hoc Pontifice variis de

A cauſſis eveniebat, ut tres ſimul eſſent Pontifices, *Benedictus* XIII. in *Gallia*, *Gregorius* XII. & *Johannes* XXIII. in *Italia*. Poſteriorum duorum uterque, quoniam multum potentiæ urbi *Recineto* eſſe intelligebat, ſuaque e re in primis fore perſpiciebat, ſi ea ſibi eſſet addicta, variis modis, uti jam dixi, eam ſibi ſubjicere tentabat. *Johannes* igitur, ſe cum *Ladislao*, Rege *Neapolitano*, reconciliatum eſſe, in vulgus ſpargebat: qui Rex & *Romam* & alias Eccleſiæ terras occupaverat, teſte *Platina*, & *Gregorio* unice favebat. At his ut ſermonibus majorem auctoritatem conciliaret, peculiaribus litteris civitati *Recinetenſi* hunc B nuntium perſcribebat. Quæ quidem urbs metuens erroris ac verum Chriſti vicarium ſequi cupiens, in bivio veluti ſtabat. *Gregorius* autem, quo factionem ſuam eo robuſtiorem redderet, non modo Bulla urbi ſtatim ſignificabat, falſa eſſe, quæ *Johannes* de pace ejuſmodi perhiberet, verum etiam idcirco tantum hæc mendacia populis vicinis adfirmabat, ut eorum a ſe animi abalienarentur; quod & poſtea patuit. Præterea idem *Angelum*, civem & epiſcopum *Recinetenſem*, Cardinalem creabat, qui, ut ex elogio ſepulchro ejus inſcripto conſtat, poſt acceptam hanc dignitatem non diu vixit. Nam quum non antea pur- C puram acceperit, quod *Panvinius* refert, quam *Gregorius* in concilio *Piſenſi* a Pontificatu remotus eſſet, non ante annum 1409., quo anno ab hoc concilio *Alexander* v. electus eſt, ea donari potuit. Mortuus eſt autem 1412. poſtquam hæc dignitas, quietis publicæ cauſſa, in *Conſtantienſi* concilio ipſi confirmata erat, quod ex eodem *Panvinio* diſcitur. Sepultus eſt hic Cardinalis *Recineti*, ubi & mortuus eſt, in templo ſuo cathedrali, monumentoque illatus eſt paullum a terra remoto, cui ſequens inſcriptio indita eſt, valde quidem ſimplex: *Rever. D. A. Card. Racanati, obiit vigeſimo primo Junii A. D. MCCCCXII.* D *cujus anima ſit in pace.* Licet vero *Johannes* Pontifex novum ſtatim epiſcopum mitteret, nihilo 15 tamen minus *Recinetenſes* A. 1413. *Malateſtam*, *Galeotti* filium, a *Gregorio*, ut in fidem ſuam, eos præſtito jurejurando, reciperet, admittebant, eique honorificis plane conditionibus ſeſe ſubmittebant. Erat in his conditionibus, ut is, quem miſerat *Johannes*, Epiſcopi dignitatem retineret, & ut is, quem Pontifex ille reditibus præfecerat, ſecure cum familia & bonis abiret. *Gregorius* hic vero quum Pontificatui, interveniente *Carolo Malateſta*, *Conſtantiæ* renuntiaſſet, locumque Cardinalis & præfecturam *Marchiæ* rurſus E accepiſſet, *Recineti*, quam urbem in primis diligebat, quod erat reſiduum vitæ explere volebat. Sed mœrore animi eodem, quo *Martinus V.* eligebatur, anno confectus peribat. Illatus eſt marmoreo ſepulchro elatiori in templo cathedrali, prope portam, quæ orientem ſpectat. Depictus eſt in hoc monumento Pontifex figura ſedentis, veſtibus Pontificiis indutus. Ipſæ vero, in qua corpus riquieſcit, arcæ inſignia ejus, una cum pileo *Cardinalis*, impreſſa ſunt, addito hoc elogio, quod barbariem ſæculi iſtius ſpirat & hodie ægre, quoniam inuſitatis plane litteris ſcriptum eſt, legitur:

F *Maximus Eccleſiæ princeps, ſummuſque Monarca*
Ordine Gregorius biſſenus clauditur arca.
Hic pro pace datus cœleſti numine ſemper
Ferbuit æthneos ſuperis unire decenter.
Aſt bis ſchiſma malum, facta hæc dementia Piſis
Ipſe prius relevat pura eſt Conſtantia teſtis,
Cardine bis ſacro Paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit Recanati fluvius ede.
Sub anno Domini MCCCCXVII.

Reli-

Reliquit hic Pontifex templo huic poculum & pelvim argenteam una cum thuribulo ex optimo argento conflato, maximeque pretioso, quod in divino cultu adhibendum esset: nec minus reliquias permultas ei donavit magni momenti, de quibus suo loco dicetur.

Dum hæc gererentur, *Recinetenses* bello cum *Anconitensibus* implicati erant. Qui quum terrâ multis malis ab illis adfecti essent, *Ricenetensibus* vicissim molesti erant, qui *Venetias* per mare merces deportabant. Quod quum hi *Venetis* significassent, Dux litteras ad *Anconitenses* dabat, rogabatque, ut ab his injuriis desisterent, nec eos, qui negotiorum caussa *Venetias* proficiscerentur, ullo modo læderent. *Otto* vero *Columna*, qui in concilio *Constantiensi* Pontifex creatus erat, *Martini*que nomen, *quinti* videlicet, susceperat, eo quod die festo hujus sancti electus esset, tanto erga urbem *Recinetum* studio erat, ut sine mora ex ipsa urbe *Constantia* bulla plumbea peculiari illi & electionem suam, & modum, quo electus esset, significaret. Formam diplomatis *Platina* in vita *Johannis* XXIII. retulit. Paucis diebus elapsis alias ad eamdem urbem litteras dabat, quæ quidem, ut huc transferrentur, dignæ mihi visæ sunt. Sunt autem sequentes: *Martinus*, &c. *Dilectis filiis Prioribus populi civitatis nostræ Recanat. Salutem &c. Ad cumulum laudis vestræ & honoris cedit pariter, & salutis, dum personas Ecclesiasticas præsertim in dignitatibus constitutas, ad obsequia Ro. Eccl. deputatas præsidiis & favoribus honorare satagitis. Nuper venerabilem fratrem nostrum Marinum Episcopum Aprutin. suis copiosis virtutibus, sinceritate, fide, & experientia in agendis debita meditatione pensatis in vestris Marchiæ Anconitan. & Masse Trebariæ & in Præsidatu Abbatiæ Farfen. provinciis in nostrum & Rom. Ecclesiæ Thesaurarium omnes alios quavis autoritate Thesaurarios inibi deputatos penitus revocantes usque ad nostrum & sedis Apostolicæ beneplacitum duximus deputandum. Et quia circa administrationem dicti Thesaurariatus officii eidem episcopo favor vester noscitur quamplurimum opportunum, vos attente requirimus & hortamur quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia circa singula dictum officium concernentia eidem Episcopo & Thesaurario assistentis præsidiis, consiliis, & favoribus opportunis, ut dictum suum officium ad utilitatem Romanæ ecclesiæ pariterque nostram, vestro fultus præsidio pro se & alios possit feliciter & utiliter exercere nobis propterea singularem complacentiam inpensum. Datum Konstantiæ* XI. *Kal. Januariis Pont. nostri anno primo.* Præter hæc idem peculiari diplomate celeberrimas urbi nundinas concessit, ad quas omnium prope nationum mercatores confluunt, mercesque ex *Oriente*, *Dalmatia*, *Venetiis*, *Flandria*, *Germania*, regno *Neapolitano*, *Roma*, *Hetruria* apportant. Incipit quidem libertas merces sine vectigalibus importandi a primo *Septembris* die, duratque ad *Octobris* finem. At mercatores tamen, nundinis *Lancinensibus* impediti, non ante finem *Octobris* adveniunt, nec ante finem *Januarii* quovis anno abeunt. Neque dubium est, quin diutius ibi permansuri essent, nisi alii obstarent mercatus, quoniam ob domiciliorum commoditates, vini bonitatem, abundantiamque victus, quem tum ipsa urbs, tum tota provincia largiter suppeditat, libenter ibi commorantur. Justitiam mercatoribus administrant quatuor urbis nobiles, qui quovis anno creari solent, consulesque nundinarum vocantur. Amplissimis illi autem a non uno Pontifice, præter *Martinum* V. privilegiis donati sunt. *Martinus* hicce ceterum *Gabrielem Condelmerium*, qui Pontifex deinceps factus *Eugenii* IV. nomen tulit, in *Marchiam* ut *Legatum* mittebat, ut exortos ibi tumultus quosdam sedaret: quod quidem morte quorumdam ex iis, qui factionum erant capita, factum est. *Recinetenses* interea in lites cum episcopo suo *Marino* inciderant, quem urbem tandem relinquere cogebant. Facile tamen non modo hujus peccati, verum etiam omnium, quæ ab initio præteriti schismatis commiserant, a Pontifice absoluti sunt. Atque hujus quidem Pontificis tanta erga urbem hanc benevolentia erat, ut duos ex ea cives præfectos castelli *S. Sepulchri*, hodie *della Cheta* dicti esse juberet, ut ex litteris unius ex ejus camerariis A. 1430. datis colligitur. Eodem anno *Recinetenses*, quoniam fortassis domi non habebant, quod agerent, petente *Marchiæ* præfecto, quinquaginta milites *Fermanis* concedebant, qui *Gironi*, castello eorum præsidio essent. Quo ipsi autem omnibus forte eventuris molestiis eo fortius resistere possent, castellum portus novis denuo firmamentis instruebant. *Martino*, de quo diximus, fatis functo, successor ejus *Eugenius* episcopatum *Recinetensem Johanni a Corneto* conferebat, qui postea, quum ad Patriarchatum adscendisset, Patriarcha *Vitellescbi* dictus est. Hic asperis erat moribus, bello armisque gerendis natus: quibus quidem & ad dignitatem Cardinalis obtinendam & ad mortem viam sibi paravit. *Eugenio* quidem virtus ejus sæpenumero magno fuit usui, ut ex multis, qui ejus mentionem fecerunt, constat. Hic ille fuit, qui quum *Marchiæ* gubernator esset, *Pesarum* & *Sinigagliam Malatestis*, qui tum has urbes tenebant, eripuit: in qua expeditione milites ei *Recinetensium* plurimum profuerunt. Quum legati postea dignitatem idem obtinuisset, *Petrum Gentilem Varanum*, *Camertem*, insidiose cepit, & primo ad fanum *S. Severini*, deinde *Recinetum* captivum duci jussit. Quo in loco post aliquot dies, quibus omni eum cura & diligentia custodiri jusserat, capite eum truncavit, caussam interferens, monetam *Eugenii* ab eo adulteratam esse. Posteaquam intellexerat, *Franciscum Sfortiam*, qui rumorem divulgaverat, se caussam suam defendendi gratia in regnum *Neapolitanum* irrupturum esse, contra *Marchiam* reipsa venire, sumta a *Recinetensibus* militum manu, qui ipsi corporis essent custodiæ, *Maceratam* migrabat. At quum *Franciscus* urbem *Jesi* ex pacto cepisset, posteaque *Montem Oemi*, non ignobilem urbem, expugnasset & depopulatus esset, *Vitellescbius* ratus non sibi satis tutum domicilium *Maceratæ* esse, *Recinetum* se recipiebat. Hic autem non diu etiam commorabatur, sed rebus nonnullis magni pretii templo *Lauretano*, cujus cura ad episcopatum ejus etiam pertinebat, concreditis, navem in portu conscendebat ac *Venetias* aufugiebat. Multis vero malis hæ turbæ & quæ mox sequebantur, portam aperiebant. *Bononiensis* præfectus publice declarabat, licet *Sfortia* magno stipatus exercitu appropinquaret, non tamen dubitandum esse, quin ecclesiæ amicus esset. Ipse vero *Franciscus* non modo litteras concilii *Basileensis* magni momenti, ex quibus perspiciebatur, *Philippum*, *Mediolani* ducem, *Italiæ* vicarium electum esse, verum etiam ducis adferebat epistolam, quibus eum Ducis imperatorem esse significabatur. Multæ igitur urbes sponte ei sese dedebant: de qua re *Tarcagnota* Partis secundæ Libro XVIII. legi potest. Nec mirum adeo erat, quod paucis diebus totam sibi *Marchiam* subjiceret. *Eugenius* qui his malis mederi non poterat, *Marchionem* eum & ecclesiæ vexilliferum denominabat. Atque sic, Pontifice contra voluntatem consentiente, *Sfortia* per decem annos ab A. 1433. usque ad A. 1443. *Marchiam* tenuit. Intra hoc tempus sumtus, quos *Recinetenses* facere oportuit, tanti erant, ut multas vendere deberent possessiones. *Sfortia* enim, qui bello semper intentus erat ac

J. F. Angelita. B 2 quæ

quæ occupaverat magno militum numero defendebat. mox milites, mox pecuniam, mox alimenta, & peditibus & equis diſtribuenda, imperabat: ut ſpontanea taceam dona, quæ urbs ipſi, conjugique ejus *Blancæ*, totique familiæ offerebat. Neque tamen omittendum eſt, urbem hanc inprimis ipſi curam fuiſſe, ita ut quum A. 1439. filiam ſuam Duci *Atrienſi* in matrimonium collocaret, ei id ſignificaret: quod etiam fecit, quum ipſemet A. 1441. *Blancam Mariam*, *Philippi*, Ducis *Mediolanenſis* filiam, uxorem duceret. Quamobrem nonnullæ etiam provinciæ urbes, quando aliquid ab eo impetrare cupiebant, per *Recinetenſes* illud obtinere ſtudebant: id quod A. 1443. urbs *Appignano* fecit, paullo ante quam Regi *Alphonſo* ſeſe traderet. Venerat hic Rex in *Marchiam*, comite *Nicolao Picinino*, ut Pontifici eam reſtitueret. *Sfortia* qui ex apparatu ſatis, quid rerum gereretur, intelligebat, litteras ad urbem *Recinetum* ſumme benevolas dabat, quibus ut in fide permanerent, ſibique de frumento proſpicerent, rogabat. At *Recinetenſes*, quum & *Montecchium* & *Appignanum* deſciviſſe accepiſſent & præterea litteras a Rege *Arragoniæ* & Legato Pontificis miſſas legiſſent, in caſtra ſtatim oratores ablegabant, qui ſuam erga ſanctam ſedem Apoſtolicam fidem teſtarentur: voluntati enim Pontificis adverſari, ſi in comitis poteſtate diutius permanerent, ſatis intelligebant. Legati poſt nonnullas deliberationes redibant, a Rege & *Picinino* comiter & benigne excepti. Qui quidem efficiebant, ut omnium delictorum venia, inprimis ejus, quod invito Pontifice *Sfortiæ* ſeſe ſubmiſiſſet, urbi concederetur. Interea legati terræ *Monteluponis Recinetum* venerant, aliorumque locorum vicinorum, conſulturi, quid agendum eſſet, rerumque ſimul omnium arbitrium *Recinetenſibus* committebant. Qui quidem alium pro his legatum ad Regem amandabant. Cum hoc nonnulli etiam alii veniam petituri proficiſcebantur, & in his urbis epiſcopus, qui & litteras, de quibus jam diximus, reconciliatorias ſecum adferebant. Legatus interea Pontificis tria millia ſcutatorum ad exercitus ſuſtentationem ab urbe poſtulabat, & is qui *Picinini* res adminiſtrabat, domum in urbe ſibi concedi volebat. Poſt hæc cives *Morrenſes* & *caſtelli Ficardi* ſeſe dedebant, hocque facto manu quadam peditum ab urbe adjuvabantur. Rebus vero iſta ratione compoſitis Rex *Lauretanam* ſanctiſſimam domum viſebat, ubi ab urbis delectis honorificentiſſime exceptus fuit. Quæ paullo poſt civibus *S. Juſti* & *Montis Caſſiani* certum quemdam militum numerum, nec non *Caſtellenſibus* quinquaginta milites auxilio miſit. Haud ita multo poſt decretum fiebat, ut urbs denuo muniretur, muriſque minæ imponerentur iis locis, quibus illis adhuc carebant. Nec enim tum, quod hinc intelligitur, tota urbs ſatis communita erat. Cernuntur adhuc hodie in multis locis horum murorum veſtigia, licet domus iis ſuperſtructæ ſunt.

17 Dum his rebus urbs attenderet, novæ turbæ exoriebantur. Exercitus Pontificis die 23. Auguſti, qui dies Veneris erat, A. 1444. in campis monti *Olmo* vicinis a *Sfortiarum* copiis ſuperabatur. *Ricenetenſes* igitur valde perterriti hoc nuntio, eo diligentius de urbis communitione cogitabant, clauſiſque officinis opifices huic labori intentos eſſe cogebant. Legatus quidem miſſo curſore, non tantam hanc eſſe cladem, ut vulgo ferretur, ſignificabat: id ideo tamen ab eo tantum eſſe factum, poſtea patebat, ne milites Pontificis civeſque animum plane dimitterent. Tanta enim ſtrage adfectus erat exercitus Pontificis, ut *Franciſcus Picininus* & ipſe legatus captivi in hoſtium manus pervenirent. Quamquam hic ſe ex *Sfor-*
A *tiæ* præfectis unum eſſe callide ſimulabat, deluſiſque hoc pacto hoſtibus incolumis *Recinetum* veniebat. quo & paullo ante *Jacobus Picininus* & *Jacobus Caivanus* ſe receperant. *Sfortia* vero victor *Maceratam*, *Fanum S. Severini*, *Cingulum* & *Jeſi* ſibi facile ſubjiciebat. Legatus, hoc accepto, publico in *Recinetenſium* conſilio, quam graviter hanc ferret jacturam, ſignificabat. Hi vero ſe numquam, quamdiu viverent, obedientiæ ſacræ ſedis ſeſe ſubducturos eſſe, ſpondebant: cui quidem promiſſo ſteterunt. *Recinetum* enim tantum & *Oſimum* ex urbibus *Marchiæ* in fide permanſerunt Pontificis. Urbs interim ſtudioſius in reparandis præſidiis occupata erat, quo-
B niam *Oſimo* cognoverat, comitem relicta *Sinigaglia* verſus *Recinetum* proficiſci, ac in via *Montalboddum* & *Belvedere* expugnaſſe. *Montefanenſes* de his ejus progreſſibus certiores facti, *Recinetenſium* implorabant auxilium: ſed nullo modo prohiberi poterat, quominus terra eorum a copiis *Sfortiæ* occuparetur & excideretur. *Caſtellum Ficardi*, metuens forte, ne parem ſentiret interitum, ſponte ei ſeſe tradebat. At legatus Pontificis ſociatis ſuis & *Recinetenſium* militibus, auſpiciis magni urbis vexilli, ad urbem hancce evertendam exibat. Qua occaſione urbs
C nullis, licet magnis, ſumtibus parcebat, quo hujus terræ poſſeſſionem ſibi adquireret, eaque de re cum *Franciſco*, *Nicolai Picinini* filio, ſæpius deliberabant. Erat vero tum *Marchiæ* legatus *Dominicus Capranica*, *Romanus*, Cardinalis *Firmanus*. Sed mox, licet nulli parceretur operæ in urbe communienda, comes facta obſidione plurimis eam damnis adficiebat & caſtellum portus illis eripiebat. Tandem pace conſtituta lites inter Pontificem & *Sfortiam* trium Cardinalium judicio committebantur. Qui quidem facto die 16. Novembr. A. 1444. in urbe *Recineto* decreto, caſtellum portus urbi a comite reſtituen-
D dum eſſe, eam in ditione Pontificis permanere, nec eorum locorum, quos ante d. 18. Octobris ejus anni cepiſſet, poſſeſſione privare debere, concludebant. Reſtituta iſta ratione pace, *Recinetenſes* cum uxoribus *Lauretum* migrabant, magnaque ſanctæ virgini munera offerebant. Interea Pontifex *Grittium* quemdam miſerat, qui civitates *Recinetum* & *Oſimum* gubernaret, quarum illa vicinis urbibus omni modo perſuadere conabatur, ut Pontifici denuo ſeſe ſubjicerent. Maxime vero incolis *Montis S. Mariæ* in tractu *Caſcianenſi*, cujus urbis familiæ quædam *Recinetum* habitatum conceſſerant, id omni ratione perſua-
E dere cupiebant. Dum hæc gerebantur urbs *Oſimum*, cui lites cum *Anconitenſibus* erant, auxilium & fidem *Recineti* implorabat. Hi enim caſtello *Offagnenſi* occupato, in eo jam erant, ut ſimiliter *Caſtellum Ficardi* in ditionem redigerent: nec urbs precibus eorum deerat. A. 1445. *Maceratenſes* miſſis oratoribus *Recinetenſibus* declarabant, ſe ad obedientiam ſedis *Romanæ* reverſuros eſſe, ſi urbs & epiſcopus polliceri vellent, Pontificem pecunias, quas mercaturæ cauſſa ſecum haberent, cuſtoditurum eſſe. Conſenſit urbs omniaque, quæ flagitabant, ſponte promiſit. Interea copiæ Pontificis exſpectaban-
F tur, quæ *Gironem*, *Formanorum* caſtellum, expugnarent: hi vero a *Recinetenſibus*, oblato quinque mille ſcutatorum dono, impetrabant, quoniam multis premebantur calamitatibus, ut fidem pro illis ſuam interponerent. Idem officium civitati *Montis Caſciani*, certa quadam alimentorum copia, ad exercitum Pontificis mittenda, accepta, præſtabant. Non poterant tamen diu quieti eſſe: ſed excurſione in tractum *Anconitanum*, qui Pontificis imperio ſe tum ſubduxerat, ſociorumque ejus, civium *Caſtelli Ficardi*, facta
&

& amplam prædam & captivos plures auferebant. *Foscarus* itaque, Dux *Venetiarum* tum temporis, litteris datis eos monebat, ne *Anconitanis*, amicis & clientibus suis, injurias inferrent. Ac illi quidem captivos *Castelli Ficardi* liberandos esse, decernebant, si libertate *Recinetenses Anconæ* detentos donatum iri, extra dubium foret. At non poterat, nisi sequenti anno, res hæc ad eventum deduci. Eodem tempore terra *Montis Milonis* copias ab iis petebat, quarum ope castellum suum, *Sfortiæ* adhuc devotum, expugnarent: terra enim ipsa Pontifici parebat. At quum ex episcopo cognovissent, *Sfortiam* magno cum exercitu prope *Jesium* versari, societatemque cum *Anconitanis* fecisse, satis domi inveniebant, quod agerent, securitatique suæ ab omni parte prospiciebant. Ac quo certi essent, *Castellum Ficardi* se *Anconitanis* non esse traditurum, legatos ad urbis camerarium mittebant: qui hoc minime factum iri adseverabat, si quidem ecclesiæ immediate urbs subjicienda esset. Pontifex, ut huic discordiæ finem imponeret, epistola peculiari quidem significabat, captivos & prædam ab utraque parte captam ad sanctum montem mittendam esse. *Recinetenses* etiam missis ad eum legatis, mandatis sese ejus obtemperaturos esse declarabant, si *Anconitenses* iisdem morem gerere non detractaturi essent. Sed eventu res omnis caruit. Quum
18 vero intellectum esset, ope legatorum *Osimum* missorum, *Anconitanos* non modo nullos misisse legatos, verum etiam id moliri, ut castellum portus & turrim *Aspi* clandestino conatu caperent, utrique loco bonis prospiciebant præsidiis, & simul, consentiente Legato, publico sanciebant decreto, nulli e provinciæ incolis ad *Anconitanos*, quamdiu sanctæ sedi rebelles essent, migrare licere. Eodem tempore *Firmanis*, quo castellum *Gironis* expugnare possent, quingentos numos aureos commodabant, & sexaginta pedites auxilio mittebant. *Anconitani* interea & *Castellani*, duce *Taliano*, *Foroliviensi*, multæ prudentiæ imperatore, multis tractum *Recinetensem* damnis adficiebant. Nihilominus tamen *Recinetenses*, quo facilius ad effectum deducerentur, de quibus supra dictum est, *Castellanos* liberabant, vinculisque eos solvebant. Quorum quum multi mortui essent, reliquos tamdiu penes se detinebant, dum interea de captivorum commutatione agi posset. Quare quum *Antonius Ridus*, præfectus arcis *S. Angeli*, duorum ex illis dimissionem flagitaret, non sibi æquum videri respondebant, ut, dum in eo esset, ut pax confirmaretur, illi liberarentur. Pontifex tum temporis, precibus *Recinetensium* commotus, copiarum suarum equestrium, quæ in *Marchia* erant, præfecturam *Jacobo Guajano* committebat, qui statim manum militum urbi præsidio mittebat. Hæc autem, acceptis *Anconitanorum* litteris & fide ab iis data, quod captivos pariter dimissuri essent, milites *Anconitanos* & *Castellanos*, uti jam diximus, libertati plane restituebat. Nec tamen adhuc effici potuerat, ut turris *Aspi*, quam nescio qua ratione *Anconitani* ceperant, illi redderetur: quamquam Legatus Pontificis, quantumvis obniterentur, tamen eos illam restituere debere, adseverabat. Rei interea militaris curam, rebus sic affectis, non omittebant *Recinetenses*, sibique *Osimanos* fœdere jungebant. Sequenti anno 1447. *Eugenius*, sub finem mensis Februarii moriebatur, succedente ei *Nicolao* V qui non modo privilegia antiqua urbi confirmavit, sed & flumina *Potentiam* & *Moscionem* ei dono dedit. Paullo post *Blanca Maria*, uxor *Sfortiæ*, *Lauretum* invisebat, quam splendide *Recinetenses* excipiebant. Eodem anno nonnullas urbes pestis invadebat, quare omnem urbs cautionem, ne quoque inficeretur, adhibebat. Incolæ autem *Montis S. Mariæ* in *Georgio* insigne ei præstabant officium, dum civibus *Recinetensibus*, qui urbem relinquere volebant, tractum suum, in quo habitare possent, sponte offerrent. Circa idem tempus, quum *Sfortia* totam prorsus dereliquisset *Marchiam*, præter urbem *Jesi*, hæc tamen Pontificis etiam suscipiebat imperium, congratulantibus & gaudentibus *Recinetensibus*. Paullo post peculiari pontifex decreto sanciebat, controversias inter *Recinetenses*, cum quibus *Osimani* faciebant & *Anconitanos* a provinciæ præfecto, quem Legatum vocant, dirimendas esse. Urbs ergo *Anconam* mittebat episcopum suum, & *Antonium a Cannaja*, Jurisconsultum celeberrimum, qui eximios quosdam in jure libros edidit, & *Recanati*, ubi sedem fixerat, postea mortuus est, quod sepulcrum ejus in æde Monachorum *D. Francisci* declarat. Hi optime suscepta legatione defungebantur, ita ut, judicio ex decreto Pontificis constituto, secundum *Recinetenses* judicaretur, quibus turrris *Aspi* reddita fuit. Neque sic tamen, ut ex sequentibus patebit, lites inter duas hasce urbes extinguebantur. Ac tum episcopus ob officia sine dubio urbi præstita ab ea postulabat, ut sibi ad præfecturam *Marchiæ* obtinendam apud Pontificem adesset: quod idem & Legatus pro uno ex fratribus suis, episcopo *Asculano*, petierat. Paullo post novis inter *Recinetenses* & *Anconitanos* rixis exortis, Thesaurarius provinciæ eas componere studebat. Deleta interea in urbe peste, quo numerus incolarum denuo cresceret; peculiari decreto omnibus in patriam redeundi potestatem concedebat, ac quibuscumque maleficis delictorum veniam impertiebat. Neque sibi in caussa *Anconitana* deerant, sed, missis ad Pontificem legatis, rogabant, ut is *Castellum Ficardi*, quod non secus ac *Offagnam Anconitani* cepisse dicebantur, illis denuo eriperet. *Osimanis* vero, *Recinetensium* sociis, qui oratores *Recinetum* miserant, ut formulam pacis, quam cum *Anconitanis* facere constituerant, monstrarent, nihilque contra urbis voluntatem sese molituros declararent, respondebatur, ipsam quidem placere pacem, at displicere conventionis, quam monstrabant, formulam. Eodem anno *Ridolfus Varanus*, secundus *Camerini* dominus, urbem, ut nuptiis suis interesset, invitabat: quæ & legatos cum donis magnificis eo ablegavit. His rebus aliæ cum *Anconitanis* lites succedebant. Nam quum *Recinetenses* domini essent turris *Aspi*, quod diximus, navem ibi in flumine in peregrinantium commoditatem collocabant. Quæ ut eo esset securior, funi ab altera littoris parte ad alteram ducta, palo eam alligabant in ea ripæ parte fixo, quæ castellum *Sirolo* spectat. *Anconitani* hoc pacto jura sua violari credentes funem præcidebant, nec de ea re ad *Recinetenses* litteras dabant, aut misso legato factum excusabant. Quare hi indignabundi tantam ulcisci cupiebant injuriam. Sed *Anconitani*, accepto de magno *Recinetensium* adparatu nuntio, litteras ad hos dabant, quibus nolle se amicitiam interrumpere adseverabant, ac simul nullo negotio res componi posse, si legatos illis mittere vellent, significabant. *Osimani* interea & cives *Castelli Ficardi*, iisdem rebus intellectis, societatem *Recinetensibus* per legatos offerebant, cum quibus quævis sese tolerare velle adfirmabant. Utrisque gratiæ referebantur & *Castellum Ficardi* præterea immunitates nonnullas sic impetrabat. Non vero urbs legatos *Anconam* amandabat, quoniam hanc pestilentia invaserat. *Anconitani* nihilominus tantum apud *Pontificem* valebant, ut *Castellum Ficardi* ipsis cederetur. In- 19
colæ auxilium implorabant *Recinetensium*, qui, ut hoc impediretur negotium, quingentos numos

A

aureos ærario Pontificis numerabant: quibus, ut res dissolveretur, effectum est. Licet vero sic occupati essent, non desistebant tamen junctis cum Legato provinciæ viribus eo contendere, ut *Firmanis*, qui novas res moliebantur ac antiquo sese dominio subtrahere cupiebant, reconciliarentur. At Pontifex lites inter *Recinetenses* & *Anconitanos* quotidie incrementum capere intelligens, compositionem earum tribus Cardinalibus, *Dominico Capranicæ*, Cardinali *Firmano*, *Astorgio*, Cardinali & Archiepiscopo *Beneventano* & *Philippo*, episcopo *Bononiensi*, fratri suo, demandabat. Qui quidem anno 1451. pacem his conditionibus fecerunt. Ut damnorum ab

B

utraque parte in eam usque diem illatorum oblivio esset. Ut quæcumque lites judiciales, lata de illis sententia, tollerentur. Ut bona & numi ex utraque parte erepti plane restituerentur. Ut dominium in aquam fluminis *Aspi* utrisque commune esset. Ut nullis nisi *Recinetensibus*, liceat, navem transitus caussa in illo flumine constituere, quibus & permissum esse debeat, hujus navis caussa palum in illa parte littoris, quæ *Sirolum* spectat, figere. Ut *Anconitani* e contrario naulum, solvere non obligati essent. Ut turris *Aspi* integra urbi *Recinetensi* permaneret Atque

C

sic discordia inter has urbes, quæ multos duraverat annos, consopita fuit. Et ab hoc tempore, ut in narrationis nostræ progressu dicetur, varia amoris & benevolentiæ indicia mutuo sibi exhibuerunt. Quum postea Pontifex ab urbe postulasset, ut legatos *Romam* mitteret A. 1452. qui coronationi *Friderici* III. imperatoris interessent, misit eos magno cum splendore. Paullo ante mortem *Nicolai*, quæ A. 1455. mense Martio accidit, *Lauretum Alexander Sfortia* accedebat. Qui, licet dum frater ejus *Franciscus*, *Marchiæ* imperium tenuerat, non nimis æquum urbi se præbuisset, tamen magnifice à *Recinetensibus* exceptus & largis muneribus honestatus fuit.

D

Suspicio tum temporis oriebatur, *Jacobum Picininum* aliquid contra *Marchiam* tentare velle. Cives *Recinetenses* hanc rem statim *Calixto* III. Pontifici significabant. Hic bono animo eos esse jussit, siquidem hic ille esset, qui non modo in *Marchia*, verum etiam in omnibus ecclesiæ terris tranquillitatem conservasset. *Firmani* interea & cives *Montis S. Mariæ* in *Georgio*, illis vicini, in contentionem de castello *Montis viridi* adducti erant. Utraque vero pars litem hanc arbitrio civium duorum, alterius *Recinetensis*, alterius *Ascolani*, committebant. Pontifex tum

E

temporis, bello contra Turcas suscepto, majoribus indulgebat cogitationibus. Collector ejus, *Recinetum* veniens, navem bellicam urbi dare volebat, si suis eam sumtibus sustentare vellet. Verum quod peste urbs adflicta erat, præter sexcentos numos aureos nihil conferre poterat. Sed dum hisce rebus Pontifex invigilaret, longe graviores de *Picinino* rumores surgebant, qui contra *Marchiam* venire dicebatur. *Sigismundum* ergo *Malatestam* cum copiis suis, ut sibi præsidio essent, cives sibi vindicare volebant. Sed resistebat legatus, qui Pontificem rebus eorum provisurum esse adfirmabat. Crescebat metus, ex quo *Josias Asculanus* eos certiores fecerat, *Pici-*

F

ninum tractum petiisse *Recinetensem*, cui *Ascolani*, ne sibi vim adferret, trecentos scutatos numeraverint. Sed, quod hunc *Josiam* interpretis ei loco esse rumor erat, timorem nonnihil dimittebant. Nec tamen ad quosvis casus excipiendos minus promti & alacres, aut in urbe munienda segnes erant. Non falsus interea de adventu *Jacobi* rumor erat, sed *Lauretum* is veniebat, quo *Ricenetenses* centum & quinquaginta numos aureos ipsi muneri mittebant. *Asculani* vero, qui *Josiæ* fidem accusabant, quod fere nimis eum *Jacobo* addictum fuisse probat, ab urbe petiebant, ut, quo is justo adficeretur supplicio, aut saltem publicæ pacis & quietis caussa in carcerem conjiceretur, a Pontifice impetrare studerent. Mortuo paulo post *Calixto* & ante eum *Alphonso Arragonio*, Rege *Neapolitano*, ne novam excursionem *Picininus* susciperet, metus erat, sed tum quidem vanus. Eo ipso anno, qui erat annus 1458. urbs *Fermana* satis magno cum exercitu incolas *Montis S. Petri* invadebat, qui dominium illius detrectabant. Legatus ergo *Ricenetensibus* sub pœna exclusionis a communitate sacrorum injungebat, ut certum militum numerum castello huic auxilio mitterent. Hi duos ablegabant oratores paciscendi de hac re caussa: & paullo post alios pro *Fermanis* legatos mittebant ad præfectum provinciæ. Non potuit autem, nisi post plures annos, negotium hoc componi, ut ex sequentibus patebit. *Anconæ* etiam motus quidam auctoritati Pontificiis adversi acciderant: quare Legatus, posteaquam frustra interdicto eos tollere tentaverat, cives unius cujusque libidini expositos esse declarabat, ipseque in eos arma comparabat. *Recinetenses* hanc rem multis in provincia turbis occasionem esse daturam intelligentes, Legati iram cohibere studebant, suoque in mandatis dabant legato, ut *Anconitano*, qui eum comitabatur, omni modo ope & auxilio adesset. Ac quum multæ aliæ præter *Anconam* urbes, quæ dominationem Pontificiam graviter ferebant, & in his *Firmani*, id summopere postularent, oratores etiam ad Pontificem mittebant. A quo impetrabant, ut *Anconitani*, solutis ærario Pontificis mille scutatis, centum *Nicolao* cuidam *Castellano*, ex quinquaginta heredibus ejus, qui in isto tumultu occisus erat, criminis absolverentur. Non minus acriter in eo 20 elaborabant, ut *Jesenses* & *Anconitani* reconciliarentur. Sed quum ob *Anconitanorum* pertinaciam nihil possent efficere, omnes suos, qui ullo modo *Anconitanis* serviebant, domum revocabant, gravissimisque pœnis, ne quis eo reverteretur, sanciebant. Deinceps, Legato id flagitante, episcopum urbis ad tollendas hasce discordias, extorquendaque furiosis hominibus arma ablegabant. Cujus quidem venerandi viri persuasiones tantum valebant, ut, depositis armis, utraque pars de pace deliberationem susciperet. *Recinetenses* etiam Cardinali *S. Susannæ*, *Alexandro Olivæ de Saxo ferrato*, Legato *Marchiæ*, utramque urbem factis jam conventionibus, ut iis, quæ fieri deberent, obtemperaturam esse spondebant, mulctamque quatuor mille scutatorum, si res secus caderet, pro iis sese soluturos polliciebantur. Nihilo tamen minus parum in his rebus constantiæ erat: nam *Anconitani*, summo cum *Esinorum* & *Recinetensium* dolore, ad antiquam degenerabant amentiam. Hi ergo rem ad Legatum deferebant, qui, ut oratores *Anconam* mitterent, flagitabat. Sed omnibus consiliis & deliberationibus nihil effici poterat: quamobrem Legatus vim adhibendam esse putabat. A *Recinetensibus* ergo, ut hominem rei militaris peritum ducentosque pedites in hanc rem suppeditarent, postulabat: quod illi quidem ita declinabant, ut militum loco certam pecuniæ summam solverent. Ad temporum nostrorum luxum perspiciendum, hic minime prætermittendum erit, paullo post has res gestas A. 1462. navem *Venenetam* in littore prope *Sinigagliam* naufragium fecisse, mercesque, quibus onusta fuerat, per totam prope provinciam vi tempestatis dispersas fuisse. Quarum quum nonnullæ jam consumtæ essent, delecto Pontificis, *Venetis* rogantibus, adveniente, qui eas illis restitueret, numi earum lo-

loco ſoluti ſunt, & libra quidem Zingiberis & caryophillorum aromaticorum decem denariis (1) vendebatur. *Eſini* interea moleſtias nonnullas *Anconitanis* intulerant, quod hi per litteras *Recinetenſibus* ſignificabant. Qui quidem junctis cum *Jeſenſibus* viribus illos ut & in honorem ſedis Apoſtolicæ, & reſpectu eorum, quæ generoſe pro illis eſſent polliciti, ab omnibus controverſiis abſtinerent, rogabant. Ac tanti apud eos hæ exhortationes poterant, ut, compreſſo furore, per ſatis longum tempus ſine armis negotia ſua tractarent. Hoc ipſo anno *Joh. Scarincius*, celebris pirata, octo navibus armatis mare inquietabat: quare bono *Recinetenſes* præſidio portum munibant, omneque frumentum locis tutioribus committebant. Hæc vero aliæque fortaſſis cauſſæ Pontificem *Pium* II. induxerunt, ut bellum Turcis inferre conſtitueret acerrimum: quare contra eos cruciatam, ut vocabant, expeditionem denuntiabat. *Recinetenſes*, quod magnam urbi cladem peſtis intulerat, milites ad eam ſuppeditare non poterant, ſed horum tamen loco magnam pecuniæ ſummam mittebant. *Venetis* etiam flagitantibus, ingenti frumenti copia ſubveniebant, licet circa id tempus Pontifex *Anconæ* diem obiret. Poſthæc, quum undique perturbationes & motus naſcerentur, forte etiam *Friderici* III. in *Italiam* adventus, ut multis aliis, ita & his, metum incuteret, id agebatur, ut urbs quam fieri poſſet validis munimentis cingeretur. *Fridericus* autem poſtea, ſive religionis, ſive voti cauſſa, ut ferebatur, A. 1468. *Lauretum* adiens, *Recineti* magnificentiſſime exceptus fuit, & in grati animi ſignum magiſtratibus, qui Priores vocantur, facultatem aureas catenas geſtandi, *Notarios* creandi, & infamia nothos liberandi conceſſit. Cernitur hoc non modo ex annalibus & membrana quadam, quæ in tabulario urbis conſpicitur, verum etiam ex inſcriptione in pariete cameræ illius palatii Priorum, in qua cauſſæ majores agi ſolent, conſpicua, quæ & in libro *Monumenta Italiæ* inſcripto legitur, hæcque eſt:

Sereniſſimus Cæſar Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ab Repub. Recanaten. honorificentiſſime ſuſceptus Magiſtratum ejuſdem de majeſtate ſua bene optimeque meritum auro inſignivit, procreatos ex damnato coitu legitimandi, Notarioſque creandi auctoritatem conceſſit. 1468. *die* 20. *Decembris.*

Idem privilegium proavo meo *Vanno Angelitæ* conceſſit, quem cum omnibus poſteris Comitem Palatinum fecit. Et ego quidem illud illæſum in hunc uſque diem conſervo, conceſſaque iſta auctoritate, ferente ſic occaſione, utor. Sequenti anno omni ſeſe cura contra peſtem munibant *Recinetenſes*. Sed poſtea hunc rumorem ab *Anconitanis* malitioſe diſſeminatum eſſe, ut nundinis eorum nocerent, compertum eſt. Quod quum *Recinetenſes* graviſſime ferrent, ac quovis anno, eo tempore, quo *Recinetenſium* incipere ſolent nundinæ, ejuſmodi quid fabularum ab *Anconitanis* prodi ſentirent, ſanciebant, licet iſto tempore omnes merces a vectigalibus eſſent liberæ, ſolos *Anconitanos* tamen quod extra illud tempus ſolveretur, ſolvere debere. Neque ſic tamen charitas in animis eorum extinguebatur. Peſte enim *Anconam* invadente, cives urbis iſtius exhortabantur, ut in ſuam urbem periculi evitandi cauſſa ſe conferrent. Sed peſſime huic beneficio *Anconitani* reſpondebant. Commodi enim ſui, non virtutis ſtudioſi, eodem tempore, quo *Recineti* nundinæ celebrantur, mercatum in ur-

(1) *a bajochi cinque.* Italice.

A be ſua inſtituebant. At *Recinetenſes* diploma a Pontifice *Sixto* IV. ad comprimendam hanc licentiam impetrabant. *Firmani* præterea, qui, ut hodie adhuc, ita ſemper *Recinetenſibus* addictiſſimi fuerunt, per oratores ſuos ſignificabant, quibus etiam ut negotii finem expectarent, demandaverant, ſe, ſi *Anconitani* huic Pontificis decreto, a Legato promulgando, morem gerere nollent, hanc tantam ſuperbiam omni modo ulturos eſſe, etiamſi vel hinc urbi ſuæ exitium immineret, in eamque rem jam copias conſcripſiſſe. His quidem *Recinetenſes* infinitas agebant gratias, ac, ut hactenus ſemper, ita in poſterum

B utriuſque urbis concordiam & amicitiam perpetuam fore, nec minus ſe, ſi auctoritate Legati *Anconitanis* pax ſuaderi non poſſet, voluntati eorum ſemper obtemperaturos eſſe, declarabant. At non his opus erat remediis, quin paullo poſt ægritudines cum lætitia commutabantur, quum Pontifex *Antoniacomum Venierium*, *Recinetenſem*, in purpuratorum numerum reciperet. 21
Qui quoniam, antequam Cardinalis crearetur, Epiſcopus fuerat urbis *Conca* in *Hiſpania*, Cardinalis *Concanus* ab epiſcopatu ſuo vocabatur. Magno animo hic vir fuit, eximiaque induſtria: quare *Garimbertus* in *vitis* ſuis

C non uno loco honorificam ejus mentionem facit. Nec minus egregia fuit eloquentia, ac idcirco in arduis quibuſdam negotiis a Pontifice ad Ducem *Mediolanenſem* miſſus fuit. In qua legatione non modo rem Pontificis optime geſſit, verum etiam ſingularem Ducis benevolentiam ſibi comparavit, ut *Franciſcus Philelphus* in epiſtola quadam ad eum *Libro* XXVIII. teſtatur. In urbe patria magnificum extruxit palatium: quamquam publicis in eo negotio ſumtibus etiam adjutus fuit. Morte quidem, quo minus illud plane perficeret, impeditus eſt: ea tamen illius opportunitas hodie adhuc & amplitudo eſt, ut

D legati provinciæ, quando aut æſtus evitandi, aut aliarum rerum cauſſa in urbem ſe conferunt, in eo commorari ſoleant. Pontifices etiam, quando huc commigrant, in eo divertunt. Retinet autem palatium hoc antiquum nomen, communiterque palatium Cardinalis appellatur. Mortuus eſt ille *Recineti*, ſed *Romæ* ſepultus: ubi *Sixtus* IV. in æde *S. Clementis*, a qua nomen habebat, prope horologium monumentum ei fieri curavit, adjecto eleganti epitaphio. Hoc anno 1474. urbs portum in flumine *Potentia* conſtruere incipiebat, poſteaquam e ſede ſua amnem veluti deduxerat, & caſtello viciniorem

E fecerat. Cauſſa hujus erat conſilii, ut naves, quæ merces ad nundinas deportabant, eo ſecurius appellerent. Opus brevi, ope architecti, abſolvebatur: at non ad eum, qui neceſſarius erat, perfectionis gradum deducebatur, quoniam turbatis aquæ impetu palis, novos collocare eoſque fortius communire, conveniebat. Dum hæc gererentur, lites quædam inter *Firmanos* & *Varanos*, *Camerini* Dominos, exoriebantur. Ac nemo jam erat, quin arma ab utraque parte ſumtum iri, putaret. *Recinetenſes* ergo legatos mittebant, qui omnes ſuas opes *Firmanis* offerrent, quod hi in controverſia de nundinis cum

F *Anconitanis* fecerant, iiſque flagitantibus oratores etiam ad Pontificem ablegabant. Circa idem tempus *Sangineſes Recinetenſes* implorabant, ut in controverſia, quæ ſibi cum *Fermanis* de finibus eſſet, judices eſſent. At hi, antequam *Fermani* conſenſiſſent, nihil in hac re tentare volebant. *Fermani*, quod & adverſarii fecerant, rem *Recinetenſium* committebant arbitrio. Atque hoc facto concordia mox reſtituebatur. Inter hæc *Bartholomæus Coglione* religionis cauſſa, ut ſanctiſſimæ matris Dei domum inviſeret, *Lauretum* adi-

adibat: quem, pro more suo, splendide *Recinetenses* ibi exceperunt. Paullo post quum in mari Ardriatico plurimos comparere piratas intelligerent, portui suo, turrique *Aspi* de bono prospexere præsidio. Longe vero majori calamitate A. 1476. obruebantur, quo pestis ita urbem adfligebat, ut miseri cives fugitivorum instar undique dispersi essent. Ad divinum itaque confugiebant auxilium, coronamque argenteam, quam virgini *Mariæ* beatissimæ fieri curaverant, solemni pompa *Lauretum* deportabant: paullo post figuram urbis ex argento conflatam eo mittebant, quæ hodie adhuc ibi conspicitur. Atque sic paucis mensibus elapsis liberabantur. Placuit eodem anno *Sixto*, Pontifici, domum *Lauretanam* ab episcopi *Recinetensis* jurisdictione sejungere, clavesque etiam thesauri, cujus curam urbs semper sacerdoti cuidam commiserat, auferre. Sed tamen quum *Recinetenses* veterem urbis & domus sanctissimæ unionem vehementer a Pontifice peterent, consensit is non modo ac urbi antiqua jura reddidit, sed & Nepotem suum, episcopum *Recinetensem*, Cardinalem fecit, qui postea Cardinalis *Recinetensis* appellatus est. Tanta erat postea inter urbem & hanc familiam necessitudo, ut, fratre episcopi uxorem ducente, ille *Romam* ad nuptias urbem invitaret: quæ quidem legatos suos cum magni pretii donis eo misit. Hoc anno *Montacchienses*, Pontificem terram suam venditurum esse, scientes, ad *Recinetensium* confugiebant opem: qui quum *Romam* legatos misissent, res eventu caruit. Ac majores quidem curæ, quam hæ, mentem tum Pontificis invaserant. Turcas nimirum *Valonæ* strenue ad bellum sese parare fama ferebat, ac propterea metus pleni omnis erant, multique pedites & equites, qui littus maris custodirent, conscribebantur. *Recinetenses* etiam *Lauretum*, præsidii caussa, militum manum mittebant. Sed in alios tamen hæc tempestas desæviebat. Iratus quippe Turcarum Imperator, quod *Rhodum* insulam, ab equitibus impeditus, expugnare non potuisset, magno *Italiæ* damno e præfectis unum in *Apuliam* mittebat, qui urbem *Otranto* occupabat, multaque loca igne devastabat. Hæ vicinæ tamen calamitates a novis conatibus *Osimenses* non absterrebant. *Guzo* quidam, civis eorum, insidias in ecclesiam moliebatur ac Legato morem gerere nolebat. Exspirabant tamen statim hi motus, simulac *Recinetenses* ab *Osimanis* rogati sponsionem quinque millium scutatorum suscepissent, *Guzonem*que hunc nihil novi contra imperium ecclesiæ molitum esse testarentur. Erant vero tum temporis *Recinetensibus* lites nonnullæ cum civibus *Monteluponis*, de aqua flumine *Potentiæ*. Ac magnis ea malis forte locum dedissent, nisi urbs *Firmana*, cujus utraque pars arbitrio negotium commiserat, intercessisset. Pestis paullo post *Monteluponem* invadebat: quod faciliorem controversiis exitum, accedente *Fermanorum* auxilio, aperiebat. *Ricenetenses* tum, metu *Turcarum* nondum cessante, novis urbem munimentis cingere studebant, certamque pecuniæ summam ad naves quasdam bellicas, *Anconæ* constructas, sustentandas numerabant. In ipsa urbe hoc anno turbæ quædam inter nobiles & populum de gubernatione civitatis emergebant, bellumque sequutum fuisset intestinum, nisi Pontifex, misso legato, remedium his malis adtulisset. Quamquam & annonæ caritas & pestis, quæ vehementissime per duos annos urbem vexa-
22 bat, multum ad pacem restituendam conferebant. Nihilo tamen minus, legato jubente, quinquaginta pedites, nescio qua de caussa, *Perugiam* mittere debebant. Pontifex porro Cardinalem *Savellum*, quem Regi *Neapolitano*, ho-

A sti suo, favere suspicabatur, comprehendi ac custodire in castello mandari jubebat. *Ricenstenses*, quorum patronus hic erat Cardinalis, tanta erant audacia, ut caussam ejus Pontifici commendarent, benevolentiæ sine dubio ejus erga se confisi. Mox vero Pontifex, facta cum Rege pace, *Savellum* & Cardinalem *Colonnam*, qui eadem de caussa in carcerem missus erat, sponte dimittebat. Ab eodem etiam Pontifice obtinebat urbs, ut *Venetis*, licet bello cum Pontifice implicatis, tuto ad nundinas suas venire liceret. Sed paullo post pestis denuo ingruebat, ab inferiore urbis parte in ea tribu, quæ *Castellum novum* vocatur, incipiens, ac per multos menses magnam cladem ur-
B bi inferebat. Quare misericordia tacti *Montis sancti* cives terram suam, quo confugere possent, *Recinetensibus* offerebant. Hæc pestis obstabat, quo minus *Firmanis*, quorum castellum *Aquaviva Ascolani* obsederant, auxiliares copias mittere possent. Legatos tamen ad eos ablegabant, qui non modo urbem excusarent præsentemque ejus infirmitatem demonstrarent, verum etiam aliquot centum scutatorum donum offerrent, meliorique tempore nec vitæ, nec opibus, nec sanguini in defendendis sociis parsuros esse *Recinetenses* docerent. *Fermani* vero, ut quanti fœderato-
C rum suorum benevolentiam facerent, declararent, doni loco missam pecuniam accipere nolebant, sed ut commodatam suo eam tempore reddebant. At Legatus, qui quantum urbs apud *Firmanos* posset, non ignorabat, petiit ab ea, ut e suis civibus ad dirimendas istas controversias mitteret. Gessit illa morem, fecitque ut pax constitueretur: cujus a *Firmanis* custodiendæ sponsores etiam *Recinetenses* erant. In partem autem hujus pacis citerior etiam fluminis ripa veniebat: quæ terra, hodie urbs, *Asculanorum* partibus faverat. Hoc ipso anno porro in urbe *Osimo* turbæ nascebantur. *Boccolinus* quidam potentissi-
D mus in ea, quum ipse sedi Apostolicæ infensus esset, urbem ad nutum suum flectebat. Legatus ergo militum manu collecta armis ad obsequium eam revocare constituebat, ac *Montefiorem* versus proficiscebatur, quo *Recinetenses* cohortem ipsi militum auxilio mittebant. Postea *Recinetum* veniens, collocato in castello & turre *Bagnolensi* præsidio, omnes ibi armatos esse jubebat, quo ad nutum proficisci possent. Pontifex vero *Innocentius* VIII. quoniam non secus ac si propria res ageretur, *Recinetenses* negotium istud curare cognoverat, castellum ipsis *Montefanense*, quod *Osimani* possidebant, dono dabat.
E Is tamen, quum bellis natura inimicus esset, primo num sine armis concordia restitui, ursque ecclesiæ imperio rursus subjici posset, explorare volebat. Cardinalem itaque S. *Petri in vinculis*, qui postea *Julius* II. fuit, legatum ad eos mittebat, qui omni modo *Osimanis* persuadere cupiebat, ut arma deponerent. At hi, *Boccolino* auctore nulla arte eo adduci poterant: quare legatus bellum eis denuntiabat, ac universo cum exercitu versus *Osimum* movebat, *Recinetensibus*, præter milites, & victum & machinas copiose ei suppeditantibus. Bellum hoc eo magis urgebatur, quod *Osimanos* fœdus cum *Turcis* fecisse
F perhibebatur, ea conditione, ut urbem suam illis traderent. Cui nuntio eo major habebatur fides, quum in ipsa obsidione, multas naves Turcicas in mari comparere, nuntiaretur. Præficiebat Pontifex huic expeditioni *Johanniacomum Trivultium*, magni nominis ducem, eique in mandatis dabat, ut, castello *Montefanensi* occupato, illud *Recinetensibus* possidendum daret. Multi vero menses consumebantur, antequam ad obsequium Pontificis urbs hæc reduci posset: quod tamen tandem A. 1487. in fine *Julii* mensis fiebat.

bat. Pontifex, ne denuo a fide deſciſceret, firmum in ea caſtellum exſtruebat, atque ſic belli finis erat. Interea de *Turcarum* motibus ſermones quotidie augebantur, & equitum *Rhodiorum* præfectus peculiaribus litteris, quanto illi ſtudio ad bellum ſeſe compararent, ſignificabat: id quod *Recinetenſes* excitabat, ut de munienda urbe ſua ſolliciti eſſent. Ceterum, *Oſimenſi* bello finito, quum *Monteſanenſe* caſtellum ſibi non tradi viderent, civeſque ejus Pontifici mille & trecentos ſcutatos obtuliſſe intelligerent, ſi in fidem ipſius ſedis Apoſtolicæ recipi poſſent, ipſi mille & ſexcentos, ſi illud obtinerent, promittebant. Mittebant etiam ejus rei cauſſa *Romam* legatos, quibus, ut nulli pecuniæ parcerent, imperabant, pluſque ſemper numorum, quam *Monteſanenſes* promittere viderent, pollicerentur. Sed quidquid molirentur, quidquid etiam laborarent, voti ſui compotes fieri non poterant, quoniam Pontifex, incertum qua de cauſſa, mentem mutaverat. Veriſimile eſt, quemadmodum *Recinetenſes* ſemper obſtiterunt, ne *Oſimanorum* in poteſtatem illud caſtellum veniret, ita hos rurſus omnem diligentiam adhibuiſſe, ne *Recinetenſes* eo potirentur, licet magna ſpes ipſis denuo facta eſſet. His temporibus *Offidæ* tumultus oriebatur & Pontifex, miſſo illuc Legato, a *Recinetenſibus* flagitabat, ut copiis ſubſidio ipſi eſſent. Verum hi præter bombardas nullas militum loco certam pecuniæ ſummam numerabant: *Firmanis* etiam ad caſtellorum ſuorum defenſionem arma plurima ſuppeditabant. Sed is, qui provinciam tum adminiſtrabat, *Recinetenſibus* valde ſe iniquum præbebat. Civitas nimirum facinoroſum quemdam ſuſpendio adfecerat, quoniam, (ut ex conſilio quodam celeberrimi *Baldi*, *Peruſini*, quod manu ſcripſit propria, & ex aliis magni nominis Juriſconſultis conſtat) a plurimis Pontificibus merum & mixtum imperium conceſſum habet. At provinciæ præfectus, rationes magiſtratus auſcultare nolens, vim incolis tractus ejus idcirco inferebat, pœnamque in urbem conſtituere volebat. Quamquam *Firmanis* intercedentibus tandem placabatur. *Anconitani* etiam per legatos idem ipſis officium obtulerant, ut ſe gratos oſtenderent: nam *Recinetenſes*, ut merces quaſdam in *Hiſpania* illi recuperarent, litteras pro illis ad *Gabrielem Condulmarium*, *Recinetenſem*, ut is apud Regem verba pro illis faceret, dederant. Inter has turbas tamen civibus *S. Severi-*
23 *ni* auxilio ſuo urbs non deerat, quibus cum *Cingulanis*, quos tamen non offenderant, lites quædam erant. Numquam vero in majora pericula urbs incidit, quam A. 1493. ob inteſtinas videlicet diſcordias. Nobiles enim familiæ, *Vulpianorum*, *Alamannorum*, *Conſtantinorum*, aliorumque, quæ a *Friderici* II. Imperatoris temporibus jam ibi floruerant, hodie extinctæ, ægerrime ferebant, lege quadam in publico conſilio lata & pœna excluſionis a ſacris confirmata, ſibi aditum ad omnia officia publica & magiſtratus negatum eſſe. Et unus ex illis lacerato, in quo civium perſcripta nomina erant, volumine, novum ex arbitrio ſuo conſcribebat & concinnabat. *Anconitani* certiores de hac re facti, per quemdam fortaſſis, qui eo confugerat, non modo dolore idcirco adficiebantur, verum etiam officia ſua ad componendas haſce lites offerebant. Verum nullus quieti locus erat, antequam equites illi urbe eſſent ejecti, legatuſque, qui urbis cauſſa *Romam* miſſus erat, e medio ſublatus eſſet. Magnæ & frequentes tum cuſtodiæ ubivis conſtituere neceſſe erat, ob metum ſcilicet exilio mulctatorum. Quod intelligens comes *de Pitigliano* copiis ſuis urbi ſubvenire volebat. Nolebat quidem urbs hoc beneficio uti; quo tamen grati animi documentum

A aliquod extaret, duos eximios accipitres comiti dono dabat. Hæc tanta vero certamina, civileſque tumultus auctoritatem urbis cum apud vicinos, tum remotiores, nullo modo diminuebant. Auxilio enim erat nobili matronæ, *Chri.. horæ Colonnæ*, viduæ domini *de Monte Marciano*, efficiebatque ut cum præfecto reconciliaretur, qui eam obſederat. *Nurcinis* in controverſiis ſalinis opem ferebat. Urbis *Fuligni* civibus petentibus id illis, licentiam a *Camerini* Domino obtinebat ſecure per terras ejus tranſeundi. Ipſi interea *Oſimani*, bonorum vicinorum inſtar & priſcæ amicitiæ memores, *Recinetenſibus*, legatis miſſis, non modo operam, ſed & facultates ſuas, & perſonas in iſtis turbis offerebant. At illi tandem, B factis quibuſdam inter ſe conventionibus, fideque data & recepta, neminem læſum iri, exules denuo recipiebant. Sub finem anni 1495. ſuſpicio quædam naſcentis in urbem peſtis oriebatur, & *Oſimani* cives in ſuam urbem ſalutis cauſſa invitabant. At ſequenti anno ita malum hoc invaluit, ut incolas plane paucos faceret reliquos. *Recinetenſes* itaque non aliam ſibi ſpem ſupereſſe ſentientes, quam in Dei & ſanctiſſimæ ejus matris, quæ tractum ſuum ſanctiſſimæ ſuæ domus præſentia beare voluerit, auxilio, ad eam confugiebant, ſeque ſolemni ritu templum & domum ejus viſitaturos, eoque coronam auream C beatiſſimæ virgini dono delaturos eſſe, ſpondebant. Paullo poſt liberabantur, ac a Pontifice impetrabant, ut corona hæc capiti virginis imponeretur, nec umquam ex eo tolleretur. Hæc vero lues efficiebat, ut A. 1496. nundinæ nullæ eſſent, quoniam ea ante menſem *Octobrem* non remittebat. Hoc menſe eadem calamitas *Oſimanos* invadebat: quare *Recinetenſes* & hos & *Caſtelli Ficardi* cives, quo in loco etiam peſtis ſæviebat, ad ſe invitabant. At ipſi ſequenti anno malum non extinctum, ſed ſopitum tantum fuiſſe animadvertebant, ac menſibus quibuſdam iterum ab eo vexabantur. Lites etiam de forma imperii tum recrudeſcebant. Populares enim conſtituto D 96. civium numero non contenti, primo viginti ſex alios ex quavis urbis tribu, deinde duodecim adhuc alios, in hunc civium numerum recipi volebant. Quin eo tandem creſcebat numerus, ut 256. cives crearentur: qui quidem numerus per multos deinceps annos ſervatus eſt. Poſthæc bella inter *Firmanos* & *Aſculanos* rurſus incipiebant, quorum illi adhuc circa *Montem S. Petri* hærebant. *Recinetenſes* ergo numorum aliquid ipſis auxilio mittebant. Ab his autem Legatus Pontificis vehementer quadringentos poſtulabat pedites; cui poſt longas excuſationes horum loco certam pecuniæ vim numerabant. Inter hæc E *Firmanis* ſignificabant, ut, ſi vellent, ſuo jam auxilio in commendanda cauſſa ſua Cardinali *S. Georgii* commodiſſime uti poſſent. Sponſores præterea pro *Sarnanis* erant, qui cum *Mandolenſibus* pacem fecerunt, & *Fermanis* iterum bonam ſcutatorum ſummam mutuabantur. Eodem tempore *Hungariæ* regina *Lauretum* veniebat ac magnificis ab urbe muneribus honeſtabatur: quemadmodum & A. 1502. *Ugonem Moncada*, qui comite Duce *Gravinenſi* urbem iſtam adibat, ſplendide excipiebat, publicoque ſumtu ſuſtentabat. F Hoc anno Legato, qui *Camerinum* cum exercitu proficiſcebatur, militum & alimentorum magnam copiam ſubminiſtrabat. Poſtea novæ de imperio controverſiæ in urbe ſuſcitabantur. Ad quas componendas licet multa nova decreta rogarentur, eorum tamen animos, qui honeſtatis cura non ducuntur, minime tranquillare poterant. Neſcio qui fieri potuerit, ut hi homines iis temporibus tam præcipiti in res novas animo ferrentur, quibus peſtis ita urbem adfligebat,

bat, ut si minus perpetuo grassaretur, mensium tamen paucorum tantum intervallo quiesceret. Hoc ipso anno 1505. eo saeviebat vehementia, ut qui urbem relinquebant prudentissimi essent. Circa hoc tempus *Osimanis* novae nascebantur molestiae. Pontifice modios 1240. frumenti, quos ipsi adhuc ob impetratam castelli sui destructionem debebant, ab illis exigente. *Recinetenses* igitur, petentibus illis, non modo pro hoc frumento, sed & mille & ducentis scutatorum aureorum sponsionem suscipiebant. Nec minus *Firmanis*, qui nulla sua culpa in lites cum *Montelparensibus* inciderant, defensores sese praebebant, a Legato sine dubio adjuti, qui tum pestis caussa *Recinetum* se contulerat. Pontifex interea *Julius II.* bellum *Venetis* indixerat, ultimamque illis perniciem inferre cogitabat: qua de caussa *Recinetenses* a Legato moniti & portum & *Lauretum* firmis militum praesidiis instruxerant. Quum postea legitmo tempore nundinae *Recineti* instituerentur, ministri Pontificis merces a *Venetis* eo delatas auferebant: at, urbe Pontificem adeunte, apud quem multum poterat, restituebantur.
24 Hic Pontifex, quum belli caussa, quod ipsi cum duce *Ferrariensi* erat, *Bononiam* migraret, *Recineti* divertit, &, quum cultui sanctissimae virginis inprimis deditus esset, templum ejus *Lauretanum* dominio episcopi *Recinetensis* subtraxit & sacellum Pontificium fecit. *Nihilo* tamen minus temporale dominium in castellum urbi relinquebatur. Haec ipsa autem operum suorum aeternitatem animo volvens, A. 1512. artifices & architectos conducebat, qui portum suum, quem ligneis olim palis instruxerat, lapideum facerent. Sed architectorum principe mortuo, aliisque malis intervenientibus, consilium eventu caruit. Accidit hoc eo tempore, quo Pontificis copiae prope *Ravennam* ingenti ista & toti paene *Europae* fatali clade adficerentur. De qua quum *Recinetenses* certiores facti essent, ad placandum Deum continuae supplicationes & religiosae processiones ordinatae sunt. Nec minus urbs communiebatur, & exploratores emittebantur, qui simulac novi aliquid eveniret, rem denuntiarent. Legato autem Pontificis, ne militibus ipsi orbarentur, eorum loco pecuniam dabant. At quum postea copiae Pontificis *Pesarum* oppugnarent, necessario ad hanc expeditionem militum quemdam numerum suppeditare debebant. Eodem tempore processiones ad Numen exorandum instituebantur, quo a peste urbs intacta permaneret. Quae quidem & vicinas urbes & ipsam *Lauretum* occupaverat. Quod idcirco fortassis beatissima virgo permisit, ut populus patientiam addisceret, ardentiorique animo ad suam intercessionem confugeret. Non desistebant interea *Recinetenses* omni modo laborare, ut templum *Lauretanum* episcopatui suo restitueretur: at quum ejus rei caussa *Lauretum* saepius adirent, urbem lue etiam inficiebant, quae, non secus ac infernalis genius, processionibus iterum & precibus ejecta est. Semina belli inter *Anconitanos* & *Esinos* nondum plane extincta erant: ac hi quidem, vacua sede Apostolica, per mortem *Julii* ad *Montem S. Viti* castra locaverant, illumque vi *Anconitanis* eripere volebant. Provinciae praefectus, ut hos impediret, milites scribebat, & a *Recinetensibus* centum & quinquaginta flagitabat. At, his dicentibus, opus sibi illis esse ad urbem *D. Mariae* (sic enim *Lauretum* tum dicebatur) custodiendam, non amplius illis molestus erat. Hac vero de caussa factum sine dubio est, ut, quum *Romae* inter oratores *Recinetenses* & *Esinos*, qui eo ad salutandum Pontificem recens, creatum venerant, *Leonem X.* de jure praerogativae lites nascerentur. *Anconitani Recinetensibus* faverent, eorumque caussam acriter contra *Esinos* agerent. A. 1515. bellum civile *Recincti* denuo suscitatum iri, metus erat: at rebus majoris momenti mox sese offerentibus, illi modus facile statuebatur. *Franciscum* nimirum *Mariam*, Ducem *Urbini*, hostem Pontificis, cum potenti exercitu per *Marchiam* proficisci, omnibusque status ecclesiae possessionibus cladem & molestias inferre, a Legato provinciae accipiebant. Quare hi urbi suae quovis modo prospiciebant, ac ne hostis improvisus irrueret, dies noctesque custodias collocabant. Sed quum postea, sibi resistendi facultatem non esse, animadverterent, & ne sibi, quod *Jesi*, *Fabriano*, aliisque urbibus acciderat, quae excidium passae erant, eveniret, metuerent, legatos mittebant, qui cum Duce pacisserentur. Convenit ergo, ut sex millia nummorum aureorum solverent, si omnis damni a Duce alioquin inferendi expertes esse vellent: cui pecuniae conficiendae omnes Clerici etiam pensum suum conferebant. Initio quidem nemo, quoniam *Franciscus Maria* Pontifici rebellis esset, aliquid conferre volebat: at quum urbs, se omne damnum inde proveniens in se recipere velle, sponderet, res expedita erat. Pontifex deinde, quid actum esset, certior factus, non modo veniam dabat urbi, quod pacta esset cum seditiosis, sed &, ut prudentissimam, eam commendabat, in diplomate, quod supra retulimus. Hoc metu sublato populares, quum paulatim a publicis se muneribus excludi animadverterent, eo quod plurimos eorum, qui in civium albo descripti fuerant, pestis sustulerat, nec ex iis, qui superstites erant, alii in eorum locos sufficiebantur, ita ut antiquus 96. civium numerus, aut minor adhuc forte, restaret, die quodam seditiosi curiam adibant, magistratibusque necessitatem hunc numerum ad ducentos augendi imponebant: quam in rem eorum, quos recipi volebant, nomina exhibebant. *Leo* hujus rei nuntio accepto, gubernatori *Marchiae*, ut eam componeret, in mandatis dabat: qui *Recinetum* veniens, vimque adhibitam esse intelligens, vi diplomatis Pontificii omnia, quae facta erant, irrita declarabat, novasque leges quasdam ferebat. A. 1518. a piratis, quos Graecus quidam, in eo loco habitans, introduxerat, portus *Recinetensis* igne vastabatur: sed paullo post instaurabatur, bono illic praesidio collocato. Ac tum Pontifex, metuens ne idem aliquando *Laureto* eveniret, muris eam cingi jussit, *Recinetensibus* lignum ad lateres coquendos ex publicis sylvis suppeditantibus. Ab hoc tempore locus hic *Castellum Lauretanum* vocatus est, quum antea, uti jam monuimus, *oppidum S. Mariae* diceretur. Hujus autem incendii caussa mercatores *Turci* & orientales ad nundinas tuto sese non venire posse rati, ut fides ipsis publica daretur, rogabant. Annuit Pontifex ac non modo *Turcis* omnibus, & orientalibus, verum etiam *Valonensibus* speciatim, quarum in urbe omnes prope piratae domicilium habebant, fidem publicam securitatis caussa concessit. Posthaec Pontifex, petentibus *Ricenetensibus*, urbem a *Marchiae* gubernatione sejunxit, ac peculiari cum *Lauretana* urbe Protectori commendavit, *Recinetum* etiam vicarium, qui suo eam nomine regeret, misit. Protector primus erat *Bernhardus Bibiena*, Cardinalis *S. Mariae in porticu*. Licet vero, ut diximus, haec 25
separatio facta esset, *Amadaeus* tamen quidam, civis, qui, quod domi nullum se superiorem agnoscebat, urbis etiam imperium adfectabat, irritam eam reddere allaborabat. Plebe itaque sibi conciliata, eam commovebat, ut numero 315. confuse curiam adirent, factoque consilio, aut conciliabulo potius, concessionem Pontificis repu-

pudiandam esse decernerent, quoniam satius esset, partem provinciæ *Marchiæ* urbem manere, cujus tum Legatus erat Cardinalis *Armellinus*, Protector *Recinetensis*. Et ut nemo esset, qui hæc perturbaret consilia, nocte quadam cives nonnullos trucidabat, & in urbe summa imis miscebat. Sed paullo post ad tempus cum suis in exilium extra fines urbis mittebatur, collocatoque in urbe sufficienti præsidio, quæ ab isto consilio constituta erant, refigebantur. *Firmani* hæc audientes legatos mittebant, omniaque sua officia sponte offerebant. *Amadæus* vero, acceptis ab *Anconitanis* trecentis peditibus & quinquaginta equitibus, *Montefiorem* se receperat, ex quo loco *Recinetensibus* molestus esse poterat. Quo intellecto hi, conscriptis præter milites proprios trecentis mercenariis, omnibusque machinis ad castellum expugnandum idoneis comparatis, obsidione eum cingere volebant. Sed licet, quo modo res ceciderit, haud scriptum invenerim, id tamen scio, non modo *Amadæum* nihil ex his consiliis damni accepisse, sed & res suas tam bene curasse, ut cum copiis suis *Recinetum* venerit. Ubi consilium, in quo de militibus dimittendis agebatur, adiens, se ipsum copiis suis stipendium esse numeraturum, adseverabat, si quem invenire possent, qui possessiones suas emeret, & si persecutores sui, qui urbi sumtuum horum causa fuerint, eos restituturi essent: quare misera urbs magno suo damno stipendium illis solvere coacta fuit. Agebatur quidem de pace, veniaque commissorum ipsi concedenda, si quidem urbe vellet excedere. Sed nihil proficiebatur & novæ adeo insuper accedebant calamitates & pericula. Inter alia congregato aliquando consilio publico, *Amadæus*, qui forte ut convenirent studio effecerat, sic publice verba faciebat: „ Vos omnes, cives optimi, in ea, quam „ ipse teneo, sententia versari sentio, vitæ quie- „ tæ & tranquillæ optimam matrem legum & „ statutorum observationem esse. Prudentiæ „ hominum itaque convenit, ut quænam illæ „ leges & statuta sint, unde tam salutaris effe- „ ctus proveniat, probe dispiciant, ceterasque, „ quæ his adversentur, sanctiones deleant & ab- „ rogent. Sed dicant mihi, qui se artem gu- „ bernandi callere videri volunt, qua venera- „ tione, qua dignitate apud nos leges & institu- „ ta sint a majoribus nobis tradita. Certe si qua „ esset eorum apud nos auctoritas, nulli obscu- „ rum esse posset, nos nec legibus obtemperare, „ nec etiam velle obtemperare, quin nos eo „ longius ab illis discedere, quo vehementius ei- „ dem, cui *Lauretum*, magistratui subjici cupi- „ mus. Sic ipsimet nos facultate, qua cetero- „ quin præditi sumus, privamus eum, qui res „ nostras administret, eligendi. Sane, hac ob- „ tinente sententia, electio omnium cessat ma- „ gistratuum, nosque ipsi ea spoliati rationibus „ reditibusque nostris nocebimus, quorum caus- „ sa tot sæpe sumtus facere coacti sumus. Quin „ actum erit de ea imperii forma, sub qua ma- „ jores nostri tam quiete, libereque vixerunt. „ Atque hæ caussa superioribus diebus pruden- „ ter spectatæ sunt, quum in publico consilio, „ unionem cum provincia non esse deferendam, „ decernetur. Nihilo tamen minus aut animi „ nostri novitatis avidi, aut libido forte nescio „ quem audiendi, qui *Lauretani* gubernatoris „ partibus favet, fecit, ut hæc mutaretur sen- „ tentia. Quid ergo mirum, si turbarum omnia „ plena sint, resque nostræ quotidie in deterius „ ruant? Optimum igitur consilium mihi vide- „ tur, ea, quæ his diebus decreta sunt, denuo „ suscipere, id est, unionem cum *Marchia* ser- „ vare. Nemo dicat, urbi & civibus majores in- „ de expensas nasci. Nec enim id ita sese ha- „ bet: quin, si id tempus hodie ferret, diluci- „ de demonstrare possem, longe majus damnum „ ex unione *Lauretana* profecturum esse. Hæc „ igitur, quæ jam dixi, ab omnibus ut proben- „ tur, necesse est, quoniam, ut id fiat, volo „ & jubeo. Atque sic pacem cunctis restituo, „ injuriarumque mihi huc usque illatarum ve- „ niam omnibus concedo. „ Hac oratione, quam furor & amentia ipsi dictaverant, absoluta, cives partim metu coacti, partim, quod cum eo sentirent, in sententiam ejus ibant, ac nemo unus erat, qui reponere verbum auderet, quod ferum & sanguinolentum eum cuncti esse noverant. Ex centum igitur & nonaginta suffragiis, tot enim erant, quatuordecim tantum secreto ei adversabantur. Sed tamen quominus hoc consilium obtineret, plurima obstabant: quare ad antiquas reversus minas omnia denuo in Senatu turbabat. Tandem de his rebus certior factus *Leo*, Pontifex, non poterat, quin eas moleste ferret. Quare per Cardinalem *Mediceum* litteras ad urbem dabat, ac, ut duos aut tres oratores, qui quid factum esset plenius exponerent, *Romam* mitterent, imperabat. Obtemperabat urbs, eosque eo ablegabat, qui rerum optimam haberent notitiam: quibus auditis Cardinalis, nomine Pontificis, rescribebat, nolle Pontificem, ut gubernator ejus rei caussa vel *Amadæum*, vel socios ejus judicio persequeretur. Hoc ille responso forsan audacior factus ipse *Romam* proficiscebatur: at *Leo* laqueo ipsi gulam frangi jubebat, narrante *Jovio* in *vita Leonis*. Posthæc, episcopo *Bonafidio* ad id delecto, omnia, quæ ab eo tempore, quo *Amadæus* cum copiis e *Monte floris Recinetum* venerat, publico urbis nomine decreta erant, rescindebat, formam reipublicæ veterem restituebat, novas non- 26
nullas ferebat leges, quibus ita populus adstringebatur, ut pœna exclusionis a sacris immorigeris dictaretur, eademque in eos, qui immutare aliquid auderent, constitueretur, denique civium numerum ducentis constare debere, sanciebat. Adveniente, quem diximus, legato Pontificis, qui *Amadæi* partes sequuti erant, *Anconam* se conferebant, ubi eos milites conscribere & expeditionem in *Recinetenses* comparare, fama ferebat. Non levis igitur metus novi oriebatur belli, maxime, quod *Fermo* & *Ascolo* nuntiaretur, equites & pedites *Hispanos* castra movere cœpisse. Accedebat, quod *Laureti* custodiendi caussa certus militum numerus ex omnibus urbis partibus colligendus erat, quod mercenarios quamplurimos ut conducerent, efficiebat, & filii *Amadæi* jam vinculis liberati omnia denuo misere tentabant, ne requiesceret civitas. His motibus aliquantisper sedatis *Recinetenses* milites dimittere volebant. Repugnabat autem gubernator provinciæ, nisi solutionem quinquaginta mille scutatorum, si exules ad damnum ullum inferendum redirent, in se suscipere vellent. Concludebatur igitur, ut ad summam huic numerandam familiares & propinqui exulum obligarentur. Inter hæc *Leo* Pontifex moriebatur, & *Recinetenses*, quo modo res suas in posterum curarent, dubii erant, nec enim in unione *Lauretana* constantes permansuri videbantur. Gubernator vi hoc ab illis impetrare volebat: verum hi & urbem militibus instruebant & sociis *Fermanis*, quid rerum ageretur, per legatos denuntiabant. *Bernardinus* & *Bastianus*, filii *Amadæi*, e custodia dimissi, *Camerini* cum quibusdam aliis commorabantur, patrocinium ipsis *Sigismondo Varano* præstante, qui, ejecto *Johanne Maria*, patruo suo, urbis istius dominum se fecerat: cujus etiam auxilio vi in urbem penetrare cogi-

cogitabant. *Recinetenses* ipsius *Sigismundi* litteris de hoc consilio certiores fiebant, quibus, nisi hos nebulones in patriam reciperent, omnia ipsis mala minitabatur. Communicatis ergo cum gubernatore suo, episcopo *S. Angeli*, consiliis, oratores, qui de hisce rebus deliberarent, *Camerinum* mittebant. Sed hi nihil responsi auferebant, præter hoc filios *Amadæi* flagitare, ut in patriam sibi redire liceret, idemque negotium magno conatu a *Sigismundo* agi: qui quidem novis litteris graviter & imperiose scriptis hoc ipsum postulabat. Urbs gubernatori suo hoc nunciabat: gubernator rem ad legatum *Marchiæ* deferri jubebat. Hic, ut sine ullis consultationibus *Bernardinus* & socii in urbem admitterentur, suadebat, si quidem armis vacui reverti vellent. Cognito hoc consilio, publicum ferebatur decretum, *Bernardinum* sociosque, quacumque etiam de caussa exules, patriæ restituendos esse, siquidem summi Pontificis aut administratorum ejus voluntate id fieri posset. Paucis diebus elapsis illi urbem ingrediebantur: sed sive quod nondum res satis compositæ essent, sive quod armata manu venirent, is qui vices gubernatoris tenebat ac omnes prope cives metu perculsi, illis adventantibus, aufugiebant. Attamen non ita multo post, jubente Legati vicario, qui suos eo ministros, una cum delecto quodam viro mittebat, urbem rursus relinquebant. Inter hæc collegium Cardinalium a *Recinetensibus* postulabat, ut templum arcemque *Lauretanam*, quam vi Magistratus *Capuanus* occupaverat, vi recuperare studerent. At hi, ne locum hunc sanctum sanguine & cædibus commacularent, id facere renuebant. Idem collegium, quod sancta sedes adhuc Pontifice careret, paullo post gubernationem urbis *Recineti* & sanctæ domus *Lauretanæ* Cardinali *Tranensi*, episcopo urbis, committebat; qui vix dici potest, quantopere sibi studia urbis conciliaverit. Circa idem tempus *Bernardinus* & socii revertebantur, quibus collegium sanctum permittebat, ut secure in urbe ejusque tractu vivere possent, donec novus crearetur Pontifex: quo creato quindecim dies denuo discederent. Et quoniam idem Cardinalis ab illis non alienus erat, ejusve vicarius & quædam collegii membra auxilio eorum templum *Lauretanum* recuperare sperabant, quod, ut dixi, magistratus sibi *Capuanus* subjecerat, licentiam insuper cum armis ubique incedendi & bonorum suorum defendendorum caussa domi bombardas quasdam servandi, obtinebant. *Adriano VI.* Pontifice electo legati urbis significabant, se ab hoc diploma impetrasse, quo exulibus pax & securitas concederetur: eumdemque episcopum *Castelli amari* gubernatorem *Recinetensem* creasse, qui cunctis dissensionibus finem esset impositurus. Hic nuntius incredibilem universæ civitati lætitiam adferebat, omnesque cum plausibus per urbem currebant, quoniam tam diu expectatam tranquillitatem redituram esse confidebant. Adventante igitur episcopo omnes ipsi magistratus, eorum ministri, quin omnes Clerici maximis lætitiæ indiciis obviam ibant, ipsumque ad interiorem usque domus episcopalis cameram comitabantur. Huc delatus gubernator continuo *Bernardinum* & *Bastianum* in carcerem mitti jubebat & præterea, foribus domus occlusis, unum ex Prioribus, qui ex sociis *Bernardini* erat, comprehendi curabat. At hoc facto miles quidam seditionem concitabat, armisque cum multis aliis sumtis, palatium episcopale oppugnabat. Magistratus, omnesque cives, quoniam armis carebant, obniti his conatibus non poterant: quamobrem illi, facto in gubernatorem impetu, captivos potestati ejus eripiebant, collectaque manu quadam tam

A celeriter urbe egrediebantur, ut quarta forte urbis pars rei ignara esset. Multas autem in urbem & cives minas protrudebant, se gravissime acceptam injuriam ulcisci velle. Fieri non poterat, quin magistratus civesque maxima ob has res tristitia afficerentur: quare & se & totam urbem gubernatori offerebant ad exsequenda ea, quæ is e re publica fore judicasset. Sed non aliud responsum ferebant, quam operam esse dandam, ut profugi redirent, quo venia ipsis ex mandato Pontificis daretur: & magistratus publica eam in 27
rem edicta promulgari curabant. Idem hic episcopus fecit, ut *Lauretum* urbi restitueretur, quo

B ea civem gubernatorem, antiquo more, mittebat. Nihilo tamen minus magistratus in jus vocabat, quoniam exulibus, quum *Camerino* redirent, non restitissent: sed his ad *Adrianum* legatis mittentibus, qui rerum a se gestarum rationem redderent, silentium ipsi injungebatur. In rebus vero *Lauretanis* non tam facilis erat Pontifex, nec ullis precibus exorari poterat, ut a sententia *Julii II.* discederet. Has urbis calamitates pestis maxime augebat, quæ A. 1524. ita invalescebat, ut longe plurimi urbe egrederentur. Pestem tanta annonæ caritas excipiebat, ut ne pecunia quidem panis comparari posset. Hoc

C ipso anno, flagitante id urbe, sub-administrationem denuo Legati *Marchiæ* rediit. Miseriarum enim dudum pertæsa erat, quas, dum Prior *Capuæ* gubernator fuerat, pertulerat, ac moleste inter alia ferebat, quod contra morem majorum quotannis centum & quinquaginta aureos scutatos gubernatori solvere debuisset. Nec minus pro recuperanda *Laureto* vehementer laborabant, nullique pecuniæ, quo voti fierent compotes, parcebant. Ceterum Pontifex hic *Bernardinum* & *Bastianum* patriæ restituit, ac, ut eo facilius homines alliceret, damnorum acceptorum reparationem illis fieri jussit. Quod quidem consilium

D ita urbi placuit, ut *Bastianum Romam*, tanquam legatum suum, mitteret, eaque, qua neminem antea, auctoritate donaret, ut & unum e publicis sigillis fidei ipsius committeret. At hic nullum legationis suæ fructum capiebat: *Roma* enim ab exercitu Imperatoris capta & misere direpta, Pontifex, *Clemens* in castellum *S. Angeli* confugiebat, ac in eo ab iisdem copiis obsidebatur. Tantis in ærumnis *Marchia* quindecim millia militum auxilio Pontifici misit, cujus rei fidem antiqua quædam charta, in tabulario provinciæ reposita, facit, hujus argumenti: *Picœnum fida sedi Apostolicæ provincia, ut Pontificem ac sacro-*

E *sanctam urbem a teterrimo hoste tutaret* XV. *millia militum Romam versus sua sponte misit* A. D. 1527. *Recinetum* præter eos milites, quos pro rata dare cogebatur ducentos adhuc pedites sponte sua conducebat, eoque proficisci jubebat: ita ut Vicarius legati, urbe ab incolis pæne deserta, partim hujus rei caussa, partim quod multi metu in tutiora loca se receperant, peregrinis eam militibus præsidiariis instruere deberet. Sed nondum satis erat calamitatum. Accedebat mala lues, quæ facto a mense Julio hujus anni initio ad finem usque Maji sequentis anni sæviebat. Hoc anno, nescio quo modo & qua arte, flagitante quodam, qui se Pontificis

F ad magistratus urbis legatum dicebat, caput *Bastiano Amadæo* præcisum & in turris fastigio collocatum fuit, hac lege, ut, si quis sine concessione illud isto loco moveret, mulctam decem millia scutatorum solveret. Hoc seditiosorum capite de medio sublato, socios ejus omnes in gratiam & urbem gubernator recipiebat: Quid vero de *Bernardino* factum sit, non mihi constat. Pestem, quod fieri plerumque solet, maxima fames sequebatur, eo quod deficientibus partim hominibus, partim consuetudinem vitantibus, ter-

terrarum minima pars coli potuerat. Nihilo tamen minus *Recinetenses* & armis, & alimentis *Castelli Ficardi* incolis subveniebant, quo fortius injuriis, quas ab *Anconitanis* quotidie recipiebant, resistere possent. Post aliquod tempus portui ædificando operam rursus dabant, & quidem eo celerius, quoniam novus de *Turcarum* adventu rumor natus erat, qui deinceps tamen falsus reperiebatur. Anno, antequam Pontifex diem obiret, quum *Massiliam* proficisceretur, cum Rege *Francisco* colloquendi, conjugiumque inter *Catharinam Mediceam*, *Laurentii* ultimi natam, & *Henricum*, filium Regis secundo genitum, contrahendi caussa, *Recinetum* transibat, ibique pro dignitate exceptus est. Redux paullo post moriebatur & Cardinales in ejus locum *Alexandrum Farnesium*, Cardinalem, substituebant, qui *Paulus* III. dici voluit. Incredibile est, qua lætitia hæc electio *Recinetenses* adfecerit, fuerat enim hic Pontifex protector urbis & paterno prope adfectu eam semper prosequutus erat: a quo posteaquam Pontifex creatus erat, minime descivit. Hujus etiam benevolentiæ forte innixi, greges sanctæ domus e suo tractu junctis viribus abigebant: quoniam ejus administri majorem pecudum numerum, quam cum urbe conventum erat, in pascuis ejus alerent. Lis ad judicium deferebatur Pontificis. Sed cancellarius sanctæ domus litteras duriores & inficetas adversus cives nonnullos & magistratus, his insciis, offerebat. Quare irritati, quum tempore nundinarum is armatus feroxque in urbe obambularet, eum comprehendi & pœna funicularia ter adfici jusserunt (¹). Postero die rursus populus dictas greges tractu urbis ejiciebant. His tamen turbis non impediebantur, quominus pro civitate *Fermana* se obligarent ad viginti millia scutatorum, si illa *Asculanis* damnum intulisset. Caussam vero de pecudibus non minus strenue persequebantur, quin cum Pontifice vehementer agebant, ut sibi castellum *Lauretanum* restitueretur, repugnantibus sanctæ domus patronis. Pontifex utriusque partis benevolentiæ cupidus, *Recinetensibus* aliud castellum optimum se daturum esse pollicebatur, si juri in *Lauretanum* sponte renuntiare vellent. At, quum illi hoc quavis urbe aut pretio majus & melius existimarent, consentire in hanc conditionem nolebant, satiusque putabant, octo millia scutatorum aureorum ad instaurandum mœnia a *Leone X.* cœpta ærario Pontificis solvere, quam sine ullis sumptibus aliud castellum accipere. Quare & legatis urbis diploma tandem Pontificis traditum ac die 18. Decembr. 1535. castellum illis traditum est. Omnia, dum hæc agerentur, bellis flagrabant; Imperator in *Lombardia* potentis-
28 simum conscribebat exercitum, & *Maramaldus* interea cum copiis suis *Recinetum* transibat. Legatus autem quingentos pedites ad quemvis nutum suum paratos habere jubebat. Sed quum postea hunc *Firmanis* molestum esse velle intelligerent, contra quos delectus quidam Pontificis advenerat, confestim hominem ad legatum mittebant, qui illorum causam ageret: nec tamen poterant, quin centum ei ad minimum milites subministrarent. Certiores vero hac de re *Firmanos* faciebant per legatum, cui præterea in mandatis dabant, ut omnes illis urbis opes offerret. Motuum horum caussa longa & inveterata lis erat, quæ inter *Firmanos* & *castellum montis S. Petri ab Agli* intercesserat, quod ditioni illorum sese subduxerat. Hoc ipso tamen anno hæc tollebatur discordia, istis conditionibus, ut castel-

A lum *Firmanis* redderetur, si quidem hi possessiones & bona eorum, qui imperio eorum subjecti esse nolebant, coëmerent: quam in rem urbs *Recinetum* viginti quinque mille nummorum aureorum sponsionem pro illis recipiebat. Eodem anno *Recinetensibus* imperabatur, ut panem & vinum *Clissæ*, a *Turcis* obsessæ, subministrarent. Quamquam *Turcæ* tandem maximo cum Christianorum dedecore hanc urbem expugnabant, posteaquam Dominus ejus, *Petrus Crosichius*, diu & acriter satis eam tuitus erat. Pontifex autem, hoc accepto, quævis deteriora metuens, exercitum trium millium in *Marchia* & *Romania* per
B legatum comparari jubebat, in quibus *Recinetensium* numerus haud exiguus erat: qui præterea plurimos remiges propriis sumtibus, maximamque frumenti vim, in fœderis contra *Turcas* facti emolumentum suppeditabant. Hoc fere tempore *Fabrianenses* castellum *Gengæ* igne deleverant, & propterea in mulctam satis grandem inciderant: cujus partem quum solvissent, *Recinetenses* pro reliquis quatuor scutatorum millibus fidem suam obligabant. Præter hæc eodem adhuc anno, mense Septembri, Pontifex, quum *Nizzam* proficisceretur, Imperatorem & Regem *Franciscum* salutaturus, ad *Recinetenses* divertit.
C Qua lætitia ob hunc Pontificis adventum adfecti fuerint, animo facilius comprehendi, quam scribi potest. Id dicere sufficit, nihil eos prætermisisse, quo sancto huic Pontifici, patrono suo maximo, honorem quemdam exhiberi posse putarent. Qui quidem quum *Lucca* reverteretur, ubi de variis rebus cum Imperatore egerat, licet nihil aliud, nisi hoc, efficeret, sequenti anno concilium indicendum esse, itidem præsentia eos sua dignatus est. Cæterum his temporibus id inprimis operam dabant, ut propter metum *Turcarum*, qui quotannis mare littoraque vicina navibus suis inquietabant, urbem suam *Lauretum*que
D communirent & custodirent. Nimium vero quantum metus augebatur, quum classem *Turcarum*, octoginta navibus bellicis & centum levioribus constantem *Besticiam*, terram in *Apulia* prope montem *S. Angeli* sitam, concremasse, ibique castellum exstruxisse, fama ferret. Unde de armis, alimentis, præsidioque tum *Recineti*, tum *Laureti* amplificandis mature deliberabatur. Mortuis duobus aliis Pontificibus *Paulus IV.* interea successerat. Qui quidem *Hispanis* regnum *Neapolitanum* eripere cupiens ab *Antonio Caraffa* & *Jo. Antonio Toraldo* in finibus hujus regni, *Torantum* versus, belli initium fieri curabat. Hi
E Imperatores *Recinetum* transientes cum exercitu trium millium mercenariorum, præter milites ordinarios, nonnullisque equitibus, *Ascolum* contendebant. *Recinetensium* igitur erat, ut, quamdiu copiæ illæ in ea regione persisterent, magnam frumenti & farinæ copiam illuc mitterent. Idem officium *Gallis*, qui *Civitellam* & *Camplium* petebant, præstare cogebantur: ut taceam, quantum hæ copiæ & *Helveti* etiam transmigrantes consumpserint; ut & milites prætercam, quos dare debuerunt. His motibus morte Pontificis sedatis, tandem aliquando portum suum perficere in animum induxerunt. Vocato itaque archi-
F tecto hoc ab eo consilii accipiebant, ut per mille prope passus a castello flumen *Potentiam*, *Sciroccum* versus, abducerent: ejusque rei caussa magnum palorum numerum, qui ventorum vim, in deductione fluminis forte molestam, impedirent, ante omnia figerent. *Recinetenses* studio, quo in portum hunc ferebantur, insignique, quem promittebat, fructu ducti, fidem homini habebant. At experientia deinceps docuit, pessimum hoc fuisse consilium, sive a malitia, sive ab ignorantia profectum fuerit. Fixis enim palis & aqua derivata,

(1) Non potui aliter hæc verba Italica exprimere: *darli tre altissime strappate di corda.*

vata, tanto hæc manabat impetu, ut & palos, licet vegrandes, & ipsam terram, in qua consistebant, secum auferret. Atque sic, quod longo tempore ingenti sumtu urbs comparaverat, paucorum dierum spatio periit. Plurimum enim temporis, antequam undæ cursus dari posset, elabebatur. Interea A. 1562. virtute ac voluntate sanctissimæ matris Dei stupendum *Laureti* miraculum evenerat. *Johannes Saurezius*, episcopus in *Lusitania Conimbricensis*, quum ad sacrum *Tridentinum* concilium proficisceretur, religionis causa sanctissimam domum *Mariæ Lauretanam* visitare volebat. Hoc facto, quo cogitabat, abibat: relicto tamen sacellano suo, *Francisco Stella*, *Aretino*, cui in mandatis dabat, ut, pro licentia a Pontifice & Protectore, Cardinali *Carpensi*, impetrata, laterem e muro sanctissimi hujus domicilii auferret sibique religiosissime *Tridentum* asportaret. Templum enim is, *Dominæ* nostræ *Lauretanæ* consecratum, in urbe sua condere constituerat. *Franciscus* ea, qua fas erat, reverentia laterem sumebat, pretiosæque arculæ inditum, muloque impositum *Tridentum* ducere conabatur. Sed tam molesto, difficillimoque itinere utebatur, ut vix duorum mensium spatio eo pervenire posset. Vix vero urbem attigerat, quum episcopus tam subito præsentique morbo corriperetur, ut quæ natura illius esset, Medici plane ignorarent. Crescente igitur eo & quotidie invalescente virorum, fœminarumque Deo devotarum preces pro salute episcopi implorabantur. Ad extremum sancta quædam monialis, divinitus instincta, episcopo significabat, numquam, nisi lapidem restitueret illum, cum sanitate in gratiam rediturum esse. Quo audito, 29 obstupescebat ille, animoque perculsus statim sacellanum suum laterem eo, quo motus erat, loco reponere jubebat. Obtemperabat sacellanus & episcopus continuo valetudini restitutus est integræ. Iter autem, in quo tantum antea tempus consumserat, tribus nunc absolvebat diebus, equis, ut fertur, tam incredibili celeritate properantibus, ut volare prope viderentur. Gubernator *Lauretanus* certior de hoc prodigio factus, congregatis sacerdotibus, sacro solemnique ritu ad portam usque castelli huic lateri obviam ibat: quem sacerdotes, hymnum cantantes, reportabant, eoque loco, unde decerptus erat, ad sinistram altaris in muro, reponebant. Ad insolitæ autem hujus rei memoriam conservandam ferro, quod hodie adhuc conspicitur, cingebatur. Fama hujus prodigii tanta velocitate non vicina modo sed & remotiora loca penetrabat, ut propinquiores, partim rei novitate, partim religione adducti, certatim concurrerent. Et *Recinetenses* quidem, qui pro eo, quo ducuntur, sanctæ virginis studio peculiari modo patrocinium urbis ei commendarunt, perceptis continuo his rebus a præfecto, qui nomine urbis ibi commoratur, prorsus commoti sunt. Quare communicato cum episcopo consilio, jussu magistratuum die 8. Aprilis solemnis *Lauretum* processio indicta est; quo die sacerdotes, religiosi homines, confraternitates, omnesque cives eo illuc confluebant numero, ut ne fœminæ quidem aut pueri, qui jubilantes & exaltantes puerili cantu laudes sanctæ virginis decantabant, in urbe manerent. Ceterum hoc anno magnus in urbe prædonum metus erat, qui mare infestabant. Quamobrem & *Laureto* & portui omnibus modis providebant, ac quidem eo magis, quod illi prædones die 13. Maji prope portum naves appellentes piscatores, pastores, aliosque homines, triginta numero, præter opinionem abduxerant. Urbs igitur armis se tueri cupiens *Silvium* quendam, qui a Christianis defecerat, forte fortuna capiebat. Lanio is *Romæ* fuerat, ac propter scelera in mancipiorum remos ducentium numerum detrusus erat: postea a *Turcis* captus ejurata Christiana doctrina perfidæ *Mahumedis* sectæ nomen dederat. Ex hoc igitur homine intelligebant, prædones navium & militum insigni numero littus *Recinetense* invasuros esse, ac in animo habere, *Lauretum* proficisci, eamque urbem, si ullo modo fieri posset, diripere. Idem denuntiabat, multos alios eorum speculatores, magnis promissis allectos, in ea regione versari, qui arma in vicinis sylvis recondidissent & opportunitatem temporis expectarent, quo socios advocare possent. Signum, de quo conventum, hoc esse, ut certo quodam tempore in eminentiori quodam colle, *Cardeto* vocato, congregarentur, ac fundæ auxilio lapides quosdam in mare projicerent, ut id naves paullo remotiores intelligere & advolare possent. Fuerat hic nebulo etiam *Laureti* ac diligentissime, quo loco facillimus ad eam accessus pateret, exquisiverat. Quod ut sociis persuaderet, ferream catenam, qua mancipia constringi solent, e templo surripuerat, atque sic in colle comparuerat. Rebus his itaque divino nutu detectis, longe major adhuc in urbe metus exoriebatur. Quare omnibus recte atque ordine dispositis tot pedites, equites & arma quot poterant, colligebantur & nocte quavis vigiliæ constituebantur. *Lauretum* etiam multi mittebantur milites: muri quibus locis forte infirmiores erant, reficiebantur: & ad portum equites quidam speculandi caussa collocabantur. Dum hæc magna contentione gerebantur, die 10. Junii summo mane quatuor naves *Venetæ* subito conspiciebantur, quibus, ut postea intellectum est, *Antonius Canalis*, probatæ virtutis vir, præerat. Nondum hæ montem *Anconitanum* præternavigaverant, quum jam duas naves Turcicas persequi inciperent, quæ gyris & circuitu montis hujus tectæ jam in eo erant, ut aliam navem, quam viderant, adorirentur. At Turcæ *Venetos* sentientes remis subito velisque omnibus in fugam sese dabant: neque tamen ea uti poterant celeritate, quin altera navis in littus *Montis sancti* impelleretur. Turcæ igitur desperatis rebus omnibus, satius esse putabant, terram petere & sylvarum quærere latibula, quam *Venetis* sese dedere, quos necem omnibus suæ gentis inferre solere noverant. Fecerunt itaque, quod consultum ducebant: sed spes tamen sese occultandi vana erat. Equites enim *Recinetenses* ad portum collocati, navem semper in littore sequuti, uno tempore ad eum veniebant locum, quo Turcæ terram petebant, & quinquaginta fere in vincula conjiciebant. Quidam etiam a rusticis occidebantur, qui ob infinita, quæ ab eis acceperant, damna furore in illos accensi erant. Captivi *Recinetum* ducebantur ac ligati, veluti per triumphum, strepentibus tympanis, tubis & ære campano per urbem trahebantur: ad quod spectaculum ingens virorum fœminarumque multitudo confluxerat. Qui in altera erant navi, mortem, licet in altum se recepissent, nihilo felicius evitare poterant, sed occupata navi omnes securi percutiebantur. Utraque autem navis *Anconam* deducebatur. Hoc loco singulare quoddam & inauditum crudelitatis horum barbarorum exemplum præterire nequeo. Quum prima illa navis fuga salutem quæreret, præfectus ejus misero cuidam mancipio brachium corpore abscindebat, eoque flagelli instar ad coërcendos infelices illos, qui segniores in remis impellendis videbantur, utebatur, posteaquam semianime miseri illius corpus in mare projecerat. Qui tum vices Legati in *Marchia* administrabat, hac re audita, Turcas ad se mitti jubebat & postea *Romam* ad Pontificem, *Pium IV.*

IV. duci curabat. Sententia, quam auferebant, hæc erat, remis esse adstringendos eos, ut in suis corporibus tormenta, quibus Christianos captivos adfligere consuevissent, experirentur. *Recinetenses* interea ad *Canalem* istum, quem diximus, litteris datis, immortales ipsi pro præstito auxilio gratias agebant, seque hujus beneficii
30 memoriam non dimissuros esse, pollicebantur. Ac quum is postea *Lauretum* venisset, magnificis eum muneribus honestabant, iramque ejus, quam idcirco conceperat, quod Turcæ non statim trucidati essent, sedabant. Jam id in primis agere constituerant *Recinetenses*, ut novum sibi portum construerent, murosque *Lauretanos* instaurarent, quum denuo Turca, qui ignoto habitu conditionem castelli exploratum venerat, deprehenderetur & ad Legati vicarium mitteretur. Nova itaque fama de Turcarum adventu divulgata, omnis generis arma comparabantur ac *Lauretum* etiam, ut ea incolæ adhiberent, amandabantur. Cognito postea, barbaros *Brundusii* versari, præsidium in urbe collocabatur & magna juvenum manus *Lauretum* mittebatur, quæ illam custodiret. Hoc fere tempore fœdus contra urbem initum fuit, quo castelli *Lauretani* possessione ea privaretur: ac fama quidem fert (quod vix sine pudore scribere possum) ex ipsa urbe quemdam in hoc consp rasse facinus. Collectis ergo factis nonnullis & rebus, quæ ad id institutum facere possent, eos ad Pontificem deferebant. Pontifici tam verisimilia ista omnia, quæ arguebant, videbantur, ut diplomate peculiari episcopo *Anconitano* imperaret, ut erepto *Recinetensibus* castello isto, gubernatori sanctæ domus illud traderet. Quoniam vero urbs octo millia scutatorum aureorum ærario Pontificis numeraverat, quum *Pauli* tempore ad possessionem denuo admitteretur, idem hanc pecuniam ab ipsa sancta domo ei restitui debere, pronuntiabat. Præerat tum temporis huic castello urbis nomine *Ptolomæus Monaldus*, ex nobili *Vulpianorum* gente, qui, clausis palatii foribus, se consentire nolle in hoc spolium declarabat. At episcopus, fenestras a militibus, quos adduxerat, conscendi curabat; qui sic per vim ingressi Capitaneum (hoc enim præfectus nomine vocabatur) corripiebant ac extra castellum deportabant: quod factum A. 1565, die decimo quinto Novembris. Significabat idem magistratui, ut mitterent, qui octo illa scutatorum millia auferrent. At urbs non modo non eos accipere nolebat, verum etiam per Syndicum multis modis sibi injuriam fieri conquerebatur. Quare mercatori cuidam illic habitanti pecunia hæc commissa fuit. Rationes, quibus Pontifex commotus fuerit, ut hoc faceret, ipse in diplomate jam memorato enumerat, & sunt hæ. Quod *Recinetenses* reditus ex pænis facinorosorum redundantes non impenderint muris reparandis, quod vi diplomatis *Pauli III.* eos facere oportuisset, ac quod propterea castellum receptaculum latronum per hiatus murorum ingressorum factum sit, qui *Turcis* & prædonibus ad spoliandam & vastandam urbem aditum præbere studuerint. Quod eadem contra idem diploma vectigalium rationem mutaverit. Quod magnam alimentorum, panis præsertim & vini, penuriam insigni peregrinantium damno ibi excitaverit, eo quod non aliunde, quam *Recineto*, aliquid asportari permisisset. At quoniam ab omni veritate remotæ erant hæ accusationes, *Recinetenses* confidebant, Pontificem, si melius erudiretur, antiquum sibi dominium redditurum esse: ac eo quidem magis hæc eos spes tenebat, quod sole clarius contrarium eorum, quorum insimulati erant, ostendere, hasque, & alias longe graviores queri-

A monias in eos retorquere poterant, qui injuriæ hujus instigatores fuerant. Legatos itaque *Romam* mittebant: sed, quum Pontifex paullo post diem obiret, nihil effici poterat. His etiam diebus navis quædam vi tempestatis in terram impulsa erat, qua *Zacharias Salomo*, eques *Venetus*, vehebatur, qui, navi confracta, evaserat & in portu *Recinetensi* recreabatur. Hi ergo, qui insigni semper studio erga rempublicam *Venetorum* fuerant, ob varia officia ab illis accepta, ut & nunc sunt, omnia, quæ præstare possent, equiti sponte offerebant, nec non ligna ad navem reparandam donabant:
B quæ quidem humanitas magno equiti gaudio erat. Quum *Pius V.* pontifex interea factus esset, tantus denuo de Turcarum adventu rumor disseminabatur, ut multi sibi securis in urbe esse non licere rati, ad montes profugerent. Augebat metum epistolà vicarii legati, qua classem eorum prope montem *Garganum* sive *S. Angeli* in *Apulia* versari significabat, ac propterea pro gubernatore *Lauretano*, qui in *Aprutino* tractu degebat, auxiliares quasdam copias efflagitabat. *Recinetenses* licet ipsi satis domi haberent, quod providerent, nihilo tamen minus obedientes esse volebant, & quingentorum juvenum nobilium
C delectum ablegabant. Sed ne in ipsa urbe aliquid sinistri eveniret, milites quosdam peregrinos a vicario legati recipiebant & duplicatis custodiis dies noctesque vigilabant, maxime quod novus de exulibus rumor præter illum oriretur. Hic Turcarum metus quovis vere nascebatur & circa hyemem occidebat, donec auctor omnium istorum sermonum *Raccommodorus*, ex Christiano Turca & prædo, caperetur. Posthæc denuo de portu instaurando consilia agitabantur & quidem circa ostium fluminis *Potentiæ*, quum Pontifex, qui fœdus cum aliis contra Turcas fecerat, postularet, ut sumtibus suis urbs bonum re-
D migum numerum suppeditaret. Sequebatur anno 1571. celeberrima illa victoria, quæ multorum celeberrimorum virorum carminibus & scriptis celebrata est. Et *Recinetenses* iter sacrum & solemne *Lauretum* instituebant, ut Deo, sanctissimæque ejus matri gratias pro tanto beneficio redderent. Defuncto *Pio Gregorius XIII.* successor ejus, a curatoribus sanctæ domus incitatus, octo illa scutatorum millia, quæ deposita quondam apud mercatorem erant, quum *Laureto* urbs privaretur, ei obtrudere volebat. At ea constanter renitente, ne jus suum amitteret. Pontifex in ærario sanctæ domus ea reponi ju-
E bebat, facultatemque illis utendi dabat, donec *Recinetenses* ea sibi restitui vellent. Per diuturnum itaque tempus ea pecunia isto loco mansit. Hoc 31
ipso anno ad contentiones quasdam inter curatores S. Domus & *Recinetenses*, qui vectigalium adhuc domini erant, terminandas, certe quidam articuli facti, ac in publici instrumenti formam redacti sunt; confirmati deinceps a Cardinale *S. Urbini*, tum *Lauretano* Protectore, summa eorum hæc erat: Licere sanctæ domui mille & quingenta animalia in pascuis urbis sine ullis expensis alere; aucto vero hoc numero ordinarium vectigal solvendum esse. Eos, qui in castello
F vinum mensuris divenderent, dimidium tantum vectigalis ejus, quod *Recineti* solvitur, numerare debere. *Recinetenses* ceterum in recipiendis vectigalibus haud impediendos esse. Publicanis etiam *Laureti* licere vinum detinere. Reliquas lites terrarum, viarum & finium caussa exortas a quatuor viris, duobus ex *Recinetensibus*, duobus ex sanctæ domus administris, dirimendas esse. Sanctæ domui non permissum esse possessiones in tractu *Recinetensi* coëmere. Pistoribus *Lauretanis* aut paullo minoris, quam *Recineti*, panem ven-

vendendum, aut pro quovis frumenti onere numos quosdam solvendum esse: quæ pecunia viæ, quæ *Anconam* ducit, reparandæ impendenda sit. Pascuas & urbi & sanctæ domui communes esse debere. Urbem frumentum sanctæ domui honesto pretio comparare debere. Atque hoc quidem pacto quies restituebatur; quæ tamen alia denuo ratione disturbabatur. Pestis grassabatur *Venetiis*. *Anconitani* igitur, qui nundinis *Recinetensibus* ab initio inimici fuerant, ut ex superioribus constat, Pontificem rogabant, ne A. 1575. mercatus hicce fieret. Grave enim toti provinciæ periculum imminere docebant, si *Recinetum* ob tot hominum confluxum, merciumque copiam peste inficeretur. Sed omnes hæ difficultates superabantur a *Recinetensibus*, qui in hoc negotio cum legatis suis *Romam* missis, tum auxilio *Firmanorum* utebantur. Mercatores etiam, qui libenter eo veniunt, quoniam summa comitate excipiuntur, jus civitatis sibi comparare volebant, quo quamdiu vellent, tanquam in patria, hic illis permanere liceret. Quod consilium quum placeret urbi multi ex iis & quidem primarii in numerum civium recipiebantur. Sed tamen hæ molestiæ per quatuor annos, ab a. 75. ad 78., semper tempore nundinarum renovabantur: quamquam ob singularem, quam in urbe, littore, portuve, dies noctesque, custodiendo adhibebant diligentiam, divina inprimis vigilante providentia, nihil mali urbi accidit, sed illæsa mansit. Unde insequentibus Bachanalibus ludi militares ab equitibus quibusdam juvenibus, eximie vestitis & ornatis, fiebant, concurrente ad eos videndos tota pæne provincia. Sequentibus annis urbs in honorem sanctissimæ virginis, quæ ab angelis domum suam in tractum urbis deportari jusserat, in perpetuamque tantæ rei memoriam, locum, ubi primo ea reposita fuerat, muro cingere & templum parvum in eo condere constituerat. Locus est in agro, qui hodie *Bandervola* vocatur, hodieque adhuc, quoniam exiguo vallo & muro munitus, religionis causa intactus relinquitur. Sed obstantibus sanctæ domus administris, consilium impediebatur. Caussam licet quædam de ea differere possem, non omni ex parte novi. Circa idem tempus, quoniam, uti diximus, negotium portus parum feliciter successerat, quum e sede sua *Potentiam* derivarent, omnibus quippe dirutis, magnaque pecuniæ vi consumta, aquam ad antiqua littora reducere studebant extructo in eam rem ponte lapideo, sub quo transiret, magno sumtu, quum prior fuisset tantum ligneus. Sed quoniam aliis impediebantur expensis, res denuo irrita fiebat. Hoc ipso tamen A. 1601. spes est, fore, ut hoc opus absolvatur ob insignem, qui idcirco conficitur, apparatum. Sed ad filum narrationis meæ revertor. Quum *Sixtus V.* e *Marchia* oriundus in *Gregorii* defuncti locum succederet, non modo *Ricenetenses*, sed & tota provincia magnum rebus suis præsidium in eo exortum esse, sperabant. Urbs itaque, posteaquam *Japonenses* illos, qui nomine Dominorum suorum pedes Pontificis osculatum venerant, hospitio exceperat, legatos ablegabat, qui ut castellum ipsis *Lauretanum* restitueretur, elaborarent. Sed quum externa bona quæreret, sua prope amisisset. Pontifex enim aut studio *Lauretum* amplificandi, aut nescio qua alia ratione commotus, templum cathedrale *Lauretum* transferre ac urbis *Recineti* nomen prorsus delere constituebat. Et nonnulli quidem, quorum curæ negotium hoc *Romæ* commissum erat, optimum fore judicabant, si *Recinetenses* in ea via, quæ *Lauretum* ducit, quotannis certum quemdam domorum numerum fabricarent, donec duæ hæ urbes in unam conjunctæ ac copulatæ essent. *Ri-*

A *cenetenses* non quidem recusabant communem cum *Lauretanis* episcopum habere, sed ad domus illas exstruendas opes sibi deesse causabantur. Rogabant etiam, ut urbs ab administratione *Marchiæ* sejungeretur ac idem, quod *Lauretum*, temporale dominium haberet, ita ut gubernator *Recineti Lauretum* etiam gubernaret. Rem tamen omnem Pontificis committebant arbitrio. Tandem templum cathedrale *Lauretum* transferebatur. *Recinetense* in collegiatum mutabatur, ita tamen, ut *Sixtus* in sacro senatu decerneret, jus civitatis *Recineto* non adimendum, nec eam prærogativis ac privilegiis suis orbandam esse. Sed B hoc decretum tam acerbe ferebant *Recinetenses*, ut præter legatos *Romæ* præsentes amplius quam viginti quinque cives eo mitterent, ad animum Pontificis flectendum. Nec minus precibus sacerdotum & Monachorum utebantur, omnesque sodalitates sæculares iter sacrum *Lauretum* 32 facere jubebant, ut sanctissimam domum visitarent, & *Mariam* deprecarentur, quo tantis doloribus & calamitatibus finem adferret. At hæc, quæ forsitan eos tentare, aut cultus sui studiosiores reddere volebat, permittebat, ut nova adhuc mala succederent. *Lauretani*, ad quævis audenda proni, vectigal *Recinetensibus* diutius solvere nolebant & *Sixtus*, quo tractum illi quemdam haberent, nec vocatis, nec auditis *Recinetensibus*, partem terræ *Recineto* eripiebat, illisque donabat. Optimum ergo fore judicabatur, si taceret urbs, resque suas tempori committeret. *Sixto* mortuo reviviscebant veluti *Recinetenses*, & ab *Innocentio nono* impetrabant, ut & jus vectigalium & episcopatus restitueretur. Sed hoc duobus post electionem mensibus mortuo *Clemens VIII.* Pontifex sanctissimus, decreta & diplomata hanc in rem confici curabat. Atque sic *Lauretanus* & *Recinetensis* episcopatus copulabantur & *Lauretani*, quæ ex vectigalibus surripuerant, sibique vendicaverant, refundere cogebantur. D Idem totius tractus dominos *Recinetenses* denuo pronuntiabat, non secus, acsi numquam divisus fuisset. Ac ut omnibus litibus occasio præcideretur, nolebat, *Recinetenses* vectigalia *Laureti* accipere, sed certam quamdam pecuniæ summam, quam ærario alioquin solvere debebant, licet magno cum damno, illis remittebat: ærarii autem præfectis, ut hanc ipsam summam ab urbe *Lauretana* exigerent, imperabat. Quum ergo *Recinetenses* spe *Lauretani* dominii se penitus exclusos sentirent, octo illa millia scutatorum, quæ dudum deposita fuerant, efflagitabant, tandemque, E licet non sine quodam detrimento, quod ad valorem numorum, ea adipiscebantur. Anno antequam hoc fieret, tanta erat annonæ caritas, qualis post hominum memoriam nulla fuerat. Pauperes in viis obambulabant cadaverum ac umbrarum more, multique casus extraordinarii eveniebant. Unicus erat locus, quo panis in minutula frusta dissectus vendebatur. In hunc multi, qui pecunia carebant, involabant, panemque iis qui eum vendebant per vim auferebant. Nulla erat in domibus famis caussa securitas. Quidam secreto se in domicilio alius abdiderat, ibique per multos dies delitescebat, F admirante domino, qui fieret, quod alimenta veluti disparerent & ex ipsa mensa tollerentur. Nesciebat enim, hunc furem sub mensa tapetibus & mappa tectum jacere. Alii in viis commorabantur, quas ab iis, qui mercenariis victum ferebant, calcari noverant, ac, quum hos imbecilliores viderent, omnia vi rapiebant. Urbs interea omni studio tanto malo occurrebat. Multum enim frumenti e *Sicilia* & magnam vim hordei optimi navibus *Neapoli* curabat advehi, ut plurimis provinciæ urbibus aliquid impertire posset.

At

At licet multum de pretio frumenti illius, quod in urbe vendebatur, remitteretur, majus tamen semper erat, quam ut a pauperibus coëmi posset: qui propterea catervatim obambulantes aërem fletibus & suspiriis verberabant. Quamobrem, inito & descripto eorum numero, omnes in loco quodam simul congregabantur, ibique, sumtu publico, tantum panis, carnis & vini, quantum satis erat, accipiebant: & caro quidem, permittentibus superioribus, etiam diebus Quadragesimæ distribuebatur. Sed immenso pretio hæc liberalitas & urbi & privatis constitit: maxime quod & incolis castelli *portus* & *montis floridi* panis impertiretur. Caritatem hanc annonæ atrocissima consequebatur pestis, quæ vespillonibus ab urbe publico stipendio conductis negotii nimium quantum exhibebat. Mortui locis destinatis huic usui sine ullis funerum ritibus terræ mandabantur. Multi, ad quos propius accedere fœtor vetabat, injecto capiti fune ad sepulturam trahebantur. Non pauperes modo, sed & divites, partim ob putidum fœtorem, partim ob alimentorum tenuitatem & inopiam occidebant, ita ut, juxta computationem delectorum quorumdam, in urbe tantum fere quatuor cadaverum millia numerata sint. Contigit hoc A. 1591. ob tristem messem anni superioris 1590. Post hæc exules novas instituebant turbas, quorum sexcentorum fere dux *Marcus Sciarra* erat, latro celeberrimus. Capta enim *Civitate nova* medio die *Recinetum* proficiscebantur: & nonnulli quidem ex iis usque ad locum *Discalceatorum* Monachorum appropinquabant, qui ad teli jactum ab urbe distat: quin fama erat, sequenti eos nocte urbem invasuros esse, ut mercatorem quemdam Hebræum, qui multum auri rerumque pretiosissimarum ex vicinis locis servabat, spoliarent, nundinasque, si fieri posset, diriperent. At *Recinetenses*, senes juvenesque, sumtis armis, in custodia alacres stabant, tantoque cum ardore plurima munimenta in urbe fecerant, quæ latronibus vias obstruerent, ut metu pæne vacui essent. Nec minus portas locaque periculo exposita istis communiverant præsidiis, ut nebulones re infecta discedere oporteret. Nonnulli quidem circa quintam noctis horam per portam *S. Francisci* irrumpere studebant: at delecti statim sine ullis turbis aufugiebant. Postea circa horam octavam idem ad por-
33 tam marinam tentabant, ubi, ne insidiæ patescerent, una serie, ut alter alterum sequeretur, ad murum horti cujusdam deambulabant: Verum licet nox paullo esset caliginosior, tamen, quod serenitas erat, a præsidio in turre portæ collocato statim & videbantur & sclopetis salutabantur. Quamobrem profugi nihilominus multas vicissim bombardas explodebant, quarum in muris portæ adhuc indicia extant. Unus ex illis graviter vulneratus simul ab iis abducebatur, qui deinde, veste mutata, in *Lauretanum* nosodochium se contulit, ibique diem obiit: posteaquam antea, quo loco magnam pecuniæ vim prope *Recinetum* abscondidisset, aperuerat. Pariter alii hujus generis alios thesauros ibi occultaverant, quod nobilis quidam *Recinetensis*, quum in *Dalmatia* forte de hac re differeret, ab iis accepit. Ceterum tam facilem hanc urbis expugnationem scelerati illi crediderant, ut scalas etiam adtulerint: quarum una postridie reperta est. At Pontifex tanto studio hoc pessimum genus persequebatur, ut in fugam sese dare cogerentur, ac hodie in tota ejus terra vita quilibet pacifica & tranquilla utatur. Quare &, quum A. 1598. *Ferrariam* proficiscens *Recinetum* transiret, infinito cum applausu excipiebatur. In ipsis urbis finibus equites peditesque collocati

A erant ad eum salutandum & comitandum. Postea nobilis quidam juvenis, Hungarico more vestitus, qui se obsidioni cuidam tum absolutæ interfuisse fingebat, duodeviginti juvenes nobiles togis Turcicis indutos, quos se tum cepisse simulabat, ipsi offerebat: quod inventum admodum Pontifici placuisse ex eo, quod subridebat, intelligebatur. Supra fores palatii collocata erat statua Pontificis splendidissime ex ære conflata, cujus dextrum latus justitia, sinistrum religio claudebat, magistro *Tiburtio Vercello*: qua quidem non mediocriter Pontifex delectabatur. Postea duæ instruebantur mensæ: altera
B familiæ Pontificis, altera reficiendis antistitibus & magnæ dignitatis viris, qui & nobilium utebantur ministerio, destinata. In gratiam infimæ conditionis hominum fons erat paratus, in cujus medio statua fœminæ nudæ & stantis erat posita, cujus ex altera mamma vinum album delicatissimum, ex altera rubrum manabat. Omnium etiam admirationem excitavit leo marmoreus, in frontispicio palatii, insignium urbis instar, collocatus: quem mirabili arte *Andreas Sansovinus*, sculptor ævi sui longe excellentissimus, fecerat. Subjecti illi sunt versus sequentes, qui, quoniam ductus litterarum se nimis invicem
C tangunt, lectu difficillimi sunt:

Recina sum, peperit Romana colonia, cerne
Quisquis ades, nostrum signa superba forum.
Entis justitia est candor, probitasque fidesque.
Fert animos fortes arduus iste Leo.
Inter Picenas cogor gestare coronam
Justitiæ, qua non justior ulla fuit.

Atque sic pro viribus enarrare studui, quæ urbi nostræ ad hoc usque tempus evenere. Jam alia quædam ad pleniorem ejus notitiam pertinentia exponere restat.

Urbs hodie optimis vallis murisque plurimis in locis circumdata est: his deficientibus, domus
D inter se conjunctæ mœnium locum supplent. Domiciliis constat mille septingentis quinquaginta, mediocri plerumque magnitudine, at commoditate non exigua præditis. Neque tamen magnificis destituitur ædificiis, quæ cuivis urbi celeberrimæ ornamento esse possint. Omnes viæ coctis stratæ sunt lapidibus, ac curribus perfacilem præbent transitum. Curiam habet longe præstantissimam, atrio amplissimo & turri altissima instructam. Templis variarum familiarum religiosarum non paucis, ac monasteriis commodissimis tam fratrum, quam sororum superbit. Parœciæ, præter cathedralem, sex sunt; in qui-
E bus duo templa sunt collegiata in extremis urbis partibus. Ad omnia hæc templa plus quam octo hominum millia pertinent, uti ex libris sacerdotum constat.

Quando primum episcopum adepta sit urbs, haud facile dici potest. Quod vero antiquissima hic sedes fuerit, ex chartis quibusdam & instrumentis publicis A. 1241. datis colligitur, in quibus *Recinetum* urbs vocatur. *Alexandri* postea IV. tempore quidam Frater *Bonagiunta* episcopus fuit. Bulla porro extat *Innocentii VI.* qua ob multa & præclara, ut ipse dicit, officia, quæ
F *Recinetenses* Cardinali *Ægidio*, Legato tum Pontificis in *Italia*, præstiterunt, ad subigendas terras vicinas, quæ pæne omnes a Pontifice defecerant, anno Pontificatus sui quinto, quod est, uti jam dixi, A 1357. urbem in tutelam suam recipit, templum ei cathedrale, quod *Maceratam*, translatum erat, restituit, duasque has ecclesias uni regimini sacro subjicit; præterea *Recinetensem* ecclesiam *Maceratensi* anteponit, ut ex his ejus verbis perspicitur: *Et quia dicta Recanatensis civitas major repletur multitudine personarum, ac etiam ab antiquo civitatis vocabulo extitit decorata, ipsaque*

Recanatensis ecclesia antea obtinuit episcopalis Pontificium dignitatis, ordinamus quod de cætero Recanatensis & Maceratensis ecclesiæ nuncupentur. Evidens igitur est, episcopatum *Recinetensem* satis esse antiquum: qui quidem & illustribus semper episcopis, quorum nonnulli Cardinales & nepotes fuerant Pontificis, inclaruit.
34

Sunt in templo illo cathedrali multæ sanctorum reliquiæ, & sigillatim magna quædam frusta ligni crucis sanctissimæ Christi, Domini nostri, & spinæ nonnullæ ex sanctissima ejus corona. Adsunt etiam corpuscula quædam pæne adhuc integra innocentium puerorum, caput *S. Margarethæ*, calceamenta, quibus indutus *S. Franciscus* stigmata accepit, a *Gregorio XII.* Pontifice ibi relicta, nec non aliæ præstantissimæ diversorum magnæ famæ sanctorum reliquiæ. De quibus quum semel dicere instituerim, alias etiam, quæ in reliquis templis reperiuntur, una cum ceteris memorabilibus, quæ & in templis & universa urbe extant, recensebo.

Templum *S. Francisci* fratrum conventualium, quod vivente adhuc sancto illo exstructum & ab eo visitatum dicitur, aliam servat ex spinis coronæ Christi. Est & hic pictura altaris majoris manu, celeberrimi pictoris *Veneti*, *Palmæ*, facta.

Aliud frustum ligni sanctissimæ crucis habet ædes *S. Dominici*, a *Petro Martyre* eo translata, qui illius ope multa *Recineti* miracula fecit. Hic etiam icon altaris conspicitur, a *Laurentio Lotto* depicta, cum figuris quibusdam in scabello ad miraculum pulchris. Ad sinistram in altari quodam *Vincentii* effigies ab eodem *Lotto* expressa cernitur: qui excellentissimus ævi sui pictor fuit, cujusve picturæ magni hodie adhuc fiunt. In alio *Angelitarum* altari ad manum dextram tabula conspicitur a *Christophoro Gherardo*, e vico *S. Sepulcri*, *Doceni* dicto, qui non minus arte pingendi nobilissimus fuit, picta. Aliud altare ad dextram paullo inferius admirabilem *S. Sebastiani* figuram e latere exhibet, quæ *Torrigiani*, sculptoris egregii & æmuli *Michaëlis Angeli Buonarotti*, opus dicitur. De celeberrimis his hominibus ceterum *Georgius Vasari* in *vitis* eorum legendus.

In templo *S. Viti*, quod Jesuitarum est, eximia sancti hujus reliquia servatur, qui e numero patronorum urbis est. In altari majori egregia est tabula, vivis coloribus Christum cruci adfixum exhibens, incomparabili arte a *Josepho* quodam, e familia *Jesuitarum*, picta. Aliud altare ad dextram Historiam *S. Viti*, a *Felice Damiano*, *Ogobiensi*, pictore optimo, egregie pictam repræsentat.

In templo *S. Augustini* quiescit corpus *Beati Hieronymi*, fratris hujus ordinis. Et Anno præterito *Clemens VIII.* Pontifex nobilibus quibusdam reliquiis illud donavit, quæ solemni ritu circumlatæ sunt. Altare quoddam ad dextram tabulam a *Philippo Bellino*, *Urbinate*, magni nominis suo tempore pictore, expressam exhibet. Ad sinistram in altari *Colombellorum* egregiæ conspiciuntur figuræ, a *Laurentio Lotto*, cujus jam meminimus, pictæ. Idem in altari *Lizzonettorum* ad sinistram tabulam fecit, ita tamen hodie deformatam, ut vix colores possint conspici.

In æde *S. Johannis* corpus extat *Beati Placidi*, e congregatione *S. Barnabæ* Apostoli, quæ hodie cum congregatione *Ambrosiana*, *Romæ* ad *S. Clementis*, conjuncta est.

In duobus templis collegiatis, *S. Mariæ montis Morelli* & *S. Mariæ Castelli novi* multæ aliæ sunt reliquiæ. Posterius ex monasterio Monachorum congregationis *Arcellanæ* præpositura

A fiebat & deinde, quoniam dives erat, ad episcopi reditus translatum est. Cernitur hic historia transfigurationis Christi a *Lotto* illo supra dicto insigni artificio depicta. Ipsius est etiam tabula, quæ annunciationem exhibet, in Oratorio sodalitatis mercatorum, admodum elegans. Ipse manu ejus egregie depictam in tabula rotunda Historiam *Lothi*, e *Sodoma* fugientis ac cum filiis concumbentis, servo. Extat ea in musæo meo, quod præter alias magni pretii picturas, rarissimos permultos ex ære, argento & auro numos & gemmas antiquas capitibus Imperatorum aliorumque insignitas, quibus quidem *Fulvius Ursi-*
B *nus*, celeberrimi nominis Antiquarius, ingens statuebat pretium, ut ex litteris ejus quibusdam docere possum, continet.

In Sacello, quod est in domo *Antonii Massuccii*, *Bassanensis*, quædam etiam picturæ a *Friderico Zuchero*, *Paulo Veronensi*, aliisque magnæ famæ pictoribus artificiose factæ cernuntur. Dominus *Antonius Colombella* multas tabulas & effigies magnorum hominum a *Sancto de Tito*, pictore hodie *Florentino* nobilissimo pictas, domi suæ servat.

Sacerdotum numerus *Recineti* satis amplus est; titulos beneficiarios centum habet & triginta;
C in his Prioratum satis divitem, quæ cruciferorum quondam fuit, dictum *S. Mariæ de Potenzia:* cujus ædes, uti diximus in ruinis est antiquissimæ urbis, *Potentiæ*. Tam ii qui beneficiis gaudent, quam Laici ex urbe nullum decimarum genus sive episcopo, sive Parochis solvunt, quoniam, ut ajunt, urbs templum cathedrale amplissimis reditibus instruxerit. Ac hujus quidem reditus, si omnia sua bona possideret, summam scutatorum sex mille, & amplius, conficerent: at hodie vix duo millia accipit, quoniam ma- 35
ximæ ejus optimæque possessiones a quibusdam Pontificibus, consentiente *Nicolao*, *Forliensi*, epi-
D scopo, sanctæ domui *Lauretanæ* datæ sunt: quarum loco episcopus *Recinetensis* quotannis certam pecuniæ summam accipit. Ceterum cathedrale hoc templum nulli Archiepiscopo subjectum est. In urbe porro sunt viginti duæ sodalitates Laicorum, variorum sanctorum nominibus appellatæ, diversique coloris vestibus, quando processiones instituunt, indutæ. Quælibet pauperum curam gerit: ditiores nosodochia, monasteria discalceatorum, orphanotrophia sustentant, dotemque quovis anno pauperibus puellis erogant. Partus etiam a matribus expositos recipiunt & alunt, non modo ex urbe, sed etiam, qui ex
E vicinis regionibus secreto eo deferuntur. Plebi quotannis certam frumenti portionem distribuunt: cui & tempore inprimis caritatis annonæ pane & pecunia, diebus festis, hibernis præcipue, sub veniunt. Utuntur hæ sodalitates jure patronatus in multis beneficiis, quæ juvenibus donant indigentibus, quo sacerdotii muneribus eo honoratius defungi queant. His de caussis & quoniam maximam partem copiosi sunt *Recinetenses*, ex possessionibus suis vivunt, nec artibus magnopere student. Ars tamen metalla fundendi in urbe floret, ex quo *Hieronymus Lombardus*, *Andreæ Sansovini* discipulus, artis hujus & lapidariæ peri-
F tissimus, se in eam contulit. Quantum is valuerit in his artibus, prophetæ marmorei & fores ænei sanctissimæ domus *Lauretanæ* testari possunt: quæ opera nullius artificis operibus, sive nunc, sive deinceps, cedent. Non locus quidem est de his rebus hic commentandi, nec ipsa id materia postulare videtur: attamen non possum, quin quædam adhuc in gratiam studiosorum nobilissimæ hujus artis adjiciam. Confecit hic vir, præter ea quæ dixi, tabernaculum æneum, quod *Pius IV.* Pontifex in uno e sacellis suis reponere volebat: at hoc

hoc mortuo *Mediolanum* translatum & in templo cathedrali ibi collocatum est. *Firmum* urbs *Marchiæ* nobilissima, aliud ejus generis, sed paullo minus, servat. Utrumque magni est pretii. Idem Lampadarium in usum sanctissimæ domus conflavit, quod ante ostium sacelli sanctissimi pendet, ac inæstimabile putatur. Huic operi non cedunt duo cornua copiæ, quæ duas sustentant lampades *Laureti* coram sanctissimo Sacramento. In sacramenti hujus altari tabula etiam conspicitur marmorea, elegantissima arte ab eo sculpta. Sunt adhuc multa alia ejus opera in ipso sanctissimo sacello, sicut omnes prophetæ extra illud & historiæ quædam in lacunaribus illius. Ultimum, quod magna cum delectatione fecit, opus, quoniam religiosissimus erat, statua est ænea sanctissimæ virginis, quæ in ipso frontispicio templi illius collocata est. Magnus hic homo, qui domicilium *Recineti* fixit, filios *Antonium*, *Petrum*, qui & arti pictoriæ operam dat, *Paulum* & *Jacobum* reliquit, qui parentis vestigia feliciter premunt & jam portam majorem æneam *Lauretani* templi fabricant. Duas minores ejusdem portas duo alii hujus *Hieronymi* discipuli fecerunt: eam videlicet, quæ ad dextram est, *Tiburtius Verzellus*, *Camerinus*, qui & *Recineti* sedem suam constituit: eam quæ ad sinistram, *Antonius Calcagni*, civis *Recinetensis*, qui tamen, antequam plane opus id absolveret, obiit. Perfecerunt autem illud duo alii *Recinetenses* juvenes, raræ & singularis industriæ, *Sebastianus Sebastiani* & *Tarquinius Jacomettus*. *Antonius* ille, quem dixi, aliis etiam æneis monumentis inclaruit, statua videlicet *Sixti V. Lauretana* & tabula quadam majori quatuorve minoribus in sacello Dominæ *Barbaræ Massiliæ*, eodem in loco, dignis utique, quæ optimorum artificum oculis subjiciantur. Filium reliquit *Michaëlem Angelum*, qui rei pictoriæ optimo cum successu operam navat. Duæ hæ portæ, quas dixi, maximo sunt in pretio apud rectos harum rerum existimatores, quoniam figuræ in illis & elegantissime expressæ & ad præcipuam inventionem optime accommodatæ sunt: adeo ut se dignos tanto viro discipulos auctores ostenderint. *Tiburtius* hicce, qui adhuc vivit, cum *Sebastiano* illo & *Jo. Baptista Vitale* negotium in se suscepit baptisterium sanctissimæ domus ex ære conflandi, quo de opere ingens jam spes ab omnibus concipitur. Inchoavit & idem tabernaculum magni pretii in templo *S. Augustini* collocandum, quod quale futurum ex facta jam delineatione ejus satis intelligitur. Inter ejus discipulos ceterum multi sunt *Recinetenses*, præsertim *Jo. Baptista Vitalis*, quem dixi, maximæ spei juvenis: cujus est delineatio urbis, quam in hoc ipso libro exhibeo.

Protulit hæc urbs viros illustres, milites & eruditos, in quibus sunt episcopi, imperatores, Doctores, & elegantiorum litterarum periti, ut ex scriptis eorum formis descriptis intelligi potest, & nuper admodum ex *Constantia*, Tragœdia Domini *Nicolai Massuccii*, quæ, sive actionis ordinem, sive dictionem, sive præceptorum observationem spectes, nulli antiquiori aut recentiori palmam concedit. Edidit idem Dissertationem eruditissimam *de emendatione anni* & Comœdiam, quæ par est Tragœdiæ illi, quam dixi. Ego etiam quædam eorum, quæ scripsi, ab eo accepi. Prostant etiam libri quidam Historici, Theologici & Juridici *Matthæi Zampini*, *Romæ*, quo *Parisiis* redux profectus erat, ante menses aliquot mortui. Coactus vero fuerat *Lutetiam* relinquere, quoniam nonnulla contra Regem *Galliæ*, dum is ecclesiæ catholicæ obtemperare nolebat, scripserat & ediderat. *Marinus Gineurus*, Juris consultus excellentissimus, *Florentiæ* Auditor Rotæ fuit, dum ea adhuc res publica esset. Ex *Antonii Riccoboni de gymnasio Patavino* libro patet, plures *Recinetenses* Theologiæ & Philosophiæ Professores *Patavii* fuisse. Pater Magister *Franciscus Dantes*, e familia Eremitarum *S. Augustini* ob singularem in Theologicis & Philosophicis scientiam dignus est habitus, qui in conventu generali A. 1581. *Bononiæ* habito ordinis sui Generalis incredibili omnium nationum consensu crearetur. Nec dubium est, quin virtutibus suis ad altiorem fortunam sibi aditum aperuisset, nisi præmatura morte obiisset. *Christophorus Rappi* medicus fuit ita celebris, ut quum *Patavii* moreretur, ubi per multos annos artem medicam exercuerat & docuerat, Academia hoc epitaphium sepulcro ejus inscribi curaverit, quod *Antonius Riccobonus* dicto libro etiam refert:

Christophoro Ricinensi Medico celeberrimo & Philosophorum inclito quem universa Italiæ Gymnasia Peripatheticæ scolæ Principem luxerunt. Vixit ann. LVI. *Mens.* VII. *dies* XXVI. *decessit anno MCCCCLXXX.* III. *Kal. Febr.*

Habuit & *Recinetum* civem Musices longe peritissimum, e familia *Vannorum*, cujus extat liber compositionis Musicæ studiosis maxime carus. *Angelita*, frater obediens. Magister S. Theologiæ & generalis ordinis *S. Barnabæ* Apostoli nonnulla etiam scripsit, & pereruditum in canticum Mariæ commentarium emisit. Denique *Corius*, celeberrimus Historicus, parte secunda *Historiarum*, honorifice meminit *Antonii Recinetensis*. Notarii Ducis *Mediolanensis*, ex eoque magnam sese partem eorum, quæ referat, hausisse narrat, siquidem is eodem tempore scripserit.

Præter Cardinales, quos in ipsa jam Historia nominavimus, Cardinalem etiam *Capoferreum* saltem origine *Recinetensem* fuisse, constat. Licet enim ipse ibi natus non sit, pater tamen ejus & majores *Recinetenses* fuerunt. Et avus quidem ejus *Bartholomæus*, Regis *Neapolitani* ab epistolis & orator *Romæ*, quod ex *Philosophi* quadam ad eum epistola in fine Libri XIII. epistolarum ejus intelligitur, *Recineti* filio suo uxorem e gente *Capoferreorum* dedit, ex qua natus est *Hieronymus*, qui Cardinalis a *Paullo III.* sub finem A. 1544. creatus Cardinalis *Capoferreus* appellatus est. *Recinetenses* autem, qui litteras ad eum gratulatorias, quum hanc dignitatem obtineret, lætitiæ plenas dederunt in earum latine scriptarum inscriptione vocarunt eum *Hieronymum Ricynium Cardinalem*, &c. *Recinetensem* eum fuisse, porro ex monumentis quibusdam funebribus *Romæ* in æde *S. Mariæ de Pace* conspicitur: quin vivum ejus rei documentum *Recineti* adhuc extat, domus patris ejus, in foro majori, cujus in fronte insignia gentis depicta sunt. Denique ex libro *Petramellarii*, quem de Pontificibus & Cardinalibus consignavit, idem apparet, in quo *Panvinium* sequutus ita loquitur:

Hieronymus Capoferreus, *natione Italus*, *Patria Romanus*, *Recanatis filius*. In annalibus autem *Recinetensibus*, ut dixi, *Hieronymus Ricynius* appellatur.

Tempore *Sixti IV.* fuit Archiepiscopus *Ragusanus* e familia *Venieriana*, qui vitæ longitudine Cardinalem superavit.

Archiepiscopus *Salernitanus Mutius Buongiovanni Recineti* quidem natus non est, at pater ejus *Recinetensis* erat, cui nomen *Tomasus*. Parentem ille habebat *Bernardum*, Medicum *Alexandri VI.* qui *Valentiensem* eum episcopum fecit. Filio ejus cuidam idem Pontifex episcopatum *Venusinum* contulit, *Mutius* ille autem primo Referendarius erat Pontificis, postea collector in *Lusitania*.

Ex eadem gente *Buongiovannorum* quatuor fuerunt episcopi *Camerini* se invicem excipientes ab A. 1494-1572. Postremus horum *Bernardus* nuntius fuit in *Polonia*, summusque Theologus, cujus eruditum extat universæ Theologiæ compendium.

Antonius Colombella fuit A. 1464. episcopus *Sinigalensis*.

Philippus Riccabella fuit episcopus patriæ suæ *Recineti*, cui successit *Hieronymus Melchior*, episcopus primo *Maceratensis* & clericus Cameræ post mortem *Riccabellæ* jam dicti factus est etiam episcopus *Recinetensis* & gubernator *Bononiensis*.

Oppidi in *Neapolitano* regno episcopus fuit quidam *Petrus Andreas*, vir doctissimus, cujus cognomen frustra quæsivi.

Franciscus Albericus Pauli III. tempore ex Referendario factus est Auditor cameræ Apostolicæ.

Franciscus Bramanti, Proto Notarius Apostolicus, tanta fuit auctoritate, ut *Pius V.* ad *Carolum IX. Galliæ* Regem in maximi momenti negotio eum mitteret, quum fama nimirum esset, Regem pacem cum hæreticis fecisse. Ipse vidi litteras Pontificis, quibus potestatem cum omnibus illis Principibus agendi ipsi concessit, litterasque, quas vocant, credentiales sine inscriptione, quo scilicet, quoscumque opus esse videret, mittere posset.

Dominicus Sebastolus, Proto Notarius Apo-
37 stolicus, qui primus gubernator *Lauretanus* fuit, eique muneri viginti & octo annos præfuit.

Julius Constantinus, Cardinalis *Carpensis* & Cardinalis *Boncompagni*, postea *Gregorii XII.* in legatione *Hispanica* ab epistolis, denique Proto Notarius Apostolicus. Editi sunt nonnulli ejus libri argumenti Ascetici, & quædam ejus epistolæ in facetis variorum epistolis..

Præter hos alii quoque antistites & episcopi ex hac urbe orti sunt, quorum licet aliqua in annalibus publicis memoria extet, proprium tamen nomen non reperitur, Quoties enim mentio alicujus incidit, non alio, quam hoc modo ea concepta est: *Episcopus Juvenacensis*, *civis noster*, *Episcopus Anximanus*, *civis noster* &c. Hoc sufficere scriptori visum est, ad denotandos eos, qui tum temporis nulli erant ignoti.

Alii cives *Recinetenses* fuerunt *Referendarii*, scriptores, Secretarii Apostolici, aliisque illustribus officiis in aula *Romana* inclyti. Ac hodie quidem e *Recinetensi Angelitarum* familia Illustrissimus *Ludovicus Angelita Clementis VIII.* Pontificis cubiculo præfectus est, ab eoque multum diligitur.

Semper etiam urbs equites *Melitenses*, *S. Lazari*, *S. Stephani*, aliorumque ordinum produxit.

Apud *Sabellicum* in *Enneade* & *Angelum Constantiensem*, *Historiæ Neapolitanæ* Libro VIII. mentio fit *Bernhardi* & *Johannis*, *Ricenetensium*, præfectorum spectatæ virtutis. *Guercius*, vir fortissimus, tribunus fuit cohortis e factione illa nigra, quæ auspiciis *Joannis Medicæi* militabat. *Veneti* multis ex hac urbe præfectis usi sunt, eorumque fidei munitissima loca commiserunt, præfecto *Moreto*, *Estam*, aliasque urbes, præfecto *Georgio* castella quædam in *Candia*, præfecto *Curioni*, vexillifero *Bresciam*, *Bergamum*, *Corfu*, maximi momenti loca & primaria eorum, quæ Respublica terra marique possidet. Supradictus *Georgius* Imperator etiam in bello *Senensi* fuit.

Præfectus *Bernardinus*, cognomine *Albanensis*,
A frater hujus *Georgius*, non minori virtute fuit. Quamobrem *Ascanius de Corgna*, dum summus Imperator ecclesiæ erat, legatum suum eum creavit. *Marcus Guazzus* honorificam ejus mentionem facit, unumque e tribus illis eum fuisse refert, qui principes *Pallianum* intraverint, quum A. 1540. *Ascanius Columna*, a copiis *Pauli III.* ejus dominio privaretur.

Frater ille *Recinetensis*, cujus proprium nomen ignoro, miles & præfectus tanta fuit fortitudine, ut, *Scipione Constantio* & Galliarum Regis legato tribunos quosdam ablegantibus, qui *Maranum* in *Foro Julii* castellum recuperarent, illis in man-
B datis darent, ut viginti secum homines ducerent, in his duos spectatæ in primis virtutis. Horum vero alter frater ille *Recinetensis* fuit, teste eodem *Guazzo* loco indicato ad A. 1542.

Præfectus *Leombrunus Urbanus* non modo varia gessit munera a *Venetis* ipsi demandata, sed & tanta fuit virtute, ut in singulari certamine publice pugnans vicerit. Multos alios *Antonius Franciscus Cirnus* commemorat in *commentariis de bello Melitensi* Lib. VIII. *Paulum* exempli causa *Gigli*, qui omnibus fere sui ævi bellis interfuit, & tribunus in exercitu *Venetorum* extitit, quum celeberrima contra *Turcas* victoria a fœderatis
C A. 1571. obtineretur, *Laurentium Crucianum*, aliosque.

Præter hæc urbs nostra *Romæ* honoratissimas quasdam familias dedit, ut sunt, *Buongiovannorum*, *Albericorum*, *Melchiorum*. Ex hac postrema gente Dominus *Marcellus Melchior*, nepos *Hieronymi*, Clerici cameræ, de quo supra, dives admodum *Romam* venit, ibique ex nobilissima *Massimorum Romæ* familia uxorem duxit. Hodie Dominus est Castellæ, Baroque summæ existimationis: tanta etiam auctoritate, ut ex celeberrima *Ursinorum* familia haud ita pridem filio suo *Tomaso* uxorem dederit. Ceterum locum
D adhuc suum in Senatu *Recinetensi* obtinet,

Insignium loco urbs candidum habet Leonem in campo rubro, aurea corona redimitum. Leo erectus stat in pede sinistro, attollens dextrum dextroque brachio strictum tenet gladium. Unde ortum suum hæc insignia acceperint, nescio: nisi forte cum nonnullis dicere velimus, *Recinenses*, quoniam *Pompejani* fuerint, ut multæ *Piceni* urbes, insignia etiam *Pompeji* adoptasse, qui, *Plutarcho* in vita ejus teste, leonem annulo insculptum gesserit, gladium duobus pedibus anterioribus tenentem. Certe non displicet adeo hæc conjectura, quum sic origo insignium antiquissima sit & nobilissima.

E Forma imperii talis est, ut pars optimatum, pars popularis sit. Civium numerus ducentorum esse debet, sed multa semper loca vacua sunt. Nec enim novi homines inter eos recipiuntur, sed ii tantum, qui aut legitimi hujus dignitatis heredes sunt, aut ii, quorum majores cives fuerunt, adeo ut difficillime, ne dicam plane non, fiat, ut novus quidam illis aggregetur, nisi forte peculiare a Pontifice diploma obtineat. Hi ducenti aut potius, hic civium numerus, in viginti quatuor partes distribuitur, ut duobus annis sufficere possint. Viginti quatuor igitur schedulæ fiunt, quæ cerâ tectæ in globulos deinceps
F convertuntur & in vas magna cura conservatum 38
mittuntur. Ex quo quidem mense quolibet una ducitur. Sic summus creatur magistratus, qui Domini & *Priores* Populi vocatur. Ducenti illi reditus urbis administrant, de nullo tamen, quod non a Prioribus propositum, deliberare possunt. Priores autem sine consensu quatuor civium, quos *Senes* vocant, quive in quolibet consilio sortis beneficio creari solent, nihil proponere possunt. Priores in palatio civitatis resident,

dent, magnificis e serico vestibus, pro anni ratione, induti & ministrorum publicorum satellitio cincti. Hi ministri omnesque alii ex ærario stipendia accipiunt, ex quo urbis etiam necessitatibus prospicitur, soluto tamen antea ærario Pontificis ordinario octo millium scutatorum tributo. Reditus urbis ex agris, molendinis & vectigalibus fluunt, & pro frumenti pretio undecim usque ad quatuordecim mille scutatorum summam conficiunt. Omnes Doctores, licet nobiles, ab imperio publico urbis exclusi sunt, ut, quod ajunt, æqualitas quædam inter eos servetur. Prærogativa inter Senatores duobus illis, qui in præcipuo magistratu sunt, conceditur. *Priori* nimirum & *Oratori* (*Dicitore*) cujus est res in consilio deliberandas proponere: reliqui pro ætatis ratione gradum habent. Doctoribus tamen nihilominus, sed extra Senatum, honorifica conferuntur munera, dum & advocati & publici legati convenienti cum stipendio constituuntur.

Civilium & criminalium caussarum cognitio ad Præfectum urbis pertinet, qui ab urbe quondam eligi solitus, jam a Pontifice, e præcipuis sedis Apostolicæ ministris, mittitur. Civibus tamen tribunal quatuor consulum ad caussas pecuniarias decidendas relictum est. Hi consules differunt a consulibus nundinarum, qui civiles caussas exigui momenti breviter expediunt, & sæpius, maxima cum pauperum opportunitate, simulac delatæ sunt.

Ceterum quod ad temporalem ejus statum adtinet, ex inscriptione, quam *Panvinius* in commentariis *Torraconæ* in *Hispania* reperiri testatur, patet, *Ricinam* fuisse Rempublicam. Et fieri certe potest, fuisse eam talem, quum, posteaquam eversa erat, *Ricineti* vel *Ricinati* in colle urbem, quæ hodie *Recinetum* dicitur, primo ædificarunt. Nisi forte dicendum sit, eos in alieno solo ædificantes, siquidem alienum solum erat, fabricam solo, quod Jurisconsulti ajunt, cessisse. Inscriptio vero hæc est:

L. OVINIO. L. F, QVIN. RVSTICO CORNELIANO COS. DES. PRAET. INTER TRIBVNICIOS ADIECTO CVRAT. VIÆ FLAMINIAE LEG. LEG. VII. CL. IN. MYS. INFERIOR CVRAT. VIAE TIBVRTINAE CVRAT. REIP. RICINENSIS RVSTICA OVINIA CORNELIANA FILIA PATRI PIENTISSIMO.

Si quid vero judico, sic statuendum est, fuisse eam Imperatoribus Romanis immediate subjectam, donec *Odoacer* ea potiretur. Postea in *Theodorici*, qui *Odoacrum* superavit, potestatem venit: porro imperio denuo paruit, donec a *Teja* caperetur, qui haud diu eam tenuit, occisus, ut sub initium libri hujus dixi, A. 554. a *Narsete*. Quum *Longinus* postea a *Justiniano* Imperatore in *Italiam* missus, Exarchatum *Ravennæ* constitueret, de quo *Sigonius* Libro I. *de regno Italiæ* videndus, sub Exarchatu fuit. Hoc tempore *Stephani II.* Pontificis & *Constantini V.* Imperatoris, capta ab *Aistulpho Longobardorum* Rege *Ravenna* & tota pæne *Italia*, si *Romam* excipias, deficiente, *Recinetum* in hujus etiam ditionem transiit. Tandem vero *Carolus Magnus* post *Pipinum*, patrem, victo & capto *Desiderio*, regnum *Longobardorum* delevit, omniaque ecclesiæ *Romanæ* restituit. Postea *Ottonem IV.* Imperatorem dominum habuit, quum is a *Silvestro II.* Pontifice, præceptore quondam suo, in *Italiam* vocaretur, *Romæ*que omnia pro arbitrio gubernaret, donec *Romani*, jugum Germanorum ferre nolentes, A. 1002. eos expellerent; quo facto rerum potestas ad Pontificem rediit. A. 1196. certum quemdam *Marcoaldum*, *Marchiæ* Marchionem fuisse, eumdemque A. 1198. sacrorum communitate exclusum & relegatum esse ab *Innocentio III.*, ex *Sigonii* Libro XV. discitur. Posthæc urbs *Malatestis Riminensibus* paruit, quibus eam Cardinalis *Ægidius* eripuit, uti ad A. 1354. retulimus. *Innocentius* deinde VII. A. 1405. *Marchiæ* nepotem suum *Ludovicum* præficiebat, sed haud diu, *Gegorio XII.* succedente, ista dignitate fruitus est. Tandem uti dixi a *Francisco Sfortia* A. 1433. subacta est, quem post decem fere annorum imperium Pontifex universa *Marchia* ejecit. Hoc anno, qui Cristi est 1601. felicissimo justissimoque imperio sancti Pontificis, *Clementis VIII.* tranquille utitur.

ADDITAMENTUM.


Sequentem hanc inscriptionem ex libro, *Monumento Italiæ* inscripto hic addere, quam Auctor silentio præterit; cum tamen ex ipso privilegium *Friderici* Cæsaris *Recinetensibus* concessum deprompsit, operæ pretium duxi.

IN S. DOMINICI.

QUOD PROPE LORETUM MORIOR FLORENTIBUS ANNIS,
GRATIA COELITIBUS MORTIS HABENDA MEÆ.
IMMATURA JUVAT ME MORS, NAM MORTIS ACERBÆ
MUNERE, PECCANDI COPIA FACTA MINOR.
NEC MINNUS * ET NOSTRÆ FIDUCIA CERTA SALUTIS,
LORETO MORIOR QUOD PROPIORE FUI ‡.
NEC REFFRT PEREGRE AN PATRIA TUMULERIS, UBIQUE †
TERRA LOCUS TUMULO, MORTIS ET UNA VIA EST.
ERGO NICOLAO GRATANDA HÆC FUNERA, QUORUM
EST OPERÆ PRETIUM CONDITIONE MORI.

* Chytræus. *Minor.*
‡ *fuit.*
† Chytræus. *in urna.*

FINIS.



INDEX
OMNIUM NOTABILIUM.

Co-

Laure-

FINIS.





FRANCISCI ADAMI,

Civis & Canonici Firmani,

DE

REBUS GESTIS

IN

CIVITATE FIRMANA

FRAGMENTORUM

LIBRI DUO.

Ex Bibliotheca D. Cæsaris Ottinelli.

Quibus adjecit

CÆSAR OTTINELLUS

Art. Philosoph. & Jur. Utr. Doct.

DE

F I R M O

PICENI URBE NOBILISSIMA

E L O G I U M.

Editio Novissima, diligenter recognita, Indiceque aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR.

DE Præstantia urbis *Firmanæ*, ac Historiarum utilitate, commodove pluribus verbis hic disserere, nec tempus, nec necessitas flagitat; nam arenæ semina mandaremus, quia *Cæsar Ottinellus* de utraque amplum Elogium conscripsit. *Firmi* Encomium *Fragmentorum Libris* FRANCISCI ADAMI *De Rebus in Civitate Firmana Gestis*, in Octavo *Romæ* M. D. XCI. apud *Ascanium & Hieronymum Donangelos* impressis affixit. De studio & gloria Historiarum uberrime satis tam in Dedicatione quam in Præfatione ad Doctores *Firmanos* prædictis libris præmissis tractat. Ratio autem, quare hæc Fragmenta typis de novo dederimus, fuit, quod de his rebus pauci admodum scriptores extent, quæ causa etiam fuit, ut, licet nulli labori ac sumptibus parceremus, vix ac ne vix quidem ea obtinere potuerimus. Quid autem in excudendo à nobis sit præstitum, brevibus exponemus. Primum Immunitates, & Privilegia ab Imperatoribus, Regibus & Pontificibus Maximis *Firmanis* concessa, ut & literas ab auctore allatas, locaque dicta auctoris probantia Characteribus à contextu diversis imprimi curavimus; Idem observavimus in nominibus propriis & notatu dignis. Deinde etiam scripturam per compendia, mendaque quantum licuit, sustulimus, nonnullasque variantes lectiones in allegatis locis ad marginem adjecimus. Porro etiam paginas supra memoratæ Editionis in Extremitatibus Nostræ addidimus. Denique uberrimum rerum notabilium Indicem confecimus, & adnexuimus. Hoc exegit nostrum, tuum erit, hæc Fragmenta gaudenti libentique animo pervolutare, ac humaniter præterea perspicere meum rei literariæ juvandæ incredibile desiderium, cum omnes mei labores & opera solum reipublicæ literariæ commoda perpetuo spectent. Vale.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

D. DOMINICO


Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna S. R. E. Cardinali Pinello.

CÆSAR OTTINELLUS S.

BENEVOLENTIA, & animi propensio, qua Franciscum Adamum, *&* Adamos *omnes semper complexus es, multa sibi quidem vindicare potest; sed singularis observantia, quam erga te Pastorem optimum superioribus temporibus, hoc autem tempore maximum, & constantissimum defensorem gerunt* Adami, *ac universi* Firmani, *majora postulare videtur. Quod hæc beneficiorum quoque magnitudine contineatur. Sed quemadmodum gratum quidem* Firmanis *accidit, quod tibi devinctos se esse sentiant; ita cum multum tibi debere cognoscant, nullum animi significandi tempus prætermittendum judicent.* Ambrosius Adamus, *qui in rebus bellicis non mediocrem assecutus est laudem, superioribus diebus* Francisci Adami *Patrui de* Firmanorum *rebus gestis fragmentorum libros duos ad me transmittendos curavit, in quibus diligentiam* Francisci *commendandam existimavi, ac mihi facile persuasi, in lucem si ederentur, non parum commodi Historiarum studiosis hosce libros allaturos, quod de his rebus paucos admodum scriptores exstare* Piceni *fateantur necesse sit. Cupit autem, ac summopere exoptat & expetit* Ambrosius, *ut hæc Patrui scripta tuo illustrentur splendore, tua fulciantur auctoritate: quod facile assequuturum sperat, tum quod tui semper studiosissimus fuerit, tum quod* Franciscum *Patruum sin-*

singulari quadam humanitate complectebaris, & Rugerium Adamum *Canonicum* Firmanum *in familia tua non solum retineas, sed ob ejus solertiam & familiæ & rebus tuis gerendis præfeceris. Neque quod* Ambrosius *petit, Amplissime Cardinalis, denegandum est. Licet enim in* Romana *Curia per multos annos per munera multa summum tuum ingenium, summamque doctrinam multis argumentis significaveris: tum in Ecclesia* Firmana *regenda, singularis prudentia tua omnibus partibus sese patefecerit, ut ad Cameræ Apostolicæ Clericatum, & Cardinalatus dignitatem provectus summis, difficillimisque sedis Apostolicæ rebus maxima cum laude hoc tempore navaris, ut vix quidem temporis satis ad res necessarias obeundas dari videatur; agnovimus tamen ingenii tui aciem egregiam, ut omnia facile videas, omnia perspicaciter judices, omnia longissime, latissimeque prospicias. Accedit quoque, quod, licet multæ artes neque omnium temporum, neque ætatum omnium, neque locorum sint; Historia tamen juvenes ad res peragendas instruit, senibus solatium præbet, iis, qui magno dignitatis gradu gaudent, ornamentum, iis, qui obscura dignitate utuntur, auxilium maximum afferre solet: cujus lumen nisi accederet, plane exempla omnia in tenebris jacerent. Historia igitur nihil homini aut jucundius, aut fructuosius esse potest. Te vero, Cardinalis amplissime, minime latet, nihil esse tam regium, tam liberale, tamque magnificum, quam petentibus gratum se præbere, nihilque tam deforme, tamque inhumanum, quam si ad aliquam partam dignitatem naturæ acerbitas adjungatur. Tua igitur egregia illa benignitate hæc* Francisci Adami *scripta complectare: singulari, qua soles, benevolentia* Firmanorum *res perlegas; Quod licet multa tibi se debere & sciant, & profiteantur* Firmani, *multa quoque, mihi crede,* Firmanorum *observantia, amor, studium, officium erga tuam Amplitudinem à te sibi vindicat, atque jure optimo & debet, & potest exspectare. Vale.* Romæ, *Idibus Augusti* 1590.

DOCTORIBUS,
ET
SCHOLARIBUS
In generali Firmano Studio commorantibus
CÆSAR OTTINELLUS S.



APUD Homerum *Odyss. lib.* 1. scitis esse in principio:

> Ἀυτὰρ Ὀδυσσεὺς
> ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
> Ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται.

Et ad *Ruffinum* latine quidem reddit *Ovidius.*

> *Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat*
> *Fumum de patriis posse videre focis.*

Ita plane natura comparatum est: tantus est enim innatus patriæ amor, ut nemo dubitare possit, quin, non fortuna sive secunda, sive adversa incitati, sed innata illa nobis à natura cupiditate, desiderioque ad patriæ solum trahamur, ducamurque mira quadam religione paterni, maternique sanguinis: ut, licet ad congregationem, ad societatem, ac ad communitatem humani generis nati simus, optimum tamen duxerit *Sophocles*, si detur, ut alienam regionem nunquam experiamur. & Ovidius:

> *Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?*
> *Huc tamen ex illa Barbarus Urbe fugit.*
> *Cum bene sint clausæ cavea Pandione natæ*
> *Nititur in sylvas quæque redire suas.*
> *Assuetos Tauri saltus, assueta Leones*
> *(Nec feritas illos impedit) antra petunt.*
> *Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos*
> *Ducit, & immemores non sinit esse sui.*

Liceat mihi *Græci*, & *Latini* Poetæ carminibus vos viros doctos, sapientiæque amatores afflari, & à patriæ dulcedine exordiri: quod nemo vestrum adsit, cui exploratum non sit, in generali *Firmano* Studio ita versari, ut aliquando unusquisque ad suos, & doctior, & plenior. Hæc quidem eo pertinent, ut cum patriæ desiderio omnes natura duce teneamur, ortus nostri majorem partem sibi patriam vindicare intelligamus, idque sapienter ad *Archytam* scribit Philosophorum sapientissimus *Plato*, & Oratorum peritissimus *Marcus Tullius* litte-

litterarum monumentis diligenter, ſæpiuſque mandavit. Patriam à Parentibus nomen ducere, & fæminina terminatione ideo pronuntiari opinatur *Hierocles*, ut ex utroque unum conflari, ſcilicet ex patria, & parentibus, & patriam unam æque atque parentes colendam nobis eſſe cognoſcamus. *Athenienſes* adverſus *Eumolpum Thracum* Regem dum bellum gererent, *Atticæ* Rex *Erechtheus* ubi ab oraculo accepit, victoria ſe nullo modo potiturum, niſi natu majorem filiam *Proſerpinæ* immolaret, *Athenas* reverſus ad aras filiam tradere non dubitavit: ita *Themiſtocles* dum ab *Artaxerxe* in Patriam arma capere cogeretur, veneno ſibi vitam potius adimendam, quam bellum in *Athenienſes* gerendum duxit. *Lacones* quidem ad *Perſarum* Regem pœnas daturi venerant, ſed cum humaniter à Rege dimiſſi rogarentur, ut ſecum manerent, qua ratione fieri poteſt (dixerunt *Lacones*) ut Patriam eam deſerendam nobis perſuadeamus, cujus amore tantum itineris morituri confecimus. Mihi quidem licet nec multa itinera ineunda fuerint, nec debitos labores unquam ſatis patriæ cauſa me ſuſcepiſſe profitear; tamen mihi patriam gratam cum *Timotheo Athenienſium* duce exiſtimabo, modo dignas patriæ gratias referre contingat. Qua quidem in re ſemel animo imbutum memoriæ ſemper retinuerim *Euripidis* illud in *Telepho*. *Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει, τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ.* Quo factum eſt, ut generali Studio, in quo verſamini, Metropolitana dignitate, quæ in *Piceni* univerſa provincia una eſt, & multis aliis privilegiis me oratore exornari patriam facile contigerit, præcipue quidem dum de Metropolitanatu conſtituendo ageretur, *Firmanas* res preſſius quidem, quod ita res poſtularet potius, quam quod *Firmanorum* ornamenta, & meæ erga illos partes expoſtulare videretur, ſcriptis noſtris proſequuti fuimus; ſed quod libenter fatemur, deſiderio noſtro minime ſatisfecimus. Diuturno itaque nobis de *Firmanarum* rerum monumentis deſiderio adhuc flagrantibus, *Ambroſii Adami* diligentia, & humanitate *Franciſci* Patrui, fragmenta hæc perlata fuerunt, quæ non mediocri hilaritate accepimus, avideque perlegimus, & facile ad vos tranſmittenda in animum induximus. licet enim neque obſcurum, neque dubium unquam fuerit, quin vos majoribus, gravioribuſque ſtudiis detineamini, & quin veſtrum unuſquiſque Hiſtoriæ cognitione, litterarumque ornamentis expolitus, ac inſtructus *Firmum* acceſſerit, quod eum, qui in hiſtoriarum ſumma ignoratione verſetur parum à beſtiis diſtare plane conſtet; pro veſtra tamen prudentia cogitare debetis, minime decere *Firmi* verſari, & res ignorare *Firmanorum*: quas licet nec undique proſequatur *Franciſcus Adamus* his fragmentis, nec omni prorſus adhibita diligentia ſcripſerit, ut ipſe fatetur, & fragmenta vocaverit; multa tamen ſcripſit, quæ apud alios perlegere minime liceat, ut *Franciſci* operam à me pluribus commendari non ſit neceſſe, apud vos præſtanti erga *Firmanos* benevolentia affectos, & hiſtoriarum ſtudiis exardentes. Hiſtoria ad vitam inſtituendam, ad vitam perficiendam, ad vitam exornandam vel ſola, vel certe maxime conducit. Quemadmodum enim eos, qui natura imbecilles ſunt, per exercitationem multo fortiores ad ea, quæ meditantur, reddi, faciliuſque ſuſtinere conſtat (ut docuit apud *Xenophontem* ſapientiſſimus *Socrates*) quam qui corpore fortiſſimi, inexercitati tamen ſint; Ita qui non ſumma prudentia præditi ſunt, ſi hiſtoriarum cognitione inſtructi fuerint, in rebus gerendis minus peccabunt, quam qui ingenio cum præſtent, in rerum tamen geſtarum ignoratione verſantur. Quis enim adeo eſt tam tenui cognitione, ut non videat, quantopere alienis periculis unuſquiſque ſibi cavere poſſit? ut *Tibullus* ait.

Vos ego nunc moneo: fœlix quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.

Facile enim multis quid evenerit, unus homo cum cognoſcat, actiones ſuas ad pacatam, tranquillamque vitam componere valeat. Ad virtutes retinendas, vitia deteſtanda, animos noſtros inflammat hiſtoria. Fortium virorum gloriæ longam famam, & perpetuum ſomnum ignavis hominibus affert hiſtoria: erga Deum religionem, pietatem erga patriam, & parentes excitat hiſtoria; ad litterarum ſtudia, ad Remp. capeſſendam concitamur hiſtoria: ingenuos alit, Barbaros delectat hiſtoria. *Cyri* pædia *Scipio*, *Alexandri* rebus geſtis *Cajus Cæſar*, *Miltiadis* Trophæis *Themiſtocles* excitatur. iis, qui rerum cupiditate ducuntur, ſatisfacit, ut ait *Plutarchus*, hiſtoria: gravia ac utiliſſima documenta, ut tradit *Livius*, affert hiſtoria: prudentia in rebus agendis petenda eſt, ut docet *Polybius*, ab hiſtoria: Gloriæ famam, & famæ gloriam, authore *Herodoto*, addit hiſtoria: ſapientes, ſagaces, ſolertes, præcipue, ut indicat *Diodorus Siculus*, reddit hiſtoria; ſine qua res geſtas, antiquitates, memorabilia exempla, ac noſtros ipſos majores, ne agnoſcere quidem, nec ullam concedi notitiam plane conſtat. *Hiſtoria*, ut paucis complectitur Marcus Tullius, *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *magiſtra vitæ*, *nuncia eſt vetuſtatis.* Sed quorſum hæc; Ad vos præſertim, qui hiſtoriæ utilitatem, & jucunditatem & probe noveritis, & ſæpius perceperitis, ut minime mihi dubium ſit, quin vos *Firmi* commorantes *Franciſci* hæc fragmenta gaudenti, libentique ſitis animo pervolutaturi; ac humaniter prætereа perſpecturi meum juvandæ patriæ diuturnum, incredibileque deſiderium, cum omnia mea ſtudia ſolum patriæ commoda perpetuo ſpectaverint. Valete. *Romæ*, Idibus Auguſti. 1590.

INDEX CAPITULORUM.

LIBRI PRIMI.

Cap.

LIBER SECUNDUS.

CAP.

FRAN-

FRANCISCI ADAMI
Civis & Canonici Firmani,
DE
REBUS GESTIS
IN
CIVITATE FIRMANA
FRAGMENTORUM
LIBER PRIMUS.

Cap. I.
De Antiquitate Piceni.

Picenum Urbem, ex qua *Picenus* Ager nomen accepit, vetustate etiam *Romæ* præferendam nemo dubitaverit; cum viderit Numisma æneum bene latum penes me *Franciscum Adamum*, in quo est effigies *Pici*, & *Fauni* cum inscriptione hujusmodi.

PATER PICUS FAUNI
REX PICENI, ET TOTIUS LATII.

Hoc legitur ex adverso. Hunc *Picum* in *Italiam* regnasse post *Saturnum* constat, auctore *Eutropio*, post eum, *Faunum* filium, mox *Latinum*, quo regnante à *Græcis Troja* capta est. Quicquid annorum ab excidio *Trojano* ad Urbis *Romæ* incunabula interjectum fuerit, omnibus fere notum est. Hinc itaque colligimus *Picenum Roma* vetustius exstitisse. Urbem hanc juxta ostium fluminis *Lethæ* quasi in littore maris fuisse majores nostri per manus usque ad hæc tempora tradidere. Conspiciuntur in agro *Firmano* ædificia eam rem comprobantia. Non procul *Firmo* uno fere milliario videtur Balneum, quod ajunt, Reginæ. In valle autem prope *Letham* extant adhuc multis in locis maceries durissimæ structuræ: lapilli enim fluviatiles ita sunt conglutinati, ut unam materiam verius dicas. Est & pons eximiæ magnitudinis in ipso fluminis ostio, & in valle eadem Numisma, de quo paulo ante diximus repertum fuit à villico terram altius fodiente.

Cap. II.
Unde Firmum *sit conditum.*

Ex *Piceni* ruinis *Firmum* conditum arbitrantur, neque temere; est enim vicinissimum: velut ex macerie *Aulæ Recinæ Recinetum* conditum esse,
9 memoriæ proditum est, & ex urbe *Salvi* oppidum ejusdem nominis est constructum. Adjuvat hanc etiam opinionem, quod à vetustissimis quibusque urbibus, quarum aliqua vestigia supersunt; non procul oppida conspiciuntur ex earum ruinis condita. Nam ex viginti Coloniis, quibus insignita erat *Picentina* Regio, ut auctor est *Frontinus*, octo tantummodo restant: scilicet, *Firmum*, *Asculum*, *Ancona*, *Auximum*, *Æsium*, *Fanum*, *Senogallia*, & *Pisaurum*; Cætera *Vandalorum*, *Gothorum*, aliarumque exterarum gentium immani-

A tate vastata penitus conciderunt, ut *Phalaria*, prope quam *Falleronum*, urbs *Salvia*, *Helvia Recina*, sive, ut alii, *Ælia Retina*, unde *Recinetum*, *Cupra* maritima, nunc *Grupta* ad mare, & alia, de quibus latius inferius. *Firmum* igitur *Picenum*, ut Strabo testatur *libro quinto*, ubi inquit, quod ex *Piceni* vastatione conditum sit, sive *Firmium*, his enim duobus nominibus vocitatum est, auctore Ptolemæo *Geographiæ lib.* III. *cap.* I. *Tabula vigesima*, Plutarcho in *vita Catonis Censorii*; & Procopio *lib.* II. *&* III. *de bello Gothorum*, & Fornando *lib.* I. *rerum Gethicarum*,
B fereque omnibus *Græcis* scriptoribus, situm est ad radices *Montis Gerionis*. Is ex omnibus in circuitu partibus declivis, & præceps est: sed a Meridie, & Occidente sole altissimas rupes, despectusque habet, cujus vertex planus, ubi olim præcelsa, & munita extitit moles, quam veteres, & in his Strabo, *Catellum Firmanum*, sive Castellum nominarunt: is enim Geographiæ *lib.* V. ita scriptum reliquit. & *Firmum Piceni*, ejus autem emporium Catellum, sive Castellum est: porro vero *Cypræ* templum situm est *Tuscorum* ædificium: Nam illi *Junonem Cypram* nominant:
C & Pomponius Mela in *descriptione Italiæ* inquit: *Castella*, *Firmum*, *Truentum*, *Atria*. *Plinius* tamen de *Piceno*, ita loquitur. *Picentes* tenuere ab *Aterno* amne, ubi nunc ager *Adrianus*, & *Hadria Colonia* à mari septem millia passuum flumen *Vomanum*, ager *Prætutianus*, *Palmensisque*, *Castrum Novum*, flumen *Batinum*, *Truentum* cum amne, *Suinum Helvinum*, quo finitur *Prætutiana* Regio, & *Picentum* incipit. *Cupra* oppidum, *Castellum Firmanorum*, & alia, ut ibi Carolus Sigonius Mutinensis de *Agro Piceno*, & *fœderibus Picentum lib.* I. *de Antiquo Jure Italiæ*. *cap.* 15. hæc 10
D refert. Ultimi tum *Italiæ* erant *Picentes*, qui deinceps oram tenebant ab *Aterno* amne ad *Æsim*, in qua oppida veterum scriptorum testimonio celebrata sunt. *Castrum*, *Cupra Maritima*, *Truentum*, *Numana*, *Ancona*: Intus vero *Trajana* urbs *Salvia*, *Septempeda*, *Cupra Montana*, *Firmum* & *Asculum*, utrunque cognomine *Picenum*. *Hadria* unde *Matrinus* amnis, *Auximum*, *Tignium*, *Pnuentia*, in ea mole templum à *Strabone* descriptum, nunc non extat, supersunt tamen vestigia quædam fundamentorum, sed ad Septentrionem alterum marmoris albissimi, quod ex Regnis *Lyburnorum* magna impensa advectum constat. Hoc autem templum mira arte constructum, & pro-

A pterea reliquis regionis nostræ non immerito anteferendum; dicatum est divæ *Mariæ* Assumptionis, sub cujus protectione *Firmana* Civitas tuta felicissimum agit ævum.

C A P. III.

De nonnullis indiciis vetustatis, ac nobilitatis Firmanæ *urbis.*

In monte, de quo superius egimus, videtur ad Orientem Amphitheatrum miræ magnitudinis, & impensæ à *GN. Pompejo* Magno extructum, & ab *Ælio Hadriano* Imp. restauratum, ut in titulo literis cubitalibus marmore incisis B conspicitur. videlicet. LIVS. HADRIA.RGITVS. ERAT. ET RE & in hoc multæ columnæ diversorum lapidum, & epistylia *Corinthia*, & *Dorica* ætate nostra reperta videntur: extant & fornices in cœnobio divi *Dominici*, & castella aquarum erant ad publicum usum, & alia tum in ipsa urbe, tum extra vetustatis signa perspici possunt, tum ex monumentis, cum ex XVII. urnis plenis Numismatum æreorum, & argenteorum in eodem monte repertis sub anno 1548. cum lamina, quæ has inscriptiones habebat.

T. TERENTIO. L. F.
C A. RVFENIO. C. F.
L. TVRPINO. C. F.
M. ALBANI. L. F.
T. MVNATIO. T. F.
11 QVAISTORES. AIRE. MOLTATI
CONDEDERONT.

Reperta fuit, & alia parva lamina cum his literis.

L. FESCENIVS. T. F.
MERCVRIO. DONO. DEDIT. MERETO.

D Et cum his parvum idolum; in quo hic titulus legitur. videlicet.

SACRA. IOVI. STIGIO.

C A P. IV.

De plurimis Inscriptionibus incisis in lapidibus pluribus in locis in Firmana *urbe.*

In palatio Dominorum Priorum juxta Januam hæc leguntur.

ALLIENAE. T. F.
BERENICE
C. VETTIVS. POLVS. VXORI SANCTISSIM. ET.
C. VETTIVS POLVS MATRI PIISSIME. PATR.
E COL. FAB. ET. CENT. L. D. D. D.

In suggestu marmoreo in Cathedrali Ecclesia.

FILIVS DIVI. VETVSTATE. CORRVPTVM.

In lapide marmoreo in Atrio Dominorum Priorum.

DEVM. DEARV.
SVEDIA. DORI
D. S.

In lapide marmoreo in porticu palatii Dominorum Priorum inter transennas domus, ubi exiguntur vectigalia.

L. VOLCATIO Q. F. VEL. PRIMO.
F II VIR. II QVIN Q.
FLAM. DIVOR OMNI.
P. C. EX. TESTAMENTO EIVS
POSITA
Q. LICINIO. CRISPINO
C. HENNIO MAXIMO
II. VIR.

In Basi quadam marmorea, quæ in divi *Rocchi* templo lustralis aquæ fons est, constituta hæc leguntur.

M. GAVIO. M. F.
PALA. MAX.
CONSVLARIBVS ORNAMENTIS ORNATO.
TI. CLAVDIVS.
FIRMVS. P. P. CORNICVLARI. 12
IPSIVS.
L. D. D. D.

De *Gavio* supradicto meminit *Cicero* libro quarto Epistolarum ad *Atticum*, epistola octava, quæ incipit. *Multa* &c.

In fragmento instar columnæ posito in cathedrali Ecclesia ad usum aquæ lustralis cum figuris duabus alatis habentibus accensas faces in pedibus, & quadrupedem bestiam conducentibus, hæc sunt incisa.

SVEDIE. DORIDIS
ET SVEDI. D. L.
COMMVNIS. L. MEORVM
SYRVS. HIC. SITVS. EST. V. A. XIIX.

In Ædibus, ubi habitant Apparitores, è prospectu palatii Dominorum Priorum hoc habetur.

T. APPALIO. T. E. VEL.
ALFINO. SECVNDO.
PROC. AVGVST. XX. HERED.
PROC. ALPI. ATRECTEANARVM.
PREF. VEHICVL. SVB. PREF.
CLASS. PREF. RAVEN. PR.
ALAE. I. AVG. THRAC. TRIBV COH. I.
AELIAE. BRITTON. PREF. COH. IIII.
GALLORVM. PATRON. COLON. FLAMINI
DIVORVM. OMNIVM. AVGVR. II. VIR
QVINQVE. B. S. OB. MERITA. EIVS
D. D.

In lapide marmoreo in ædibus *D. Pompeji Azzolini.*

L. HERENNIVS
C. F. VEL.
RVFVS
CORINTHIS
LIB. N. VI.
IN. H. M. INF.
FECIT. IN. C. FVRIVM. CR. NII.
L. HERENNIAM. II.
CORINTHI L.
IN. A. P. XIIII.
IN. F. P. XII.

In lapide marmoreo reperto juxta portam Divæ *Catherinæ* in ædibus *D. Francisci Mancini.*

PVBLICIO OPTATO. VIII. VR QVINTILIA. 13
PROCIVA BENE MERENTI VIRO VXOR.
L. M. P. OSS.

In Ædibus *D. Jacobi Palmerii.*

ODLAE
FILIAE. DVLCISS.
QVE. VIX. ANN. XIIII.
MENS. VI. D. XXIIII.
ZOSIM. E. T.
LAVDIB. E
PARENTES
B. M.

In quodam lapide marmoreo in tempore Corporis Christi

ſſſ
L. HERENIVS. ONIRVS
L. NAEVIO. L. ANTEROTI. L. SEX.
ALAETENNIAE. L. L. VIR. CRISTINI
VXORI
ANTEROS. L.

In pariete ædium *D. Joannis Antonii Victorii* incisa hæc sunt in marmore.

L. CIR-

L. CIRPINIO. T. F. VE. PRI. PILI. TER.
PREF. LEG. XXII. II. VIR. ITERVM
QVINQVE
MVNICIPES

In templo *S. Spiritus* hæc notavimus.

D. M. TIGIDIAE SEX. FIL. ACCILIAE

In hortis divæ *Catherinæ*.

S. S. C. S.
PRO SALVTE. L. L. HERMONI.
FORENSIANI. FILI. SVI
L. HERMONI.
PIERVS FECIT

Hæc etiam leguntur in templo *S. Spiritus*.

D.
N.
SERALA
SIME. ETINO.
CONIVGI. ANNFIRMAE. FIL.
DVL. M. GAVIVS
D. M.
PHILOMENO ACTORI FILI. EIVS

In Ædibus *D. Aurelii Paccaroni*.

D. M.
SP. SAVFEIVS. SP. FILIVS VIXIT ANN. VI.
MENSEM I. DIES. QVINQ. QVOD PAR
PARENTI FVERAT FACERE FILIVM
MORS IMMATVRA FECIT VT FACERET
PATER

In foribus palatii Dominorum Priorum.

L. VOLCIO Q. F. VEL. PRIMO PRAEF. COH. I.
14 NORICORVM IN PANN. PRAEF. RIPAE DAN-
NVI. ET. CIVITATVM DVAR. P.OIOR ET AZA-
LIOR. TRIB. MILIT. LEG. V. MACEDONICAE
IN MOESIA
PRAEF. ALAE. I. PANNONIOR.
IN AFRICA. II. VIRO QVINQ.
FLAMINI DIVORVM OMNIVM
P. G. EX TESTAMENTO EIVS POSITA ACCIO
SENECA MANLIO PLANTA.
II. VIR. QVINQ.

CAP. V.

De Firmi *antiquitate quædam annotata ex antiquissima historia.*

Firmana Civitas dicebatur *Picentia* olim nunc *Firmum*, positaque erat in ostio *Letæ*, ubi vero nunc *Firmum* est, nihil erat, nisi *Girofalcus*, qui ab antiquis scriptoribus Catellum id est Castellum bene munitum est nuncupatus. Cum itaque à *Romanis* obsiderentur *Asculani*, quod erant *Firmanis* amicissimi, suppetias tulere *Firmani*, sicque eo anno repulsi *Romani* ab obsidione discesserunt, eaque de re valde indignati postero anno, quam occultissime potuerunt eo se contulerunt: Exercituque bipartito, ii, qui erant in planicie urbem invaserunt, *Asculani* repente in eos irruerunt, & acre prælium commiserunt. hi vero, qui ex montibus descendebant ex altera parte urbem aggressi, & præsidiis spoliatam offendentes primo impetu ceperunt, omnibusque fere interfectis ad eam comburendam se se accinxerunt. Paucissimi itaque ex certamine *Picentiam* aufugere, & *Romani*, *Pinsonia* eversa, *Picentiam* versus castra moverunt; Quo audito *Picentes* veriti ne in *Romanorum* manus venirent, partim fugiendi, partim se ipsos interficiendi consilium iniverunt: sed plerique desperatis rebus omnibus Civitatem reliquerunt, & cum pueris, & uxoribus per media *Romanorum* castra transierunt, quorum fortunam miserati *Romani* impune abire permiserunt: veneruntque ad *Girofalcum*, vel Castellum, ibique constiterunt, ob eamque rem *Firmum* nominaverunt, quod ibi tamquam in loco munito *Firmi*,

A & tuti esse possent. *Firmum*que *Picenum* nominare placuit *Straboni*, aliisque pluribus Auctoribus approbantibus. Hæc, quæ retulimus, etsi certo carent auctore, tamen maxime ad *Strabonem* accedunt, qui V. *lib.* refert *Picentum* Metro- 15
polim vocatam *Picentiam*, ejusque incolas expulsos à *Romanis* propter initam cum *Hannibale* societatem per vicos vitam agere.

CAP. VI.

Quo tempore Firmum *fuerit Colonia.*

Initio primi belli *Punici*, quod ab urbe condita ann. 449. susceptum est *Appio Claudio M.*
B *Q. Fulvio* Coss. *Firmum* & *Castrum* Colonis sunt occupata, ut locupletissimus testis Vellejus Paterculus *historiarum Romanarum libro primo.*

CAP. VII.

De Firmanorum *fide in* Romanos.

Laborantibus de salute Patriæ *Romanis* ex defectione duodecim Coloniarum *Pœno Hannibale Italiam* premente, auxiliumque petentibus, *M. Sextilius Fregillanus* pro XVIII. Coloniis respondit, pecuniam, & milites paratos ex formula esse, &, si pluribus opus esset, plures daturos, & quicquid imperaret, velletque Pop. *Romanus*
C enixe facturos, ad id sibi nec opes deesse, animum etiam superesse. Unde Consules sibi parum videri præfati pro merito eorum sua voce collaudari eos legatos, nisi universi patres in Curia gratias egissent sequi eos in Senatu jusserunt. Senatusque quam poterat honoratissime decreto alloquutus eos mandat Consulibus, ut ad populum eos producerent, & inter multa alia præclara, quæ ipsis, majoribusque suis præstitissent recens etiam meritum eorum in Remp. commemorarent. Cujus rei testis est Livius XXVII. *lib.* 10. *Cap.* his verbis. *Ne nunc quidem post tot sæcula sileantur, fraudenturve laude sua, Signini fuere, & Nolani, &*
D *Norbani, Latriculanique & Brundusini, & Fregellani, & Nucerini, & Hadriani, & Firmani, & Ariminenses etiam ab altero mare Pontiani & Pestani, & Cossani, & Mediterranei Beneventani, & Essernini, & Spoletani, & Placentini, & Cremonenses:* Harum Coloniarum subsidio tum Imperium Populi Romani stetit, hisque gratiæ à Senatu ad Populum actæ, *duodecim aliarum Coloniarum; quæ detrectaverunt Imperium, mentionem fieri patres vetuerunt, neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari* à Consulibus, *ea tacita castigatio maxime ex dignitate Populi Romani visa est*, Coss. *Q. Fabio Maximo Verrucoso*, & *Q. Ful. Fl.*
E An. ab urbe condita DXLV. quorum Consulatu 16
Tarentum ab *Hannibale* jam decennium *Italiam* vastante expugnatum, receptum est; hæc *Firmanorum* fides una cum reliquis probata est; sed *Augusto*, contra *M. Antonium* dimicante, primi fuerunt, qui pecuniam, & milites obtulerunt, de qua re meminit Cicero *in* 7. *Philip.* his verbis. *Unde laudandi sunt Firmani, qui Principes pollicendæ pecuniæ fuerunt.*

CAP. VIII.

De Firmanorum *fortitudine.*

Cum bellum adversus *Antiochum* Regem *Romani* in *Thermopylis* gererent, mereretque
F *Firmana* cohors sub *Catone Censorio*, qui evertendæ *Carthaginis* auctor fuit, accidit, ut desideraret *Cato* edoceri, quibus ea prima *Thermopylarum* custodia data esset, propterea *Firmanis* ad se vocatis, quorum perpetua fide, ac prompta opera usus erat, hisque extemplo dicto parentibus hunc maxime in modum, ut auctor est in ejus vita *Plutarchus Chæroneus*, locutus est: *Unum ex hostibus, ut vivum adducatis in manum meam, opus*

A *est, qui me doceat, quibus hæc prima custodia data sit, quanta hostium multitudo, quæ omnium dispositio, quis ordo, quis apparatus, quo nos excepturi sunt ad eum corripiendum tota in celeritate, ac audacia spes esto: eodem modo Leones inermes fiducia, & spe pleni horrenda immanium ferarum lustra ingredi solent.* Quæ cum dixisset *Cato*, *Firmani*, ut erant per montes ad speculatorias custodias discurrunt, quibus irruentibus omnes nihil tale expectantes tantus undique pavor invasit, ut, quid in re esset ignari, passim fuga dispersi sint. Ex his unus ipsis cum armis prehensus in manus *Catonis* defertur, à quo explorat cum reliquæ copiæ in angustiis cum Rege sedeant, sexcentos Actalos ibi B defectos esse, qui extremas collium partes pro statione tenerent. Quare horum simul negligentia *Cato*, & paucitate contempta extemplo jussis canere tubis ingenti clamore, ac strepitu primo stricto pugione suos admovit, quos cum ex præscriptis montibus repente invectos cernerent in Regia castra fugientes omnia tumultu, ac terrore complent. *Manlius* interim munimenta illa, quæ fauces tutabantur universo admoto exercitu ex inferioribus oppugnabat. Tunc *Antiochus* os
17 lapide citus excussis dentibus doloris acerbitate equum avertit, exercitus nulla ex parte vim *Romanorum* ac impetum sustinere, sed effusa fuga C terga dare, & per ancipites saltus palustri limo, & voraginibus invios, ac præruptos, & lubrices colles iter habere. Ad hæc intra angustias illas invicem occurrentes, ita circumfuso undique terrore, ac hostium ferro obtorpescere, ut *Romanus* passim eos cæderet, quamobrem *Cato* ausus est ea die de se dicere. *Nullo pacto se tantum debere Populo Romano, quantum sibi Populus Romanus deberet:* gesta hæc sunt ann. ab urbe cond. 559. *Lucio Valerio Flac.* & *M. Por. Cat.* Coss.

CAP. IX.

Quod Firmani *opem tulerunt in victoria* Pauli Æmilii *contra* Macedones.

D Contra *Perseum Macedoniæ* Regem *Paulus Æmilius*, qui apud *Cannas Apuliæ* diem obiit adversus *Hannibalem* pugnans, cum pro Rep. bellum administraret, *Firmanam* etiam cohortem in Castris fidissimam habuit: testis est hujusce rei Livius *Cap.* 40. *lib.* XLIV. cum inquit. *Flumen erat haud magnum prope ostium Castri*, ex quo & Macedones, & Romani aquabantur, præsidiis ex utraque ripa positis, ut id facere tuto possent*; duæ cohortes à parte *Romanorum* erant *Marrucina*, & *Peligna*, duæ turmæ *Samnitium* Equitum, quibus E præerat *M. Sylius* legatus, & aliud pro Castris stativum erat præsidium sub *C. Clivio* legato, tres cohortes *Firmana*, *Vestina*, *Cremonensis*, duæ turmæ Equitum *Placentina*, & *Essernina*; *cum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter quarta † jumentum è manibus curantium elapsum in ulteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes, altero occiso, receptoque eo jumento ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat, ex his pauci ægre passi popularem in suo conspectu cæsum ad per-* F *sequendum interfectores fluvium transgressi sunt, deinde plures, & postremo omnes, & cum præsidio.* hic Livii textus deficit.

* Alii: *propius hostium Castris.*

† Alii: *nona.*

18 Sed tamen victoria *Romanorum* fuit, & *Macedonum* cæsa fuere ad viginti millia, An. ab urb. cond. DLXXXVI. *L. A. Paulo*, & *C. Licinio Crasso* Coss.

CAP. X.

Quantum Firmani Pompejo *Straboni, & Magno faverunt.*

Gerente *Pompejo Strabone* bellum adversus Duces earum Coloniarum, quæ defecerant, accidit, ut committeretur certamen ad *Falernum* Montem, ubi *P. Ventidius Judacilius*, & *T. Aphranius* cum eo congressi (ut scribit Appianus Alexandrinus *lib.* I. *de bellis Civilibus*) in fugam vertere, & ad *Firmum* usque urbem persecuti sunt, deinde ad alias duxere copias: *Aphranius Pompejo* intra *Firmum* incluso castra apposuit, ille vero cæteros in armis præparans ad bellum non prodibat, adventante alio exercitu. *Sulpitium* à tergo *Aphranio* immittit, ipse in fronte progreditur, itaque dum prælium gerit laborantibus utrinque *Sulpitius* hostium castris injecit ignem. Quod intuentes illi *Asculum* perfugiunt nullo militari ordine carpentes iter: *Aphranius* pugnans interimitur. *Pompejus Asculum* profectus urbem obsidebat. An. ab urb. cond. 655. hoc maximum quidem fuit indicium amoris *Firmanorum* in *Pompejum*, contra autem ipsi à patre, & filio vehementer amati fuere, quippe qui filius cognomine Magnus apud eos divertebatur, benevolentiamque ac amicitiam à patre sibi relictam adaugebat consuetudine præsentiæ suæ, ut testis est *Plutarchus* in vita ipsius, possidebatque *Firmi* agros, ut ex Cic. *in* 13. *Philip.* colligi potest, ubi de re illius loquens ait. *Sed hanc disceptationem * pro paterna necessitudine, & conjunctione deposco, redimet hortos, ædes, urbana quædam, quæ possidet Antonius, nam argentum, vestem suppellectilem, universa † amittet æquo animo, quæ ille Helluo dissipavit. Albanum, Firmanum à Dolobella recuperabit: etiam ab Antonio Tusculanum:* ipsosque *Firmanos* fratres appellabat, quod docet Cicero *Epist.* 8. *lib.* IV. *Epistolarum ad Atticum.* Epistola. *Multa me delectarunt.* cum inquit. *Audivi ex Gavio hoc Firmano, Romæ esse hominem, & fuisse assiduum, percussit animum: dices, tantulane causa? per multa ad me retulerat non dubia de Firmanis fratribus, quid sit, quod se à me removit, si modo removit,* 19
ignoro. De eo, & quæ sequuntur.

* *dispensationem.* Alii.

† Alii. *vinum.*

CAP. XI.

De Firmanis *viris, qui* Romæ *claruerunt, & præsertim de* L. Equitio.

Lucius Equitius Firmanus cum seditiosis *Gracchorum* temporibus *Romæ* vitam ageret, eosque mirum in modum coleret, & propterea ab eorum latere nunquam discederet, post illorum cædem se clarissimæ illorum familiæ voluit inserere, in quo fuit à vulgo vehementer adjutus, siquidem cum se *Gracchi* filium simularet, tribunatumque cum *L. Saturnino* peteret, *Mario* quintum consulatum gerente, idque faceret adversus leges, fuit in custodiam ductus, unde eum populus claustris convulsis raptum humeris suis per summam animorum alacritatem portavit, ex quo patet quam clarus, quamque populo gratus esset: meminit hujus viri Valerius Maximus *libro nono*, *de Vi, & Seditione cap. septimo*, & in *cap. de Constan.* & eodem *libro nono*, *capit.* 16. *de his qui infimo loco clarissimis familiis se mendacio inserere conati sunt.* Ubi *L. Equitium* monstrum appellat. Quod tamen neminem movere debet: mos enim est hujus auctoris omnes præter *Romanos* deprimere, quod efficit & Quinctilianus IV. *lib. de Narratione* loquens, ubi hoc utitur exemplo. *M. Acilius Palicanus* humilis loco *Picens* loquax magis, quam facundus: floruit is *Romæ* Anno ab urbe condita. DCLIII. *C. Mario* & *M. Aquilio* Coss.

CAP.

CAP. XII.

De Lucio Taruntio *Philosopho*, *&* *Mathematico.*

Lucius *Taruntius* Civis *Firmanus* floruit *Romæ* temporibus *Varronis* Philosophi viri *Romani*, & historiarum monumentis peritissimi, fuit is *Varroni*, & *Ciceroni* imprimis amicus, & tum Philosophiæ tum Mathematicæ studiosus. Qui cum ad disciplinam Astrologiæ se contulisset contemplationis gratia, & in ea excellere putaretur, imposuit ei *Varro*, ut *Romuli* conceptionem in diem, & horam deduceret inspectis ejus vitæ institutis, & rebus gestis, ac ex illis consequentiam colligeret, veluti Geometricarum præpositionum resolutiones præcipiunt: ejusdem enim contemplationis est conceptionis tempore vitam
20 prædicere, & præcepta vitæ procreationis tempus perdiscere: suscepit igitur *L. Taruntius* munus sibi à *Varrone* impositum, ac perspecto viri ingenio, & moribus rebusque gestis tum vitæ tempore, ac mortis genere, hisque omnibus in unum collatis demonstravit *Romulum* primo anno secundæ Olympiadis fuisse conceptum in mense Choe, quem nos Decembrem appellamus die 23. hora tertia, qua solis fuit Eclipsis, in lucem editum in mense Thoth, qui apud nos September est die 20. circa ortum solis. Urbis vero *Romæ* fundamenta ab illo jacta esse quinto Idus Pharmati. 1. Aprilis inter secundam, & tertiam ejus diei horam: meminit hujus viri Cicero in *secundo de Divinatione* his verbis. *L. Taruntius Firmanus* familiaris noster imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbe etiam nostra natalem diem repetebat ab iis partibus, quibus tum à *Romulo* conditam accepimus, *Romam*que cum in jugo esset luna, natam esse dicebat, nec ejus facta canere dubitabat.

CAP. XIII.

De Sabino Firmano.

Sabinus *Firmanus*, vir summæ dignitatis, & auctoritatis, fuit *Plinio Juniori* vehementer gratus, quod apparet ex hac epistola, quam ab ipso ad *Sabinum* scriptam apposuimus exceptam ex *libro sexto epistolarum.* 18. *Epist.*

C. Plinius Sabino S.

Rogas, ut agam Firmanorum publicam causam, quod ego, quamquam pluribus occupationibus distractus, adnitar. Cupio enim, & ornatissimam Coloniam advocationis officio, & te gratissimo tibi munere obstringere. Nam cum familiaritatem nostram, ut soles prædicare, ad præsidium, ornamentumque tibi sumpseris, nihil est, quod negare debeam præsertim pro patria petenti. Quid autem precibus aut honestius piis, aut efficacius amantis? proinde Firmanis tuis, ac jam potius nostris, obliga fidem meam, quos labore, & studio meo dignos cum splendor ipsorum, tum hoc maxime pollicetur, quod credibile est optimos esse, inter quos tu talis extiteris. Vale.

CAP. XIV.

De B. Sereno Firmano *Martyre.*

Floruit in *Firmana* urbe *Serenus* Monachus, & Martyr temporibus *Maximiani* Imperatoris,
21 cujus Imperio captus, cum se Christianum esse fateretur, capite mulctatus est, quod habetur in Martyrologio nuper emendato à *Francisco Maurolico* Abbate *Messanensi*, & in *Tygographia Primi Cabillunensis Episcopi sub Anno Domini* CCCVI. hoc modo. *Serenus Monachus, & Martyr sub Maximiano Imperatore apud Firmium passus est. Nam cum ipse sibi hortum excoleret, & unus ex domesticis Imperatoris amicus intimus esset, quadam die uxorem illius in horto suo hora incongrua deam-
A bulantem reperit, eamque acriter de inhonestate increpavit, quod sola hora inepta Monachi Pomerium introisset, eam quoque cum indignatione ejecit, quæ viro suo de Sereno conqueritur, & quod eam turpiter ejecerit lamentatur. Qui verbis conjugis ad iracundiam motus, quem dudum, ut amicus celaverat Maximiano, uti Christianum accusavit; sicque Serenus jubente Imperatore tentus, & se Christianum confessus capite cæsus est. 7. Kal. Martii.*

Vespasiani Imperatoris temporibus *Gajus Plinius Firmi* una cum exercitu, cujus Dux erat, per multos dies commoratus est.

B

CAP. XV.

De L. Cælio Lactantio Firmiano.

Lactantius *Firmianus*, quod *Firmianus* fuit cognominatus, videtur pro certo tenendum, quod *Firmanus* fuerit. Nam *Firmium* à *Ptolemæo*, cæterisque auctoribus, ut *Firmum* dictum est. Docuit is rethoricam *Nicomediæ*, & deinde *Romam*, ut ibi doceret, à *Diocletiano* Imperatore fuit accitus. Fieri autem potuit, ut à pueris *Firmo* discesserit, & apud *Afros* floruerit, cum id aliis quamplurimis accidisse sciamus.

CAP. XVI.

De Favio *Episcopo* Firmano.

C Fuit *Favius* Episcopus *Firmanus* vir sanctus, & misericors, qui pro Redemptione *Demetrii*, & *Valeriani Firmanorum* clericorum undecim libras argenti ex *Firmana* Ecclesia acceptas hostibus impendit: cujus rei meminit his verbis divus Gregorius in *secunda parte Decretorum*, *causa* 12. *quæstione* 11. *cap. sacrorum.* scribens *Demetrio*, & *Valeriano*, videlicet. *Sacrorum Canonum statuta, & legalis permittit auctoritas licite res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi, & ideo cum edocti à vobis simus ante annos. f.* 18. *Favium Ec-* 22
*clesiæ Firmanæ Episcopum undecim libras argenti de
D eadem Ecclesia pro redemptione vestra, ac fratris vestri Passivi fratris, & Coepiscopi nostri, tunc vero clerici, necnon matris vestræ hostibus impendisse, atque ex hoc quandam formidinem vos habere, ne hoc quod datum est, à vobis quolibet tempore repetatur, hujus rei præcepti auctoritate suspicionem vestram prævidemus auferendam. Constituentes nulla vos exinde, hæredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam substinere, nec à quoquam aliquam vobis objici quæstionem.*

CAP. XVII.

De Passivo *Episcopo* Firmano.

E Passivus Episcopus *Firmanus* floruit in Ecclesia *Firmana* temporibus divi *Gregorii* Papæ circa annos Domini DC. huic *Gregorius* mandavit, ut de reliquiis *S. Sabini*, quas præceperat *Chrysanto* Episcopo *Spoletano*, ut *Valeriano Firmano* Notario traderet, oratorium in *Firmana* urbe consecraret, & in ejus epistolis videri potest: ex quo conjectura quadam ducimus, sanctum *Sabinum* fuisse *Firmanum*, licet certo non audeamus affirmare, huic etiam divus *Gregorius* mandavit, ut *Aprutinæ* Civitati de Episcopo provideret, quod habetur in *prima parte Decretorum*, *dist.* 61. *cap. bene novit*; & ne quis ulterius desideret, vel subdubitet, ad litteram apponemus.

F

D. Gregorius Passivo Episcopo Firmano. S.

Bene novit Fraternitas tua, quam longo tempore Aprutium Civitas pastorali sit sollicitudine destituta, ubi diu quæsivimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire: sed quia mihi optimus in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis, valde laudatus religiosam vitam omnino dicitur agere, hunc volumus, ut fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneatur, qua-

quatenus in bonis studiis crescat, & , si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obvenient; tunc hortandus est, ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat, & post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad Pastoralem
23 *curam debeat promoveri. Cui autem visitatio injungitur nihil de rebus ejusdem Ecclesiæ à quoquam præsumi patiatur.*

CAP. XVIII.

De Uberto *Episcopo* Firmano.

Ubertus Episcopus *Firmanus* floruit in Ecclesia *Firmana*, anno à Partu Virginis DCCCCXCVI. usque annum MXXXIV. huic Monasterium sancti *Martini* apud *Cupram maritimam* donatum fuit cum omnibus suis juribus, dono etiam datum est Castrum *Fanum*, & medietas Montis sancti *Pauli* de *Monterano*, hujus etiam tempore assentientibus Canonicis *Firmanis* commutatio facta fuit de Monte *Cretatio*, & ejus agro, ut ex *Archiviis Episcopalibus*.

CAP. XIX.

De Ulderico *Episcopo*.

Præfuit *Uldericus* Episcopus Ecclesiæ *Firmanæ* ab anno Domini MLXII. usque ad annum MLXIII. & hoc temporis curriculo ipsi Episcopo, & successoribus fuit dono datum Castrum *Lorici*, & *Cerioli*, & *Carvonariæ* in agro *Elpidensi*, & etiam Castrum *Bonvenzonis* in territorio *Montis Ulmi* cum solo, mœnibus, & habitationibus, & Castellum in territorio *Golsorani*, ut ex *Arch. Episc.*

CAP. XX.

De Longobardis, *qui* Picenum Marchiam Firmanam *nuncupaverunt*.

Cum *Longobardi* essent in *Italia* rerum potiti, immutaverunt tum Regionum, tum etiam Provinciarum nomina: unde *Picenum Firmanam Marchiam* nominandum duxerunt. Quamobrem legimus in Concilio Lateranensi *Ruberto Guiscardo* ex illustri *Normandorum* gente oriundo aqua, & igni interdictum, quod *Marchiam Firmanam* occupasset, & ita illis temporibus Provincia à *Firmo* appellationem capiebat, cujus sententiæ est *Blondus Foroliviensis decadis secundæ lib.* III. & *Joannes Villanus* historiographus, & Platina in *vita Gregorii VII.* Pontificis, cum inquit: *Præterea vero gratiam S. Petri, & ingressum Ecclesiæ his interdicimus quousque pœnituerint, satisfecerintque, sive Normandi sint, sive Itali cujusvis nationis, qui aliqua ex parte læserint aliquove incommodo affecerint Marchiam Firmanam in Picentibus, Ducatum Spoletinum, Campaniam in Hernicis, Agrum Sabinum, Tiburtinum, Prænestinum, Tu-*
24 *sculanum, Albanum, & quicquid in Cassinati agro positum est, nec Beneventum in Samnitibus excipio.*

Alaricus cum *Gothorum* magna multitudine per *Forum Livii* invectus sub *Theodosio* Imperatore, sedente *Innocentio* primo anno, 413. *Firmum*, & universum Agrum *Picenum* deprædatus est, & paulopost *Ataulphus Gothorum* pariter Rex.

Attila Aquileja occupata *Italiam* invasit, & Civitates maritimas Agri *Piceni* fere omnes diripuit, anno 450.

Anno 451. *Theodoricus Gothorum* ingentem multitudinem in *Italiam* duxit, & *Firmum* devastavit, sed paulopost *Arnalasunta* ejus filia instauravit, ac amplissimis structuris, & ædificiis exornavit, & Balnea ædificavit, quæ his temporibus vulgo nuncupantur *il Bagno della Regina*.

Anno 552. *Gothi* Regem *Thejam* crearunt, qui decem annorum curriculo, *Firmum*, & universum Agrum *Picenum* in suam ditionem redegit.

Anno 560. *Anicenus Firmum* instauravit, multosque fontes in eadem Civitate ædificavit.

Anno 568. *Alboinus Longobardorum* Rex ingentem exercitum in *Italiam* duxit, & agrum *Picenum* occupavit, *Firmana* Civitate excepta, ac triginta Duces, seu Gubernatores in universa *Italia* instituit.

Anno 593. *Longobardorum* Rex invasit *Eutherus*, qui *Firmum*, *Falleram*, & *Salviam* Civitates occupavit, quæ obsidionem duodecim annorum passæ fuerunt, ac ingentem famem, ut carne humana vescerentur Incolæ, à dicto vero *Euthero* Rege militum deprædationi concessa fuit Civitas *Firmana*, ita ut Thermæ, Theatra, Fontes, Palatia, ac omnia ædificia, quibus singulariter structa erat dicta Civitas, dejecta, ac devastata fuerint.

Anno 598. *Agilulphus Longobardorum* pariter Rex *Theodolindæ* uxoris suæ nobilissimæ, ad quam extant *Gregorii* Magni Epistolæ, persuasionibus religionem Christianam amplexus, *Firmum*, ac universum *Picenum* Ecclesiæ ditioni restituit atque concessit.

Anno 666. *Longobardorum* Rex *Grimoaldus* evasit, & *Constantius* Imperator *Picenum* invasit, ac inde antiquitates omnes eripuit, quæ *Siracusiæ* 25
defuncto Imperatore à *Saracenis* captæ, & *Alexandriam* exportatæ fuerunt, inter quas aderant hæc: videlicet. Statua ænea *Pici* Regis, necnon & statua *Jani Bifrontis*, quæ in platea *Firmi* extabat, ac etiam insignis lapis, in quo cernebatur hujusmodi inscriptio Chaldaice enarrata. *Nembroth adeo turpiter confusus à filiis castratus cum Camese filio in Picenum trajecit, atque ubi nunc emporium Piceni habetur, urbem parvam condidit.*

Anno 776. *Carolus Magnus* à Pontifice *Hadriano* Primo in *Italiam* accersitus, Agrum *Picenum*, & multas *Italiæ* urbes Ecclesiæ *Romanæ* donavit, & ad rejiciendos *Græcos Firmum* missus est Gubernator, qui una cum *Ildobrando Spoleti* Duce, ac *Grimoldo* Duce *Beneventi* bellum injecit adversus *Constantinum Sextum Græcorum* Imperatorem: dictus vero Gubernator *Firmi* Marchio vocabatur, & ob res præclare gestas *Firmanorum* ope *Marchia Firmana* nuncupata fuit.

Irene posteaquam *Constantino* filio oculos effodiendos mandavit, *Græci* una cum *Longobardis* arma concitarunt in oppida, quæ *Romanæ* Ecclesiæ obediebant sub *Leone* III. quo factum fuit, ut *Carolus Magnus* iterum in *Italiam* veniret, & *Pipini* filium, Marchionem *Firmanum*, & *Spoleti* Ducem magnis instructos copiis obviam misit ad reprimendos impetus *Græcorum*, & *Longobardorum*, qui Regnum *Neapolitanum* detinebant, ac ubi *Nuceriam* ventum fuit anno 801. *Firmani* gloriæ cupidi præclara multa præstiterunt, ac Castella quam plurima occuparunt, quorum investituram à *Carolo* Imperatore reportarunt, ac multis annis Duces, & Marchiones in Regno *Neapolitano* extiterunt.

CAP. XXI.

De his, quæ gesta sunt à Saracenis *in* Italia, & *Agro* Piceno.

Capto *Desiderio Longobardorum* Rege, & expulsis ex *Italia Longobardis* per *Carolum* Imperatorem, *Saraceni Cretam* Insulam occuparunt anno 854. ac paulo post in *Italiam* ingressi omnes maritimas Civitates Agri *Piceni* diripuerunt.

Anno 914. *Romanus Constantini Leonis* filius, qui *Græcorum* Imperium usurpavit exercitum du- 26
xit, cum ea pars *Italiæ*, quæ Imperio Orientali suberat, motus faceret adversus Imperatorem *Constantinum*, *Saracenos* ex *Aphrica* in *Italiam* advexit, & *Hydrunto Pisaurum* usque loca omnia maritima deprædati sunt, sed paulo post victi, & expulsi fuerunt ab *Alberico* fratre *Joannis Decimi* Pon-

Pontificis, qui *Roma* ob invidiam ejectus *Ungaros* in *Italiam* duxit, qui *Flaminiam* Provinciam, *Umbriam*, & Agrum *Picenum* rapinis devastarunt.

Sed *Sacropolus Epiri* Rex in *Italiam* trajecit anno 963. & *Saracenos* à Monte *Gargano* dejecit; quibus temporibus *Otho* primus Imperator *Italiam* petiit, & *Firmanos* summis honoribus affecit. *Otho* vero secundus anno 976. in *Græcos* arma dum concitaret, per *Picenum* iter habuit.

C A P. XXII.

De Normannis, *& eorum Rebus gestis in Agro* Piceno.

In *Apulia* diu *Normanni* Imperium detinuerunt, sed ubi Ecclesiæ Civitates perturbare ceperunt, *Firmum* occuparunt, anno 1008. Sed ann. 1169. *Alexander secundus* Pontifex *Firmum*, ac universum Agrum *Picenum* à *Normannorum* Imperio vindicavit, & in Ecclesiæ ditionem restituit. *Gregorius* vero *septimus Robertum Apuliæ*, & *Calabriæ* Ducem, quod *Firmum* occupasset anathematis sententia in generali concilio affecit. Anno deinde 1580. *Michaël Diacusius* Imperator dictus una cum *Michaëli Andronico*, & *Constantino* filiis ejectus à *Nicephoro* Imperatore, *Firmum* latenter venit, & longum cum *Roberto* sermonem habuit, ut sibi opem ferret, sed *Robertus* à Pontifice absolutus *Firmum* Ecclesiæ restituit.

C A P. XXIII.

De Grisforano *Episcopo.*

Grisforanus Episcopus ab ann. MLXXIX. usque ad annum MLXXXVIII. præfuit Ecclesiæ *Firmanæ*, cujus tempore nihil imminutum, nihilque fuit ipsi Ecclesiæ additum, ut ex *Arch. Episc.*

C A P. XXIV.

27 *Quo tempore* Ugo Candidus Firmanæ *Ecclesiæ præfuit.*

Ugo Candidus floruit in Ecclesia *Firmana* ab anno Domini MLXXXVIII. usque ad annum MXCVI. successoribus dono datum fuit Castrum *Latii Umbrimani*, & *Cerioli*, cum & Pontibus in Agro sancti *Elpidii*, huic etiam facta est renunciatio, promissio, obligatio, & cessio Castri sancti *Agelli* in Ripa *Transoni* ab *Actone* filio *Actonis*, & donatum est etiam Castrum *Torliani* in territorio Civitatis Novæ, ut ex *Arch. Episc.*

C A P. XXV.

De Azzone *Episcopo*, *& privilegiis ab eo concessis Incolis Castri sancti* Juliani.

Azzo Episcopus præfuit Ecclesiæ *Firmanæ* ab anno MCVIII. usque ad annum MCXVI. huic donatum fuit pariter Castrum *Umbrimani*, & *Paradisi* in Agro *Elpidiensi* à Comitissa filia *Bamboni* uxore Comitis *Ugonis*, ipsi autem fruendum dedit Castrum *Agelli* in Ripæ *Transonis* territorio *Varnerio* Marchioni, & *Altrudæ* Comitissæ illius uxori usque in tertiam generationem, ut constat in *lib. Annalium Episcopalium.* Concessit etiam hominibus Castri *S. Juliani*, noviter *Maceratæ* multa privilegia, immo omnia præterquam de impetu, furto, & homicidio, & incestu, illi autem viri promiserunt Episcopo, & Ecclesiæ *Firmanæ* fidelitatem, & usque ad tres vices dictum Castrum restituere, si aliquo eventu esset dirutum; hoc patet ex eod. libro: hoc autem Castrum ipse *Azzo* cessit fruendum filiis *Astonis*, & filiis *Carboni*, ut eod. libro &c.

C A P. XXVI.

De Liberto *Episcopo.*

Libertus Episcopus *Firmanus* concessit, & confirmavit omnia jura, quæ concesserat *Ulde*-

A *ricus* Episcopus hominibus Civitatis Novæ, incolis S. *Juliani*, & hominibus Castri S. *Joannis*, quod Castrum nunc dicitur *Mons Sanctus*, tradidit facultatem ædificandi dictum Castrum cum conditionibus, quæ habentur in *Arch. Episc.* Ipsi autem promissum fuit à rustico *Grimaldo Podium* S. *Juliani* id est *Macerata*, & renunciatio litis facta de Castro *Cerquetia Rugerio*, & *Raynaldo.* hic vixit in Ecclesia *Firmana* ab anno Domini MCXXVIII. usque ad annum. MCXLIV. 28

C A P. XXVII.

De Buligano *Episcopo.*

B *Liberto* successit *Buliganus*, inter quem, & *Varnerium* Marchionem Castri *Murrivallis* orta est controversia pro dicto Castro: quamobrem anno Domini MCLXIV. composita fuit à *Ruso*, & *Alberto* Imperialis Aulæ *Friderici* Imperatoris Judicibus, sedente Domino *Albertino Tridentino* Episcopo Imperatoris Vicario pro Tribunali in Ecclesia S. *Paterniani* de *Fano*, dictumque Castrum adjudicatum fuit ipsi Episcopo, prout in sententia scripta manu *Morandi* sacri Palatii Notarii præsente ipso *Friderico* Imperatore: testes autem fuere *Joannes Ugolini* de *Ugone Fanensis*, *Ptolemæus* de *Castro*, *Hermandus* de *Monte* S. *Joannis*, *Albertus* de *Guido Morellus Fanensis*, *Honestus* de *Alberto*, *Osfredutius* de *Bono* Comite, *Uguiccio* de *Guidone*, *Andreas* de *Pezzo*, & *Bailivus* de Civitate Nova: hæc ex *Arch. Episc.*

C A P. XXVIII.

Civitas Firmana *ab exercitu Imperatoris* Friderici *Duce* Christiano *Archiepiscopo fere destructa fuit.*

Imperante *Friderico Barbarossa* Dux exercitus illius, & Cancellarius *Christianus* Archiepiscopus *Maguntinus* venit in *Italiam*, ubi multas variis calamitatibus affecit Civitates, ipsamque *Firmanam* urbem de mense Septembris ann. Domini MCLXXVI. occupavit, & victori exercitui suo destruendam, ac penitus comburendam tradidit, quod colligitur ex privilegio ipsius *Friderici* concesso huic Urbi, an. Domini 1178. & ex privilegio ipsius *Christiani* Archiepiscopi, quod duximus adscribendum.

Christianus Dei gratia Maguntinæ sedis Archiepis. Germaniæ Archicancellar. & sacri Imperii in Italia legatus.

Decet Imperatoriæ Majestatis Clementiam ex suæ benignitatis gratia quibuslibet miseria detentis misericordiæ manum aperire, eosque suæ benevolentiæ magnitudine ad Imperii fidem, & devotionem provocare, sed præsertim sub Imperii tutela degentes, si forte aliquo casu ad miseriarum infortunium devenerint, relevare, & de suæ gratiæ plenitudine in proprium, & antiquum statum reformare. Inde est, quod nos, qui ejusdem Imperii legatione fungimur in Italia, casibus, & infortuniis Firmanæ Civitatis ab exercitu nostro illatis compatientes, ipsam in omnem libertatem, quam habebat, antequam ab exercitu nostro impeteretur, auctoritate Imperiali, & nostra restituimus, omnesque possessiones, & jura, quæ antea habuit, & tenuit, ei concedimus, & reddimus de præsenti scripto privilegio corroboramus: statuimus insuper, & inviolabiliter tenendum disponimus, ut nec nos, nec quisque Imperialis Excellentiæ Legatus ullam de Castro munitionem, vel ædificia contra voluntatem Civium in Civitate, & ejusdem Castello construere, vel ædificare audeat. Si quis vero contra hujus nostræ constitutionis privilegium ausu temerario aliquatenus præsumpserit, centum libras auri pro pœna componet, medietatem Imperiali Cameræ . . . . persolvendum.

Testes hujus privilegii *Conradus Suevus* Dux *Spo*-

Spoletinus, *Leo* de *manu* . . . . *Albericus* A
sanctus *Wibertus Rugerius*, & alii plures *Theutonici Seroli*; anno, ut supra, Indictione nona, Mense &c.

Cap. XXIX.

De Presbytero *Episcopo* Firmano.

P*resbyter* Episcopus floruit in Ecclesia *Firmana* anno Domini, MCLXXXVII. ut habetur ex cessione, & refutatione hominum *Montis Sancti*, de quæstu, & contradictione, quam fecerat Senatus *Montis Sancti* de non reddendo debita Ecclesiæ *Firmanæ*, & Episcopo, & successoribus: huic fuit concessum privilegium à *Friderico* B
Romanorum Imperatore in favorem Ecclesiæ *Firmanæ*, anno Domini MCLXXXVIII. cujus initium est. *Ratio suadet, & justitia exigit, ut justis precibus aures nostræ benignitatis accommodemus* &c. si quis autem cupit hoc videre, adeat *Arch. Episc.* Fuit etiam concessum Privilegium ab *Henrico Sexto Rom.* Imperatore, cujus principium est. *Henricus Sextus Dei gratia Romanorum Imperator*: ex *Arch. Episc.*

30 ### Cap. XXX.

Firmana *Civitas fuit ab* Henrico *Imperatore vi occupata.* C

F*irmana* Civitas anno Domini MCXCII. fuit occupata ab *Henrico VI.* Imperatore, post cujus mortem à *Marucaldo* Siniscalco Imperii, & Duce *Ravennæ*, ac Marchione *Romandiolæ* tyrannice fuit subjugata. *Innocentius* tamen Pontifex III. anno Domini MCCVII. redegit *Firmum* una cum aliis *Piceni* Civitatibus in Ditionem Ecclesiæ *Romanæ*, ut auctor est divus *Antonius* in *part.* 3. *historiarum tit.* 19. *cap.* 1. Anno vero MCXIX. *Urbanum II. Romanorum*, & *Henrici* Imperatoris impetum fugientem, dum per *Picenum Placentiam* iter haberet, honorificentissime receperunt *Firmani*, *Gilbertum* Pseudopontificem re- D
jicientes, sed anno MCXI. Archiepiscopi *Maguntini* consilio ab *Henrici IV.* militibus *Firmum*, ac aliæ Agri *Piceni* Civitates multa mala ceperunt, ut per multos annos senserint, quousque ab *Honorio II.* Pontifice mandatum fuerit, ut *Piceni* Civitates muris cingerentur, & *Firmum* apud Arcem *Montis Gerionis* exædificatum fuit. Sed iterum anno 1173. à militibus *Friderici* per vim Imper. *Firmum* incendium, & excidium fere accepit, & omnia Civitatis hujus privilegia, jurisdictiones, libri omnes combusti fuerunt.

Cap. XXXI. E

Quod S. Dominicus Firmum *venerit.*

A*b Othone IV.* Imperatore, *Azzo Estensis Piceni* cum Marchio efficeretur, *S. Dominicus* cum socio, qui *Jacobus* vocabatur *Firmum* venit, anno 1214. & conciones multas habuit in Ecclesia *S. Thomæ*, quæ nunc Ecclesia sancti *Dominici* vocatur.

Cap. XXXII.

De Adenulpho *Episcopo* Firmano.

A*denulphus* Episcopus floruit in Ecclesia *Firmana*, anno Domini 1205. hic fecit pa- F
ctum cum hominibus Agelli *Capitis Ruffiani*, & *Montis Antiqui*, ut hi deferrent quotannis pallium in Ecclesiam *Firmanam* in festo Assumptionis, ipse autem concessit liberam potestatem Consules eligendi, quot, & quos vellent, cujus tempore Pontifice *Innocentio III.* anno Domini 1205.
31 fuit concessum privilegium Ecclesiæ *Firmanæ*, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ut patet, ex eodem *Arch. Episc.*

Cap. XXXIII.

De Ugone *Episcopo.*

U*go* Episcopus incepit præesse Ecclesiæ *Firmanæ*, anno Domini 1214. Indictione secunda Mense Novemb. Consules *Civitatis Novæ*, Potestas, & homines pro communitate *Podii S. Juliani*, & Consules *Murri* promiserunt pro se, & successoribus observare omnia pacta, & conditiones tam in rebus, quam in personis in hanc formam, ut ad verbum traduximus ex *Arch. Episc.* *Vobis domino nostro Episcopo, vestrisque successoribus, & Vicariis promittimus in personis, & in rebus pleniter obedire, tam de militibus vobis facientibus, quam de aliis etiam soldinariis inveniendis, & tenendis, de pace quoque studenda cum necesse fuerit, & conservanda pro communi utilitate ipsius Ecclesiæ Firmanæ, & cunctorum prædictorum expensas mittere ad arbitrium nostri Patris, & Domini Episcopi Firmani, & omnia alia addenda, vel minuenda de vestro Conciliariorum Concilio duxeritis statuenda, & ordinanda, &c.* Eidem Episcopo Incolæ Pagi *S. Claudii* fidelitatem juraverunt, ut ex *Arch. Episc.* Eodem tempore confirmavit Papa *Innocentius III.* Ecclesiæ *Firmanæ* Episcopis privilegium tam de temporalibus, quam de spiritualibus.

Cap. XXXIV.

De Petro *Episcopo* Firmano.

P*etrus* Episcopus *Firmanus* præfuit Ecclesiæ *Firmanæ*, anno Domini MCCXVIII. hic concessit hominibus *Montis Actonis* privilegium, quod libere habitare possent, fecitque pactum cum Abbate *Claravallis*, & successoribus cum declaratione canonicæ portionis, ut ex *Arch. Episc.* Huic *Honorius* Papa III. pro se, & successoribus concessit privilegium in perpetuum, ne quis præter Ecclesiæ *Romanæ* Legatum in Civitate *Firmana*, vel Castellis inibi expressis, aut aliis bonis spectantibus ad Ecclesiam *Firmanam* exactiones facere, & causas tractare, absque sedis Apostolicæ mandato posset: sed omnia, quæ de placito bando, Mercato, Platea, vel Portubus extra Civitatem, vel cæteris legalibus per Episcopatum
proveniant, sibi persolverent sub Dat. Lateran. 32
3. Idus Martii MCCXXVIII. Pontificatus ejusdem anno III. hinc Episcopo fuit lata sententia à Patriarcha *Aquilegiensi* de controversia, quæ fuerat inter ipsum Episcopum, & Marchionem *Azzonem Anconitanum* de locis, & Castris, quæ ipse Episcopus possidebat scilicet de *Ripa Transone*, *Marano*, *Campofellone*, *Cerqueto*, *Monte Octone*, *Monte Sancto*, & *Castrum Canonicorum* scilicet *Gryptæ*, *Monterano*, & *Monte S. Petro*, ut ex *Arch. Episc.*

Cap. XXXV.

De Raynaldo *Episcopo* Firmano.

P*ost Petrum* sequutus est *Raynaldus*, qui incepit Ecclesiæ *Firmanæ* præesse anno Domini MCCXXIV. quo anno fuit eclipsis Solis die tertia Mensis Junii, huic ab *Honorio* Papa III. idem privilegium, quod ab *Innocentio III. Petro* fuerat concessum, fuit confirmatum die 2. Februarii MCCXXIV. Pontificatus ejusdem anno octavo, ut ex *Arch. Episc.*

Cap. XXXVI.

De Firmanorum *fidelitate in Ecclesiam* Romanam.

R*aymundus Friderici II.* Imperatoris Præfectus, anno Domini MCCXXVIII. ex *Samnio*, & *Campania* castra movens in *Picenum* duxit exercitum, ubi partim vi, partim minis, & etiam pollicitationibus multa *Piceni* Agri oppida in suam potestatem redegit, is diu egit cum *Firmanis*, ut à Pontificis Imperio discederent, qui me-

memores majorum suorum constantiæ, nullo modo in *Raymundi* sententiam ire voluerunt, quod fuit toti *Piceno* saluberrimum: siquidem *Raymundus* visa horum pertinacia post se relictis, quæ ceperat, oppidis, in *Siciliam* se recepit. Idem *Fridericus* Imperator anno. MCCXXXIX. *Firmo*, & *Asculo* depopulationem ingentem intulit.

CAP. XXXVII.

De Philippo *Episcopo, ejusque rebus gestis*

Floruit in Ecclesia *Firmana Philippus* Episcopus, anno Domini MCCXXXIIII. hic filiis *Actoni Grimaldi* Castrum *Torelianum* cum omnibus suis juribus, cum omnibus Castellanis, & Maris littore, & piscatione in emphyteosim dedit, cessit, ac restituit, quousque ad prædecessores illorum pertinere debuisset. ut ex *Arch. Episc.* Hujus tempore fuit composita controversia inter
33 Episcopos *Firmanos*, & Præpositum *S. Joannis* de *Petritolo* in hanc formam, videlicet quod Præpositus quotiescunque opus esset reciperet Episcopum *Firmanum* cum duodecim Equis, & aleret decenter ipsum cum decem, & octo Comitibus per diem, & noctem, & quod ipse Præpositus daret etiam tertiam partem mortuorum Episcopo, ut ex *Arch. Episc.*

CAP. XXXVIII.

Firmanis *fuit concessum, ne quis in littore Maris possit ædificare sine eorum licentia.*

Imperatoris *Friderici* secundi Legatus sive Generalis Vicarius fuit in Marchia *Robertus* de *Castillone*, an. Domini 1242. hic apud *Timnium* nonnulla jura *Firmanæ* Civitati concessit, inter quæ etiam nequis in littore Maris à *Potentia* in *Druentum* auderet ædificare sine licentia *Firmanorum*, ut ex Privilegio constat manu *Nicolai* de *Monterano*, quod servatur in *Archivio Firmano.*

CAP. XXXIX.

Ubi, & quando Asculani *fuerint à* Firmanis *fusi.*

Anno Domini 1246. die Martis in mense Septemb. cum magnus *Asculanorum* numerus adversus *Firmanos* movisset, non expectavere *Firmani*, sed captis armis obviam processerunt, quamobrem in capite montis collatis signis, magna strages edita fuit *Asculanorum*, aliqui cæsi sunt, cæteri ex cæde effusi *Asculum* se receperunt, ut cernitur in *fragmentis Annalium Firmanorum.*

CAP. XL.

De privilegio concesso Firmanæ *Civitati à* Raynerio *Cardinali.*

Cum *Firmana* Civitas à *Romana* Ecclesia à Tyrannis deficere coacta fuisset, omnem continuo impendit operam, ut se in pristinam libertatem vendicaret: ac ad Ecclesiæ *Romanæ* obsequium rediret, quamobrem cum post aliquantum temporis spatium id ex animo successisset, excusso servitutis jugo, *Raynerius* Cardinalis in *Piceno* vices Pontificis gerens ei concessit, quod prius à *Ruberto* obtinuerat. scilicet ne quis in littore maris à *Potentia* in *Truentum* sine *Firmanorum* licentia auderet ædificare: promisitque omnia jura, totum ipsius Civitatis, quam Ecclesiæ defendere, & servare in communantiis (ut ajunt) Comitatus, videlicet *Montis Rubiani*, *Montis S.*
34 *Mariæ* in *Georgio*, & *Ripæ Transonis*: concessit insuper turrem palmarum cum toto ædificio ibi à ministris *Friderici* facto, adjunxit ei & *Cupram* maritimam, *Morescum*, & alias villas, dedit insuper facultatem restituendi Castrum, quod appellatur, destructum per ministros ejusdem *Friderici* Imperatoris, & statuit ne cui Civi *Firmano* dies dici posset in primis civilibus causis nisi coram

A Prætore Civitatis *Firmanæ*, ut constat in *Archivio Firmano* manu *Thadæi Firmani* sub Dat. *Esii* 3. Kal. Octobris, anno Domini 1244. Pontificatus *Innocentii* Papæ quarti anno sexto.

CAP. XLI.

De Firmanorum *fide in Pontificem, & Ecclesiam* Romanam.

Aviditate Imperandi ductus *Fridericus II.* Imperator bellum adversus *Romanum* Pontificem *Innocentium Quartum* gerere cæpit, rupto fœdere: quamobrem ipse etiam Pontifex eum anathemate, & bello persequi instituit: hoc tem-
B pore ipsi Pontifici bellum universa *Ethruria* indixerat, præter *Florentinos*: *Umbri* quoque in eum exarserunt exceptis *Perusinis*, & *Assisiatibus*, *Romandiola* Pontificis Præfectos expulerat. In *Piceno* omnia oppida defecerant, præter *Firmanos*, qui Imperatori acerrime adversabantur. ad quos sæpenumero Legatos Imperator misit, ut Pontificem desererent. Verum ii continue repugnarunt. Quod ubi intellexit Imperator, eos summis laudibus extulit, nam virtus etiam ab hostibus commendatur, hac de causa *Innocentius* Pontifex mandavit *Petro* sancti *Georgii* ad velum aureum Cardinali Legato, ut ipsis *Firmanis* omnia
C jura Villarum, & oppidorum; quibus ab adversariis *Romanæ* Ecclesiæ, & ipsius *Firmanæ* Civitatis fuerunt spoliati, tueretur, quod constat ex litteris sub Plumbo *Mediolani* 15. Kalen. Augusti 1253. Pontificatus ejusdem anno nono.

Multa interciderunt

CAP. XLII.

De Privilegio concesso à Manfredo Siciliæ *Rege* Firmanæ *Civitati.*

Ex plurimis beneficiis, quæ *Firmana* Civitas non solum in summos Pontifices, verum etiam in Imperatores contulit, fuit nonnullis pri- 35
D vilegiis insignita; hinc est quod *Manfredus Siciliæ* Rex ei infrascriptum privilegium, quod ad verbum traduximus, concessit videlicet.

Manfredus Dei gratia Rex Siciliæ &c.

Per præsens privilegium notificamus universis, tam præsentibus, quam futuris, quod nos ad supplicationem Joan. de Alexandro Syndici, & Ambasciatoris Communis Civitatis Firmanæ nostrorum devotorum Fidelium pro parte ipsius Communis specialiter nobis factam, habentes nihilominus respectum ad grata satis, & alta servitia, quæ Commune ipsum Majestati nostræ hactenus præstitit, ac præstare poterit innata gratiosa de speciali nostra gratia, &
E *certa scientia ipsi Communi concedimus, & confirmamus perpetua jura, & jurisdictionem, quam, & quæ Curia nostra habet in Castro Marani, Buccablanca Turri Palmæ, Monterani, Murisci, Massignani, Layreni, Turri S. Patritii, Gruttæmaris, Castro Montis S. Joannis, Castro Montis S. Petri, Castro Montis S. Martini, Castro Petrituli, Castro Montis Falconis Castro Montis Robiani, & eorum omnibus tenutis, quæ prædictum Commune tenet ad præsens præsenti privilegio gratiose confirmantes, easdem conventiones, & pacta omnia ipsis facta per Commune Ripæ Transonis, atque ipsi Communi Firmano inviolabiliter observanda, prout ipsa pacta,*
F *& conventiones continent per Vicarium nostrum, qui pro tempore fuerit in Marchia sine strepitu judicii, & qualibet alia solemnitate dictum Commune Ripæ Transonis cogi volumus, & mandamus, privilegium nihilominus indultum prædicto Communi Firmano per quondam Dominum Imperatorem Fridericum memoriæ celebris patrem nostrum ipsis juxta ejus continentiam tenore præsentium occupantes, ac ipsum pollicentes eidem, & mandantes inviolabiliter observari, prout ipsis servabatur præfato tempore patris nostri.*

Ad hujus igitur nostræ gratiæ memoriam, & stabile firmamentum præsens privilegium per Donatum de Siloe Notarium, & fidelem nostrum scribi, & majestatis nostræ sigillo mandavimus communiri. Dat. in Campis apud S. Gervasium manu Gualteri de Mera regnorum Hierusalem, & Siciliæ Cancellarium, anno Dominicæ Incarnationis 1258. *Mense Octobris.*

36 CAP. XLIII.

De transitu Balduini *Imper. & pugna per Ecclesiasticos* Firmi *edita.*

Balduinus *Constantinopolitanus* Imperator, dum ad *Lugdunense* Concilium proficisceretur, *Firmi* commoratus fuit anno 1245. anno vero 1248. inter Ecclesiasticos, & Imperatoris Vicarium, acriter certatum fuit *Firmi* primum, deinde *Auximi*, ubi multi ex utraque parte perierunt ultra quattuor millia.

CAP. XLIV.

Quando Arx ædificata fuerit, & Firmum *in Ecclesiæ ditionem redierit.*

Redeunti in *Italiam Innocentio III.* anno 1251. *Firmani* sponte se dederunt, ac ad tumultos tollendos regiones in Civitate, & contradas vocatas constituerunt, & in eisdem capita: in hæc usque tempora observatur, ut ex his contradis Magistratus, & Priores in Civitate crearentur.

CAP. XLV.

S. Thomas *de* Aquino, *quomodo* Firmum *venerit.*

Aquini Comites anno 1252. dum iram, & odium *Corradii Friderici* Imper. filii timerent, fuit Comes unus, qui *Firmum* venit, duxitque secum filium *Thomam*, & monacho *Cassinensis* Congregationis commendavit. hic fuit *D. Thomas* de *Aquino* nuncupatus.

CAP. XLVI.

Quando Firmani *à* Manfredi *Dominatu liberati ad Ecclesiæ ditionem redierint.*

Manfredus magnam cladem intulit iis, qui pro Pontifice pugnabant, anno 1254. & *Firmum*, ac alias Civitates, quæ sub Ecclesiæ ditione degebant, occuparunt, sed anno 1265. interfecto *Manfredo* sub *Clemente IV.* Pontifice statim *Firmani* ad Ecclesiæ gremium redierunt.

Hic 12. annorum gesta desiderantur.

CAP. XLVII.

De Victoria Civitatis adversus Rogerium Luppi.

Anno Domini 1270. cum bellum gereret *Firmana* Civitas adversus *Rogerium Luppi* Tyrannum, in planicie *Tinnii* fuerunt signa collata, & cum diu æquo marte dimicassent tandem vi-
37 ctoria *Firmanorum* fuit. Anno autem ab hoc sexto de Mense Octobris, in quo Victoriam retulerunt *Firmani* in *Campolecio* fuit magnum incendium, quod omnia consumpsit. usque ad portam *S. Zenonis.*

CAP. XLVIII.

De Firmanorum *Victoria de* Asculanis.

Anno Domini 1280. de Mense Novembris, in Festo sancti *Martini* apud *S. Benedictum Firmani* concurrerunt, & *Asculani*, fugati sunt.

CAP. XLIX.

Bellum fuit prohibitum inter Asculanos, & Firmanos.

Tempore Pontificatus *D. Honorii* Papæ *Quarti*, qui fuit circa annos Domini 1286. cæperunt *Asculani* novum castrum ædificare in *Firmana* diœcesi, quod ægre ferentes *Firmanis* armis inhibere statuerunt; qua de re bellum apparare cæperunt. ipse autem Pontifex hoc cognito *Hipponensi Piceni*, seu Marchiæ Rectori mandavit, ut inhiberet *Asculanæ* Civitati, ut desisteret à constructione novi castri; *Firmanæ* vero ab apparatu armorum, quod ille exequutus fuit per *D. Papinianum* de *Taurino Præpositum Vinaroli*, ut constat ex litteris sub plumbo ostensis in Senatu *Firmano*, & *Asculano*, prout in *Arch. Firmano.*

CAP. L.

De Adria *combusta à* Saracenis.

Successit *Honorio Nicolaus IV.* quo Pontifice circa annos Domini 1292. die 14. Maji, *Adria* Civitas fuit invasa, capta, occupata, & pænitus combusta, ac destructa à *Saracenis.*

CAP. LI.

De Alberico, *&* Francisco *Episcopis* Firmanis.

Floruit *Albericus* Vicecomes *Placentinus* Episcopus in Ecclesia *Firmana*, anno Domini 1300. ut ex *Arch. Episc.* anno autem 1319. præfuit Ecclesiæ *Firmanæ Franciscus* de *Molliano*, ut colligitur ex quodam lapide marmoreo in Cathedrali Ecclesia, in Altari dicato divo *Iosepho.*

CAP. LII.

De gestis rebus cum Asculanis.

Cum *Firmani*, anno 1327. de Mense Julii adversus *Asculanos* duxerint exercitum, pro- 38
pe portas *Asculi* concurrerunt, quod accidit in festo S. *Mariæ Magdalenæ*, ut colligitur ex *Annalibus Firmanis.*

CAP. LIII.

De Excidio, quod passi sunt Firmani *ab amicis.*

Superiori anno 1326. *Firmanis* cum Ecclesiasticis de fœdere actum fuit eaque de causa viri, & mulieres lætitiæ pleni per urbem choreas ducerent, *Auximates* fœdus non probantes quibusdam cum Ducibus *Gibellinis* in urbem ingressi ex Ducibus fœderis conditionibus, assentientibus nonnullos peremerunt, & Curiæ injecerunt ignem, ubi frequentissimus erat Senatus, ut fœdus de more feriretur, quamobrem in eo incendio optimates multi consumpti sunt, multi semiusti evaserunt, ut auctor est Joannes Villanus *suarum Canonicarum, lib.* IX. *cap.* 340.

CAP. LIV.

De S. Elpidii *expugnatione.*

Anno Domini 1328. de Mense Augusti *Firmani*, qui *Gibellinorum* partes tuebantur Sanctum *Elpidium* ceperunt, & *Guelphos*, magna edita strage, ejecerunt: oppidum autem depopulati sunt. Idem Joannes Villanus *lib.* X. *cap.* 111.

CAP. LV.

Quo pacto liberata fuerit Firmana *Civitas à Tyrannide* Mercendarii *de* Monte Viridi.

Mercendarius de *Monte Viridi Firmanam* urbem tyrannice administraverat novem annos, cum *Benedictus* Papa XII. qui anno Domini 1390. ad Pontificatum fuit assumptus, eamque adulteriis, occisionibus, & omni scelerum genere inquinaverat, nemoque erat, qui auderet adversus eum pro patriæ libertate conjurare: sed quoniam Deus non patitur diutius affligi populum suum, propterea cum ipse Tyrannus cum septem Equitibus animi gratia extra portam *S. Petri* veteris exiisset à *Girardino F. Joan.* de *S. Elpidio*, & *Fino Germano* Prioris *S. Petri*, *Matthæo Fanensi* quatuor equitibus stipato, tribusque famulis, qui in eo Cænobio delituerant invasus multis vulneribus confossus occubuit, & à fratribus *D. Francisci* nudus sine ulla funebri pompa sepultus fuit: Maximus tamen fuit in urbe motus.

39 A tus. sequenti autem die lunæ in platea sancti *Martini* maxima turba fuit in populo vociferanti: vivat populus, & pereant vectigalia, omniaque decreta facta ab ipso Tyranno fuerunt rescissa. Die autem Martis, iterum populus armatus concessit in forum ultra decem millia virorum, altaque voce cæpit clamare. *Pax*, *pax*, *pax*. pellanturque de urbe omnes ex Comitatu, pereant omnes aspirantes ad Tyrannidem : itaque factum est coram ipso; Tuncque electus fuit ab ipso populo Prætor Civitatis *Maxius Thomæ* de *Monte Ulmi*, & electi fuerunt Priores, omnesque ibi inter plurimos simultates fuerunt depo-
B sitæ.

CAP. LVI.

Firmani, Gentile Molliano *Duce*, *iverunt ad diruendum portum ab* Asculanis *factum prope sanctum* Benedictum.

Quo tempore *Clemens* Papa VI. qui circa annos Domini MCCCXLVIII. regebat Ecclesiam *Romanam*, *Gentiles Mollianus* erat *Firmanæ* Civitatis, & Status Gubernator. hoc Duce *Firmani* iverunt magna cum Equitum peditumque multitudine ad obsidionem portus, qui prope sanctum *Benedictum* extructus fuerat. Erant in eo duæ maximæ turres, septemque minores septuaginta pinnarum corona cinctæ, trium-
C que annorum, & quinque mensium spatio ædificatæ: reliqua desiderantur.

CAP. LVII.

A quo Episcopo consecratum fuerit Altare Majus in Cathedrali Ecclesia Firmana.

Bonjoannes *Placentinus* Episcopus, & Princeps *Firmanus* floruit in Ecclesia *Firmana*, anno Domini 1351. eodemque anno consecravit Altare majus in ipsa Cathedrali Ecclesia, quod tamen dirutum fuit 1358.

CAP. LVIII.

D *Quomodo* Gentiles Mollianus *Imperio*, *& vita spoliatus fuerit*

Gentiles *Mollianus Firmi* Tyrannidem exercuit circa annos Domini 1352. Pontifice *Innocentio* VI. ut refert Joannes Genesius *libri secundi cap.* I. ubi de rebus *Ægidii Albornotii Hispani* sermonem habet: ad hunc *Ægidium* Legatos misit, ut de pace agerent, fuitque pax facta his condi-
40 tionibus ut parvis , castellis sibi servatis cætera omnia Pontifici redderet, quod cum ad aures *Malatestæ Ariminensis Tyranni* pervenisset, statim ad *Gentilem* ipsum Legatos misit cum triginta millibus ducatis, ut eum sibi conciliaret, & ab *Ægi-*
E *dii* amicitia averteret, jussit etiam legatis, ut *Gentili* promitterent, se illi omnia Agri *Firmani* oppida redditurum, & etiam conjugem *Gentilis* filio natam daturum, si adversus *Ægidium* secum sentire vellet. Quod profecto fecisset, nisi quidam *Firmani* Cives obstitissent, qui ex populi sententia *Ægidium* de ancipiti *Gentilis* animo certiorem fecerunt : hoc cognito *Ægidius* iterum ad *Gentilem* Legatos misit, quamobrem partim pollicitationibus , partim terrore in fidei testimonium filium, & nepotem obsides dedit, & duo Castella *Morescum*, & sanctum *Benedictum*. Un-
F de *Malatestæ* desperatio, & *Ægidio* spes magna incessit. Post hæc *Blascus Fernandus Ægidii* Legatus intra *Firmanam* urbem una cum copiis à *Gentile* receptus est, reservata tamen sibi arce in adventum *Ægidii*: scripsit deinde *Ægidius* ad *Blascum* , ut Agri *Firmani* oppida à *Malatestis* occupata recipere tentaret , quamobrem tertia vigilia noctis *Firmo* cum exercitu *Falleronum* contendit, primoque impetu adortus expugnavit, eodem modo, & Sanctum *Angelum* recipit, interim *Malatesta* cæterique Tyranni ingentem adeo exercitum compararunt , ut longe inferiores essent *Ægidii* copiæ; qua de re *Gentiles* ab *Ægidio* defecit, & iterum Tyrannis se aggregavit. Quo intellecto *Innocentius* ad *Ægidium* scripsit, ut cum *Malatestis* cæterisque Tyrannis pacem tractaret, at *Gentili Molliano* nullas pacis conditiones offerret ob violatam fidem, cogeretque eum Ecclesiasticis finibus discedere, ad quod agendum iterum *Blascum* cum tertia copiarum parte misit, qui decem diebus depopulatus est continue agrum *Firmanum*, deinde dispositis machinis magno impetu cæpit urbem oppugnare, cujus murum cum lato desivisset, & propugnatoribus denudasset cæperunt milites *Ægidiani*, qua murus patebat, ingredi, quo viso *Firmani* clamarunt omnes. *Vivat Ecclesia:* At milites *Gentilis* redintegrato prælio fortissimi dimicabant, victi tamen in arcem confugerunt , quam duodecim diebus obsessam 41
Gentilis Blasco tradidit, seque, & omnia ejus fidei permisit, ab eo itaque incolumis servatus fuit. Victoriæ autem statim nuncio accepto *Ægidius Firmum* contendit, jussitque ex mandato Pontificis, ut *Gentiles* Ecclesiasticis finibus excederet, & commeatu , & munusculis prosecutus fuit. Curavit insuper restituenda Urbis mœnia , arcemque tormentorum ictibus concussam reparandam, & Civitatis statui optime consulto *Blascum* ibi cum præsidio reliquit. *Gentiles* interea adjuncto sibi *Rugerio* filio cum latronum cohorte *Guaralino* tum Latronum famosissimo Duce cæpit *Picenum* infestare; quamobrem exercitus partem adversus eum *Ægidius* misit, & comprehensi pater, & filius ad *Ægidium* ducti sunt, cujus Imperio securi percussi fuerunt.

CAP. LIX.

De Joanne Aulegiano.

Joannes *Aulegianus*, sive *Olegius*, de Vicecomitibus *Ægidio*, S. *Romanæ* Ecclesiæ in *Italia* Legato *Bononiam* tradidit, cujus rei Platina meminit in *vita Innocen. Papæ* VI. Cui ut *Ægidius* parem gratiam referret, *Firmum* gubernandum concessit, quo cum se recepisset, cum etiam honoris gradum accepit , ut Rector esset totius *Piceni*, *Firmum* autem tum publicis cum privatis ædificiis ornavit, novis etiam mœnibus cinxit: itaque rebus omnibus illustravit, ut vere de eo dici potuerit, quod de se *Cæsar Octavianus Augustus* prædicavit. Tandem in ipsa urbe naturæ concessit, ubi adhuc videtur marmoreum sepulchrum in Cathedrali Ecclesia erectum cum inscriptione, quæ eum Marchiæ totius Rectorem fuisse testatur sub anno Domini 1366. hujus tempore usque ad annum 1367. floruit in Ecclesia *Firmana Alphontius* Episcopus, ut legitur in *Annalibus Episcopalibus*.

CAP. LX.

De penuria quæ fuit tempore Gregorii *Pontificis XI*

Solent aliquando vel singulæ Provinciæ, vel Urbes rerum, & præsertim frumenti penu-
ria laborare: accidit tamen raro, ut orbis totus 42
famem experiatur. Quod tamen evenit anno Domini 1374. Pontifice *Gregorio* XI. tanta enim fames fuit per universum, ut salma grani valuerit auri florenis octo, hordei sex, Zeæ, sive ut vulgo dicitur, speltæ quinque.

CAP. LXI.

De Firmanorum *benevolentia in* Asculanos.

Asculana Civitas sub potestate erat *Gomitii* viri potentissimi, anno 1376. quare libertatis avida ab ipso *Gomitio* defecit, magnusque ob defectionem in populo rumor extitit. Cumque tunc temporis maximæ essent in ipsa urbe seditio-

nes; *Firmani* postridie post defectionem, quod accidere posset prospicientes, summo mane accerserunt, & quidem tota in *Firmanorum* celeritate *Asculanorum* salus fuit: extititque mirandum tam brevi tempore exercitum *Firmanos* decem millium virorum comparasse. reliqua desiderantur.

Cap. LXII.

Quoties Firmani *eodem anno obsederint* Ripam Transonem.

Anno Domini 1376. de mense Maji *Firmani* in *Ripanos* copias duxerunt, cumque ii non auderent ex oppido egredi, obsidione cincti fuerunt, verum quod oppidi situs est natura fortissimus, potiri eo *Firmani* non potuerunt; sed agros vastaverunt, maximamque inde prædam abegerunt, at post paucos dies fœdus cum ipsis *Ripanis* percussum fuit præsertim cum *Carusino*, qui tunc illis imperabat, qui ab ipsis *Firmanis* fœderis conditiones oblatas accepit, misitque illis viginti, ut ita dicam pallia. De mense autem Septembris ejusdem anni violatis fortasse à *Ripanis* fœderis conditionibus, iterum *Firmani* maximo scripto exercitu Duce *Thoma Jacobutio Politi Firmano* Cive ad *Ripam Transonem* obsidendam concesserunt. fuerunt in eo exercitu optimates omnes Comitatus. Inter quos *Bossus* de *Massa*, *Ludovicus Mollianus*, *Raynaldus* de *Monte Viridi*, & *Adamus Raynaldi* . . . . . pauca desiderantur. *Thomas* autem Dux copiarum ob sua scelera à suis militibus interfectus fuit. Interim acceptum fuit, *Firmi* ingentem esse tumultum, propterea cum essent etiam ab ipso exercitu mactati,
43 & quidem immerito *Matthæus* Magistri *Philippi*, & *Angelus Coluttii*, & in Castris relicti. Quartodecimo Kalen. Octobris *Firmum* redierunt copiæ. Tertio autem decimo Kal. *Raynaldus* de *Monte Viridi* Eques stipatus nonnullis Satellitibus in foro jussit securi percuti *Andreutium*, *Nicolaum Andreæ*, *Paulum Puctium*, & *Vannem Matthæi*, qui omnes amplissimi erant Cives.

Cap. LXIII.

De Tyrannide Raynaldi, *& de ejus gestis, & obitu.*

Raynaldus de *Monte Viridi* tyrannice in Urbe gerere cæpit, anno Domini 1373. undecimo Kalen. Januarii, una cum novem Populi Ducibus, & Justitiæ, ut ajunt, *Confalonerio*, creavitque in frequenti Senatu Syndicum Reipublicæ *Vannem Vannuctium* ad tradendum sceptrum *Raynaldo*, & Justitiæ Vexillifero, quod idem egit, & ea de re in Senatu sententiam dixit: eodemque die *Antonius Mara* Notarius à quodam *Fratellaccio*, & sociis interfectus fuit. *Franciscus* autem de *Monte Fortino* vix evasit. Ipse itaque *Raynaldus* rerum potitus 1377. Tertio Nonas Junii multis cum equitibus in Agrum S. *Elpidii* incursionem fecit. Sexto deinde Idus ejusdem mensis scripto exercitu ex hominibus Civitatis, & Comitatus ad S. *Elpidium* obsidendum profectus fuit, rediit tamen postridie ejus diei, quod homines Comitatus inviti eam militiam gerebant, *Raynaldus*, qui quievit menses duos, videlicet usque ad 6. Idus Septembris, quo die una cum toto *Firmano* populo, & Comite *Livio*, qui in *Picenum* venerat cum 600. Equitibus, & *Bartholomæo* de S. *Severino*, & *Francisco Matelicate* obsedit S. *Elpidium*, mansitque oppidum sub dominatione *Raynaldi*, ab anno 1377. usque ad annum 1379. quo tempore obiit *Gregorius* Papa XI. & cum esset creatus *Urbanus* fuit schisma in Ecclesia, & *Clemens* VII. studio Reginæ *Apuliæ* creatus fuit, ut meminit Platina, in *vita Urbani*; defecit deinde

A à *Raynaldo*, illiusque præsidium ejecit, qui cum exercitu suo, iterum ad illud obsidendum profectus fuit, statuitque è prospectu oppidi duo propugnacula, ut inde oppidanos offenderet: Cumque res in eo statu essent, Nono Kal. Aprilis 44
Joannes Azzi de *Ubaldinis* cum Equitibus quingentis S. *Elpidio* auxilio venit: cæperunt Equites *Joannis Azzi* primo adventu alterum ex propugnaculis oppugnare, quod cum strenue defenderent *Raynaldi* milites, obtinere non potuerunt, hinc crevit animus *Raynaldi* copiis, quare 40. Equites repugnantibus ex propugnaculis auxilium tulerunt, fuderuntque *Azzi* milites, multosque
B captivos duxerunt . . deest finis obsidionis. Eodem anno de mense Augusti in festo D. *Bartholomæi Firmani* exosi servitutem ab ipso *Raynaldo* defecerunt; manebat hoc tempore Tyrannus in Monte S. *Mariæ* in *Georgio*, eratque cum eo *Conradus* Comitis *Livii* frater, qui mille equites habebat, ut in *Apuliam* incurreret, excusso jugo *Firmani*, ut melius *Raynaldo* obsistere possent, cum *Anconitanis*, *Recanatensibus*, & *Rodulpho Camerte* fœdus percusserunt, hæque fuerunt fœderis conditiones, scilicet ut *Anconitani*, *Firmani*, & *Rodulphus* singuli quinquaginta Equites haberent, *Recanatenses* autem viginti: ut con-
C stat manu *Andreæ Massuccii Firmani* Tabellionis; remanserat Tyranni in *Firmana* arce præsidium, cui Kal. Novemb. ejusdem anni ad opem ferendam venit cum equitibus 1500. totidemque peditibus, aggressusque fuit expugnare portam ad Orientem positam, verum cum ibi *Firmani* castra posuissent, coactus fuit magno cum dedecore ab oppugnatione desistere, &, si *Joannes* de *Cumbii Florentinus* passus fuisset, equites ac pedites, cum Dux Civitatis esset, in *Raynaldi* copias irruere, fuisset ea fortasse die bellum confectum. *Firmani* interim castellum obsidebant, quod à *Luchina Raynaldi* uxore, & *Mercendario*, & *Lu-*
D *chino* filiis validissimo præsidio defendebatur. Coacti tamen fuere se *Firmanis* dedere his conditionibus. multa desiderantur.

Qui autem ex *Gerione* discesserunt MCCCLXXX. octavo Idus Februarii *Raynaldum*, qui morabatur in Monte sanctæ *Mariæ* in *Georgio* adierunt; at copiæ *Azzi*, quem *Raynaldus* sibi conciliaverat, furtim ceperunt sanctum *Elpidium Moricum*, ubi cum per aliquot dies, ac menses fuissent, denique in discessu diripuerunt. Eodem anno octavo Idus Martii Copiæ Comitis *Conradi*, & *Lucii*, 45
quæ cum *Raynaldo* in Monte sanctæ *Mariæ* in *Georgio* morabantur, incurrerunt in agrum *Fir-*
E *manum*, ex quibus sexaginta equites, ut *Firmanos* allicerent, locatis reliquis in insidiis, prope urbis portas procurrerunt, quorum paucitate spreta *Firmani* exierunt, & fugientes insequuti in insidias inciderunt; discesserunt deinde omnes copiæ ab eo oppido quinto Idus Aprilis cum tota Tyranni familia, qui se in Arcem *Montis Falconi* recepit. Quo viso *Firmani* Arcem expugnarunt *Montis* sanctæ *Mariæ* in *Georgio*, eamque oppidanis restituerunt. Insuper *Montem Viridem* ceperunt, ibique præsidium optimum posuerunt. egerunt interim *Firmani* cum *Bonaccursio*, & *Ægidio* de *Monterano*, qui erant ex Intimis *Raynal-*
F *di*, ut eum sibi dederent, pollicitique sunt ei nummos aureos mille, & insuper receperunt se quolibet mense daturos nummos aureos quinque cuilibet ipsorum, ut possent tuto in urbe, vel ubi liberet consistere, quibus conditionibus ducti arcem *Montis Falconi* una cum *Raynaldo* uxore, & filiis duobus legitimis, totidemque nothis, *Paulino* de *Massa*, *Nicolao* Magistri *Federici* filio, *Jacobo* de *Pisis*, *Nicolao Menecuti* de *Monte Granario*, multisque aliis prodiderunt. Hique omnes

omnes captivi *Firmum* deducti, vecti asinis coronati per Urbem inceſſerunt, quæ res ingenti univerſum populum lætitia affecit, & extemplo coram ipſo populo Kal. Junii *Raynaldus*, & filii ſecuri percuſſi fuerunt; cæteri autem laqueo vitam finiverunt. Capita autem *Raynaldi*, & filiorum in lapide ſculpta, & columnæ cacumini affixa hac fuerunt inſcriptione decorata.

Tiranno fo peſſimo, e crudele
Sol per mal far di me, e di Luchina
Cari miei figli pateſti diſciplina.

Hunc habuit exitum *Raynaldus*, qui Tyrannorum omnium fuit *Firmanæ* Civitati pernicioſiſſimus.

Cap. LXIV.

Quomodo Firmani *retardaverint impetum Copiarum* Joannis Azzi.

Cum primum *Joannes Azzi* intellexit moviſſe
46 *Firmanos* in *Raynaldum*, quem ſciebat eſſe in Arce *Montis Falconi* cum omnibus ſuis copiis, & Comitis *Livii*, & *Nicolai* fratris *Raynaldi*, multiſque Theutonibus *Montem Falconum* verſus iter habere cæpit, ut ei opem ferret: verum ubi intellexit captum, & ſecuri percuſſum, direxit in *Firmanorum* agrum exercitum, multaque illis damna intulit. Videntes autem ſe impares *Firmani*, non armis, ſed auro rem peragere decreverunt, ſolverunt itaque *Joanni* aureos nummos mille, & quingentos, *Rodulphuſ*que *Camers* ei commeatum donavit, & propterea copias reduxit.

Cap. LXV.

Firmani *Priores Populi creaverunt recepta libertate.*

Poſt receptam libertatem *Firmani* creaverunt, anno 1381. Kal. Maji Priores populi, omneſque in urnam conjecerunt. Sorte itaque fuerunt extracti *Andreutius Acerbotti*, *Vannes Andreæ*, *Maſſuccius Simonis*, *Marinus Nicolutii*: *Franciſcus Flacci* fuit Juſtitiæ vexillifer. horum tempore nil boni factum fuit, ac multæ ſeditiones in urbe eſſe cæperunt, & S. *Juſtus* amiſſus eſt à *Firmanis*, quod milites inde ex præſidio educere voluerunt, ut Sancti *Claudii* nundinas tuerentur.

Cap. LXVI.

Quod exules ex ſancto Juſto *redierunt in gratiam* Firmanæ *Civitatis.*

Exules ex ſancto *Juſto* anno Domini 1381. ſeptimo Kalen. Junii introierunt in S. *Juſtum*, & per oppidum excurrentes vulneraverunt fratrem *Henrigum* Dominum Oppidi, poſt hæc tamen facinora redierunt in gratiam *Firmanorum*.

Cap. LXVII.

De Villanuccio *de* Brunforte.

Villanuccius de *Brunforte*, qui locus eſt in Agro *Caſtri Gualdi* Comitatus *Firmi* oriundus tamen *Firmo* militari diſciplina inſignis anno 1381. accerſitus fuit à *Carolo III.* Rege *Neapolitanorum Neapolim*. Gerebat tunc temporis *Carolus* bellum adverſus *Octonem Braſiæ* maritum Reginæ *Joannæ*, ad eum itaque acceſſit cum equitibus 200 inter quos fuit quidam *Andriolus* de *Sancto Angelo* Comitatus *Firmi*, qui in prœlio fortiſſime dimicans *Octonem* cepit, captivumque ad Regem *Ca-*
47 *rolum* deduxit, qua de cauſa magnum ab ipſo *Carolo* auri pondus accepit. Ipſe autem *Villanuccius* multis militaribus ornamentis, & regiis diplomatibus, vel, ut ajunt, privilegiis ornatus, ut *Pandulphus Colenduccius* in compendiis meminit, rediit *Neapoli* ſuis cum equitibus de menſe Junii ejuſdem anni, & prope januas Civitatis cum tranſiſſet ab ipſis *Firmanis* publice honorifice ſane

A fuit acceptus: inſuper militibus illius commeatus dono datus fuit.

Cap. LXVIII.

De Sancte Joannis Acuti, *& Comite* Lucio.

Sanctes Joannis Acuti ſive *Azzi* de *Ubaldinis* & Comes *Lucius* cum exercitu *Britannorum* venerunt in *Picenum*, & caſtra primum poſuerunt ad *Claram Vallem*, deinde in Agrum *Montis Octonis* ſe contulerunt, inde autem proficiſcentes *Rotellam* & *Montem Altum* cum *Boſſo* petierunt, cumque nihil damni his oppidis inferre potuiſſent, iterum in Agrum *Octonenſem* reverſi ſunt. Quo
B cognito ad arma cucurrerunt milites, ut oppidum expugnarent, verum nullo detrimento oppidanos cum afficere potuiſſent, abierunt.

Cap. LXIX.

De Gulielmo Britanno, *&* Joanne Azzi.

Anno Domini 1382. Pridie Nonas Junii venerunt in agrum *Firmanum* cum exercitu *Gulielmus Britannus*, & *Joannes Azzi* de *Ubaldinis*, poſueruntque caſtra in ſilva *Grifonis Firmanos* oppugnandi cauſa, verum accepta ab ipſis ingenti pecunia abierunt, eodemque anno Nonis Auguſti detecta fuit conjuratio, ſive potius pro-
C ditio in Urbe, quare conjecti fuerunt in vincula *Sanctis* de *Maſſucciis*, *Maſſuccius Thomæ Cuprenſis*, *Nolfuctius* F. *Sanctis*, *Vannes* de *Penna*, *Antonius* de *Morphis*, *Vannuctius Nuntii*, *Jacobus* fil. *Marchitti*, & *Coloctius* de *Longiano*, qui omnes fuerunt ſecuri percuſſi.

Cap. LXX.

Quo pacto Firmani *vitaverint damna, quæ inferri potuerant ab exercitu* Ludovici.

Ludovicus de *Angio* tanquam hæreditario jure recepturus *Apuliæ* regnum, quod ad ſe, non ad *Carolum Durazium* ſpectare perſuadebat, cum
D triginta millibus equitum, multiſque *Galliæ* Regulis venit in *Picenum* anno Domini 1382. octa- 48
vodecimo Kal. Septemb. poſuitque caſtra in Agro *Anconitano*, quamobrem *Ferrantes Hiſpanus*, cui *Anconitanæ* arcis cuſtodia commiſſa erat, eam *Ludovico* tradidit, ipſe autem nepoti. Ab hoc *Firmani* proſpicientes damnum, quod à tam magno exercitu in tranſitu afferri poterat, per Legatos ſcilicet *Antonium Mandi*, & *Antonium Jacobutii* impetraverunt commeatum tam pro viris, quam brutis animalibus; ipſi autem exercitui, quicquid opus eſſet, ad victum in tranſitu dare promiſerunt.

E

Cap. LXXI.

De Auxilio, quo Firmani *tulerunt* Anconitanis.

Poſt paucos dies *Anconitani*, qui arcem à *Ludovici* Nepote cuſtodiri, & in poteſtate haberi ſciebant, ab eo defecerunt, quare Civitas *Firmana* in eorum auxilium miſit 400. milites, quibus quolibet menſe ſolvebat 240. florenos auri. ſequenti autem anno 1383. Cum iterum Arx *Ferranti Hiſpano* commiſſa eſſet, ille ſe, milites, & arcem *Anconitanis* tradidit 7. Idus Januarii, hac tamen conditione, ut *Firmani* ducerent milites in tutum, quod & factum eſt, eodemque tempore *Anconitani* una cum *Firmanis* ad Pontificem Le-
F gatos miſerunt, cum eſſet *Peruſii*, ut pacem impetrarent, bellum enim à Marchione in *Piceno* gerebatur.

Cap. LXXII.

De ſupplicio, quo affectus fuit quidam exul ex Sancto Angelo, *cum voluiſſet patriam hoſtibus prodere.*

Pridie Nonas Februarii ejuſdem anni Equites Ducis *Ludovici*, qui commorabantur cum

Æmilio de *Corbano*, ex improviso oppugnaverunt *Sanctum Angelum* oppidum *Firmanorum*, & projectis duabus portis ingressi fuerunt, verum statim rejecti sunt ab Oppidanis, qui ex iis novem occiderunt, & captivos duxerunt duodecim, reliquos in fugam egerunt: fuit inter captivos exul quidam ex eo oppido, qui equites illo perduxerat: is post aliquot dies suspensus per terram etiam raptatus fuit.

49 Cap. LXXIII.

Pinna *oppidum captum fuit arce excepta à Marchione.*

Eodem anno pridie Idus Septembris Marchio Pontificis *Germanus*, una cum exulibus *Pinnæ* Oppidi, *Pinnam* ingressus est, habens secum Comitem de *Carrario*, una cum copiis fœderis, non potuit tamen Arcem expugnare, quæ à militibus *Gentilis* servabatur. Quamobrem *Gentiles*, & *Rodulphus* ejus filius tumultuarium exercitum coegerunt, & postridie, cum *Bultrinensibus*, & *Biordo Perusino* ad opem oppido ferendam accesserunt, quibus Marchio, & Comes cum exercitu obviam processerunt, & collatis signis *Gentilem* penitus fuderunt. Ipse autem sequenti die post cladem in Sanctum *Genesium* volentibus oppidanis se recepit.

Cap. LXXIV.

Quod pacta nonnulli Incolæ S. Elpidii, *&* Montis Granarii *fecerunt cum* Firmanis, *& de lue in* Firmana *Civitate.*

Nonnullæ fuerunt simultates inter *Firmanos*, & S. *Elpidii*, & *Montis Granarii* Incolas, quare ut finem cladibus imponerent, pacta quædam cum ipsa *Firmana* Urbe fecerunt, ut in *Archivio Firmano*. Eodemque anno ipsi *Firmani* tanta laborarunt peste, ut a Kal. Junii ad Kal. Septembris ex iis duo millia & 400. perierint.

Cap. LXXV.

De fœdere percusso inter Firmanos *& nonnullos alios populos in* Piceno.

Nono Kal. Januarii anno ejusdem fuit fœdus sancitum inter *Firmanos*, *Anconitanos*, & *Asculanos*, aliosque Ecclesiæ subditos, videlicet, Incolas *Recineti*, *Auximi*, *Ripæ Transonis*, *Montis Elparis*, & *sanctæ Victoriæ*, & multos alios, cum quibus eandem formam subire voluit *Rodulphus* de *Camerino*, & fratres. Fœdus autem istud unius anni in his omnibus oppidis voce præconis fuit denunciatum, & in quolibet horum fuit elatum rubeum vexillum cum hujusmodi inscriptione, videlicet: PAX.

50 Cap. LXXVI.

De Firmanorum *benevolentia in subditos.*

Sanctes Joannis Acuti Britannus, & *Joannes Azzi* anno Domini 1324. de mense Aprilis per Comitatum *Firmi* transierunt in Agrum *Asculanum* a *Monte* sanctæ *Mariæ* in *Georgio*, quod scientes *Firmani* ne Comitatus aliquo incommodo afficeretur, obtinuerunt commeatum, ac iis ducibus mille aureos nummos, & tres mulos donaverunt. Eodem autem mense redeuntes iter habuerunt per planiciem *Tinnii*, & in agro sancti *Elpidii* castra posuerunt, unde tertio Nonas Maji discesserunt.

Cap. LXXVII.

Quo tempore Firmani *ceperint* Montem Sanctæ Mariæ *in* Georgio.

Post transitum supradictorum quintodecimo Kal. Quinctilis *Firmani* expugnarunt *Montem S. Mariæ* in *Georgio*, & cum ibi præsidium posuissent, destinaverunt eò Prætorem *Ludovicum Antonii* Civem *Firmanum*.

Cap. LXXVIII.

Quo pacto Firmani *habuerint* Francavillam.

Nonis Octobris ejusdem anni Copiæ *Averardi* Theutonici, quæ bis mille equites, sagittarios autem ter mille excedebant, ceperunt *Mollianum*, & vespere ejusdem diei ceperunt *Francavillam*, & ibi usque ad 17. Kal. Novembris permanserunt, & habuerunt à *Firmanis* ducatos ter mille, ea tamen conditione, ut *Francavilla* sub ipsorum ditione remaneret.

Cap. LXXIX.

Quod Firmanis Mons Octo *se dedit.*

Tertio decimo Kal. Aprilis, anno autem 1386. Summus Pontifex ad *Firmanos* litteras dedit, ut caperent *Antonium* Episcopum *Firmanum* si possent, quod aufugeret ex Curia, quare *Firmani* decreverunt ire ad *Montem Octonem*, & præmiserunt copias, quæ eodem die oppido potitæ sunt. Unde *Ludovicus Antonii Monvectius* cum quadraginta viris excurrens per oppidum vulneratus fuit, & cum eo plures alii, quare rejectæ, & expulsæ 51 *Firmanorum* copiæ obsederunt oppidum, & demum cum conditionibus ad nutum suum obtinuerunt.

Cap. LXXX.

De incursione Bultrini *in agrum* Asculanum, *& tumultu populi* Firmani.

Bultrinus Dux Militum Ecclesiasticorum, & fœderis, quod tunc erat inter Ecclesiam, *Firmanos*, *Anconitanos*, & *Recanatenses*, quarto Nonas Decembris ejusdem anni cum suis copiis excurrere voluit in Agrum *Asculanum*, & ex improviso quingenti Equites iter maritimum habituri transierunt prope Januas Civitatis *Firmanæ*; quamobrem admirati sunt *Firmani*, quid enim vellent nesciebant. Quidam autem homines optimates damnare cœperunt, dicentes, eas copias venisse, ut *Firmum* caperent. Quod intelligens populus concurrit in ferrum clamans, *vivat populus*. Prætoremque volebat, *Circitorem*, sive (ut ajunt) *Baroncellum*, satellites, & optimates, quos proditores putabat, occidere: ea de re claves portarum jussu Priorum populo datæ fuerunt. Interim eluxit veritas, quod magna cum præda *Bultrini* milites *Asculo* redierunt, sicque tumultus fuit sedatus.

Cap. LXXXI.

De incursione Bultrini *in Agrum* Firmanum.

Cum per *Picenum* hac illac *Bultrinus* duceret exercitum, cui nihil mali non permittebat; Tertiodecimo Kal. Januarii ejusdem anni excurrit in Agrum *Firmanum*, ut inde ingentem aliquam prædam abigeret, verum nil damni inferre potuit. Quo viso *Firmani* vocaverunt *Grassum* de *Foro Cornelii*, & *Nellum Camertem* cum quadringentis equitibus pro duobus mensibus, solveruntque eis florenos mille, qui Duces & in Urbe, & extra Urbem aliquot dies manserunt, multumque detrimenti intulerunt.

Cap. LXXXII.

Quo pacto Civitas nova *ab* Andrea Marci Zeni *capta fuerit.*

Andreas Marci Zeni de Monte Granario anno Domini 1387. de mense Februarii clam ex castris Comitatus *Firmi*, videlicet, *Molliano*, *Monte Sancto Petro*, & aliis, plurimos eduxit milites, 52 & dolo ingressus fuit in *Civitatem Novam*. Unde milites excurrentes cæperunt clamare, partim, *vivat libertas*, & partim, *Firmana Respublica*. In quo statu existentibus rebus *Lucius Sparverius* cum militibus *Gentilis*, & *Rodulphi* de *Camerino* cepit oppidum pro suis Dominis, quare post duos dies *Nellus*

Nellus & *Grassus* a *Firmanis* conducti absque licentia Priorum Civitatis eo profecti fuerunt cum Equitibus, & *Grasso* a Populo *Civitatis Novæ* claves portarum traditæ sunt.

CAP. LXXXIII.

Cosignanum, *&* Porchia *se* Firmanorum *protectioni commiserunt.*

Kal. Augusti ejusdem anni *Cosignanum*, & *Porchia* se *Firmanorum* fidei, ac protectioni commiserunt, quod videbant eos sociorum, & confœderatorum amantissimos.

CAP. LXXXIV.

A quibus Grassus *de* Foro Cornelio *fuerit occisus.*

Capta *Civitate Nova*, *Nellus Camers*, qui a *Firmanis* vocatus fuerat cum turmis Equitum una cum *Grasso*, statuit *Grassum* interficere, ut ipse oppidum sub sua ditione teneret, quod ut perageret, habuit colloquium cum *Bultrino*, sicque communi consilio *Grassum* interficiendum curarunt, & *Civitatem Novam* pro se tenuerunt.

CAP. LXXXV.

De Bultrini *Incursione in Agrum* Firmanum.

Octavodecimo Kal. Novemb. ejusdem anni *Bultrinus* de *Panicali* excurrit in agrum *Firmanum* cum Equitibus 150. & inde abegit boves 200. pecudesque 600.

CAP. LXXXVI.

Quo die & tempore Mons Granarius *se in libertatem vindicarit.*

Tertio Nonas Novembris die Dominico ejusdem anni incolæ *Montis Granarii*, quibus *Marcus Zenus Venetus* dominabatur, adjuti ab *Andrea* illius fratre *Zenum* ejecerunt, rumorque fuit, quod *Andreas* petente id Cardinale Legato omnium sibi delictorum præteritorum impunitate concessa peregerat.

53 CAP. LXXXVII.

Quod Asculani *ex Arce* Montis Rubiani *expulsi fuerint, & de defectione* Montis Ulmi *à* Gentile Camerte.

Matthæus Muritti de *Monte Flori* Quarto Idus Decemb. ejusdem anni cum Exulibus *Montis Flori*, & *Montis Rubiani*, & aliis ex *Firmano* Comitatu cepit *Montem Rubianum*, & post duas horas, Arce, quæ ab *Asculanis* detinebatur, fuit potitus, anno autem sequenti Kal. Aprilis Incolæ *Montis Ulmi* à *Gentile* oppidi Domino defecerunt, ipsumque ejecerunt.

CAP. LXXXVIII.

De alia incursione Bultrini *in Agrum* Firmanum.

Quinto Idus Aprilis, anno 1388. *Bultrinus* cum sociis, & militibus incurrit in agrum *Firmanum*, in quo multos homines, boves, & pecudes accepit, deinde in *Montem Granarium*, & *Sanctum Justum* se recepit. Unde bellum cepit gerere adversus *Firmanos*, eamque belli caussam prædicabat, quod *Marcus Zenus* una cum Comitatus nonnullis militibus *Montem Granarium* capere voluerat, sed nequiverat.

CAP. LXXXIX.

De defectione Cosignani.

Cosignanum, quod superius diximus, se *Firmanorum* fidei commisisse, defecit à Civitate *Firmana* Nonis Maji ejusdem anni, omnesque *Firmanos* milites ejecit; recepit etiam arcem, cui *Antonius* de *Castro Guardiæ* præsidebat, nec trium horarum spatium intercessit, quod maxima *Firmanorum* manus accessit, ut opem ferret arci, verum inanem assumpsit operam; nihil enim assequi potuit.

CAP. XC.

De defectione Tolentinatum *à* Gentile Camerte.

Tolentinates à *Gentile Camerini* Duce pridie Nonas Febr. anno 1389. defecerunt, *Firmum*que Legatos miserunt ad petendum auxilium; quare *Firmani*, ut eos reconciliarent *Gentili*, Legatos miserunt, sed cum obsiderentur itinera omnia, retrocedere coacti sunt.

CAP. XCI.

De Bultrini *incursione in Agrum* Asculanum, *&* Arquatæ *obsidione.*

Bultrinus de *Panicale* eodem an. quarto Nonas Martii cum exercitu civitatum confœderatarum incurrit in Agrum *Asculanum* per *Vallem* 54
Truenti, sed nihil *Asculanis* detrimenti potuit inferre, propterea in *Firmanos* absque causa indignati summopere fuerunt. Eodemque Mense sequentis anni ceperunt dolo *Arquatam*, unde statim ab oppidanis amissis in prælio sexaginta viris fuerunt expulsi, qui clade accepta ferociores oppidum obsidione cinxerunt.

CAP. XCII.

De obsidione Ripæ Transonis.

Firmani scripto exercitu militum non solum evocatorum tam Civitatis, quam Comitatus, verum etiam stipendiis merentium, anno 1389. septimo Idus Maji obsederunt *Ripam Transonem*, & steterunt usque ad tertium Idus.

CAP. XCIII.

De Adventu Comitis Conradi *in* Picenum, *&* Firmanorum *fœdere cum* Gentile Camerini *Regulo.*

Eodem ann. de mense Julii Comes *Conradus Theutonicus* venit in *Picenum* cum Equitibus mille, & pacem cum *Bultrino*, & Cardinali Legato sancivit, qui ipsi Comiti recepit se daturum commeatum, & opem laturum adversus eos, qui non essent sub Ecclesiæ ditione.

CAP. XCIV.

De alia incursione Bultrini *militum in Agrum* Firmanum.

Offensus vehementer *Bultrinus* lapsu equi, medicorum consilio ad balnea se contulit, unde latere sinistro debilitatus rediit XV. Kal. Novemb. & XIII. Kal. Milites illius incurrerunt in Agrum *Firmanum*, diripueruntque pecudes 200. & viginti homines captivos duxerunt. Fuerat enim tum nunciatum *Urbanum VI.* Pontificem obiisse. Quo tamen tempore inter *Perusinos*, *Florentinos*, *Senenses*, *Bononienses*, & *Pisauri* Ducem fœdus fuit percussum per tres annos: ad hos itaque *Firmani Jacobum* de *Cupra* maritima oratorem miserunt.

Hic deficiunt Annalium *Firmanorum* folia quamplurima.

CAP. XCV.

De nonnullis litteris a Bonifacio *Papa IX. scriptis ad Civitatem* Firmanam.

Anno Domini 1390. *Bultrinus* de *Panicali* nonnullos excitavit tumultus adversus *Andream Thomacellum* Pontificis *Bonifacii* Germanum in *Piceno*. Quare Pontifex ad *Firmanos* XII. Kal. Aprilis exaravit, ut *Andreæ* omnino opem ferrent; 55
ad eandemque Civitatem litteras dedit, quibus gratias egit, quod *Andreæ* Germano Marchioni opem tulisset; aliasque litteras scripsit, quibus miris laudibus Civitatem extulit, quod Germanum non solum studio, & favore, verum & honore fuisset prosequuta. Anno autem 92. concessit eidem Civitati merum, & mixtum Imperium

rium ac facultatem in temporalibus per annos 12. A
tam in Comitatu, quam in oppidis fidei commissis, exigendi omnia tributa ad Ecclesiam *Romanam* spectantia, & in usum publicum Civitatis convertendi. Sub Dat. *Perusii* Idibus Maji anno quarto Pontificatus.

CAP. XCVI.

De fœdere percusso inter Civitates Marchiæ, & indignatione Marchionis.

Anno Domini 1392. cum videret Marchio Pontificis Germanus *Picenum* totum maximis dissentionibus refertum, cuperetque ocio frui, statuit Legatos ad omnes Marchiæ Civitates destinare; B ut curarent omnes Urbes componere, & conjungere. Venerunt itaque *Firmum*, rogaruntque enixe, ut *Firmani* cuperent cum omnibus Civitatibus, & Regulis Marchiæ fœdus percutere. Fuit itaque fœdus percussum his conditionibus, ut publice conducerentur sumptibus omnium Urbium *Piceni* 300. equites, communique consilio fuit conductus *Azzus*, qui secum equites 600. deduxit, qua causa turbatus Marchio asserens, debuisse *Azzum* se adire, ut sacramento militiæ se obligaret, conduxit *Brolium*, & *Brandolinum*, Comitem *Joannem* de *Barbiano*, & Comitem de *Carrario* cum 11500. Equitibus. C

CAP. XCVII.

De alio fœdere cum Gentile Camerini *Regulo aliisque* Piceni *Urbibus.*

Aliud fuit fœdus percussum cum *Gentile Camerte*, & reliquis *Piceni* Urbibus in sequenti anno. Receperat enim *Gentiles* omnia oppida *Vallis Cluentianæ*, conductusque fuit *Brolius Perusinus* cum equitibus: ex his solvit *Firmana* Civitas centum, pro quibus contulit singulis mensibus aureos nummos 850.

CAP. XCVIII.

De amissione & receptione Moreschi. D

56 Eodem anno quo *Maceratenses* a Marchione defecere tres de *Morescho* una cum pluribus aliis forensibus ceperunt *Moreschum*, arce excepta, ejus tunc erat custos *Antonius Vannes*, quare die sequenti Priores *Firmani* miserunt subsidium, statimque oppidum in ditionem receperunt.

CAP. XCIX.

De amissione Montis Granarii, *& incursione copiarum* Lucæ *de* Canali *in Agrum* Firmanorum.

Tertiodecimo Kal. Martii ejusdem anni *Lucas* de *Canali* cum Equitibus centum quinquaginta cepit *Montem Granarium*, asserens se ulcisci de *Sancto Justo*, convenitque cum *Andrea Germano Marci Zeni* ea de causa, ne *Marcus Zenus* recipere posset illud oppidum, & expugnarunt communi consilio Prætorium in Arce, indeque expulerunt *Angelum Bernardi* Prætorem pro *Firmanâ* Civitate, qui rediens sequenti nocte *Firmum* a lictoribus *Firmani* Prætoris captus negligentiæ judicium subiit, quod in oppido tuendo negligens extitisset: octavo autem Idus Martii, idem *Lucas* cum suis copiis, & Ducis *Mostardæ* incursionem fecit in Agrum *Firmanum*, fixitque vexilla in *Monte* sanctæ *Mariæ Virginum* extra portam Divi *Juliani*, multisque ablatis animalibus, & septuaginta hominibus captis discessit. Quare F Priores *Firmani*, & viri electi a Comitatu, inter quos erat *Antonius Aceti*, introduxerunt *Octum* de *Pontertiis*, *Mazzarinum* de *S. Victoria*, & *Malcorpum* qui manebant *Osidæ* merentes sub *Antonio* de *Aquaviva*, de cujus voluntate venerunt *Firmum* ad 17. Kal. Aprilis, & incurrerunt in Agrum *Montis Granarii*, unde multos homines, & bruta animalia abduxerunt, nec *Lucas* iis se opponere ausus fuit.

CAP. C.

Quod Firmani *ad* Gentilem *Legatos miserunt & exules* Firmum *ingressi sunt.*

Eodem mense & anno *Firmani* ad *Gentilem Camertem* Legatos miserunt, ut explorarent illius voluntatem, quoad causam *Montis Granarii.* Sequenti autem mense, qui exulabant *Firmo*, eo redierunt volueruntque *Antonium Aceti*, nonnullosque alios optimates, qui in Prætorium convene- 57
runt, pro pace Civitatis, & causa *Montis Granarii* interficere, quod, ut melius, faciliusque assequerentur clamabant, vivat populus, & pereant proditores. Præceperunt populo Priores ut arma caperet, & exules expelleret, dicto igitur audiens non solum ejecit, verum & captivos duxit quamplurimos, in sequentique nocte *Joannes* Magistri *Jacobi* captus fuit, & summo mane securi percussus, interfectusque fuit *Nicolaus* Magistri *Jacobi*, frater autem *Joannis*, & *Jordanus* de *Serviliano*, & *Joannes* de *Monte Falcono* fuerunt securi percussi.

CAP. CI.

Quod Prorector Marchiæ venerit Firmum, *& quam severa justitia fuerit administrata.*

Prorector Marchiæ septimo Idus Aprilis ejusdem anni *Firmum* se contulit, & assentientibus omnibus Civibus commoratus fuit in *Girone*, eodemque die famulus *Colutii* securi fuit percussus, erat enim ex rebellibus *Fabriani*, captusque *Antonius* de *Arquata* Præceptor sanctæ *Agathæ*, & suspensus *Antonius Cessioni* de *Smerillo*: sequenti autem die *Ugolinus* Magistri *Jacobi*, & *Antonius* de *Arquata*, qui detinebantur in carcere fuerunt interfecti, & *Corraductii Maji* cum *Antonio* filio fuit suspensus in platea *S. Martini*: fuit rumor, hos malorum omnium in urbe causam extitisse, quod deterrimæ notæ homines extiterant.

CAP. CII.

De sequenti Senatu habito in Civitate pro restitutione exulum.

Idibus Aprilis frequentissimus habitus fuit Senatus pro exulum restitutione, ieruntque in eam sententiam, id est, ut omnibus ignosceretur, qui in urbe essent Consulares viri 186. luerent tamen pecunia, reliqui essent in potestate Priorum, & sex de Comitatu virorum, qui eis vel mulctam dicerent pecuniariam, vel exilium imponerent.

CAP. CIII.

De Incursione Acci, *&* Biordi *in Agrum* Firmanum.

Accus de *Castello*, & *Biordus Perusinus* cum innumeris militibus incurrerunt in Agrum *Firmanum*, & castrametati sunt in Silva *Grifonis*, ut *Firmanos* redimerent, cum prius petentibus *An-* 58
conitanis, *Auximates* redemissent, convenerunt tamen cum *Firmanis* pro ducatis 1000. ad quos solvendos contulerunt ex prima Classe Cives duc. 10. ex secunda sex, ex tertia quinque ex quarta quatuor & tres ex conjuncta, duos autem ex infima, quibus acceptis abierunt.

CAP. CIV.

De Motu in urbe.

Anno pariter 1395. orta fuit maxima in urbe *Firmana* seditio, multique insurrexerunt adversus *Antonium Aceti*, qui sibi urbis Imperium vendicaverat, multosque morte, & nonnullos exilio mulctaverat, quare *Antonius* se in arcem recepit, unde accersit Comitem *Carrariensem* cum copiis, qui receptus cum suis impetum fecit in rebelles, & post multam cædem Civitas tota pene diripienda militibus data fuit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

De Adventu Biordi, *& apparatu* Picenorum.

CUM fuiſſet nunciatum *Biordum Peruſinum* cum equitibus 1500. in *Picenum* ad illud redimendum adventare, ſtatim *Piceni* communi conſilio conduxerunt Comitem de *Carrario*, Ducem *Moſtardam*, & *Lucam* de *Canali* cum equitibus 300. hique receperunt ſe ab omni incurſione provinciam defenſuros. Statuerunt poſtea ad *Apuliam* redimendam ſe conferre, quare conduxerunt *Marinum* de *Sancta Victoria*, & *Ma*-
59 *rinum Abbatis* cum equitibus 300. Interim *Biordus* pervenit in *Picenum*, quo accepto Comes de *Carrario* pedem retulit, & caſtra poſuit in *Leta*, quod flumen mortuum cognominatur inter ſanctum *Elpidium*, & *Monteranum*, ac *Montem Granarium*, continebat autem ſe *Biordus* eo tempore in Agro *ſancto Juſtano*, cumque omnes hæ copiæ diu fuiſſent in his locis moratæ, tandem inducias fecerunt. Inde incurrerunt in Agrum *ſancti Juſti* in qua incurſione *Lucas* de *Canali* cum in jugulo vulnus accepiſſet, conſcendit parvum navigium, ut ad *Civitatem Novam* ſe conferret, una cum *Rubeo* de *ſancto Geneſio*, & pluribus aliis ſociis, & inde *Montem Granarium* repeteret. Quod cum audiſſent incolæ *Cupræ Maritimæ* ſtatim conſcenderunt ſcaphas, & ipſum *Lucam* inſecuti ceperunt, ac octavo Kal. Julii anno 1315. *Rubeum* de ſancto *Geneſio* & ſocios captivos *Firmum* duxerunt, & ſeptimo Kalen. ejuſdem deductus fuit *Lucas*. Quo die etiam cum commeatu acceſſit *Firmum Smeductius* de ſancto *Severino* cum nonnullis militibus *Biordi*, ut *Lucam* liberaret, quod tamen aſſequi non potuit.

Cap. II.

De proditoribus Caſtri ſancti Angeli.

De menſe Auguſti ejuſdem anni *Gentiles Camerini* Dux cum inſidiis tentavit capere Sanctum *Angelum* in *Pontano*; ſed tamen voti compos eſſe non potuit, quod *Firmanis* pridie Nonas Auguſti proditio revelata fuit, quorum juſſu ducti fuerunt in carcerem viri ſex, qui torti faſſi ſunt ſe conjuraſſe cum *Angelitto*, cum ſimul mererent ſub *Gentile*, oppidum illi tradere: quamobrem Kalen. Septembris ſecuri fuerunt percuſſi.

Cap. III.

De receptione Montis Granarii.

Pridie Nonas Decembris ejuſdem anni Mons *Granarius* cum arce rediit in ditionem *Firmanorum* ſolutis tamen prius *Biordo Peruſino* aureis nummis 6500. per *Matthæum Marci*, & *Joannem* Magiſtri *Thomæ* viros *Firmanos*: eodemque
60 die liberatus fuit *Lucas* de *Canali*, qui *Firmo* poſtridie diſceſſit. Miſerunt itaque *Firmani* in *Montem Granarium Ludovicum Antonii*, *Matthæum Marci*, & Fratrem, *Petrum* filium *Coluctii Paccaroni*, & fratrem, *Julianum Andreæ Vici*, *Cicchum Sanctis*, *Vannem Andreæ Violæ*, *Colam Joannis Paulutii*, & *Coluctium Stephani*, cum quadringentis militibus ſcriptis in Civitate & tercentis in Comitatu, ut oppidum tuerentur.

Cap. IV.

Quod Cuſtodes Arcis Smerilli *proditores fuerunt*, *& optimates Comitatus cum* Firmanis *exulibus magnum in Urbe motum excitarunt.*

Cum haberent *Firmani* ſub ſua ditione *Smirillum* oppidum ſitu munitiſſimum, ibique eſſet arx prope inexpugnabilis anno 1396. eam *Livio*, & *Antonio* ejus filio tuendam tradiderunt, qui dignitatis ſuæ immemores *Gentili Camerti*, & *Rodulpho* filio prodiderunt quinto Nonas Martii; quare *Firmani* tertio Idus Maji ſcripto exercitu perrexerunt ad oppidum & arcem recuperandam. Verum oppidum aſſentientibus incolis receperunt, arcem tamen recipere nequiverunt, eodem menſe tredecim interjectis diebus ab oppidi receptione *Federicus* de *Molliano*, *Vannes Cicchi Corradi* de *ſancto Angelo*, *Antonuctius Paulini* de *Maſſa*, *Joannes Colæ* de *Campero*, *Confrater* de *Monte Flore*, & *Matthæus* ejus filius, *Gabutius Brancatii* de *Monte Rubiano*, *Gaſpar* & *Joannes Ghiaramontis*, & Exules Civitatis *Firmi*, ſcilicet, *Cola Salimbeni*, *Franciſcus Jacobi*, *Lupidius Sanctis*, *Sanctes Jacobuctii*, *Franciſcus Vagnoni*, *Pierius* Magiſtri *Joannis*, & *Nicoletta Vannis* cum triginta equitibus ingreſſi fuerunt ſummo mane *Firmum* per foramen factum à *Cicchino Sanctis* in domicilio *Petructii Monaldi*, reliqui introiverunt per portam ſancti *Marci* dejectam antea, & cœperunt excitare tumultum ingentem in Platea ſancti *Zenonis*, vociferantes, *Vivat populus*, *& Ghibellini:* & ſpatio unius horæ incurrerunt per Civitatem, inde redeuntes ex foro ſancti *Martini* petierunt ædes Magiſtri *Andreæ Maſſuccii*, qui vexillum habebat Tribus, ſive ut vulgo, Contratæ Caſtelli, fractiſque foribus abſtu- 61
lerunt vexillum & *Andream* ſecum abduxerunt. Dum hæc agebantur ab exulibus Comes de *Carrario*, *Marinus* de ſancta *Victoria*, *Lipus* de *Montereali*, & reliqui Comites ſocii populo opem ferente ingreſſi fuerunt vi in *Gieronem*, & inde deſcendentes in Urbem non ſolum fregerunt exules, verum etiam multos interfecerunt, & multos captivos duxerunt. Sic liberata Urbe milites de *Gierone* profecti, & alii ex Comitatu omnes in Urbe *Judæorum* domus cum centum aliis Civium diripuerunt.

Cap. V.

De Oratoribus Romam *miſſis ad impetrandum à Pontifice adventum Marchionis in Urbem*, *& de obſequio præſtito Marchioni.*

F*irmani* de menſe Junii ejuſdem anni ad Summum Pontificem Legatos miſerunt, ut Marchionem ſe *Firmum* conferre debere ab illo impetrarent, qui legatione, & mandatis diligenter expoſitis, rerum compotes *Firmum* regreſſi fuerunt X. Kal. Julii. Commorabatur tunc temporis Prorector Marchiæ *Coſignani*, quare ejus rei certior factus *Firmum* ſe recepit ad IX. Kal. Auguſti XII. tantum equitibus ſociatus, cui in ingreſſu obviam prodiere cives omnes cum palmis olivarum clamantes: *vivat Eccleſia*, & uſque ad Magnum *Gerionis* Palatium ſub umbella duxerunt. Poſtridie cum haberetur Senatus Prorector retulit ſe miſſum à Pontifice ad totum *Picenum* pacandum, quo peracto Pontificem *Firmum* venturum, petiit etiam ab ipſis Civibus claves tam portarum *Gerionis*, quam Urbis, in eamque ſententiam omnes æquis animis iverunt. Poſtridie

A in Senatu actum fuit, ut *Antonius Aceti* Pontifici commendaretur, & quod Priores Populi, & Vexillifer justitiæ ex sententia Prorectoris relicto *Gerionis* Palatio descenderent ad habitandum in Palatio in foro divi *Martini*. Item quod Arx Sanctæ *Mariæ* in *Georgio* Prorectori restitueretur: quare octavo Idus Octobris *Antonius Aceti*, & *Ludovicus* de *Gerione* discesserunt.

62 CAP. VI.

De discessu Comitis de Carrario *de* Piceno, & *adventu Marchionis* Firmum.

Hoc anno Comes de *Carrario* capto maritimo itinere ex *Piceno* discessit propter quædam B perpetrata à Duce *Mediolanensi*, & *Andreas Tomacellus Neapolitanus* Pontificis *Bonifacii* IX. *Germanus Piceni* Marchio *Firmum* se contulit, cujus rei causa magna *Firmani* lætitiæ indicia demonstrarunt. Projecerunt enim portam sancti *Juliani*, per quam fuit ingressus, & non solum Cives, verum sarcinatores, sutores, & reliqui artifices novis se vestibus decorarunt: Tribules autem Campiletii fabricarunt equum, in quo insidebat mulier habens dextera manu exsertum ensem, & altera bilances, statueruntque à latere fontem, ex quo simul bibebant lupus, & agnus, & sic salien- C tes, & lætitia omnes nimia gestientes, Marchionem in forum sancti *Martini* fuerunt comitati.

CAP. VII.

De interitu Biordi Perusini, & *Reditu Comitis de* Carrario *in* Picenum.

Biordus Perusinus, de quo sæpissime meminimus, ad 5. Idus Martii, anno 1398. à duobus fratribus Abbatis sancti *Petri* in propriis ædibus fuit interfectus: de mense autem Augusti Comes de *Carrario* cum *Prospero*, & *Francisco* rediit in *Picenum* ducens secum quatuor millia equitum. Verum nihil molestiæ eum illaturum existima- D bant. Cepit *Montem Vidonem Corradum*, quod magnam *Firmanis* admirationem attulit, idcirco oppidi incolæ furtim ad *Marinum* de sancta *Victoria* ad opem petendum miserunt, qui nonnullis cum militibus accedens oppidum ejectis hostibus recepit, & *Firmanis* restituit, Comesque deinde *Firmanis* pacem vendidit, & oppidis Ecclesiæ duc. 1100. pro duobus mensibus.

63 CAP. VIII.

Quo tempore Firmi *cœperit pestis*, & *quid ad eam expellendam effectum fuerit*.

Agebatur 1399. nostræ salutis annus cum de mense Junii *Firmi* ac toto orbe cepit pestis E grassari, eratque tanta, ut passim cernerentur cadavera misere jacentia, incedebant reliqui albis lineis vestibus induti, & supplicationes agebant cruces præferentes, & templa omnia adeuntes, clamabant, misericordia, & pax. Perieruntque *Firmi* à mense Junii ad Octobrem mille homines: accidit tamen eo tempore, ut ad *Firmana* littora appellerent quædam ex Oriente Naves, quibus qui vehebantur retulerunt, quod si quod oppidum peste laborans unius diei curriculo in honorem Dei, & *Mariæ* misericordiæ templum latitudinis, & longitudinis trium passuum F extruxisset, lues omnino cessasset, quod cum audissent Priores populi *Firmani* providerunt, ut templum construeretur: fueruntque fundamenta jacta Kalen. Novembris die Veneris hora noctis quarta, & die Saturni circa trigesimam tertiam horam fuit templum confectum, ibique novus Sacerdos solemnia celebravit: dirutum fuit hoc templum, quod in capite plateæ S. *Martini* existebat Pontifice *Clemente* VII. ibique conditum fuit Palatium Gubernatoris, in quo extant, & servantur Columnæ templi.

CAP. IX.

De anno Jubilei, & *peste in urbe* Firmana.

Annus sanctissimi Jubilei, quod Vigesimoquinto quoquo anno à Christianis celebratur, incidit in nostræ salutis annum 1400. Quare *Romam* tam ex urbe *Firmana*, quam ex Comitatu viri omnes frequentissime concurrerunt, ut peccatorum Indulgentiam adipiscerentur: postque *Zamiochus* à summo Pontifice impetravit diploma Jubilei pro *Firmanis*, fueruntque stationes constitutæ in sacris *Gerionis* ædibus, videlicet in Ecclesia Cathedrali, & in Ecclesia divi *Petri*, in Ecclesia S. *Pauli*, & in templo divi *Joannis*, fueruntque centum Cives vere contriti, & confessi electi à Prætore qui à quolibet solidos 12. pro *Gerionis* custodia exigerent: hocque tempore 64 in urbe, & Comitatu trium mensium scilicet Augusti, Septembris, & Octob. spatio quatuor hominum millia periere, hinc per totum terrarum orbem pestis invaluit.

CAP. X.

Antonius *Episcopus* Firmanus Cupram Maritimam *oppigneratam redimendam curavit*.

Pontifice *Bonifacio* IX. *Piceni* Marchio fuit *Andreas Tomacellus*, qui 1411. *Firmanis* mandavit, ut *Cupram Maritimam* à Marchiæ Prorectore Episcopo *Sadren.* oppigneratam redimerent, quod cum ad aures *Antonii Firmani* Episcopi pervenisset, statim præcepit Incolis *Montis Octonis*, quod oppidum *Firmano* Episcopo est omnino subjectum, ut non ex debito, sed ex sua liberalitate pro redemptione oppidi in 47. florenos auri conferrent, & extemplo *Benedictus Dionysii* Episcopi Thesaurarius solvit pro Incolis *Montis Octonis Marino Gregorii* Thesaurario tam Civitatis *Firmanæ*, quam Marchionis, idque egit Episcopus, tum quod *Firmanos* tamquam verus pater adamabat, & eorum miseriis, & calamitatibus indolebat, tum quod *Romanam* Ecclesiam mirifice observabat.

CAP. XI.

Quod Ludovicus Melioratus Innocentii VII. *nepos* Piceni *Marchio*, & Firmanorum *Princeps robore* Firmanorum *militum multa bella confecit*.

Innocentius Pontifex *Septimus* Patria *Sulmonensis Ludovicum Melioratum* ex fratre nepotem *Piceni* Marchionem, & *Firmanorum* Principem, anno 1405. constituit, hunc multa exceperunt bella, tum adversus *Braccium Perusinum* clarissimum ea tempestate belli Imperatorem, tum adversus finitimos populos, quæ omnia singulari virtute, & ope *Firmanorum* ex voto perfecit. *Florentinis* adversus *Pisanos* cum delecta *Firmanorum* militum manu ex fœdere suppetias misit: *Pisanos Angelus Pergulensis* fortissimus ductor tuendos susceperat, & ex Agro *Volaterrano*, ubi castrametatus fuerat omnia *Florentinis* reddebat infesta. *Gaspar* etiam *Ubaldinus* Dux sui temporis peritissimus cum florentissimo exercitu *Pergulensi* se conjungere adnitebatur, id ubi *Firmanus* Princeps 65 per exploratores cognovit, prius cum *Angelo* conserere manus deliberat, quam illi *Ubaldinus* conjungatur. Infectis itaque signis *Angelum* se castris continentem adortus magnifice profligavit, vixque dato *Firmanis* militibus respirandi spatio alterum impetendum esse Ducem demonstrat: erant omnes alacri, & elato animo, gladiosque sanguine hostium adhuc madentes in *Ubaldinum*, qui cum 1500. equitibus, & multis peditibus erat, & nihil tale suspicabatur, distringunt, quem & pari felicitate victum castris exuerunt. Ita *Firmani* milites paucos intra dies duos profligaverunt exer-

exercitus, & bina hostium castra ceperunt, pepereruntque suis vulneribus pulcherrimam *Florentinis* victoriam, & pacem *Hetruscam*. Horum omnium auctor est divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in *historiarum parte tertia tit. 22. cap. 4. §. 4.*

CAP. XII.

Ludovicus *multas* Piceni *agri urbes occupavit, Ecclesiæque rebellis amicitiam cum* Ladislao Apuliæ *Rege iniit.*

Ludovicus de *Melioratis*, ut refert *Historiarum in parte 3. tit. 22. cap. 5. §. 4.* divus Antoninus, *rebellis Ecclesiæ, & ejus Pastoris, cum multas Civitates sibi usurpasset in Marchia, cernens se insufficientem ad resistendum potestati Ecclesiæ, amicitiam, & concordiam cum Rege* Ladislao *iniit, pro cujus rei fœdere* Asculum, *postquam expoliavit, ei concessit, in ejusque compensatione Rex eum Comitem Monopoli instituit, & quorundam circa illud oppidorum; sed non multo post ei Rex abstulit sub aliquo prætextu.* hactenus Antoninus. Cum itaque esset Ecclesiæ rebellis bellum inter ipsum, & Marchiæ Prorectorem continue gerebatur, denique induciæ factæ fuerunt, anno 1407. per totum mensem Julii ejusdem anni, & interim pax fuit inter ipsos tractata, eratque conclusa his conditionibus, ut Ecclesia persolveret *Ludovico* tam pro stipendio præteriti temporis, quam pro conditione, sive
66 constructione *Gerionis* aureorum nummorum 27. millia, & ipsum conduceret cum 225. equitibus pro Marchiæ defensione, ipse tamen *Ludovicus* nummis receptis restitueret Ecclesiæ *Asculum*, & *Gerionem Firmanum*. Interea à nepote Papæ *Gregorii* XII. *Venetiis* venerunt litteræ monentes, ne solverentur nummi, priusquam *Ludovicus Gerionem* restituisset, hæcque injecta suspicio pacem perturbavit, & hostiliter deinde incursiones hinc inde fieri cœperunt.

CAP. XIII.

Prorector Marchiæ multa Ludovico *Agri* Firmani *oppida abstulit, & imprimis* Servilianum *expugnavit.*

Prorector Marchiæ *Sarson* Episcopus, una cum *Berardo Camerte Rodulphi* filio, & *Chiavello Fabriani* Regulo, nonnullisque aliis *Piceni* Principibus viris, & *Braccio Perusino*, suisque copiis, quæ 1500. equites, pedites autem 1000. continebat, obsedit *Servilianum* oppidum *Firmanorum*, & demum post aliquot dies expugnavit. Inde *Belmontem*, *Montem S. Petrum Moricum*, *S. Elpidium Moricum*, *Montem Leonem*, *Montem Libertum*, & *Montem Octonem* expugnavit, cujus oppidi incolæ arcem conditam à *Firmanis* ibidem diripuerunt, eodemque anno de mense Sextilis *Gruptam Azzolinam* vi cepit, deinde post tres dies castra posuit in Agro *Monterani*, & biduo consumpto oppido potitus est. hinc cum *Pierius Parmensis* unus ex *Ludovici* Ducibus *Firmum* cum suis militibus se contulisset, discessit ex Agro *Firmano*, & Comitatu in *Vallem Cluentinam*, cepitque *Montem Granarium*, & *Montem Causarium*, Arce excepta.

CAP. XIV.

De auxilio misso à Ladislao Rege *Ludovico.*

Eodem mense 5. Augusti quo Marchiæ Prorector tot damna *Ludovico* intulit, Comes de *Carrario* à *Ladislao Apuliæ* Rege cum 600. equitibus *Firmum* in *Ludovici* auxilium missus fuit: eodemque fere die *Martinus Faventinus* pervenit cum 600. equitibus, & 300. peditibus advocatus à *Ludovico*. Kal. autem Septembris ejusdem anni, scilicet 1407. Priores Civitatis iverunt ad visendum *Ludovicum* in *Gerione* commorantem: erat
A cum eo *Antonius Aceti*, & plerique alii. Cumque 67
ex sortitione officiorum pro *Ortezzano*, & *Monte Guidone Combatti* orta est inter Vicarios controversia propter commutationem officiorum: iratus *Antonius Aceti* in hunc modum *Ludovicum* est allocutus. *Bonis avibus integram relinque Prioribus causam; sin id non lubet, domum remitte:* eademque verba pluries iratus repetiit. tum *Ludovicus* ingressus est in Palatium eximium *Gerionis* sequentibus eum Prioribus, & *Antonio Aceti*, coram quibus convenerunt multi milites, & 23. hora ejusdem diei assistentibus his militibus *Antonius Aceti* ductus fuit in forum divi *Martini*, & fuit
B securi percussus, inde *Joannes Aceti*, & *Dominicus* de *Tolentino* fuerunt conjecti in carcerem, & pridie Nonas Septembris, ipse *Joannes* cum fratre, & *Dominico Tolentinate* fuit in *Gerione* necatus.

CAP. XV.

De damnis illatis a Ludovico *Principe* Firmano Camertibus, *& aliis Ecclesiæ oppidis.*

Kal. Octob. ejusdem anni, *Ludovicus* Princeps *Firmanus*, & *Ricciardus Neapolitanus* vices regis gerens in *Piceno* excurrerunt cum suis copiis in *Camertes*, & ingressi fuerunt in *S. Severinum* assentiente *Honophrio* oppidi Regulo: & *Martinus*
C *Faventinus* excurrit usque ad portas *Camerini*, nec solum hi, sed Comes de *Carrario*, qui missus erat à Rege *Ladislao* in auxilium *Ludovici*, confidebatque in *S. Angelo*, cæterique milites, qui *Lauri*, & *Molliani* commorabantur, quotidie *Camerinum*, & Comitatum depopulabantur. *Ricciardus* autem *Alexii* de *Monte Reali*, qui eodem tempore venerat cum equitibus quinquaginta ad opem *Ludovico* ferendam, missus fuit ab eodem *Servilianum*, unde quotidie in agros oppidorum Ecclesiæ excurrebat, magnas oppidanis afferens calamitates. *Cinetius* tamen de *Palermo* cum equitibus pariter quinquaginta ex Castro *Guar-*
D *diæ*, & *Massignani* mandato ejusdem *Ludovici* continue agrum *Ripanum* populabatur, cumque aliquot dies *Ludovicus* & *Ricciardus* ab urbe abfuissent inimicos persequentes, in eam denique redierunt Kalen. Novembris.

CAP. XVI. 68

De induciis, & pace facta denique in Piceno *mandato Regis* Ladislai.

Quinto Idus Decembris, ejusdem anni Comes de *Carrario*, & *Maxiolus* de *Aresio* judex Justitiæ Legati fuerunt à *Ludovico*, & *Firmanis* ad *Ladislaum Apuliæ* Regem, ut impetra-
E rent pacem in Marchia generalem, & cum his unus ex filiis *Rodulphi Camertis* profectus fuit, quare 4. Idus Januarii sequentis anni usque ad 15. Kal. Martii induciæ factæ fuerunt mandato Regis inter *Ludovicum*, & *Rodulphum Camertem*, rediit tamen Comes de *Carrario* 11. Kal. Februarii, & in reditu fuerunt factæ induciæ per *Picenum* totum dierum sexdecim, ipse autem *Firmo Aquilam* versus discessit, hoc induciarum spacio de pace actum fuit, quam inter *Ladislaum Apuliæ* Regem, & *Ludovicum*, & *Firmanos* ex una, & Prorectorem Marchiæ ex altera parte esse factam præconum voce cum summo omnium gaudio per
F totam Marchiam fuit pronunciatum.

CAP. XVII.

Ludovicus *assentiente Senatu* Firmano *collationem secundum classes Civibus imposuit, & inde* Neapolim *profectus fuit.*

Post sancitam pacem *Ludovicus* assentiente Senatu *Firmano* mandavit Civibus primæ Classis, ut conferrent in publicum mutuo aureos nummos triginta, secundæ classis duodecim, ter-

A tiæ autem octo. Inde ipse tertio Idus Martii ejusdem anni a multis insignibus *Firmanis* Civibus, & militum ingenti numero sociatus *Neapolim* ad *Ladislaum* Regem profectus fuit. Sed ante discessum congregatis Prioribus & Civibus quam plurimis commendavit *Gentilem* fratrem, & *Jannocchium*, quibus tamen præcepit, ut si aliquid sibi mali in ea profectione accidisset ex Civium sententia consulerent rebus Civitatis & Comitatus, quo tamen absente sexto Kalen. Maji *Firmani* receperunt *Monteranum* sine sanguinis effusione.

69 CAP. XVIII.

De Romæ *expugnatione.*

B Anno eodem 1408. Kal. Maji *Ladislaus* Rex maximo scripto exercitu *Romam* obsedit, atque potitus est: & de mense Junii dispositis *Romæ* rebus, & missis in custodiam *Piceni* militibus *Martini Faventini*, *Ludovici Firmani* Principis, *Ciccholini Perusini*, & *Ricciardi* de *Monte Reali Neapolim* regressus fuit.

CAP. XIX.

De receptione Montis Causarii, *alienatione* Ludovici *a* Ladislao; *proditione detecta* Petrituli; *incursione copiarum* Martini *in Comitatum* Firmanum; *& reditu* Ladislai Romam.

C Ludovicus Princeps *Firmanus* ubi rediit *Neapoli*, statuit *Montem Causarium* ab inimicis occupatum recipere; quare eo cum exercitu se contulit, & pridie Nonas Augusti ejusdem anni redegit in suam & *Firmanorum* ditionem, octavo autem Idus Octobris excurrit in agrum *Montis Sancti*, & illinc multos homines captivos, multaque bruta animalia abduxit. duodecimo Kal. Januarii *Florentini*, *Bononienses*, & *Malatestæ* de *Cæsena* elegerunt *Ludovicum* Ducem, eique pro stipendio suo decem aureorum nummorum millia miserunt: quare *Ludovicus* à *Ladislai* stipendio discessit. D Sequenti anno 1409. septimo Idus Februarii, quidam homines *Petritulani* convenerunt cum Prorectore *Piceni*, introduxeruntque in oppidum milites *Angeli Pergalensis*, qui à *Ludovici* stipendio discesserant, sed statim quidam *Ludovici*, & Civitatis *Firmanæ* milites ingressi in oppidum in fide manere coegerunt. Quarto tamen Idus ejusdem mensis copiæ *Martini Faventini*, quæ stabant in sancto *Severino* mandato Regis incurrerunt in Agrum *Molliani*, & *Petrioli*, nonnullosque homines captivos duxerunt, & quinquaginta boves, ex iisque tres milites capti fuerunt ab oppidanis, Rex autem *Ladislaus* de mense Maji magno cum exercitu *Romam* repetiit.

E CAP. XX.

De proditione tractata à Jannocchio, *& ejus supplicio.*

70 Postquam *Ludovicus* à *Ladislai* stipendio discessit, comperit *Jannocchium* suum nepotem in se, & urbem *Firmanam* cum Regis præfectis conjurasse, quare abstulit ei arcem *Montis Rubiani*, & *Marani*, & 16. Kal. Maji ejusdem anni coram Prioribus Civitatis, & Prætore, ac Judice maleficiorum, nonnullisque aliis Civibus in ligello, quod erat in capite scalarum Palatii *Gerionis* eum statuendum curavit, ubi cum ei lecta esset inquisitio, absque tormentis retulit se promisisse *Ricciardo Neapolitano*, *Ludovicum* in gratiam rediturum cum Rege: & si secus accidisset, F se recepisse *Firmum* regiis militibus tradere, eaque de causa ad Comitem *Carrariensem*, qui in finibus *Samnii* morabatur, scripsisse, ut colligeret quot quot posset milites, & advolaret in agrum *Firmanum*, nam vel urbem expugnasset, vel omnibus oppidis in Comitatu spoliasset, se autem privatim pollicitum esse tradere Comiti *Montem Rubianum*. Insuper fassus fuit ad *Rodulphum Camertem* exarasse, illum omnia assecuturum, si Comes *Carrariensis*, quæ ad se scripserat, executioni mandasset: quare mandato *Ludovici* in foro *S. Martini* 10. Kal. Maji *Jannocchius* securi percussus fuit.

CAP. XXI.

Ludovicus *collatis signis cum Ducibus Regis* Ladislai *superior discessit.*

Ladislaus Rex *Cortona* discessit 4. Kal. Julii, *Perusiam*que advolavit: Kalen. Julii *Martinum Faventinum*, *Cichinum Perusinum*, & *Tarcagliam* in *Picenum* misit cum ter mille equitibus, hisque accessit Comes de *Carrario*, & primum castra metati fuerunt in *Flastra*, qui fluvius est inter sanctum *Angelum*, & sanctum *Genesium*, quod cum accepisset *Ludovicus Firmanus* Princeps extemplo movit in eos cum equitibus quingentis, quare paulum territi equites *Ladislai* recesserunt, & posuerunt Castra in Agro *Riparum* sancti *Genesii*, & *Lauri* oppidi Comitatus *Firmi*. *Ludovicus* postridie eo viso *Laurum* se recepit, & inde in eos irrupit, & ingenti commisso certamine tres hostium duces, centumque equites interfecit: desideravit tamen ex suis tantummodo viginti.

CAP. XXII. 71

Quod fuit Smerillum *oppidum dolo captum*, *& certamen magnum prope portas* Firmi *cum inimicis commissum.*

Quarto Nonas Julii Comes de *Carrario* excurrit usque ad molendina *Serviliani* oppidi *Firmanorum*, & sexto Idus ejusdem Regii milites dolo *Smerillum* ceperunt: Incolæ enim illius se in ditionem *Berardi Camertis* tradiderunt. Tertio autem Idus Regii Duces castra posuerunt in Silva *Monterani*, quare ex castris centum equites incurrerunt in agrum Episcopatus sub monte sancti *Sabini*, & postridie mille equites excurrerunt, usque ad fontem *Fallerum*, quibuscum *Firmani* in agro S. *Jacobi* magnum certamen commiserunt, & quatuor ex hostibus nemine ex suis desiderato interfecerunt, multi tamen utrinque capti fuerunt.

CAP. XXIII.

De dignitate tradita ab Alexandro *Papa V.* Ludovico *Principi* Firmano.

Idibus ejusdem mensis *Alexander* Papa V. ad *Ludovicum Firmanum* Principem diplomata misit, quibus eum *Firmi*, & Comitatus, nonnullorumque aliorum in *Piceno* oppidorum Vicarium constituerat pro Ecclesia *Romana*: quare multa lætitiæ signa à *Firmanis* ostensa fuerunt: hostes igitur 16. Kal. Sextilis retulerunt se in *Flastram* fluvium, & inde in Agrum *Montis Causarii.*

CAP. XXIV.

Laurum *oppidum* Firmanorum *captum*, *& forte eodem tempore receptum*, *inde coactum se dedere hostibus.*

Copiæ *Berardi Camertis* tertio Nonas Augusti ejusdem anni prodente iis oppidum fratre *Francisco* ordinis Conventualium ceperunt *Laurum*, & in ingressu cœperunt clamare, *vivat Rex*, putabant enim sibi adfuturos Regios milites. Verum oppidi incolæ acerrime repugnarunt, & in certamine ipso pervenerunt eo duo milites *Rugerii* Ducis *Braccii Perusini* missi ad intelligendam causam tumultus in eo oppido, quorum adventu territæ *Berardi* copiæ, quod credebant alios milites adventare in oppidi auxilium, terga dare oppidanis cœperunt, unde quatuordecim milites in

72 eo prælio amiserunt: accidit tamen, ut eodem die milites, qui erant in Agro *Montis Causarii*, prope *Lauri* mænia castra posuerint, itaque oppidum obsidione cinxerint, ut nemini ab eo egredi liceret; eratque ibi tunc temporis cum tota familia *Gentiles Maxii* de *Molliano*, coactusque fuit una cum oppidanis obsidionis fortunam subire: cum itaque usque ad 19. Kal. Septembris obsidium tulissent, denique dederunt se copiis Proregis, quæ illinc *Maceretum*, *Recinetum*, *Murrum Vallium*, & *Camerinum* 16. Kal. Septemb. petierunt.

CAP. XXV.

Gentiles Ludovici *frater excurrit in Planiciem* Pleghæ, *& combussit oppidum* Gismundum, *&* Ludovicus *factus obviam Prorectori Marchiæ eum* Firmi *honorifice excepit*.

Gentiles *Ludovici* Germanus 3. Idus Septemb. ejusdem anni excurrit cum Equitibus fratris in planiciem *Pleghæ*, qui ager erat *Rodulphi Camertis*, ubi multos fecit captivos, multaque subripuit, ac populatus est, & *Gismundum* oppidum penitus combussit. *Ludovicus* autem tertio Idus Octob. cum totis suis copiis obviam prodivit Rectori Marchiæ, quem in planitie sancti *Claudii* offendit. Comitabantur Rectorem tunc *Galeatius Malatestæ* filius de *Pisauro*, & *Antonius* de *Aquila*. Misit post hæc Rector diplomata ad omnia *Cluentinæ vallis* oppida, ut sub Ecclesiæ ditionem redirent, verum nihil potuit assequi: quare vi 18. Kalen. Novembris cepit portum *Recineti*, ipse autem *Ludovicus* venia habita à Rectore *Firmum* 11 Kal. Novemb. se recepit, & milites suos in Hybernis per comitatum constituit. Sexto autem Kal. ejusdem Rector *Firmum* pervenit, cui *Ludovicus* cum pluribus illustri loco ortis civibus obviam processit, reliqui autem cum palmis olivarum obviam iverunt, & Clerus supplicatione rite disposita eum comitatus est, quem *Ludovicus* in Aulam *Gerionis* secum perduxit.

CAP. XXVI.

De Hæresi disseminata à quodam Antonio.

Anno Domini 1412. Quinto Idus Octobris, quidam *Antonius*, qui vilibus continue induebatur pannis, nonnullos in Comitatu *Firmano* viros, mulieresque seduxit, iisque persuaserat,
73 se Deum patrem existere, fuisseque olim Christum, & complura miracula fecisse. Quibus sic statutis, & in hæresi confirmatis, eo quo retulimus die captis secum hominibus viginti, & eos *Firmum* versus ducens dixit se iturum *Hierosolymam*, & mare transiturum sicco pede, ubi autem in *Tinnium* flumen *Firmo* non multum distans pervenit cunctos tam viros, quam mulieres ex suo mandato vestibus exutos baptizavit, unde omnes nudi *Firmum* eum sunt comitati: quod cum viderent Cives, cœperunt vehementer redarguere. Venerunt demum in forum *S. Martini*: unde statim Episcopi Vicario id fuit renunciatum. erat tunc temporis Vicarius quidam nomine *Ascanius*, qui omnes in carceribus statuendos curavit. deest rei exitus.

CAP. XXVII.

De Montis Rubiani *defectione à* Firmanis.

Eodem anno pridie Idus Decembris incolæ *Montis Rubiani* defecerunt à *Firmanis*, *Carolumque* de *Malatestis* sibi Principem elegerunt: eo enim *Ludovicus* tempore *Malatestis* arcem *Montis Rubiani* crediderat, quo *Gentiles* suus fratrem *Malatestæ* de *Cæsena* filiam in uxorem duxerat. Qui tamen *Malatesta* anni insequentis quinto Idus Januarii cum sexcentis equitibus & quingentis peditibus habens secum *Angelum Pergulensem* venit in *Montem Rubianum*, & sub sua ditione confirmavit, positoque in arce præsidio Nono Kal. Februarii ad alia in *Piceno* suæ ditionis oppida se contulit.

CAP. XXVIII.

De Adventu Pauli Ursini *in* Picenum, *obsidione* Montis Rubiani, *& fuga ipsius* Pauli *una cum Cardinale* Ursino.

Idibus Maji 1413. *Paulus Ursinus* venit in *Picenum* cum equitibus 1600. petiitque *Maceretum* ubi erat Cardinalis *Ursinus* vices *Joannis* 23. Pont. gerens, eratque eo tempore *Recinetum* sub *Malatestæ* ditione, cum itaque de illius adventu *Ludovicus* certior factus esset XI. Kalen. Martii ad eum visendum se contulit, inde *Firmum* regressus Idibus Aprilis eundem convenit in Monte sanctæ *Mariæ* in *Georgio*, & eodem die communi consilio duxerunt copias in *Montem Rubianum*, quem 74
Firmanus obsidebat exercitus, qui statim jussu *Ludovici* vasa conclamavit: ipse autem, & *Paulus* post triduum obsidionem solverunt metu *Sfortiæ Attenduli*, qui *Caldarolam*, *Sarnanum*, & alia oppida una cum regiis militibus occupaverat, ut *Paulum* intercluderet: Verum ille hoc prospiciens sexto Nonas Maji arcem *Montis* sanctæ *Mariæ* in *Georgio Ludovico* tradidit, & cum Illustrissimo Cardinali *Ursino* timens vires *Sfortiæ* & aliorum Ducum Regis *Apuliæ* ex *Piceno* aufugit, & insequuti eum, & Cardinalem Regii milites in Arcem contrata obsederunt a Majo usque ad Septembrem, tandemque ab obsidione a *Braccio Perusino* fuerunt liberati, sed antequam esset *Paulus* obsessus tertio Idus Maji misit equites 200. in præsidium *Maceratensium*, quos *Maceratenses* recipere noluerunt, sed *Ludovicus* in Agro *Molliani*, & *Petrioli* recipiendos curavit. quo die *Recanatenses* ad *Montis* sancti *Joannis* agrum vastandum, & diripiendum profecti opera *Cicchi* de *Monte Politiano*, qui oppidum pro *Paulo* & *Ludovico* tuebatur, accersivit enim certis & expeditis nunciis milites, qui in *Monte Causario*, & *Granario* manebant, maximo cum dedecore, decem & septem in prælio amissis militibus, centumque & decem ab hostibus captis, terga dare coacti fuerunt.

CAP. XXIX.

Ladislaus Romam *cepit*, Malatestaque *de* Cæsena *multa Comitatus* Firmani *oppida expugnavit*.

Idibus Junii ejusdem anni *Ladislaus Apuliæ* Rex *Romam* totam triduo occupavit præter arcem Sancti *Angeli*, cepit deinde multa *Pauli Ursini* oppida, & *Joannes* XXIII. Papa ab *Antonuccio* de *Aquila* cum 100. equitibus sociatus ad *Florentiæ* locum, qui *Certosa* dicitur, aufugit; post quatuor menses, utpote decimo Kalendas Novembris *Malatesta* de *Cæsena* scripto exercitu 1000. Equitum, totidem peditum, ut *Monti Rubiano* obsesso opem ferret, & *Firmanis* damni plurimum inferret, venit in *Picenum*, movitque primum in oppida *Firmanorum* ex *Monte Ulmo*, unde tormen- 75
tis muralibus cepit oppugnare *Francavillam*, qua denique potitus fuit: cepit deinde cum conditionibus *Cerretum*, & denique ingressus in *Montem* sanctæ *Mariæ* in *Georgio* occupavit, *Mollianum*, *Falleronum*, *Belmontem*, *Montem Vidonem*, *Montem Apponum*, *Mallianum*, & *Gruptam Azolinam*.

CAP. XXX.

Induciæ quattuor dierum inter Ludovicum, *&* Malatestam *à* Rodulpho *factæ sunt*, *inde* Ladislaus *omnium controversiarum inter eos Judex constitutus*, *&* Ludovici *Milites Regis stipendio adscripti*.

A *Rodulpho Camerti Ludovico* litteræ redditæ fuerunt, quibus significabat se statim ei opem laturum, quare *Firmum* petiit Kal. Novembris,

bris, & cum *Ludovico* locutus quatuor dierum inter ipsum & *Malatestam* inducias composuit. Tertio autem Idus Novembris induciæ factæ fuerunt ad nutum *Ladislai Apuliæ* Regis, qui omnium controversiarum inter eos fuit constitutus, & post hæc *Malatesta* XVI. Kal. Decembris discessit a *Monte* sanctæ *Mariæ* in *Georgio* relicto ibi *Angelo Pergulensi* cum centum cataphractis equitibus. Milites autem *Ludovici*, qui fuerunt cataphracti equites XIX. Kalen. Februarii *Ladislao Apuliæ* Regi militiæ sacramento se obligarunt, & quarto Kal. Februarii *Firmo* discesserunt.

CAP. XXXI.

De reconciliatione Pauli Ursini *cum Rege*, *& morte Regis*, *& restitutione Arcis* Montis Rubiani.

Anno Domini 1414. de mense Junii *Paulus Ursinus* rediit in gratiam Regis *Ladislai*, eique multa ab ipso Rege oppida fuerunt restituta, movit deinde Rex in *Fulignates*, & *Tudertes*, totamque eorum regionem populatus, denique *Tudertum* expugnavit. Sed post paucos dies *Braccius Perusinus* militibus Regis expulsis *Tudertum* in suam ditionem redegit. Quinto tamen Nonas Julii *Ladislaus Paulum Ursinum*, *Nicolaum Ursinum* filium Comitis *Bertoldi* cum duobus nepotibus *Pauli* capiendos curavit, omnesque captivos *Neapolim* misit. Kalend. Augusti discessisset ex *Umbria* Rex *Neapolim* petiturus cum parte copiarum
76 in itinere incidit in ægritudinem, qua diem suum obiit, quod cum accepissent milites qui erant apud *Spoletum*, discesserunt & *Berardus Camers Camerinum*, *Gentiles* autem *Ludovici* Germanus cum suis *Firmum* se recepit. *Carlottus* autem cui arcis *Montis Rubiani* custodia commissa fuerat cum *Arimino* in Portum *Firmi* devenisset captus à *Firmanis*, ut libere *Neapolim* abire posset, *Montis Rubiani* arcem *Ludovico* tradidit.

CAP. XXXII.

Malatesta *venit in* Picenum, *& incursione facta in agrum* Firmanum *aggressus* Firmum, *rejectus fuit*, *& deinde multis* Firmani *Comitatus oppidis potitus fuit.*

Octavo Kalen. Decembris ejusdem anni *Malatesta* de *Cæsena* cum equitibus mille in *Picenum* se contulit, & primo adventu *Montem Ulmi*, & *Montem* sanctæ *Mariæ* in *Georgio* petiit, inde ipse in agrum *Firmanum*, & milites quos *Malliani* in præsidio reliquerat, excurrerunt in agrum *Lauri*, & ad summa viginti boves diripuerunt. Quinto deinde Kal. nocte concubia *Firmum* cum equitibus 1500. totidemque peditibus consilio *Antonii Vannis Andreottæ* advolavit, & disjectis sub macello mœnibus in vico *Pescaræ* omnes intendit vires, ut in Urbem irrumperet: verum strenue obsistentibus *Firmanis* coactus fuit pedem referre, & tamen quarto Idus Decembris expugnavit Turrim *Montonis*. pridie Idus potitus est arce *Rapagnani*. Idibus castrametatus in *Leta Mortua* cepit turrim sancti Patritii. XI. Kal. Januarii *Monturanum* obtinuit, & sexto Kal. *Montem* sanctum *Petrum* in eodem tractu oppidum, eodemque die Lunæ fuit Eclipsis apparuitque rotunda, & obscura albo tantum filo distincta: inde duabus horis sanguinea visa fuit. Sequente itaque anno, scilicet, 1415. Kalen. Februarii conduxit *Ludovicus Berardinum* de *Ubaldinis* cum duobus aliis Ducibus, sub quorum insignibus 200. cataphracti equites meruerunt. At *Malatesta* pridie Idus Februarii *Montem Viridem* præsidii negligentia expugnavit, & Kal. Aprilis *Montem Leonem* biduo obsessum obtinuit, hinc *Montem Octonem*, *Montem* sanctum *Petrum Moricum*, sanctum
77 *Elpidium Moricum*, *Collinam Ortezzanum*,

A & *Montem Vidonem*. cœpit deinde *Trochiarium* Nonis Aprilis tormentis muralibus quatere, sed nihil nocere potuit: hocque tempore inter *Ludovicum*, & *Malatestam* de induciis agebatur. Cumque omnes in fide tuti manerent sive dolo, sive inscitia milites *Malatestæ* à quodam *Andrea Campano Ludovici* stipendiario in oppidum introducti diripuerunt, & combusserunt: & post duos dies duorum mensium induciæ factæ fuerunt.

CAP. XXXIII.

Malatesta Beldilecto *potitus* Constantiam Rodulphi Camertis *Uxorem cepit cum equitibus XC.*
B *Inde alias inducias fecit cum* Ludovico.

Malatesta post factas inducias Nonis Maji ex S. *Severino* cum equitibus 2000. & peditibus 3000. *Camerinum* petiturus discessit, cumque in itinere intellexisset *Rodulphum* cum filiis & uxore *Constantia Beldilecti* moram trahere cupiens eum capere, eo iter intendit. Verum *Rodulphus* illius adventu cognito una cum filiis *Camerinum* contendit. *Constantia* autem cum plurimis *Fabriani* Civibus restitit, & cum equitibus 90. à *Malatesta* capta fuit 17. tamen Kalen. Junii obtinuit *Murrum Vallium*, & post quatriduum *Montem Causarium* cum arce *Petriolum*, *Canalectum*,
C sanctum *Justum*, & *Montem Granarium* expugnavit, *Maceretum* deinde profectus est: & 8. Kalen. Junii inducias factas cum *Ludovico* eisdem conditionibus usque ad Kalen. Septembris confirmavit: eaque de re *Berardinus* de *Ubaldinis* ex sententia *Ludovici* cum suis copiis *Firmo* discessit, fuitque post dies 13. Solis tertia hora diei Eclipsis, quæ semihoram duravit.

CAP. XXXIV.

Asculi *Arces à Comite de* Carrario *captæ mandato Reginæ* Apuliæ, *& Commissarii Imperatoris*, *& Ecclesiæ à* Ludovico *susceptæ*.

D Comes de *Carrario* qui Reginæ *Apuliæ* inserviebat 12. Kalen. Decembris; ejusdem anni cepit arces *Asculi*, erat enim Regina Domina 78
Civitatis, eodemque tempore *Ludovicus* Princeps *Firmanus* ad Imperatoris, & Ecclesiæ Commissarios, qui *Eugubii* commorabantur Legatos misit, & 19. Kalen. Januarii duo ex his Commissariis *Firmum* venerunt, quorum alter fuit Episcopus *Mutinensis*, quibus honoris causa *Ludovicus* cum omnibus suis equitibus, & *Firmanis* Civibus obviam prodivit. Clerici etiam exiverunt cantantes Litanias. Laici autem clamabant. *Vivant Meliorati:* & sequenti die omnes tam viri, quam fœminæ contulerunt se in Ecclesiam Cathedralem,
E ubi Episcopus unus ex prædictis concionatus fuit: cumque fuissent hi aliquot dies *Firmi*, *Anconam* petierunt.

CAP. XXXV.

Sanctus Elpidius *defecit à* Malatesta, *&* Ludovicus *receptis multis oppidis cum* Malatesta *in Agro* Anconitano *manus conseruit*, *&* Senogalliam *comburendam curavit.*

Occupaverat multa in *Piceno* agro *Malatesta* oppida, inter quæ & Sanctum *Elpidium* sui juris fecerat: quare anno 1416. quarto Kalend.
F Martii illius Incolæ à *Malatesta* ad sanctam Ecclesiam defecerunt: & *Ludovicus* Princeps *Firmanus*, qui superiori anno Turrim *Montonis*, & nonnulla alia oppida amiserat, eam Turrim recuperavit. Post quod quarto Nonas Martii Archiepiscopus *Epidauriensis*, *Berardus Camers*, *Berardinus* de *Ubaldinis*, *Petrus Mulus*, & *Georgius Theutonius* cum toto confœderatorum exercitu *Firmum* venerunt, & sexto Idus ejusdem ad loca statuta se contulerunt. XVI. autem Kal. Aprilis *Ludovicus Montem Vidonem*, & *Ortezzanum*, & quinto

to Kal. *Montem Raynaldum* recepit. Kalend. deinde Aprilis cum suis copiis cœpit excurrere in agrum *Murri Vallium*, *Montis Causarii*, & *Civitatis Novæ*, & rapuit 200. boves, totidemque pecudes, & viginti asinos, quindecimque homines captivos abduxit. Eodemque mense cum Papali Commissario sanctum *Elpidium* petiit, & *Monturanum* recepit; hincque *Anconam* versus iter fecit, ut *Anconitanis* opem ferret: quamobrem cum ibi moraretur, Nonis Aprilis *Malatesta* in agrum *Anconitanum* excurrit, cui *Ludovicus* obviam pro-
79 cessit, & cum eo certamen commisit, multique utrinque capti: sexto Idus deinde ejusdem mensis *Ludovicus* triremes duas militibus onustas ad *Senogalliam* comburendam destinavit; quo die Turris sancti Patritii in *Firmanorum* rediit ditionem.

Cap. XXXVI.

De Victoria habita a Braccio Perusino.

Carolus de *Malatestis*, & *Galeactius* Filius, *Vidonus Biordi Perusini*, *Ceccholinus Perusinus*, & *Angelus Pergulensis* pridie Idus Junii ejusdem anni cum haberent secum equites 2000. & 1000. pedites in agro *Perusino* cum *Braccio Montone* signa contulerunt: erat autem cum *Braccio* insignis illius temporis Dux *Tartaglia*, quare ab eo victi captivi omnes remanserunt, præter *Angelum Pergulensem*, qui cum paucissimis militibus se *Fulgineum* ex fuga recepit.

Cap. XXXVII.

Oppida Comitatus Firmani *occupata ab hostibus omnia in* Ludovici, *&* Firmanorum *ditionem redierunt.*

Sextodecimo Kal. Augusti ejusdem anni *Moregnanum* rediit in ditionem *Firmanorum*, & antequam præteriret mensis *Rapagnanum*, *Pontianum*, sanctus *Elpidius Moricus*, *Mons Leo*, *Collina*, *Mons* sanctus *Petrus Alleorum*, *Alteta*, & *Cerretum*, *Mons*que *Octonus* redierunt in ditionem eorundem: & sexto Nonas Augusti, *Firmani* obsederunt *Montem Granarium*, & licet defenderetur præsidio *Rudolphi Camertis* expugnaverunt, eodemque die *Laurum*, *Mollianum*, & posthæc *Francavilla*, *Belmontes*, *Falleronum*, *Mons Vidonus*, & *Mons Apponus* sub ipsorum jura reverterunt. Idibus autem Augusti *Ludovicus* cepit sanctum *Justum*, & postridie cum equitibus quingentis, & peditibus bis mille profectus fuit sanctum *Severinum* versus, offenditque oppidum obsessum a *Bracchio Montone*, & *Berardino Camerte*, & post duos dies *Antonius Honofrii*, & incolæ san-
80 cti *Severini* convenerunt cum *Bracchio Berardo*, & *Ludovico*: quare obsidionem solverunt, & 15. Kal. Septembris expugnaverunt *Montem Milonum*, indeque omnes urbes, & oppida à *Rubicone Recinetum* usque ceperunt: quapropter *Recanatenses* quinto Nonas Octobris ab his Ducibus pacis conditiones accepit.

Cap. XXXVIII.

De Morte, *& funebri pompa uxoris* Ludovici, *& Adventu* Ladislai *in* Picenum, *& pace inter eum, &* Ludovicum.

Decimotertio Kalen. Octobris *Bellaflora* uxor *Ludovici* in *Gerione Firmano* naturæ concessit, & quinto Nonas ejusdem *Mons Viridis* in *Firmanorum* rediit potestatem: 3. autem nonas *Ludovicus Berardus Camers*, & Commissarius Ecclesiæ obsederunt *Montem S. Mariæ* in *Georgio*, & pridie Idus obsidionem solverunt, oppidumque quibusdam conditionibus pacatum reliquerunt: post hæc *Ludovicus* 11. Kal. Novemb. *Firmum* reversus *Bellafloræ* uxoris exequias maxima cum impensa celebravit, Kalendisque Novembris, *Pandul-*

A *phus Malatesta* cum equitibus 1150. venit in *Picenum*, & oppida quædam expugnavit Comitatus *Fani*, inde cepit *Auximum*, *Montem Luponum*, & *Civitatem Novam*; & cum haberet *Ludovicum* sibi maxime adversantem fecit, cum eo quatuor dierum inducias pridie Nonas Decemb. sequenti tamen anno scil. 1417. Auctoribus *Venetis*, *Florentinis*, Commissario sacri Collegii *Constantiæ*, & Comite *Urbini* pax facta fuit Kal. Martii inter *Braccium Montonem Perusinum*, *Pandolphum* de *Malatestis*, *Berardum*, & *Rodulphum Camertes*, & *Ludovicum* Principem *Firmanum* his conditionibus, ut scilicet Comitatus oppida tam subdita,
B quam confœderata, & fideicommissa, fratres, & nepotes ea pace uterentur, & quod unusquisque omni impedimento cessante, posset ire, & redire per agrum *Firmanum*, *Perusinum*, *Camertem*, & *Pisaurensem* ex voto suo: & cum superioribus annis capti fuissent *Carolus*, & *Galeactius* nepotes *Pandulphi* de *Malatestis*, fuit constitutum, ut in libertatem vindicarentur, solutis aureorum nummorum octuaginta millibus, & de mense Aprilis libertatem receperunt.

Cap. XXXIX. 81

Ludovicus Thadæam Malatestæ *filiam uxorem*
C *capit*, *&* Braccius *Senator*, *& Conservator Concilii* Constantiæ *à* Romanis *est factus*

Ludovicus *Firmanus* Princeps *Bellaflora* mortua, *Thadæam Pandulphi* de *Malatestis* filiam volentibus Prioribus Civitatis, *Gentile* fratre, & *Pandulpho* Jurisconsulto procuratore *Thadææ* quinto Idus Aprilis uxorem cepit, eodemque anno Kal. Julii *Braccius Perusinus Romam* petiit, fuitque à *Romanis* summa cum lætitia exceptus, & Senatoris, & Conservatoris sacri Concilii *Constantiæ* honore decoratus.

Cap. XL.

Quo tempore fuerit creatus Papa Martinus, *&*
D Ludovicus Thadæam *uxorem duxerit.*

Tertio Kal. Januarii redditæ fuerunt *Ludovico Firmano* Principi literæ, quibus certior fuit factus de creatione *Martini* summi Pontificis ejus nominis V. isque *Oddo* de *Columnis* vocabatur. Ipse autem *Ludovicus* 17. Kal. Februarii 1419. *Obizzum* Comitem de *Carrario* levirum secum nonnullosque alios Illustres Cives *Firmanos*, & stipendiarios viros milites quamplurimos *Pisaurum* petiit, ut uxorem *Thadæam Firmum* duceret, fuitque ibi circiter 18. dies, *Firmum*que rediit octavo Idus Februarii cum *Thadæa* uxore sociata à *Galeactio* & uxore, & parvula filia ejus,
E & pluribus aliis illustribus fœminis, ac viris, postridieque equestres ludi in *Gerione* fuerunt celebrati maxima cum lætitia omnium, aliquid tamen mali tanto gaudio immissum fuit, nam sequenti nocte arsit cella in palatio cum 800. libris Bellariorum, & 600. Ceræ, & vasibus omnibus stanneis, & argenteis alioque supellectile maximi pretii, acciditque nemine sentiente.

Cap. XLI.

Oratores Papæ Martini *V. adierunt omnia oppida hortantes*, *ut in fide manerent*, *&* Braccius *pacem* Ludovico *dedit.*

F Postquam *Oddo Columna* Pontifex summus fuit creatus, & *Martinus Quintus* est appellatus, videns Ecclesiæ oppida fidem non præstare, destinavit ad ea omnia Legatos, qui hortarentur, ut in fide manerent: post quos de mense Aprilis 82
Braccius Montonus cum equitum duobus millibus venit in *Picenum*, & primo obsedit *S. Severinum*, inde *Petriolum* oppidum *Firmani* Comitatus, cujus agrum vastavit, atque diripuit: castra deinde metatus per aliquot dies in finibus *Lauri*, *Molia-*

liani, & *Massæ*, movit denique exercitum de A
mense Maji, expugnavitque *Falleronum*, quod
diripiendum militibus tradidit: duxitque secum
captivos viros, & mulieres cum parvulis filiis.

CAP. XLII.

Ludovicus *in eos, qui adversum se conjuraverant, animadvertit, & Milites Comitis* Urbini Assisium *ceperunt, quod* Braccius *recepit.*

Cum gravis esse cœpisset dominatio, quod
tam Civitas, quam Comitatus continuis
bellis involvebatur: ea de re nonnulli ex Urbe,
& Comitatu in eum conjuraverant: verum 8. Ka- B
len. Aprilis ejusdem anni conjuratio detecta fuit,
multique ex conjuratis capti, vel laqueo, vel se-
curi vitam finiverunt: eodem an. de mense Octo-
bris exercitus Comitis *Urbini Assisium*, quod *Brac-
cius* præsidio tuebatur, expugnavit, quo intelle-
cto *Braccius* eo cum copiis advolavit, & cum tri-
duum fuisset tantummodo in hostium potestate
recepit.

CAP. XLIII.

Ludovicus *opem* Pandulpho *de* Malatestis *ferens à* Carmignola *victus, & captus est, & demum à Duce* Philippo *liberatus.*

Anno Domini 1420. *Ludovicus* Princeps *Fir-
manus* bellum aggressus est *Cisalpinum* insi-
gne tum virtute Ducis cum robore militum, cla-
ritate Vicecomitum, vetustaque fama gentis, & C
Imperii magnitudine. Quo bello omnem *Insu-
briam Cisalpinam*, *Galliam*, magnam *Etruriæ*, &
Flaminiæ partem, totamque *Liguriam* obtinue-
rat. *Pandulphus* autem de *Malatestis* armis mul-
to cæteris nobiliorem urbem *Brixiam* mortuo
Joanne Galeazzo primo *Mediolanensium* Duce par-
tium studio occupaverat. Hunc *Philippus* Vice-
comes, & Dux *Mediolanensis* per *Franciscum Car-
mignolam* hominem in conficiendis bellis clarissi-
mum armis acerrime premebat. *Pandulphus* ita- D
83 que cum se imparem hosti animadverteret, *Lu-
dovicum* Principem *Firmanum* magnis oneratum
precibus exoravit, ne se urbis tam opulentæ pos-
sessione dejici pateretur. Qui audita *Pandulphi*
calamitate novo *Firmanorum* juvenum delectu ha-
bito, atque stipendiariorum militum exercituque
lustrato in *Galliam* contendit, & quamvis res non
feliciter successisset, cum exercitus ejus ab exer-
citu *Carmignolæ* victus, atque captivus factus fuis-
set, tamen à *Philippo* honestas pacis conditiones
obtinuit, & *Brixia* in Ducis *Philippi* ditionem
rediit. Ipse itaque *Ludovicus* ab eo liber effectus E
Kalen. Martii *Firmum* regressus est.

CAP. XLIV.

Braccius *per agrum* Firmanum *in* Apuliam *transivit, & Comes de* Carrario *obiit, &* Ludovici *filius* Firmi *Episcopatum obtinuit.*

Literis sæpenumero monitus à Regina *Apuliæ
Braccius Perusinus*, ut in *Apuliam* se confer-
ret, decrevit tandem, anno 1421. ei obtempe-
rare, & mille ac quingentis comparatis equitibus
8. Idus Maji iter habuit per Agrum *Firmanum*
permittente *Ludovico Apuliam* petens, eodemque
anno 13. Kal. Novembris Comes de *Carrario* F
diem suum obiit, eodemque die venerunt *Roma*
diplomata Episcopatus *Firmani* concessi filio *Lu-
dovici*, fuitque pro eo possessio capta quo tempo-
re *Genua Ligustici* sinus Civitas in ditionem *Phi-
lippi* Ducis *Mediolanensis* redacta est, & Turris
sancti Augustini in *Firmana* urbe confecta fuit.

CAP. XLV.

Tartaglia *in* Apulia *cum filio, & nepote mandato* Sfortiæ *occisus, &* Firmanus *à* Ludovico *ad* Philippum Mediolanensem *missus est.*

Cum *Tartaglia* sub *Sfortia* Generali Duce exer-
citus Reginæ *Apuliæ* cum filio, & nepote
mereret, anno 1422. sive pecunia, sive aliis pol-
licitationibus corruptus ab hostibus decrevit à
Sfortia deficere. Qua re cognita *Sfortia* curavit
illum una cum filio, & nepote de mense Janua-
rii interficiendum: eodem anno 4. Idus Martii
Firmanus à *Ludovico* patre ad *Philippum Mediola-
nensem* Ducem missus fuit in illius aula commora- 84
turus, duxitque ab eo ad *Philippum* equos duos,
quorum alterum emerat *Ludovicus* aureis nummis
quadringentis, alterum trecentis.

CAP. XLVI.

De reditu Braccii *ex* Apulia, *&* Tiberis *inundatione.*

Eodem anno 12. tamen Kal. Julii *Braccius* ex
Apulia rediens transivit per agrum *Gruptæ
Azzolinæ*, & castrametatus fuit in agro *S. Ma-
riæ* in *Georgio*, quo mense Turri *S. Zenonis* su-
prema manus fuit imposita, eodemque anno de
mense Decembris, *Tiberis* extra alveum progres-
sus non solum domos, sed & homines, ac mu-
lieres quamplurimos obruit. Multa desiderantur.
Braccius autem arma sumpsit adversus *Aquila-
nos*, & *Martinum* Pontificem, cujus Dux erat
Franciscus Sfortia, quare cum ad *Aquilam* uter-
que exercitus signa contulisset, ipse à *Sfortianis*
fuit occisus, & *Aesium* in Ecclesiæ ditionem re-
divit.

CAP. XLVII.

Quo tempore Ludovici *pater occubuerit, & nummi argentei* Firmi *cudi cœperint.*

Undecimo Kal. Octob. anno 1424. *Antonius*
de *Melioratis Ludovici* pater vitam cum mor-
te commutavit, sequenti autem anno quinto Ka-
len. Septembris *Ludovicus* argenteos nummos *Fir-
mi* cudendos statuit, ad eamque rem elegit *Joan-
nem Vannis Firmanum*, & *Marinvectium Ascula-
num*, cumque esset in urbe magna argenti penu-
ria *Epidaurum* ad illud coemendum quendam *Chri-
stinum* misit.

CAP. XLVIII.

De S. Severini *obsidione.*

Erat *Septempeda* sub ditione *Antonii Nofrii*, cum
anno MCCCCXXVI. mandavit Rectori Mar-
chiæ Pontifex *Martinus*, ut capere studeret, qua-
re de mense Maji oppidum obsidione cinxit: fuit-
que inter alios Duces in eo exercitu *Jacobus Cau-
dola* cum equitibus mille & quingentis, *Firmani*
etiam quingentos pedites urbanos miserunt ad
eam obsidionem, profectus deinde eo fuit *Genti-
les Ludovici* frater cum pluribus cohortibus sti-
pendiariorum militum, tam pedibus, quam equis
merentium, & præterea sexcentos ex urbe, &
Comitatu delectos milites duxit in Rectoris auxi- 85
lium, cumque durasset obsidio usque ad tertium
Kalendas Junii, fuit denique oppidum captum,
& diripiendum militibus datum. *Antonius*que op-
pidi Dominus una cum duobus filiis, & tota fa-
milia captivus ductus est: quamobrem postridie
Gentiles secum omnes fraternos, & *Firmanos* mi-
lites *Firmum* reduxit.

CAP. XLIX.

Thadæa Ludovici *uxor marem peperit, & deinde ipsa* Ludovici *mater, & demum anno interjecto* Ludovicus *obiit.*

Pridie Idus Decembris ejusdem anni *Thadæa
Ludovici* uxor puerum peperit, sequenti au-
tem

tem anno, ſcilicet 1477. Kalen. Maji *Antonella Ludovici* mater occubuit, deinde Nonis Julii *Thadeæ* ex morte *Ludovico* major dolor acceſſit, peſte enim, quæ in urbe graſſari cœpit, occubuit. Eo tempore incolæ montis *Florum* ſponte ad *Ludovicum* ipſum, à quo defecerant, redierunt: non ſtetit tamen diu; nam inſequenti anno de menſe Junii eum de medio ſubſtulit cujus obitus omnes latuit uſque ad quartum Idus Julii, & poſtridie poſt patefactam mortem ſumma cum impenſa à *Firmano* filio, & *Gentile* fratre, qui noluerat *Ludovici* interitum patefieri, ante reditum *Mediolano Firmani* exequiæ in Cathedrali Eccleſia fuerunt celebratæ.

CAP. L.

Firmanus *filiam* Franciſci *Reguli* Ortonæ *uxorem ducit.*

Poſt patris *Ludovici* mortem decrevit *Firmanus* uxorem capere, quamobrem *Franciſci* quondam *Ortonæ* Reguli filiam petiit, fuitque ei deſponſata, Kalen. Auguſti, duxitque illam *Firmum* maxima cum pompa.

CAP. LI.

Multi Cives cum Matthæuccio Colæ *exierunt ex urbe* Firmana, *ut eam deinde opprimerent.*

Eodem anno ſcilicet 1428. tertio Nonas Auguſti *Matthæuccius Colæ*, qui tunc magiſtratum gerebat in urbe ampliſſimum inſciis collegis nonnullis ſociatus civibus ex Curia, & urbe diſceſſit, quæ res in maximam ſuſpicionem cives perduxit: decretum itaque fuit in ſenatu, ut fie-
86 rent excubiæ, & cum diligenter efficerentur, Abbas *S. Sabini*, *Jacobus Vannis*, & filius *Firmum* venerunt habentes ſecum ſupra trecentos viros ex *Monte S. Petro Alleorum*, *Molliano*, & aliis oppidis, & ingreſſi ſunt per portam *Fontis Novæ*, quæ dedita opera clauſa non fuerat, & in ingreſſu quidam *Jacobus Mollianenſis* ictu lapidis percuſſus occubuit, & cæperunt clamare, *vivat populus*, *& libertas:* pervenerunt autem domum cujuſdam *Alexandri*, & *Matthæuccii*, verum cum id viderent, qui *Pilam*, S. *Martinum*, & *Florentiam* incolebant captis armis occurrerunt, & ex exulibus quattuor cœperunt, quos *Gentiles* ſibi traditos pinnaculis *Gerionis* ſuſpendendos curavit, creviſſetque in dies ſeditio, niſi ſuperveniſſet *Nicolaus Antonii*, qui inter omnes Cives pacis extitit auctor.

CAP. LII.

Rector Marchiæ Firmum *ſe contulit, & miſſi ſunt Legati ad ſummum Pontificem pro impetranda deſtructione* Gerionis.

Præerat *Piceno Aſtorius* eo tempore, quo *Ludovicus* diem ſuum obiit, qui convocatis quamplurimis militibus ex ſancto *Elpidio*, *Monte Ulmo*, & *Recineto*, aliiſque oppidis aſſentientibus tamen *Firmanis* Civibus quarto Idus Auguſti *Firmum* ſe contulit, & ingreſſus ſuper portam ſancti *Marci* cum Vexillo Civitatis *Firmanæ*, quo viſo, qui erant in *Gerione* cœperunt urbem bombardis, baliſtis, ac fundis omnino quatere: quare poſtridie in Senatu decretum fuit, ut ad ſummum Pontificem mitterentur Legati, qui impetrarent veniam deſtruendi *Gerionis*, qui ſeptimo Idus Septembris redierunt voti haud compotes facti. hæc tamen repulſa non movit de ſententia *Firmanos*, ſiquidem alios miſerunt, quorum unus 17. Kalen. Novembris regreſſus retulit Pontificem miſſurum Prælatum ad *Gerionem* deſtruendum.

CAP. LIII.

Duo Epirotæ, *qui erant in* Gerione *proditionem* Marinuctii Moſtatii *Prioribus* Firmanis *detexerunt.*

Premebant *Firmani Gentilem* armis in *Gerionem* commorantem, multaque jam deeſſe cœperant neceſſaria, cum pridie Idus Octobris *Epiro-*
tæ duo, qui in *Gerione* manebant, inde intempe- 87
ſta nocte egreſſi ad Priores Civitatis detulerunt *Marinuctium Moſtatii*, qui militiæ Sacramento ſe cum triginta militibus *Firmanæ* Reipublicæ obligaverat, ingreſſum ſæpius noctu in *Gerionem*, & nonnulla ad *Gentilem* detuliſſe victui neceſſaria, & retuliſſe inſuper ea omnia, quæ in urbe fierent, & præſertim eum edocuiſſe de curriculo, qui fiebat capiendi cauſa *Gerionem*, quamobrem mandato Priorum captus *Marinuctius*, & tortus dixit ſe nonnullos alios milites decreviſſe in *Gerionem* mittere, ut cum iis *Gentiles* urbem aggrederetur. Itaque una cum quattor aliis ſuſpenſus fuit.

CAP. LIV.

Induciæ factæ ſunt inter Gentilem, Firmanum, *& Cives* Firmanos.

Eodem menſe *Firmani* cum *Gentile*, & *Firmano Ludovici* filio aſſentiente *Piceni*, Rectore inducias fecerunt, poſt quas 10. Kal. Decembris *Firmanus* habito à ſummo Pontifice commeatu *Romam* petiit, & cum ibi fuiſſet uſque ad 3. Idus Decemb. rediit *Firmum*, retulitque ſe à ſummo Pontifice impetraſſe in ſtipendium *Gentilis* ſingulis annis aureos nummos quingentos, ſtatuiſſeque ſibi, & fratribus eodem modo aureos nummos ſexcentos, & recepiſſe tres *Ludovici* filias nuptui tradere, & quod militibus qui in *Gerione* manebant de rebus *Gerionis* ſtipendia ſolverentur, præterierunt tamen à reditu quinque tantummodo dies, & deinde Rector Marchiæ *Firmum* advolavit una cum Quæſtore Provinciæ, & cum 100. militibus in *Gerionem* ingreſſus ſummi Pontificis vexillum in cacumine Cathedralis Eccleſiæ fixit.

CAP. LV.

Curia generalis Marchiæ Firmum *translata.*

In ſequenti anno ſcilicet 1429. 15. Kalen. Martii omnes Judices Curiæ generalis Marchiæ *Firmum* ſe contulerunt, ibique forum agere cœperunt, manentes in Palatio, quod eſt in Platea ſancti *Martini*, ubi exiguntur vectigalia.

CAP. LVI. 88

Martinus V. *omnia jura Civitatis confirmavit, & eodem tempore* Jacobus Caudola *per agrum* Firmanum *tranſivit.*

Eodem ann. *Firmani* miſerunt ad ſummum Pontificem *Martinum* V. Legatos, qui impetraverunt confirmationem omnium Jurium Civitatis, ut in Archivio *Firmano* legitur ſub dat. Romæ 12. Kalen. Aprilis, hic annus etiam fuit inſignis morte *Caroli Malateſtæ*, & tranſitu *Jacobi Caudolæ* per agrum *Firmanum*, ubi caſtra metatus in agro ſive (ut ajunt) planicie ſancti *Thomæ* non diu ſtetit, diſceſſit enim in regnum ſuum.

CAP. LVII.

Ripani *ſancti* Michaëlis *nundinas perturbaverunt.*

Solebant ad Eccleſiam S. *Michaëlis* poſitam in finibus Caſtri *Guardiæ*, *Aquævivæ*, & *Ripæ Tranſonis* pridie Nonas Maji ſingulis annis nundinæ celebrari, quas tamen ſæpenumero *Ripani* turbabant, decrevere itaque *Firmani*, ut *Circitor* cum 20. apparitoribus eo contenderet ad nundinarum cuſtodiam. *Firmani* habuerunt extem-

plo Senatum, & ex Senatusconsulto quattuor millia militum cum equitibus 150. ex urbe & Comitatu evocarunt, & 6. Idus Maji *Firmo* profecti ad Ecclesiam sancti *Michaëlis* contenderunt, ibique per tres dies permanserunt.

Cap. LVIII.

De defectione omnium oppidorum in Romandiola *à* Malatestis *tumultu* Ofidæ, *& receptione Arcis* Montis Viridis.

Multa non solum in *Piceno*, verum in *Romandiola* oppida à *Malatestis* fuerant occupata, quamobrem de mense Julii omnia, quæ Tyrannice in *Romandiola* detinebant, ab iis defecerunt, & sub Ecclesiæ *Romanæ* ditionem redierunt, eodemque anno scilicet 1430. de mense Septembris cum omnia oppida *Gibellinis*, & *Guelphis* factionibus essent in se divisa, *Ofidæ Guelfi* ex *Gibellinis* quindecim interfecerunt: fuissetque oppidum in rerum omnium discrimine, nisi *Aprutinensis* Episcopus *Firmi*, & *Asculi* Rector eo cum plurimis militibus advolasset ob cujus adventum omnia fuerunt sedata: accidit eodem tempore,
89 ut quidam *Simon* una cum nepote, & quibusdam aliis in *Monte Viride*, quem occupaverat, fuerit necatus, post cujus mortem custos arcis ad *Firmanos* scripsit se arcem traditurum ipsis si cuperent.

Cap. LIX.

Oratores missi fuerunt Romam *à* Firmanis *post creationem Pontificis* Eugenii.

Decimoseptimo Kal. April. 1431. cum *Firmi* esset auditum, creatum fuisse Pont. *Eugenium* coegerunt statim Senatum *Firmani*, decreveruntque mittere ad eum oratores, qui *Firmanam* Civitatem Ecclesiæ *Romanæ* fidelissimam declararent, ut Civitatis nomine trecentos aureos nummos dono darent, iverunt itaque legati, & summa cum diligentia mandata executi legationis suæ non modicam laudem tulerunt.

Cap. LX.

Incolæ Aquævivæ *à* Firmanis *ad* Josiam Adriæ *Ducem defecerunt.*

Incolæ *Aquævivæ* 4. Nonas Novemb. an. 1432. ad *Josiam Adriæ* Ducem defecerunt, qui oppidum validissimo præsidio firmavit, quare *Firmani* ægreferentes hujusmodi facinus edicendum curaverunt, ut viri omnes tam ex Comitatu, quam ex urbe arma caperent, dictoque parentes convenerunt in urbem omnes. Verum interea acceperunt nuncium, quod etiam custos Arcis eam *Josiæ* tradiderat, quare ab inceptis destiterunt in tempus opportunius rem delaturi. Quod etsi eo animo fecerant, tamen in suspicionem induxit Episcopum *Recanatensem Firmi* ac *Piceni* Gubernatorem, qui postridie se in urbem referens in *Gerionem* concessit, quo Priores, & nonnulli alii optimates honorandi eum gratia perrexerunt, & illius jussu capti omnes fuerunt: post hæc Abbas *S. Sabini*, *Joannes Filippus Vannis*, *Antonius Riccii*, & multi alii capti fuerunt, sed cum bene ac mature Gubernator rem perpendisset, eos insontes judicavit, & deinde aperuit iis quicquid cum *Josia Adriæ* Duce ad se eos tractasse fuisset delatum, dimisit idcirco omnes quos evocaverat milites ex *Piceno*, ut in *Firmanos* animadverteret: eodem anno fuerunt tam turbulenti ventorum flatus, ut arbores evulserint radicitus, & viridaria pænitus, ac oleas siccaverint.

90

Cap. LXI.

Franciscus Antonii Aceti Anconæ *captus mandato Rectoris* Piceni.

Præses Marchiæ, qui *Firmi* commorabatur anno 1433. de mense Februarii *Franciscum Antonii Aceti Anconæ* manentem capiendum curavit, & ad se *Firmum* perducendum, quo in carceribus in *Gerione* posito, discessit ab urbe, & secum duxit Abbatem *S. Sabini*, & *Jacobum Vannis*, cujus filium *Joannem Philippum* captivum in *Gerione* reliquit.

Cap. LXII.

Firmani Romam *Legatos miserunt ob Imperatoris Incoronationem.*

Eodem anno Nonis Maji *Firmani* ad summum Pont. Legatos miserunt ob *Sigismundi* sacri Imperatoris incoronationem, qui ab ipso Pont. *Eugenio* Imperatoriam coronam suscepit Kal. Julii, qui solennis fuit ob Pascha Pentecostes.

Cap. LXIII.

Joannes Rodulphi Camertis *filius mandato fratrum interfectus.*

Verum est profecto, quod Vates ille in Metamorphoseos frontispicio scriptum reliquit: raram, scilicet, esse fratrum gratiam, quandoquidem eodem anno *Joannes Rodulphi Camertis* filius ex mandato fratrum scilicet *Berardi Gentilis*, & *Pandulphi* fuit interfectus, ex quibus post cladem fratris captus *Gentiles* 13. Kalen. Octobris *Recineti* fuit securi percussus.

Cap. LXIV.

De Adventu Comitis Francisci Sfortiæ *in* Picenum.

Cum diu *Cisalpina Gallia* bello flagrasset, fuit tandem in pacem redacta anno Domini 1433. quo tempore *Franciscus Sfortia* apud *Philippum Mediolanensium* Ducem commorabatur: huic relatum fuit *Jacobum Caudolam* oppida, quæ ipse in *Apulia*, ut *Sfortiæ* patris hæres possidebat multis incommodis afficere cæpisse, & jam *Serram Capriolam* occupasse, quod ægreferens vehementer, venia à *Philippo* habita, opem suis ferre constituit, & copiis scriptis pervenit in *Flaminiam*, *Isapim*que nondum transiverat, cum ejus adventu Marchia tota commota est, sicque per *Italiam Francisci Sfortiæ* nomen in dies crescebat. Gere- 91
bat hoc tempore in *Piceno* summi Pontificis vices *Joannes Vitellius Corniculanus* ob cujus asperam administrationem, & lævitatem provinciales multi rerum novarum cupidi ad Comitem *Franciscum* iverunt, hortatique sunt, ut in *Picenum* advolaret pollicentes ipsum rerum brevi potiturum, omnesque paratos ei obtemperare, & legatos miserunt, qui cum eo de deditionis conditionibus agerent. Quo viso de omnibus *Filippum* Ducem *Mediolanensium* consuluit, seque ab illius sententia ne transversum quidem unguem discessurum recepit, id ubi intellexit *Philippus*, qui Ecclesiæ res agitari cupiebat, Pontifice *Eugenio*, qui *Venetus Venetorum* partes tuebatur; secreto *Franciscum* admonuit, ut *Picenum* quoquo modo posset occuparet, & *Eugenium* offenderet. Quamobrem *Apuliæ* rebus compositis, & novo scripto milite, *Laurentio* etiam *Attendulo* suis copiis addito, *Æsium* pervenit, cujus incolæ licet oppidum validissimo *Josiæ Aquævivæ* Ducis præsidio defenderetur, postero die deditionem fecerunt his conditionibus, ut *Josiæ* milites incolumes abirent. *Æsio* capto tantus Provinciales terror invasit, ut ad eum omnes Legatos mitterent, qui deditionem honestis conditionibus facerent. Hoc rerum felici eventu ductus *Franciscus Potentiam*, & *Cluentum* transivit, & castris ad *Montem Ulmum* positis oppidum divina pace, & rerum omnium copia diffluens, naturaque & arte munitissimum, quæ res omnes oppidanos movebant, ut ab Ecclesia non deficerent, expugnavit, & diripiendum militibus tradidit; deinde valido præsidio firmavit, ut

ut se eo, si qua adversa oriretur fortuna, recipe-
re posset, eaque res oppida reliqua sponte dedi-
tionem facere coegit. Quare *Auximates* & *Re-
canatenses* opibus suis parum fidentes finitimorum
suorum exempla secuti Comiti se dediderunt:
horumque deditio tantum Comitis rebus adjecit
incrementum, ut cunctis *Piceni*, & Ducatus ar-
cibus priusquam oppidorum sit potitus. Nam
Joannes Vitellius cunctis arcibus custodes *Recana-
tenses* Cives tamquam fidissimos apposuerat: ad
hos itaque *Recineto* potitus Comes exaravit, se in
familias, nisi arces traderent, omnino sævitu-
92 rum, hocque pacto *Asculi* arcem in ultima pro-
vinciæ parte obtinuit. *Firmani* interea rebus suis
consulentes 19. Kalen. Januarii ad eum Legatos
nonnullos Illustri loco ortis juvenibus sociatos mi-
serunt, qui ejus animum explorarent, qui post
biduum redeuntes retulerunt Comitem urbis, &
Comitatus dominationem exposcere, & propte-
rea cum eo pacta, quæ in *Firmanis* annalibus vi-
deri possunt, pepigerunt, & præsertim, quod
curaret ipse S. *Angelum* in *Pantano*, & *Gualdum*
occupata à *Camerini* Regulis sibi restituenda, quæ
restituta fuerunt Kalen. Januarii ejusdem anni,
quo die *Alexander Sfortia Francisci* germanus *Fir-
mum* pervenit, & arce *Gerionis* non invito custo-
de potitus est. Ususque fuit Comes tam secunda
fortuna; ut Quinto x. die quo *Picenum* est ingres-
sus, omnem *Picenum* agrum obtinuerit, in di-
tionemque suam urbes, oppida, vicos, pagos,
atque arces redegerit.

CAP. LXV.

Franciscus Sfortia Firmum *se recepit à summo
Pontifice* Piceni *Marchio*, *Patrimonii & Duca-
tus* Spoletani *Vicarius*, *deinde Ecclesiæ Vexilli-
fer est creatus*.

Postquam honestis conditionibus *Firmani* coa-
cti se *Francisco Sfortiæ* dederunt, recepit se
ille *Firmum* ingentes secum habens copias anno
1434. occurritque ei obviam tota pene urbs, in
quam triumphantis more ingressus est. Ea tamen
die, quæ fuit tertia mensis Januarii non ingressus
fuit in *Gerionem*, verum postridie, & diligenter
consideravit ea omnia, quæ erant restituenda, &
rebus optime constitutis Idibus ejusdem mensis
profectus fuit ad *Montem Ulmum*. Interim non-
nulla oppida tam in Ducatu *Spoletano*, quam in
patrimonio ab Ecclesia deficere cœperunt, &
Comiti *Francisco* se dedere studebant. Causa hu-
jus defectionis erat, quod *Nicolaus Fortebraccius*
Ecclesiæ Dux ab *Eugenio* summo Pontifice alie-
naverat, ipseque magno impetu *Tibur*, & plera-
que oppida occupaverat. Animo itaque *Franci-
93 scus* tam varios rerum eventus perpendens ami-
corum consilia sequi, & imperium suum dilatare
constituit: comparato igitur ingenti exercitu per
Camertem agrum iter habens *Tudertum*, *Intera-
mnam*, *Otriculum*, Arcem *Sorianam*, & nonnulla
alia oppida occupavit, ut esset ipse *Piceni* Mar-
chio, provinciamque justo titulo possideret, at
oppida patrimonii, & Ducatus *Spoletani*, ut Ec-
clesiæ Vicarius teneret, & denique vexillifer Ec-
clesiæ creatus fuit: quæ dignitas est in *Italia* am-
plissima. His itaque statutis, *Eugenius* edicto si-
gnificavit omnibus Ecclesiæ populis, ut *Franci-
sco Sfortiæ* sanctæ Matris Ecclesiæ vexillifero pa-
rerent. Erat hoc tempore Comes in *Umbria*,
ut à *Nicolai Piccinini* copiis oppida tueretur,
cumque hostis militum multitudini præstaret pri-
die Idus Maji delectum militum duorum millium
in *Firmana* Civitate habendum curavit, singulis-
que nummum aureum solvendum pro parte sti-
pendii: nec diu stetit, quod à Præcone editum
fuit mandato Comitis, ut ex qualibet domo mi-

A les describeretur, tam in urbe quam in Comita-
tu, & ad *Alexandrum Sfortiam* mitteretur: eo-
demque die incolæ *Montis Fortini* à *Camerini* Re-
gulis defecerunt, & se *Firmano* exercitui dede-
runt, qui sublatis vexillis ingressus in oppidum
arcem obsedit, demumque obtinuit: dum hæc
agerentur *Alexander Sfortia* paucis stipatus militi-
bus *Amandolam*, quæ *Persilii Tolentinatis* præsi-
dio tuebatur pro *Camerini* Ducibus ingressus vix
effugit illius manus, dedit tamen *Persilius* oppi-
dum suis militibus diripiendum præter domos
amicorum: eodemque fere tempore, utpote ter-
tio Idus Julii *Fuschinus* de *Cotognola* Dux equitum
B Comitis, & Promarchio *Tolentino* potitus *Berar-
dum Rodulphi Camertis* filium, qui ei se cum po-
pulo opponere ausus fuerat, interfecit: Eodem
autem mense quo hæc gesta sunt, quinque men-
sium induciæ inter *Franciscum Sfortiam*, *Nico-
laum* de *Stella*, & *Nicolaum* de *Tolentino* factæ
fuerunt his conditionibus, ut oppida redderentur
Ecclesiæ, quæ ei superiori æstate fuerant ablata.

CAP. LXVI.

Franciscus Sfortia *Dux exercitus* Venetorum, *&*
Florentinorum *creatus est*.

Eodem anno de mense Octob. *Camertes* cum
C amplius Tyrannidem *Gentilis*, & filiorum 94
Berardi ferre non possent, adversus eos conjura-
runt, & omnes interemerunt præter unum filium
Gentilis, qui fuga sibi consuluit, ex qua *Cerretum*
se recepit, hocque pacto *Camertes* ipsi libertatem
recuperarunt, & petierunt à Comite *Francisco*
auxilium, & tam à summo Pontifice, quam à
Cardinalium Collegio *Franciscus* Ecclesiæ Pri-
mipilus, vel ut vulgo, *Confalonerius* est confir-
matus, & *Piceni* Marchio, Duxque *Venetorum*
exercitus, & *Florentinorum* est creatus: post quæ
Eugenius Comiti imposuit, ut adversus *Nicolaum
Fortebraccium*, qui multa in Ducatu, & *Tuscia*
D oppida occupaverat, exercitum duceret, quid
autem gesserit in tertio *Sfortiadis* libro ad un-
guem videri potest.

CAP. LXVII.

Camertes *obsessi à* Nicolao Stella *liberantur ab*
Alexandro Sfortia, *&* Nicolaus *ipse in-
terimitur*.

Post receptam libertatem *Camertes* nullo mili-
tum præsidio nitentes, quod videbatur opus
non esse, à *Nicolao Stella Fortebraccio*, anno Do-
mini 1435. fuerunt obsessi. Id ubi intellexit Co-
E mes *Franciscus*, verens ne *Camerino* capto *Picenum*
Nicolaus infestaret, *Camertibus* amicis suis opem
ferre decrevit: quare *Tallianum Forlanum*, &
Mannam Barsilem belli duces expertissimos cum
suis copiis misit in *Camertum* subsidium, jussit-
que ut cum *Alexandro* Germano suo, qui *Piceno*
præerat exercitum conjungerent. Simul itaque
juncti descriptis nonnullis aliis *Firmanis* militibus,
& provinciæ auxiliaribus convocatis processerunt
adversus *Nicolaum*, qui oppidulum *Camerino* pa-
rum distans obsidebat tunc temporis, & antequam
hostium adventus intellexisset ab iis fuit invasus,
nec profuit loci natura, situsque munitissimus,
F tanta enim fuit *Sfortianorum* audacia, ut *Brac-
ciani* castra deserere, & fuga sibi consulere coa-
cti fuerint. Quod ubi vidit *Nicolaus* rebus despe-
ratis in fugam quoque se dedit, & cum cecidis-
set in præcipitem quendam locum una cum equo
nequierit sibi adesse, quod gravi armatura erat in-
dutus à quodam *Christophoro Foroliviensi* Cata-
phracto *Alexandri* milite fuit interfectus.

95 CAP. LXVIII.

Balthassar Osida *à* Francisco *victus & captus est.*

Cum secunda in rebus omnibus fortuna *Francisci* optatis responderet, cœpit illi à compluribus fœderis Principibus invideri, eaque de re tentarunt *Franciscum* interimere, negotiumque commiserunt cuidam *Balthassari Osidæ* Ecclesiæ Commissario, & *Petro Joanni Paulo* Duci, quod ubi sensit Comes arma cœpit adversus *Balthassarem*, & *Petrum*, & collatis signis superior discessit capto præsertim *Balthassare*, quem in *Gerionem* duxit captivum, ibique cum diu fuisset in vinculis casu tegulæ percussus occubuit.

CAP. LXIX.

Alexander Sfortia, *ut* Asculanis *opem ferret exercitum scripsit*, Aquavivam *deinde oppugnat*, *& rejicitur.*

Quinto Kal. Octob. ejusdem an. *Guerrerius Asculanus* Civis tunc temporis exul magna exulum stipatus cohorte *Asculum* ingressus, & per oppidum excursione facta multa intulit damna. Id cum accepisset *Alexander Sfortia*, qui *Firmi* commorabatur comparato exercitu militum 3. M. ex urbe & Comitatu, ut *Asculanis* opem ferret, ad Castrum *Guardiæ* se contulit, ubi cum fuisset auditum, expulsum à populo *Asculano Guerrerium* Principibus exercitus *Aloysius* de *Guicciardinis Florentinus*, tunc Prætor *Firmanus*, & alii *Firmani* Cives bene gerendæ rei occasionem occupantes *Aquavivam* à *Josia Aquaviva* occupatam petentes aggressi sunt; verum, quod valido *Josiæ* præsidio tenebatur re infecta discedere coacti fuerunt.

CAP. LXX.

Alexander Sfortia *forum S.* Martini *majus effecit*, Josiam Aquavivam Aquaviva *spoliavit*, *iterumque Dux fœderis est constitutus.*

Anno 1438. de mense Maji, *Alexander Sfortia Firmanæ* urbis nobilitati vehementer studens, cum videret forum sancti *Martini* multitudinis haud satis capax, curavit non apothecas solum, verum, & alias domos diruendas, ut majus efficeret. Eodemque tempore *Tolentinum* obsedit, & octo diebus obtinuit. Movit deinde Ca-
96 stra de mense Julii adversus *Josiam Aquavivam*, & quia *Aragonensium* partes fuerat secutus, ipsum que non solum urbibus, sed etiam omnibus oppidis expulit, ac demum *Aquaviva*, quam *Firmanis* tradidit, spoliavit. In sequenti autem anno Dux fœderis sanciti inter Pontificem *Eugenium*, *Venetos*, *Florentinos*, & *Januenses* est constitutus cum stipendio 220. M. nummorum aureorum, hac tamen conditione, ut haberet in castris equitum tria millia, & pedites mille.

CAP. LXXI.

Firmani *muros ac turres ædificant à porta S.* Juliani *ad* S. Marci, *& missis in* Illyriam, *&* Apuliam *Mercatoribus penuriæ consuluerunt.*

Eodem anno de mense Martii *Firmani* jecerunt fundamenta propugnaculorum à porta S. *Juliani* ad S. *Marci*, & perfecerunt nondum exacto Augusto. Hoc autem tempore maximum in urbe semper fuit præsidium. Accessit ad hujusmodi incommmoda penuria etiam maxima, vix enim fertilissimum *Firmanorum* solum semina reddidit. Coacti itaque fuere *Firmani* ingentem parare pecuniam, & mercatores ad coemendum frumentum (quod nunquam alias acciderat) in *Illyriam*, & *Apuliam* mittere, qui re bene gesta maximam frumenti copiam in urbem eduxerunt.

CAP. LXXII.

Comes Franciscus Sfortia *ubi in gratiam rediit* Philippi *Ducis* Mediolani Blancam *ejus filiam duxit uxorem.*

Cum quædam inter *Philippum* Ducem *Mediolanensem*, & *Franciscum Sfortiam* diu fuissent simultates, eas tandem anno 1441. deposuerunt, quo anno Dux *Francisco Blancam* filiam suam despondit, nuptiæque *Cremonæ* fuerunt celebratæ, quam urbem multis cum aliis oppidis loco dotis recepit *Franciscus* à Duce. Interea *Alexander* frater Comitis stipendiariorum, & ex urbe *Firmana*, & Comitatu evocatorum militum contracto exercitu, cum *Raynaldo Caudola*, & *Riccio* de *Monte Claro* conflixit in agro *Pennensi*, eosque profligato exercitu illorum captivos in *Gerionem Firmanum* deduxit.

CAP. LXXIII. 97

Templum extra Firmanam *urbem dicatum Divæ* Mariæ *Annunciationis poscente Fratre* Jacobo *de Monte* Brandono *fuit ædificatum.*

Anno Domini 1442. Verbum Dei prædicavit in *Firmana* urbe frater *Jacobus* de *Monte Brandono*, aderatque continue illius concionibus maxima hominum multitudo, & cum quadragesimam totam prædicasset denique per nonnullos alios dies in foro sancti *Martini* assistentibus continue hominum, & mulierum quatuor millibus concionatus est, tantaque fuit vitæ probitas, ac sanctitas, quæ elucebat in illo, ut eo petente *Firmani* à Canonicis impetrarint, assentiente etiam Pontifice Maximo, templum Divi *Martini* in *Varano* extra mœnia, & ibi Divæ *Mariæ* Annunciationi dicatum pro Patribus ordinis minorum observantiæ ædificarint cum cœnobio, ubi sanctissimam vitam quamplurimi egerunt.

CAP. LXXIV.

Raynaldus *mandato Comitis liberatus*, *& Populus sanctæ Victoriæ in agrum* Servilianeum *excurrit.* Alexander*que* Sfortia *in Monte* Robiano *castra habens multis oppidanos*, *& reliquos* Piceni *populos incommodis affecit.*

Eodem anno *Raynaldus* captus in prælio ab *Alexandro* mandato Comitis *Francisci* fuit liberatus, ea tamen conditione, ut solveret aureorum nummorum 8. M. promisitque pro ipso *Aquilana* Respublica, post quæ *Antonius Claudoa* cum venisset in suspicionem *Alfonso* Regi post captivitatem *Raynaldi* à Comite fuit conductus, hoc que anno 8. Idus Majas populus *S. Victoriæ* de confinibus cum *Servilianeis* dimicans excurrit in agrum *Servilianeum*, & multos boves, & oves illinc abduxit, quatuorque viros leviter vulneravit: habuit eodem anno *Alexander Sfortia* castra ad *Montem Rubianum* per menses quatuor, utque aleret exercitum multis gravissimis oneribus non oppidanos solum, verum & *Firmanam* urbem cum Comitatu, reliquasque agri *Piceni* urbes affecit. Imo & vim adhibuit: nam plurimis in oppidis domos, & syros, & horrea invitis dominis evacuavit.

CAP. LXXV.

Pontifex Eugenius, Alfonsus Aragonensis, *&* Philippus Mediolanensis *Dux fœdus percusserunt.* 98

Eodem anno *Eugenius* summus Pontifex, Rex *Alphonsus*, & *Philippus* Dux *Mediolanensis* fœdus percusserunt, bellumque constituerunt gerere adversus *Renatum Neapolitanum* Regem, & *Franciscum Sfortiam*, variæque eos movebant causæ. Pontifex enim ad unum quærebat, ut Marchiam, & cætera Ecclesiæ oppida sibi, & aliis erepta

erepta recuperaret. *Alfonsus* ægre ferebat *Neapolim* sub *Renati* ditione manere, volebat propterea quoquomodo posset *Renatum* ejicere, & eam sui juris facere. *Philippus* eo animo erat in Generum *Franciscum*, ut cuperet ei omnino molestus esse, impellebatque ipsum, quod nunquam à *Florentinorum*, & *Venetorum* stipendio avertere poterat. Rebus itaque sic se habentibus exercitus Ducem elegerunt *Nicolaum Piccininum* rei militaris virum peritissimum, cui equitum 8. M. peditum 4. M. dederunt: quibus copiis instructus *Nicolaus* in Ducatum, & in *Umbriam* profectus est, ubi conjunxit se *Aloysio* Patriarchæ, & Cardinali Legato, qui secum equitum 4. M. habebat, Junctisque exercitibus *Piccininus* cœpit dolo *Tudertum* urbem, quam Comes *Franciscus* sub ditione tenebat. Instituit deinde ducere exercitum in *Picenum* agrum, & primo *Camerinum* expugnavit, deinde in agrum sancti *Genesii* excurrit, paucisque interjectis diebus *Belfortem* obsidione cinxit, oppidum natura munitissimum, verum cum frumenti, & aquæ maxima oppidani penuria laborarent, coacti sunt facere deditionem. Continebat se hoc tempore Comes in oppidis munitioribus, quod copias nondum comparaverat, quibus hosti obsistere posset, nihilominus incursiones quodammodo impediebat.

CAP. LXXVI.

Quo tempore Franciscus Firmum Blancam *uxorem duxerit.*

Decimo Kal. Quintilis ejusdem anni *Blanca* uxor *Francisci Sfortiæ*, & *Philippi* Ducis *Mediolanensis* filia *Firmum* se contulit, & ingressa est in urbem per portam sancti *Juliani* sub *Um-*
99 *bella* sericea cærulei coloris: eam exceperunt juvenes 24. candidis vestibus sericeis induti vecti equis eodem modo instructis, & una cum prioribus, & universis Civibus prosecuti sunt *Gerionem*.

CAP. LXXVII.

De incursionibus factis ab exercitu Piccinini *in aliquot oppida Comitatus* Firmani, *apparatu* Francisci; *direptione* Montis Fortini, *& pace inter ipsum*, *&* Piccininum.

Expugnato *Belforte* 8. Kal. Quintilis *Nicolaus* decurrit cum suis copiis in agrum *Pennæ Montis S. Martini*, & *Serviliani*: unde non solum plurimos abduxit captivos, verum etiam maximam ovium, bovum, & cæterorum animalium prædam abegit. Erat Comes eo tempore *Firmi*, quare de his omnibus certior factus, ex urbe continuo profectus valida militum manu stipatus, in agrum *Amandulæ* pervenit, & die insequenti *Mons Fortinus* fame, & siti laborans captus ac direptus est à *Piccinini* militibus, qui tertio Nonas Augusti excurrerunt in agrum *Asculanum*, & multa inde animalia abduxerunt. Hoc videns Comes *Firmum* regressus trium millium militum ex urbe, & Comitatu evocatorum, quorum delectum habuit in foro *S. Martini*, scripsit exercitum, hisque præcepit, ut quocunque *Firmanum* vexillum iret, sequerentur. Postridie itaque Copiæ *Firmo* profectæ in agro *Belmontis* castrametatæ sunt; sequenti autem Comes conjunxit eas cum stipendiario exercitu in agro *Amandulæ*, ibique sumptis militibus levis armaturæ perrexit in *Montes Sarnani*, ibique castris bene munitis, non solum excursionibus, & levibus certaminibus hostes turbabat, sed & commeatus omnino impediebat: belli itaque cognita ratione *Alphonsus*, & omnes Ecclesiæ urbes inducias cum *Francisco* pepigerunt, unde maxima omnibus lætitia provenit. Post pactas inducias tantum vix triduum
A intercessit, & pax sancita fuit inter Comitem, & *Piccininum* in agro *Amandulæ*, ingens itaque in Castris utriusque lætitia. Conditiones hæ fuerunt. Quod *Nicolaus* à *Piceno* cum suis copiis discederet, & in posterum bellum adversus Comitem non gereret: postridie igitur *Nicolaus Sarnanum* rediit, & Comes *Firmum* 17. Kalend. Septemb. regressus est.

CAP. LXXVIII.

Quo tempore, & à quibus Tolentinum *fuerit occu-* 100
patum, & quomodo Ripa *defecerit à Comite. Unde ab eo obsessa fuit.*

B Tertiodecimo Kal. Septemb. ejusdem anni cum essent omnia lætitiæ plena ex sancita pace, hincque in Aula *Gerionis* tripudia, & choreas duceret *Blanca* Comitis uxor cum plurimis *Firmanis* Fœminis nobilissimis, assisteretque & *Franciscus*, redditæ fuerunt litteræ, ex quibus cognovit *Tolentinates* defecisse, & *Christophorum* oppidum occupasse, ac *Aloysio* Patriarchæ & Cardinali tradidisse. Quapropter statuit cum exercitu eo pergere adhuc subdubitans, an oppidum esset occupatum, ubi vero accepit rem sic se habere, constitit, & petente *Bernardo Mediceo Florentino* Commissario pax iterum fuit confirmata: nec contenC ta fortuna eum excitasse motum, egit, ut Quintodecimo Kal. Octob. nunciatum fuerit *Ripanos* etiam à Comite & Civitate defecisse. Quamobrem cum octo millibus equitum, & peditum tribus millibus solvit Comes ex agro *Firmano* ad *Ripam* obsidendam, post triduum exiit à Comite edictum, ut milites omnes tam ex urbe quam Comitatu armati sequerentur vexillum urbis, hinc insequenti die duo Priores cum Urbanis militibus, & vexillo iverunt in agrum *Montis Florum*, & ibi ad sanctam *Mariam* de fide castra posuerunt, ut expectarent milites ex Comitatu: post quorum adventum paratis tormentis muralibus, balistis, & arietibus *Ripam* se contulerunt, nec moveat D aliquem, quod eo fuerint delata muralia tormenta, siquidem & tunc temporis reperiebantur innumera, testantur hoc litteræ Comitis ad Prætorem, & Priores *Massignani* sic ad verbum exaratæ. *Egregii Diletti Nostri. Per sapere ei fanno dibisogno delle asse, overo tavole assai per far li ripari delle bombarde volemo piantar qui contro la Ripa, piacciavi & comandovi, che subito veduta la presente ci vogliate mandare venticinque tavole, le più lunghe, & le più larghe, che possete trovar illì, & subito le mandate qui à santa Maria Madalena, dove sta Pietro Brunoro, al quale ordinate siano consignate, & non mancate per quanto havete cara la* E *gratia nostra.* Dat. in felicibus castris nostris con- 101
tra *Ripam Transonem* die 22. Septembris 1442.

Franciscus Sfortia Vicecomes.

Postquam autem milites *Urbani*, & ex Comitatu *Ripam* attigerunt castrametati sunt prope mœnia, cumque oppidum expugnare essent aggressi, fuerunt mandato Comitis ab incœpto desistere coacti: promiserant enim *Ripani* 40. obsides Comiti dare. Interim à *Ripanis* milites vigintiquinque fuerunt interfecti, quare iratus exercitus oppidum per duodecim horas oppugnavit, nec eo potuit potiri. In sequenti autem die eo F denique potitus est, & solo æquatis mœnibus Januisque disjectis oppidum fuit direptum, & tam fœminæ quam viri facti captivi *Firmo Petritulum* deinde in urbem ducti sunt, ne quid mali à stipendiariis militibus acciperent, multaque ex eo oppido in urbem fuerunt translata.

Cap. LXXIX.

Sarnanum, & Mons Fortinus *in ditionem* Francisci *redierunt.* Gualdum Nuceriæ *deficit*, & *Præsidium* Ripæ *positum est.*

Kalen. Octob. ejusdem anni *Sarnanum*, & *Mons Fortinus* sponte in ditionem Comitis redierunt. Verum Incolæ *Montis Fortini* arcem ibi à *Firmanis* conditam diruerunt; eodemque fere die *Gualdum Nuceriæ* à Comite defecit. Tertio autem Nonas Octobris eduxit milites stipendiarios *Franciscus Ripa*, & militum quatuor millia ex urbe, & Comitatu ibi collocavit.

Cap. LXXX.

Ecclesiæ Duces, qui erant Tolentini, *tentaverunt* Montem Ulmum *inauspicato*, & *deinde* Assisium.

Eodem anno de mense Novemb. Ecclesiastici Duces, qui *Tolentino* præsidebant *Montem Ulmum* proditione capere tentaverunt: quod cum cognovisset *Petrus Brunorus*, & *Troylus Francisci* Duces milites suos in insidiis posuerunt, & inde ecclesiasticos adorti equites centum, & ducentos pedites ceperunt: simili modo *Nicolaus Piccininus*
102 *Assisium* tentavit, & obtinuit, recepti enim in urbe fuerunt illius milites per cloacam à quodam fratre Divi *Francisci*, unde *Alexander* qui eo oppido præsidebat, aufugit in arcem, & exinde se *Firmum* recepit.

Cap. LXXXI.

Ripani *fractis carceribus aufugerunt*, & *Milites qui* Tolentini *erant excurrerunt in Comitatum* Firmanum. *Unde* Firmana *urbs vallo*, & *mœnibus est firmata.*

Cum servarentur in carceribus *Ripani*, qui captivi *Firmum* fuerunt ducti, iis fractis anno 1443. 16. Kal. Februarii noctu aufugerunt 14. autem Kal. ejusdem mensis milites, qui erant pro Ecclesia *Tolentini* excurrerunt in Comitatum *Firmanum*, & prope portas *Petrioli* ceperunt homines decem, quos captivos duxerunt: sequenti die fuit in urbe edictum, ut quicunque prædia suburbana haberent octo dierum spacio arbores, ac vineas excinderent metu præsentis belli, cujus causa *Firmana* urbs, & vallo circundata, & novis mœnibus munita fuit: hocque tempore *Eugenius* Papa *Florentia Senas* profectus est, & Milites Comitis *Francisci* arcem *S. Fabiani Josiæ Aquavivæ* tradiderunt.

Cap. LXXXII.

Duces Comitis in agrum Nursinum *excurrerunt.*

Eodem anno Tertio Kalen. Quinctilis *Petrus Brunorus*, & *Sentinus* de *Ruia*, qui sub *Francisco Sfortia* merebant Duces cum equitibus quingentis, & mille, ac quingentis peditibus excurrerunt in agrum *Nursinum*, & inde quingentos homines captivos adduxerunt, & animalia quinque millia abigerunt, & omnis generis supellectilem abstulerunt. Eodem fere tempore, utpote pridie nonas Quintilis *Andreuccius Mediolanensis Blancæ* patruus *Firmum* se contulit, & uno tantum die commoratus adiit *Franciscum*, ad quem *Isottam* filiam, quam *Joanni Tolentinati* uxorem dederat perduxit.

Cap. LXXXIII.

103 Eugenius *sibi* Alfonsum *reconciliat constituto eo legitimo Rege* Neapolis, & Franciscus Sfortia *omnia oppida expugnat sibi superiore æstate ablata.*

Videns *Eugenius* summus Pontifex nullo pacto posse suis viribus *Picenum*, quod jam totum erat sub *Francisci* ditione, se recuperare, duxit

A ad rem suam vehementer facere post *Renati* discessum *Alphonsum Aragoniæ* Regem sibi reconciliare, suadente præsertim *Ludovico* Patriarcha, & Cardinali, cui rerum ipse summam commiserat: erat hoc tempore *Alphonsus Terracinæ*, ad eum itaque *Eugenius Ludovicum* destinavit, qui brevi res omnes composuit his conditionibus, ut *Alphonsus* esset legitimus Rex *Neapolis*, & sic successores, & filius *Ferdinandus* naturalis tantum posset in Regno succedere. *Alphonsus* vero submisit se ac successores Ecclesiæ, & Pontifici *Romano*, ac successoribus, seque omnem opem allaturum in *Piceni* recuperationem promisit. Postquam B sancitum fuit hoc fœdus, Rex *Piccininum Terracinam* accivit, qui conscensis Triremibus ad ipsum pervenit; à quo perhonorifice receptus est, & in omni sermone commendatus vehementer. Triduo itaque Rex Cardinalis, & *Piccininus* statuerunt quomodo esset bellum gerendum, & exercitus comparandus. His constitutis *Piccininus* se ad exercitum, quem non procul *Tuscanella* habebat, retulit, ibi etenim castra fecerat *Ciarpelloni* impetum reprimendi gratia: reddebat namque regionem totam excursionibus *Romam* usque infestissimam, & sæpissime hostes agebat in fugam. *Piccininus* ut vidit nihil proficere, rediit in Duca- C tum Regem deserere decrevit. Interim Comes *Franciscus* cum adolevissent segetes, jamque essent maturæ *Firmo*, & reliquis ex oppidis milites eduxit, & Idibus Junii oppidum *Raymundum*, & *S. Anatoliam* in Comitatu *Camerini* obsidione cinxit, quod inde hostes erant soliti in suos irrumpere, cumque se oppidani. strenue defenderent admovit tormenta bellica innumera, & disjectis mœnibus die Dominico potitus est, multique *Bracciani* milites, qui oppida defenderant à *Petro Bruno-* 104 *ro*, & *Gismundo Malatesta* occisi sunt, quod *Sfortianos* milites in colloquiis ex mœnibus injuria, & probris affecerunt: obsedit deinde *Franciscus To-* D *lentinum*, & 12. Kal. Augusti *Tolentinates* obsides septem *Francisco* dederunt, & hinc omnia oppida, quæ superiori æstate amiserat, recuperavit.

Cap. LXXXIV.

Bononia *à Tyrannide liberatur*, *Rex* Neapolim *petit*, & Nicolaus Piccininus *Vissam obsidet*, & *capit.*

Eodem tempore, quo *Franciscus* recipiendis amissis oppidis operam dabat, *Hannibal Bentivolus Bononiam* Patriam suam *Braccianorum* Tyrannide oppressam in libertatem vendicavit. Rex autem *Alphonsus Neapolim* se contulit, & scripto E ingenti exercitu in *Picenum* suis auspiciis bellum gerere decrevit, sperabat enim *Troylum*, & *Petrum Brunonum*, *Francisci* Duces sub se militaturos. Profectus itaque fuit ex *Campania* æstate jam præcipiti, & prope *Aquilam* cupidus illius urbis videndæ castra fecit, postridie tamen discessit, omnique suspicione urbem liberavit. Interea *Piccininus Vissam*, quæ sola in Ducatu fidem *Francisco* servabat, obsedit, & Legatos ad Regem misit, qui eum hortarentur ad iter maturandum, sperabat etenim junctis copiis oppido potiri, antequam hostes opem ferre possent. Nam si Comes movisset exercitum auxilium *Vissanis* laturus *Nicolao* obsidio- F nem solvere necesse fuisset. Hoc ubi accepit Rex *Joannem Lyrium* cum pedestrium copiarum majori parte ad *Nicolaum* misit. Ipse iter *Nursiam* versus cepit, ut se *Nicolao* conjungeret. Intellexit interea Comes, qui apud sanctum *Severinum* castra habebat, quo in discrimine *Vissani* versarentur, & propterea *Gismundum Malatestam*, & *Petrum Brunorum*, cum equestrium, & pedestrium copiarum parte præmisit ad opem *Vissanis* ferendam; quorum adventum audiens *Piccininus* recessit

receſſit ab obſidione, & *Nurſiam* Regi obviam proceſſit, hocque *Alfonſo* gratiſſimum fuit, junctiſque copiis *Viſſam* petierunt, quare *Viſſani* Regis metu ſe dediderunt.

105 C a p. LXXXV.

Comes in oppidorum præſidium exercitum diſtribuit, ipſeque Fanum *ſe recepit.*

Cum itaque prope ita eſſent hoſtes, ut omnia armis gerenda forent, neſciebat explicare Comes, quo pacto provinciam tueri, & exercitum continere poſſet, nec copiæ ſibi à *Venetis*, & *Florentinis* promiſſæ mittebantur, nec commode venire quiviſſent, præſentibus fere hoſtibus. Novitaſque *Bononiæ* effecerat, quod rebus ſuis ex tempore non conſuluerat. Cumque haberet tantum in Caſtris militum octo millia, contra Eccleſiaſticum exercitum, in quo erant militum vigintiquattuor millia prodire non audebat, neque ex provincia diſcedere opportunum conſiderabat: hoc unum vehementer curabat ne in apertis campis congredi cogeretur. Conſtituit denique diſtribuere exercitum in oppidorum præſidia, quæ natura, & arce munita eſſent, antequam inimici *Apenninum* tranſirent, & in *Picenum* deſcenderent, ſeque cum parte copiarum *Fanum* conferre. Eſt hæc enim Civitas poſita in provinciæ finibus, in littore maris, ſatiſque munita mœnibus ac duplici foſſa. Impellebatur autem in hanc ſententiam quod videbat æſtatem jam præcipitem, ſciebatque Regi neceſſe eſſe *Neapolim* redire, & præterea exercitum inimicum tormentis muralibus carere, quibus oppida expugnari poſſent, quæ ſatis munita erant, nec capi facile poterant niſi mœnibus dejectis: & præterea ſe, quicquid in æſtate foret ablatum, hyeme recepturum ſperabat. Curavit itaque imprimis *Firmum* totius Provinciæ caput validiſſimo præſidio muniri, miſitque eo cum peditum, & equitum tribus millibus *Alexandrum* fratrem, qui urbe mænibus, foſſa, & vallo circundata tentorium fixit in foro S. *Martini*, multoſque optimates proditionis ſuſpectos in carceribus *Firmani Gerionis*, *Aſculanæ* arcis, *Fanenſis*, & *Oſidanæ* ſtatuendos mandavit. Miſit deinde *Joannem Sfortiam* cum pluribus militibus *Aſculum*, *Raynaldum* ex matre Fratrem *Civitellam*, *Petrum Brunorum* cum octingentis peditibus, & ducentis equitibus *Fabrianum*, *Floravantem Peruſinum* cum tribus equitum turmis *Cingulum*, *Joannem Tolentinatem* generum ſuum *Au-*
106 *ximum* cum equitibus quingentis, *Troylum Æſium*, cui ſororem ſuam deſponderat, *Rubertum Sanſeverinum* nepotem ſuum ad arcem *Contradam*. Ipſe autem his ita conſtitutis *Fanum* verſus iter cepit: in itinere autem accepit à *Philippo Mediolanenſi* Duce, ſoceroque ſuo literas, quibus monebat ne *Troylo*, & *Petro Brunoro* fideret, cum ab ipſo deficere ad Regem ſtatuiſſent: non adhibuit tamen fidem *Franciſcus*, quod ſciebat ſe continue à *Philippo* fuiſſe odio habitum, iterque ſecutus *Fanum* pervenit, & quoniam ibi hoſtes erat expectaturus, omnia copioſe hominibus, & brutis neceſſaria in urbem deferenda curavit, noviſque vallis, & foſſis, ut eam inexpugnabilem redderet, munivit.

C a p. LXXXVI.

Rex Viſſa *expugnata in* Picenum *venit ubi multiplices, & oppida pleraque ad ipſum à Comite defecerunt, deinde obſedit* Firmum.

Poſtquam Rex *Viſſam* expugnavit per agrum *Camertem* tranſivit *Appenninum*, & quatriduo venit in *Montem Milonum*, & *Monticulum*, & caſtra fecit ad *Potentiam* Fluvium, indeque incurſionibus magnum provinciæ terrorem intulit, qua-

A re ea oppida, ſcilicet *Mons Milo*, & *Monticulus* ſe Regi tradiderunt, quorum exemplum ſecuti ſunt *Matelicates*, *Septempedani*, *Tolentinates*, & *Maceratenſes*. Eodem tempore *Petrus Brunorus Ignicogivare Fabriano* præſidium eduxit, & ad Regem ſe contulit, poſt cujus diſceſſum Regi *Fabrianum* ſe dedit, nec diu ſtetit, quod Rex à *Troylo* accerſitus *Æſium* profectus eſt, tradita ei fideliſſima Comiti urbs à *Troylo* fuit, quod facinus *Troylo* ſummam ignominiæ notam incuſſit. Hæc tamen duorum Ducum inopinata defectio animi multum *Franciſci* amicis ademit, magnamque hoſtibus ſpem attulit. Videre enim cœpere
B omnes ad defectionem tendere, & ſi qui erant, qui fideles Comiti eſſe cupiebant, hi tamen adverſa fortuna moti ex ſententia diſceſſerunt. Quamobrem *Cingulani* ſpoliatis bonis omnibus *Franciſci* militibus Regi ſe dediderunt. Idem egere *Auximates*, *Recanatenſes*, & omnes qui ſunt inter *Potentiam*, & *Cluentum* populi. Defecerunt etiam à Comite *Fiaſcus Garaſius*, & *Guglielmus Bavarus*, quibus à teneris annis Comes familiariſſi- 107
me erat uſus, dederuntque Regi *Staffilum*, & *Maſſuccium* oppida ſibi credita, hiſque Rex ſtipendia auxit. *Giſmundus Malateſta* Comitis gener novarum rerum maxime cupidus accepto Re-
C gis adventu clam miſit ad ſanciendum cum eo fœdus, ſeque in omnibus obtemperaturum promiſit, ac ſocerum proditurum. Idque eum impellebat ſummopere, quod avaritia eximia laborabat, & ſuſpicabatur ne omnes belli impetus in ſe converterentur: hoc tamen ipſum exterruit, quod Comes portarum *Fani* præſidium auxit, & potentius reddidit non ſolum militibus ipſius *Giſmundi*, verum & toto *Fanenſi* populo: movebat inſuper, quod auxilia promiſſa Comiti à *Florentinis*, *Venetis*, & *Romandiola* tota jam aderant: eratque animo mirum in modum ſuſpenſo, quoniam Comes ipſi pecuniæ à *Florentinis*, & *Venetis* miſſæ
D majorem partem erogabat, ſciebat enim quam eſſet auri cupidus. Rex interim capto *Æſio* caſtra movit, & totum Comitatum *Fanenſem* ſui juris fecit, ac deinde *Dominico Malateſtæ* conceſſit. Comes autem ſe intra urbem continebat, & quotidie aliquod leve certamen inibat. Venerunt interea *Ciarpellonus* Comes, Comes *Dulcis Anguillariæ*, & *Venetorum*, & *Florentinorum* auxilia *Ariminum*, redieruntque *Fiaſcus Garaſius* & *Guglielmus Bavarus* in gratiam Comitis his de cauſis. Rex diſceſſit ex ſententia *Fani* obſidendi, quod inexpugnabile Comitis etiam præſentia faciebat: eodemque die exercitu diviſo diſceſſit
E *Piccininus*, *Foliam* tranſivit, & ad *Montem Laurum* caſtra fecit, ut prohiberet conjunctionem copiarum, quæ Comiti auxilio veniebant. Rex autem per *Æſinum*, & *Auximatem* agrum 4. Kal. Octob. *Firmum* pervenit, & donec exercitus caſtris faciendis erat intentus ad Orientalem portam, *Alexander Sfortia* magno cum impetu irrupit in eum, & non ſolum cepit complures milites, verum & maximum reliquo exercitui terrorem intulit. Sumptis tamen armis, qui caſtra faciebant, coegerunt *Sfortianos* fugere, magnaque & atrox fuit pugna in porta S. *Franciſci*, cum *Aragonenſes* omnes vires intenderent, ut ingrederen-
F tur, *Sfortiani* ut repellerent: clauſa itaque janua 108
deſperavit Rex *Firmum* capere poſſe, & præſertim, quod exiſtimabat multos in urbe tumultuaturos, ubi ſua vidiſſent inſignia: quare ſolvit obſidionem illico, & caſtra poſuit ad S. *Mariam* ad mare trans *Letham* flumen in agro *Turris Palmarum*. Interea copiæ *Petri Brunori* incurrerunt in agrum *Petritulanum*, & multos captivos abduxerunt, multaque omnis generis animalia abigerunt, quod ubi acceperunt *Petritulani* ſtatim ſumptis

sumptis armis prodierunt adversus hos milites, & receptis vi captivis, atque brutis, ex iis quindecim interfecerunt, cumque jam fessi *Trochiarium* se recepissent corpus curaturi, forte 300. milites, qui e castris discesserant commeatus causa in *Petritulanos* inciderunt, quos ubi noverunt milites *Brunori* interfecisse, statim aggressi fugaverunt, ceperuntque octuaginta ex iis, & *Trochiarium* diripuerunt. Unde alii milites *Petri Brunori* diripuerunt *Morignanum*, & *Alexander Sfortia Montem Granarium* expugnavit, obsidesque accepit, verum & post paucos dies iterum defecit. Movit deinde Rex castra ex agro *Palmensi*, & lentis itineribus pervenit *Maranum*; ubi in transfugas acriter animadvertit, ejusque rei causa fuit, quod cum audivisset *Franciscus* eos Regi suspectos, cum putaret Rex in sua castra *Petrum Brunorum*, & *Troylum* transfugisse sui occidendi studio, miserat ad *Alexandrum* literas quibus incluserat alias ad *Petrum Brunorum*, & *Troylum* ejus argumenti, videlicet. Scitis quæ mihi recepistis, jam rem peragite, nec amplius cunctemini, misitque has dedita opera in castra Regia: unde statim interceptæ, & ad Regem delatæ fuerunt, qui literis lectis, eos capi, & eorum bona publicari jussit, & deinde captivos *Neapolim* duci, inde in *Hispaniam* misit, & in Arce *Satabre* Comitatus *Valentiæ* decem annos in carcere vitam egerunt. Iter post hæc habuit Rex *Asculum* versus, & triduo consumpto obsedit denique urbem, putans fore, ut Cives arma caperent adversus *Sfortianos*, sed ubi vidit rem se non sic habere, *Truentum* transivit, & per sua oppida exercitum in hyberna dimisit.

Cap. LXXXVII.

109 *Rex* Neapolim *se recepit*, & Piccinini *exercitus à* Francisco *fuit profligatus*.

Postquam omnia, quæ inter *Asculum*, & *Firmum* sunt oppida Ecclesiæ Rex obedientiæ reddidit, discessit ex *Piceno Neapolim*, & proposuit oppidis suis *Antonium* Comitem, *Paulum* de *Sanguine*, & *Jacobum* de *Monte Agatha*. Interea *Bracciani* milites totum Comitatum *Fanensem* incursionibus reddebant infestum. Quare cum quattuor millia equitum auxiliarium à *Venetis*, & *Florentinis* in agrum *Ariminensem* pervenissent, *Piccinino* occurrendum putavit, & ubi intellexit Regem discessisse ad *Alexandrum* Germanum exaravit, ut relicto præsidio *Firmi* Comiti *Carpensi*, & *Christophoro Cremonensi*, ipse quas posset copias colligeret, scriptis itaque duobus millibus *Firmanorum*, & tribus millibus stipendiariorum pridie Nonas Novembris *Firmo* discessit, & *Anconæ* conscensis triremibus ad Comitem accessit. Audito *Alexandri* discessu *Paulus* de *Sanguine*, qui manebat in *Monte* sanctæ *Mariæ* in *Georgio* expugnavit turrim sancti *Patritii*, & *Monteranum*; Comes autem jam valido exercitu collecto processit adversus *Piccininum*, & collatis signis inter *Montem Laurum*, & *Montem Abbatem* eum profligavit.

Cap. LXXXVIII.

Quædam oppida in potestatem Comitis redierunt, quædam direpta ab eodem, & oppressa sunt.

Postquam in omnibus sibi tam feliciter Comes animadvertit, decrevit *Piccininum* prosequi, & *Piccininum* omnino recipere, idque antequam hostis vires reciperet, resque ex sententia cessisset, nisi, *Gismundo* ut satisfaceret, tempus in *Pisauriensi* Comitatu expugnando, quem *Gismundo* concessit, contrivisset: interea enim *Nicolaus* in *Picenum* se contulit, & collectis viribus oppida, & castra munivit. Comes autem *Fano* profectus Kal. Decemb. cepit iter *Firmum* versus, putans

A omnia oppida ad suorum insignium prospectum in suam ditionem reditura: ubi vero ad Potentiam pervenit castra fecit, & cum multa exercitui necessaria deessent, *Montem Fanum* militibus diripiendum tradidit, cujus causa Comitatus *Æsii*, 110 & Vicariatus, castrumque *Ficcardum*, quod firmo præsidio munivit, ut in *Recanatensem*, & *Auximatem* comitatum incursaret, redierunt in Comitis ditionem. Pridie tamen Nonas ejusdem mensis Milites *Piccinini*, qui erant in *Monte S. Mariæ* in *Georgio Montem Viridem* combusserunt: at *Franciscus* motis ex *Potentia* castris maritimo itinere pervenit ad *S. Mariam* ad mare, quod tem- B plum est in agro *Firmano*, ibique biduum moratus profectus est in agrum *S. Mariæ* in *Georgio*, quem diripuit, ac pænitus combussit: deinde oppidum quibusdam conditionibus obtinuit, post cujus deditionem sancta *Victoria*, *Mons Elparus*, & totus *Firmanus* Comitatus in Comitis ditionem venerunt, quamobrem cœpit exercitus rebus omnibus abundare.

Cap. LXXXIX.

Mons S. Petrus *de* Angelis *à Comite obsidetur*.

Cum esset Comes exercitum in hyberna missurus postulantibus *Firmanis Montem S. Petrum* C obsedit: hoc enim oppidum nondum redierat in ipsius Comitis ditionem. Præsidebant autem oppido *Jacobus Gavianus* cum multis equitibus, & peditibus. Quare *Franciscus* obsedit, & cunctis bellicis tormentis oppugnare cœpit. hocque videns *Piccininus* milites in finitimis oppidis disposuit, ut obsessis (si oporteret) opem ferrent: dejecerat interea Comes pluribus locis mœnia, verum parum proficiebat, cum essent satis firma; tentavit itaque hostem in apertos campos deducere; namque hyems erat, & exercitus multis sub tentoriis incommodis afficiebatur. eduxit propterea exercitum in aciem, eoque bipartito mandavit D parti, ut in oppidum per diruta mœnia conaretur irrumpere, parti, ut à pugna desisteret, ac attenderet, ne hostes irruptionem facerent. Quod ubi viderunt obsessi statim fumo significarunt sibi auxilio opus esse, necnon interim *Sfortianorum* impetum lapidibus, trabibus, & ferventibus aquis retardabant. Viso fumo *Nicolaus Piccininus*, qui manebat in *Monte Granario*, accurrit, & præmisit levis armaturæ equites, qui hostes lacesserent, quare prospiciens *Franciscus* exercitum 111 suum tumultuare, destitit ab oppugnatione, & copias instruxit, si forte voluisset *Piccininus* in prælium descendere, qui tamen præteriti non imme- E mor constitit in montibus. Idcirco Comes cœpit oppidum iterum oppugnare, verum expugnare nequivit, quod *Gavianus*, quæ in die dejiciebantur, mœnia noctu reficiebat. Solvit itaque obsidionem, & *Gismundum* cum militibus in Comitatum *Fanensem*, *Thadæum* cum *Venetis* militibus *Ravennam*, *Simonectum* in *Tusciam* misit. Ipse milites suos in Comitatu & finitimis oppidis in hybernis locavit.

Cap. XC.

Blanca *in* Gerione Firmano *filiam peperit*.

F Hoc tempore manebat *Blanca* Comitis uxor *Corinaldi*, & jam ei pariendi hora adveniebat, reduxit itaque, habito à *Piccinino* commeatu, Comes ipsam *Firmum*, ubi in *Gerione* peperit filium, de cujus nomine consuluit Comes *Philippum* Ducem *Mediolani*, qui nepotem avi nomine *Galeatium* nuncupandum censuit. Susceperuntque puerum ex fonte baptismatis oratores *Florentini Angelus* de *Angiara*, & *Joannes Thomæ*, & alii *Firmani* Cives, pro cujus natalitiis ludi equestres fuerunt celebrati.

Cap.

Cap. XCI.

Comes pecuniæ defectu in extremas miserias deductus est.

Tertio anno hujus belli Comes *Franciscus* pecuniæ defectu in maximas deductus fuit calamitates: jam enim hostes cœperant exire de hybernis, ipseque cogebatur in oppido commorari. Jamque novi milites à Rege captis stipendiis ex *Umbria* & *Tuscia* in *Picenum* mittebantur. Quorum Duces maximis itineribus properabant, præterea auxiliares alios milites Pontifici Rex miserat Ducibus *Cæsare Martinengo*, & *Manne Barrile*. Interea in Agro *Firmano* omnia direptionibus patebant, & sæpissime in foribus urbis prælia committebantur. Cumque à dextris *Aragonenses*, à sinistris premerent Ecclesiastici, cogebatur Comes egredi cum populo *Firmano*.

112 Cap. XCII.

De multis incursionibus factis à militibus, tam Comitis, quam Piccinini.

Anno Domini 1444. quarto Kal. Martii milites *Dominici Malatestæ*, qui præsidebant S. *Elpidio* pro Ecclesia incurrerunt maritimo itinere in agrum *Firmanum*, & multos inde captivos duxerunt: post dies autem duodecim milites *Piccinini* adjuti proscriptorum manu tentaverunt capere arcem *Contradam*, sed nequiverunt. Eodemque die milites Comitis qui *Lapidonæ*, & *Altidone* morabantur excurrerunt in agrum *Montis Florum*, & nonnullos ex eo oppido interfecerunt, nonnullos captivos duxerunt. Duodecimo deinde Kal. Aprilis Milites *Piccinini*, qui *Monti S. Petro* præsidebant, & *Monti Granario* in planiciem *Gruptæ Azzolinæ* pervenerunt, & ibi ceperunt sexaginta viros de *Monte S. Mariæ* in *Georgio*, qui *Firmum* petebant, ut illinc frumentum exportarent. VI. Idus Aprilis *Alexander Sfortia*, qui habuerat hyberna in S. *Victoria* excurrit in agrum *Montis Fortini*, & oppidum cepit, & diripiendum militibus dedit, quoniam scierat ad Ecclesiam defecturum. Septimo autem Idus Majas *Marinus*, & *Bartholomæus Ripani* capti fuerunt in *Cluentio*, & litteræ Legati Ecclesiastici iis inventæ fuerunt, quibus monebantur populi ad deficiendum à Comite, quamobrem *Firmum* ducti in foro porcorum fuerunt suspensi Comitis mandato.

Cap. XCIII.

Ciarpellonus Montem Milonem *defendit*, & *hostem fugavit.*

Eodem anno sexto Idus Majas cum cognovisset ex exploratoribus *Ciarpellonus* Comitis Dux *Piccininum* ad *Montem Milonem* per insidias capiendum accessurum cum equitum turmis compluribus, ipse cum suo equitatu in insidiis delituit, & ubi vidit *Nicolaum Potentiam* transivisse magno impetu irruit in eum, & cum ex improviso, & præter opinionem accidisset, *Piccinini* milites impetum non sustinentes in fugam se dederunt. *Nicolaus* fuga salutem comparavit, ex reliquis multi occisi, & sexaginta equites capti una cum Ducibus quinque, quos omnes *Ciarpellonus* ad Comitem *Franciscum Firmum* misit: hosque retinuit Comes ea ratione, ut hostes non excurre-
113 rent, ut soliti erant, nec eum fefellit opinio, siquidem ea æstate hostes ab incursionibus destiterunt.

Cap. XCIV.

Comes mulctandos curavit, qui Montem S. Mariæ *in* Georgio *prodere hostibus quærebant.*

Quartodecimo Kal. Junias attigit Comitis aures, viros *S. Mariæ* in *Georgio* illud quærere, ut oppidum *Piccinino* proderent, qua-
A re illuc accessit, & cum plurimi ex proditoribus aufugissent, quinque tamen cepit, quos *Firmi* suspendendos, & in frusta secandos curavit, eorumque capita portis urbis affigenda.

Cap. XCV.

Alexander *multos* Furciæ *captivos duxit*, & Bastianus Canusinus *multos* Ripanos *cepit. Ipseque Comes sanctum* Petrum *tentavit.*

Cum *Alexander* id tantummodo quæreret, ut Ecclesiasticis obesset, incurrit 3. Kalen. Junias in agrum *Furciæ*, eoque vastato, cepit 90. homines, duxitque captivos in *S. Victoriam*. Lapsis-
B que vix diebus sex *Bastianus Canusinus*, cui *Cupra maritima* commissa erat cum incolis oppidi cepit quadraginta *Ripanos*, qui ad asportandum granum in *Samnium* concesserant, eisque viginti equos abstulit. Deinde tentavit *Alexandri* frater *Franciscus Sfortia Montem* sanctum *Petrum* expugnare, verum res male se habuit, omnes enim conatus frustra fuere. Eodemque fere tempore *Ripani* cum Ecclesiasticis segetes *Carnesalis* combusserunt.

Cap. XCVI.

Nicolaus *omnia utensilia* Ciarpelloni *abstulit, quæ*
C *erant* Apignani, *ipseque* Firmum *redire coactus est.*

Erat hoc tempore *Ciarpellonus* in Montanis oppidis Comitatus *Firmani*, inde itaque solvit, & assentiente Comite *Francisco* ivit ad oppugnandum *Recinetum*, *Auximum*, & alia loca finitima, quare Cardinalis *Capranica* Ecclesiæ Legatus accivit *Nicolaum Piccininum*, qui statim suppetias tulit, & desistere ab inceptis *Ciarpellonum* coegit, ac Castrum *Ficcardum* expugnare decrevit. Quod prævidens *Ciarpellonus*, eo pervenit quam celerrime. Ipse autem *Piccininus* castra fecit in agro divæ *Mariæ Lauretanæ*; unde commeatus prohibebat, & omnia hosti reddebat infesta. His 114
D rebus commotus *Ciarpellonus* ignem *Lauretanis* agris injecit, quamobrem cum viderent *Piccinini* milites castra igne occupari, non stratos equos conscendebant, & fugiebant: hic dolus summopere *Piccininum* turbavit, quare castra movit *Apignanum* versus, ubi sciebat hostem omnem suam supellectilem habere, eoque capto recepit omnia vexilla, quæ ante amiserat: hujusmodi affectus detrimento *Ciarpellonus* media nocte cum exercitu ex Castro *Ficcardo* discessit, & in agrum *Firmanum* prope *Tynnium* pervenit, indeque *Firmum* se recepit.

E Cap. XCVII.

Franciscus Sfortia *rebus pene desperatis* Firmo *cum exercitu discessit*, & *collatis cum hoste signis apud* Montem Ulmum, Franciscum Piccininum Nicolai *filium cum pluribus aliis Ducibus cepit. Indeque totum fere* Picenum *in ditionem suam reduxit.*

Flagrabat bello *Picenum* totum, decurreratque cum suis militibus *Alexander Sfortia* in agrum *S. Elpidii*, & ibi 14. viros captivos fecerat, multaque omnis generis animalia ceperat. Cum *Philippus Mediolani* Dux *Franciscum Landrianum* virum insignem ad *Nicolaum*, & *Franciscum Sfor-*
F *tiam* legatum misit, ut discordias inter eos componeret, & *Nicolao* mandaret, ut confestim *Mediolanum* rediret, resque ex voto successisset, nisi repugnasset induciis *Eugenius* Pontifex Maximus, cujus suasionibus triremes octo *Alphonsus* Rex misit in *Adriaticum* mare, occupaveruntque fauces *Firmani* portus, quare Naves omnes, quæ ad Comites cum viris, equis, & armis mittebantur erant direptæ. His de causis Comes invicto animo decrevit milites omnes ex præsidiis educere,

non enim *Picentinis* fidebat, & exercitum comparare: hocque celerrime facto cuilibet aureum nummum tradidit, utque unusquisque secum octo dierum commeatum portaret imperavit, paratus ultimam belli aleam experiri, discessitque *Firmo* cum tribus millibus equitum, totidemque peditum 16. Kal. Septembris & se *Ciarpelloni* copiis conjunxit. Interim *Franciscus Piccininus* Castro *Ficcardo* expugnato, fuerat enim à *Nicolao* patre
115 exercitui præpositus, *Firmum* pergere constituit; Commoratus tamen fuit in agro *Maceratensi* per aliquot dies, & deinde ad urbem *Salviam* accessit, quod statim ab exploratoribus ad Comitem delatum fuit, doluitque vehementer, quod hostis munito in loco castra habens non poterat elici ad pugnandum. Verum cum statuisset ad *Gismundum Malatestam* proficisci melior se obtulit fortuna, cognovit enim hostem ad *Montem Ulmum* Castra fecisse. Præcepit itaque militibus, ut corpora curarent, & deinde in optimam spem perduxit narrans, quod dies Veneris, qua erat hostem aggressurus semper *Sfortianis* fausta, felixque extiterat: ita monitis suis sequenti die agmine instructo procedere cœpit in hostes, qui consilii expertes suadente *Francisco Piccinino* putabant inducias ab armato hoste petendas. Repugnarunt tamen *Dominicus Malatesta*, *Robertus* de *Monte Albodio*, & *Jacobus Gavianus*, cunctique fere Duces præ cæteris Cardinalis Ecclesiæ Legatus, qui copiarum multitudine fretus signa conferenda sensit. Interea *Franciscus* Comes quadripartito agmine appropinquabat. Quare impigre Ecclesiastici arma ceperunt, & collatis signis diu certato vario Marte pugnarunt, denique *Sfortianorum* victoria fuit, captique plurimi ex hostibus Duces fuerunt, inter quos & *Franciscus Piccininus*, qui à quodam transfuga *Ciarpellono* proditus fuit, quem *Ciarpellonus* multis oneravit maledictis. Præterea & *Angelus Ronconus* Ecclesiæ Dux, majorque exercitus pars captiva ducta est: post quam victoriam sequenti die Comes expugnavit *Montem Ulmum*, & militibus dedit diripiendum, misitque captivos *Firmum* Duces omnes, & in *Gerione* statuendos mandavit. Dedidit se deinde ultro Comiti *Maceretum*, secuti sunt deinde *Septempedani*, & *Cingulani*, *Æsini* repugnarunt, qui tertio die expugnati, neque arcem tueri potuerunt: multa denique oppida idem egerunt, quod *Maceretum*, & *Cingulum*; ipse autem Comes *Firmum* se reduxit, ut quicquid inter *Asculum* & *Firmum* interjacebat, reciperet; quod ex voto accidit, nam *Mons Rubianus*, & *Mons Florum* ultro in ditionem Comitis redierunt, obsedit postea Comes *Cosignanum*, & statim potitus est, solveruntque incolæ Comi-
116 ti sexcentos aureos nummos, totidemque frumenti salmas: obsedit deinde *Osidam*, quam die quinto obtinuit. *Alexander* autem *Recineti* portum expugnavit, & quattuordecim milites, qui eum tuebantur, captivos duxit, redierunt inde in Comitis ditionem omnia *Piceni* agri oppida, præter *Recinetum*, *Auximum*, *Anconam* & *Fabrianum*, quæ Comiti tributum solvere coacta fuerunt.

CAP. XCVIII.

Comes Pacem ab Eugenio *Pontifice postulavit, &* Ciarpellonus *vitam laqueo finivit.*

Post tam insignem victoriam sciens Comes in eodem statu raro permanere fortunam, *Galeottum Neapolitanum* oratorem ad Pontificem Maximum ad pacem petendam destinavit; qui certiorem Comitem fecit extemplo de inita pace suasionibus *Venetorum*, *Florentinorum* & Ducis *Philippi*, eaque de re maxima affectus fuit lætitia. Eodem tempore *Alexander* uxorem cepit
A *Constantiam* filiam *Pergentilis Camertis*, & Kalen. Decembris *Ciarpellonus* proditionis insimulatus jubente Comite in *Firmana* urbe fuit suspensus: indignum quidem, tantum virum tam indigna morte mulctatum.

CAP. XCIX.

Franciscus *visa* Gismundi *à se alienatione omnia bello congrua apparavit, adversusque eum movit.*

Post mortem *Ciarpelloni* emit *Franciscus Pisaurum*, & Comitatum ejus aureis nummis 20. M. concessitque *Alexandro* Germano suo, & eo-
B dem tempore videlicet 1445. *Federicus Urbini* Comes à *Galeactio Malatesta*, ut *Franciscus*, emit *Forum Sempronii*, quas urbes cum desideraret *Gismundus*, alienavit se à Comite, & cum ipse *Gismundus* esset conductus ab *Eugenio* Pontifice, qui una cum *Alphonso*, & Duce *Philippo* adversus *Franciscum* communi consilio bellum gerere statuerat, rapta hujusmodi occasione Comes *Josiæ Aquavivæ*, & *Samnitibus*, qui à Rege *Alphonso* defecerant, auxilium dare constituit, misitque *Antonium Trivoltam*, & *Bastianum Canossam* cum plurimis equitibus, ut opem *Josiæ* ferrent, &
C quoniam prævidebant bellum in *Piceno* iterum geri debere, statuit, ut unusquisque incola *Fir-* 117
manæ urbis pro restitutione mœnium *Monterani*, & *Turris sancti Patritii* solveret, si esset primæ Classis, aureos nummos quadraginta, si secundæ, triginta, si tertiæ, viginti, si quartæ, decem intra dies octo. Fueruntque brevi mœnia restituta: hisque gestis exercitum comparavit, petitque *Urbinum*, & *Pisaurum*, quo facilius hostibus obsisteret: erat enim rumor eos ex *Flaminia* in *Picenum* profecturos. Consuluitque *Florentinos*, & *Venetos* de re *Gismundi*, qui responderunt, ut *Gismundo* bellum inferret, quamobrem bellum ei in-
D dixit, & excurrit in agrum *Ariminensem*, unde non solum bruta animalia, sed & multos viros captivos adduxit: eodemque tempore accepit *Bastianum Canossam*, & *Antonium Trivoltam* Regias copias ad *Amiternum* amnem fudisse, & Kal. Sextilis *Talianum*, & *Aloysium Bononiam*, quæ cum *Florentinis*, & *Venetis* sentiebat, jussu *Philippi* Ducis obsedisse.

CAP. C.

Asculani *à Comite defecerunt ad* Eugenium *Pontificem Maximum.*

Erant hoc tempore *Asculani* sub *Franc.* ditio-
E ne, cum bellum ipsi in *Samnio* per Duces suos adversus Regem gerebat, & quoniam quidam *Joachinus Asculanus* Civis jussu Comitis *Auximi* fuit securi percussus, propterea ad Regem, & Ecclesiam defecerunt, consciusque defectionis fuit *Baldovinus* filius *Nicolai Tolentinatis*, quem Comes in *Samnium* adversus Regem ad opem *Bastiano* & *Antonio* ferendam cum trecentis equitibus miserat. Ipseque jam pridem 4213. nummos aureos à Comite stipendii loco acceperat: eoque die populus arma sumpsit adversus *Raynaldum* Germanum Comitis ex materno late-
F re, & *Asculi* Gubernatorem, ac viginti quattuor Cives, & tres *Raynaldi* famulos, quorum duo erant *Firmani*, hosque omnes interfecit. Introductæque fuerunt copiæ Regiæ, unaque cum iis *Baldovinus* cum equitibus 300. quare brevi Arcis custos eam dedit Ecclesiasticis, hincque *Sfortiani* milites, qui erant in *Samnio Firmum* redierunt.

CAP.

118 Cap. CI.

Alexander *suis copiis non fidens Comitem de plurium oppidorum defectione certiorem fecit, &* Joannem Vintimiliæ *Comitem ad Urbem appropinquare significavit.*

Undecimo Kalen. Septembris ejusdem anni oppugnavit Comes *Pergulam*, expugnavitque extemplo, ac militibus dedit diripiendam. Deinde *Montem Siccum* obtinuit & diripuit. Interea *Alexander* videns *Joannem Vintimiliæ* Comitem cum magno exercitu *Firmum* appropinquare, omniaque inter *Asculum*, & *Firmum* oppida jam defecisse ad Ecclesiam, seque suis copiis tanto exercitui obsistere non posse, scripsit ad Comitem, ut sibi, suisque quamprimum opem ferret, ea de re præfecit copiis, quas erat relicturus *Federicum* Comitem *Urbinatem*, ipseque delectis levis armaturæ equitibus, expeditisque peditibus adversus *Aragonenses*, quos in *Firmanum* agrum pervenisse audierat, deduxit, cumque longis itineribus pervenisset, ad subitum nuncium territi *Joannes*, & Patriarcha *Aquilegiensis*, vixque tanti Ducis nomen sustinentes vasa conclamarunt, & *Ripam* se receperunt, nec munito oppido fidentes *Truentum* transiverunt, quod aspicientes qui à Comite defecerant, ultro in illius ditionem redierunt, quibus ignovit libentissime. Hoc autem temporis intervallo *Talianus* à nemine impeditus *Fanum* progressus se aliis Ducibus conjunxit, ipseque exercitus totius Imperator factus est. Rediensque in *Picenum* in transitu *Auximum*, *Recinetum*, & *Montem Sanctum* deditione cepit; quorum exemplum secuta sunt reliqua *Piceni* oppida. Idque vehementer Comitem turbavit, qui statim expulsis *Aragonensibus* expedito exercitu breviori itinere profectus fuit in *Talianum*, & cum pervenisset ad *Montem Ulmum* intellexit ejus oppidi incolas sentire cum hostibus, quod dissimulavit tunc Comes, ingressusque oppidum cum paucis ibi accepit regionem totam *Picentinam* præter Civitatem novam defecisse, quæ obsidione premebatur. Ea de re statim ad *Federicum*, & *Alexandrum* fratrem litteras dedit, ut statim cum suis copiis advolarent, qui mandatis obedientes
119 accesserunt, post quorum adventum Comes statuit quo pacto obsessos ab obsidione liberaret: posuit igitur castra in *Cluentino*, & creberrimis litteris obsessos hortari cæpit, ut oppidum tuerentur seque suis copiis statim adfuturum animo tamen volvebat belli aleam, quam subire paratus erat. Idque unum retardabat, quod hostes intra vineas, & densas arbores castra habebant equitatusque inhabilis reddebatur, in quo summopere fidebat. Constituit denique *Matthæum* de *Sancto Angelo* in *Vado* expectare, qui pedites conducebat, eumque cito venturum sperabat. mutavit postea consilium, & sequenti die copias instruxit; non expectavit tamen hostis impetum, verum in *Montem Sanctum* prima luce se retulit, quod ægre tulit Comes videns tam insignem victoriam sibi è manibus elapsam, totumque *Matthæo* adscripsit, qui si extemplo adfuisset, non dubium erat hostem fundi potuisse. Cæpit idcirco liberata *Civitate nova* observare hostem, & præcipue animadvertere, ne hostiles exercitus jungerentur, & cum integra stipendia à *Venetis*, & *Florentinis* non mitterentur, ne milites transfugerent mandata exercitus cura *Alexandro*, & *Federico*, *Firmum* ad pecuniam parandam profectus est, ubi dum fuit Præsidatus totus, & quædam Comitatus *Firmani* oppida ab hostibus capta fuerunt.

A Cap. CII.

Comes visa Picentinorum *defectione, & audita Arcis* Contratæ *deditione* Firmum, & Æsium *tueri, reliqua oppida libera relinquere decrevit.*

Dum moraretur *Firmi Franciscus* hostes, qui castra fecerant in agro *Ripano*, expugnaverunt, & diripuerunt *Pedasum*, & *Campum Fellonem* oppida maritima, nonnullosque ex iis captivos duxerunt. Post hæc *Talianus* cum exercitu *Philippi* Ducis, & Pontificis accessit ad arcem *Contratam*, quod oppidum situm est in finibus Marchiæ, & natura loci, & turrium, & mœ-
B nium structura satis munitum, hacque via Comiti in *Umbriam*, *Tusciam*, & Ducatum patebat: hujus oppidi incolæ etsi mirum in modum amabantur à Comite, tamen novarum rerum cupidi, 120
& *Gismundi* suasionibus moti dederunt se *Taliano*, arx tantum remansit ea die: quod ubi accepit *Franciscus*, ut obsessis in Arce opem ferret, *Firmo* discessit cum equitum 8. Millibus 3. Millibus peditum, vixque pervenerat in *Cluentum*, quod de re certior (ut se habuerat) factus fuit: petiit deinde *Aesium*, & ibi arcem etiam hosti à militibus suis datam intellexit, quæ res eum summopere turbavit, siquidem videbat omnes aditus
C clausos, neque auxilia à *Venetis*, & *Florentinis* mitti posse. Illud tamen movebat magis, quod non victus à Regis, Pontificis, & *Philippi* Ducis exercitu, vinceretur perfidia suorum, & instabilitate: his curis anxius statuit hostibus, & fortunæ cedere, & exercitum servare *Firmumque*, & *Aesium* tueri, reliqua oppida libera relinquere. Putabat enim his Urbibus servatis *Picenum* totum sequenti æstate recipere: hoc statuto misit *Firmum Alexandrum* cum equitibus mille & quingentis, & quingentis peditibus, mandavitque, ut quoad posset *Montem* sanctæ *Mariæ* in *Georgio*, & *Montem Rubianum* oppida *Firmo*
D imminentia tueretur. Ipse autem relicto firmissimo *Æsii* præsidio *Urbinum* profectus fuit, & adversus *Malatestas* bellum suscepit. Eodemque tempore *S. Angelus* in *Pontano* expugnatus, & direptus est, *Mollianum* defecit, ex quo oppido capti sexdecim viri, qui ad *Montem* sanctæ *Mariæ* in *Georgio* ad sponsam inde *Mollianum* ducendam accesserunt, *Firmum*que captivi ducti sunt, & *Septempedani* qui sexcentum stipendiarios Comitis milites in oppido habebant defecerunt ad Pontificem ea conditione, ut Comitis milites impune abire permitterentur.

Cap. CIII.

E Picenum *totum in ditionem Ecclesiæ rediit, &* Firmani *à Comite defecerunt* Gerionem*que quibusdam conditionibus receperunt.*

Ubi Comes in *Malatestas* vertit bellum, statim oppida omnia *Sfortianis* militibus vacua sponte se Ecclesiæ dediderunt, nec diu permansere in fide *Firmani*, qui tantam rerum mutationem perpendentes non solum aliorum exemplum sunt sequuti, verum & milites *Sfortianos*, qui erant per Urbem distributi, noctu invaserunt, & 121
armis, & equis spoliarunt: quem tumultum ubi accepit *Alexander*, qui in domiciliis erat cum
F familia prope *Gerionem*, in arcem aufugit. quem *Firmani* ut expugnarent, *Talianum* acciverunt, qui in *S. Angelo* in *Pontano* morabatur, & quotidie *Gerionem* cœperunt oppugnare. Verum qui intus erant cum *Alexandro* milites viriliter repugnabant, & non solum *Firmanos* percutiebant, vulneribusque afficiebant, verum & ædificia plurima in Urbe muralibus tormentis dejiciebant, ac sæpissime ex arce egrediebantur, Urbemque tumultu implebant. Cepit præterea quadam die

A *Alexander* Priores Populi, prodente scriba *Marino* de *Sarnano*, eosque captivos in *Gerionem* duxit. Sed cum urgerent eo magis *Firmani*, jamque commeatus deficerent, *Alexander* equos occidendos curavit, omnesque inutiles ex arce ejiciendos, ut diutius posset obsistere, famemque tolerare. Quod non accidisset, nisi Comes frumentum priori anno militibus distribuisset. Ubi tandem animadvertit decem tantum dierum commeatum adesse, & nullam spem affulgere, his conditionibus promisit *Firmanis Gerionem* restituere, videlicet si solverent sibi aureorum nummorum quinque millia, & permitterent omnes milites incolumes salvis etiam rebus omnibus abire: quibus conditionibus acquieverunt *Firmani*, & x. Kalen. Martii *Gerionem* ab *Alexandro* receperunt Anno M.CCCC.XLVI. Ipseque incolumis *Camerinum* se recepit.

CAP. CIV.

Comes spem Piceni *recuperandi amisit.*

Postquam ad Comitem fuit perlatum *Firmanos* defecisse, maximo quidem fuit dolore affectus, omnem enim spem in iis habuerat; accepit tamen eo majorem dolorem, cum arcem etiam à fratre *Firmanis* redditam intellexit, eaque de re in maximum pene squallorem perductus omnem recuperandi *Piceni* spem amisit.

CAP. CV. 122

Firmani *milites multi sub* Calisto *III. Pontifice contra* Turcas *proficiscuntur.*

B *Calistus* III. Pontifex cum ferre nullo modo posset ut *Constantinopolis* nuper capta à *Turcarum* Imperatore detineretur, milites undique coegit, & Anno M. CCCC. LVI. Ducem *Firmum* misit ad milites colligendos, & ultra tria millia *Firmanorum* militum descripta in hac expeditione fuerunt.

FINIS.

---

1 # CÆSARIS OTTINELLI,

Art. Philosoph. & Jur. Utr. Doct.

DE

FIRMO,

Piceni Urbe nobilissima,

ELOGIUM,

AD

SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

XYSTUM QUINTUM

Pontificem Maximum,

Pro Civitate & Ecclesia Firmana.

---

3 *Beatissime Pater.*



C Ulta quidem sunt, unde Civitas *Firmana*, ut in Archiepiscopatum, & Metropolim erigatur, jure optimo petere potest, tum ex parte ipsiusmet Civitatis, tum quoad ejus Ecclesiam, & Episcopatum.

Civitas hujusmodi honorem, & dignitatem promeretur ob ejus antiquitatem, nobilitatem, situs commoditatem, agri fertilitatem, & alia ornamenta quamplurima, & præcipue ob res præclare gestas Reip. Imperiique *Romani* gratia, sed multo magis caussa Sedis Apostolicæ, à qua multa privilegia, facultates, immunitates perpetuo reportavit.

Ecclesiæ hujus Civitatis debetur Metropolis ob eximiam ejus antiquitatem, Jurisdictionis magnitudinem, singularem nobilitatem; ac etiam ob merita, & præstantiam Episcoporum, qui eam administrarunt.

Urbis *Firmi* originem cum à scriptorum nemine, 4 quoad perlegere licuit, traditam acceperimus, in eam sententiam eundum est, ut antiquissimam judicemus: ita, ut vel sit illamet Civitas *Picenum*, unde nomen universa Provincia duxit, vel ex illa hæc conflata, ubi nunc posita reperitur, quod ad ostia fluminis *Letæ*, adhuc civitatis non ignobilis, fundamenta spectentur, & *Firmum Picenum* nominetur à Strabone *lib.* v. & Valerio Maximo *lib.* IX. *cap.* 16.

Quæ quidem Urbis *Firmi* antiquitas ex eo non obscure patere debet, quod ab initio primi belli *Punici* anno ab V. C. CDLXXXIX. *Firmum* D colonis occupatum tradat Vellejus Paterc. *lib.* I. *& secundo Bello Punico Romanis* affuerunt *Firmani* una cum aliis decem & octo Coloniis. Ubi ex agro *Piceno*, præter *Firmum*, alia Colonia non connumeratur à Tito Livio *lib.* XXVII. & Coloniam ornatissimam vocat *Firmum* Plin. *lib.* VI. *epist.* 18.

Firmum, *Piceni* Urbs amplissima, in qua nihil fere perspicitur, quod ejus longe, alteque repetitam

titam antiquitatem non præseferat, in Colle aë-
5 ris saluberrimi, amœnitatis non exiguæ, in media *Piceni* parte ad sinum *Hadriaticum*, non longe ab *Apenninis* Montibus sita est. Distat enim *Asculo* xxv. mill. *Camerino* xxx. & xxxv. mil. *Ancona*. Quæ tres civitates his temporibus *Piceni* fines complectuntur à tribus lateribus; à quarto vero latere adest mare *Hadriaticum*. Deponunt de his testes super articulis 1. & 3. & in proces. fol. 12.

Agri ubertate fertilissima, frumento, vino, oleo, frugibus cujusvis generis, vel etiam sale, & rebus omnibus ad victum necessariis abundans adeo est Civitas *Firmana*, ut non solum ceteris *Piceni* Civitatis suppeditare, sed ad *Dalmatas*, *Illyricos*, & *Venetos* transportare soleat, ex processu fol. 12. & deponunt testes super artic. 1. & 3. Ut plane huic Civitati deferenda sit fertilitatis laus, quam agro *Piceno* tribuit Titus Liv. *lib.* XXII. Strab. *lib.* V. *Val. Martialis*, ac alii quamplurimi Auctores.

Quemadmodum *Firmum Picenum* olim nominabatur; Ita aliis temporibus Marchia *Firmana* vocabatur, quod *Firmum* primaria Civitas in Pro-
6 vincia exsisteret. Auctores sunt Platina in *Grego. VII.* Blond. *region.* V. *Italiæ Illust.* & *lib.* XIII. *historiarum*, Carolus Sigon. *de Regn. Ital. lib.* IX. In Sfortiade *lib.* VI. Supplementi Chronic. *lib.* IV.

Plurimum *Firmanis* semper delatum fuit, quod eorum Urbs natura, situ, loco, arce munita, ac hominum robore, & fortitudine adeo ornata fuit, ut ceteris Marchiæ Civitatibus timorem maximum injicere soleret, & factum fuit trium sermone proverbium, *Come Fermo vuol fermare, tutta la Marca fà tremare:* de quo multi auctores scripserunt, & ex multis colligi potest. quod Plinius *lib.* III. *cap.* 13. *Reg. V. Ital.* Castellum vocat *Firmanorum*, quod de aliis civitatibus affirmare passim non soleat. *Cajus* vero *Cæsar Arimino* discessus cum per *Picenum* iter haberet, alias *Piceni* Civitates occupavit, quod expugnatu faciliores essent, *Firmum* non attigerit, ex *lib.* I. *Comment. de bello civili*. *Belisarius*, & *Narses* copias coegit, exercitumque lustravit *Firmi*, dum bellum contra *Gothos* gerendum esset. ex Procop. *lib.* II.

7 *Franciscus* deinde *Sfortia*, ubi Marchiam sibi ereptam cognovisset, ut eam iterum in ditionem suam redigeret, properare studebat, ac, dum in Marchiam proficisci cogitaret, iterque susciperet, ubi accepit arcem *Firmanam* à Civibus dejectam, Marchiæ recipiendæ spem, atque consilium penitus sibi ereptum dixit, ac alio cogitationes suas direxit. In Sfortiade *lib.* VIII.

Alphonsus quoque *Neapolis* Rex *Firmum* ad debellandum *Alexan. Sfortiam* Civitatis Gubernatorem obsidione cinxit, ac, diu Castra ubi detinuisset, quia nec vi, nec copiis, nec obsidione expugnari arcem posse cognovit, castra movit, & animum ab obsidione revocavit. In Sfortiade *lib.* VI.

Quo factum fuit, ut, quoties Princeps aliquis in suam ditionem Marchiam vel receperit, vel redegerit, in Civitate *Firmana* sedem, domiciliumque collocarit, ac semper detinuerit: eodemque exemplo sub Pontificibus Curia Generalis Legationis Marchiæ resederit, veluti anno à Christo nato MCCCLXX. ut constat ex repe-
8 titione Roselli de Rosellis in *authen. Ingressi C. de sacros, Eccles.* his verbis, *Repetita per me Rosellum de Rosellis de Arretio, legum doctorem, in Civitate Firmana, ubi tenebatur Curia Generalis Marchiæ anno* 1370. *die* 19. *Octobris anni* VII. *lecturæ ordinariæ.*

A Clarius adhuc, quod in hac Civitate resideret Curia Generalis Provinciæ Marchiæ, patet ex *Bonifacii* IX. litteris Apostolicis, quibus Summus Pontifex permansuram futuris perpetuis temporibus in Civitate *Firmana* Curiam Generalem mandavit multis de caussis, expressis his verbis. Nos igitur, attendentes idoneitatem dictæ Civitatis *Firmanæ*, tum in mansionum commoditatibus, aëris tranquilla temperie, marinis portibus, vescibilium omnium copia pro constituentium necessitatibus ad eandem, & consuetudinem antiquis olim temporibus observatam, nec non fide-
B litatem, & sinceræ devotionis affectum &c. hujusmodi residentiam Generalis Curiæ totius Provinciæ Marchiæ prout in præfata Civitate de cetero perpetuis temporibus permansuram cum privilegiis concedimus. veluti in processu fol. 12.

Ita quoque *Ugo* Cardinalis tit. *S. Mariæ* in 9
Porticu de mandato vivæ vocis oraculo sibi facto à Sanctissimo *D. Gregorio* XI. scripsit *Petro Episcopo Oxonen.* Rectori Provinciæ Marchiæ, ne super translatione Curiæ Generalis quidquam attentare præsumeret sine speciali Sedis Apostolicæ mandato, in hæc verba. Quod cum Rector,
C & Curia Generalis prædicti temporis bonæ memoriæ *D. Egidii Sabinen.* Episcopi, tunc in illis partibus Sedis Apostolicæ Legati, & ab illo tempore citra, residentiam fecerit in Civitate *Firmana*, prout adhuc faciunt de præsenti, tamquam in loco honorabiliori, & pro statu Sanctæ Rom. Eccles. conservando tutiori. prout patet ex proces. fol. 14.

Sed non solum in Civitate *Firmana* Curia Generalis residebat, verum etiam multis annis floruit Generale Studium ad instar Studii *Bononien.* erectum à *Bonifacio VIII.* ut per Bullam erectionis constat, de qua in process. fol. 16. confirmatum postea fuit à *Calixto III. Eugenio IV.* ac aliis
D multis Pontificibus prout in process. fol. 18. In
eodemque Studio lecturam ordinariam præstan- 10
tissimus J. C. *Rosellus*, cujus fama in omnes annos vigebit, habebat, ut patet ex dicta ejus repet. *in auth. ingressi C. de sacr. Eccles.*

Exstat in hac Civitate Collegium Jurisconsultorum, jam inde ab immemorabili tempore ornatissimum, ac numero, & Doctorum præstantia insigne. hoc quidem tempore ultra LXX. Doctores conscripti reperiuntur, ut in proces. fol. 58. eodemque modo, & ratione Procuratores, & Notarii sunt quamplurimi.

Ad Civitatis *Firmanæ* nobilitatem patefacien-
E dam illud non leve argumentum esse debet, quod ejus Comitatus Terras, & Castella sexaginta fere habeat, quorum duodecim sunt ejus fidei, Jurisdictionique commissa, cetera vero subjaceant, ac olim Vassallorum jure detinebantur, quorum major pars 600. familias, seu focularia continet, quo quidem Comitatu *Firmum* finitimum, ac confine exsistit ceteris fere omnibus Civitatibus Provinciæ Marchiæ, cujus majorem partem occupare constat. Civitas vero ipsa Familias, seu Focularia habet ultra 2500. licet per omnes Civitatis partes nondum inhabitetur: & de his omni- 11
F bus fidem faciunt. Testes super art. 4. 5. & 9.

Ac ea hujus Civitatis erat conditio, ut libenter *Joannes Aulegius Firmum* receperit, & *Bononiam* concesserit Cardinali Legato Apostolico. *Joannes* enim *Aulegius*, Archiepiscopi *Mediolanen.* filius, *Bononiam* crudeli dominatu detinuit per annos quinque; cumque armis multum, ac diu *Bononiam* ab hujusmodi dominatu vindicare Cardinalis *Egidius* Legatus tentasset, nec Civitatis recipiendæ spes ulla daretur, conventionibus res acta fuit, ut *Firmi*, ac Comitatus quoad vi-

veret, dominium esset penes *Aulegium*, qui ideo Marchio vocaretur, & ipse *Bononiam* in Ecclesiæ ditionem concederet, ac anno 1360. *Aulegius*, ubi *Firmum* recepisset, ultro, ac libenter *Bononiam* tradidit. scribunt Matth. Villan. *lib.* IX. *cap.* 75. & Joan. Baptista Pigna *histor. Estensium lib.* IV. *an.* 1360.

Optima, & spectatissima fuit semper fides hujus Civitatis erga Remp. *Romanam*, ut ab initio primi belli *Punici* anno ab Urbe condita 489. Colonia exstiterit, ut inquit Vellej. Paterc. *lib.* I.

12 Secundo vero bello *Punico*, quod initum anno DXXXV. ab V. C. tradunt Solin. *cap.* 2. Oros. *lib.* IV. *cap.* 14. præsto fuerunt *Firmani*, ac ideo XII. Colonias, quæ fere defecerant, in fide, & officio, retinuerint, & Imperii *Rom.* nomen steterit eo tempore, quo tantus pavor hominum animis erat injectus, ut magna pars actum de Imperio diceret; ex Tit. Liv. *lib.* XXVII.

Cum *Marco Catone* superiore, in bello *Syriaco* adversus *Antiochum* Regem, anno ab V. C. 563. strenue militabant *Firmani*, quibus *M. Cato* adeo confidebat, ut reliquo exercitui tantum fere non tribueret, quod *Firmanis* solum mandaverit, ut aliquem ex inimicis ad explorandas vias, & inimicorum consilia vivum adducerent, ac extemplo *Firmani*; impetu in adversarios facto, satisfecerunt. ut late prosequitur Plutar. in *Vita Catonis Majoris.*

Anno deinde 586. ab V.C. dum *Paullus Æmilius* contra *Perseum Macedonum* Regem bellum gereret, Cohors *Firmana* pari fortitudine stipendia merebatur. de quo Tit. Liv. *lib.* IV. *Deca.* 5.

13 In eadem Fide erga Remp. *Romanam* dum versaretur Civitas *Firmana* in Bello Sociali, quod cœptum fuit, ut inquit Solin. *cap.* 2. Plut. in *Sylla.* Strab. *lib.* V. anno 662. fere ab V. C. Pompejus Strabo *Firmi* obsidebatur anno 664. ab V.C. sed *Firmanorum* ope, & auxilio, non solum *Ventidium* inimicum debellavit, sed etiam alias Civitates expugnavit. Testis est Appian. Alex. *lib.* I. *de bello civili.* Dio. *lib.* XLIII. Val. Max. *lib.* VI. *cap.* 10. Oros. *lib.* V. *cap.* 18. Eutrop. *lib.* V. *cap.* I. D. Aug. *de Civit. Dei lib.* III. *cap.* 26.

Pari benevolentia prosequuti sunt *Firmani Pompejum* Magnum, dicti *Strabonis* filium, qui in has partes sæpe sæpius sese recipiebat, ut ait Plutarch. *in Vita Pomp. Magni*, quem Agrum *Firmanum* possedisse indicare videtur M. Cicero *Orat.* 13. *Philip.*

Ita plane Reip. *Romanæ* armis, pecunia, copiis, omnique auxiliorum genere præsto semper fuerunt *Firmani*, & præcipue tempore belli gerendi contra *M. Antonium.* testis locupletissimus est M. Cicero *Orat.* 7. *Philip.* dum inquit, *Laudandi sunt ex hujus ordinis sententia Firmani, qui*
14 *Principes pecuniæ pollicendæ fuerunt.*

Aliis quoque argumentis probari potest, quod Civitas *Firmana* conjunctissima semper fuerit Reipublicæ, & Civitati *Roman.* quia non solum quamplurimæ *Firmi* spectantur antiquæ marmorum, & sepulcrorum Inscriptiones, de quibus in procesf. fol. 62. sed etiam inter *Firmanos*, & *Romanos* amicitiæ, & necessitudines conjunctissimæ intercesserunt. *L.* enim *Taruntius*, Mathematicus egregius, amicus fuit *Ciceronis*, ut patet ex Cic. *lib.* II. *de Divinat.* Ita quoque & *Gavius Firmanus*, veluti ex *epist. Cicer. ad Attic. lib.* IV. *epist.* 8. & de præstantia singulari dicti *Taruntii* fidem facit Solinus *cap.* 2. & Plutar. *in vita Romuli.* & ad *Sabinum Firmanum* scribit Plinius Nep. *lib.* III. *cap.* 18. & de *Equitio Firmano* loquitur Valer. Max. *lib.* IX. *cap.* 7. & 16.

Quam quidem conjunctionem, & fidem semper retinuit Civitas *Firmana* non solum dum Res-
A publica stetit, sed etiam ubi Imperatoribus omnis delata fuit potestas ita quidem, ut divinitus factum sit, quod Civitas hæc Urbi *Romæ*, *Roma-* 15
*no*que Imperio conjunctissima semper exstiterit.

Sed multo majora obsequia erga Sedem Apostolicam præstitit, ubi Religione Christiana imbuta fuit, quod sub *Decio* Imperatore septuaginta *Firmani* Martyres recensentur anno fere a Christo nato 253. ac postea magnos in religione progressus fecit ex prædicatione *S. Emygdii* sub *Marcello* Primo anno 300. quibus temporibus vixit *Lactantius Firmianus*, ex hac ortus Civitate, Christianæ Religionis scriptor, & propugnator acerri-
B mus. ex D. Hieronymo *lib. de script. eccles. Martyrologio*, & *Histor.* illius temporis.

Statim atque propriis artibus ab Imperio, & Dominatu *Desiderii Longobardorum* Regis se vindicarunt *Firmani*, se suaque omnia *Hadriano* Primo, Sedique Apostolicæ, sponte dederunt, veluti & alias sæpe Platina in *Hadriano Primo*, Carol. Sigon. *lib.* III. *de Reg. Ital.*

Fidei caussa, & sinceræ devotionis gratia, quam gerere solita est hæc Civitas erga Sedem Apostolicam, cum *Federicum* Primum Imperatorem agnoscere noluisset, igne fere absumpta fuit: quo 16
quidem incendio omnia Civitatis, & Episcopa-
C tus scripturarum monumenta perierunt: ut hoc tempore nonnisi difficillime Nobilitatis capita colligantur: tunc autem temporis *Alexander* III. Pontifex mandavit, ut diligenter scripturarum reliquiæ perquirerentur, conservarenturque. prout in procesf. fol. 8.

Eademque de caussa, & alias sæpe, in multa damna, & detrimenta incidit, ac summas difficultates, & calamitates cepit sæpius, ut patet ex historiarum monumentis, & litteris Apostolicis, præcipue *Innocentii* III. Pontificis, scribentis in hæc verba. *Non sumus immemores, nec damnorum plurium, aliorumque gravaminum, quæ Civi-*
D *tas eadem Firmana pro Ecclesia ipsa substinuerit, possumus oblivisci*; *sed, hæc omnia sæpius recolentes, & Apostolicæ Sedis favore eam dignam agnoscimus, & ejus beneficii specialiter attollendam*, & est in procesf. fol. 10.

Artibus omnibus semper studuit hæc Civitas, ut se ab eorum dominatu, qui Marchiam in suam ditionem contra Sedem Apostolicam redegerit, ven- 17
dicaret, & ad Sedem Apostolicam, ejusque Imperium redire posset, veluti ab Imperio *Desiderii Longobardorum* Regis sub *Hadriano* Primo Pontifice, *Raynaldi* de *Monte Viridi* sub *Urbano VI. Gentilis* de *Molleano* sub *Innocentio VI.* Ut ex Platina in *Ha-*
E *driano primo*, Mattheo Vill. *lib.* IV. *cap.* 42. 52. 57.

Majorum nostrorum tempore præcipue *Liberottum*, de quo Sabellicus *lib.* I. *Enn.* XI. & *Franciscum Sfortiam*, qui *Firmum* crudeli dominatu detinebant, fortiter ejecerunt *Firmani.* Sed quoniam *Alexander Sfortia Francisci* frater interfectis ceteris *Sfortiæ* faventibus in Arcem Civitatis se receperit, fortiterque tueretur arcem, cujus expugnandæ, & recipiendæ belli artibus spem nullam dari ubi cognoverunt *Firmani* Cives, eidem *Alexandro* persolverunt undecim millia aureorum florenorum, ut ex Civitate, & Arce cederet, ac in libertatem restituti *Firmani* ad Ecclesiæ gre-
F mium sub *Eugenio IV.* sponte confugerunt, ut in *Sfortiade lib.* VIII.

Sed longum, & laboriosum nimis esset singula prosequi, quæ Sedis Apostolicæ caussa præclare 18
gesserint *Firmani* veluti sub *Alexandro III. Innocentio III. Innocentio VII. Eugenio IV. Gregorio VII.* a quo Crucis deferendæ facultatem obtinuit Episcopus *Firmanus* in procesf. fol. 20. sub *Honorio III.* qui concessit Episcopo, ut Principis nomen, jurisdictionemque sæcularem retineret in procesf. fol.

fol. 22. 24. sub *Bonifacio VIII.* a quo Studium
Generale ad instar studii *Bononiens.* reportavit in
proces. fol. 16. Majorum vero nostrorum tem-
pore in bello *Ferrariens. Julio II.* præsto fuerunt
Firmani, veluti *Clementi VII* dum in Arce *San-*
cti Angeli obsidione detineretur. Aliis præterea
Pontificibus multis, ut patet ex historiarum mo-
numentis, tum ex decretalibus epistolis eorun-
dem Pontificum, ac litteris Apostolicis, de qui-
bus in processu, & ex *Archiviis Episcopat. & Ci-*
vitatis.

Cum igitur perpetuo multas res egregie gesse-
rit Sedis Apostolicæ, Imperiique *Romani* caussa
Populus *Firmanus*, semper gratiosus fuit tum apud
Romanos, tum apud Summos Pontifices, & In-
signia reportavit, quibus utitur. Continent enim
19 Crucem albam in campo rubeo, & Aquilam, quo
spectant duæ antiquissimæ, quæ exstant, In-
scriptiones de quibus in proc. fol. 62. Quarum
altera est ejusmodi.

FIRMVM FIRMA ROMANORVM
COLONIA,

altera vero his versibus conprehensa:

FIRMI FIRMA FIDES GENVS ALTO
SANGVINE ROMAE
DVCIT, ET INDE CRVCIS REGIA
SIGNA TVLIT.

His itaque de caussis, ac aliis quamplurimis
Civitati *Firmanæ* Archiepiscopatus, & Metropo-
lis dignitas deferenda videtur. Multa sunt etiam
(ut ad Secundum caput transeamus) promerita
ex parte Ecclesiæ *Firmanæ*, quia undique orna-
tissima, nobilissimaque existit.

Ob Antiquitatem Ecclesia Metropolim pro-
meretur. Nam *Justus* Episcopus *Firmanus* inter-
fuit in Concilio *Romano* sub Papa *Symmacho* Pri-
mo anno a Christo nato 500. ab hinc annos 1088.
Gregorii Magni familiares fuerunt *Passivus*, &
Fannius Episcopi *Firmani*, & *D Gregorius* sede-
re cœpit anno 590. ab hinc annos 998 in con-
cilio deinde *Romano Martino* Primo adfuit *Lobia-*
20 *nus* Episcopus *Firmanus* ab hinc annos 942. de
quibus Episcopis patet ex *primo. tom. Concil.* sed
aliorum Episcoporum citra hæc tempora memo-
ria exstaret si integra hujus Ecclesiæ, & Civita-
tis scripturarum monumenta essent, quæ absum-
pta fuerunt incendio illato per *Federicum* Impe-
ratorem, ut paulo ante dictum fuit.

Episcopus *Firmanus* vocatur Princeps. Utram-
que enim jurisdictionem sæcularem, & spiritua-
lem habet ex Apostolica auctoritate, & litteris
Honorii III. in proces. fol. 24. 26. His quoque
temporibus principatus insignia, & ornamenta
retinet. In primo enim Civitatis ingressu Epi-
scopum anteire solet Vexillum, ac duo Viri, quo-
rum alter lorica, & gladio, alter vero armatus
incedit casside, & clava. Præventionem in mul-
tis caussis quoad Legatos, & Gubernatores re-
tinet, & omnimodam jurisdictionem exercet in
suos Commensales, & Familiares, Colonos, &
Officiales etiam privative, quoad Legatos, &
Gubernatores quoscunque, ut patet ex Privile-
giis Apostolicis jam inde à *Xisto* IV. usque in
21 hæc tempora emanatis. de quibus in processs. fol.
22. 24. 30. 32. 35. 36 84.

Populus *Firmanus* Episcopi, & Pastoris sui stu-
diosiss. atque officiosiss. semper fuit, ut nihil præ-
termiserit unquam, quod ad Episcopi commodi-
tatem, & dignitatem augendam faceret, ac mul-
tæ per *Firmanos* donationes etiam Castellorum
priscis illis temporibus Episcopo factæ reperiun-
tur, ut de quibusdam in processs. à fol. 38. usque
A ad fol. 56. His quoque temporibus Episcopus *Fir-*
manus Montem Viridem Castellum in omnem ju-
risdictionem retinet. probant testes super artic. 11.

Diœcesis Episcopatus *Firmani* opulenta, ac
ampla existit, ut major in Provincia non repe-
riatur. Continet enim Terras, & Castella septua-
ginta fere, quorum aliqua mille, quædam octin-
genta, ut plurimum reliqua sexcenta focularia,
& familias habent. Confinis est hæc diœcesis
cum diœcesi *Spoleti*, *Camerini*, *Asculi*, *Montis-*
alti, *Recaneti*, *Laureti*, *Maceratæ*, *Tolentini*,
& *Ripæ Transonis.* deponunt testes super art. 8.
& 9.

B Multis privilegiis, gratiis, indultis ornata fuit
Ecclesia *Firmana*, tum à *Frederico II. Henrico III.* 22
ac aliis multis Imperatoribus; tum à Summis Pon-
tificibus *Gregorio VII. VIII. IX. XI. Honorio III.*
Inocentio III. VII. Calisto III. Eugenio IV. ac aliis
quamplurimis, de quibus in proces. & in *Archi-*
viis Episcopatus, & *Civitatis.*

Ecclesiam *Firmanam* gubernarunt Viri, quo-
rum nomina præfulserunt tum sanctitatis opinio-
ne, tum præstantia singulari, veluti Sanctus *Sa-*
binus, Sanctus *Hadrianus*, Sanctus *Philippus*, in
processu fol. 66. & D. *Gregorius Magnus* manda-
vit Episcopo *Spoletano*, ut ex reliquiis Sancti *Sa-*
C *bini* concederet *Valeriano Firmano*, qui eidem *Sa-*
bino Oratorium consacrare, & dedicare posset.
Episcopus *Firmanus* fuit *Fannius*, de quo XII.
quæst. 2. cap. sacrorum. De *Passivo* vero Episco-
po *Firmano* cap. bene novit 61. distin. & de his
Firmanis Episcopis D. *Gregorius* in regist. episto-
larum *lib.* VII. *epist.* 13. 14. 71. 72. *lib.* X *epist.*
12. 13. *lib.* XI. *epist.* 18. *Justus* Episcopus *Firma-*
nus in Concilio *Romano* adfuit *Marcello I.* quem-
admodum *Lobianus Symmacho* Papæ Episcopus pa-
riter *Firmanus*, ut patet ex *tom.* I. *Conc. univers.*

Cardinales etiam quamplurimi Ecclesiam *Fir-* 23
manam administrarunt. Inter quos fuit *Franci-*
D *scus* Cardinalis *Soderinus* in processu fol. 26. *Nico-*
laus Cardinalis de *Gaddis* in processu fol. 30. *Joan-*
nes Cardinalis de *Salviatis* in processu fol. 26. *An-*
gelus, & *Dominicus* ex familia *Capranicorum* in
processu fol. 26. 34. Ex qua familia multi Epi-
scopi exstiterunt in Ecclesia *Firmana*, quam nu-
per regebat Cardinalis *Pinellus.*

Summi quoque Pontifices *Pius Secundus*, &
Pius Tertius Episcopi *Firmani* fuerunt, quemad-
modum superioribus annis Sanctitas Tua, cui se
se offert exemplum hac in re *Pii Secundi*, qui Ec-
clesiam *Senens.* in Metropolim erexit.

Annuus reditus, & proventus, quem ex bonis
E libere ad Ecclesiam spectantibus percipere solet
his temporibus Episcopus, est scutorum 4500.
& ultra. Palatium præterea Episcopi *Firmani*
prope plateam Primariam Civitatis magnificum,
amplum, omnibus rebus ad commodiorem usum
ornatum est: Alias quoque Inhabitationes, Do-
mus, Palatia in Abbatiis, locisque variis diœce- 24
sis possidet Episcopus quamplurimas, probant
testes super art. 10. 12.

Ecclesia Cathedralis hujus Civitatis lapidibus
marmoreis quadratis constructa, ad collem in me-
dia Civitatis parte collocata, singularis, atque
pulcherrima spectantium oculis multis passibus à
Civitate se se offert. In qua quidem duo inser-
F viunt Sacristæ, qui peculiarem proventum, &
reditum distinctum à mensa capitulari habent.
Horum alter incumbit vestimentis, vasisque sa-
cris, quorum est Ecclesia opulenter, abundan-
tissimeque referta; Alter vero oleis, cereis, re-
bus aliis necessariis ad divina peragenda operam
navat. Ita quoque in Ecclesia sunt Viri Operarii,
qui peculiarem, ac proprium proventum exi-
gunt, unde expensis Musicæ, Organi, quod
qui-

quidem magnifice constructum est, veluti & Tabernaculum in altare majori æreum, aliisque servitiis, quæ ecclesiis incumbunt satisfacere solent, adeo ut Episcopali Mensæ non relinquatur onus aliquod persolvendæ pecuniæ in iis, quæ spectant ad Ecclesiæ servitia, probant testes super articulis 13. 14. 15. 16.

25 Capitulum hujus Ecclesiæ nobilissimum est. constat enim quatuor dignitatibus, & duodecim Canonicis. Canonicatus vero annuus reditus est scutorum ducentorum, & ultra; sunt octo præterea Mansionarii, qui massam separatam habent, ut probant depositiones testium super art. 17. Canonici vero olim Capparum usu, & privilegio gaudebant, ut constat ex Visitatione Apostolica habita anno MCCCXXVIII. ex *archiviis Episcopalibus*.

Erectum fuit Collegium, seu Seminarium ex sacri Concilii *Tridentini* institutione, cui annuus reditus, & proventus est constitutus, unde pueri bonis moribus, & disciplinis imbuuntur, patet ex depositione testium super art. 18.

Promeretur Archiepiscopatum, & Metropolim Civitas *Firmana*, quia ejus Populus fidei studiosissimus, pietati & religioni summopere deditus semper fuit, idque cognosci facile potest, quod Comitatus, & Diœcesis ex tribus duas partes occupare bona Ecclesiastica pateat, & probatur ex depositione testium super art. 19. & 20.

26 Magna cum veneratione deinde observantur corpora Sanctorum *Hadriani*, & *Philippi* Episcopi, & Martyris, *S. Jacobi* martyris, beati *Adami* Abbatis: sunt præterea innumerabiles aliæ Reliquiæ, & illa insignis ex corona spinea Jesu Christi, ut in proces. fol. 66. de Sancto *Sereno* in Martyrolog. die VII. Kalen. Martii, & de *S. Alexandro Firmano* VII. Id. Januarii memoria habetur.

Templa hujus Civitatis, & Monasteria sunt varia religiosarum personarum tam Virorum, quam Mulierum opulentissima æque atque in quavis alia civitate, Parochiales præterea Ecclesiæ, ac Confraternitates quamplurimæ, Hospitalia multa, quorum unum est Puerorum expositorum in universa Provincia insigne, quod ex annuo reditu tria millia scutorum percipere soleat, ut de his omnibus late probant Testes super art. 21. 22.

Quod si in unaquaque Provincia constituenda est Metropolitana Ecclesia, ut suo Metropolitano unaquæque Provincia sit contenta, ut mandat *Cœlestinus* Primus in *epist.* 2. *ad Galliæ Episcopos*
27 *cap.* 4. & per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas statuit *Bonifacius* Primus *epist.* 3. In provincia autem Marchiæ nullus sit Metropolitanus, & *Firmum* distet ab Urbe *Roma* mil. centum triginta. Probant testes super art. 7. & in simili, vel minori distantia existunt *Florentia*, *Senæ*, *Neapolis*, *Beneventum*, quibus est consignatus Metropolitanus.

De collocanda Metropoli inquit *Clemens* A *Primus* Papa in *epist.* 1. In illis Civitatibus, in quibus dudum apud Ethnicos archiflamines minores, Archiepiscopos institui Beatus *Petrus* præcepit. Et his inhærens *Anacletus* Papa *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ* ait. Provinciæ autem multo ante Christi adventum tempore sunt divisæ, & postea ab Apostolis, & *Clemente* prædecessore nostro ipsa divisio est renovata, ut in capite Provinciarum, ubi dudum Primates legis sæculi erant, ac prima judiciaria potestas ad quos, qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad Aulam Imperatoris, vel 28 Regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugerent pro oppressionibus B vel injustitiis suis, ipsosque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege earum præceptum erat ipsis quoque in civitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ, & Ecclesiasticæ poni, & esse jusserunt, ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugiant, & appellent, & ipsi Primatum nomine fruerentur, & non alii. Reliquæ vero Metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, licet majores Comitibus essent, haberent Metropolitanos suos qui prædictis juste obedirent Primatibus, sicut & in C legibus sæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ Metropoles Civitates suas Provincias habeant, & suos Metropolitanos Judices habere debeant Episcopos, sicut prius Metropolitanos Judices habebant seculares. hæc ex epistola *Anacleti* Papæ; alia ejusdem argumenti continentur in *epist.* 2. *Stephani* Papæ prout referuntur distin. 80. 29

Quas quidem conditiones in Civitatem *Firmanam* cadere ex deductis satis constare patet, ut quemadmodum olim Curia Generalis in ea tanquam in loco honorabiliori residebat, ut patet ex literis *Bonifacii*. IX. & Cardinalis *Ugonis* in D proces. fol. 12. 14. eisdemque de caussis & Studium Generale institutum fuerit a *Bonif.* VIII. in proces fol. 16. Ita, & Metropolis collocanda erit in eadem Civitate propter ejus Nobilitatem, Antiquitatem, Situm, Agri Fertilitatem, ut late de omnibus probatum fuit in processu.

Quare Beatissime Pater licet sint in Provincia Marchiæ aliæ Civitates nobilitate præstantes, quarum nobilitati hoc loco detrahere minime propositum est; & Civitas *Firmana* semper quoad potuit cum ceteris Provinciæ Civitatibus optimam conjunctionem sibi Conciliavit, ac in posterum omni industria retinere studebit; tamen E si conjungantur Civitatis *Firmanæ* Ornamenta cum Magnitudine, Nobilitate, & Jurisdictionis amplitudine ejus Episcopatus Metropolitana dignitate decorari meretur, quæ tamen summi favoris, & gratiæ loco reportabitur à Sanctitate Tua, quam diu felicem, ac incolumem conservare Ecclesiæ suæ Deus Opt. Max. dignetur. 30

CÆSAR OTTINELLUS ADVOC.

FINIS.

I N-

INDEX NOTABILIUM.

Episco-

Picen-


To-

FINIS.









ANTIQ
ITALIÆ

TOM VII
P. II